Tiratura limitata a 200 esemplari

# ANTIQUITATES ITALICÆ MEDII ÆVI, SIVE DISSERTATIONES

De Moribus, Ritibus, Religione, Regimine, Magiſtratibus, Legibus, Studiis Literarum, Artibus, Lingua, Militia, Nummis, Principibus, Libertate, Servitute, Fœderibus, aliiſque faciem & mores Italici Populi referentibus poſt declinationem Rom. Imp. ad Annum uſque MD.

*OMNIA ILLUSTRANTUR, ET CONFIRMANTUR*

**INGENTI COPIA DIPLOMATUM ET CHARTARUM VETERUM,**

*Nunc primùm ex Archivis Italiæ depromtarum,*

ADDITIS ETIAM

**NUMMIS, CHRONICIS, ALIISQUE MONUMENTIS**

NUMQUAM ANTEA EDITIS.

*AUCTORE*


**LUDOVICO ANTONIO MURATORIO**

SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTO.

**PALATINIS MEDIOL. SOCIIS**

EDITIONEM CURANTIBUS.

## TOMUS PRIMUS.




MEDIOLANI, MDCCXXXVIII.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ IN REGIA CURIA.

*SUPERIORUM FACULTATE.*

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI

# FRIDERICO AUGUSTO III.

REGI POLONIARUM, MAGNO DUCI LITHUANIAE, RUSSIAE, PRUSSIAE, MASSOVIAE, SAMOGITIAE, KIOVIAE, VOLHINIAE, PODOLIAE, LIVONIAE &c. DUCI SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE, MONTIUM ANGRIAE, ET WESTPHALIAE, S. R. IMP. ARCHIMARESCHALLO, ET ELECTORI, LANDGRAVIO THURINGIAE, MARCHIONI MISNIAE, AC SUPERIORIS PARITER ET INFERIORIS LUSATIAE, BURGGRAVIO MAGDEBURGI, COMITI PRINCIPALI HENNEBERGICO, COMITI MARCAE &c.

EA eſt maximorum Principum excellentiſſima conditio, ut non tantum inter Populos, quibus dominantur, ſed etiam celebritate famae ubique gentium cultores ſibi & admiratores pariant, atque concilient. Idque potiſſimum contingit, quoties ii Potentiam Virtutibus ornant, & egregiis factis ad remotiores etiam fines extendunt ſui nominis gloriam. Hujus autem felicitatis quanta ſit tibi portio, Potentiſſime Rex, Italia praeſertim univerſa locupletiſſima teſtis eſt, quae quamvis a te tam diſſita, ſummo tamen cum honore de te loquitur, teque amantiſſime ſuſpicit, atque miratur. Scilicet illa quidem cum voluptate ſemper meminit, quo tempore ad nos profectus, tum Religionis verae pio animi ardore documenta hauſiſti, tum ſolidae Pietatis fundamenta jeciſti, exemplo ſane memorando, quod ii etiam, qui ſequi & imitari non audent, mirari tamen & laudare non deſinunt. Mihi quoque adhuc obverſatur oris tui majeſtas, ſingulari cum comitate conjuncta, quam Mutinae Anno MDCCXII. IX. Kalendas Decembris oculis meis excepi. At poſtquam Regium Poloniae Thronum conſcendiſti, tuarum laudum longius latiuſque fama propagata eſt. Novimus & nos, quot quantaſque Virtutes in ampliſſimum iſtud Regnum intuleris. Novimus (hoc enim in omnium oculos incurrit) quam alte radices in te egerit Pietas, & Sanctiſſimae Religionis amor: quae prima, & ſupra reliquas neceſſaria in Principe laus eſt. Accedit Humanitas & Clementia ſingularis, quae tamen amicum jamdiu foedus iniit cum curâ ſtudioque Juſtitiae. Atque hac viâ praeſertim, ani-

mos universorum Procerum, Populorumque tum Poloniae, tum Lithuaniae, tibi ita devinxisti, ut jam quisque immemor praeteritae discordiae, amore erga te & obsequio certet cum Populis, quibus jure hereditario dominaris. Ad haec pulchrum est intueri tantam in altitudine fortunae Modestiam, & praecipue Magnificentiam illam incomparabilem, quam ab inclytae memoriae AUGUSTO Rege, parente tuo, veluti per hereditatem accepisti. Hanc ubique spirat Regalis Aula tua; omnia ibi splendida; omnia admirabili ordine disposita atque peracta; omnia denique non tam Animi tui magnitudinem, quam Mentis bene compositae elegantiam luculentissime testantia. Sed prae ceteris habet Polonia, quod in te miretur, raram videlicet Sapientiam, qua te ipsum, Populosque tibi a Deo creditos, regis. Cujus quidem virtutis quamquam quotidiana praebeas exempla, mirum tamen in modum illustre specimen dedisti in postremis Comitiis Pacificationis Regni tui. Ibi ardua supra modum negotia agitabantur; ibi luxatis Reipublicae membris opportunum quaerebatur remedium, sed iis difficultatibus identidem sese objicientibus, quae spem omnem redintegrandae salutis atque concordiae eripere viderentur. Actum erat de tam excellenti bono, nisi sublimis tua mens intercessisset. Nullus enim tam grandis obex exoptatae ab omnibus quieti eo tempore occurrit, quem non illico removerit consiliorum foecundissima Prudentia Majestatis tuae: ita ut Sapientiam tuam mirati sint, & adhuc mirentur vel ipsi Senatorum sapientissimi, eique uni acceptam referentes partam tot bonorum affluentiam, te laudibus efferant numquam interituris.

Ejusmodi ergo invidendae dotes, praeclaraque Animi, simulque Throni tui ornamenta, ea sunt, per quae non illos tantummodo, qui sub te Principe degunt, felices, tuique amatores efficis, sed exterorum quoque venerationem studiumque erga Majestatem tuam allicis. Itaque diu est, quod ego captum me sensi splendore & famâ tuarum Virtutum, diuque etiam circumspexi, quo monumento testari apud praesentes & posteros possem, quanta sit mei erga te sublimissimum Regem obsequii perennitas & promtitudo. Accedebat etiam arcta illa inter Majestatem tuam, ac Serenissimum FRANCISCUM III. Mutinae Ducem, clementissimum herum meum, quem proxime praeterito anno ad te profectum tanto amore & gratiâ excepisti, affinitas atque conjunctio: quum nobilissimus Brunsvicensium Ducum Sanguis ex gemina Sorore, tam in Regiam Conjugem tuam MARIAM JOSEPHAM Archiducissam Austriacam, quam in eumdem Mutinae Ducem fluxerit, & in Augustissima AMALIA Romanorum Imperatrice, vivo Mulierum fortium & piarum exemplari, tu amantissimam Socrum, Mutinensis vero Dux benignissimam Materteram, uterque demum alteram veluti Matrem colatis.

Itaque cui aequius, cui fidentius quam Majestati tuae offeram ego *Italicarum Antiquitatum medii aevi* Corpus, quod multis vigiliis & laboribus a me compactum, publici nunc tamdem

juris

juris facere constitui? Immo, si quid ominari licet, neque injucundum, neque inutile Principi, adeo in ipsa Germania potenti & illustri, argumentum istud videatur. Quippe in hoc Opere collecta Eruditio illa fuit tum sacra, tum profana, quae cum Germanica gente communis est, & Literatorum ingenia ac studia apud ipsos Germanos S. R. Imperii cultores praecipue exercere solet. Et sane quamquam Italicorum quidem Populorum mores, regimen, ceteraque barbaricorum Saeculorum acta pertractanda susceperim: nihilominus ita cum Germanicis Italica miscentur, ut non minus unam, quàm alteram gentem illustrandam mihi proposuisse videar. Heic enim versati, heic dominati tot Romanorum Imperatores Germanici, heic Populis, aut exercitibus praepositi tot Principes & Proceres ex Germania ipsa profecti. Dicam etiam, tuos ipsos vetustissimos Majores Misniae Marchiones, sublimiorum munerum ac Dignitatum splendore conspicuos, iis ipsis antiquis temporibus in Italia invenies. Nam quod est ad Langobardorum Regnum, Francorumque apud nos Imperium: quis nescit, eos ipsos Principes, easque Nationes ex Germania suam duxisse originem? Quare in eam spem adductus sum, nihil obstituram sublimitatem Dignitatis tuae, Inclyte Rex, quin humillimum hoc obsequii mei tributum benigne excipias: quod utinam provolutus ad Thronum Majestatis tuae coram exhibere potuissem. Faxit interea Deus, ut quae Pax amplissimo isti Regno, Te potissimum curante, parta est, diutissime perseveret; & si quando ad arma insurgendum sit, ea solum convertantur in Crucis inimicum, atque Orientis Tyrannum.

SACRATISSIMAE MAJESTATIS TUAE

Dabam Mutinae
III. Nonas Septembr.
Anno MDCCXXXVIII.

*Humillimus, addictiss. & obsequentiss. famulus*
Ludovicus Antonius Muratorius.

# ELENCHUS
## TOMI PRIMI.

DISSERTATIO PRIMA.



DISSERTATIO SECUNDA.



DISSERTATIO TERTIA.



DISSERTATIO QUARTA.



DISSERTATIO QUINCTA.



DISSERTATIO SEXTA.



DISSERTATIO SEPTIMA.



DISSERTATIO OCTAVA.



DISSERTATIO NONA.



DISSERTATIO DECIMA.

## DISSERTATIO UNDECIMA.



## DISSERTATIO DUODECIMA.



## DISSERTATIO TERTIADECIMA.



## DISSERTATIO QUARTADECIMA.



## DISSERTATIO QUINCTADECIMA.



## DISSERTATIO SEXTADECIMA.



## DISSERTATIO DECIMASEPTIMA.



## DISSERTATIO DECIMAOCTAVA.

# IN ANTIQUITATES ITALICAS MEDII AEVI

## *PRAEFATIO*

## LUDOVICI ANTONII MURATORII.

S*Criptores Italicarum Rerum jam dedi . Tam laborioſo opere perfunctus , nunc alterum offero , videlicet* Antiquitates Italicas medii aevi . *Non defuere , qui me precibus ac rationibus non contemnendis ſolicitabant , ut ex quo tot praeſidia comparaveram Hiſtoriae Italicae barbaricorum temporum , me tamdem ad contexendam a Romani Imperii declinatione univerſalem Hiſtoriam Italiae converterem , quaſi ego hiſce ſtudiis tamdiu innutritus , unus poſſem , & accuratius quàm multi alii , & facilius quàm ceteri , ejuſmodi adornare ſpartam , ac perenni beneficio cum praeſentes , tum poſteros mihi devincire . Verùm me , jam ſeneſcentem , terruit tanti moles aedificii ; quod tamen ut quiſquam alius ſuſcipiat , vehementer optare non deſino : neque enim apud nos deſiderantur , qui aeque atque ego , immo felicius etiam quam ego , ad id operis animum ſuum intendere poſſint , dum Libris abundent atque Eruditionis copiam cum veterum monumentis conjungant . Ego interea minime oblitus , quo tempore* Antiquitates Eſtenſes *publici juris feci , hoc eſt Anno* 1717. *me* Italicas *etiam* Antiquitates *fuiſſe pollicitum , en demum fidem meam liberare conſtitui . Quo utique Opere , etſi ab Hiſtoria Italica medii aevi conſcribenda alienum me ſenſi , ſpes tamen animo meo obverſatur , fore , ut plurimum lucis & opis adferri poſſit cuicumque , Hiſtoriam ipſam aggredi volenti , aut etiam coacervatas Hiſtorias legenti . Sed ut mature intelligat Lector , quid ego lucubrationibus hiſce meis praeſtiterim , quidque ſibi ſperandum ſit , ubi accedere ad eas velit , pauca quaedam praefari juvat .*

*Poſtquam Literae amoeniores veluti redivivae proxime praeteritis Saeculis dignitatem priſtinam recipere , habitumque barbaricum deponere coeperunt [ quod certe curá potiſſimum atque induſtriá Italicae gentis eſt factum , ex cujus exemplis reliquae poſtea cultiores in Europa nationes profecerunt ] , majorum noſtrorum ingenia primo ſumma vi , ſummoque ſtudio contenderunt , ut Latinam Linguam expolirent , barbarorum commercio nimium deformatam , ſimulque Graecam inveherent , diutiſſime antea ignoratam atque neglectam . Ad Oratoriam deinde , ad Poëſim , ad Philoſophiam , ad Hiſtoriam , ad Eruditionem , ad reliquas Scien-*

*tias atque Artes revocandas, amplificandas, & perficiendas, sese contulere, eo successu, ut inter tot caussas, ob quas felicitati temporum nostrorum gratulandum est, postrema non sit bonarum Literarum splendor restitutus atque cultura. Et ad* Eruditionem *quidem quod attinet, tum* Sacra, *tum* Profana *pertractata diligentissime fuit. Sed qui* Profanae *operam dederunt, ferme in iis dumtaxat constitêre temporibus, quibus Roma tot Populis in Europâ, Asiâ, & Africâ, dominata est, & Graecia non minus literarum quàm armorum gloriâ effulsit. In utriusque gentis illustrandis rebus, in eruderandis monumentis, in exponendis moribus, ritibus, religione, regimine, legibus, aliisque ad veteres Romanos & Graecos spectantibus, Eruditorum studia versabantur. Ibi eorum conatus, ibi deliciae. Ea processit in ejusmodi studio Literariae Reipublicae ardor, ut jam habeamus Vigintiquinque Tomos grandis molis, Antiquitatum Graecarum & Romanarum Thesaurum, sive syllogem, a Gronovio & Graevio instructam complexos, hoc est in unum coactos Auctores varios, qui de iis egerunt. Ex aliis deinde ejusdem argumenti Scriptoribus collectis tres alios Tomos efformavit Sallengre: quorum omnium iterata editio nuper Venetiis suscepta fuit. Neque tamen in hisce conclusum arbitrere aerarium universae Eruditionis Graecae atque Romanae. Abundant & alii Libri de Romanis praesertim Antiquitatibus agentes. Et quid si cum illis jungas tot volumina, in quibus veteres Inscriptiones, Fasti, Nummi, Gemmae, Amphitheatra, Geographia, Chronologia, aliaeque partes aut fragmenta Eruditionis Romanae pertractantur? Terreat te, paene dixi, tanta rerum copia atque apparatus.*

*Proinde hic olim beatus foecundusque ager erat, quem unum ingenia praesertim Italica excolebant; & ex quo plurimam sane laudis gloriaeque messem retulere. Interea sordebat quidquid ad tempora spectabat, post invectos in Italiam Barbaros subsequuta. Si quid occurrebat aut Librorum ab Auctoribus aetatis illius scriptorum, aut Latinae Poeseos, aut Legum, aut Inscriptionum, aut Chartarum medii aevi, bene cum iis agebatur, si sine contemtu dimittebantur, aut abjicebantur. Neque enim deerant, qui eadem non secus atque excrementa foetida aversati exhorrebant, Grammatici praesertim, qui contra Ennii, Catonis, Plauti, aliorumque vetustiorum Latinorum vel minimas quisquilias, tamquam gemmas, deosculabantur, atque ad caelum attollebant. Effusum profectò Grammaticorum amorem erga quaecumque remotioris antiquitatis monumenta probo & ego; eorumque animum a barbaricorum Saeculorum Libris aversum subit etiam excusare: quippe in hisce aurum Latinum frustra quaeras, Germanicae verò aeruginis & scoriae multum reperias. Verùm quod est ad ceteros Literarum bonarum cultores, olim adeo ab Eruditione Medii Aevi alienos, non dissimiles appellare illos liceat ab iis, qui sub Italiae caelo nati, felicissimum hunc terrarum orbis tractum ita amant, ita suspiciunt, ut quidquid ultra Alpes & maria situm est, nil curent, fortassis etiam flocci faciant. At sua & aliis re-*

gio-

*gionibus ſunt merita , ſua quoque ſunt commoda , atque artis ac naturae privilegia non pauca . Venuſtatem praeterea invidendam & magnificentiam in compluribus reperias . Quamquam quid ajo ? quaſi Italia , parens noſtra , eadem ſemper non fuerit ac ſit , tam ſub Romanis rerum dominis , quam ſub Langobardis , Francis , atque Germanis . Ut ut Romam non ſine moerore recogites , quae poſtquam tot gentibus dominari deſiit , ſervire & ipſa aliquando didicit ; ut ut florentiſſimam olim Italiam tibi cum indignatione objicias , poſtea ob tranſmigrationem Barbarorum in ſquallorem prolapſam : non propterea noſtra haec regio in Lybiae deſerta converſa eſt , non nativis exuta praerogativis fuit . Abundabant & tunc Populi , eiſque ſui Praeſides erant , ac ſuae Leges . Felicia ingenia reperire arduum non erat . Agri excolebantur ; commercia , pax , & opes non deerant . Et quamvis non ea certe felicitatis facies , morumque elegantia & Literarum ornatus in Italorum patria ſpectaretur ſub Barbaris , quae olim ſub Romanis : nihilo tamen ſecius Regni hujus majeſtas, fortitudo , & opulentia, ne tunc quidem ulli finitimorum Regnorum conceſſit . Et quaenam , rogo , tanta moroſitas delicatulos hominum animos invaſit , ut Italiam matrem , tantummodo dum felix & domina fuit , intime noſcere velint ; ipſam verò e ſolio quidem dejectam , ſed adhuc veteris ſuae nobilitatis tenacem , deſpiciant , aut illius aſpectum refugiant ? Neque Gallia , neque Hiſpania , neque Britannia melioribus fatis olim ſunt uſae , a Barbaris & ipſae conculcatae , atque in ſervitutem conjectae . Nemo tamen hac de cauſsâ Patriam ſuam per ea tempora averſatur , ac ſi cum aerumnis & calamitatibus luctantem intueri illam minime ſuſtineat . Ceterum ne ipſis quidem Romanis dominantibus bella interna & externa , Urbium everſiones , Imperatores , monſtra potiùs quàm Principes , & vitiorum colluvies defuere . Cur ergo tantùm obſequii ac ſolicitudinis erga tempora illa , nihil erga ſubſequentia ?*

*Verùm* Sigonius *Mutinenſis , qui de Romanis Antiquitatibus tam bene meritus fuit , ſi non primus , certe ceteris , qui ante ſe de rebus Italiae medii aevi ſcripſerant , praeferendus , ejuſmodi quoque ſtudium , ingenio ſuo dignum ratus , ſibi hanc provinciam propoſuit ; & elucubratis Libris* de Occidentali Imperio , *&* de Regno Italiae , *egregie in iſtam Eruditionis partem invaſit , viamque ſtravit poſteris , ut latius exinde progrederentur . Itaque ſenſim magni viri ad illuſtranda Barbarica Saecula omnem operam ſuam conferre coeperunt , ſed enixius & crebrius exteri , quàm Itali . Ut Salmaſium omittam , cujus labores non exceſſere declinantis Imperii Romani limites ,* Jacobus Sirmondus , Philippus Labbeus , Jacobus Gretſerius , Johannes Bollandus , *ejuſque ſucceſſores atque eximii alii doctiſſimique viri e Societate Jeſu , extumulatis barbaricis monumentis compluribus , Rempublicam Literariam ad melius dignoſcendas opes contentae illius aetatis adduxere . Neque heic , niſi obiter , de Sacra Eruditione mihi ſermo eſt ; in hanc enim certatim incubuere Chriſtianae quaeque nationes , atque Italica in primis . De Profana potiſſimum loquor , cui multum*

*lucis attulere* Henricus Canisius, Gerardus Johannes Vossius, Bignonius, Barthius, Conringius, Du-Chesnius, Goldastus, Meibomius, Hadrianus Valesius, Lindembrogius, Baluzius, Dacherius, Mahilonius, Ruinartus, Martene, Montfauconius, *aliique clarissimi ac eruditissimi Monachi Benedictini e Congregatione Sancti Mauri,* Lambecius, Pagius *senior*, Leibnitius, Menkenius, Eccardus, *aliique tum Galliae tum Germaniae Scriptores celeberrimi; quibus jungendi quoque sunt Hispani & Britanni, in patriis rebus illustrandis & ipsi multa cum laude versati. Ex Italis verò sese mihi offerunt* Guido Pancirolus Regiensis, Cardinalis Baronius, Nicolaus Alemannius, Odoricus Raynaldus, Borghinius, Admiratus Senior, Ughellius, Pignorius, Octavius Ferrarius, Ciampinius, Torrigius, Franciscus Blanchinus, Arringhius, Bacchinius, Bosius, Berettus & *viventes* Scipio Maffeius Marchio, Guido Grandius *Abbas Camaldulensis*, Joseph Blanchinius, Joseph Antonius Saxius & *alii ex eruditione clari viri, qui pro viribus partem aliquam hujus agri excoluere. Pete nunc a justis rerum judicibus, num ejusmodi Scriptorum conatum gloria fuerit subsequuta. Utique non minor, quàm quae olim Romanarum Antiquitatum cultoribus deferebatur. Sive enim nos ab antiquissimis Italis, aut a Romanis, sive a Gothis, Langobardis, Francis, & Germanis descendamus, semper gentis nostrae Historiam persequimur, quoties res gestas & mores investigamus barbarici aevi; & par voluptas est genealogiam continuatam Majorum nostrorum perspectam habere. Hisce duplicem caussam adde, quae nostri temporis Eruditos, calcarium ad instar, solicitare possit, ut ad expiscanda & illustranda inferioris quoque aevi monumenta alacrius insurgant. Altera est, Romanae rei Eruditionem, ex quo tot de eâ prodiere volumina, vix novi argumenti quidquam nobis reliquisse, nisi nova antiquitatis fragmenta effodiantur. Et profecto si qui sunt, qui de papyro in chartam Romanorum gesta ac ritus transferunt, non iis multum laudis expectandum est. Contra Barbarica Saecula gravissimis adhuc laborant tenebris, atque ager iste paucos cultores hucusque nactus, spem uberis messis excolenti fecit. Romanae Eruditionis ager paene universus jam occupatus est; at in isto non levis pars adhuc primo occupanti patet. Si gloria ex novitate praesertim exsurgit, hercle ad eam certior hac viâ est gressus. Accedit & altera caussa. Nam tot ritus non solùm sacri, sed & domestici & policiti nobis in usu sunt, quorum origo non Romanis temporibus tribuenda est, sed Barbaricis. Ergo non Eruditionis dumtaxat amplificandae gratiâ, sed spe etiam referendae voluptatis, & famae conquirendae, juvabit adhibere, quam possumus, lucem obscuris iis Saeculis, & quid Majores nostri egerint, accurate expiscari, ut praesentium fontes & caussas, uno tempore, & cum delectatione teneamus.*

*Atque haec ea fuerunt, quae mihi suasere praesentis Operis consilium, & ad illud complendum animos etiam addidere. Cujus quidem laboris qui sit scopus, paucis aperiam. Scilicet mihi proposui, quibus possem viribus, faciem Italici Populi delineare,*

*qualis*

*qualis fuit a Saeculo Christianae AErae Quinto usque ad Annum Millesimum, & paene quingentesimum. Quod ut conficerem, varios Italiae ac Italicae gentis prospectus ante oculos mihi statui, non secus atque faciunt, qui aut magnam quampiam Urbem, aut splendidissimum Palatium Regis alicujus describendum suscipiunt. Nam primò ectypon universi aedificii exhibent, tum sigillatim ejus partes percurrunt, videlicet aulam, cubicula, atria, scalas, plateam, xystos, pinacothecam, aedem sacram, picturas, statuas, stabulum, viridarium, peribolium, aliaque immanis molis membra atque ornamenta, ex quorum singulorum conspectu resultat magnificae illius, ut ita dicam, Urbeculae effigies. Idem praestiti & ego. Ducturus nempe Lectorem ad dignoscendum, qualis post Barbaros in Italiam illapsos facies hujus Regni per complura Saecula fuerit, potiora argumenta selegi ac pertractavi, ad Italiam medii aevi spectantia, quae simul juncta specimen exhibere poterunt conditionis & status temporum eorundem. Specimen, inquam: sunt enim ex iis argumentis non pauca, quae justi voluminis materiem erudito homini sufficere possent. Plura etiam alia supersunt, quae insalutata prorsus dimisi, aut obiter tantùm innui; in quibus illustrandis si quisquam exercere vires suas velit, bene de Republica Literaria, ac de suo nomine mereri possit. Itaque primo de Regibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, aliisque Regni Italici Magistratibus commentatus sum: deinde varios regiminis politici ritus, ac privatorum Civium mores investigavi. Libertatem ac Servitutem hominum, Judicia, Militiam, Leges, Nummos, Artes, Literarum Studia, Linguae Italicae originem, Mercaturam & horum similia sum persequutus. Et quoniam post Annum a Christo nato Millesimum alia coepit esse Italiae facies, quum permultae Civitates Libertatem & quamdam Autocratiae formam arripuerint, cui regimini alterum subinde successit, Principum videlicet, seu Regulorum: hanc etiam Italicae eruditionis partem nonnullarum Dissertationum auctario expedivi. Demum, quum inter studia & mores cujuscumque Populi Religio primas teneat, Christiana profecto, quae non minus quàm antea, & nunc, barbaricis temporibus in Italia viguit, amplissimum mihi exspatiandi campum praebuisset. Verùm praeterquam quod ultra consilii mei fines facile ejusmodi materies excurrisset, eaque una in plures Tomos excrescere potuisset, jam illam occuparunt fere universam doctissimi viri, quorum Libros describere, uti nemo non intelligit, nihil mihi laudis, nihil Lectoribus delectationis adtulisset. Quare aliquot dumtaxat rei sacrae argumenta delibasse potius, quàm exhausisse contentus, quibus aliquid lucis addere posse mihi visus sum, reliqua intacta dimisi. In his paucis habes, quae ego praestiterim, ut perspectior, quàm antea, fieret apud nos status Italiae medii aevi.*

*Nunc autem, neque sine dolore, prodendum est mihi palmare discrimen, quod inter Antiquitatum Romanarum cultores, & studiosos Antiquitatum Medii AEvi occurrit. Ad colligendos atque illustrandos Romanorum ritus, mores, instituta, & gesta,*

*praesto sunt innumera praesidia, videlicet quamplurimi, ne dicam innumeri, Latinorum, ac omnis generis Libri. Graeci etiam Scriptores non pauci in idem confluere possunt. In Poëtis potissimùm, Comicis, Satyricis, Heroicis, copiosissimum habes aerarium morum ac rituum temporis illius. Accedunt & Marmora sine numero, Anaglypha, Nummi, aliaque veterum Monumenta, ex quibus omnibus admiranda exsurgit Eruditionis Romanae supellex. Contra qui Barbarica Saecula Italiae pingenda sibi proponit, regionem ingreditur tenebris & caligine non modicâ circumfusam. Historias de rebus Italicis ab Italis usque ad Annum Christi Millesimum & ultra conscriptas quaeris? Paucissimae occurrunt, eaeque non fusiore stilo elucubratae, quales Romana eruditio offert, sed breves Commentarioli, & exsanguia veluti rerum compendia. Poëtas quidem aliquot sacros, hoc est ad sacrorum notitiam utiles, ea tempora tulere; sed vix ullum invenias, qui profanos & politicos mores describat. Immo totus ferme Librorum apparatus, quos ea aetas peperit, exiguus sane, ubi comparetur cum Libris, per quinque priora Saecula AErae Christianae scriptis, in rebus Sacris versatur: ex quibus raró exprimas civilia negotia, & aliquid ad Artes ac mores Civiles eorum temporum spectans. Rarae etiam per ea Saecula Inscriptiones, rari & Nummi, iique longe dissimiles a Nummis Romanorum atque Graecorum, in quibus tanta Eruditionis copia comprehenditur. Quamobrem in syrtes incurrat ratis identidem necesse est, quum navigationem instituis per tempora illa, quando tam pauca Literarum subsidia nobis reliquit communis tunc hominum ignorantia, aut doctrinae mediocritas. Quid heic ergo Eruditionis avidi? Duplicem ii tamdem iniere viam atque rationem, qua penuriae tantae, quantum fieri posset, consuleretur. Scilicet excussis Bibliothecarum pluteis, quaecumque invenere abdita Saeculorum rudium Opuscula non contemnenda, Tractatus, Epistolas, Schediasmata, Fragmenta, e quibus aliquid lucis in Historiam aut Eruditionem indocti illius aevi emanare posse crederetur, ea publici juris fecere: quo beneficio praesentes & posteros sibi devinxere, quum in omnium commodum illorum editio nunc vergat. Ad hæc antiqua Cathedralium, Monasteriorum, aliorumque locorum Archiva scrutati sunt, & diplomata exinde excerpta, Bullas, & Chartas, numquam antea editas, luce donarunt. Ibi sane multiplex Barbaricae Eruditionis copia; atque hisce monumentis mirum est, quantum subsidii Saeculorum rudium egestati adferri possit, dum tamen seligantur quae novitatis aut eruditionis aliquid exhibeant, neque omnes Archivorum tabulae sine ullo discrimine exerantur. Quae enim nihil nisi vulgare ac tritum praeseferunt, & quisquilias dumtaxat privatae gentis continent, qualibet novitate destitutae; tamquam futurae oneri, non eruditioni Literatorum, suis relinquendae sunt tenebris. Quod & dictum velim de ceteris Medii AEvi foetibus, ex quibus permultos reperias ita ineptiis, aut fabulis, aut rebus e trivio petitis redundantes, ut male de typis, ac de republica mereatur, qui eos educere in lucem velit.*

Itaque

*Itaque perſpiciens & ego, ea eſſe vetera Tabularia, ex quibus plus praeſidii ſperandum ſit inſtituenti iter per Eruditionis hujus non ſemper amoenae campos: quotquot potui Italicarum Urbium Archiva excuſſi, illuc uno hocce conſilio profectus, et quaecumque ſe mihi obtulere, quorum ope aliqua pars hujuſmodi Eruditionis meliori in lumine collocari poſſit, deſcripſi, iiſque ad iſtud aedificium conſtruendum ſum uſus. Multa etiam impetravi ab amicis. Praeterea quidquid in MStis Codicibus deprehendi, huic ipſi ampliſſimo argumento affine aut utile, huc derivavi; ſpe ductus non levi, fore, ut Lectorum gratiam inirem, quod tot nondum edita Antiquitatis fruſta, in eorum quoque uſum, e vetuſtis & lectu difficillimis membranis eduxerim, certaque in poſterum effecerim vitae diuturnioris. Denique Opuſcula nonnulla hactenus luce carentia adjeci, uti & inſignem copiam Nummorum medii aevi. Quae omnia, niſi me meus amor fallit, ſi non omnino exprimere, ſaltem adumbrare non leviter poſſunt Italiae conditionem ac ſtatum, dum mores viguerunt, quos Barbaricos eâ de cauſsâ appellare conſuevimus, quod collati cum elegantia & doctrina trium Saeculorum proxime praeteritorum, barbariem praeferre nobis videantur.*

*Atque heic multae mihi agendae, habendaeque ſunt gratiae Nobilibus Viris* Sociis Palatinis Mediolanenſibus, *qui ſtudium erga me ſuum novis cumularunt beneficiis. Vix enim abſolutum hoc a me Opus audivere, quum obſtetrices mihi manus obtulerunt ad magnificam illius emendatámque editionem, nihil reveriti tot Nummos, Sigilla, aliaque Antiquitatis fragmenta aere incidenda, ac tot Chartas, quarum barbaries longe uberiorem curam expoſcit, quam elegantis Linguae Latinae monumenta: quum ſolicite conſervandi in iis ſint Barbariſſimi quilibet ac Soloeciſmi, nihilque ſit immutandum de rubigine rudium illorum Saeculorum. Non poſtrema haec eſt cauſſa gratulandi temporibus noſtris, quibus Nobiles etiam viri ſuum Libris edendis patrocinium impertiunt, ita ut optandum tantummodo ſuperſit, ut ſegnis nunc & quaſi dormitans Italia ſuas vires tamdem exerat, majoremque bonorum Librorum copiam procudens, ejuſmodi ſubſidiis oblatis in publicam privatamque laudem utatur.*

# DE EXTERIS
# GENTIBUS,
## QUÆ POST DECLINATIONEM
# ROMANI IMPERII
### ITALIAM AFFLIXERUNT, AUT SIBI SUBJECERUNT.

## DISSERTATIO
## PRIMA.



C. Zucchi sculp.

# DE EXTERIS GENTIBUS,

## QUÆ POST DECLINATIONEM ROMANI IMPERII

### ITALIAM AFFLIXERUNT, AUT SIBI SUBJECERUNT.

## *DISSERTATIO PRIMA.*

NOminata jam fuerat Italia, seu ejus caput Roma, aliquot Sæculorum spatio, non dicam universo terrarum Orbi, uti olim aut indocti somniarunt, aut assentatores venditarunt, sed quidem compluribus, iisque vastissimis Provinciis, quæ nostris temporibus Reges & Monarchas constituunt non paucos, potentia ac ditione splendidissimos. Et profecto Romanorum Republica vigente, ac deinde Imperatoribus clavum tenentibus, longe lateque gloriam suam dominationemque Roma dilatavit, ut potior Europæ pars, simulque amplissimæ in Asia & Africa regiones Romanis Magistratibus subessent. Verùm ad instar humanorum corporum cœpit Italicæ seu Romanæ gentis Imperium sentire senectutis incommoda, suisque periculis ediscere, neque ingentem magnitudinem, neque summam felicitatem stare diu posse. Nimirum Septemtrionales Populi tot insultibus, tot viribus, variisque temporibus in Italicos agros se se exonerarunt, ut Provinciam fortissimam jam rerum dominam sensim debilitarint, atque ex Regina servam miserrimam tamdem effecerint. Quamquam tantæ calamitatis caussam referre potius juvat in mutatos Italicorum mores, eorumque otium & luxum, & horum consectaria vitia, à quibus victi vincendos se exteris quoque hostibus præbuere. Heic autem loquor de celeberrimis Borealium Populorum migrationibus, quas innuere ac nosse nostrorum etiam temporum magni interest. Scilicet plerumque non causâ amplificandæ propriæ ditionis ex conterminorum spoliis, uti regnandi cupido seu Ambitio, cui nihil umquam satis semper fecit, semperque faciet, sed melioris cœli, & uberioris soli conquirendi gratiâ consuevere Barbaricæ illæ gentes propriis valedicere regionibus, & sarcinis collectis viri ac mulieres alienas petere, atque armorum vi sibi subjicere. Horum animos acutissima duo calcaria ad id consilii impellebant. Scilicet, ut etiam animadvertit Seneca in Libro de Consolatione ad Helviam, Cap. VI. *Alios nimia superfluentis Populi frequentia ad exonerandas vires emisit .... Quosdam fertilis oræ, & in majus laudatæ fama corrupit*. Hæc duo præcipue, ipso Paullo Diacono teste, tot gentes ex Hyperboreis plagis in Meridionales incitarunt. Iis enim, qui Septemtrionali Polo propiores erant, inclemen-

tia Cœli, & infelix telluris indoles, molesta nimium erat, quippe frigore quidem geluque abundans, at non ita frugibus ac fructibus terræ. Inclementiam soli sui comparabant gentes illæ cum fœcunda, miti, ac deliciis affluente Meridionali plaga, ac præsertim Italicâ: quare mirum non est, si stimulis perpetuis agitabantur ad invadendas alienas, easque longe positas terras, quas noverant à Naturâ non novercâ, sed matre, abundantiore donorum ac ornamentorum copiâ refertas. Accedebat & alterum incitamentum, nempe nimis interdum adaucta illorum populatio. Nam ut omittam frigidi Cœli morem, à quo fœcunditas humani generis juvari creditur, permulti ex iis Populis plures singulis viris uxores copulabant, quæ licentia adhuc inter omnes fere Orientis & Africæ gentes usurpatur. Neque secus suadebat aut imperabat eorum Religio, quippe Idolorum cultui plerique addicti vivebant, & Christianæ legis instituta vix de nomine norant. Hinc supra modum adauctus Barbarorum numerus. Præterea si quæ erant Tribus unicâ uxore contentæ, hominum robusta corpora, & ad annos viriles plerumque servata à Veneris usu illæsa, numerosam postea prolem conjugibus parabant. Tanto igitur sobolis augmento angusta interdum videbatur eorum regio, ac propterea gens universa insurgens, peregrinatione sive migratione susceptâ, in remotas Provincias se se effundebat, victosque indigenas aliud Cœlum quærere, aut sibi colla subdere cogebat. Interdum etiam sortibus ductis pars eorum antiquos retinebat lares; reliqua vero meliorem sibi in alienis finibus fortunam quærebat. Hinc antiquis temporibus tot Barbaricarum gentium motus, iique semper versus Meridionales plagas, & ipsam potissimum Italiam, quæ quo fertilior ac amœnior, eo plures amasios & vota ferventiora excitabat.

Non memorabo heic *Celtas* antiquissimam gentem, eorumque gesta & progressus in nostram usque regionem: quum enim de earum sedibus multa sit controversia, eosque Gallia sibi adscribat, nil mirum si finitimi Populi finitimos invasere. *Cimbros* potius, ut alios omittam, ac *Theutones*, *Ambrones* indicare juvat, qui ab extremis Germaniæ finibus supra trecentorum millium numerum, si veteribus fides, ne fœminis quidem puerisque computatis, usque in Gallias & Italiam penetrarunt, rapinis ac cædibus nusquam parcentes. Contigit hoc centum fere annis ante Epocham Christi. Tanta vero hominum multitudo non uno prœlio attrita est à Mario potissimum & Catulo, fortissimis Romani Populi ducibus. Procedente verò tempore sub Augustorum imperio ad affligendas Romanorum Provincias eruperunt *Alani*, *Suevi*, *Marcomanni*, *Heruli*, *Hunni*, *Gothi*, *Gepides*, *Burgundiones*, *Alamanni*, *Vandali*, aliæque complures Nationes, quarum nonnullas Scythia, quæ nunc Tartaria, alias Suecorum, Danorum, ac Russorum regio, & reliquas intima Germania emisit. Sed quamquam gentes Septemtrionales à natura quidem viribus, ferocitate, patientia, aliisque corporis dotibus ad arma, ac prœlia factæ videantur: sæpissime tamen ostendunt, se facile reprimi, ac vinci posse. Et revera, donec in Italicorum pectoribus antiquæ fortitudinis semina viguere, & militaris disciplina apud ipsos in honore fuit, gladios quidem & flammas in hanc Provinciam Barbari intulere: at heic pedem figere iis datum non est. Inclinante dumtaxat ad finem Sæculo Æræ Christianæ quarto & quincto ineunte, tot Populi, atque ex tot Borealibus locis, uno eodemque tempore, veluti conflatis consiliis, adversus Romani Imperii Provincias arma moverunt, ut ad eorum impetum retundendum, nullus exinde obex aptus fuerit. Anno quidem CCCCV. *Rhadagasius Gothorum* Rex, qui supra ducenta armatorum hominum millia secum traxisse fertur, jamque in Italiæ viscera penetrarat, à Stilicone famosissimo duce mirabili victoria deletus in Tuscia fuit. Nihilo tamen secius vix pauci effluxerunt anni, quum *Alaricus* alter *Gothorum* Rex, ab eodem Stilicone, perfido, ac ambitionis facibus succenso, in Italiam invitatus, Romam obsedit, eâque captâ ac direptâ Anno CCCCIX. miserabilem Urbi Reginæ Urbium suæ feritatis memoriam, & Historicis vastum funestissimæ narrationis campum reliquit.

Alaricum ipsum commemoratum suspicari quisquam possit in quadam non vulgari Inscriptione, quam in agro Senogalliensi ad Sancti Laurentii in Campo animadvertit, & descriptam ad me misit Lucas Antonius Gentilis, Antiquitatum studiosus, & singularis amicus meus. In antica lapidis facie legebatur altera Inscriptio posita L. OCTAVIO. L. F. CAM. RUFO. &c., quæ edita jam fuit à Grutero. Hæc rarior, quia Latina verba Græcis characteribus expressa fuere. Quando autem, & cur epigraphe hæc marmore inscripta fuerit, nemo facile decernat. Indicare ipsa videtur Arcem in mari prominentem, quam Alaricus Gothorum Rex frustra expugnandam curavit, & quæ procedente tempore ad Civitatis honorem evecta adjacentibus etiam Oppidis imperavit. En ipsam aliorum quoque examini expositam.

TANTI KBEM HK KEPNI AIKBOPIΣ KIPKBITBM TEΞI

*hoc est:* TANTI CUEM IC CERNI AECUORIS CIRCUITUM TEXI

pro *Quem*. *hic* *Cernis* aequoris

ΣΒΑΣΑ

SUΛSA

ΓΡΑΙΚΟΡΒΜ ΝΑΤΑ ΛΑΒΩΡΒΜ

GRAECORUM NATA LABORUM

ΑΛΑΡΗΚΒΣ ΟΜΠΒΣ ΜΕ ΠΕΡΔΕΡΕ ΚΩΝΑΝΣ

ALARICUS ....PUS ME PERDERE CONANS

ΤΟΤ ΑΔΙΑΚΕΝΤΙΒΜ ΟΠΠΗΔΩΡΒΜ ΜΑΤΒΕΜ

TOT ADIACENTIUM OPPIDORUM MATREM

ΚΡΕΑΒΙΤ

CREABIT

ΤΩ ΘΕΩ ΔΟΞΑ

hoc est *Deo gloria*.

Iisdem

Iisdem vero, proximisve temporibus, in Gallias quoque rabiem suam exonerarunt *Vandali*, *Suevi*, *Burgundiones*, *Alani*, *&* *Hunni*. Ibi profecto à Romanis non uno in loco res feliciter gestæ, multaque Barbarorum millia cæsa: immo & ipsi Barbari inter se discordes, dum in alienis spoliis conquirendis quisque intentus sociorum progressibus invidet, variis se se invicem prœliis attrivere. At hæc minime obstiterunt, quominus varias sibi subderent regiones, & usque in Hispanias, atque in ipsam Africam penetrarent, ubi suum tamdem *Gothi* & *Vandali* stabilivere imperium. Tanta prædæ facilitas instar tubæ fuit, ut reor, quæ novos identidem Populos ex Aquilonari Climate in Meridionalem regionem invitabat. Quare & *Anglosaxones* Anno CCCCXLIX. è Germania magnam Britanniam ingressi, sui juris fecerunt. Sæculo quoque eodem, & subsequenti sexto, *Franci*, fortissima Germanorum natio, irrumpentes in Galliam, integram sensim eripuere Romanis, eâ etiam parte potiti, ubi antea *Burgundiones*, & ipsi Germanica gens, fixis laribus dominabatur. Italia vero ipsa, posteaquam ab *Attila* potentissimo *Hunnorum* Rege Anno CCCCLII. vastata fuerat, vidit Romam denuo captam, ac prædæ datam Anno CCCCLV. à *Genserico Vandalorum* Rege, quocum juncti Africæ Populi, miseram hanc Provinciam ferme totam incendiis, ac cædibus impleverunt. Dirum sane spectaculum, intueri gentes tam varias, simulque omnes efferas, undique confluere in Romani Imperii ruinam, Urbesque solo æquatas, agros desolatos, & aut cæsa, aut in captivitatem abducta tot Christianorum millia. Nos facile interdum querimur ac dolemus, quasi nostris temporibus fortuna adversa ærumnas tantum pararit, & antiquis suos dies invidemus. Digito statim labia premeremus, meliusque de ætate nostra quisque sentiret, ubi nos Historia doceret, quibus olim calamitatum fluctibus fuerint hæ ipsæ Urbes, ac Provinciæ agitatæ, in queis tam queruli, atque inquieti nunc vivimus.

Ad Italiam tamen quod attinet, commemorata hactenus mala temporariæ potius incursiones fuerunt; neque enim pedem heic figere exteris gentibus licuit ad Annum usque CCCCLXXVI. Accidit autem, ut hoc eodem Anno *Odoacer Turcilingorum*, *Herulorumque* Rex, subsidiariis aliorum Populorum copiis suffultus, hanc ipsam Provinciam invaderet, atque heic Regnum statueret, everso Momillo Augustulo, in cujus Occasu finem simul habuit Occidentale Romanorum Imperium. Novi Regni caput Ravenna constituta est; sed non diu Odoacris fortuna stetit. Etenim Anno CCCCLXXXIX. Italicos agros altera procella pervasit, videlicet *Theodericus Gothorum* Rex, atque adeo Borealium Populorum novus ductor, tum Zenonis Augusti consensu, tum siti, ac spe ingentis prædæ, in Italiam venit, ut ejus imperium Odoacri contenderet. Pro Gothis fortuna belli stetit, à quibus proinde Anno CCCCXCIII. institutum fuit in Italia Gothicum Regnum, ab ipso Theoderico, ejusque succesoribus Regibus viriliter servatum usque ad Annum DLII. quo Justinianus I. Græcorum Imperator celeberrimus per Belisarium, ac Narsetem, profligatis Barbaris, Romanum Imperium rursus in Italia erexit. Tunc, ut puto, unusquisque sperasset, diuturnam in Italia futuram quietem: attamen ecce *Langobardorum* gens, alter nempe Populus Septemtrionali Germaniæ olim adscriptus, sub *Alboino Rege* Anno DLXVIII. sedem sibi inter Italicos quærere, & potiore ejus parte occupata, nomen Langobardico Regno tribuere, cujus Regia Ticinum fuit. Sub hoc turbine insperato Italica regio faciem plane mutasse censenda est; jam enim præcedentes bellorum vices, & recens eaque gravissima Pestilentia & Fames, Paullo Diacono teste Lib. II. Cap. IV. de Gest. Langobardorum, habitatoribus Urbes & agros exhauserat. Accessit ad tot Italicorum calamitates immensa in victore Populo prædæ ac divitiarum cupido; neque enim sat iis fuit Urbes ac Oppida occupasse; verùm etiam privatorum rura & campos sub variis titulis sibi usurparunt, eorum possessoribus aut trucidatis, aut exsilium subire coactis. Ita in hisce partibus attrita non parum fuit Romanorum progenies, & propagata Borealis Populi proles. Neque uni Langobardi heic constitere. Ad primum rumorem properantis Alboini in Italiam, comites se illi addiderunt & aliæ Germanicæ gentes, ex ipso etiam remotiore glaciali Climate adscitæ, ita ut heic sedem sibi delegerint una cum Langobardis *Suevi*, *Norici*, *Bulgares*, *Gothi*, aliæque id genus turbæ, quibus & sua prædæ portio decreta est. Immo animadvertendum est, nonnullis Oppidis ac Vicis Langobardiæ impositum fuisse nomen gentis, cui ad habitandum obtigerunt. Do testem nuper laudatum Paullum Warnefridi, sive Diaconum, Langobardum genere, in Libro II. Cap. XXVI. de Gest. Langobardorum. *Certum est*, inquit ille, *tunc Alboin multos secum ex diversis, quas vel alii Reges, vel ipse ceperat, gentibus ad Italiam adduxisse: unde usque hodie eorum, in quibus habitant, vicos, Gepidos, Bulgares, Sarmatas, Pannonios, Suavos, Noricos, sive aliis hujuscemodi nominibus appellamus*. Quæ heic scribit Paullus, fortasse nos ducunt ad intelligendum, cur *Ducatus*, aut *Comitatus Burgariæ* appellaretur olim regio quædam ad Occidentem, contermina Mediolanensi agro, & aliquot post Sæcula in jus ipsius Mediolanensis Reipublicæ deducta. Illic verisimile est, *Bulgares* consedisse. Nam & *Burgari* ii appellati sunt. Ita & in Veronensi agro Oppidum *Suave* a *Suevis* denominationem accepisse videtur. Hujus tamen rei evidens, ni fallor, in agro Mutinensi vestigium adhuc cernitur. Nimirum Vicus, quem vulgari nomine *Bazavara* appellamus, tria tantum millia passuum ab Urbe nostra distans, a *Noricis* illa habitantibus, ut par est credere, nomen traxit. *Norici*, ab eodem Paullo Diacono memorati, iidem sunt ac *Bavariæ* Populi, qui rudibus Sæculis *Bajoarii* appellati sunt, uti & eorum Provincia *Bajovaria*. At hoc etiam nomine (*Bajoariæ* inquam) insignitus fuit in veterum Chartis Vicus ille Mutinensis, idemque ille est, cujus mentio mihi occurrit in Chartâ adservatâ in Tabulario nostræ Cathedralis. Ibi Ingo Episcopus Mutinensis Anno MXXXIV. concedit in emphiteusim duas Curtes *Bonifacio Marchioni & Duci Tusciæ* (genitori postea celeberrimæ Comitissæ Mathildis) ejusque priori uxori *Richildæ Comitissæ*: qui Conjuges vicissim & ipsi, pro more *Precariarum*, duas suas Curtes Episcopatui Mutinensi donant, quarum una est Vicus *Bajoaria*, nuper memoratus, Castrum sive Arcem pro more illorum temporum in se complexus. Dignæ sunt ejusmodi tabulæ, quæ ab omnibus legantur.

Char-

# Charta permutationis inter *Ingonem Episcopum Mutinensem*, *&* *Bonifacium Ducem*, *&* *Marchionem Tusciæ*, *atque* *Richildam* ejus uxorem, in qua Conjuges Episcopo donant Castra & Curtes *Bajoariæ* & *Fossati Regis*; Episcopus vero eis concedit in emphiteusim Castra & Curtes *Clagnani* & *Saviniani*, Anno 1033.

IN *nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejusdem Millesimo Trigesimo Quarto; Chuunradus gratiâ Dei Imperator Augustus, Anno Imperii ejus Deo propicio ic in Italia Septimo, Duodecimo Kalendas Junii, Indictione Prima, Episcopio Sancti Geminiani Motinensis Ecclesie, ubi nunc Domnus* Ingo Episcopus *ordinatus esse videtur. Nos* Bonefazius Marchio & Dux Tusiæ, *&* Richida Jugales, *qui professi sumus ambo ex Natione nostra Lege vivere Longobardorum: ipso namque jugales & mundoaldo meo mihi consentiente & subter confirmante, & juxta legem una cum noticia & interogatione de propinquioribus Parentibus meis &* Richide, *id sunt* Manfredo *&* Opezo Nepotibus meis, *in eorum presentia & testium, certe facio professionem, quod nullam patior violentiam a quopiam homine, nec ab ipso jugale & mundoaldo meo, nisi mea bona & spontanea voluntate, offertor & offertrix, donator & donatris ipsius Episcopii presens presentibus diximus: Quisquis in sanctis & venerabilibus locis aliquid in suis contulerit rebus, juxta Auctoris vocem in oc seculo centuplum accipisse, insuper, quod melius est, vitam possidebit eternam. Ideoque nos qui supra Jugales pacienter quesivimus ad vos qui supra Domnum Ingonem Episcopus, ut tu nobis & ad filiis & nepotibus meis, qui supra* Bonefacii Marchio *legittimis masculis quidem filiis masculinis quidem legittima uxore nati vel procreati fuerint, si filiis ac nepotibus legittimis abuero, filie & nepte mee legittime, qui de filio legittimo nate vel procreate fuerint, usque in tertiam generationem, precaria atque enfiteocharia nomine concedere dignemini tantumodo ad abendum. Hoc sunt Cortes duas juris ipsius Episcopio, quibus sunt posite una in loco, ubi dicitur* Clagnano, *quod est Roca cum Castro inibi abente, & Turrem cum Capella inibi abente, & est consecrata ad honorem Dei & Sancti Michaëlis. Alia namque Curte* Abana *in loco, ubi dicitur* Saviniano, *similiter cum Castro inibi abente cum muro circumdato, & Capella infra eodem Castro consecrata ad onorem Sancte Dei Genitricis Virginis Marie, una cum rebus, domuicoltile, sive casis massariciis, adque universisque rebus, ubicumque per loca positis ad ipsis Castris seu Capellis, adque Casis massariciis pertinentibus in integrum, sicuti districte fuit per Lanfranco Gastaldio, quibus ipsis casis & rebus esse videntur, que pertinet ad ipsa Corte, que dicitur* Roca de Clagnano, *& fundas* Munte Binello, *& in eodem loco* Clagnano *& in* Butazano, Flaviano, Valscollo. *Aliis namque Casis & rebus, que pertinent ad eadem Corte* Saviniano, *sunt positis in locis, ubi dicitur* Ulmeta, *& in* Pede, *qui dicitur* Munti, *& in* Pasiano, *vel per ceteris locis, ubicumque esse videntur ad ipsis Cortes & Castris, seu Capellis, & Casis massariciis, & rebus, domuicoltiles pertinentibus in integrum, tam Casis cum sediminibus seu reliquis terris, campis, pratis, pasculis, vineis, silvis, insulis, ripis, rupinis, ac paludibus, molendinis ac piscationibus, usibus aquarum, aquarumque ductibus ac fontaneis, coltis & incoltis, divisis & indivisis, omnia in integrum.*

*Et nos qui supra Jugales pro ipsis Casis & rebus, quæ petivimus, parti ipsius Episcopii damus, tradimus, atque offerimus ad jure & proprietatem ipsius Episcopii Sancti Geminiani: id sunt Cortes due juris nostris, qui supra Jugales, quas habere visi sumus, unam in loco, ubi dicitur* Bajoaria, *alia in loco, ubi dicitur* Fossato Regi, *cum Castro ad unaquaque Corte super se abente, & Capellis infra eodem Castris vel Cortis; & sunt consecrate una in loco, qui dicitur* Bajoaria, *ad onorem Sancti Gervasii & Protasii, alia in loco, ubi dicitur* Fossato Regis, *& est consecrata ad onorem Sancti Domnini, una cum rebus, domuicoltiles, sive casis massariciis, atque universisque rebus ubicumque per locis positis ad ipsis Cortes & Castris seu Capellis & Casis massariciis, & rebus domuicoltiles pertinentibus in integrum. Quibus ipsis Casis & rebus esse videntur in locas & fondoras, ubi dicitur* Casaledo, Peralelle, Bajoaria, Mugnano, Griciacula, Formigine, Curlo, *in* Cocanino, Robore Berengerii, *in* Faldo Avitano, *vel per alia loca, ubicumque esse videntur ad ipsam Corte & Castro* Bajoaria *pertinente. Aliis Casis & rebus, quæ pertinet ad Curte & Castro* Fossato Regi *sunt posite in locis, ubi dicuntur* Aquaviula, *& in* Collegaria, *& in loco qui dicitur* Vulpariolo, *vel per ceteris rebus locis ad ipsa Corte & Castris* Fossato Regi *pertinentibus in integrum, tam casis cum sediminibus, seu reliquis terris, campis &c. & indivisis omnia & ex omnibus, quicquid ad ipsis Cortes & Castris seu Capellis pertinentibus in jure & proprietate, ipsi Episcopio permaneant in integrum. Quidem & ego* Domnus Ingo Episcopus *vos, qui supra Jugales abaudivi, & recte petitiones vestras intellexi ipsis Casis & omnibus rebus, quod vos michi petistis, quamque ex illis, quae vos qui supra Jugales parti ipsius Episcopio offersistis, vobis & ad filiis ac nepotibus tuis, qui supra* Bonefacius Marchio, *qualiter superius legitur, abendum tradidi precaria atque enfiothecaria nomine, ut faciatis in ipsis Casis & omnibus rebus quicquid volueritis una cum accessionibus &c. ita tamen ut quod vos qui supra Jugales, seu filiis, ac nepotibus ipsius* Bonefacii Marchionis, *qualiter superius legitur, nostris & nostris rebus meliorentur, nec non pejorentur, quatenus proficiat, nec non depereat. Et quale de vos, qui supra Jugales unum ante alterum de oc seculo migraverit, tunc deveniat ejus portio ad illum, qui super advixerit; post autem dicessorum omnium vestrorum Jugalibus, seu de filiis, filiabus, ac nepotibus, sicut superius legitur, decessu quocumque Dominus placuerit, jam dictis Castris & Capellis, sive Casis & omnibus rebus, qualiter superius cumprensis legitur, revertit ipsius Episcopio, cujus est proprietas.*

*Et*

*Et pro Censum , quod nos nostris Jugalibus per singulos annos de nostris Casis & omnibus rebus dari debemus , parti ipsius Episcopii , damus , tradamus , atque offerimus nos qui supra Jugales ad partem prefati Episcopio ad ejusjure & proprietatem habendum à præsenti die , id sunt Mansos sex in loco , ubi dicitur* Fredo , *qui regere videtur una per Petro, alia per Martino , tercia per Jeminiano Masariis , sive suis consortibus , qui vocantur* Neritei , *quod sunt rebus ipsis sicuti per nostris regitur Masariis per mensura justa inter sediminibus & areis , ubi vitis estant , seu pratis , arabilis , gerbidis , & buscaleis , seu silvis cum areis suarum , jugeras triginta . Et dues Masaricies , quibus sunt posite in loco* Curtile , *prope Castro , qui dicitur* Predosa , *quæ recte fiunt una per Martino Andreverge , alia per Sigizo cum suis consortis , quæ sunt ipses Masaricies , sicuti per nostris regitur Masariis per mensura justa inter sediminas & areis , ubi vitis estant seu pratis atque terris arabilis , gerbidis & buscaleis , seu silvis cum areis illorum, jugeras viginti . Et una in loco , ubi dicitur* Munte Pasarario , *quæ regitur per Johannes & Ingilberto & Beliardo germanis filiis quondam Ingelberti, quod est Masaricia ipsa , sicuti per nostris regitur Masariis per mensura justa inter &c. jugera decem . Et si quod absit , ut fieri non credimus , ut si unquam in tempore nos qui supra Jugales, vel nostri eredes jam dictis Castris & Capellis seu Casis , & omnibus rebus , quæ parti ipsius Episcopii dedimus , ab omne contradicente homine non defensaverimus, tunc nostris Castris & Capellis, sive Casis & omnibus rebus in duplum parti ipsius Episcopii restituamus , sicut per tempus meliorati fuerint , aut valuerint sub extimatione in consimilibus locis . Et si hoc evenerit , quod vos qui supra* Domnus Ingo Episcopus , *vel vestro successores , seu pars ipsius Episcopii, nobis qui supra Jugalibus, seu ad filiis ac nepotibus meis qui supra* Bonefacii Marchio , *qualiter superius legitur de prædictis Casis & omnibus rebus , quas nos petivimus , quamque & illis , quæ pars ipsius Episcopii offersimus , aliqua subtractione feceretis, sive de fruges & Censum , qui exinde exierit , tulleritis , ultra Libras tres argenti valente , & nos qui supra Jugales , vel filiis ac nepotibus meis , qui supra* Bonefacii Marchio , *qualiter superius legitur , vobis scire fecerimus , & vos qui supra* Ingo Episcopus , *vel vestros successores , seu pars ipsius Episcopii infra trium mensium , postquam vobis scire fecerimus capud , tantum non emendaveritis , si nos recipere volumus , tunc eisdem casis & rebus , quas parti ipsius Episcopii dedimus, in nostra revertat potestate proprietario jure, quia sic inter nos stetit atque convenit . Pena quidem inter nos posuimus , & sic obligavimus, quod si quis unus de nosmetipsis aut successores mei, qui* supra Ingoni Episcopus, *vel filiis ac nepotibus, & fili ac nepte mee , qui supra* Bonefacius Marchio , *qualiter superius legitur se de ac convenientie precarie removere quesierimus , & non permanserimus in ea , & omnia , qualiter superius legitur , tunc componamus pars parti , qui fidem non servaverit ad partem fidem servandi pena nummorum argentum Denarios bonos Papiensis Libras mille. Et post pena soluta ec infiteos in sua maneat firmitate , quia sic inter nos stetit adque convenit cum stipulatione subnixa. Unde due Carte precarie & offersionem uno tenore scripte sunt.*

*Actum in Castro , qui dicitur* Insula Cenise , *feliciter.*

BONEFACIUS MARCHIO ET DUX SSI.

*Manus subscripte* Richilde, *que ac precaria & offersionis fieri rogavi* , & ipse Bonefacius Marchio *vir suus ei consensu, ut supra.*

Opizo *subscripsi.*

Maginfredus *subscripsi manu nostris.* Opezoni *propinco eidem* Richilde , *qui eam interogavit, ut supra.*

*Signum manibus* Attoni, *&* Adami, *seu item* Attoni, *Legem viventis Longobardorum , rogatis testes.*

*Signum manibus* Adami, *sive* Anradi, *Legem viventes Romana, rogatis testes.*

In pergamena legitur facta stipulatio hujus Contractus Anno Christi MXXXIV. At concurrentibus in præcedentem Annum MXXXIII. Indictione I. & Anno VII. Conradi , considerandum aliis relinquo , an erraverit , qui olim ex archetypo descripsit, posito Anno MXXXIV. pro MXXXIII. an potius in *Insula Cenise* , ubi Notarius scribebat , Annus mense Martio , hoc est non à Nativitate, sed ab Incarnatione Christi , exordium suum duceret . Certe ad Annum MXXXIII. Charta hæc spectare videtur . Quum vero heic mos occurrat tanta donandi , ut tantumdem aut plus reciperetur titulo solum ac onere Emphiteusis , erit de ejusmodi consuetudine sermo in Dissertatione Trigesima Sexta , ubi de *Precariis* agam, quarum & heic habemus exemplum .

Anno Christi DCCLXXIV. finem accepit Langobardicæ gentis Regnum in Italia , devicto Desiderio, postremo eorum Rege à Carolo Magno invictissimo Rege Francorum. *Franci*, ut nemo nescit, Populus Germanicus , & ipsi fuerunt : quare sublatis Regibus Langobardis nobis è Germania datis , altera gens ex ipso Septemtrione originem ducens , Italiam , sive ut rectius loquar , Langobardicæ gentis ditionem regendam suscepit . Epocha novi hujus Regni à Carolo constituti certò eruitur ex primis lineis vetustissimæ Chartæ , quam legi in Archivo Archiepiscopii Lucensis , hoc est in amplissimo Tabulario venerandæ antiquitatis , cui parem in Italia difficile invenias . Hæc ibi leguntur : *Regnante Domino nostro Carulo Rex Francorum & Langobardorum , quo cepit Langobardiam , Anno Regni ejus intrante tertio, octabo* K*alendas Julias, Indictione quartadecima*: quæ notæ Annum DCCLXXVI. nobis indicant, simulque produnt, assumta fuisse à gloriosissimo Rege illo Langobardici Regni insignia circiter diem XV. aut XX. Junii, Anno DCCLXXIV. Sed & aliud insigne decus paucis ab illinc annis Regi Carolo accessit : in eo quippe à Leone III. Papa, & à Populo Romano, quibus jam intoleranda videbatur Græcorum Augustorum dominatio , renovatus est titulus , ac dignitas Imperatoria. Id factum est An. Christi DCCC. Natali die Domini . Et quandoquidem potentia Caroli, ejusque posterorum , in quibus per multos annos perduravit Romani Imperii, & Langobardici Regni possessio , tanta erat , ut exterarum gentium arma , Italiam tentare minime auderent , hinc ultra centum annos invidenda pax & quies fere semper in Italia perduravit, præterquam in Apulia & Calabria, quam aut Græci, aut Saraceni identidem armis infestis vexarunt; de quibus multa habes apud Erchempertum , Anonymum Salernitanum , & Annales Bertinianos , atque etiam in Chronico Vulturnensi , & Casinensi . *Franci* ergo novi hospites Italiæ, novos incolas, ut mors est do-

minantium, Regno huic addiderunt, quum huc non solum Præsides, variique Magistratus Urbium confluerent, sed & exercitus non pauci ad Provinciarum custodiam; ac propterea heic ex omnibus Populis Carolo, ejusque soboli subjectis, *Gallis* nempe, *Noricis*, *Thuringis*, *Saxonibus*, *Alamannis*, *Francis*, aliisque gentibus constitere complures Familiæ, quarum sanguis in viventibus Italis adhuc circulare putandus est. Quod mirere, regnantibus Langobardis, & Francis, vel ex ipsis longinquis oris in hanc Provinciam delatæ sunt nobilissimæ fœminæ, ut se se Deo sacrarent, quarum unam ab oblivione liberandam censeo, quando ejus nomen nobis servavit laudatum nuper Archivum Lucensis Archiepiscopii. Ea est *Adeltruda filia Adelvaldi Regis Anglosaxonum*, quæ Monasticam vitam Lucæ professa est, uti ex sequenti Charta constabit, quam ex antiquissimo exemplo adservato in eodem Archivo descripsi.

## Confirmatio Ecclesiæ & Monasterii Sancti Dalmatii Lucensis, facta à Magniprando Clerico *Adeltrudæ filiæ Adelvaldi Regis Anglosaxonum*, Anno 782.

*IN Dei nomine. Regnante Domno nostro Carulo Rex Francorum, & Langobardorum, & Domno nostro Pipino idem Rex filio ejus, Anno Regni eorum Nono, & Secundo, mense Augusto, per Indictione quinta. Promitto, & manus meam facio ego* Magniprand Clericus filio quondam Magniperti *tivi* Adeltruda Saxa *Dei ancilla*, filia Adelwaldi, qui fuit Rex Saxonorum, Oltramarini, *de Ecclesia Monasterii Sancti Dalmati, vel casis & omnia res, & hominibus ibidem pertinentibus, ubi te per alia cartula confirmavi, excepto Magnulo, quem liverum dimisi, ut si quacumque homo (excepto de qualivet publico) de ipsa & Cleriris, & casi, & hominibus eidem Ecclesie pertinente, & vel successores tuo, quem tu ibidem ordinaveris, foris expellere potuerit extra omnem meum conludio per jura ligem & justitia (excepto, ut dixi, de quolivet publico) ut ego redda vobis* Solidos septinientos Lucani & Pisani, *quas mihi dedisti, sic tamen si vos mihi reddetis Monasterio ipso cum omnia case & res & hominis, ubi vos confirmavi una cum ipsa cartula confirmationis, per quem in me ipsi quidem Rachifrido Clericus ipso Monasterio confirmavi, seo & ipso . . . . . . . , exempla de ipso dote & ipsa firmationis cartula, per quem vos in ipso Monasterio confirmavi, simul & ista promissio omnia mihi reddere diveatis. Et si vos mihi ipso Monasterio, sicut supra legitur, & ipse cartule non reddederitis, ut vobis ego ipsi septinientos Solidos reddere non diveas. Similiter & si quicumque homo vobis in ipso Monasterio & casas, vel rebus & hominibus in qualivet portionem introire potuerit (excepto, ut supra dixi da publico) & vos mihi omnia redaderitis, sicut supra dixi, ut ego vobis reddere diveas septinientos* Solidos Lucani & Pisani. *Nam da parte publica ab omni calomnia & compositionem absolutos esse diveas, quia taliter inter nos convinet.*

*Et hanc mea promissio ego* Magniprand Clericus *scripsi*.

*Actum Lucâ.*

*Signum manus* Angeli &c.

*Ego* Magniprandus Clericus *post tradita complevi & dedi.*

Vides heic, quanta elegantia Sæculo Aeræ Christianæ Octavo Latinæ Linguæ foret in Tuscia. Ecce *da parte publica*, aliaque vestigia vulgaris ejus Idiomatis, quo nunc utimur. Heic autem memoratur præcedens Charta, ad eamdem venditionem Monasterii ac Servorum Sancti Dalmatii, sive oppignorationem; tunc enim ejusmodi contractus in usu, & frequentes erant. Legi & hanc alteram Chartam, ubi eædem notæ Chronologicæ anni ac mensis sese offerebant. Ita vero se habebat. *Manifestus sum ego Magniprando Clericus filio quondam Magniperti, quia per Chartulam confirmavit in me quondam Rachifredo Clericus fili quondam Friduli Monasterio Ecclesia Sancti Dalmati, qui à bone memorie Fridulo genitore jus fundatum est infra hanc Lucana Civitate, ubi cummanere visi fuerunt* &c. Deinde subdit: *Constituere & confirmare videor te Adeltruda Saxa Dei Ancilla filia Adelwaldi, qui fuit Rex Saxonorum Ultramarino, tam in ipsa Ecclesia Sancti Dalmati, quamque & in casis, ubi ipsi Rachifredi Clericus avitavit* &c. Eidem verò facultatem concedit regendi, gubernandi ac ordinandi secundùm Deum Ecclesiam illam, *& Sacerdotem ibidem avendi, Officium ibidem faciendum, & Pauperes pascendum, secundùm qualiter pro ipso dote constitutum est* &c. Quo etiam exemplo discimus, nullum fere Monasterium constitutum olim fuisse, in quo sua Pauperibus portio dotis non assignaretur. At quei in Urbe Luca tunc *Adeltruda filia Adelwaldi Anglosaxonum Regis*? Fuit autem Adelwaldus, qui & Athelbaldus, Edilbaldus, & Ethelbaldus, Sæculo Christi Octavo Rex Merciorum, sive Saxonum Orientalium in Britannia, Princeps potentissimus, qui multis vitiis multa etiam pietatis acta conjunxit. Sancti Guthlaci Vitam Felix Monachus Sancti Bedæ congregationi adscriptus dicavit *Athelwaldo Regi Orientalium Anglorum*. Hunc eximiæ sanctitatis virum viventem Adelwaldus, nondum Rex, consolatorem habuerat, eoque defuncto Monasterium de Croyland ad ejus sepulcrum fundavit, ut auctor est Ingulphus in Historia ejusdem Monasterii, ubi & Privilegium concessum ab ipso exhibet. Legitur adhuc ejus Epistola ad Sanctum Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, quæ inter Bonifacianas est LXXVI. & refertur etiam à Guillielmo Malmesburiense Lib. I. Histor. Illum sane peccantem idem Sanctus Archiepiscopus Anno DCCXLV. ut ad meliorem frugem reduceret, nihil omisit, uti est apud Baronium, celebratâ ad hoc præcipue Synodo in Germania. Johannes Brompton in Chron. Reg. Mercior. varia illius acta refert. Verùm Anno DCCLVI. sive DCCLVII. in pugna contra Saxones Occidentales, aut, ut alii volunt, à custodibus sui corporis, Adelwaldus Rex occisus fuit, atque ad alios Reges ejus Regnum pervenit. Illius interitus filiorum quoque, aut saltem filiarum fortunam susque deque vertisse videtur, ut proinde justæ conjecturæ sit locus, *Adeltrudam* ejus filiam in tanto rerum tumultu vertere solum, atque ad alienas terras emigrare coactam fuisse. Lucensem vero Civitatem sibi eâ fortasse

tasse

taſſe de cauſſa elegit, ut ibi dicata Deo reliquum vitæ ageret, quod in ea Civitate, quæ tunc Tuſciæ caput inter ceteras ejus Provinciæ Urbes eminebat, aliquis in honore eſſet ei conſanguinitate conjunctus, aut è Saxonia oriundus.

Neque heic *Saracenorum*, ſive *Arabum* geſta prætereunda ſunt; nam & hic Populus, ex quo Romanum Imperium in fruſta conciſum fuerat, ad portionem prædæ ipſe quoque non ſegnis convolavit. Sæculo Chriſti Septimo ita eorum vires invaluere, ut Africæ regiones Romanis olim obtemperantes, Græcis tunc ibi imperantibus eripuerint. Tum ineunte Sæculo Octavo totam fere Hiſpaniam lacrymabili excidio ſibi ſubdidere, quam per complura Sæcula jugo ſervitutis preſſerunt, finitimis etiam Galliis infeſti. Neque heic ſtetit eorum fortuna. Nam circiter Annum Chriſti DCCCXXVII. quorumdam proditione freti, Siciliam Inſulam feliciſſimam paullatim in ſuam ditionem redegerunt, tum ſolùm inde pulſi, quum Robertus Guiſcardus, ejuſque frater Rogerius, celeberrimi ex Nortmannica gente viri, inclinante Sæculo Undecimo immundum Populum inde fugavit. Ad hæc Sæculo Nono excurrente Aſiatici Saraceni multis Calabriæ Civitatibus potiti, non terrorem tantùm ſed arma ipſa uſque ad mœnia Romanæ Urbis tulere. Decimo tamdem Sæculo Hiſpanici Saraceni *Fraxinetum* in Italiæ finibus ingreſſi, ex eo loco diu contermina loca vaſtarunt, & per longa terrarum ſpatia cædes ac incendia propagarunt. En quo in loco tunc eſſet miſeræ Italiæ fortuna. Ceterum ad Annum uſque DCCCLXXXVIII. Italicum Regnum poſteris Caroli Magni paruit, atque in iis etiam viguit dignitas Auguſtalis. At Anno eodem, ſublato è vivis ſine prole Carolo Craſſo Imperatore, inter Italicos Principes ad Regnum inhiantes oborta eſt funeſta concertatio, quæ pro more armis diremta eſt. Berengarius I. Dux Forojulii, & Guido Spoleti Dux, æmuli, variâ fortunâ alter adversùs alterum de Corona contenderunt. Hiſce autem temporibus nova e Septemtrione tempeſtas in Italiam ſe effudit: in eam quippe *Hungari*, gens ipſa feritate ferocior, ac omnium Barbarorum immanitatem poſt ſe relinquens, irruptionem fecerunt. Efferis hiſce Populis Scythia, quæ nunc Tartaria, ortum olim dedit, *Ugrique* & *Hungri* appellati (unde Pannoniæ ab ipſis ſubactæ acceſſit poſtea *Hungariæ* nomen) iidem a nonnullis fuiſſe cenſentur atque Hunni ſub Attila Rege famoſi. *Avares* quoque, ac *Turci* nominati ſunt, ut à Porphyrogenneta in Lib. de Adminiſtr. Imper. & à Valeſio congeſta ad Panegyrim Berengarii Tom II. Rer. Italicar. pag. 393. ſatis evincitur. At Dandulus, aliique Hiſtorici tradunt, *Avares* ſeu *Hunnos* antea Pannoniæ dominantes, ab ingruenti *Hungrorum* Populo Scythico profligatos, ſolumque vertere fuiſſe coactos. Non unâ vice ſuſtinuit Italia infandam efferatiſſimæ hujus gentis crudelitatem: nam huc delati circiter Annum Chriſti DCCCC. variis ſubinde annis eam vexavere, atque omnia cædibus ac incendiis miſcuerunt. Quam trucia patrarit truculentus hic Populus in Italia, Liutprandus Diaconus, Annaliſta Fuldenſis, aliique non pauci Hiſtorici produnt. Ego rem innuiſſe contentus, ſatius duco referre, quid in tanta rerum perturbatione Mutinenſis Populus egerit. Adſervatur in Tabulario Cathedralis noſtræ antiquiſſimus Codex ante ſeptingentos annos ſcriptus, ubi leguntur ſequentes Verſus:

DUM PREMERET PATRIAM RABIES MISERABILIS ISTAM,
LEUDOINUS SANCTA MOTINENSI PRÆSUL IN AULA
HIS TUMULUM PORTIS, ET ERECTIS AGGERE VALLIS
FIRMAVIT POSITIS CIRCUM LATITANTIBUS ARMIS,
NON CONTRA DOMINOS ERECTUS CORDA SERENOS,
SED CIVES PROPRIOS CUPIENS DEFENDERE TECTOS.

Animadverte heic Rhythmicæ, & Leoninæ, ut ajunt, Poëſeos concentum, quem præferunt hi verſus. De iis mihi ſermo recurret in Diſſertatione Quadrageſima *de Rhythmica Poëſi*. Sunt autem verſus ipſi, ni fallor, Inſcriptio poſita à Mutinenſibus ad Portas Civitatis, quas *Leodoinus Epiſcopus* ad ſuorum Civium tutelam vallo ac aggere munierat. Suſceptum à Leodoino hoc opus non fuit contra formidatum Hungarorum impetum; nam hic Mutinenſium Epiſcopus (quem Silingardus & Ughellius *Leodoindum* appellant, quum tamen *Leudoinum*, ſeu *Leodoinum* veteres Chartæ nominent) vivere deſiit ante Annum DCCCXCVIII. quo nondum Hungarica rabies Italiam pervaſerat. Itaque hæc peracta iis Annis puto, quibus atrociſſima bella fervebant inter Berengarium & Guidonem, ejuſque filium Lambertum, de Regno Italiæ contendentes. Quæ verò ſequuntur in eodem Codice, ſtudium certe Mutinenſis Populi arguunt, quum eos premeret metus Hungaricæ depopulationis. Ea eſt deprecatio ad Sanctum Geminianum, Civitatis noſtræ Patronum, his Verſibus expreſſa:

*Confeſſor Chriſti, pie Dei famule,*
*O Geminiane, exorando ſupplica,*
*Ut hoc flagellum, quod meremur miſeri,*
*Cælorum Regis evadamus gratiâ.*
*Nam doctus eras Attilæ temporibus*
*Portas pandendo liberare ſubditos.*
*Nunc te rogamus, licèt ſervi peſſimi,*
*Ab* UNGERORUM *nos defendas jaculis.*
*Patroni ſummi exorate jugiter*
*Servis puris implorantes Dominum.*

Itidem leguntur in ſupra memorato Codice alii Verſus, quibus excubiæ Mutinenſis Urbis ad vigilandum urgentur, dum timor eſſet hoſtilis incurſus. Hæc autem ad eamdem Hungaricam procellam, ut ſuſpicor, referenda, in præmemorata Diſſertatione Quadrageſima de *Rhythm. Veter.* infra accipies. Ceterum quum in impetu efferatiſſimæ illius gentis celeberrimum Mutinenſis agri Nonantulanum Monaſterium flammis datum fuiſſet, Leopardus Abbas ſacrum mox locum reſtituit. Cujus rei teſtes quum Ughellius Tom. II. Ital. Sacr. in Catalogo Epiſcopor. Placentinor. tantummodo innuat literas Sergii III. Papæ, ego eas ex Nonantulano Archivo depromtas evulgare ſtatui. Si archetypa membrana ſe mihi obtuliſſet, earum germanam originem ac ſinceritatem præſtare ego potuiſſem. Sed unum dumtaxat apograhum ſupereſt, antiquum ſane, ſed informe, quippe notis Chronologicis deſtitutum; ac proinde judicet quiſque de ejus legitimitate, prout ſibi videbitur.

## Literæ Sergii III. Papæ, quibus condolet Leopardo Abbati Nonantulano de ejus Monasterio ab Hungaris everso. Circiter Annum Christi 908.

*Sergius Episcopus servus servorum Dei Leopardo religioso Nonantulani Monasterii Abbati. Visis humilitatis tuæ Literis condoluimus satis de Cenobio Nonantulense tibi commisso, eo quia sub cura tui regiminis commissus tibi Monachorum grex nonnullis afficitur indigentiis. Siquidem barbarorum gladio vastante, tuumque Monasterium ab eisdem igne crematum malorum hominum infestatione, te ipsum cum tuis turbatum audimus. Sed misericordiâ omnipotentis Dei esto fisus, beatorumque Apostolorum suffragiis adjutus, quia ad hoc prevaluisti, ut post tot flagella tui laboris certamine Ecclesiam ipsius tui Monasterii usque ad culmen levaris, quam cum toto tuo Monasterio suo Apostolica nostra tuicione, quemadmodum sub Antecessorum nostrorum tempore fuit, pro amore beati Silvestri Pontificis Romanæ Sedis, cui Deo auctore deservimus, decernimus esse. Et ubicumque te adjuvare & protegere debemus, Pontificii nostri dexteram libenter porrigemus, firmantes quecumque ab evo religiosa & sancta concessa Privilegia tuo fuerunt Monasterio Nonantulano. De cetero si ad consecrandam Ecclesiam tui Monasterii Episcopum quesieris hoc tempore, nolumus ut aliquem ad consecrandam ipsam Ecclesiam roges, nisi Johannem Ticinensem Episcopum, aut Widonem Placentinum, vel Aelbungum Parmensem, reverentissimos Episcopos. De his tribus qualem volueris, induc ad consecrandum tuam Ecclesiam.*

Ceterum de illatis Italiæ cladibus ab Hungarica feritate erit mihi fusior sermo in eadem Dissertatione Quadragesima de *Rhythm. Veter. Poësi*. Nunc progredi opus est. Post aliquot Augustos, seu Italiæ Reges, ad Berengarium II. & Adelbertum ejus filium delatum est Italiæ sceptrum. Eorum tamen mores, sive ut rectius loquar, vitiorum phalanx, quibus deturpabantur, adeo Romani Pontificis, simulque Ecclesiasticorum & Sæcularium Procerum animos ab eis alienavit, ut advocatum in Italiam Ottonem Magnum Germaniæ Regem Anno DCCCCLI. ac deinde Anno DCCCCLXI. illum tamdem constituerint non tantùm Italiæ Regem, sed etiam Romanorum Imperatorem. Ita in Germaniæ Principibus tunc aut cœptum, aut renovatum est jus Italici Regni & Imperialis Coronæ: quod adhuc in iis perdurat. Quæ mutationes in regimine Italiæ postea evenerint, Populis Italicis Germanicam dominationem detrectantibus, non est hujus loci indicare. Ad rem præsentem quod attinet, vel ex hac brevi narratione constare jam potest, eo, ut ita dicam, fatorum, sive Naturæ ordine conformatos esse Populos, ut Meridionales facilius debellari & subigi, aut affligi ab Hyperboreis soleant. Ferociores nempe isti, ac fortiores, & plerumque mortis aspectum intuentes aliis oculis, ac qui meliore Cœlo ac mente fruuntur, imperterriti belluarum more in tela ac enses hostium ruunt, & dum sibi mortem temnunt, aliis faciliore negotio ingerunt. Meridionalem vero plagam habitantes in effeminatos mores sæpe ac sæpius labi cernimus, & deliciis fractos aversari duram belli artem & pericula mortis. Ita vastum Græcorum Imperium *Turcæ* invasere olim, & nunc premunt, gens, à gelido Septemtrione dimissa. Petrus Diaconus Lib. IV. Cap. XI. Chronic. Casinen. ex *Hunnorum* stirpe *Turcos* censuit. Sic *Scythæ*, seu *Tartari*, magnum sibi sub Tamerlane in Asia ac India Imperium quæsivere, quod nunc *Magni Mogolis*, seu *Mogoris* Imperium appellamus. Suo quoque tempore Ammianus Marcellinus Lib. 31. Cap. 2. Histor. *Perses* appellavit *originis Scythæ*. *Sinenses* vero, innumerabilis & cultissima gens ab eisdem Scythis, seu Tartaris, Sæculo Christi Tertiodecimo oppressa, rursus proxime præterito Sæculo sub eorum jugum rediit, & adhuc servire cogitur. Quæ omnia à me in eum finem dicta velim, ut tamdem quisque intelligat, quantum à Populis Borealibus timendum sit, atque cavendum iis, quos ad Meridiem Naturæ locavit. Profecto jam multa effluxere Sæcula, ex quo nulla gentium Septemtrionalium migratio facta est: & porro neque amplius timenda videtur, quum Germanica natio omnium fortissima, præcipue magna agentibus Augustis Romanorum Imperatoribus, non solùm Turcarum potentiæ, sed & insultibus Borealium omnium obicem firmissimum per tot jam Sæcula posuerit, & adhuc sit positura. Attamen quod tamdiu desuerit fieri, factum tamen olim est, iterumque accidere posset, nisi intentis oculis, viribusque semper paratis in quoslibet Barbarorum motus Europa Meridionalis inspiceret.

En ut temporibus nostris potentiam suam auxerit unus celeberrimus Magnus Moscoviæ Dux, Petrus Alexiovitzius, bellicosissimus Princeps, qui se Russorum Imperatorem dicere cœpit; & nisi ejus consilia immatura mors prævertisset, jam Meridiem avide circumspectabat, & terrestribus copiis, & classibus semper irrequietus minabatur. Sub *Sarmatarum* nomine *Russorum*, sive *Moscovitarum* gentem amplissimam noverunt olim, ac memorarunt Romani, in Asia simul, ac Europa Boreali diffusam. *Russi* deinde, seu *Rhossi*, ac *Rutheni* appellati sunt, ut Photius, Porphyrogenneta, Cedrenus, Johannes Zonaras, aliique Græci Scriptores testantur, qui etiam memoriæ prodiderunt, Anno DCCCLXI. Constantinopolim à *Russis* obsessam fuisse, inani tamen conatu; & paullo post Christianam Religionem, abjurato Idolorum cultu, fuisse ab eis susceptam. Ex iis quoque Auctoribus discimus, regnante Romano Lecapeno Græcorum Imperatore, Anno DCCCCXLI. *Russos* eosdem immani classe per Pontum Euxinum ductâ, in magnum discrimen res Græcorum conjecisse, sed tamdem victos. Heic autem audiendus Liutprandus noster, qui iisdem temporibus floruit, & suam Historiam scripsit. Narrat ille Lib. V. Cap. VI. Russicam eamdem impressionem in Græcos factam, atque his verbis gentem delineat: *Gens quædam est sub Aquilonis parte constituta, quam à qualitate corporis Græci vocant Russos, nos vero à positione loci vocamus Nordmannos: Linguâ quippe Teutonum Nord Aquilo, Man autem mas, seu vir dicitur: unde & Nordmannos Aquilonares homines dicere possumus*. Ita Liutprandus, cujus verba meam increpare negligentiam videretntur, quod nondum ullam

lam *Nortmannorum* mentionem fecerim, nisi eam consulto huc reservassem. Innuendum est igitur, *Nortmannos*, gentem ex Europæo Septentrione profectam, regnante adhuc Carolo Magno, piraticam exercere cœpisse, Oceanique Germanici & Gallici litora non semel infestasse. Tum sensim frequentibus incursionibus Britanniam, Frisiam, & præsertim Gallias acrius vexare perrexerunt, clades, in quæcumque loca pergebant, ignem & devastationem portantes. Pervasit usque in Italiam eorum furor Anno DCCCLVII., & Lunæ Civitas, cujus nunc vix vestigia cernuntur, ab ipsis dolo capta, ac tamdem attrita est, ut auctor est Dudo de Sancto Quintino. Iidem Pisas, aliasque Italiæ Urbes Anno DCCCLX. vastarunt. Reliqua horrenda ac innumera eorum facinora Historiæ veteres Francorum multis describunt. A Rollone autem Duce sub initium Sæculi Decimi, initis cum Carolo Simplice Francorum Rege fœderibus pacis, concessa est illi, ejusque Populo Gallica Provincia, quæ exinde *Normannia* appellari cœpta est, & adhuc appellatur *Normandia*. Sed ne iis quidem finibus contenta fuit bellicosissima gens: nam eorum manus Sæculo Undecimo in Apuliam casu delata, ac sensim viris & victoriis aucta, universam *Siciliam*, totamque illam regionem, quam nunc *Regnum Neapolitanum* appellamus, sibi subjecit, & Regnum ibi celeberrimum constituit. Ad hæc Nortmanni ipsi Gallici sub Guillielmo Notho eorum Duce Anno MLXVI. subactâ magnâ Britanniâ, alterum ibi Regnum fundarunt. Quanta ergo possit Septemtrionalium Populorum vis & feritas, hinc quoque discere possumus. At unde Nortmanni eruperint, si quisquam rescire cupiat, Francici Scriptores respondent, ex *Dania*. Et *Danos* quidem eosdem cum *Nortmannis* faciebat Ermoldus Nigellus Lib. IV. de Reb. gest. Ludovici Pii Augusti, sub quo is floruit, ut ejus Poëma testatur a me editum Part. II. Tom. II. Rer. Italicarum. Immo is *Francos* etiam ex eadem gente progenitos censet. *Danis* addunt alii *Suecos*. Cluverius verò *Norvegiam* iis patriam assignat. *Dacos* tamdem alii appellant. Nisi temeritatis quaedam species videri posset hac in re à tot antiquis Scriptoribus dissentire, mea sententia foret, non unam quampiam singularem Nationem Nortmannos supra memoratos fuisse, sed quidem congeriem Borealium gentium, quæ ex variis Nationibus conflata, & ex Baltico Mari potissimum prodiens, tot calamitatibus Meridionalem Europam implevit, sibique nova Regna paravit.

*Nortmanni* (uti didicimus à Liutprando, simulque testantur Ermoldus, Aimoinus, Willelmus Brito, Guillielmus Apuliensis, & alii) nihil aliud significabat, quam *homines Aquilonares*: quæ appellatio non certum quempiam Populum, sed omnes Aquilonaris regionis Populos complectitur. Igitur, ut arbitror, è Baltico præsertim in Oceanum piratæ Septemtrionales erumpebant, & quo majoris prædæ spes erat, illuc vela dabant. Quod vero *Dani*, *Sueci*, *ac Norvegi* propiores & notiores Gallis forent, hinc *Nortmanni* omnes ex iis tantum Nationibus conflati credebantur. Dudo de Sancto Quintino, qui jussu Richardi I. Normanniæ Ducis (erat hic Rollonis Primi Ducis Nepos) circiter Annum DCCCCXC. res gestas Nortmannorum literis consignavit, *Scanziam*, *seu Scandinaviam* Insulam (quam vaginam *Gentium*, & omnium Barbarorum patriam, sed perperam, veteres Scriptores fecerunt) *a Danubio ad Scythici usque Ponti confinium diffusam*, ortum dedisse Nortmannis scribit. *Est autem ibi* (ita ille subdit) *tractus quamplurimus Alaniæ*, *situsque nimium copiosus Daciæ*, *atque meatus multum profusus Getiæ*. Illic ergo is collocat non *Dacos* solum sed etiam *Getas*, *qui & Gothi*, *Sarmatas*, *Amabaxios*, *Trogloditas*, *& Alanos*. Præsertim vero ex *Davia*, hoc est Dania, Nortmannos erupisse refert. Willelmus etiam Gemmiticensis eadem repetit, ac Nortmannos *originem ducere à Gothis* scribit Lib. I. Cap. IV. Histor. Normann. quamquam illos in *Dacia* tantum, *quæ & Danamarcha*, statuat. Quibus positis, jam videas, amplissimam regionem tribui Nortmannis, Meridionalium postea Regnorum occupatoribus: ac proinde verisimile admodum est, *Russos* quoque, seu Moscovitas, ac *Sarmatas*, ad eamdem prædam concurrisse, utpote qui jam tunc ad Balticum, sive Codanum Mare, & *ad Scythici usque Ponti confinium* ex Europæ parte pertingerent, ex Asiæ vero usque ad Pontum Euxinum; qualem agrorum amplitudinem nostro quoque tempore, paucis mutatis, *Russi* possident. Certe *Russos* etiam, ut supra vidimus, *Nordmannos* vocat Liutprandus, Scriptor quidem Italicus, sed pervetustus, & in Germania diu atque in Græcia versatus. Idem Libro quoque I. Cap. III. de Constantinopoli scribit in hæc verba *Habet ab Aquilone Hungaros*, *Pizenacos*, *Chazaros*, *Russios*, *quos alio nomine nos Nortmannos appellamus*. At quandoquidem *Normannorum* mentionem feci, qui Græcis Apuliam & Calabriam, Siciliam vero Saracenis Sæculo Christi Undecimo eripuerunt, atque ex his florentissimum Regnum constituerunt, huc inferre statui breve *Chronicon Anonymi Barensis*, nondum editum, quod debeo diligentiæ Nicolai Aloysia, viri antiquæ Eruditionis studiosissimi. Illud ipse descripsit è Vaticanæ Bibliothecæ Codice MSto Urbinate, in quo etiam legitur Lupi Protospatæ Chronicon, à Caracciolo & Peregrinio antea typis traditum. Auctor illius, ut videtur, Monachus Monasterii Barensis Ordinis Sancti Benedicti. Simile Chronicon evulgavit olim idem Peregrinius, atque illud habes pag. 147. Tomi V. Rerum Italicarum: & quidem utrobique multa occurrunt iisdem fere verbis enarrata. Attamen non eumdem esse utriusque Opusculi Auctorem, facile intelligat quisquis amborum narrationem conferat: ac proinde supervacaneum minime fuerit, hunc etiam in lucem prodire, reliquis addendum, qui de Neapolitani Regni rebus antiquis egerunt. Notas quoque adjeci à prælaudato Aloysia in idem Opusculum scriptas.

# ANONYMI
## BARENSIS MONACHI
## CHRONICON

De rebus in Barensi Provincia gestis;

*ADDITIS NOTIS*

NICOLAI ALOYSIA.

# CHRONICON BARENSE.

*ANno DCV.* (1) *obitus Sancti Gregorii Papæ. Phocas regnavit Annis VIII.*

*Anno DCXII.* (2) *Domitianus regnavit Annis XV.*

*Anno DCCLXXXII.* (3) *Hoc Anno Carolus Rex celebravit sanctum Pascha in Roma, & baptizatus est Pipinus filius ejus ab Adriano Papa.*

*Anno DCCCCII. Hoc Anno descendit Habraam* (4) *Rex Saracenorum in Calabriam, & mortuus est in Cosentia in Ecclesia Sancti Pancratii.*

*Anno* (5) *DCCCCXXV. Hoc Anno Orie capta est a gente Saracenorum mense Julio, & obitus Eusebii in Clauso.*

*Anno* (6) *DCCCCXXVIII. Hoc Anno comprendit Itachaël Rex Sclavorum Civitatem Sipontum mense Julio, die Sanctæ Felicitatis, secundâ Feriâ, Indictione XV.*

*Anno* (7) *DCCCCXXIX. Hoc Anno Tarentum captum est à gente Saracenorum mense Augusti in solemnitate Sanctæ Mariæ.*

*Anno DCCCCXXXI. Hoc Anno obiit Ambrosius* (8) *Mediolanensis Antistes.*

*Anno DCCCCXLIX.* (9) *Hoc Anno intraverunt Hungari in Italiam, & venerunt usque ad Idrontum, & fuit interitus. Et Placipodi* (10) *obsedit Cupersanum.*

*Anno DCCCCLXXIX. Heic inchoatum est Monasterium Barense Sancti Benedicti à Domino Hieronymo venerabili Abbate.*

*Anno DCCCCLXXXI. Hoc Anno fecerunt bellum Sipontini & Asculenses Vado Somilo.*

*Anno* (11) *DCCCCXCVI. Hoc Anno obsessa est Materies, tribus mensibus currentibus, ab iniqua*

(1) Unius Anni anachronismo peccavit Chronographus noster, quo ceteroquin non caruit Lupus Protospatarius. Ambo enim ad Annum 605. Sancti Gregorii Magni obitum consignant, qui fuit secundus Sabiniani Pontificis in suprema Petri Cathedra successoris: quum Anno 604. Martii XII. Sanctus Gregorius vivendi finem fecerit, ut Pagius pluribus ostendit.

(2) Certâ, constantique tum veterum tum recentiorum sententiâ Heraclium Annis XXXI. imperasse constat, quamvis non idem sit veterum de ejus die emortuali consensus. Clarissimus Pagius Annis XXX. mensibus IV. diebusque VI. imperasse ex Nicephori, aliorumque Chronographorum testimoniis putat. Utcumque sit, sex annorum anachronismus in nostri Anonymi Chronico deprehenditur, qui quindecim tantum Annos ei tribuit. Nos de Heraclio eum heic loquutum fuisse non immerito suspicamur, quem Phocæ successisse certum, compertumque est. An & *Domitianus* adhuc vocaretur, præter ejus auctoritatem, nobis non constat.

(3) Amanuensis lapsum suspicor, Annum 782. pro Anno 781. scribentis: id ex Francorum Annalistarum, & Reginonis testimoniis liquet. Quare detracta unitate, quæ ob numeros Romanis literis inscriptos facili negotio ab imperito Scriptuario addi potuit, remanet Annus 781. quo Carolus Magnus Romæ iterum Pascha celebravit, ejusque filius Pippinus in nocte Sancta baptismate initiatus fuit, sacra peragente Adriano summo Pontifice.

(4) Habraymus (vel Habraym, Ignatio Pragensi in Vita Sancti Bertharii MSta in Cœnobio Casinensi, & aliis, qui omnes ejus interitum ad Annum 903. consignant) periit prope Cosentiam, sive, ut Auctor ejusdem Vitæ Sancti Bertharii scribit, super Civitatem Cosentiam in loco, ubi Ecclesia in Sancti Pancratii Martyris memoriam Deo sacra erat sita. Anonymus noster ad superiorem Annum interitum revocat: at nescio, cui anachronismum adscribam. De loco à nostro Chronographo adnotato fit mentio in alio Chronico Lupi Protospat. ad Cod. Excell. Andriæ Ducis castig. in quo fulmine percussus interiisse dicitur, ut doctissimus Peregrinius animadvertit in Notis ad Chronicon Lupi Protospat. Habraymum hunc Saracenorum Regem à Petro Diacono in Vita Sancti Placidi Martyris memorari scribit Constantinus Cajetanus in Notis ad Martyr. Sancti Procopii, de Script. Hist. Saracenico-Sicul. Tom. I. part. 2. pag. 272. Rer. Italicarum. Verùm hallucinatus est Vir doctus: enimvero in Vita Sancti Placidi à Petro Diacono interpolata non Habraym sed Abdalla Rex Arabum dicitur, nec ipsum in Siciliam adventasse, sed ejus Ducem Mamucham, sub quo Martyrium Sanctus Placidus consummavit Anno Æræ Vulg. 541 tradit Petrus. Quare loco Sancti Placidi substituendum reor Sanctum Bertharium Abbatem. Vide quæ de Petri Diaconi anachronismo notavit doctissimus Mabillonius pag. 68 Act. Sanctor. Ordin. Sancti Benedicti.

(5) Ad superiorem Annum revocavit Lupus Saracenorum incursionem, quâ Oriam Hydruntinæ Provinciæ Urbem ceperunt; atque ad eumdem Annum Eusebii obitum in Clusio consignavit. An recte, alii viderint.

(6) Peregrinius in Notis ad Lup. Prot. Chron. ex Cod. Andr. diem adjecit, quem & Noster exhibet. At uterque in Anno statuendo aberrat. Clarissimus Scholiastes, dum Chronographi Chronotaxim sequitur, ad Annum 926. Siponti expugnationem illigat. Et sane cum Anno 926. Indictione XIV. recte concurrit: & festum Sanctæ Felicitatis, quod VI. Idus Julii celebratur, eo Anno in feriam secundam incidit, Literâ Dominicali A. recurrente, ut & in hoc nostro Chronographo legimus. Quare castigandus est hic locus, & Indictione XIV. signatâ, Annum restituemus 926. Qui Lupo Michaël, nostro Itachaël est, Michaël quoque dicitur ab altero Anonymo Barensi, qui eumdem Annum cum Indictione XIV. rite contulit.

(7) Non Anno 929. sed 927. Tarenti excidium contigit, ut Marinum Frecciam castigando, ex Lupo notavit Clarissimus Peregrinius loco citato.

(8) Fortassis Amanuensis lapsu *Ambrosius* pro *Hachò* irrepsit. Hachus enim exeunte Anno 931. decessit, Hilduinumque successorem habuit. Sed cur locus heic sit Archiepiscopo Mediolanensi, nemo facile divinet.

(9) Recte ad Annum 949. Hungarorum in Italiam irruptionem consignavit Chronographus noster, à quo eos Hydruntum usque pervenisse ediscimus. Eorum sane in Italiam ingressus meminit Flodoardus in Chronico à Clarissimo Pagio ad hunc Annum laudatus. Quare haud recte Anno 947. eos in Italiam irrupisse Lupus scripsit.

(10) Lupus habet *Platopidi*.

(11) Freccia, à Peregrinio in Notis ad Lupum laudatus, ad hunc Annum Materæ obsidionem illigat, quam ad Annum 994. revocavit Lupus. Tribus porro mensibus perdurasse testatur: quatuor vero ejus Auctuarius scribit. Lupi Protospatæ Epocha amplexanda videtur, Romualdo Salernitano adstipulante in Chronico ad hunc Annum, Tomo VII. Rer. Italicarum pag. 165.

*iniqua gente Saracenorum : & in quarto mense, idest Decembri per vim inde eam comprehenderunt, in qua quædam femina filium suum comedit.*

*Anno MIII. Hoc Anno obsessa est Civitas* (12) *Bari à Saphi Apostata, atque Caiti, & perseveravit ipsa obsidio à mense Majo usque ad X. Kalendas Octobris. Et liberata est per Petrum Ducem Venetiarum bonæ memoriæ.*

*Anno MXI. Hoc Anno rebellavit Longobardia* (13) *cum Male ad ipsum curcua mense Majo, IX. die intrante. Et fecerunt bellum in Betete, ubi multi Barenses ceciderunt. Et Ismaël fecit bellum in Monte Pelusio cum ipsis Græcis, & cecidit illic Pasiano.*

*Anno MII. Hoc Anno obsessa est Bari a Catepano Basilio cognomento Sardonti, undecimo die astante mense Aprilis, & completis diebus sexaginta unum, fecit pacem cum ipsis. Et ipse intravit Castellum Bari, ubi sedes est nunc Græcorum Magnatum.*

*Anno MXXI. Heic fecit prælium* (14) *Basilius Vulcano cum Francis, & vicit illos in Civitate Canni.*

*Anno MXXVII. Hoc Anno descendit* (15) *Ispochitoniti in Italiam cum exercitu magno, idest Russorum, Guandalorum, Turcorum, Burgarorum, Vlachorum, Macedonum, aliorumque, ut caperet Siciliam : & Regium restaurata est a Vulcano Catepano. Sed peccatis prævedientibus mortuus in secundo Anno* (16) *Basilius Imperator : qui omnes frustra reversi sunt.*

*Anno MXXXV. Heic in Epiphania Domini obiit Bisantius Episcopus, qui fuit piissimus pater orfanorum, & fundator Sanctæ Ecclesiæ Barensis, & cunctæ Urbis custos ac defensor, atque terribilis, & sine metu contra omnes Græcos. Et electus est in ipso Episcopatu ab omni Populo Romualdus Protospatarius. Et in mense Aprili vocavit eum ad se Imperator in exilium; & quinto Idus, intrante Augusto, electus est Nicolaus.*

*Anno MXL. Heic nono die intrante Januarii, obiit* (17) *Nichiforus, qui & Dulchiano Catepanus, in Civitate Ascolo. Et quinto die, intrante mense Maji, occisus est Michaël Catt, qui vocatur* Kirosfacti (18) *sub Castello Mutulæ ab ipsis conterratis. Et septimo die astante venerunt omnes in Civitate Bari cum Argyrio filio Meli. Tunc ipse Argyro sauciavit Musundo, qui erat primus inter eos, & ligatis manibus, misit eum in carcere cum Johanne Stonense. Et omnes conterrati dispersi sunt.*

*Anno MXLI. Heic venit à Sicilia in Lombardia Michaël Protospatarius, & Catepanus, qui & Dulkiano junior. Mense Novembri intravit in Bari, qui & jussit in patibulo furcæ appendi quatuor homines supra murum Botontinum. Mense Martio, decimoseptimo intrante, factum est prælium Normannorum & Græcorum juxta fluvium* (19) Dulibentis. *Et ceciderunt ibi multi Russi &* (20) Obsequiani. *Ipse vero Dulkiano cum reliquo exercitu, qui remanserat ex ipso prælio, fugam petierunt in Montem Pelosum. Deinde collectis mense Maji* (21) *in unum omnibus Græcis apud Montem Majorem juxta fluenta Aufidi, initiatum est prælium quarto die intrante, ubi perierunt plurimi Natulicki, & Obsequiani, Russi,* (22) *Trachici, Calabrici, Longobardi, Capitantes.* (23) *Et Angelus Presbyter Episcopus Trojanus, atque Stephanus Acherontinus Episcopus, ibi interfecti sunt. Nam nempe, ut dictum est ab omnibus, qui hæc noverunt, aut plures quam* (24) *duo millia Normandi fuerunt, Græci vero decem & octo millia, exceptis servitoribus. Hinc rediens Michaël confusus cum paucis relictis semivivis pro pavore Normannorum servientium, scripsit ad Siciliam, & venerunt ipsi Museri,* (25) *Macedones, & Paulikani, & Calabrenses, & collectis insimul cum reliquis in catuna Montis Pilosi. Tunc descendit Catepanus filius Budiano in Apuliam. Michaël rediit ad Siciliam, jubente Imperatore, unde venerat.*

*Anno*

(12) Lupus ad Annum 1002. Barensis Urbis obsidionem refert, quam porro quinque mensibus, & decem & septem diebus perdurasse scribit. Noster verò ad Annum insequentem protrahit, tempusque obsidionis contrahit, ad diem XXII. mensis Septembris nempe, quo tempore per Petrum Ducem Venetiarum, & Gregorium Imperialem Catapanum fugatis Saracenis soluta obsidio fuit. Dandulus, qui Gregorium cum Petro in prœlio adfuisse nos edocet, ad hunc Annum videtur eam consignare. Pagius ad Annum 1002. Lupi sententiæ adhæret num. XIII *Caytus* idem ac *Princeps* Nonnoso apud Photium, *Dux* Pagio est.

(13) Ad Annum 1010. ea Apuliæ pars, quæ Langobardis olim paruit, *Langobardia* à nostro Anonymo, & Lupo Protospata dicta, tumultu concitato à Cæsare defecit, Meli Ducis operâ, qui corrupto vocabulo ab imperito Amanuense *Male* dicitur. Noster porro ad insequentem Annum eam protrahit. Nulla apparet ratio, cur alterutri Epochæ subscribamus, vel harum alteram statuamus. Corruptum verò locum ita ex Codice Andriensi Lupi restituimus : *Anno MXI. Hoc Anno rebellavit Longobardia cum Melo: at ipse accurrens mense Majo* (dies in Codic. Andr. non occurrit) *nono die intrante Et fecerunt bellum in Botunto, ubi multi Barenses ceciderunt*. Ex hoc loco intelligimus, ne tempore quidem, quo hæc scribebat Chronographus noster, Græcos ex Apulia ejectos fuisse.

(14) Ad Ann. 1019 Lupus prœlium hoc revocavit.

(15) Lege *Despotus Nicus* &c. *Vandalorum* : *Bulgarorum*: Lupus habet *Bruncborum*; rectius crederem in nostro *Vlacborum*, sive *Valaccborum*.

(16) Historici lapsus, *Constantinum* scribere debentis, qui hoc Anno 1027. extremum clausit diem, Romano Argyro in successorem electo, ut ex Cedreno diserte constat.

(17) An Dulchianum à Nicephoro distinxerit, an unum eumdemque crediderit, depravata Chronici lectio dubitare nos facit. Si conjecturis uti licet, ita locum hunc restitui posse autumamus. *Heic nono die intrante Januarii obiit Nicepborus* (*undecimo* habet Codex Andr. Lupi, in quo Annus 1039. emortualis ejus statuitur) *qui & Dulcbianus Catapanus* (lapsum Historici ex Codice Andriensi castigandum observat Peregrinius in Notis ad Lupum) *in Civitate Asculo*: *& quinta die intrante* &c. Quare vel in eo mendosus non est, ut hoc Anno Dulchiani adventum statuat.

(18) Lege *Cbirifactora* pro *Kiros facti*.

(19) Lege *Beneventi* pro *Dulibentis* : fortè Sabbatum, quod adjacentes Melphiæ, unde Protospatarius ad expugnandos Normannos discesserat, & Beneventi campos irrigat.

(20) Pro *Obsequiani* legit Peregrinius *Ossazani*. Sed mihi præferenda videtur lectio Codicis nostri. Vide Du Cangium in Glossario ad vocem *Obsequium*.

(21) *Mensis Martii die IV.* habet Codex Andriensis à Caracciolo in Notis laudatus.

(22) Desunt in Andriensi *Tracbici*, idest *Traces*. Pro *Calabrici* idem Codex habet *Apuli*.

(23) *Capitantes* : fortasse *Capitananses* ex Capitanata provincia.

(24) *quatuor millia* in Codice Andr.

(25) *Paulo & Macedonio* in Codice Andriensi. Qui Calabrorum subsidiariorum Duces fuisse videntur, à quibus Paulikiani & Macedones milites fortasse dicti.

*Anno MXLII. Hoc Anno, tertia die intrante mense Septembri, Græcorum exercitus descenderunt ex Monte Pilofo; & Normanni ex Castello Siricobo inter duos montes inierunt conflictum maximum, in quo omnes miseri Macedones ceciderunt, & pauci de reliquo remanserunt exercitu. Ibi quippe Ebugiano vivus captus & portatus est per totam Apuliam usque Beneventi patriam. Nam, ut ajunt veraciter, qui in ipso bello inventi sunt, Normanni septingenti, & Græci decem millia fuerunt. Postmodum peracto bello tertio jam dicto inierunt pactum cum ipsis Franchis Materienses, & Barenses, dum non esset, qui ex ipsorum manibus eos eriperet. Deinde mense Februarii Normanni & Cives Barisani elegerunt Argyro, qui & Meli, Principem & Seniorem sibi. Mense Aprilis descendit Manichi in Tarentum, qui & Magister, & coadunavit omnem exercitum Græcorum, & fecit (26) Suda in loco, qui dicitur Tara. Tunc scripsit Argyri in Aversam ad ipsos Normandos, & in Melfiam, & omnes venientes, quos septem millia in Mutulam . . . . . . Tunc ipse iniquus Manichi una cum cuncto agmine hostium pavore nimio exterriti, nocte fugientes reclusi sunt in Tarentum. At ipsi Normanni quum starent ante Portam terraneam, quærentes pugnam, & minime esset qui eis percunctaret, deprædaverunt totam Terram Oriæ, & sic reversi sunt ad sua. (27) Mense quidem Julio miseri Juvenatienses, peracto fœdere cum ipsis Græcis manentibus in Trane, ipse Princeps Argyro circumdedit eamdem miseram Juvenatiam cum Normannis & Barensibus; & ea flebilis tertiâ die suæ obsessionis per vim capta est; & exspoliata omni suppellectili. Et Græci nec non interfecti in eadem sunt. Populum vero ipse Princeps virorum ac mulierum prece liberavit ex Normannorum manibus. Postea vero dum Tranenses non acquiescerent Baresanis malum ingerere, ultimâ hebdomadâ mensis Junii ipse Princeps cum Normannis & Barensibus obsederunt eam triginta sex diebus. Quam prœliis, vel aliis calamitatibus angustiavit tamdem fortiter. Nam talem Turrem ex strue lignorum ibidem componere fecit, qualis humanis oculis nusquam visa est modernis temporibus. Sed ipse Argyro susceptis Imperialibus literis fœderatis, & Patriciatus an Catepanus, vel Vestati (28) honoribus, jussit argumenta incendi. Et reversi Bari ad laudem de Sancto Imperatori Constantino Monomacho, cum suis concivibus hactenus facti talia. Nunc ad (29) Maniachi impietatem reducam articulum. Igitur remotis, ut dixeram, Normannis ab ejus finibus, conglobato in unum exercitu mense Junio, Maniachi sub nocte una ad Materiem Civitatem profectus est: ubi quantos per segetes, & undecumque homines cepit, ante coram Materianorum oculis plusquam ducentum occidi fecit impius. Similiter secundâ profectione in Monopopolim iniquus facere non timuit.*

*Anno MXLII. Hoc Anno mense Septembri descendit Tubachi Protospatarius, & Pardus Patricius, & Nicolaus Archiepiscopus Idruntum cum Chrysubulo, & Simpatia. Tunc ipse iniquus Maniachi pacificâ fraude eis obviam exiens, statim occidi jussit Pardum (30) gladio, & Tubachi retrudi in custodia, quem mense Octobris occidi similiter fecit.*

Hisce additum nunc volo fragmentum longe pretiosius Italicæ Historiæ, non illud quidem luce carens, sed majori luce dignissimum. Clarissimus Vir Johannes Burchardus Menckenius Lipsiæ Anno 1728. in Tomo I. Scriptor. Rer. Germanicar. Chronicon breve primus evulgavit, cujus Auctor *Andreas Presbyter*, Italus, ubi ab adventu Langobardorum usque ad Annum Christi DCCCLXXVII. brevi compendio Italicæ res describuntur. Pauca is sane memoriæ prodidit; in tanta tamen caritate Italicæ Historiæ veteris, ac præcipue Sæculi à Christo nato Noni, egregium plane visum est mihi, simulque ceteris videatur, ejusmodi fragmentum, utpote ab Auctore profectum, qui eodem Sæculo Nono floruit, uti is non uno in loco prodidit. Itaque Opusculum idem, paucis hactenus in Italia notum, inferendum huc censui, ut nostrates facilem ad suas manus habeant Scriptorem, cui pares alios optare quidem, sed minime sperare possumus.

(26) *Suda*, ideft fossam, seu potius Vallum, vel sudes, quibus vallum ipsum & castra muniuntur. Vide Du-Cangium in Glossar. Med. & infim. Latinitat. Tom. 3. pag. 1000.

(27) Hæc à Lupo breviter hoc Anno gesta narrantur, fusius à nostro Anonymo descripta, qui & obsidionem Tranensem graphice exponit triginta sex dierum spatio confectam, ut videtur, ab Argyro, quem à Barensibus Ducem creatum antea adnotarat. Mense uno obsidionem perdurasse testatur Lupus; at præferenda Codicis nostri lectio; nam Anonymus noster per ea tempora Chronicon hoc consarcinasse videtur ex hoc loco, quum ait: *Nam talem Turrem ex strue lignorum ibidem componere fecit, qualis humanis oculis nusquam visa est modernis temporibus*. Et antea Normannicum bellum ex eorum relatione se didicisse fatetur, qui *veraciter* in eo *inventi sunt*. Contra verò Lupus, qui Chronicon suum ad Annum 1102. protraxit, longe ab his temporibus res gestas scribebat: nihilque de iis habet, quæ post Trani obsidionem Argyrus egit, ab altero Anonymo Barensi recitata.

(28) Vide Du-Cangium in Glossar. Med. & Infim. Latinit. Tom. 3. ad vocem *Vesti*.

(29) Quæ de Maniachi feritate habentur heic descripta, in Lupo desiderantur. Ea non prætermisit Anonymus alter, qui primum in Materenses eum sæviisse scribit, deinde in Monopolitanos. Materia Urbs est Lucaniæ, hæc Apuliæ.

(30) Perperam à Pardo Tubachin occisus dicitur ab Anonymo Barensi Tomo V. pag. 151. Rerum Italicarum, sed à Maniacho eum interemtum Hydrunti, recte à nostro Chronographo refertur. Hæc tamen ad Annum 1043. consignari debebant, Amanuensis certe oscitantiâ ad antecedentem Annum revocata. De Nicolao fortè Barensi Archiepiscopo ne verbum quidem tum in Lupi, tum in alterius Anonymi Chronicis.

# ANDREÆ PRESBYTERI, ITALI SCRIPTORIS SÆCULI NONI, CHRONICON BREVE

HACTENUS INEDITUM

Ab Anno DLXVIII.

Seu ab adventu Langobardorum in Italiam
uſque ad mortem Ludovici II.
Imperatoris,

Hoc eſt ad Annum DCCCLXXIV. & paullo ultra:

E MUSEO, ET CUM NOTIS
HERMANNI PHILOMUSI.

# ANDREÆ PRESBYTERI CHRONICON.

Narsis Patricius Romanorum bella sustinuit, & eos semper defendit. Invidiâ Romani contra eum pertulerunt ad Justinianum (a) Imperatorem & accusaverunt; quare & ipse Augustus & Sophia ejus uxor mandarunt ei, quia Eunuchus erat, ut ad se veniret, & lanam in gynecæo per pensionem divideret. Narsis verò Patricius sic ei mandavit, non tantum se lanam divisurum, sed etiam talem telam orditurum esse, qualem ipsa, dum viveret, deponere non posset. Legatos itaque Narsis ad Langobardos misit, & pomorum genera, vel reliqua dignitatis transmittens, ut animos eorum amabiles faceret, quatenus ii in Italiam venirent, & plene eam absque pugna perciperent. Langobardi mox ut audiunt, gavisi sunt gaudio. Pannoniam verò amicis suis Avarorum genti (b) commendaverunt; quam possessam habebant per annos quadraginta duos. Ipsi cum uxoribus & natis & omnibus, quæ habebant, exierunt de Pannonia mense Aprile, Indictione Prima, altero die post Pascha Domini, qui fuit Calendis Aprilis, quum jam à Domini Incarnatione Anni quingenti Sexaginta Octo essent evoluti. Igitur Langobardi introierunt Italiam per Forojulanorum terminum. Alboin nepoti suo Gisolfo Forumjuli concessit (c) cum reliquis nobilibus Langobardis. His diebus Langobardi Italiam invaserunt; Vincentiam, Veronamque, & reliquas Venetiarum Civitates ceperunt, & per tres annos Ticinum possederunt. Interim Alboin invasit omnia usque ad Tusciam præter Romam & Ravennam; Ticinenses vero per tres annos se continentes per obsides, quos dederunt, jam videntes sua fortia circa se subjugata, Langobardis se tradiderunt. Pauca vero ex multis dicam. Rex Alboin postquam in Italia tres Annos & sex menses regnavit, insidiis suæ Conjugis (d) interemtus est. Langobardi ex communi consilio Clebonem (e) nobilissimum in Urbe Ticinensium sibi Regem constituerunt. Regnavit is Anno uno, mensibus sex. A puero, qui ipsi erat obsequio, gladio jugulatus est. Post ejus mortem Langobardi per Annos decem Regem non habuerunt, sed sub potestate Ducum fuerunt. Post autem Annos decem elegerunt Autari Clefonis filium. Autari verò duxit uxorem Teudelindam nomine, filiam Garibaldi Bajoarorum Regis, sanctam & nobilissimam. Ipsa ædificavit Ecclesiam Sancti Johannis sitam in Moditia. Rex Autari apud Ticinum veneno, ut tradunt, accepto moritur, postquam sex regnaverat Annos. Langobardi ex communi consilio, suæ Reginæ Teudelindæ licentiam tribuerunt, qualem ipsa sibi sociare voluisset conjugio, talem se constituturos Regem. Quid multa? accepit Agilulf Ducem Taurinensium, & regnavit Annos vigintiquinque, & mortuus est. Et regnavit pro eo filius ejus Adalovald, Annos decem. De Regno ejectus est. In ejus Regnum successit Arioald, & regnavit annos duodecim, & mortuus est. Regnavit pro eo Rothari, qui Edictum Langobardorum composuit. Reliqua ejus & digna & fortia bella, quæ gessit, nonne scripta sunt in Chronica Langobardorum (f), sicut & ea quæ supra? Regnavit Rothari annos sexdecim, & mortuus est. Rodoald filio suo Regnum reliquit. Rodoald vero quum uxorem cujusdam stuprasset, ab eodem interfectus est, postquam quinque regnasset annis, septemque diebus. Huic successit in Regno Aripert. Regnavit annis novem, & mortuus est. Reliquit Regnum duobus filiis suis Pertarit, & Gudipert. Verùm inter istos fratres mali homines discordiam fecerunt, in tantum ut alter alterius Regnum invaderet. Grimoald Beneventanorum Dux, ex mandato veniens, Gudipert gladio interemit, expleto Anno post mortem patris, & sex mensibus. Pertarit fugam arripuit. Grimoald Regnum accepit. Multas quidem ejus Historiolas continet Chronica, sed pauca in hac adbreviatione conscribam. Hic in Edicto Langobardorum novem composuit Capitula. Regnavit annos novem, & mortuus est. Reliquit Garibald filio suo Regnum. Pertarit vero, qui ut jam diximus, fugâ lapsus erat, egressus de Gallia navem ascendit, ad Britanniam Insulam ad Regnum Saxonum transmeaturus. Dum in pelago navigasset, divinus Nuntius de ripa clamans ei dixit: Revertere, Pertarit, in terram tuam, quia tertia dies est hodie, quod Grimoald defunctus est. Quid plura? reversus est, & gratanter à Langobardis susceptus, & ad Regni gubernacula constitutus est mense tertio post mortem Grimoaldi. Regnavit Pertarit annos decem & septem, & mortuus est.

Cuniperto filio suo Regnum reliquit. Multas quidem ejus historiolas scriptas invenimus. tra Alabis Tyrannum fatigatione sustentus sed Cunipert triumphum victoriæ reportavit cum exsultatione. Regnavit post mortem patris annos duodecim. In campo Coronatæ, ubi bellum contra Alabis gessit, in honorem Beati Georgii (g) Martyris Monasterium construxit. Reli-

(a) Justiniano tribuitur, quod Justino tribuendum foret.

(b) Paullus Diaconus in Libro I. de Gest. Langobardorum, Hunnis commendatam Pannoniam scribit. At Paullo Hunni & Avari aut Avares, unus idemque Populus est. Equidem Avares primum Hunnos, postea à Regis proprio nomine Avares appellatos fuisse, ibidem scribit.

(c) Scilicet regendum, primumque Ducem constituit, concessitque nobilissimos de gente, qui cum ipso illic habitarent, notante Paullo Diacono de Gestis Langobard. Libro II.

(d) Rosimundæ Cunimundi Regis Gepidarum, in prœlio ab Alboino victi & occisi filiæ, ut videre est in Paulli laudatæ Historiæ Libro Primo. Qui etiam caussam illatæ à conjuge mortis recenset fuse; ut in Agnelli Pontificali Ravennatensi Libro in Vita Petri Senioris.

(e) Idem nomen est *Cleffo* aut *Claffo*, ejusque nominis laudatus Paullus scribit Regem fuisse Langobardorum, quum adhuc in Rugelanda commoraretur.

(f) Paulli Diaconi Libros de Gestis Langobardorum innuit, eorumque passim nomine *Chronicæ*, seu *Historiæ* Langobardorum meminit. Vide quæ inferius annotavi sub litera (h).

(g) Recte noster Codex cum MSto Paulli de Gestis Langobard. Ambrosiano pervetusto, tametsi plerique Codices Paulli habeant *Gregorii*.

*Reliquit Regnum* Luitpert *filio ſuo . Surrexit contra eum Aripert , & vivum comprehendit , & non poſt multos dies in balneo vitâ privavit . Regnavit* Aripert *annos duodecim . In flumine Ticino ab aquis necatus eſt .* Anſprand *ejus Regnum arripuit , & regnavit menſes tres . Reliquit Regnum* Liutprand *filio ſuo . Fuit autem Liutprand multæ ſapientiæ , clemens , pudicus , orator pervigil , eleemoſynis largus . Legem quoque Langobardorum ampliavit , & in Edicti corpore conſcribi juſſit . Regnavit annis triginta & uno , ſeptemque menſibus , & mortuus eſt . Hæc autem ſuperſcripta ſummatio , cui incredibilis apparet ; is relegat totam Hiſtoriam Langobardorum : omnia ibi veraciter inveniet , in quantum heic ſcripta ſunt ; & plura multa illic inveniet de nobilitate illorum , vel victoriis , & de bellis , quæ geſſerunt . Hanc autem adbreviationem ſupraſcriptam , in quantum potui , excerpſi ego* Andreas , *licèt indignus Presbyter* ( *b* ) *de Hiſtoria Langobardorum , & eorum , quæ heic ſubter continentur , hiſtoria minime ad noſtram pervenit notitiam ; ſed in quantum per ſeriem literarum , ſeu per antiquos homines potui veraciter ſcire , ſcribere delectatus ſum . Defuncto itaque Liutprand ,* Ratchis *electus à Langobardis Rex eſt . Regnavit annos quinque , & poſuit in Edicto Capitula octo . Hic* Aiſtolf *germano ſuo Regnum reliquit . Eorum facta retinere non poſſumus , ſed quantum audivimus , audaces uterque fuerunt , & eorum tempore Langobardi à nulla gente perterriti fuerunt . Regnavit annis octo , & poſuit in Edicto Capitula tredecim , & mortuus eſt .* Deſiderio *Regnum reliquit, qui quum regnaſſet annos tres , ſuum filium* Adelchis *nomine ex conſenſu Langobardorum ſub ſe Regem conſtituit . Sub quorum tempore in aliquantum pax fuit . Quamdam etiam filiam ejus ,* ( Deſideratam *nonnulli appellant* ) *Carolus Pippini filius Francorum Rex conjugio ſibi ſociavit . Aliam vero* Luipergam *nomine ſociavit ſibi Taxilo Bajoarorum Rex , & pacem firmiſſimam ex utraque parte firmaverunt , ſed minime conſervaverunt . Cauſſa autem diſcordiæ iſta fuit. Habebat Carolus germanum majorem ſe Karlemannum . Is ut erat furibundus & peſſimus , contra Carolum iratus ſurrexit , & eum jurare fecit , ut ipſam . . . . . . ultra non haberet conjugem . Quid multa ? Remiſit eam Ticinum , unde dudum eam duxerat . Mater vero eorum hanc ſeparationem audiens . . . . . . His temporibus* ( *i* ) *Eccleſiam Romanam Leo Papa regebat , & oppreſſiones à Langobardis multas patiebatur . Itaque ex Sede propria exiens in Franciam repedavit cum multis ſapientiſſimis literarum , maxime Cantoribus . Francorum gens hæc audiens , magno gaviſi ſunt gaudio . Carolus ipſe cum ſuis obviam ei pedibus venerunt ; eumque optimum conſidere locum fecit Civitatem , quæ dicitur Metis . Qui ibidem per annos tres reſidentes tantæ quidem dignitatis Cantores ibi fecerunt , ut per totam Franciam , Italiamque , multæ Civitates ad ornamentum Eccleſiæ uſque hodie conſonant . Papa vero probatâ gente Francorum , qui erant aſtuti & nobiles , conſilium eis dedit , ut ſuper Langobardos venirent , & Italiam poſſiderent . Ipſe vero ad ſuam Sedem Romanæ Eccleſiæ remeavit .*

Carolus *equidem non renitentibus ſuis , oblitus eſt tantæ benignitatis , quam ei Deſiderius Rex tribuit . Congregato multo Francorum exercitu , ex juſſu Apoſtolici ſacramenta irrita facta ſunt , & in Italiam contra Langobardos veniens , quum divino judicio terror in Langobardos irruiſſet , abſque gravi pugna Italiam invaſit , Anno Deſiderii octavo decimo , & Adelchis quintodecimo , Indictione XII. quum jam ducenti quinque Anni eſſent evoluti , poſtquam Langobardi Italiam ingreſſi ſunt . Deſiderius verò eodem tempore mortuus eſt* ( *k* ) *Adelchis ejus filius navim præparans ultra mare egreſſus eſt* ( *l* ) . *Tantaque tribulatio fuit in Italia , ut alii gladio interemti, alii fame perculſi , alii a beſtiis occiſi , vix pauci remanerent in Vicis vel in Civitatibus Forojulanis: tunc temporis Dux Rotcauſus* ( *m* ) *præerat, & in Vincentia Gaidus; qui audita Francorum devaſtatione & eorum adventu , quod in Forumjuli properarent , congregatis , quos poterant , obviam eis ad pontem , qui dicitur Liquentia* ( *n* ) , *exierunt , & ibidem magnam ſtragem de Francis fecerunt . Carolus vero hæc audiens , mandavit eis ſe eos in fidelitatis fidem ſuſcepturum & honoraturum , ſi tradere ſe vellent . Rotcauſus & Gaidus Duces cum Nobilibus Forojulanis conſilium inierunt , ut viriliter ſe gererent . Erat quidam ex ipſis , cui jam munera Caroli excæcaverant cor , qui tale de-*

---

( *b* ) Quæ hucuſque Andreas noſter de rebus Langobardorum protulit, excerpſit è Paulli Diaconi Libris de Geſtis Langobardorum, ſervatis plerumque ipſius Paulli verbis , aut leviter ſaltem immutatis, uti patebit cuilibet utrumque conferenti . Quæ verò ſubſequuntur , aut ex ſchedulis, aut relatione aliorum collegit , quod nulla earum rerum vulgata eſſet Hiſtoria . Liber heic apponere Agnelli in Vita Sancti Exuperantii locum huic ut ovum ovo ſimilem : *Nunc prædictum Pontificalem à tempore beati Apollinaris poſt ejus deceſſum pæne Annos DCCC. & amplius ego Agnellus , qui & Andreas exiguus Sanctæ meæ hujus Ravennatis Eccleſiæ Presbyter rogatus & coactus à fratribus ipſius Sedis compoſui , & ubi inveni quid illi certius fecerunt , veſtris aſpectibus allata ſunt , & quod per ſeniores & longævos audivi , veſtris oculis non defraudavi . Et ubi Hiſtoriam non inveni , aut qualiter eorum vita fuiſſet , nec per annoſos & vetuſtos homines , neque per ædificationem , neque per quamlibet auctoritatem , ne intervallum ſanctorum Pontificum fieret , ſecundùm ordinem , quomodo unus poſt alium hanc Sedem obtinuerunt , veſtris orationibus me Deo adjuvante illorum Vitam compoſui* &c.

( *i* ) Omnia heic miſcet Auctor . Trium hominum res in unum congerit . Stephanus Papa quum ad Pippinum Regem Francorum Caroli Magni patrem in Franciam pro juſtitia Sancti Petri à Langobardis expetenda veniſſet , per ſuos Clericos perfectiorem Cantilenæ ſcientiam invexit , indeque uſus ejus longe lateque invaluit . Is aliquamdiu in Francia hæſit . Adrianus Papa Carolum Magnum ad Regnum Italiæ invitavit ; idque Carolus quum affectaſſet , Adriano vivente , adeptus eſt . Leo vero Papa quum à Romanis ſuis caperetur, excœcaretur , dura quævis pateretur, evaſit , & ad Carolum confugit, ejuſque ope & auxilio in priſtinam dignitatem rediit . At fateri oportet, ita hæc apud veteres Auctores turbata eſſe, ut nonniſi maximo labore non dicam verum , ſed veroſimile elicias .

( *k* ) Deſiderium Regem à Carolo Magno captum , & in Franciam ductum , omnes Auctores perhibent.

( *l* ) Conſtantinopolim profugiſſe , omnes teſtantur.

( *m* ) Alii *Rotgaudus* .

( *n* ) Pons Liquentiæ fluminis , quod à Forojulii quadraginta octo millibus diſtat , & eſt in itinere Ticinum pergentibus , notante Paullo Diacono in Lib. V. de Rebus Geſt. Langobardorum .

*dedit consilium*. Quid faciemus? quomodo eis resistere possumus? caput non habemus. Rex confortationis nostræ jam devictus est. Eamus in eorum fidelitatem. Bene nobis erit. *Quid dicam? ut optabant, fecerunt. Attamen eorum Carolus servavit honorem. Igitur subjugatâ & ordinatâ Italiâ ad Romam perrexit. Ibidem Palatium construxit: deinde Terrâ pacificatâ, & sacramentis datis, Pippino suo filio regendam Italiam concessit. Ipse vero Carolus post aliquantum tempus in Franciam reversus est, obsides quoque ducens secum, quiqui in Italia majores natu & nobiliores erant. Sed post non multum tempus ab eodem Carolo meruerunt, & honorati sunt ab ipso, & ad suam reversi sunt patriam*. Pippinus *vero vivente patre defunctus est. Reliquit filium* Bernardum *nomine, cui Carolus Italiam concessit, quæ quum esset penuriâ & fame occupatâ, subito ut Bernardus Regnum accepit, dignitatem, ubertatemque recepit; & sic fuit, dum ipse regnavit. Carolus quum quadraginta sex annos in Francia, & postquam Italiam ingressus est, quadraginta & unum annos regnasset, defunctus est in pace, senexque ætate & plenus dierum, atque ut per eum nomen Francorum longe, lateque percrebuit, sic est usque ad hodiernum diem. Reliquit sedem suam in Francia Hludovico filio suo. Iste incœpit vocari Imperator ex Francorum genere. Conjux vero ejusdem Hludovici Hermengarda nomine, inimicitiam contra Bernardum Langobardorum Regem gerens, mandavit ei quasi pacis gratiâ ad se veniret. Ille ab ipsis nobilibus Legatis sacramenta fidei suscepit, & in Franciam ivit. Hermengarda mox, ut potuit, sicut audivimus, nesciente Imperatore, oculos Bernardi evulsit: isque ipso dolore defunctus est, postquam quinque regnaverat annos, duos sub Carolo, tres sub Hludovico. Erat quidem* Hludovicus *Imperator multæ sapientiæ, consilio prudens, misericors, & pacis amator erat; quippe sub eo tranquillitas magna ex omni parte. Diligebat Lectores, Cantores, & cunctos servientes Deo, ministrantes Ecclesiæ. Habuit filios tres, idest Lotharium, & Hludovicum de Hermengarda, & Carolum de Juditha, quam post mortem Hermengardæ in conjugium suscepit. Equidem prædictus Imperator Hludovicus suum filium Lotharium sub se in sedem Imperialem constituit, vivente se patre. Habuit Lotharius filium* Hludovicum *nomine, cui Avus suus Hludovicus Italiam concessit: Hludovico filio suo Bajoariam: Carolo Aquitaniam.*

*Honor autem major, idest Imperialis, crescebat cotidie Lothario, cui inimici homines consilium dederunt, quatenus Juditham novercam suam genitori suo tollerent, & in Italiam abducerent, sicut fecerunt in Civitate Dertonensi, & in custodiam miserunt. Quis potest dicere furorem, quo pater ejus vehementer iratus agitatus fuit? Sed omnia fortia Lotharius in suas partes habebat. Igitur non post multos dies, dum se recognovisset Lotharius, quod malum egisset consilium, novercam suam remisit genitori suo, & irâ inflammatus contra illos, qui tam pravum consilium dederunt, alios occidit, alios in exilium misit. Tunc temporis Ecclesiam Mediolanensem Angelbertus Archiepiscopus regebat. Volebat Imperator* (*o*) *dicere, quod ille in ipso consilio fuisset, & misit ad eum Nobiles, qui eum in gratiam immitterent. Sed dum ante Imperatorem ducerent, ille tantum caput inclinavit, & verba salutatoria dixit: ad pedes noluit venire propter reverentiam & honorem Ecclesiarum. Tunc Imperator dixit*: Sic geris te, quasi Sanctus Ambrosius sis. *Archiepiscopus respondit*: nec ego Sanctus Ambrosius, nec tu Dominus Deus. *Imperator vero subjunxit*: ite ad genitorem meum, cujus odium me fecistis habere. Reducite me ad pristinam gratiam. *Ille autem hæc audiens perrexit in Franciam; Hludovicus Imperator honorifice eum suscepit. Dum à mensa uterque reficiendi caussâ exsurgerent: Imperator dixit*: bone Archiepiscope, quid debet facere homo de inimico suo? *Ille respondit*: Dominus dixit in Evangelio: (*) diligite inimicos vestros, & benefacite iis, qui vos oderunt. *Imperator dixit*: & si hæc non fecero? *Archiepiscopus respondit*, si non feceris, non habebis vitam æternam, si in ipso odio mortuus fueris. *Imperator vero iratus dixit*: si me vindicabo de adversario meo, non habebo vitam æternam; *& statim subjunxit*: vide, Angelberte, quomodo hæc verba defendas; *& constituta est defensio in mane. Mane autem facto collegit Imperator Sapientes, pro ut subito poterat, conflictum habituros de his verbis contra Archiepiscopum. Archiepiscopus in eorum præsentia dixit*: scitis, quod sumus omnes fratres in Christo? *Illi autem respondentes dixerunt*: scimus, quia unum Patrem vocamus in cœlis. *Ille autem dixit*: ergo si scitis, quod fratres simus, sive liber & servus, sive pater & filius, Apostolus Johannes dixit; (*) qui odit fratrem suum, homicida est, & omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Si ergo odiosus, homicida reputabitur, quomodo vitam æternam possessurus erit? *Illi autem convicti ad hæc verba consenserunt. Imperator vero manum in terram ponens, veniam petivit, & gratiam filio suo reddidit. Imperavit ipse tam solus, quam simul cum filio annos viginti unum. Indictione tertia* (*p*) *sic fuit Sol obscuratus in hoc Mundo, & stellæ in cœlo apparebant III. Nonas Majas, horâ nonâ in Letania Domini, quasi mediâ horâ. Facta est tribulatio magna; quumque hoc Populus intenderet, multi existimabant, quod amplius hoc Sæculum non staret. Sed dum has angustias contemplarentur, refulsit Sol, & quasi tremidus umbraculam fugere cœpit. Ipsa nocte sequente prope Matutinum tempus, facta est lux quasi in die. His signis in cœlo apparentibus, Doctores in suis monitionibus dixerunt*: estote, fratres, parati, quia adimpletum est, quod Dominus in Evangelio dixit: (*) quum hæc signa videritis, scitote quia prope est dies Domini magnus & manifestus. *Sequenti autem mense Junio Hludovicus Imperator defunctus est, suosque dies finivit in pace.*

*Post ejus mortem discordia inter ipsos tres germanos orta est.* (*q*) *Surrexit Hludovicus &*

(*o*) Lotharius.
(*) Matthæi Cap. 5. vers. 44.
(*) Epistolâ I. Johannis, Cap. 3. vers. 15.
(*p*) Id etiam referunt Annalista Bertinianus, & Andreas Presbyter in Pontificali Ravennatensis Ecclesiæ, in Vita Georgii.
(*) Lucæ Cap. 21. vers. 31. & Actuum Apostolor. Cap. 2. vers 20.
(*q*) Hoc bellum satis fuse describit Agnellus, sive Andreas Presbyter in Pontifical. Raven. Ecclesiæ, in Vita Georgii.

*& Carolus ex una parte, Lotharius ex altera. Quumque nulla pars cederet, jungentes se, ubi nuncupatur Funtanense, (r) acies hinc & inde ex utraque parte constructæ, & facta est strages magna, maxime nobilium Aquitanorum. Tantique ibi viri fortes per contentiones & improvidentiam debellati sunt, quanti potuissent per bonam concordiam & salubre consilium multa millia sternere Paganorum. Unde sic dissipata est nobilitas Aquitanorum, ut etiam Normanni eorum possideant Terras, nec est qui eorum fortibus resistat. Imperavit Lotharius post mortem patris sui tam solus, quam simul cum Hludovico filio suo annos quindecim, & mortuus est. Reliquit tres filios, idest jam dictum* Hludovicum, *qui sub eo imperavit in Italia annos sex, Lotharium in Francia, Carolum in Provincia. Sed Carolus non post multos dies defunctus est. Lotharius ex sede propria exiens, in Italiam veniens pacis gratiâ videndum germanum suum, ubi cum ipso locutus est in finibus Beneventanis in pago Venusiano, dum iret & reverteretur, multas devastans pauperum domos, blasphemiam multam incurrit. Revertens autem in itinere ægrotare cœpit: subito in Civitate Placentina defunctus est, & ibi corpus ejus conditum; ejusque hominibus multis simili modo contigit. Pauca quidem sane, quum per gesta filiorum Regum curro, componam, & animus meus ad reliqua facta percurrit. Multam fatigationem Langobardi & oppressionem à Sclavorum gente sustinuerunt, usque dum Imperator Forojulanorum Eberhardum Principem constituit, quo defuncto Unroch filius ejus principatum suscepit. De Burgundia vero surrexit quidam dictus Hupert nomine, qui aliquanto tempore Domino Imperatori Hludovico se fidelissimum esse dicebat; postmodum Burgundionibus adjunctus correbellare disponebat, oblitus tantorum beneficiorum, quæ ei Imperator tribuit, & sacramenta, quæ dederat, irrita fecit. Dominus Hludovicus hæc audiens, Cunrath cum reliquis fidelibus suis direxit, & eumdem Hupert in campo comprehendit & occidit: & multi quoque ejus partis interemti sunt. Igitur antequam hæc rebellatio facta fuisset, tanta quidem nix in Italia cecidit, ut per centum dies in planis locis maneret, & fuit gelu gravissimum; multa semina mortua fuerunt, vites pæne omnes in planis locis exsiccatæ sunt, & vinum intra vascula glaciavit, ut etiam per foramen spinarum nihil exiret, donec rumperetur ipsa glacies cum fuste ab ante ipsa spina. Hoc fuit tempus Domini Hludovici Imperatoris, Anno decimo, Indictione octava. His itaque sub brevitate rei transcursis, adventum primi ordinis, sicut cepimus, exsequamur. At vero Dominus Hludovicus Augustus multam quidem oppressionem à Saracenorum gente in finibus Beneventanis sustinuit, & eis semper restitit. (ſ) Amelmasser eorum Principem cum multis Saracenis ibi consistentibus occidit. Reliqui in Castro, quod dicitur Bari, se fortiter munierunt, ubi Dominus Imperator per quinque annos Terras cum Francis, & Langobardis, & ceteris nationibus suis fidelibus possedit, simul etiam cum sua conjuge, Angelberga nomine, & multis similiter. Circa hæc tempora Bulgarorum gens, divinâ aspiratione accensa est, quatenus Christiani fierent, & Christum Dominum colerent, quia tantus amor caritatis in eorum Regem pervenit, ut per se ipse ad Ecclesiam Beati Petri Romam veniret. Et ibi dona obtulit, & à Domino Papa Nicolao Catholicâ Fide munitus, Divinitatis scientiâ instructus, baptizatus, & Fide sancta confirmatus, recepit Doctores ab eodem Domino Apostolico, & in suam reversus est patriam.*

*Igitur dum Dominus Hludovicus cum suis Bari custodiret, Nuntii venerunt de finibus Calabriæ, dicentes:* Domine Imperator, vestri esse volumus, & per vestram defensionem salvi fore confidimus. Gens Saracenorum venit, Terram nostram dissipavit, Civitates desolavit, Ecclesias suffudit. Tantùm à vobis petimus, ut des nobis caput confortationis, quod nos adjuvet & confortet. Sacramenta vobis damus. Tributa solvimus. *Tunc Dominus Imperator misericordiâ motus, non gaudens cupiditate eorum promissionum, sed de illorum dolens malitia, elegit strenuos & nobilissimos viros Ottonem de finibus Bergomensibus, Oschis, & Gariard Episcopos; & confortavit eos Dominus Imperator, & dixit:* Ite in pace, fideles Christi. Angelus bonus comitetur vos, ut & ego videam vos, & labores, quos vobis impono, merear. *Tunc simul cum ipsis Missis perrexerunt, & unde egerunt firmitatis sacramenta receperunt, & adunarunt secum magis ac magis fideles Populos. Quumque venerunt in quamdam Vallem, ubi ipsi Saraceni erant fidentes absque ullo timore, annonam metentes simul cum captivis, quos habebant, tunc Christiani irruentes super illos & Saracenos, quantos ibi invenerunt, occiderunt, & captivos liberaverunt. Ut hæc audivit eorum Princeps, Cincimo nomine, de Civitate Amanteâ obviam eis exiit præparatus viriliter. Quod quum Francis compertum esset, jungentes se hi ex una parte, & illi ex altera, facta est strages magna Saracenorum, qui fugam petierunt. Christiani vero post eos sequuti interficientes usque ad portam Civitatis. Otto verò & prædicti Episcopi, & eorum sequutores, triumphatores reversi sunt ad Dominum Imperatorem. Imperator vero magnum gavisus est gaudium, & honorem dignitatis eis tribuit. Cincimo vero de suis de patria sua adjutorium colligens multitudinem Saracenorum, qui iter facientes ad Bari, cum ipso iverunt per multa dispendia adjutorium Soldani. Erat eis nuntiatum, quòd Christiani celebrarent magnum diem festum, sicut erat, hoc est Nativitas Domini Nostri Jesu Christi, dicentes:* Deum suum colunt illa die; neque pugnaturi, neque arma levaturi sunt. Eamus super illos. Comprehendamus eos omnes in simplicitate sua. *Hoc consilium Domino Imperatori nuntiatum est. Tunc moniti, ut gallicinio matutino, & summo diluculo Episcopi & Sacerdotes Missarum solemnia celebrarent, & Populus Communionem, vel Benedictionem acciperet: sicuti & fecerunt. Et exierunt quærentes Saracenos, & illis quærentibus, Franci juncti sunt iu loco . . . . . Et factus est sonitus magnus clangore buccinæ, hinnitu equorum, strepitu Populorum. Quumque prope se conjungerent, fideles Christi oraverunt, dicentes:* Domine Jesu Christe, tu dixisti: (*) qui manducat Carnem meam, & bibit Sanguinem meum, in me manet, & ego

(r) Dictus Agnellus vocat hunc locum *Fontaneum*, Annalista vero Bertinianus *Fontanidum*: alii aliter.

(ſ) De bello à Ludovico Imperatore cum Saracenis gesto fuse agit Anonymus Salernitanus in Chronici sui Cap. 87. & sequentibus. Verùm nil ferme eorum, quæ noster heic.

(*) Johannis Cap. 6. vers. 57.

ego in eo. Ergo si tu nobiscum, quis contra nos? *Statim commissum est prælium. Quumque forti intentione pugnarent, aura cælestis confortavit Christianos. Pagani verò terga vertentes fugere cœperunt. Christiani autem post eos cædentes non cessabant, donec multitudinem Paganorum interficerent. Soldanus hæc audiens, metu magno tristari cœpit. Sequenti mense Februario, quinto expleto Anno, quod Bari possessam habebant, Dominus Imperator comprehendit Soldanum, & reliquos Saracenos ibi consistentes interemit Anno Vigesimo primo, Indictione Quarta. Saraceni vero in sua terra hæc audientes, elegerunt fortissimos viros, sicut audivimus, viginti millia hominum, dicentes:* grandis ignominia de occisis nostris consonat. Eamus illuc. *Quumque navigium præpararent, ascenderunt & navigaverunt, & exierunt in fines Beneventanos. Tunc dixerunt per suæ audaciæ elationem:* Quid nos fiduciæ habere debemus in navibus nostris? dissipemus eas, quia Franci adversum nos nihil possunt: & si prævaluerint adversum nos, sine ullo metu in Regnum nostrum pergere possunt. *Dictis factis Francos quærere cœperunt. Nuntiatum est id Domino Imperatori, qui statim misit Principes suos Unroch, Agefrid, & Boso, cum electa manu Francorum & Langobardorum, vel ceterarum nationum; jungentes se in loco ad Sanctum Martinum ad Stradam, scilicet prope Capuam ad Vulturnum. Acie hinc & inde constituta, utraque parte forti intentione pugnante, Dei adjuvante misericordiâ, Saraceni devicti & debellati sunt, multitudine innumerabiles; quia quos gladius non interemit, in fluvio Vulturno necati sunt. Sic Dei judicio complacuit. Qui venerant exaltati, facti sunt humiliati.*

*Hac victoriâ patratâ Dominus Imperator in Beneventi Palatio sedebat. Tunc Adelchis Principatum Beneventanorum regebat, cui Imperator se & omnia credebat, quique dilectione caritatis se diligebant. Antiquus hostis, qui semper contra dilectionem inimicitiam quærit, exsurrexit per malos homines inter se occulte dicentes:* quid gravati sumus sub potestate Francorum? (t) *Taliter Beneventani per fraudem uno consilio egerunt, ut redderent malum pro bono; quatenus ubicumque fidelissimos Imperatori invenissent, ibi custodirent, & ad Imperatorem non dimitterent redire. Erant enim Franci separati per Castella, vel Civitates, fidentes absque ullo terrore, credentes fidei Beneventanorum. Fuit autem iste contrarius discessionis dies XXV. die Augusti usque ad XV. Calendas Octobris, Indictione Undecima. Sed Deus, qui Dominum Imperatorem ad regni gubernacula Imperialis ordinaverat, cum ipso erat, sicut legitur:* (*) Cor Regis in manu Dei est. *Et taliter fideles suos ad se venire fecit. Cælestis timor autem super Beneventanos irruit, vixque integrum illis fuit, ut pacifice potuissent eos dimittere, qui lætabundi ad Dominum Imperatorem reversi sunt. Eodem Anno evoluto multa signa monstrata sunt. Vinum postquam vindemiatum, & intra vascula missum, statim turbulentum fuit In ipsa Pascha Domini per arbores vel folia & reliqua loca parebat, quasi terra pluvisset. Sequente autem IV. Nonas Maji pruina cecidit: multæ vites in planis locis seu in vallibus palmites cum uvis siccatæ sunt. Similiter & silvæ tenerrimæ cum suis foliis aridæ factæ sunt. Sequente autem mense Augusto multæ locustæ advenerunt de Vicentinis partibus in finibus Brescianis, deinde in Cremonensibus finibus: inde perrexerunt in Laudenses partes, sive etiam in Mediolanenses. Erant enim unâ pergentes, sicut Salomon dixit:* (*) Locustæ regem non habent, sed per turmas ascendunt. *Devastaverunt enim multa grana minuta milii vel panici. Completus Annus Centesimus, ex quo Francorum gens Italiam ingressa est, Anno Domini Hludovici Imperatoris Vigesimo tertio, & mense quarto, Indictione VI. finita, ingrediente VII. Indictione, hoc est Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi Octingentesimo Septuagesimo Tertio transacto, Imperator vero venit de finibus Beneventanis post multam victoriam super Saracenos factam. Igitur post annum, hoc est Indictione VIII. stella Cometis in Cælo comparuit similitudine radians longæ caudæ per totum mensem Junium mane & vespere. Deinde in mense Julio Saraceni venerunt, & Civitatem* (u) *cum multo igne cremaverunt. Sequenti autem mense Augusto Hludovicus* (x) *Imperator defunctus est pridie Idus Augusti in finibus Brescianis. Antonius vero Brescianus Episcopus tulit corpus ejus, & posuit eum in sepulcro in Ecclesia Sanctæ Mariæ, ubi Corpus Sancti Filastrii requiescit. Anspertus Mediolanensis Archiepiscopus mandavit ei per Archidiaconum suum, ut reddat corpus illud. Ille autem noluit. Tunc mandavit Garibaldo Bergomensi Episcopo, & Benedicto Cremonensi Episcopo, ut cum suis Sacerdotibus & cuncto Clero irent, sicut ipse Archiepiscopus faciebat. Episcopi vero ita fecerunt, & illuc perrexerunt, trahentes eum è terra; & mirifice condientes die quinto post transitum in pheretrum posuerunt cum omni honore, & hymnos Deo psallentes, in Mediolanum perduxerunt.* Veritatem in Christo loquor. Ibi fui, & partem aliquam portavi, & cum portantibus ambulavi à flumine, quod dicitur Oleo usque ad flumen Addua. *Adductus igitur in Civitatem cum magno honore & lacrymabili fletu in Ecclesia beati Ambrosii Confessoris sepelierunt die septimanæ ejus. Imperavit Annos triginta duo.*

*Post ejus obitum magna tribulatio in Italia advenit. Colligentes se majores natu in Civitate Ticino simul cum Angelberga sua Regina mense Septembri, Indictione IX. pravum egerunt consilium, quatenus ad duos mandarent Regnum* (y), *idest Carolo in Francia, & Hludovico in Bajoaria, sicut & fecerunt. Tunc Carolus venit nesciens quicquam de Hludovico. Hludovicus nesciebat, quod Carolus venisset, & misit filium suum, Carolum nomine, quem propter distantiam homines cœperunt Caroletum nominare. Carolus Rex venit Papiam. Caroletus in fines Mediolanenses: qui quum de patruo suo comperisset, quod esset in Papia, cœperunt homines, qui se Caroleto adjunxerunt, multa mala*

(t) Fusius hanc rem narrant laudatus Anonymus Salernitanus in Chronico suo, & Annalista Bertinianus.

(*) Proverbior. Cap. 21. vers. 1.

(*) Proverb. Cap. 30. vers. 27.

(u) *Civitatem* nempe *Beneventanam*.

(x) Pagius Ludovici mortem Anno Vulg. 875. consignat. *Muratorius*.

(y) *Quia semper Italienses* (judicium est Liutprandi Ticinensis in Historiarum Libro primo) *geminis uti Dominis volunt, quatenus alterum alterius terrore coërceant.*

*mala facere: hoc est Beringherius cum reliqua multitudine statim venerunt in fines Bergomenses, residentes in Monasterio Fara per hebdomadam unam, domus devastantes, adulteria vel incendia facientes. Tunc multi Bergomenses relinquentes domos suas plenas vino & annona, tantum cum uxoribus & parentibus in Civitatem vel in montes perrexerunt. Carolus Rex hæc audiens, statim præ ipsis malefactoribus cum multitudine Populorum perrexit in Bajoariam. Tunc Carlomannus germanus ejus obviam veniens Carolo Regi ad fluvium, qui dicitur Brenta, & pacificis verbis se invicem salutaverunt, & pactum usque in mensem Majum firmaverunt. Carlomannus ivit in Bajoariam, Carolus Rex perrexit Romam, & Ecclesiæ beati Petri dona obtulit, ab Apostolico Johanne unctus. Et honore Imperii coronatus in Papiam reversus est mense Januario, suprascripta Indictione IX. Quumque idem Carolus Imperator de Roma reversus in Papia sederet, audivit, quod Carlomannus Hludovici filius contra eum veniret: quumque exercitum suum adunare vellet, & cum eo bellum gerere, quidam de suis, in quorum fidelitate maxime confidebat, ab eo defecti, cum Carlomanno se conjungebant. Quod ille videns, fugam iniit, & in Galliam repedavit, statimque in ipso itinere mortuus est. Carlomannus vero Regnum Italiæ disponens post non multum tempus ad patrem in Bajoariam reversus est. Inter hæc* (z) ...........

(z) Heic desiit Auctor noster, fortè morte præventus, quum ulteriùs Chronicon suum continuare jam cœpisset. In Codice authentico nihil profectò (verba sunt Amici mei) erasum est vel abscissum, mutilatumve. Mirum videbitur, ab ipso Auctore aut plura non fuisse scripta, aut alio Libro relata: enim vero quum hæc acta sint ipsius Auctoris ætate, scriptionis filum, aut alia negotia, aut quòd eorum, quæ literis mandanda sumsit, eventus esset dubius, aut casus aliquis abrupisse videtur.

DE

# DE REGNO ITALIÆ EJUSQUE FINIBUS DISSERTATIO SECUNDA.

# DISSERTATIO SECUNDA.

PRimi, qui Regnum Italiæ fundavere super Imperii Romani ruinas, fuerunt Heruli sub Odoacre, & postea Gothi sub Theoderico, quibus datum est sub finem Sæculi Æræ Christianæ Quinti, nobilem hanc Provinciam cum ipsa Urbe Roma occupare, immo & ultra Italiam dominationem suam protendere. Verum Langobardis in hoc Regno condendo, sive stabiliendo, fortuna se magis secundam obtulit: nam ultra duo Sæcula fortiter heic regnarunt, & propagatâ heic longe lateque sobole sua, ejusmodi Leges statuerunt, quibus, vel post sublatos eorum Reges, Italia uti perrexit, eorumque nomen, vel adhuc Cisalpina Gallia sub *Lombardiæ* appellatione retinet. De origine hujus gentis aliqua attuli in Antiquitatibus Estensibus Cap. X., & inter Germaniæ Populos recensui: quod ne ipse quidem Paullus Diaconus negat, scribens de Gestis Langobard. Lib. I. Cap. 2. *Langobardorum gens, quæ postea in Italia regnavit, à Germanorum Populis originem ducens*. Quo autem Anno Pannoniam sibi subjecerint, & quoto deinde tempore regionem illam tenuerint, unde postea Italiam petierunt, non satis liquet. Auctor est idem Paullus, Langobardos ibi *quadraginta annos* moram traxisse; tum *Anno DLXVIII.* in Italiam irrupisse. Sigebertus vero scribit, eos sub Audoino Rege in Pannoniam ductos *Anno DXXVII.*, *& post duos & quadraginta annos* Italicum Regnum sibi usurpasse sub Alboino. Longius ab istis ire videas Procopium Lib. III. Cap. 33. de Bello Gothico, dum scribit, Gepides Sirmio, ac Daciæ dominantes, dum prospere Gothis bellum in Italia cederet, Romanis regionibus vim, ac vastationem intulisse. Permovit ejusmodi tempestas Justinianum, *ut Noricum, & Pannoniæ munitiones, aliaque loca, ac pecuniam insuper maximam Langobardis donaret. Quamobrem illi patriis sedibus relictis, in adversa Istri fluminis ripa consederunt, haud procul à Gepidibus*. Si fides Procopio, acta hæc fuere, fervente in Italia Gothico bello, cui initium fecit Justinianus *Anno DXXXV.* Immo, secundùm ejus verba, longe serius in Pannoniam invecti videntur Langobardi. Certe Procopius sui temporis gesta literis consignabat, & vix in hisce deceptum suspicari licet. At quoniam in multa nocte jacent Langobardorum, Gothorum, aliarumque id genus Nationum origines, ac primordia, neque Scriptoribus, vel vetustis satis fidere possumus, qui famam potius quam certa rerum documenta hac in re sequebantur: progrediamur tamdem ad inquirendum, quousque se protenderet in Italia Langobardicum Regnum. Quo in stadio etsi me præoccupaverit singularis eruditio ac diligentia Clarissimi olim, atque amicissimi Viri Gasparis Beretti Monachi Benedictini in Dissertat. Chorograph. Medii Ævi, editâ Tomo X. Collectionis meæ Rer. Italicarum, attamen quando hæc ante illum prœlo paraveram, liceat & mihi in præsentia publici juris facere pauca hæc ad argumentum, quod invasi, apprime necessaria.

Illud constat, & amplitudine & viribus summe spectatum fuisse Langobardorum in Italia Regnum; Ticinumque centrum, ac Regiam illius exstitisse, & universam fere Italiam in ipso comprehensam. Boream versus pertingebat usque ad fines extremos Tridenti, quæ Civitas ab uno ex Langobardis Ducibus regebatur, & progressu temporis unam ex Italicis Marchiis constituit. Civitates ergo *Bergomi*, *Brixiæ*, *Veronæ*, *Vicentiæ*, *Patavii*, *Tarvisium*, *Aquileja*, quamvis excisas, atque aliæ cum toto *Foro Julii* Langobardorum ditionem à Germanicis regionibus dirimebant. Ad Occidentem juga Alpium finem statuebant inter Regnum Italicum & Gallicum, sive Francorum, nisi quod ad Burgundiæ Regnum aliquando spectavit *Augusta Prætoria*, quæ tamen Caroli Magni ævo, uti è postremis ejus tabulis constat, Italiæ Regi parebat. Ad Meridiem vero complectebatur id Regnum universam regionem, quæ est à Varro fluvio, seu à Nicea Civitate, nunc *Nizza*, per maris litus continuata, usque ad fines Romani Ducatus, ac propterea *Litus Italicum*, ac *Tusciæ Ducatum*. Quod est ad Orientem, non eadem stabilitas fuit finibus Langobardicæ ditionis, Orientis Imperatoribus perpetuum pæne bellum gerentibus contra suarum Provinciarum usurpatores, atque iis fortunæ vicibus, quæ variæ aleam Martis comitari solent. De Sirmio capite Pannoniæ inferioris hæc habet Ennodius in Panegyrico Theoderici: *Sirmiensium Civitas olim limes Italiæ fuit*. Illam Theodericus idem Gepidis ereptam Regno Italiæ adjunxit. Verum non eò usque Langobardorum ditio propagata est. Per Ducatum Forojuliensem Langobardicum Regnum ante Carolum Magnum ad Pannoniæ fines protendebatur, atque ex alia parte Histriam contingebat, provinciam nempe ad Græcos spectantem. Ad statuenda illic inter utramque ditionem confinia, nonnisi post multa bella perventum est, ac temporibus dumtaxat nuper laudati Regis Liutprandi. Tunc enim Paullucius Venetorum Dux, & Marcellus Magister Militum, versus *Civitatem Novam* stabiliverunt fines, ad quos pertingeret Langobardicum imperium, nempe fluvium *Plavem*, quem nonnulli perperam putant Anassum. Id colligitur ex Diplomate Pactorum, quæ Anno DCCCCLXXXIII. inita sunt ab Ottone II. Augusto cum Tribuno Duce Venetiarum. Illud ego publici juris feci Anno 1712. in Appendice Plenioris Expositionis Jurium Cæsareorum ac Estensium in Civitatem Comacli, pag. 360. *De finibus* (ita ibi Otto II. Imperator) *Civitatis Novæ statuimus, ut terminatio, quæ à tempore Liutprandi Regis facta est inter Paulucionem Ducem, & Marcellum Magistrum Militum, deinceps manere debeat, idest de Plavi majori, usque in Plavim siccam*. Repetuntur eadem verba in reliquis Diplomatis Pactorum inter Reges Italiæ, aut Imperatores ex una parte, & Duces Venetorum ex altera. Idque nos jamdiu monuerat Andreas Dandulus, & ipse postea Venetorum Dux Anno MCCCXLIII. in Chronico suo, quod à me editum habes Tomo XII. Rerum Italicarum. Sunt ejus verba Lib. VII. Cap. I. *Hic Paulucius Dux amicitiam cum Liutprando Rege contraxit, & pacta inter Venetos & Langobardos fecit, per quæ sibi & Populo suo immunitates plurimas acquisivit, & fines Heracliæ*

*eliæ* ( ex cujus ruinis excitata est deinde *Civitas Nova* ) *cum Marcello Magistro Militum terminavit , videlicet à Plave majore ad Plavisellam* . Fieri tamen potest , ut hæc finium constitutio regionem tantum respiceret ad mare positam , quum aliunde ostendi possit , *Opitergium* , nunc *Oderzo* , & *Civitatem Fori Julii* , aliaque Oppida ultra Plavim Langobardorum imperio paruisse . Du-Cangius in Appendice ad Glossar. Latinum *Plavim* interpretatur *Planitiem* , ac in eam rem laudat ex Danduli Chronico verba Diplomatis nuper memorati . Minime animadvertit accuratissimus alioqui vir , *Plavim* Forojuliensis regionis flumen esse. *Plavis* autem *sicca* , sive *Flavisella* , alveo antiquo derelicto , ejusdem fluvii nomen fuit . Ipsius fluminis *Plavis* , quod & adhuc *la Piave* nuncupatur , mentio est in multis veterum monumentis , sed potissimum in Diplomate , cujus exemplum in Archivo suo adservat Antonius Rambaldus Comes de Collalto , ex antiquissima Nobilitate , & splendido munere in Aula Cæsarea , mihi cum veneratione commemorandus . Illud ego acceptum refero Abbati Henrico de Collalto , egregio Eruditionis antiquæ cultori .

## Curtis Luvadinæ donatio facta Rambaldo Comiti Tarvisino à Berengario & Adelberto Italiæ Regibus, Anno 960.

*IN nomine Domini Dei æterni . Berengarius & Adelbertus , divina favente clementia , Reges . Si justis petitionibus nostrorum fidelium aures nostre pietatis inclinamus , ad statum Regni nostri pertinere nequaquam ambigimus . Idcirco omnium fidelium Sancte Dei Ecclesiæ , nostrorumque , presentium scilicet & futurorum universitas noverit , qualiter interventu ac petitione Lanzonis nostri dilecti fidelis , per hujus nostri precepti paginam , sicut juste & legaliter possumus , concedimus & donamus Raimbaldo nostro dilecto fideli Cortem unam , que nuncupatur Lwadina , jacentem in Comitatu Tarvisino non longe à flumine , quod nuncupatur* Plave . *Predictam autem Cortem Lwadina jam nominato Raimbaldo nostro dilecto fideli , & jure nostri Regni pertinentem concedimus & donamus, & de nostro jure & dominio in ejus jus & dominium modis omnibus transfundimus ac delegamus una cum terris , capellis , vineis , pratis , pascuis , silvis , salectis , sationibus, ripis, rupinis , molendinis , piscationibus , montibus , vallibus , planiciebus , aquis , aquarumque decursibus , forestis , servis & ancillis utriusque sexus , aldionibus & aldianis , & cum pensionibus , atque cum omnibus , que dici vel nominari possunt ad predictam Cortem Lwadina juste & legaliter pertinentibus vel aspicientibus in integrum , ut habeat , teneat , firmiterque possideat ipse , suique heredes , habeantque potestatem tenendi , donandi , vendendi , alienandi , commutandi , pro anima judicandi, vel quicquid eorum decreverit animus faciendi , omnium hominum contradictione remota . Si quis igitur hujus nostri precepti paginam pro aliquo ingenio infringere , vel violare tentaverit , sciat se compositurum auri optimi libras centum , medietatem Camere nostre , & medietatem prelibato Raimbaldo nostro dilecto fideli , suisque heredibus . Quod ut verius credatur , diligentiusque ab omnibus observetur , manibus nostris roborantes , anuli nostri impressione supter insignirijussimus.*

*Signa Serenissimorum & ADELBERTI*



*BERENGARII, Regum.*


*Hubertus Cancellarius ad vicem* Widonis *Episcopi & Archicancellarii recognovi & scripsi.*
*Datum VIII. Kalendas Novembris , Anno Incarnationis Domini DCCCCLVIIII. Regni vero Domnorum Berengarii atque Adelberti piissimorum Regum VIIII. Indictione III.*
*Actum Papia in Dei nomine feliciter . Amen .*

Juvat nunc meminisse & alterius divisionis finium , olim firmatæ inter Carolum Magnum Langobardorum Regem & Augustum , & Venetiarum Duces in Fori Julii partibus . Ejus mentio occurrit in Diplomate , quod à Federico I. Romanorum Imperatore Leonardus Episcopus Torcellensis impetravit, ubi hæc habentur : *cum Fossato , quo statutus est terminus tempore Caroli inter Veneticos & Langobardos , unum caput exiens in fluvio Siclæ , & aliud in fluvio Tarso* . Ad hunc Leonardum Episcopum legitur apud Ughellium data Anno MCLXXXVI. Bulla Urbani III. Papæ . Non ingratum erit Lectoribus , si integrum hoc Diploma è tenebris eruam , quale reperi in antiquo Chronico MSto de Reb. Venet. adservato in Bibliotheca Estensi & potissimum quod inde luculentius confirmetur , *Torcellanam* Diœcesim complecti *Altinum* , Civitatem olim à Langobardis eversam . Inter testes hujus Privilegii numeratur *Alius Patriarcha Aquilegiæ* . Legendum ibi *Ulricus* ; & fortassis in Annos Regni Friderici aliquis error irrepsit .

## Privilegium Friderici I. Imperatoris Episcopo Torcellano omnia ejus bona & jura confirmantis, Anno 1177.

*IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Federicus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si rationabiles illustrium personarum petitiones circa augendas Ecclesiarum Dei commoditates clementer exaudimus, credimus nobis ad æternæ salutis meritum & temporalis gloriæ augmentum proficere, & eos, quos effectu postulationum suarum honoramus, nobis deinceps & Imperio devotiores existere. Omnium igitur sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque fidelium, præsentium scilicet ac futurorum noverit industria, qualiter dilectus noster* Torcellanæ Ecclesiæ Leonardus venerabilis Episcopus, *celsitudinis nostræ postulavit clementiam, quatenus pro Dei amore, animæque nostræ mercede nostrum inviolabile præceptum, juxta prædecessorum nostrorum magnorum Imperatorum,* Caroli *videlicet &* Lotharii, *&* Ottonis, *atque* Conradi, *&* Henrici *decreta, eidem Torcellanæ Ecclesiæ de omnibus rebus ad eamdem Ecclesiam pertinentibus, tam de Monasteriis, vel de reliquis possessionibus, idest Basilica Sancti Cipriani cum territorio suo, & Sancti Michaëlis Ecclesia, cum omnibus prædiis suis, & decimis, & Fossato, quo statutus est terminus* tempore Caroli inter Veneticos & Longobardos, unum caput exiens in fluvio Siclæ, & aliud in fluvio Tarso discurrente Jario usque Altinum, *& Plebe Sancti Donati cum prædiis suis, & silvis, sive decimis & territoriis, quo tituli ejusdem Ecclesiæ fuerunt, idest Ecclesia Sancti Benedicti, & Ecclesia Sancti Zenonis, atque Sanctæ Mariæ in Plumbo, & Ecclesia Sancti Remedii cum omnibus adjacentiis, & pertinentiis & decimis suis ex utriusque partis Plavis fluminis, & Virgulano in provincia Polesini constituto, cum omnibus ad se pertinentibus, & cum Silva, quæ vocatur Torcellis, & saltu, in quo continetur Ecclesia Sanctæ Mariæ, Silvaque magna, quæ est in ipso territorio, nec non & Sancti Stephani Monasterio, quod est Altini, cum omnibus rebus ad id respicientibus, seu & Sancto Laurentio constituta Plebe juxta fluvium Liquentiam, cum omni jure & adjacentiis, & decimis suis, cunctisque familiis suis utriusque sexus, & rebus ad eamdem Ecclesiam pertinentibus, quæ infra ditionem Imperii nostri consistere noscuntur. Et quicquid habere videtur in Civitate Nova Istria, & in Civitate, quæ dicitur Magha, & quidquid habet in Campo Alto, & totum allodium de Cassatico, & ipsum molendium de eodem Campo Alto cum suo Cavo, qui firmat in ipso Campo, & de quinto & de tertio, scilicet quantum dedit Stephanus Candianus eidem Ecclesiæ Torcellanæ, cum omnibus suis pratis & silvis, seu pascuis, & salictis, & cum omnibus cartulis & notitiis, ac* A *pertinentiis suis, tam hactenus acquisitis, quamque deinceps acquirendis, fieri juberemus, ut per nostri præcepti confirmationem, nostris, futurisque temporibus eidem Ecclesiæ, suisque Rectoribus in perpetuum proficiat augmentum.*

*Præcipientes ergo jubemus, ut quidquid ad memoratam Ecclesiam prædictus* Leonardus *Episcopus nunc possidet, aut de jure possidere debet, & quod ejus Successores in bonis ejusdem Ecclesiæ possessuri fore dinoscuntur, tam acquisitum quam acquirendum, per hujus nostræ auctoritatis confirmationem & præceptum quieto prorsus ordine teneant ac possideant, universasque præscriptas res, & quæcumque ab antecessoribus nostris eidem Ecclesiæ confirmata sunt; nec non* B *quidquid in antea acquirere poterit, nostra auctoritate & jussione, tranquilla quietudine habeat, ita ut à nullo umquam nostrorum fidelium controversetur aut inquietetur, nulliusque Ducis aut Marchionis, nec Episcopi aut Comitis, nec Vicecomitis, vel alterius Reipublicæ exactoris pertimescat aut sentiat molestationem; omnesque servos & ancillas sub nostræ tuitionis Mundiburdium accepimus, ut nullam de cetero publicam faciant functionem. Quæcumque autem res jam dicti Episcopi per emphiteosim, aut alio quolibet modo ab aliquibus hominibus possidentur, in prælibati Episcopi sint potestate, suorumque successorum, ut aut legitimum censum inde accipiant, aut si eum coloni solvere noluerint,* C *ipse qui fuerit Episcopus, possessiones illas in usum prænominatæ Ecclesiæ libere accipiat. Illud etiam inviolata jussione sancimus, ut Decimæ, quæ annuatim ex frugibus persolvi debent, sive de omnibus bestiis per totam* Altinensem Parochiam, *ut supra legitur, eidem Ecclesiæ sine omni contradictione persolvantur. Similiter autem habitantes in Vicis, qui dicuntur ...... Tertius, Moniamo, Calobonico, Pula. ...... Gaudentiaco, & iterum Gaudentiaco Villa, & alia ad partem jam factæ Ecclesiæ S. Cipriani, sitæ in loco, qui dicitur* Privatas, *perpetua stabilitate persolvant. Si quis autem con-* D *tra hanc nostram auctoritatem venire, aut eam irritam facere præsumserit, sciat se compositurum auri optimi Libras centum, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem Rectoribus prædictæ Ecclesiæ. Quod ut verius credatur, & ab omnibus observetur, præsentem paginam jussimus insigniri. Hujus rei testes sunt Henricus Patriarcha Venetorum, Alius (*) Patriarcha Aquilegiæ, Philippus Coloniensis Archiepiscopus, Christianus Maguntinus Archiepiscopus, Arnoldus Trevirensis Archiepiscopus, Sebastianus Ziani Dux Venetiarum, Schinella Comes Tarvisii, Aureus Magister Petrus, & alii quamplures.*

*Signum Domni*  *Federici Romanorum Imperatoris invictissimi.*

*Ego Gotifredus Cancellarius, vice Philippi Coloniensis Archiepiscopi, & Italici Regni Archicancellarii recognovi*

*Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Septuagesimo Septimo: regnante Domno Federico Romanorum Imperatore gloriosissimo, Anno Regni ejus XXVII., Imperii ... tro XXII.*

*Datum apud Venetias Indictione X. tertio Nonas mensis Augusti feliciter Amen.*

A fini-

(*) Legendum *Ulricus*.

A finibus Histriæ regrediendo in Occidentem ac Meridiem, si pauca excipias loca ad mare, sive inter paludes sita, universum litus Adriatici usque ad fines agri Ravennatis, comprehenso *Comaclo*, Langobardis Regibus suberat, à quorum dominatione certum est, exclusam fuisse inclytam Venetiarum Urbem, una cum adjacentibus Insulis. Illuc, nisi fortè aliqua inani impressione, penetrasse Langobardorum Regum arma, nemo scribit. Quod solùm novimus, temporibus Caroli Magni magnum belli incendium in iis partibus exarsit, tum ob dissidia inter Græcos & Francos occasione Imperii ab illis ad hos translati excitata, tum etiam ob grandes animos Pippini, quem Italiæ Regem Anno DCCLXXXI. Carolus ejus pater creaverat, & ad fines Regni dilatandos innata Regibus cunctis ambitio urgebat. Verùm ut eo tempore Græci & Franci armis invicem certabant, ita Scriptores postea unus adversùs alterum in illius belli narratione sunt digladiati. Ego quid heic sentiam eo amore veritatis, quem in reliquis etiam honestis hominibus parem puto, fidenter dicam. Primo igitur loco, ut mihi quidem videtur, in controversiam deduci nequit illud, quod à pluribus, iisque æqualibus & nobilibus Historicis scriptum est: nempe, fortitudini ac industriæ Francorum contigisse, ut post Annum Christi DCCC. in Histriam & Dalmatiam, & in aliquot saltem Insulas, Venetiarum Urbi finitimas, dominationem suam felici armorum usu extenderint. In antiquis Francorum Annalibus apud Du-Chesnium Tom. 2. pag. 43. hæc leguntur ad Annum DCCCVI. *Venerunt Villeri & Beatus Duces Venetiæ, nec non & Paulus Dux Jaderæ, atque Donatus ejusdem Civitatis Episcopus, Legati Dalmatiarum, ad præsentiam Imperatoris cum magnis donis. Et facta est ibi ordinatio ab Imperatore de Ducibus & Populis tam Venetiæ quàm Dalmatiæ.* Eodem autem Anno *Classis à Niciforo Imperatore, cui Niceta Patricius præerat, ad recuperandam Dalmatiam mittitur.* Ergo loca superius memorata in potestatem Caroli devenerant. Anno proxime sequenti DCCCVII. *Niceta, qui cum classe Constantinopolitana sedebat in Venetia, pace facta cum Pippino Rege, & induciis usque ad mensem Augustum constitutis, Constantinopolim regressus est.* Tum Anno DCCCIX. *Classis de Constantinopoli missa, primo Dalmatiam, deinde Venetiam appulit:* quumque frustra conatus fuisset Paullus Græcæ classis Præfectus *Comaclum* Francis eripere, de Pace postea cum Pippino egit, sed irrito negotio, quippe clam ejus consilia à Ducibus Venetiarum evertebantur. Itaque Anno sequente DCCCX. Pippinus Rex *perfidiâ Ducum Veneticorum incitatus, Venetiam bello terraque marique jussit appetere; subjectâque Venetiâ, ac Ducibus ejus in deditionem acceptis, eamdem classem ad Dalmatiæ litora vastanda misit.* Paribus aut ipsis verbis in Annalibus Eginhardi, sive Lauresamensibus, in Bertinianis, aliisque vetustissimis Francorum Annalibus, eadem occurrit narratio. Non me fugit, inficiari Dandulum in Chronico suo hanc Pippini victoriam, & in ejus sententiam concessisse reliquos Venetorum Scriptores. Verum nemo intelligat, quei componenda sit cum fide tot veterum & æqualium Historicorum, auctoritas eorum, qui post tot Sæcula narrandam rem ipsissimam susceperunt. Fieri quidem potuit, ut victricia Pippini arma in aliquot ex iis Insulis aditum sibi aperuerint, quæ provinciam maritimam constituebant, tunc *Venetiam*, seu *Venetias* appellatam, non vero in Civitatem illam, quæ celeberrima à multis Sæculis *Venetiæ*, seu *Venetiarum* una nomen retinuit, quæque iis temporibus fortassis unica Rivoalti Insula fuit. At minime hoc obstat, quin Franci in maritimas illas Insulas victores penetrarint. Contra vero certum est, non ideo Venetiarum Urbem Italico Regno additam; nam ut ex ipsis Francorum Annalibus liquet, eodem Anno DCCCX. Carolus Magnus initâ cum Græcis pace, *Niciforo Venetiam reddidit*. Ad hæc Eginhardus Scriptor æqualis eorum temporum, ipsique Augusto familiaris, in ejusdem Caroli Magni Vita addit, in illius potestate relictam fuisse *Histriam quoque & Liburniam, atque Dalmatiam, exceptis maritimis Civitatibus, quas ob amicitiam & junctum cum eo fœdus, Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit*. Ab hisce tamen Urbibus maritimis excipienda videtur *Gradus*, quam Eginhardo eodem teste inter *Metropoliticas* sui Regni ac Imperii Civitates, Carolus ipse in postremis suis tabulis recenset. *Polam* quoque Histriæ Civitatem Carolo Magno paruisse, elucere videtur ex Epistola XI. Leonis III. Papæ, Tomo VII. Concilior. Labbei, in qua is loquitur de Fortunato Gradensi Archiepiscopo, *qui propter persecutionem Græcorum, seu Veneticorum* Polam sese receperat. Propterea Dandulus supra memoratus in Chronico Lib. 7. Cap. 15. in hæc verba scripsit: *Pipinus Rex Italiæ, ut quidam scribunt, provinciam Venetiarum Nicephoro Constantinopolitano Imperatori, juxta fœdus censuit relinquendam.* Tum Lib. 8. Cap. 1. Sicardum & Godefridum Historicos sequutus, pacem referens à Carolo Magno cum Orientis Imperatoribus constitutam, hæc addit: *Per hoc Decretum Carolus approbans, quod cum Nicephoro actum fuerat, novam Venetiam à se abdicavit.* Non ergo in Italici Regni jure Venetiæ, ejusque cognatæ Insulæ relictæ sunt. Atque hæc omnia extra dubitationis aleam posita tum quisque fatebitur, quum supra memoratum Diploma Ottonis II. Anno DCCCCLXXXIII. datum, & cum præcedentibus omnino concors iterum consulet. Illic enim Augustus apertis verbis Venetorum ditionem discriminat à Regni Italici finibus, inquiens: *Hi sunt ex nostro scilicet jure, Papienses, Mediolanenses*, &c., *& cuncti in nostro Italico Regno. Ex prædicto vero Ducatu Venetiæ sunt Rivaldenses* (nunc Rialto) *Methamaucenses, Clugienses, Caputargelenses*, &c. Ex his vero, quæ attulimus, vides, quousque sub Carolo Magno Imperatore productum fuerit Italiæ Regnum. Et quidem diu Regum Italicorum potestas in iis partibus substitit. Nam in Paralipom. Anonymi Salernitani, Part. II.ª Tomi II. Rerum Italicarum, & apud Baronium ad Annum DCCCLXXI. Ludovicus II. Imperator in Epistola ad Basilium Græcorum Imperatorem conqueritur, *Populos Sclavoniæ nostræ in captivitatem adductos* à Græcis, sive ab eorum Duce Niceta Patricio. Nescio, an sub *Sclavoniæ* nomine *Dalmatia*, quam *Delmatiam* antiqui Lapides appellare consueverunt, veniat, an *Illyrici* etiam pars designetur, quæ Regibus Italicis paruerit. Anno quoque DCCCXX. uti ex Annalibus Bertinianis constat, *Carniolenses*, & *Carentani* deditionem fecere *Baldrico* Marchioni, seu Duci Forojuliensi. Duas tamen illas Provincias

cias propterea in Ducatum Forojuliensem coaluisse non arbitror.

Oram Adriatici legendo ex altera parte, Langobardi dominati sunt usque ad fines Exarchatus Ravennatis, hoc est usque ad reliquam illam Italiæ portionem, quam Græci adversus impetum Langobardicæ gentis diu tutati sunt in Æmilia atque Flaminia. Ab Exarchis autem, ut notum est, supremo Græcorum Magistratu, ea regio nomen accepit, qui Ravennæ, in Urbe fortissima, sedentes universam Provinciam moderabantur, ipsique Romæ jus interdum, & quidem impotenter, dicebant. Sunt qui Exarchatum, qualem eorum desideria vellent, nunc mirabili facilitate sibi pingunt. Ego in veterum chartis non imaginationes meas, sed veritatem unam sincerissime expiscabor. Usque ad tempora Caroli Magni instabiles fuerunt in hisce partibus fines inter Langobardos & Græcos. Primis Langobardicæ irruptionis annis Alboinus Rex *Placentiam*, *Parmam*, *Regium*, ac *Mutinam* Græcis ademisse omnino videtur. Ejus Successor *Foro* etiam *Cornelii*, seu *Imolâ* potitus est. Verum Anno DXC. Mauritius Imperator fœdere icto cum Childeberto Francorum Rege, & valida expeditione in Langobardos facta *Mutinam* rursus, *Altinum*, *Mantuam*, aliasque Urbes recepit. *Vos audisse credimus de Montena, Altino, atque Mantua Civitatibus, quæ Sanctæ sunt Reipublicæ reformatæ*: ita ad Francorum Regem scribebat Romanus Ravennæ Exarchus in Epistola, quæ apud Du-Chesnium legitur Tom. I. Scriptorum Francicorum. At heic pro *Montena* scribendum *Mutina*, aut *Motina*, uti barbaris temporibus loqui amabant nonnulli. In altera Epistola à Mauritio ipso Augusto ad Childebertum Regem eodem Anno data legimus: *Deus pro sua pietate Mutinensem Civitatem nos pugnando ingredi fecit, pariter & Altinonam, & Mantuanam Civitatem*. Per aliquot annos Græcis paruerunt *Mantua*, *Brixillum*, *Mutina*, *Cremona*, aliaque loca; at sub Agilulpho Rege hæc omnia in ditionem Langobardicam redierunt, quæ gentis fortuna à Græcis pejora timentibus pacem tamdem extorsit. Tunc ergo statutus est finis inter Langobardos & Græcos, his *Bononiæ*, ac *Ferrariæ*, illis *Mutinæ*, *Regio Lepidi*, ac *Mantuæ* dominantibus. Et diu quidem stetere ejusmodi fines: vix enim aliam in hisce partibus rerum conversionem per multos deinde annos factam novimus, nisi quod sub Rothari Rege ad fluvium Scultennam (nunc *Panaro*) memorabili prœlio fusi ac attriti sunt Græci. Tempore tantùm Liutprandi Regis, renovato acriter bello, *Ravennam* ipsam cum aliis Exarchatus Urbibus Langobardi sibi subdiderunt. Superest adhuc *Bononiæ* antiqua Inscriptio in marmoreo vase, ubi Liutprandi tunc ibi dominantis mentio habetur, ut apud Malvasiam videre licet in Marmor. Felsin. Section. 4. Cap. 10. Pippinus exinde Francorum Rex ad preces Stephani II. Papæ Italiam ingressus, Aystulphum Regem ad restituenda Romano Imperio ablata adegit. Promissis non stetit Aystulphus: quare Pippinus in Italiam regressus vi armorum Langobardos fidem solvere coëgit, ipsumque Exarchatum non amplius Græco Augusto restituit, sed Apostolicæ Sedi dono dedit. Quum vero Provinciam illam iterum Desiderius Rex invasisset, non eam solùm recuperavit Carolus Magnus, sed Desiderium ex ipso quoque Regno Langobardorum dejecit.

Hæc rerum series. Atque ex his intelligas, quousque regnantibus Langobardis se protenderent fines *Exarchatus*. Samodia torrens Græcorum agrum à Langobardico discriminabat, nisi quod per aliquot annos *Bononia* & *Forum Cornelii* (nunc *Imola*) paruere Langobardis. Quum Zacharias Romanus Pontifex Ravennam progressus, duos ad Liutprandum Regem Legatos misisset, suum ei adventum significaturos, isti *Imolensem* agrum ingressi, ab Anastasio in Vita ejusdem Pontificis dicuntur intrasse *Langobardorum fines*. En ejus verba. *Qui viri ingressi in finibus Langobardorum in Civitatem, quæ vocatur Imola*, &c. Contra si quis petat, quales forent fines Exarchatus, sive Provinciæ illius, quam Pippinus Ecclesiæ Romanæ tradidit, Carolus vero Magnus confirmavit, hocce responsum habeat. Hoc mihi certum est, certumque omnibus futurum, *Placentiam* videlicet, *Parmam*, *Regium*, & *Mutinam* minime ea donatione fuisse comprehensas; illasque saltem Urbes in Italico Regno jamdiu inclusas, integras cum agro suo perseverasse in ditione Regum Italiæ. Mirum est, quei temporibus nostris reperiantur, qui in tanta luce tenebras adhuc venditare velint. Sed quid non facit contendendi ardor? Ut reliqua monumenta prætercam, perpende Caroli Magni Testamentum, Anno DCCCVI. conditum, & à Baluzio Tomo I. pag. 439. Capitular. Regum Francorum, atque in Parte II. Tom. I. Rer. Italicarum editum: inde enim evidenter elucere potest, *Regium* ac *Mutinam* Italici Regni portionem, & à Terris Sancto Petro donatis, prorsus exclusa fuisse. Inclytus ille Imperator Pippino Regi filio suo *Italiam, quæ & Langobardia dicitur*, possidendam tradit. Tum hujus Regni divisionem facit (si fortè sine liberis decedat) unamque portionem hisce verbis delineat: *Ab ingressu Italiæ per Augustam Civitatem, Eborejam, Vercellas, Papiam, & deinde per Padum fluvium termino currente usque ad fines Regiensium, & ipsum Regium, & Civitatem Novam, atque Mutinam usque ad terminos Sancti Petri*. Ergo imperante Carolo Magno percurrebat Italicum Regnum ultra *Mutinam*, ad cujus agri fines erant termini *Sancti Petri*. Sed quando apertissima hæc verba in alium torquere sensum nunc audent aliqui, ut suæ caussæ omnia vel invita accommodent, nihil amplius restat; quod à Criticorum stribiligine sibi timere non possit. Alterum hujus veritatis, & illud etiam luculentissimum, documentum attuli in Capitulari Lotharii I. Augusti *de Doctrina*, quod ex MSto antiquissimo Codice Cathedralis Mutinensis jam edidi in eadem Parte II. Tomi I. Rer. Italicarum. Ibi Lotharius ad Literas excolendas *Regni Italici Urbes* excitat, & in hanc rem Scholas publicas statuit. Inter ejusmodi Urbes *Placentiam*, *Parmam*, *Regium*, ac *Mutinam* recensitas vide. Et sane cur ex Italico Regno, in quo tamdiu fuerant, hasce Civitates Carolus avelleret? Neque illæ tantum ad idem Regnum à diuturno tempore spectabant, sed etiam nihil amplius juris in illas reliquum erat Græcis, postquam pax inter Langobardos & Græcos stabilita legitimam effecerat in eas Urbes Langobardorum Principum ditionem. Itaque eas dumtaxat *Æmiliæ* ac *Flaminiæ* Civitates Pippinus & Carolus Ecclesiæ Romanæ dono dederunt, quibus Græci imperaverant usque ad tempora Liutprandi quæ tunc *Exarchatum* constituebant.

vis idem Liutprandus, Aistulphus, ac Desiderius *Bononiam*, *Forum Cornelii*, ac alia loca ex eodem Exarchatu ademissent, antiquos tamen fines restitutos Franci Reges voluere, hoc est fluvium Samodiam inter Bononienses, ac Mutinenses decurrentem. Quod etiam constat ex Epistola LIV. Codicis Carolini, in qua conqueritur Adrianus Papa, scribens ad Carolum Magnum, quod Archiepiscopus Ravennas invasisset *diversas Civitates Æmiliæ*, antea à Pippino, atque ab ipso Carolo Romanæ Ecclesiæ traditas, scilicet *Faventiam*, *Forum Populi*, *Cæsinas*, *Bobium*, *Comiaclum*, *Ducatum Ferrariæ*, *seu Imulas*, *atque Bononiam*. Nullam heic mentionem habes *Mutinæ*, *Regii*, *Parmæ*, *Placentiæ*. Cur quæso? nisi quia ab antiquo tempore ad Italicum Regnum pertinentes, eas in sua ditione retinuerat Carolus, neque eas Ecclesiæ Romanæ donaverat. *Pentapolim* quoque Stephano III. Papæ dono datam à Pippino Rege, tentarat Archiepiscopus; verùm Pontifex scribit, eas Civitates in obsequio Romanæ Sedis firmas constitisse. Nihil tale de quatuor iis Urbibus memoratum videas. Præterea quales essent fines & Urbes Exarchatus circiter Annum Christi DCCX. edocere nos possunt Agnelli Ravennatis Historici verba Tom. II. Part. I. Rer. Italicar. pag. 161. Floruit ille (quod reminisci juvat) Sæculo Christi Nono, & quidem ineunte. Narrat ille Ravennatium seditionem contra Justinianum Constantini Pogonati successorem, & in eum insurgentes Exarchatus Urbes. En quæ ibi recensentur: *Sarxena*, *Cervia*, *Cesena*, *Forum Popilii*, *Coloni Portus Candiani*, ubi Classis Civitas, *Forum Livii*, *Faventia*, *Forum Cornelii*, *Bononia*. Hic antiquus Exarchatus, Romanæ postea Ecclesiæ à Regibus Francis dono datus. Enumerantur etiam ab Anastasio, seu quisquis ille sit vetustissimus Auctor, in Vita ejusdem Stephani II. Civitates Exarchatus, & Pentapoleos à Pippino donatæ; neque ullum de quatuor prælaudatis Civitatibus verbum occurrit. Verum an subsequutis temporibus esse perrexerit Exarchatus Ravennæ in plena ditione Romanorum Pontificum, an potius cum Italico Regno deinde conjunctus fuerit, quodve jus in eam regionem exercuerint olim Imperatores ac Italiæ Reges; hæc jam expendi in Pleniori Expositione Jurium Cæsareorum, ac Estensium *in Comaclum*. Et præterquamquod multa sunt, quæ persuadeant, excidisse per plura Sæcula Romanam Ecclesiam è possessione ac dominatione Exarchatus, ne satis quidem compertum habemus, quibus olim pactis & conventionibus, Pippinus & Carolus Magnus ipsum Exarchatum Romanis Pontificibus concesserint: certe non eo supremo jure, quod nunc Apostolica Sedes exercet, & ut in perpetuum exerceat, optandum est. Obiter heic tantummodo animadvertam, in Diplomate Caroli, ut videtur, Crassi, Anno DCCCLXXXI. in Chronic. Farfens. Part. II. Tomi II. Rerum Italicarum, pag. 381. confirmari bona Cœnobii Farfensis *tam in Langobardia*, *quàm in ROMANIA*, *seu in Tuscia*, *& in Ducatu Spoletano*. Heic vides *Romaniam* (nunc *la Romagna*) nihil à *Tuscia* & *Spoletano Ducatu* distingui; certumque est spectasse ad Italiæ Regnum Tusciam & Spoletum. Ergo cur non & *Romania* spectarit? Idem legas & in Præcepto Lotharii I. Augusti, Anno DCCCXL. pag. 389., & in altero Caroli Calvi Imperatoris, Anno DCCCLXXV., quæ itidem ibi evulgata reperies.

Dimisso Exarchatu, transiliamus ad aliam Italici Regni portionem, hoc est ad *Ducatum Spoleti*, insignem latamque regionem, & ipsam à Langobardis Italiam ingressis mature occupatam. Cis Apenninum olim *Pentapolis* extra Regnum jacuisse; aliquando intra ipsum comprehensa videtur. Tum per litus Hadriaci freti excurrens Regnum *Beneventano Ducatui* versùs Orientem conjungebatur. Ad Meridiem vero ultra Apenninum finitimi fuere *Ducatus Tusciæ*, portio Italici Regni, & *Ducatus Romanus* inde semper exclusus. In primis Langobardorum progressibus veri videtur simile, unicam *Umbriæ* provinciam constituisse *Ducatum Spoletanum*: verùm procedente tempore majora in dies incrementa cepit, vicinis Urbibus ad deditionem coactis. *Spoletum*, *Camerinum*, & *Firmum*, ejus præcipuæ Urbes olim fuere. Ex Anastasio Bibliothecario in Vita Zachariæ Papæ colligimus, *Marsicum*, *Forconam*, *Balvam*, & *Pennam* in eodem Ducatu inclusas. Is enim auctor est, Trasimundum Spoletanum Ducem à Liutprando Rege defecisse, conjunctumque cum Romanis, ad quos se se contulerat, Anno DCCXLII. *per duas partes in Fines Ducatus Spoletini* penetrasse: eidem verò *se subdiderunt Marsicani*, *& Forconini*, *atque Balvenses*, *seu Pennenses*. Addit, eumdem Papam progressum *in locum Interamnensium Urbis*, *ubi in finibus Spoletinis ipse residebat Rex*. Quibus ex verbis, uti & ex sequentibus intelligimus, ad Spoleti Ducatum spectasse olim Civitatem *Interamnem*, nescio num nunc *Terni*, an *Teramo*. Idem de *Sabinensi* regione, & de Civitate *Narnia* dicendum, ubi Papam Zachariam Liutprandus excepit. Præterea uti ex eodem Historico habemus, memoratus Rex *Sabinense Patrimonium*, *Narniense etiam*, *& Auximanum*, *atque Anchonitanum*, *nec non & Numanatense* (hoc est Civitatis Numanæ, quam alii Humanam appellarunt, Codicibus in alterutrius appellatione corruptis) *& Vallem*, *quæ vocatur Magna*, *sitam in territorio Sutrino per donationis titulum ipsi beato Petro reconcessit*, *& pacem cum Ducatu Romano ipse Rex in viginti confirmavit annos*. De unis *Patrimoniis*, idest prædiis & agris, aut restitutis aut dono datis, heic agitur; ac proinde Urbes, ubi sita hæc erant, ad donantem, simulque ad Spoletanum Ducatum spectabant: quod etiam ostendi potest de *Reate*, *Amiterno*, & *Asculo* Civitatibus. Complectebatur insuper Ducatus iste *Sabinensem Ducatum*, sive Provinciam, si non integram, magnam certe ejus partem: cujus rei testem habemus Diploma Caroli Magni datum Anno DCCLXXIV. in Chronico Farfensi legendum Part. II. Tomi II. Rerum Italicarum. Ibi enim dicitur situm Cœnobium Farfense, *quod vocatur Acutianus*, *in Ducatu Spoletano*, *vel fundato in territorio Sabinensi*. Placitum quoque vide in eodem Chronico pag. 354. memoratum, habitumque Carolo Magno imperante, circiter Annum Christi DCCCI. coram Guinigiso Spoletano Duce. De illius Cœnobii Monachis conquerebatur Goderisius quidam, inquiens: *Isti Monachi de Monasterio Sanctæ Mariæ comprehendunt substantiam meam in Spoleto & Interamni*, *seu Fulginea contra legem*. Ergo *Interamna* & *Fulgineum* in illius jure erant, à quo justitia ministranda fuit. Omitto reliqua amplissimi illius Ducatus vestigia, quæ quisque petere poterit ex aliis veterum Chartis infra edendis, ac potissimum ex

Dis-

Dissertatione Chorographica prælaudati Clarifs. viri Domni Gasparis Beretti. Palam nunc fiat, provinciam quoque *Pentapolis* eidem Ducatui fuisse aliquando subnexam. Regnante Desiderio Langobardorum Rege, ut habet Anastasius in Vita Stephani IV. (seu potius Tertii) vitâ functo Sergio Archiepiscopo Ravennate, *Michaëlius Scriniarius ipsius Ecclesiæ, profectus Arimino ad Mauricium Ducem Ariminensem*, ejus *brachio forti* Ravennatem Cathedram conscendit. Pro Langobardorum Rege dominatus videtur Arimini Mauricius Dux Langobardus. Verùm, ut supra vidimus, Pippinus Francorum Rex prælaudato Stephano III. Papæ *Pentapolim* contulit, eamque Apostolicæ Sedi tum ante, tum post dejectum Desiderium Regem, Carolus Magnus omnino confirmasse videtur. Procedente tamen tempore alia rerum facies se nobis exhibet. Legitur apud Ughellium in Catalogo Episcoporum *Firmi* Tom. 2. pag. 736. Italiæ Sacræ, Charta magni facienda, quam *Theodosius illius Urbis Antistes* conscribendam jussit Anno DCCCLXXXVII. *consensu consilioque omnium venerabilium Episcoporum in DUCATU SPOLETANO degentium*. Quinam vero fuere Episcopi illi? Ex ipsorum subscriptione patebit, desideratis tamen *Ariminensi*, *Forosempronienſi*, & aliis. *Johannes Esculanus Episcopus*: *Benolergius Anconitanus*: *Celsus Camarinensis*: *Beneventus* (sive *Benevenutus*) *Senogalliensis*: *Americus Spoletanus*: *Romanus Fanensis*: *Laurentius Pisauriensis*: *Robertus Humanensis*: *Debaldus Perusinus*: *Petrus Auximanus*: *Ricardus Reatinus*: *Adelardus Calliensis*: *Albertus Lodonensis*: (Typographi aut Librarii inscitiâ corruptum certe nomen) *Albertus Urbinensis*: *Severinus Nuceriensis*: *Bartholomæus Foroliviensis*: *Rugerius Teramnensis*. Quod est ad *Foroliviensem* Episcopum, in Charta vitium aliquod latet. Civitas enim hæc ad Spoletanum Ducatum numquam pertinuit. Ughellius idem statuit ad eumdem Annum DCCCLXXXVII. *Rogerium Episcopum Foroliviensem*, non verò *Bartholomæum* eidem Chartæ Theodosii Firmani subscribentem, Tom. 2. Italiæ Sacræ. Quod mirere, Tom. I. in Episcopis Aprutinis, sive Interamnensibus, *Rogerium* nobis exhibet *Interamnensem Episcopum* (*di Teramo*) eidem Chartæ Firmanæ subscribentem. Vide etiam Chartam pag. 806. Chronic. Casauriens. Anno DCCCLXXIV. scriptam, ubi *diversa loca in Spoletinis*, idest complures Civitates Spoletani Ducatus enumerantur. In hisce totam ferme delineatam conspicis imaginem Spoletani Ducatus Sæculo Nono, cui tamen ex aliis monumentis multa sunt, quæ adjiciantur. Atque ita se res habebat Anno DCCCLXXIV. & DCCCLXXXVII. Qua autem ratione Sæculo Nono Spoletanus Ducatus, qui Italico Regi adhuc suberat, *Pentapolim* ipsam, donatam antea Ecclesiæ Romanæ, complecteretur, aliis inquirendum relinquo. Ejusdem verò Ducatus vel antiquis temporibus facta fuit divisio, atque inde efformata *Marchia Camerini*, quæ tamen una cum Spoleto uni atque eidem Principi consuevit olim regenda tradi. Apud Liutprandum Histor. Lib. 2. Cap. 18. memoratur *Bonifacius Comes potentissimus Camerinorum ac Spoletinorum Marchio*. Idem de *Uberto* & *Hugone* Ducibus legas. Reperitur etiam *Marchia Firmi*, & *Marchia Guarnerii*, sive *Anconitana* serius nata, cujus adhuc appellatio durat, & de qua sermo recurret. Portiones istæ fuerunt ejusdem Spoletani Ducatus.

Sed petat aliquis: nonne in Adriani I. Papæ gestis apud Anastasium hæc donata Ecclesiæ Romanæ à Carolo Magno legimus cum suis finibus: *A Lunis cum Insula Corsica; deinde in Suriano: deinde in Monte Bardone; deinde in Verceto: deinde in Parma: deinde in Regio: & exinde in Mantua, atque Monte Silicis; simulque & universum Exarchatum Ravennatium, sicut antiquitus erat, atque provincias Venetiarum, & Histriam, nec non & cunctum Ducatum Spolitinum, & Beneventanum?* Si hæc vera sunt, jam Anno Christi DCCLXXIV. Italici Regni pars desiit esse *Ducatus Spoletanus*. Paucis respondeo. Interpolatus sit locus ille Anastasii oportet, quum donationi tam amplæ ac magnificæ, quæ omnem fere Italiam complexa fuisset, adversentur Historiæ, & monumenta quæque veteris ævi. Prodiisse autem commentum istud Sæculo tantùm Undecimo, justa suspicandi ratio est: tunc enim Normannis consentientibus, Romani Pontifices jus sibi quæsierunt in Beneventanum Ducatum, qui postea evasit Regnum Neapolitanum. Certe sub Italiæ Regibus per longa tempora perrexerunt esse Italici Regni Provinciæ *Venetia*, *Histria*, & *Ducatus Spoletanus* ac *Beneventanus*; neque in ditionem Ecclesiæ Romanæ transierunt. Immo Exarchatus ipse ac Pentapolis, quæ à Carolo Magno Adriano I. tradita revera videntur, post aliqua tempora pendere ab Italico Regno deprehenduntur, iisque dumtaxat è concessione Rodulphi I. Romanorum Regis sub finem Sæculi Tertii decimi Ecclesia Romana potiri & frui rursus cœpit. Sed fusius de his actum est in Pleniori Expositione Jurium Comacli. Quod tamen omittendum non est, in Diplomate Ludovici II. Augusti ad Annum DCCCLXXIV. spectante, quod habes in Chronico Casauriensi Part. II. Tomi II. Rerum Italicarum pag. 811. *Spoletinus Ducatus* distingui videtur à *Camerino*, *Firmo*, à *Pentapoli*, aliisque Urbibus. En verba: *Per totam Pentapolim, Tusciam, & Spoletinum Ducatum, atque Camerinum Comitatum, nec non etiam Firminum, Ascolinum, Aprutinum, Penninum, seu Teatinum territorium*. Verùm hæc ita concepta sunt, ut ab eodem Ducatu minime exclusa videantur, quum potius Urbes illæ enumerentur singillatim tamquam comprehensæ in eodem.

Quum verò multa intercesserint bella inter Reges Langobardos, & Græcos, hinc Exarchatus Ravennatis, inde Romani Ducatus diu possessores: immutati propterea interdum fuere Spoletani Ducatus ultra Apenninum fines, prout armorum favor ferebat. Idemque factum de *Tuscia Langobardorum*, cujus fines in ipsum Romanum Ducatum propagati interdum fuere. Narrat Paullus Diaconus de Gestis Langobardor. Lib. 4. Cap. 8. Patricium Exarchum recuperasse quasdam è Civitatibus, *quæ à Langobardis tenebantur, quarum sunt nomina, Sutrium, Polimartium, Horta, Tudertum, Ameria, Perusia, Luceolis, & alias quasdam Civitates*. Nihil moratus est Agilulphus Rex, lectisque copiis Civitatem *Perusiam petiit, ibique per dies aliquot Mauricionem Ducem Langobardorum, qui se Romanorum partibus tradiderat, obsedit, & sine mora captum vitâ privavit*. Hinc videas, *Perusiam* iterum Langobardis paruisse. Integro post Sæculo Liutprandus Rex *Sutrium* recepit, quod & rursus Romanis

manis restituit. Subinde *ab eodem Rege*, ut refert Anastasius Bibliothecarius in Vita Zachariæ Papæ, *ablatæ sunt à Romano Ducatu Civitates quatuor, idest Ameria, Horta, Polimartium*, & *Blera*. Pro Græcis intercessit Gregorius III. Papa, & hac de re scripsit ad omnes Episcopos commorantes *in Tuscia Langobardorum*, ut ex ejus literis constat editis ab Illustrissimo Fontaninio Archiepiscopo Ancyrano in Lib. de Antiquitat. Hortæ pag. 185. Eas tamen Urbes recuperavit deinde Zacharias Papa Gregorii successor, ex cujus Vita intelligimus, *Castrum* quoque *Viterbium*, postea Civitatem Episcopalem, in Tuscia Langobardorum fuisse comprehensum. Quæ unica notio satis est ad indicandum, quousque Langobardi fines suos amplificarint versus Ducatum Romanum. Huic Urbi miram antiquitatem conciliare quidam nuper conatus est, sed somniis tantum adhibitis. Suspicor ego à Langobardis Castro illi recenti nomen inditum fuisse, quod olim in Germanica Lingua usitata foret vox *Biderve* ad significandam quamcumque rem fortem, aptam, & bene compositam. *Castrum Biderve*, deinde *Biderviun*, *Bitervium*, *Viterbium* evaserit; istæ enim literæ facile commutantur. Vide infra Dissert. XXXIII. *de orig. vocum Linguæ Ital.* Atque ex his intelligas, corruptum esse locum Anastasii Bibliothecarii (sive quisquis ille sit Auctor) in Vita Gregorii II. Papæ. Ibi legitur Tiberium cognomento Petasum, Græcum hominem, inhiasse ad Romanum Imperium, & leviores quosque ab eo ita deceptos in Tuscia Romanorum, *ut Manturianenses*, *Lunenses*, *atque Bledani ei sacramenta præstiterint*. Exarchus vero hæc audiens, Romanis junctus, in seditiosum hominem irruens, eum è medio sustulit. Acta hæc circiter Annum DCCXXX. Sed quis locus heic *Lunensibus*, quum certo certius sit, Lunensem Civitatem in Liguria sitam Langobardis paruisse? *Bleda* (seu potius *Blera*, nunc *Bieda*) & *Maturanum*, sive *Maturianum* (nunc ut creditur, *Barberano*) non autem *Manturianum*, oppida fuere Tusciæ Suburbicariæ, nunc sita in provincia Patrimonii, atque ad Ducatum Romanum pertinebant. Veri omnino simile est, conterminos hisce fuisse qui *Lunenses* supra dicuntur, sed facilè pro *Lunenses* quodquam aliud nomen esse illic scribendum. Quod verò attinet ad tempora subsequuta, nihil aliud memorabo, nisi Placitum ad Monasterium Farfense spectans, quod Anno MXIV. habuit Rainerius Dux & Marchio Tusciæ *in Turri de Corgnito*. Sita hæc est in Provincia, quam nunc appellant Patrimonium Sancti Petri: quumque ibi jus diceret ille Marchio, hinc perspicuum est, eam regionem ad Marchiam Tusciæ olim pertinuisse. Vide idem Placitum in Chronico Farfensi Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 525. Præterea alterum Placitum vide pag. 575. ejusdem Chronici habitum *infra Civitatem de Corgnito* (nunc *Corneto*) ab *Adalberto Misso Domni Bonifacii Ducis & Marchionis*, qui itidem Tusciæ Dux & Marchio pro Romano Imperio præerat.

Postrema portio, sed nobilissima atque amplissima, Regni Italici ad Orientem, fuit *Ducatus Beneventanus*. Pertingebat ipse ad Occidentem Ducatum Spoletanum hinc, & inde Romanum. Complectebatur ad Boream totam *Apuliam*, simulque Civitates *Baris*, *Brundusii*, ac *Taranti*, quum Hydruntum, magnamque Calabriæ partem, aliasque maritimas Urbes Græci à Langobardorum impetu illæsas servassent. Civitates quoque *Neapolis*, *Cajetæ*, *Surrenti*, aliæque aut conterminæ aut subjunctæ ad Meridiem in Græcorum ditione perstiterunt. Reliquum regionis illius, quæ nunc Regnum Neapolitanum conficit, Langobardos dominos agnovit. Ac propterea quæ provincia nunc appellatur *Terra Laboris* cum præstantissima Urbe *Capuæ*, incipiendo à Castro *Aquini*, *Nolam* usque, ac inde paucis maritimis Urbibus dimissis, pergendo *Salernum*, tum non interrupto itinere per oram maris *Cusentiam* usque, hæc omnia vastissimum Beneventi Ducatum constituebant. Hac de re legendus Tractatus *de Ducatu Beneventano*, quem edidit egregius illarum partium scriptor Camillus Peregrinius in Opusculo edito Tom. V. Rerum Italicarum. Sed quæ sunt vices humanarum rerum, Anno DCCCLI. ut diuturno bello finis fieret, Ludovicus II. Imperator, teste Erchemperto, Leone Ostiensi, & aliis, *totam Provinciam Beneventanam inter Radelchim & Siconulphum æquo jure partitus est*: unde *Salernitanus Principatus*, à quo Capua cum Meridionali parte divisæ regionis pendebat, conflatus est. Divisa subinde fuit & hæc portio, atque efformatus *Capuanus Principatus*, cujus Principes *Comites* appellati illustrem locum in Historia antiqua invenerunt. Sic *Marchia Teatina* occurrit in veterum monumentis, quæ fortasse coaluit ex portionibus Beneventani Ducatus, simulque Spoletani, ut reliquas minoris momenti sectiones prætercam, ac potissimum factas tempore Nortmannorum, qui post Annum Christi Millesimum novi illic Regni fundamenta jecerunt, numquam amplius convulsa.

Atque hæc sit brevis imago Italici olim Regni, quod primo quidem per clades ac incendia à Langobardis, longe lateque suas victorias proferentibus, constitutum est; tum vero mansuescentibus iis Populis, eorumque Regibus, simul etiam reparatis Civitatibus, ac Legibus munitâ re publicâ, reflorescere iterum cœpit. Atque heic res posceret, ut inter alia monumenta illud in primis memorarem, quod Eruditi non pauci, & vel ipsi Carolus Sigonius meus, & Paullus Manutius, ac Janus Gruterus, homines alioquin emunctæ naris, laudarunt, & tamquam legitimum fœtum in suis celebravere Libris. Hoc est *Edictum Desiderii Regis Langobardorum* ad Grimoaldum Comitem Viterbii, ubi is enumerat quamplures Tusciæ Langobardicæ Urbes ac Oppida, à se aut restaurata, aut amplificata, aut à fundamentis erecta, præcipiens insuper, ut alia reficiantur, seque ob tot insignia opera ad cælum attollens. Ejus exordium tale est: *Revocamus statuta Regis Aistulfi contra Vetulonos edita* &c. Famosum hoc monumentum marmore inscriptum Viterbii adhuc visitur, immo & nostris temporibus patronum, si Superis placet, invenit Virum quemdam bonum. Verùm nemo amplius ex Eruditis me monitore indiget, ut discat, Edictum ejusmodi plane insulsum jam fuisse amandatum inter imposturas recentiorum Sæculorum. Veri simile olim mihi videbatur, tribuendam illius originem famoso falsario Fratri Annio Viterbiensi, qui primus Tom. I. pag. 564. de Antiquit. Ital. illud edidit. Sed sunt, qui antiquius putant. In hoc autem commentum etiam invectus fuit doctissimus vir, mihi sæpe laudatus, Domnus Gaspar Berettus Mo-

Monachus Benedictinus. Ego quoque infra in Dissert. XXVII. *de Monetis*, ubi de Nummis Bononiensibus sermo erit, imposturæ huic diem dicam, prodito vero auctore Oppidi Petræsanctæ. Ignorabat hoc Annius, seu quisquis ille fuit spurii monumenti auctor, & fidentissime *Sergiunum* & *Petramsanctam* à Desiderio ædificata confinxit. At fabulis hisce dimissis, aliunde jam constat, non paucos ex Regibus ac Principibus ejusdem Nationis reliquisse illustria suæ munificentiæ vestigia, cum sacra, tum profana, quantum tulit eorum temporum rudis ac depressa conditio.

Ceterum *Langobardiæ* nomine olim etiam Italicum Regnum appellari cœptum est. Continuator Fredegarii inter Opera Gregorii Turonensis, pag. 639. ad Annum DCCLIV. narrat, exercitum Francorum contendisse *ad partes Langobardiæ per Lugdunum*. Carolus quoque Magnus in Testamento supra laudato nominat *Italiam, quæ & Langobardia dicitur*. Idem Rex in uno ex suis Capitularibus apud Baluzium Tom. I. pag. 450. hæc habet: *Similiter direximus Missos in Aquitaniam, & in Langobardiam*. Hoc idem & alii. Ita *Avariam* & *Hungariam*, hoc est Avarum, sive Hungrorum patriam Pannoniam appellarunt, & *Burgundiam* Burgundionum in Gallia sedem. Ditmarus vero aperte sub *Langobardiæ* appellatione *Tusciam* quoque complectitur, ad Annum MXIV. Lib. 7. Chronic. scribens: *In Langobardia Saraceni navigio venientes, Lunam Civitatem, fugato Episcopo, invadunt*. Atque ita quidem olim factum, sed non constanti significatione vocis; nam & interdum pressius accepta est appellatio illa, ut exprimeretur tantum regio, quæ nunc temporis *Lombardia* dicitur, & inter Alpes ac Apenninum sita protenditur usque ad fines Mutinensis, ac Mantuanæ ditionis. In Farfensis Monasterii Chronico, quod publici juris feci Part. II. Tom. II. Rer. Italicar. pag. 380. legitur Diploma *Caroli Imperatoris*, quo eidem Cœnobio confirmantur, quæcumque possidet *tam in Longobardia, quàm in Romania, seu in Tuscia, & in Ducatu Spoletano*. En ut à Langobardia excluditur Tuscia, ac Spoletanorum ditio. Notandum autem heic, Gregorium Monachum Auctorem Chronici Farfensis in promendo hoc Diplomate deceptum fuisse, quum illud Carolo Magno tribuat, quod tribuendum Carolo Crasso fuerat. *Inquirini Notarii* nomen, uti & *Liudvardi Archicancellarii*, simulque *Indictio XIV*. indicant ibi Annum DCCCLXXXI., quod etiam manifestius patebit ex collatione aliorum Diplomatum, quæ in eodem Opere ego producam. Jampridem vero Lotharius I. Augustus Farfensi Cœnobio confirmarat jura posita *infra Italiam, Tusciam, & Romaniam*. Et Carolus Calvus alio Diplomate à publicis oneribus immunia Farfensis ejusdem Cœnobii bona decrevit, *tam in Longobardia, quàm in Normania* (scribo & corrigo *in Romania*) *seu in Tuscia, & in Ducatu Spoletano*. Ita sensim contracta est *Langobardiæ* appellatio ad eam tantummodo regionem, quam supra innui, ac præcipue sub Friderico I. hic usus invaluit ex *Societate*, seu *Fœdere Lombardorum*, de quo erit alius loquendi locus. Sunt tamen, qui Genuensium ditionem inter ipsos angulæ hujus Langobardiæ fines concludunt. Unum adferam Ottonem Tilberiensem (floruit is circiter Annum Christi MCCX.) in Libro, cui titulus *Otia Imperialia*, edito à Leibnitio, Tom. 2. pag. 769. Script. Brunsvicensium. Ejus sunt verba: *Lombardia à Meridie Mari nostro, à Borea mari Adriatico terminatur, cujus initium Verona, finis Janua, medietullium Mediolanum* &c. Denique, ne hoc omittam, fuit & Græcis in more, Ducatus Beneventani partem, ac præcipue Apuliam, *Langobardiæ minoris* vocabulo peculiari designare. Memorat Leo Ostiensis in Chronico Casinensi Lib. I. Cap. 49. Symbaticum *Imperialem Protospatarium, ac Strathegum Macedoniæ, Thraciæ, Cephaloniæ, atque Langobardiæ*. Proinde hinc factum, ut in Chronographia Tripartita, quam collegit, ac Latio donavit Anastasius Bibliothecarius, hæc verba occurrant de Irene Orientis Imperatrice: *Misit Johannem Sacellarium & Logothetam in Langobardiam una cum Theodoro dudum Rege majoris Langobardiæ ad ultionem inferendam, si posset, in Carolum*. Sed quis iste *Theodorus*? Nullus umquam fuit hujus nominis Langobardorum Rex. Itaque animadvertendum est, Græcos *Theodori* nomine donasse *Adelgisum*, sive *Adelchim* Desiderii postremi Langobardorum Regis filium, qui Constantinopolim se se receperat. Nempe ipsis in more fuit, ut quadam metamorphosi alienigenas Græcos efficerent. Ita *Bertam* Hugonis Italiæ Regis filiam, *mutato nomine Græce Eudoxiam* dixerunt, uti nos docet Liutprandus Histor. Lib. 5. Cap. 9. Et revera idem de Adelgiso factum, quem *Theodorum*, aut *Theodotum* Græci nuncuparunt. In Historia Miscella, quam habes Tomo I. Rer. Italicar. pag. 167. ita legimus: *Interea Hirene misit Johannem Sacellarium & Logothetam in Longobardiam una cum Adelgiso dudum majoris Longobardiæ Rege, quem illi Theodotum dicebant* (*Theodorum*, ut vidisti, habet Tripartita) *ad ultionem inferendam, si posset, in Carolum*. Viden heic *Langobardiam* à *majori Langobardia* distinctam? Priore vocabulo designari videtur portio illa Beneventani Ducatus, quam supra innuimus; altero integrum Italicum Regnum.

Denique locum suum heic poscit & alia antiquissima divisio Langobardiæ, quia ipsorum Regum Langobardorum ætate facta, hoc est in *Austriam* & *Neustriam*. Francorum quoque Reges Gallias in duo Regna divisere, quorum uni *Neustriæ*, seu *Franciæ Occidentalis* nomen, alteri *Austriæ*, seu *Franciæ Orientalis*, quæ deinde *Austrasia*, fuit. Nomina ista ipsius quoque Caroli Magni temporibus adhuc vigebant: is enim in postremis suis tabulis Carolo filio suo reliquit *Austriam & Neustriam* (lego *Neustriam*) ut constat ex Du-Chesnio, atque Baluzio. Eadem ratione *Austriæ*, seu *Osterrichæ Orientalis* appellatio (*Osterrich* appellabant olim Johannes Villanius, aliique ejus ævi Scriptores Italici) imposita est nobili illi provinciæ Germanicæ, quæ Augustissimæ Familiæ Regnantis Imperatoris CAROLI VI. unde tot nobilissimi Cæsares prodierunt, cognomen dedit, eo quod ipsa esset limes Orientalis Germanici Regni. Itaque sequuti hunc morem Langobardi Reges, appellare & ipsi consueverunt *Austriam* Ducatum Fori Julii ea ratione ducti, quod is ad Ticinensis Regiæ situm Orientalis Regni pars esset: *Neustriam* vero, quæ Occidentem respiciens contingebat fines Francici Regni. Inter Leges Langobardicas apud Lindenbrogium Lib. 2. Tit. 21 de Fidejussoribus Lex 24. Liutprandi his verbis concepta

cepta est: *Si in Istria, aut in Austria fuerit, amittat ipsa pignora, & non habeat facundiam requirendi*. Porro heic non *Istria* legendum, neque enim umquam Langobardis datum est Histriæ provinciam suæ adjungere ditioni, quod solùm contigit Carolo Magno, ejusque filio Pippino. Sed quidem legendum *in Neustria*, ut habet Goldasti Editio, & Codex Estensis, quo ego sum usus in nova Langobardicarum Legum Editione Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum. Ignorabant olim indocti Librarii, quænam umquam foret provincia hæc *Neustria*, & istud præcedentium Scriptorum sphalma putantes, *Istriam* provinciam satis notam ejus loco posuerunt. Pari errore inter Capitularia Editionis Baluzianæ Tom. I. pag. 543. in Lege Pippini Regis Italiæ legitur, *tam in Austria, quàm in Istria*. Legendum & ibi *Neustria*. Vide pag. 120. Editionis meæ. Ceterum quousque se protenderet *Austria* Langobardica, & qui fines forent *Neustriæ*, nemo facile decernat. In hanc rem tantummodo animadvertendus est locus Paulli Diaconi de Gestis Langobardor. Lib. V. Camp. 39. ubi narrans rebellionem Alachis Ducis Tridentini contra Cunibertum Regem, ipsumque è Ticino dilapsum scribens, postea subdit: *Per Placentiam in Austriam rediit, singulasque Civitates partim blanditiis, partim viribus, sibi socias adscivit. Nam Vicentiam veniens* &c. *Inde exiens Tarvisium pervasit, pari modo & reliquas Civitates* &c. Atque hinc Aquileja olim appellata *Austriæ Urbs*; sicuti & *Forum Julii*, nunc *Cividal di Friuli*, nomen interdum tulit *Civitatis Austriæ*, hoc est Civitatis Orientalis.

# DE IMPERATORUM ROMANORUM, AC REGUM ITALICORUM ELECTIONE DISSERTATIO TERTIA.

# DISSERTATIO TERTIA.

ULtra duo Sæcula in ditione Langobardorum ſtetit Italiæ Regnum; tum iis debellatis Anno Chriſti DCCLXXIV. paruit regio hæc inclyto Principi Carolo Magno Francorum Regi, qui Anno demum DCCC. Romanorum quoque Imperator renuntiatus fuit. Exinde vero omnes ferme Italici Reges Coronam quoque Auguſtalem ſortiti ſunt. Celebris autem quæſtio inter Eruditos agitata eſt, & adhuc ſub Judice pendet, quid ſplendoris, quid auctoritatis Carolo Magno, ejuſque ſucceſſoribus olim attulerit Cæſarea dignitas. Nonnullis ea ſententia ſedit, nihil aliud importaſſe illam, niſi Titulum, glorioſum quidem, ſed nudum, hoc eſt, nullam ei collatam ditionem in Romam, quamquam *Romanorum Imperator* appellaretur. Sentiunt alii, partum ea ex dignitate Carolo non ſolùm jus legitime retinendi Regnum illud, quod inique Langobardi Græcis Imperatoribus uſurparant; ſed etiam jus legitime invadendi atque occupandi provincias, *quæ ad Imperium Occidentis pertinebant, à Græcis, aut ab aliis poſſeſſæ. Erant vero Apulia, Calabria, Sicilia, Neapolis, Illyricum, Candia, Dalmatia, Cyclades Inſulæ.* Ita celebris noſtrorum temporum Scriptor. Ad primum tamen quod attinet, utique Principi tunc omnium in Europa potentiſſimo id nullius momenti fuiſſet; alterum verò à recti linea exorbitaſſet. Licuerit Leoni III. Pontifici, Populoque Romano, juſtas, ut puto, cauſſas habentibus, ſe Græcorum ditioni ſubtrahere, novumque ſibi Imperatorem ſtatuere: at numquid licuit illis auferre Auguſto Græco Catholicam Religionem profitenti reliquas etiam provincias, juſto titulo ab eodem poſſeſſas, & nulla ratione ad Romanum Ducatum, aut ad Occidentis Imperium ſpectantes? Si male conſuta hæc imaginatio pondus heic habere poſſet, fas etiam Carolo novo Auguſto fuiſſet, occupare Orientali Monarchæ Conſtantinopolim, ac ceteras Europæ ac Aſiæ provincias eidem ſubjectas, nam & ea omnia Imperio olim Romano parebant: quod quis concoquere poſſit? Itaque veritatem propius contingat, qui præter titulum Imperatorium, conlatam quoque putet Carolo Magno ſupremam dominationem in Romam ipſam, ejuſque Ducatum, utili dominio Summis Pontificibus conceſſo, qui procedente tempore ſupremum etiam jus inibi ſunt adepti. Latius argumentum hoc egomet verſavi in *Pleniori Expoſitione Jurium Cæſareorum ac Eſtenſium in Civitatem Comacli*: quare innuiſſe rem contentus, ad alia progredior. Quod Romani Imperii renovatio ſub Carolo Magno nihil auctoritatis pepererit Occidentalibus Auguſtis in Regna Galliarum atque Germaniæ, multa ſunt, quæ perſuadent. Et ſane Provinciæ illæ per tot Sæcula à Romano Imperio ſciſſæ, nihil propterea ſuæ libertatis ac juris deperditum voluerunt; atque in iis dominari, ſuccedere, & cuncta agere perrexerunt Reges jure proprio, ac ſi nullus Romæ legem diceret Imperator. Ne auſim quidem dicere, ipſum Italicum, ſeu Langobardicum Regnum, agnoviſſe ſupremam poteſtatem Romani Cæſaris. Et heic jura diviſa olim fuiſſe videntur. Licèt enim Pippinus Italiæ Rex à patre ſuo

A

Carolo Magno, & Bernardus item Rex à Ludovico Pio Auguſto penderent, eorumque jus ſupremum agnoſcerent, ut ex Diplomatis Edictis, aliiſque ejus ævi monumentis conſtat; attamen hoc accidiſſe credendum, quod Regibus iis traditum fuerit à Carolo & Ludovico Italiæ Regnum, ſed ſervato ſibi ſupremo jure quo illud regebant, uti Francorum Reges, non tamquam Imperatores. Et revera undeviginti Annis, anteaquam Carolus Romanorum Imperator renuntiaretur, Pippinum filium ſuum Italiæ Regem coronavit, ſed ſuprema auctoritate intacta. Quod certum eſt, nonnulli quidem procedente tempore fuerunt Italiæ tantum Reges, non autem Romanorum

B

Imperatores; & contra nemo Auguſtali Corona donatus fuit, quin ſimul Italico Regno fuerit dominatus. Explotatum pariter eſt, nullum jus Italicis olim Regibus fuiſſe in Urbem Romam, ejuſve Ducatum. Creatus Italiæ Rex Ludovicus II. à Lothario Auguſto patre ſuo, Romam profectus eſt Anno DCCCXLIV. ibique à Sergio II. Papa ſacro oleo inunctus, & Regio Diademate redimitus. Anaſtaſio Bibliothecario teſte in Vita Sergii II. tunc petierunt Franci, *ut omnes Primates Romani fidelitatem ipſi Hludovico Regi per ſacramentum promitterent: quod prudentiſſimus Pontifex fieri nequaquam conceſſit*. Permiſit ille dumtaxat,

C

ut Romani fidelitatis juramentum præſtarent *Lothario Auguſto*, non autem ejus filio Ludovico: quum enim hic uni Italico Regno imperaret, nulla ei poteſtas, nullumque jus obvenerat in Romam, ejuſque Ducatum, provinciam nempe Regno Italiæ numquam addictam.

Inquirendum nunc reſtat, num electione Principum, an ſucceſſione ſanguinis poſt Carolum Magnum ad Imperium Romanum, Regnumque Italicum conſcenderetur. De Regno Italiæ vix ulla controverſia intercedere poteſt. Illud ſibi armorum vi conquiſierat Carolus Magnus; ac proinde ex jure Gentium hereditarium effecerat in ſtirpe ſua. Et in hanc procul

D

dubio ad mortem uſque Ludovici II. Auguſti per varios Reges deſcendit, nequaquam expetitis Procerum aut Populorum Italici Regni ſuffragiis. Quod eſt ad Imperatoriam Dignitatem, Hermanno Conrigio in Libr. de German. Imp. Rom. Cap. 7. nonnulliſque aliis videtur, hanc etiam ex hereditate in filios ac nepotes Caroli Magni tranſiiſſe. Verùm ſententia ejuſmodi explicatione ac limitatione indiget. Ipſum quoque Francorum Regnum ex proſapia Pippini & Caroli primorum Regum aſſumere ſibi Principem conſuevit ac debuit;

E

ad hunc tamen Regium Succeſſorem declarandum non ſine *electione & conſenſu Populi Francici* procedebatur. Ita ad Imperialem quoque Thronum quæſitum quidem fuiſſe videtur jus aliquod Principibus è Caroli ſanguine procreatis; ſed ut ejuſmodi jus compleretur, neceſſaria ſimul fuit electio ac deſignatio Populorum, hoc eſt, ut vulgo ajunt, *Statuum*, ac præcipue Romani Pontificis. Quum ſibi ſucceſſorem in Imperio Carolus Magnus delegiſſet *Ludovicum* filium ſuum, quem Pii cognomento poſteriora Sæcula donarunt, Anno DCCCXIII. Aquiſgranum convocavit Comitia *de Omni Regno, vel Imperio ſuo. Et convenerunt Epiſcopi*,

pi, *Abbates*, *& Comites*, *& Senatus Francorum ad Imperatorem*: sunt verba Chronici Moissiacensis. Ea occasione Carolus *habuit consilium cum præfatis Episcopis*, *& Abbatibus*, *& Comitibus*, *& Majoribus natu Francorum*, *ut constituerent filium suum Ludovicum Regem & Imperatorem*. *Qui omnes pariter consenserunt*. Paria legas apud Theganum Historicum, uti habet Du-Chesnius Tom. 2. Scriptor. Francic. pag. 276. *Cum omni exercitu*, *Episcopis*, *Abbatibus*, *Ducibus*, *Comitibus*, *Locopositis*, *habuit grande colloquium cum eis Aquisgrano Palatio*, *interrogans omnes à maximo usque ad minimum*, *si eis placuisset*, *ut nomen suum*, *idest Imperatoris*, *filio suo Ludewico tradidisset*. Neque secus hæc narrat nobilis Historicus Eginhardus in Vita Caroli ipsius. An ejusmodi Comitiis interfuerint Legati Romani Pontificis, & Episcopi, ac Principes Italiæ, non liquet: nihilominus interfuisse perquam credibile est, quando jam vidimus confluxisse illuc Proceres *de omni Regno*, *vel Imperio*. Præcipue verò opus erat, ut Romani Pontificis assensu electio illa firmaretur. Et sane Ludovicus idem Augustus Remensi in Urbe consistens, curavit, ut Stephanus IV. Papa in Gallias accitus sibi Coronam imponeret: quod actum Anno Christi DCCCXVI. uti prælaudatus Eginhardus, aliique Annalistæ Franci produnt, multisque describit Ermoldus Nigellus Lib. 2. Poëmatis de Reb. gest. Ludovici Pii, Part. II. Tom. II. Rer. Italicarum à me evulgati. Parentis exemplum imitatus est postea Ludovicus ipse Pius, quum Collegam sibi ac successorem in Imperio decernere voluit *Lotharium* filium suum. In Vita Wallæ Abbatis, publici juris facta ab eximio viro Johanne Mabillonio in Act. Sanctor. Ordin. Sancti Benedicti, Tom. 4. pag. 512. Lotharius ipse patrem suum his verbis alloquitur: *Me consortem totius Imperii Celsitudo vestra una cum voluntate Populi constituit*. Alibi idem repetit, dicens, se constitutum à Ludovico *Successorem totius Monarchiæ cum Voluntate & Consensu omnium*. Ergo & heic excogitare possumus, suum fuisse locum Romano Pontifici ac Primatibus Italiæ, eoque magis, quod non antea Lotharius appellatus est Imperator, quàm Coronam è manu Summi Pontificis receperit. Servatum quoque eumdem ritum in electione *Ludovici II.* par est credere.

At Ludovico II. è vivis sine sobole sublato, inter Caroli Magni posteros ingens exarsit dissidium, contendentibus singulis, ut sibi quisque Imperium Romanorum assereret. Ejusmodi opportunitatem non segnis captavit Johannes VIII. Papa, & una cum eo Italici Principes, ut exclusis exterorum votis, ipsi Regem & Augustum eligerent. Intercurrente igitur immani donorum, & pecuniæ copiâ, pluribus etiam promissis, impetravit *Carolus Calvus* Francorum Rex à Romano Pontifice, ceterisque Italiæ Principibus, in publicis Comitiis Regnum Italicum, simulque Imperatorium nomen, atque Coronam Anno DCCCLXXVI. Extat illustre hujus rei documentum in Concilio Ticini eodem Anno habito, quod habes Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum. Ibi complures Episcopi, Principesque sæculares Italici Regni in unum coacti, narratâ prius electione ipsius Caroli in Romanorum Imperatorem à Johanne VIII. Pontifice factâ, ipsi quoque pro suo jure ac munere ipsum eligunt, atque confirmant his verbis: *Nos unanimiter vos Protectorem*, *Dominum*, *ac Defensorem omnium nostrum eligimus*. Paria præstiterunt Primates Franciæ in Concilio Pontigonensi, ut videre est apud Du-Chesnium in Annalibus Bertinianis, ac in Baronianis ad eumdem Annum. Carolo Calvo successit in Regno Italiæ *Carlomannus*; tum *Carolus Crassus*, qui & ad Imperialem Thronum subinde est sublimatus. Exploratum est, & istos à Romano Pontifice, Principibusque Italicis electos fuisse. Quum vero Anspertus Mediolanensis Archiepiscopus contenderet, suum præcipue esse Reges Italicos eligere; Johannes autem Papa jus illud potissimum sibi assereret, quum Italicus Rex ad Imperialem Coronam esset subinde pro more Francorum promovendus: dissidia inter eos oborta sunt, quorum vestigia sublucent in Epistola 155. & 181. aliisque Johannis VIII. Summi Pontificis. Denique pacata sunt omnia, & qui plura polliciti sunt, aut plura obtulere, in solium Regale atque Imperiale ascenderunt. Et quidem Carlomannus Anno DCCCLXXVII. *Optimates Italiæ ad se venientes suscipiens*, ut auctor est Annalista Fuldensis, ipsorum vota, ut par est credere, ad se pertraxit. Et is quidem Rex Anno prædicto, non uti Annales Bertiniani habent, *mendaci nuntio audiens*, *quod Imperator & Papa Johannes super eum cum multitudine maxima bellatorum venirent*, *& ipse fugam arripuit per viam*, *quam venerat*; sed fugato Carolo Calvo Augusto, quem mors in itinere post paucos dies intercepit, placide Ticinensem Urbem & Regiam ingressus est, ubi Rex Italiæ salutatus est. Pergamenam vidi archetypam apud Canonicos Regulares incolentes in Urbe Pistoriensi vetustissimum Cœnobium Sancti Bartholomæi, exaratam, *Regnante Domno Karulumanno Rex in Etalia*, *postquam Papia Civitate ingressus est*, *Anno Secundo*, *Nono Kalendis Februario*, *Indictione duodecima*: idest Anno Christi DCCCLXXIX. Ejusmodi formulam: *Postquam Papia Civitate ingressus est*, Tusci Notarii familiarem quoque habuerunt sub Carolo Magno; eamque etsi alia exempla in hoc Opere edita prodant, novo tamen confirmatam accipere neminem pigebit. Scilicet in eodem Pistoriensis Monasterii Chartophylacio apographum vetustum vidi pergamenæ hisce notis scriptæ: *Karolus Serenissimus Augustus à Deo electus & coronatus*, *magnus & pacificus Imperator*, *Romanorum guvernans Imperium*, *qui & misericordiâ Dei omnipotentis*, *Rex Francorum & Longobardorum in Etalia*, *postquam Papia Civitate ingressus est*, *Anno Trigesimo nono*, *die vigesimo mense Novembris*, *Indictione sexta feliciter*: idest Anno Christi DCCCXII. Ibi Pistoriensis Episcopus *Guillerad*, quem Ughellius corrupto nomine *Wiltretradum* appellat, Hildeperto Abbati Monasterii Sancti Bartholomæi, tres domos vendit, spectantes ad Iseradum Presbyterum, qui tres ante annos *ad solitaria pertransivit vita*. Ad Carolum Crassum quod attinet, de eo eligendo scripsit his verbis Johannes Papa VIII., Epistolâ 155. ad Anspertum Archiepiscopum Mediolanensem: *De novi Regis electione*, *ut omnes pariter consideremus*, *vos prædicto tempore adesse valide oportet*; *& ideo antea nullum absque nostro consensu Regem debetis recipere. Nam ipse*, *qui à nobis est ordinandus in Imperium*, *à nobis primùm atque potissimum debet esse vocatus atque electus*. Ille autem Rex Italiæ electus est Anno DCCCLXXIX.

Post

Post Carolum Crassum Anno DCCCLXXXVIII. delatum est Italicum Regnum *Berengario I.* Duci Forojuliensi ex Optimatum complurium electione atque consensu, uti in ejusdem Panegyrico Anonymus à Valesio vulgatus satis innuit, & produnt Annales Metenses apud Du-Chesnium Tom. 3. pag. 323. Scriptorum Francicorum, ubi hæc leguntur: *Quædam pars Italici Populi Berengarium filium Everhardi, qui Ducatum Forojulianorum tenebat, Regem sibi statuunt.* Verum *Guido Spoleti Dux*, postquam frustratum se vidit obtinendæ portionis Francici Regni, qua ductus Franciam intraverat, in Italiam solicite regressus, bellum Berengario atrocissimum intulit; fortunamque secundam expertus, Regnum Langobardicum ferme totum arripuit. Sumseritne ille Sceptrum, titulumque Regalem ex præcedente Principum Italicorum electione, an ex vi armorum felicium, penuria Historicorum ejus temporis nos hactenus rescire non sivit. At in Archivo insignis Monasterii Sancti Columbani Bobiensis, bene mihi accidit, ut olim reperirem Acta Concilii Ticinensis, ex quibus constat, creditam fuisse necessariam electionem Procerumque consensum. Hæc autem jam accepit Lector in Part. II. Tomi II. Rer. Italic. Verum eo lubentius eadem rursus heic proferam, atque Eruditis me rem gratiorem facturum putabo, fragmentum hoc antiquitatis iterum evulgans, quo rariora sunt ejus ævi monumenta, & hinc obvenire lux aliqua potest Historiæ illorum temporum & Regum. En ergo Decretum Concilii Ticinensis, ubi electus est Guido, & una cum illo Canones quidam, seu Capitula eâ occasione ab Episcopis constituta.

Acta

# Acta Concilii, seu Comitiorum Ticini habitorum ad eligendum Guidonem Spoleti Ducem in Regem Italiæ; simulque Capitula quædam ad resarciendam tranquillitatem Regni, & immunitatem Ecclesiarum, Anno DCCCLXXXIX.

*Post bella horribilia, cladesque nefandissimas, quæ meritis facinorum nostrorum acciderunt huic Provinciæ, disponente jura Regni hujus, cum tranquillitate sopitis hostibus suis, insigni* Rege *& Seniore nostro* Widone, *in Aula Ticinensi nos humiles Episcopi ex diversis partibus Papiæ convenientes pro Ecclesiarum nostrarum ereptione, & omnis Christianitatis salvatione, quæ pæne jam ad interitum desolationis inclinata erat, annuente nobis eodem Principe, in uno congregati sumus Collegio, ea videlicet ratione, ut his, per quos homicidia, sacrilegia, rapinæ, & cetera facinora perpetrata erant, dignam pœnitentiam ad capiendam salutem, subtractis eis à male cœpto negotio per veram Confessionem, Deo adjuvante, imponeremus, ac ne ulterius tantum nefas excrescere aut sumere valeret, Pastorali provisione, & auxilio Regio, compescendum decrevimus.*

I.

*In primis oramus, optamus, operamque damus, ut Mater nostra Sancta Romana Ecclesia in statu & honore suo cum omnibus privilegiis & auctoritatibus, sicut ab antiquis & modernis Imperatoribus, atque Regibus sublimata est, habeatur, teneatur, & perenniter custodiatur illæsa. Nefas enim est, ut hæc, quæ totius corporis Ecclesiæ caput est, & confugium atque relevatio infirmantium, à quoquam temere propulsari vexarive permittatur, præsertim quum sanitas ipsius nostrorum omnium sit salubritas. Ipse quoque summus Pontifex à cunctis Principibus & Christiani nominis cultoribus, digno semper veneretur honore, debitâque præcellat reverentiâ.*

II.

*Singulorum Episcoporum Ecclesiæ cum suis Privilegiis & possessionibus tam interioribus quam exterioribus inconvulsæ & incorruptæ absque aliqua sui deminoratione, vel quorumlibet pravorum hominum injusta vexatione permaneant, sicut præcepta Regum & Imperatorum sibi collata continent. Rectoresque earum libere Pontificalem exerceant potestatem tam in disponendis Ecclesiasticis negotiis, quam in comprimendis legis Dei transgressoribus universis.*

III.

*Sancimus etiam, ut neque in Episcopatibus, neque in Abbatiis, vel Senodochiis, aut ullis Deo sacratis locis ulla violentia, aut novæ conditionis gravamina imponantur, sed secundum antiquam consuetudinem omnes in suo statu, suoque Privilegio perpetuo maneant.*

IV.

*Ut Sacerdotum omnium & Ministrorum Christi unusquisque in suo ordine condigno veneretur honore & reverentia, & cum omnibus rebus Ecclesiasticis ac familiis ad se pertinentibus sub potestate proprii Episcopi quietus & inconcussus permaneat, salvâ Ecclesiasticâ disciplinâ.*

V.

*Plebei homines & universi Ecclesiæ filii libere suis utantur legibus; ex parte publica, ultra quàm legibus sancitum est, ab eis non exigatur, nec violenter opprimantur. Quod si factum fuerit, legaliter per Comitem ipsius loci emendetur, si suo voluerit deinceps potiri honore. Si vero ipse neglexerit, vel fecerit, aut facienti præbuerit assensum, à loci Episcopo usque ad dignam satisfactionem excommunicatus habeatur.*

VI.

*Palatini, qui in Regio morantur obsequio, pacifice sine deprædatione Regi deserviant, suis contenti stipendiis.*

VII.

*Hi vero, qui tempore Placiti diversis ex partibus convenerunt, nullam, pertranseuntes in Villis seu Civitatibus, rapinam exerceant, sibi necessaria antiquâ consuetudine digno pretio ementes.*

VIII.

*Quicumque ab exteris Provinciis adventantes, deprædationes atque rapinas infra Regnum hocce exercere præsumunt, hi cum quibus morantur, aut ad audientiam eos adducant, aut pro eis emendent. Neque eos ulterius in talibus ausis sua potestate defendere audeant. Quod si fecerint, inter excommunicatos habeantur, quousque resipiscant.*

IX.


*Præterea quia gloriosus* Rex Wido *dignatus est nobis promittere, conservaturum se præscripta Capitula necessitate non minimâ confecta, & quæ in eis continentur, curam habens, Deo inspirante, suæ nostræque salutis, sicut apertis indiciis jam demonstrat: ideo nobis omnibus complacuit Eligere illum in Regem & Seniorem atque Defensorem, quatenus amodo & deinceps illo nos secundùm Regale ministerium gubernante singuli nostrum in suo ordine obedientes & adjutores pro posse existamus illi ad suam Regnique sui salvationem.*

## DECRETUM ELECTIONIS.

*Post obitum recordandæ memoriæ Domni* Karoli *gloriosi* Imperatoris *& Senioris nostri, quot quantaque pericula huic Italico Regno usque in præsens tempus supervenerint, nec lingua potest evolvere, nec calamus explicare. Ipsis denique diebus quasi ad certum signum supervenerunt, quæ pro hoc Regno, ut sibi volentes nolentesque adsentiremur, minis diversis & suasionibus inretitos furtive ac fraudulenter adtraxerunt. Sed quia illi, superveniente perspicuo Principe* Widone, *bis jam fugâ lapsi ut fumus evanuerunt, nosque in ambiguo reliquerunt: tamquam oves non habentes pastorem, necessarium duximus ad mutuum colloquium Papiæ in Aula Regia convenire, ibique de communi salute & statu hujus Regni solicite pertractantes, decrevimus uno animo, eâdemque sententiâ præfatum magnanimum Principem* Widonem *ad protegendum & regaliter gubernandum nos in* Regem *&* Seniorem *nobis eligere, & in Regni fastigium Deo miserante præficere, pro eo quod isdem magnificus Rex, divino, ut credimus, protectus auxilio, de hostibus poten-*

*potenter triumphavit ; & hoc non suæ virtuti, sed totum divinæ misericordiæ prudenter adtribuit. Insuper etiam sanctam Romanam Ecclesiam ex corde se diligere & exaltare, & Ecclesiastica jura in omnibus observare, & Leges proprias singulis quibusque sub sua ditione positis concedere, & rapinas de suo Regno penitus exstirpare, & pacem reformare, & custodire se velle Deo teste professus est. Pro his ergo & aliis multis ejus bonæ voluntatis indiciis ipsum, ut prælibavimus, ad Regni hujus gubernacula ascivimus, eique toto mentis nisu adhæsimus, Seniorem piissimum & Regem excellentissimum pari consensu & in posterum decernentes.*

Heic Annus non legitur, quo celebrata fuerint Ticinensia illa Comitia: mihi tamen veri videtur similius, contigisse hæc Anno Christi DCCCLXXXIX. quo Marianus Scotus, & Sigonius noster victoriam Guidonis referunt. Multis sane tenebris obsita est Chronologia in statuendo primo Anno non Regni solum, sed & Imperii Guidonis. Valesius sequutus Annales Fuldenses, ac Metenses, Reginonem ac alios, scribit, eodem Anno, quo Berengarius Rex Italiæ consalutatus est, Guidonem quoque eumdem sibi titulum assumsisse, hoc est Anno DCCCLXXXVIII. Marianus autem id factum narrat Anno subsequente. Ipsum verò Imperatorem creatum Anno DCCCXCII. auctor est Cardinalis Baronius. Contra Pagius, Mabillonius, ac alii, Anno DCCCXCI. Augustalem Guidonis coronationem tribuunt. Diem verò coronationis iis ignotum videas, quem tamen Sigonius meus recte indicarat. Ego aliquot tantùm veteres tabulas in hanc rem indicabo. In Lucensis Episcopatus Archivo Chartam vidi *Anno III. Guidonis Imperatoris, Pridie Kalendas Decembris, Indictione XII.* scriptam, hoc est Anno DCCCXCIII. Eodem Anno exarata est hæc altera, nempe *Anno III. Domni nostri Guidonis, gratiá Dei Imperatoris Augusti, VI. Kalendas Julii, Indictione XI.* Ad Annum DCCCXCII. spectat tertia conscripta *Anno II. Domni nostri Guidonis Imperatoris, XV. Calendas Septembris, Indictione X.* Quarta referenda est ad Annum DCCCXCI. & hasce Chronologicas notas præfert: *Anno Primo Imperii Domni nostri Guidonis, gratiá Dei Imperator Augustus, XII. Kalendas Septembris, Indictione IX.* Quare apertissimum est, ante diem XXVI. Maji Anni DCCCXCI. Guidonem fuisse Cæsarem renuntiatum. Verùm hac de re certiora monumenta infra indicabo in Dissertatione Trigesima Quarta *de Diplomat.* Quod est ad Annos Regni, Sillingardus in Catalogo Episcopor. Mutinens. pag. 19. exhibet Diplomà ejusdem Guidonis, *Datum X. Calendas Decembris, Indictione X. Anno Incarnationis Dominicæ DCCCXCII. Regnante Domino Widone in Italia, Anno Regni ejus Quarto, Imperii Primo.* Sub oculis & ego habui eamdem pergamenam existentem in Tabulario Cathedralis Mutinensis, & autographam deprehendi. Ibi vero Episcopus, cui concessum fuit hoc Privilegium, *Leudoinus* appellatur, non autem *Leodoindus*. Monogramma Guidonis cum his notis legitur



*Signum Domni Widonis serenissimi Imperatoris. Godfredus Notarius ad vicem Helbunci Archicancellarii recognovi & subscripsi. Datum X. Kalendas Decembris, Indictione X. Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXXI. Regnante Domno Widone in Italia Anno Quarto, Imperii Primo.* Deceptus est Sillingardus in exscribendo Anno Epochæ vulgaris, eo quod non satis animadvertit, in Diplomate literam lineæ superioris excurrere in inferiorem: quam excursionem ipse pro unitate accepit. Illic ergo statuendus Annus DCCCXCI. quod & ab Indictione indicatur: eo siquidem Anno, Mense Septembri, decurrere cœpit Indictio Decima. Corrigendum simili ratione est alterum ipsius Guidonis Diploma apud Baluzium Tomo II. Capitular. pag. 1521. ubi hæc leguntur: *Helbancas Archicancellarius* (scribendum *Helbuncus*). *Datum III. Kalendas Julii, Indictione IX. Anno Incarnationis Dominicæ DCCCXCII. Anno Domni Widonis, Regni ejus IIII. Imperii II.* Vitiata heic videtur Indictio, & restituenda *Decima*, quæ mense Junio Anni DCCCXCII. sola currebat. Verùm ex collatione præcedentium constat, corrigendum esse potius Annum, & heic quoque reponendum *DCCCXCI.* Imperii autem non *Secundum*, sed *Primum*. Atque hinc discas, Guidonem Regni Italici annos numerare cœpisse ab Anno Christi DCCCLXXXVIII. & quidem ante Julium mensem inchoatos. Quod mirum videatur, nam Berengarius Regium titulum consequutus tunc dominabatur; neque contigit Guidoni nisi post multum tempus à suo regressu ex Galliis, ut ab Italicis Principibus eligeretur in Regem. Certe ex hoc eodem Decreto evincitur, ante ejus Electionem præcessisse *horribilia bella, cædes, ac rapinas*, ac duobus prœliis fractum Berengarium. Quæ omnia non tam cito peracta quisque intelligat. Accedit Erchemperti Historici auctoritas, qui Rer. Italicar. Tomo II. pag. 255. in hæc verba scripsit: *Hoc etiam Anno DCCCLXXXVIII. reversus est Guido ad Italiam, quam principare cupit, sed obtinere nequit.* Tum subdit prœlia ab eo inita cum Berengario, & quidem dubio Marte. *Post quæ passi sunt tantum ad invicem usque in Epiphania, quæ celebratur VIII. Idus Januarii.* Quum ergo Electionis hujus, quod profero, Decretum in Comitiis Ticinensibus prodierit post belli exitum, & Berengarium bis profligatum: consequens mihi videtur, referendum illud in Annum DCCCLXXXIX. At ille ab Anno DCCCLXXXVIII. numerat Annos Regni, ut supra vidimus. Alterutrum igitur suspicari cogimur: nempe aut Guidonem non exspectatâ Procerum electione usurpasse Titulum Regium, statim ac Anno DCCCLXXXVIII. se ex Francia Italiæ restituit, aut suo Regno attribuisse totum ferme illud tempus, quod à morte Caroli Crassi defluxerat. Postremis tamen mensibus Anni DCCCLXXXVIII. si victoriam Guidonis, ejusque Electionem alligare velis, tunc in Diplomate Baluziano emendanda tantùm erit Indictio, & reliqua sustinenda. Videas autem in Decreto nostro Præsules protestari, se *volentes nolentesque* Berengario paruisse: quæ verba homines nobis exhibent fortunam Guidonis prorsus adorantes, uti & quum ajunt, inimicos *bis jam fugâ lapsos, ut fumus, evanuisse*: non enim ita rem describunt Historici, qui iisdem temporibus floruere. Ceterum dissimulare nolo ejusdem Widonis nondum Imperatoris Diploma, editum ab Ughellio in Episcop. Fæsulan. Tomo III. Italiæ Sacræ, & datum *VII. Kalendas Junii Anno Incarnationis Dominicæ DCCCXC. Indictione VIII. Anno Domno Widone in Italia regnante Primo.* Si hisce notis fides

fides habenda, jam sentis, ab Anno DCCCLXXXIX. arcessendum esse exordium Regni Widonis. Sed non is est Ughellius, cui tutò semper fidere possimus.

*Ludovicus Provinciæ Rex* Anno DCCCC. hoc est jam fato functis Guidone & Lantberto ejus filio Augustis, Italicum Regnum & ipse invasit, potioremque illius partem quum Berengario eripuisset, Ticini in Regia Langobardica Rex Italiæ consalutatus est. At ne hoc quidem factum absque electione Italicorum Principum, locupletissimum testem dabo ejus Diploma concessum Petro Episcopo Arretino, quod olim descripsi ex Tabulario Canonicorum Civitatis Arretii. Ita vero se habet.

## Privilegium Ludovici II. Regis Italiæ atque Provinciæ, concessum Petro Arretino Antistiti, Anno 900.

IN *nomine sanctæ & individuæ Trinitatis*. Hludovicus, *divina favente clementia*, Rex. *Si petitionibus Sacerdotum Dei, & Procerum nostrorum justis & rationabilibus annuimus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem capescendam pertinere confidimus, quia decet Regale fastigium, & Ecclesiarum Dei Antecessorum nostrorum dona tam Regum, quam & Imperatorum ad proprium statum, affectumque etiam eorum redintegrando renovare. Quapropter omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet & futurorum comperiat industria, quia venientibus nobis Papiam in sacro Palatio, ibique* Aelectione, *omnipotentis Dei dispensatione, in nobis* ab omnibus Episcopis, Marchionibus, Comitibus, cunctisque item majoris, inferiorisque personæ ordinibus facta, *pro ut opportuni temporis ratio significabatur, adiit Petrus venerabilis Aritinæ Ecclesiæ Episcopus culmen clementiæ nostræ, per* Adelbertum illustrem Tusciæ Marchionem, *dilectum fidelem nostrum, &* Sigifredum *atque* Adelelmum *karissimos* Comites *nostros, quatenus res Aretinæ Ecclesiæ à prædecessorum nostrorum Regum, videlicet ac Imperatorum concessione, donatione, nec non & confirmatione, atque Romani Privilegii sanctione concessa, nostra auctoritate conservare & renovare ibidem studuissemus. Ideòque prædictorum, nostrorum videlicet fidelium deprecatione benivole moti, ob Dei omnipotentis ac præfatæ Ecclesiæ reverentiam, amoremque suprascriptum fidelium nostrorum, concedentes concedimus, & consentientes consentimus prætaxatæ Aritinæ Ecclesiæ omnia dona Regum & Imperatorum, Antecessorum scilicet nostrorum quoquo modo adquisita, vel Romani Pontificis sanctione concessa, juste & legaliter ad eam pertinentia tam Regalibus dationibus, quam & Imperialibus confirmationibus, nec non & Romanis institutionibus exarata, omnia & in omnibus ipsi Ecclesiæ, sub nostri regiminis tuitione & defensione per hanc nostram confirmationem recipientes. Statuentes etiam, ut in Sancta Aritina Ecclesia nullus Comes, nullusque Judex, vel qualibet Judiciaria potestas, neque magnæ parvæque personæ quamlibet invasionem vel superstitionem tam in rebus, familiis, Plebibus, Monasteriis, colonis, liberis, aldionibus, vel servis., Vasallis etiam, omnibusque hominibus utriusque sexus residentibus supra res præfatæ Ecclesiæ facere præsumat, sed sicuti per antecessorum nostrorum paginas præceptali ordine ei concessæ undique possessiones, vel aliorum hominum juste & legaliter redibitiones fuerunt, omni remota intentione, jam dicta Ecclesia cum suis possideat. Hæc vero nostra Regalis institutio, & præfatorum fidelium nostrorum generaliter promulgata & sancita auctoritas in omnibus Comitatibus per totius Italiæ fines, in toto Regnò Romanorum, & Langobardorum, & Ducatus Italiæ, Spoleti, & Tusciæ, Deo favente, per infinita tempora robur optineat, nullique temeratori impune eam contempnere facultas existat. Quam si quis violare præsumpserit, centum Libras auri se compositurum agnoscat, medietatem Ecclesiæ, cui violentiam intulerit, & medietatem Palatio nostro. Et ut hæc nostræ præceptionis auctoritas nostris futurisque temporibus inconvulsam atque inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter roborantes, anuli nostri impressione insigniri jussimus.*

*Signum Domni*  *Hludovici gloriosissimi Regis.*

*Arnulfus Notarius ad vicem Liutuhardi Archicancellarii recognovi & subscripsi.*

Locus Sigilli Cerei deperditi.

*Data IV. Idus Octobris, Anno Incarnationis Dominicæ DCCCC. Anno verò Domni Hludovici gloriosissimi Regis in Italia Primo.*
*Actum Papiæ in Dei nomine feliciter. Amen.*

Qui heic memoratur *Adelbertus II. Marchio Tusciæ*, ad cujus preces Privilegium hoc impetravit Episcopus Arretinus, idem præcipuus auctor Ludovico fuit, ut in Italiam descenderet, eidemque Italicam primò, tum Augustalem etiam Coronam procuravit, uti Liutprandus testatur Lib. 2. Cap. 10. Historiæ suæ. Autographum dixi Diploma; ejusmodi enim describenti mihi olim visum est. Nunc animadverto, desiderari illic *Indictionem*, quæ in aliis ejusdem Principis ac temporis legitur. Ad hæc præcipit ille, ut Privilegium hoc *in omnibus Comitatibus per totius Italiæ fines, in toto Regno Romanorum & Langobardorum, & Ducatus Italiæ, Spoleti, & Tusciæ, Deo favente, per infinita tempora robur obtineat*. Admirationem certe moveat, immo falsi suspicionem, intueri, Ludovicum nondum Imperatorem,

rem, & Regem dumtaxat Italiæ, seu *Regni Langobardorum*, auctoritatem suam proferre & *in Regnum Romanorum*. Nam quod tres tantum Ducatus enumeret, fortassis id factum, eo quod Forojuliensis heic omissus Berengario adhuc obtemperabat. Ego rem Eruditis perpendendam relinquo, id unum contendens, non facile falsi inscribendas esse veteres Chartas, quod in iis nonnulla nunc minime intelligamus. Diploma vero illud antiquissimum saltem mihi visum fuit, ita ut non injuriâ adhiberi possit ad ea nunc statuenda, quæ olim nemo ementiri voluisse putandus est. Hinc ergo discimus, circiter diem IV. Id. Octobris Anni DCCCC. electum fuisse eumdem Ludovicum in Regem Italiæ ab Optimatibus Ticini congregatis. Tum pergens Romam ad accipienda Imperialia insignia, constitit Placentiæ postremo die Octobris Anni ejusdem, uti ex quodam Diplomate monuit Sigonius noster de Regno Italiæ Lib. 6. Quumque is Româ regressus, Lucæ jus dixerit Februario mense Anni DCCCCI. id testante ejus Placito, quod Florentinius profert in Vita Mathildis Comitissæ, Lib. 3. pag. 114. facile intelligimus, Romanam illius Coronationem contigisse sacro die Natali Salvatoris nostri, Anno DCCCC. Nunc verò sunt repetenda Ludovici ipsius verba ex nuper allato Diplomate: *Venientibus nobis Papiam in sacro Palatio, ibique Aelectione, omnipotentis Dei dispensatione, in nobis ab omnibus Episcopis, Marchionibus, Comitibus, cunctisque item majoris inferiorisque personæ ordinibus factâ* &c.

Neque pluribus opus est, ut tamdem intelligamus, quorum olim suffragia exigerentur ad decernendos Italiæ Reges. Ejusmodi autem legi seu ritui conjicere possumus, obnoxios pariter fuisse *Rudulfum Burgundionem*, atque *Hugonem Provinciæ Ducem*, utrumque postea Italicâ coronâ donatum. De Hugone hæc habet Liutprandus Historicus: *Percitus venit Papiam, cunctisque conniventibus Regnum suscepit* Anno DCCCCXXVI. Tum Anno DCCCCXXX. Lotharius ejus filius *cunctis conniventibus* in consortium Regni adscitus fuit. Succefserunt Anno DCCCCL. *Berengarius Secundus*, quem *Quartum* supino errore appellarunt complures Historici posteriorum temporum, & *Adelbertus* illius proles. Ita de iis legimus in brevi Chronico Regum Italiæ, quod Tomo II. Anecdotor. & rursus Tomo IV. Rer. Italicarum evulgavi: *Die Dominico, XV. die Decembris in Basilica Sancti Michaëlis, quæ dicitur Major* (idest Ticini) *fuerunt Electi & Coronati Berengarius, & Adalbertus filius ejus in Regibus*. Iisdem verbis utitur Anonymus Auctor Chronici Novaliciensis apud Du-Chesne Tom. III. Scriptor. Francic. pag. 636. de ambobus hisce Principibus scribens: *Electi sunt Reges, ut præessent Italiæ*. Accedat nunc Landulphus Senior Mediolanensis Historicus in Chronico suo, quod in eodem Tomo IV. Rer. Italicarum publici juris feci, nosque edoceat, qua ratione Otto Magnus Germaniæ Rex Italicum quoque Regnum suæ ditioni adjecerit. *Walpertus* (scribit ille Lib. II.) *Mediolanensis Archiepiscopus, convocatis Episcopis, Ducibus, Marchionibus, omnibusque Italiæ Primatibus, de superbia Alberti* (hoc est Adelberti Regis) *conquestus est. Igitur spretâ Alberti, ac suæ gentis totius superbiâ, qui Italiam quasi ancillam dominabantur, Otto ab Omnibus in Regem magnis cum triumphis Electus & subli-*

Tom. I.

A *matus est*. An & *Otto II.* Magni filius per ejusmodi Electionem Langobardici Regni fasces fuerit consequutus, Historia non refert. Eamdem tamen intercessisse, evincere videtur non una Regnorum ejus Epocha. Testibus Continuatore Reginonis, ac Sigeberto Electus idem fuit Germaniæ Rex sacro Pentecostes die, idest VII. Calendas Junias Anni DCCCCLXI. En eorum verba: *Consensu, & unanimitate Regni Procerum, totiusque Populi, filius ejus Otto Rex Eligitur*. Hinc illi fluere cœpit Epocha Germanici Regni. Perpendantur nunc notæ Chronologicæ Chartarum aliquot, quas aut laudavi aut protuli Cap. XVI. Antiquit Estens. & palam fiet, Epocham Italici Regn

B serius exordium sumsisse, videlicet aut postremis diebus Anni DCCCCLXI. aut prioribus subsequentis DCCCCLXII. Non ergo sat fuit Ottoni II. Germanicorum Principum Electio, ut Regno Italiæ potiretur; sed necessaria simul fuere Italicorum vota; nondum enim cum Germanico junctum fuerat Italicum Regnum.

Post Ottonem II. Imperatorem, Regium Thronum conscendit ejus filius *Otto III.* Anno DCCCCLXXXIII. Par est credere, ad ejus Electionem suam tesseram contulisse Italicos quoque Proceres; nam piissima ejus Avia Adelais Augusta Ticini tunc consistens, negotia illius procurabat; & Veronæ Anno 983. Italici Regni Comitia habuit. Præterea Johannes

C Archiepiscopus Ravennas, unus ex Italicis Principibus, una cum Willigiso Archiepiscopo Moguntino, ipsum Aquisgrani in Regem inunxit, & coronavit, uti fidem facit Chronicon Hildesheimense. Postremum diem obiit Otto III. sine prole Anno MII. sub quo apud Eruditos jam firmatum est, minime institutum fuisse Collegium Septemvirale Electorum Imperii, ut proxime præteritis Sæculis vulgo reputatum est. Ottone ergo fatis functo, inter Italicos Principes eodem Anno MII. ingens animorum contentio ac divisio emersit de Successore eligendo. Pars una sibi *Arduinum Eporediæ Marchionem* præfecit, altera *Henricum II.* Germaniæ Regem, qui Cælitum postea albo inscri-

D ptus est. Illud exploratum habemus, utrumque non nisi per Electionem Italicorum Principum, Regni hujus titulo ac ditione auctum fuisse. Audi Arnulphum Mediolanensem ejusdem Sæculi Historicum in Chronico, quod habes Tomo IV. Rer. Italicar. Lib. I. Cap. 12. *Tunc Ardoinus quidam, nobilis Hipporegiæ Marchio, à Langobardis Papiæ Eligitur, & vocatus Cæsar* (vide insuetam nominis usurpationem in Italicis tantùm Regibus) *ab omnibus, Regnum perambulat universum*. Addit subinde Cap. 14. Henricum Germaniæ Regem, profligato Arduino, Italiam ingressum, ubi *Rex statim Electus, suoque post tempore Romanus Imperator effectus est*. Landulphus Senior, Historicus supra memoratus, & ipse

E Mediolanensis, & Arnulphi æqualis, Lib. II. Historiæ scripsit, Arduinum *paucis consentientibus Italiæ Primatibus* occupasse Regnum Italiæ. Deinde verò Arnulphus Mediolanensis Archiepiscopus *in Ronchalia cum omnibus Italiæ Primatibus colloquium statuit, ubi quum diversa de Regni negotiis tractassent, Arduini spreto dominio, quod malis artibus usurpaverat, Henricum Theutonicum scientia illustrem, armis fortissimum, militumque copiis abundantem, ac divitiis affluentem, Elegit*. Omnium tamen hanc in rem præstantissimus Scriptor accedat Ditmarus Episcopus Merseburgensis, qui

I post

post enarratum Libro IV. Chronici ingressum Henrici in Italiam, hæc de illo subdit: *Post hæc Papiam visitans Urbem, ab Archiantistite* (hoc est à Mediolanensi Archiepiscopo) *& à Primis illius regionis susceptus, cum admirabili laude ad Ecclesiam ducitur, & communi Electione sublimatus, in solium Regale collocatur*. Eadem legas in Chronico brevi Regum Italiæ à me edito his verbis: *In die Dominico, qui fuit die XI. mensis Madii, inter Basilicam Sancti Michaëli, quæ dicitur Majore, fuit Electus Henricus, & coronatus in secundo die*. Chorum claudat Diploma, quod Cap. XIII. Antiquitat. Estensium protuli, è Ticinensis Episcopii Tabulario depromtum, ubi idem Henricus Augustus Anno MXIV. *Marchionem Obertum* Atestinæ Familiæ propagatorem perduellionis damnasse una cum ejus Filiis ac Nepote *Alberto* legitur, quod ipsi pro Arduino rursus bella gesserint, *postquam* (ita is ait) *nos in Regem & Imperatorem Elegerunt*.

Atque hactenus palam fecimus, ad ea usque tempora firmum perstitisse in Italicis Principibus jus eligendi sibi Regem, legitimumque illud agnitum fuisse ab Henrico etiam Primo inter Augustos. Quod tamen eo in Diplomate negotium facessere possit, dicuntur Principes illi confluxisse ad eligendum Henricum non solùm in *Regem*, sed & *in Imperatorem*. Jam liquet, à Regibus Italiæ non antea assumtum Augustale nomen, quam Cæsarea insignia Romæ induissent; eorum autem Electio ad Imperiale fastigium à Romano Pontifice pendebat, fortassis etiam à Senatu amplissimæ Urbis. Hæc quidem & ego novi: nihilominus repeto, non facile ferendam illorum audaciam, qui ad apocrypha statim, aut interpolata amandant veteres Chartas non alio titulo, quam quod cum quibusdam vulgaribus opinionibus conciliare nesciunt monumenta antiquitatis. Nostris diebus, eoque magis temporibus iis, quibus inter tot turbines Ambitionis atque Avaritiæ Italia fluctuabat, immutatos vidimus Regnorum Dominos, & regiminis formam, & Principum jura. Fortasse jam tum invalescere mos cœpit, ut qui à Primatibus Germaniæ ac Italiæ Rex eligeretur, is continuo ex ea electione jus quoque adquireret sibi ad Imperiale Diadema. Exhibent nobis Historiæ in Ottone III. & Henrico, de quo nunc agimus, atque in aliis tantummodo Regibus, vestigia quædam auctoritatis prolatæ in ipsam Urbem. Omnium autem ore feruntur celeberrimi ii versus Guntheri Lib. I. Ligurini, ubi de temporibus Friderici I. Augusti in hunc modum scribit:

*Ex quo Romanum nostra virtute redemtum,*
*Hostibus expulsis, ad nos justissimus ordo*
*Transtulit Imperium: Romani gloria Regni*
*Nos penes est. Quemcumque sibi Germania Regem*
*Præficit: hunc dives submisso vertice Roma*
*Suscipit, & verso Tiberim regit ordine Rhenus.*

Quum hæc literis mandabat Guntherus, fortassis in uno Principum Germanicorum Collegio jam conclusum erat jus eligendi Regem, cui electo tacite quoque jus nascebatur ad Imperatoriam Coronam. Ego tamen ne hoc quidem unis Germaniæ Optimatibus Friderici I. ævo attributum reor, ut infra ostendam, nam & tunc suus Italicis Principibus ad Electionem Regis locus fuit, eâ solum in ejusmodi negotio mutatione factâ, quod Italis in Germaniam accedere opus erat, si suis suffragiis Regiæ Electioni interesse cupiebant. Animadvertamus interea, quei peracta fuerit Electio *Conradi Salici*, quem Henricus Sanctus successorem in Regno habuit Anno MXXIV. Rem perspicue narrat Wippo Historicus illius temporis in Vita ejusdem Conradi, referens convenisse ad electionem Regis Principes cum Ecclesiasticos, tum Sæculares Alamanniæ, Bavariæ, Lotharingiæ &c. tum Præsules Saxoniæ; post quæ de Italicis hæc habet: *Italiam transeo, cujus Principes in brevi convenire ad Regiam Electionem nequiverunt. Qui postmodum in Urbe Constantiensi cum Archiepiscopo Mediolanensi & reliquis Principibus occurrentes Regi, sui effecti sunt, & ei fidelitatem libenti animo juraverunt*. Ergo ad eligendos Reges tunc advocabantur Italiæ quoque Primates. Atque inter eos, qui non segnes illuc advolarunt, invenio Ambrosium Abbatem Monasterii Lucensis Sancti Pontiani; olim Benedictinorum, nunc Monachorum Montis Oliveti, cui Conradus Diploma dedit, mihi visum in Tabulario ejusdem sacri loci. Inde hæc pauca decerpsi.

Con-

## Conradi I. Italiæ Regis Diploma, quo confirmat jura Monasterio Lucensi Sancti Pontiani, Anno 1025.

IN *nomine sanctæ & individuæ Trinitatis*, Chuonradus *divina favente clementia* Rex &c. *qualiter* Domnus Ambrosius venerabilis Abbas *nostram supplex adiit Celsitudinem deprecans, ut pro Dei amore, suaque supplicatione, Monasterium, quod restauravit quædam Matrona* Willa *vocata, mater vero Hugonis incliti Marchionis, pro sua anima & pro animabus omnium Christianorum fidelium, Deo favente, foris murum Lucensis Urbis, in honore Sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi, & Sancti Pontiani Martyris Christi, cujus gloriosum Corpus ibidem requiescit* &c.

*Signum Domni Chuonradi*  *Regis invictissimi.*

*Hugo Cancellarius vice Aribonis Archicancellarii recognovi.*

Hiatus Sigilli cerei deperditi.

*Data in VIIII. Kalendas Mai, Indictione VIII. Anno Dominicæ Incarnationis MXXV. Anno autem Domni Kuonradi Secundi Regnantis Primo.*
*Actum est in Augusta Civitate.*

Manibus quidem pedibusque niti Christophorus Gewoldus potest in Commentario *de Electoratu* Cap. 7. ut statuat institutum multo antea (hoc est Ottonis III. temporibus) Collegium Septemvirale Electorum. Nos ei objicimus Wipponis auctoritatem, apertam satis atque perspicuam, & præsertim accepto simul toto illius Scriptoris contextu. Quid? quod Wipponi socium adjungere possumus Italicum quoque Scriptorem, Arnulphum videlicet Mediolanensem ejusdem Sæculi Historicum. Affirmat ille Lib. 2. Cap. 2. Eribertum Archiepiscopum Mediolanensem, contra nitentibus reliquis ferme Italiæ Principibus, in Germaniam properasse ad eligendum Regem. *Suorum*, inquit, *comparium declinans consortium, invitis illis ac repugnantibus, adiit Germaniam solus ipse, Regem Electurus Teutonicum*. Deinde subdit, regressum Eribertum in Italiam nihil non egisse, ut Primatum animos conciliaret Conrado, eoque agente tamdem *suum Electum fere omnes laudavere suscipiendum*.

Atque hactenus congesta sat lucis ministrare nobis queant ad intelligendum, quare in supra memorato Diplomate *Obertus II. Marchio* dicatur & ipse convenisse ad eligendum Henricum apud Germanos Secundum *in Regem & Imperatorem*. Jam patet, Italicis quoque Principibus ad Comitia & Electionem Regis suum olim fuisse jus & locum, non secus atque Germanicis. Qui vero Germaniæ, ac Italiæ Rex decernebatur, is simul designabatur & futurus erat Romanorum Imperator, eo fere pacto, quo nostris temporibus quicumque Rex Romanorum proclamatur, certum jus consequitur ad Imperialis etiam Dignitatis titulum & culmen: nisi quod olim ut nomen & usus Augustalis Dignitatis rite assumeretur, opus erat Coronatione Romana. Atque hæc omnia à Summis Pontificibus, ad quos præcipue pertinebat Imperatorum Electio, censendum est fuisse concessa aut tacito consensu, aut expressis pactis, aut ita suadente metu, quum nulla plerumque obsistendi ratio foret armato Regi Italiam intranti, & Italici Regni potentiam & Coronam adepto. Ceterum mihi veri videtur simile, non tam citò excidisse jus Italicorum Principum in Electione Regum. Otto Frisingensis Episcopus, nobilis Historicus, referens acta Friderici I. Augusti Nepotis sui, Lib. 2. Cap. 1. de Gest. ejusdem, auctor est, non defuisse hujus Principis Electioni quosdam Italiæ Optimates. *In Oppido*, inquit ille, *Franconefurt de tam immensa Transalpini Regni latitudine, universum* (*mirum dictu!*) *Principum robur, non sine quibusdam ex Italia Baronib*[illegible], *tamquam in unum corpus coadunari potuit. Ubi quum de eligendo Principe Primates consultarent: nam id juris Romani Imperii apex, videlicet non per sanguinis propaginem descendere, sed per Principum Electionem Reges creare, sibi tamquam ex singulari prærogativa* &c. Juvat insuper adferre quæ habet Amandus à Secretis ipsius Friderici I. in Libro de primis Actis à Friderico in Imperio peractis, quem laudatum vidi à nuper memorato Gewoldo Jurisconsulto Germanico in eodem Tractatu Cap. 6. *Anno MCLII.* (ita ille scribit) *multi illustres Heroes ex Lombardia, Tuscia, Januensi, & aliis Italiæ dominiis, ac major & potior pars Principum in Transalpino Regno convenerunt in Urbe Francofurtensi*. Tum subdit, omnes concordibus votis in Electionem Friderici I. consensisse. Quare jam videas, non unis Germaniæ Primatibus, eoque minus unis Septemviris Electoribus olim datum creare posse Regem, ac futurum Imperatorem, sed Italicis quoque jus idem fuisse, ac propterea nimium nutare, quæ Hermannus Conringius, vir alioqui singularis eruditionis, habet in Libro de Finib. Imper. German. Lib. 2. Cap. 19. §. 28. *Huc facit* (sunt ejus verba) *quod Italia omnem pæne potestatem Cæsaris aut Regis constituendi, adeoque ejus, qui & Italis omnibus imperandi jus habeat, uni Germaniæ citra omnem controversiam numquam non concesserit, ex quo ab Ottone fuit devicta*. Alios mores progressu temporis Germania, alios Italia hoc in negotio cepit. Nam apud Italos crescente potentiâ Urbium, quæ jam Reipublicæ formam assumserant, omnes fere Episcopi, & plerique sæculares Principes suis ditionibus, hoc est dominatione Civitatum & Castrorum spoliati sunt, atque in ea perturbatione rerum jus etiam amiserunt conveniendi ad Regum & Cæsarum Electionem. In Germania

mania vero, ut faciliori via eadem Electio peragеretur, sensim suffragiorum jus redactum est ad Septem præcipuos amplissimi illius Regni, sive Reipublicæ Proceres, qui nunc Electores dicuntur; & proxime præterito Sæculo duobus additis ad novenarium numerum assurrexerunt. Ceterum vetustioribus Sæculis non in Germania, sed Ticini in magnifico Italicorum Principum conventu, peragebatur Italici Regis Electio. Confluebant illuc Episcopi, Duces, Marchiones, & Comites; & in quem coibant plurium suffragia, ille Rex consalutari consuevit. Ea de caussâ mos fuit, ut quisque ex iis domum propriam sibi conquireret in Urbe Ticinensi, qua uterentur, quoties ad Regni Comitia, aut ad Aulam Regiam, aliis negotiis poscentibus, accedendum erat. Et quidem hac in re sibi, suisque Successoribus consuluit Warinus Mutinensis Episcopus Anno MXVIII. Dedit enim operam, ut Rainardus quidam cum Roza conjuge sibi venderent *Casas duas solariatas, & Turrim unam cum Capella una infra ipsam Turrim ædificata in honore Sancti Nicolai, quæ dicitur de Sala, una cum area sua & Curte, prope Porta, quæ dicitur de Viridario*. Meminit & hujus rei Sillingardus Episcopus Mutinensis in Catalogo Episcop. Mutinensium. Sed præstat Chartam ipsam producere, quæ autographa, rudique stilo scripta, adservatur in Tabulario Canonicorum Mutinensium.

## Charta venditionis duarum domuum, Turris, & Capellæ in Urbe Ticinensi facta VVarino Episcopo Mutinensi à Rainardo & Roza conjugibus, Anno 1018.

*Die Veneris, quod est IV. Kalendis September, Civitate Papia, presentia bonorum hominum, eorum nomina suptus leguntur, comendaverunt* Domnus Warinus Episcopus Episcopio Sancte Motinensis Ecclesie *una cum Tredulfus Avocato suo & ipsius Episcopii, & Rainardus filius quondam Attoni, Siloni Notario filius quondam Almaini, qui & Amizo, Cartula una offersionis, quam ipse Rainardus cum Roza conjus sua emissam abebat in predicto Episcopio, de Casas duas solariatas, & de Turre una cum Capella una infra ipsa Turre, edificata in onore Sancti Nicolagi, qui dicitur de Sala, una cum area suarum, cum Curte, omnia insimul tenente prope Porta, quod dicitur de Viridario, & tamtum de argentum valente usque ad Libras duodecim, eo tinore, ut supter legerit, ita ut in Misa Sancti Michaëlis ista prosima veniente det ipse Domnus Warinus Episcopus per se aut Misso ipsorum Rainardi & Siloni ic Civitate Papia inter aurum & argentum, adque palleos valente usque argentum denarios bonos Papienses Libras cemtum viginti quinque, & in Purificatione Sancte Marie, que venit secundo die mensis Februarii ista prosima veniente, det ipse Episcopus per se aut suo Misso ipsorum Rainardi & Siloni ic Civitate similiter inter aurum & argentum adque palleos, valente Libras cemtum viginti quinque argenti. Et cum ec omnia atinpletum fuerit, statim fiad capsata & taliata predicta Carta offersionis, & ipse Silus de predicta res emittat Cartam venditionis in ipse Rainardus sine sua defemsione & restauracione, excepto si de suum datum aut factum aparuerit; & ipse Rainardus emittat alia Carta offersionis sub dubla defemsione cum conjus sua, si abuerit per Lex facta in predicto Episcopio de jam dictas res. Et ipse Domnus Warinus Episcopus eadem Carta offersionis, aut suus Avocatus in alio die prosimo in judicio ostendat, & ipse Rainardus cum conjus sua eam laudet, ut bona & vera sit, & atinplendum, ut supra legitur; tunc ipse Silus Notarius eadem Carta offersionis, quam comendata est ipsi Rainardi taliata redat, & predictum argentum, quod sunt Libras duodecim valente; adque illut precium, quod plus inde receptum abuerint ipsi Silus & Rainardus communiter à proprium abeant, faciendum exinde quicquit voluerint. Et si ipse Rainardus distulerint ec omnia adimplere, qualiter superius declaratum est, tunc ipse Domnus Warinus Episcopus per se aut suo Misso predictum precium, quod est inter aurum & argentum, adque pallios, valente Libras duocemtum quinquaginta, ipsi Siloni donet, & ipse Silus emittat Cartam offersione sub dubla defemsione per Lex facta de predictas res in predicto Episcopio Sancte Motinensis Ecclesie; & eadem alia Carta offersionis, quam comendata est, & ceteras Cartas, quas de ipsas res ipse Silus abet, ipsi Domni Warini Episcopi, aut à suo Misso, donec cessamte ullo concludio. Et taliter se exinde ipse Silus oblicavit & adimplendum; umde due Breves uno tinore scripti sunt.*

*Factum est oc Hanno Imperii Domni Eirici Imperatoris, Deo propicio, Quinto, suprascripto die Veneris, Indictione Prima.*

*Signum manibus ✠✠✠ Leginulfi qui & Berenglerii, & Aginoni, adque Rodulfi, qui interfuerunt testes.*

*Signum ✠✠ manibus Azoni, & Gerardi testes, qui interfuerunt.*

*Ego Restaldus Notarius sacri Palatii interfui, & unc Brevem scripsi.*

Pater Romualdus à Sancta Maria, in sua Flavia Papia, Part. I. pag. 60. scribit, concessum à Johanne VIII. Papa Privilegium Ticinensi Episcopo, *ut quotiescumque Episcopus ille vocaret ad Synodum Archiepiscopos Mediolanensem & Ravennatem cum Suffraganeis, venire omnino deberent*. Verba hæc Baronii sunt, idque revera scriptum in Epistola 139. ejusdem Johannis Octavi Tomo IX. Concilior. Labbe. Neque Johanni tantum Episcopo Ticinensi id Privilegii indultum, sed & *post eum suis Successoribus*. Non immeritò addidit Cardinalis Baronius: *Quod non crederem, nisi legissem*. Quis enim sibi persuadeat, adversante omnium Sæculorum disciplinâ, Johannem VIII. tam enormiter dejicere voluisse dignitatem adeo insignium in Italia Metropolitarum, usque adeo ut nullo sane gravi scelere præeunte, subjicere illos voluerit uni Episcopo Ticinensi? Quod in aliqua ardua Regni necessitate id Romanus Pontifex ab ipsis exigere se posse putarit, à vero minime abhorret. Verùm pro *futuris perpetuis temporibus*, uti Pater Romualdus contendit, sibique in ea re obedientiam polliceri potuerit, facile non adducar, ut credam. Potius eò opinione concedam, ut suspicer interpolatam Epistolam illam, aut aliter quam

quàm creditur, esse explicandam. At ipse Romualdus addit, effectum imperio successisse. Nam Episcopi Italici sibi domum Ticinensi in Urbe conquisierunt, ut dum ad Synodos convenirent, domi suæ habitarent. Quam in rem inter alia is adfert Aulicum Ticinensem, cujus Opusculum dedi Tomo XI. Rer. Italicarum. Is enim, si hoc in loco Romualdo fides, in hæc verba scribit: Papiæ sunt inter reliquas *Ecclesia Sancti Eusebii de Curte Vercellina, quia Episcopus Vercellensis ad Synodum veniens ibi residebat*. Verùm absunt verba ista, *quia Episcopus* &c. ab Aulici Ticinensis antiquo textu, quo ego sum usus ad evulgandum illius Opusculum de Laudib. Papiæ. Contra, ne quid dissimulem, is certe hæc alia habet: *Temporibus Longobardorum, sicut fertur, illic* (idest Ticini) *omnium partium illarum Episcopi congregabantur ad Synodum: unde & adhuc sunt ibi Capellæ quamplures vocatæ multarum Civitatum Langobardiæ nominibus. Nam quoad hujusmodi convocationem Concilii jus quasi Metropolitanum habebat* &c. Attamen repono, egregium quidem testem rerum suo tempore existentium fuisse Aulicum Ticinensem; is autem hæc scribebat Anno Christi MCCCXXX. nihil vero nos adigere ad ea credenda, quæ is narrat contigisse *temporibus Longobardorum*, à quibus is nimium aberat. Id quidem veri similius, Ticinenses illas Capellas *multarum Civitatum nominibus* adhuc Aulici ævo notas in usum Episcoporum tantummodo constitutas fuisse, quoties ii ad Comitia Regni conveniebant. Memorat ipse Aulicus *Ecclesiam Sancti Nicolai de Verxatio*. Puto corrigendum locum, & scribendum *de Verzario*, eamdemque esse cum Ecclesia Sancti Nicolai, sitam ad Portam, *quæ dicitur de Viridario*, spectante ad Episcopum Mutinensem, ut supra vidimus. Nam *Viridarium* & *Verzarium* idem significarunt, & ex primo alterum Sæcula barbarica efformarunt. Porro quum ex eodem Aulico Ticinensi habeamus, Ticini extitisse *Ecclesiam Sancti Geminiani* Mutinensium Patroni: hæc revera fuisse videtur Ecclesia, qua Mutinenses Episcopi utebantur, quum Ticinum pergebant.

Electionem Regum Italicorum consequebatur veluti necessarium complementum, eorum Consecratio & Coronatio, quæ ingenti solemnitate, mirabilique Populorum concursu, exsultatione, & plausu peragi apud Insubres consuevit. Posceret heic rerum ordo, ut illustre hoc argumentum pertractarem, nisi illud idem jam antea præstitissem in Tractatu *de Corona Ferrea*, quem Tomo II. Anecdotorum meorum Latinorum inserui, & recusum deinde Lipsiæ, & postremo Lugduni Batavorum in Thesauro Antiquitatum Italicarum Respublica Literaria accepit: quare illuc Lectores amandare mihi liceat. Necesse quoque fuit, ut quicumque post Carolum Magnum Romanorum Imperator dicendus erat, prius *auream Coronam* Romæ de manu Pontificis Maximi reciperet. Unus excipiendus videtur Ludovicus Pius, cui Anno Christi DCCCXIII. idem Carolus Magnus Diadema Imperii imposuit, & Imperatoris nomen contulit Aquisgrani, minime exspectatâ coronatione Romana. Sed par est credere, ad eum sublimandum confluxisse etiam consensum Romani Pontificis. Et quod certissimum est, ut supra innui, Anno DCCCXVI. idem Ludovicus à Stephano IV. Papa in Gallias profecto se coronandum curavit. Glaber Radulphus Lib. I. Cap. V. Histor. *Nimium* (scribebat circiter Annum Ch. 1045.) *condecens ac perhonestum videtur, atque ad pacis tutelam optimum decretum, scilicet ut ne quisquam audacter Romani Imperii sceptrum præproperus gestare Princeps appetat, seu Imperator dici, aut esse valeat, nisi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate elegerit aptum Reipublicæ, eique commiserit insigne Imperiale*. Verùm splendidissimus ille ritus, ita ferente rerum vicissitudine, jamdiu in desuetudinem, ut omnes norunt, abiit, quum à paucis Sæculis Electione & Coronatione Germanica peractâ, continuo Electus incipiat non solùm titulo Cæsaris uti, sed & integram exercere Imperatoriam auctoritatem non secus in Germania, atque in Italia, parum curans, immo ne necessarias quidem putans reliquas duas Coronationes ad amplissimi honoris integritatem. Quare tum Romanam, tum Italicam Coronam ad umbratilem potius pompam nostris temporibus redactam non injuriâ dicas. Quod plus etiam mirere, à nonnullis Sæculis vel ipsum nomen Italici Regni evanuisse videtur, quasi unus præstantissimus Titulus *Imperatoris, & Imperii Romani*, Regnum Italicum, addo & Germanicum, absorbuerit. Ludovicus quidem Pius is præcipue fuit, qui in suis Diplomatibus inscribere se unice cœpit *Romanorum Imperatorem*, prætermisso Titulo *Regis Francorum & Langobardorum*, acsi persuadere vellet, ex vastissima ejus Monarchia, quæ Italiam, Franciam, ac potiorem Germaniæ partem complectebatur, unam ditionem efformatam fuisse, quæ *Romanum Imperium* appellaretur. Attamen tum ipse, tum ejus Successores, ipsique Germanici Cæsares per longa tempora diserte Annos Regni ab Annis Imperii distinxere, ut ostenderent, se ea tenere titulis diversis. Tandem verò nihil ferme aliud audiri cœptum est, quàm *Romanum Imperium*, ita ut jus illud, quod ab Augustis exercetur, non amplius appelletur auctoritas Regis Germaniæ, aut Regis Italiæ, sed quidem Romanorum Imperatoris. Statuendum tamen videtur, uti Regna Italiæ ac Germaniæ inter se diversa sunt, ita hæc Regna diverso titulo ac jure subesse Romanorum Imperatori Augusto. Coronationis autem Romanæ Ritum expressit eruditissimus Pater Martene Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri, Tomo III. Lib. 2. Cap. 9. de Antiqu. Eccles. Ritibus. Adferam & ego, quæ delibavi è vetusto Pontificali Libro MSto, existente Lucæ apud olim Nobilem virum Fridericum Luchesinium, & ante annos ferme quadringentos exarato. Ibi legebatur

ORDO

# ORDO I.

## Ad benedicendum & coronandum Imperatorem.

*Cum Rex in Imperatorem electus pervenerit ad Portam Collinam, quæ eſt juxta Caſtellum Creſcentii, recipiatur honorifice à Clero Urbis cum Crucibus & thuribulis, & proceſſionaliter deducatur uſque ad gradus Baſilicæ Sancti Petri, cantantibus univerſis Reſponſorium :* Ecce ego mitto Angelum meum *&c. Camerariis ejus miſſilia ſpargentibus ante ipſum, & Præfecto Urbis gladium præferente. Cum autem pervenerit ante Baſilicam in platea, quæ Cortina vocatur, deſtrandus eſt à Senatoribus uſque ad gradus prædictos, ubi eo deſcendente tradendus eſt equus, cui Rex inſederat, illis. Interim Summus Pontifex cum omnibus Ordinibus ſuis præparet ſe in Secretario, tamquam celebraturus divina : & proceſſionaliter exiens uſque ad ſuggeſtum Archæ, quæ eſt in Capite graduum, ſuper faldiſtorium ibi ſedeat, aſcendentibus ſuper primum gradum à parte dextera Epiſcopis, & Presbyteris, & à ſiniſtra Diaconis Cardinalibus, & in proximiori gradu Subdiaconis & Acolitis, Primicerio & Cantoribus circa illos, cum Magnatibus & Nobilibus, Officialibus & Miniſterialibus Aulæ Papalis. Tunc Rex cum Archiepiſcopis & Epiſcopis, Principibus & Magnatibus ſuis aſcendens ad Summum Pontificem, reverenter oſculatur ei pedem, & offerens ei aurum, quantum ei placuerit, benigne recipiatur ab eo ad oſculum & amplexum. Quo demum ſurgente, Rex ipſe à parte dextera, & Prior Diaconorum Cardinalium à ſiniſtra, deducat eum uſque ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Turribus, ubi ante Altare, Subdiacono Evangelii textum tenente, Rex ſuper eum præſtet corporaliter hujuſmodi juramentum.* Ego Ill. Rex Romanorum, annuente Deo futurus Imperator, promitto, ſpondeo, polliceor, atque juro coram Deo, & Beato Petro, me de cetero protectorem ac defenſorem fore Summi Pontificis, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in omnibus neceſſitatibus & utilitatibus ſuis cuſtodiendis, & conſervando poſſeſſiones, honores, & jura ejus, quantum divino fultus adjutorio fuero, ſecundùm ſcire & poſſe meum, recta & pura fide. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

Plura ego non deſcripſi, quòd reliqua mihi viſa ſunt iis conformia, quæ apud Odoricum Raynaldum & alios leguntur. Quicumque tamen argumento huic majorem lucem deſiderat, nunc à me accipiat, quæ de Coronatione Auguſtorum memoriæ prodidit Cencius Camerarius in Codice MSto Cenſuum Romanæ Eccleſiæ. Ibi duo *Ordines* habentur ad *benedicendum* Imperatorem, quorum alter brevis, alter fuſior. Primum profero.

# ORDO II.

## Coronationis Romanorum Imperatoris, atque Imperatricis.

*Incipit Ordo Romanus ad benedicendum Imperatorem, quando Coronam accipit. Promiſſio Imperatoris :* In nomine Chriſti promitto, ſpondeo, atque polliceor ego N. Imperator coram Deo & beato Petro, me protectorem ac defenſorem eſſe hujus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in omnibus utilitatibus, inquantum divino fultus fuero adjutorio, ſecundùm ſcire meum & poſſe. *De hinc Orationem primam det Albanenſis Epiſcopus ante portam Argenteam Baſilicæ Sancti Petri.* Deus, in cujus manu corda ſunt Regum, inclina ad preces humilitatis noſtræ aures miſericordiæ tuæ, & Imperatori noſtro N. famulo tuo tegimen tuæ appone ſapientiæ, ut hauſtis de tuo fonte conſiliis & tibi placeat, & ſuper omnia Regna præcellat. *Orationem vero ſecundam det Epiſcopus Portuenſis intra Eccleſiam beati Petri in medio Rotæ :* Deus, inenarrabilis auctor Mundi, conditor generis humani, gubernator Imperii, confirmator Regni, qui ex utero fidelis amici tui Patriarchæ noſtri Abrahæ præelegiſti Regem ſeculis profuturum, tu præſentem Regem hunc cum exercitu ſuo per interceſſionem omnium Sanctorum uberi benedictione locupleta, & in ſolium Regni firmâ ſtabilitate connecte. Viſita eum, ſicut Moyſen in rubo, Jeſum Nave in prœlio, Gedeon in agro, Samuelem in Templo, & illa eum benedictione ſiderea, ac ſapientiæ tuæ rore perfunde, qua beatus David in Pſalterio, Salomon filius ejus te remunerante percepit è cælo. Sis ei contra acies inimicorum lorica, in arduis galea, in proſperis patientia, in protectione clypeus ſempiternus. Præſta, ut gentes illi teneant fidem, Proceres ſui habeant pacem, diligant caritatem, abſtineant ſe à cupiditate, loquantur juſtitiam, cuſtodiant veritatem ; & ita Populus ille pullulet coalitus benedictione æternitatis, ut ſemper maneant tripudiantes in pace victores. Quod ipſe præſtare dignetur &c. *Deinde vadant [illegible] Confeſſionem beati Petri Apoſtoli, & proſternat ſe pronum in terra. Et Archidiaconus faciat Letaniam. Quâ finitâ, Epiſcopus Oſtienſis ungat ei ex oleo exorcizato brachium dextrum & inter ſcapulas, & dicat hanc Orationem :* Domine Deus omnipotens, cujus eſt omnis poteſtas & dignitas, te ſupplici devotione, atque humillima prece depoſcimus, ut huic famulo tuo proſperum Imperatoriæ Dignitatis concedas effectum, ut in tua diſpoſitione conſtituto ad regendam Eccleſiam tuam Sanctam nihil ei præſentia officiant, futuraque non obſiſtant, ſed inſpirante Sancti Spiritus tui dono, Populum ſibi ſubditum æquo juſtitiæ libramine regere valeat, & in omnibus operibus ſuis te ſemper timeat, tibi jugiter placere contendat. Per &c. *Sequitur hæc Oratio :* Deus Dei Filius Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui à Patre oleo exſultationis unctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacri unguinis effuſionem, Spiritus Paracliti ſuper caput tuum infundat benedictionem, eamdemque uſque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc viſibili & tractabili dono inviſibilia percipere, & temporali Regno juſtis miſerationibus exſequuto, æternaliter conregnare merearis ;

ris; qui solus sine peccato vivit, & gloriatur cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, per *&c. Demum vero Pontifex Romanus sursum ante Altare imponit ei Diadema in capite, dicens:* Accipe signum gloriæ, in nomine Patris & Fillii & Spiritus Sancti, ut spreto antiquo hoste, spretisque contagiis vitiorum omnium, sic judicium & justitiam diligas, & ita misericorditer vivas, ut ab ipso Domino nostro Jesu Christo in consortio Sanctorum æterni Regni coronam percipias. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit *&c.*

Sed hæc nimis jejune. En ergo alterum *Ordinem*, in quo omnes ritus magnificæ illius solemnitatis describuntur, quales frustra fortassis alibi requiras.

# ORDO III.

## Coronationis Romanorum Imperatoris.

*INcipit Ordo Romanus ad benedicendum Imperatorem, quando Coronam accipit à Domino Papa in Basilica Beati Petri Apostoli ad Altare Sancti Mauricii. Die Dominico descendit Electus cum Conjuge sua ad Sanctam Mariam Transpadinam, quæ est juxta Terebintum: ibique recipitur honorifice à Præfecto Urbis, & Comite Palatii Lateranensis, & Uxor ejus à Dativo Judice & Arcario. Et deducitur per Porticum, Clericis Urbis omnibus indutis cappis, planetis, dalmaticis, & tunicis, cum thuribulis, cantantibus:* Ecce mitto Angelum meum, *usque ad suggestum areæ superioris, quæ est in capite graduum ante portas æreas Sanctæ Mariæ in Turri. Ibi sedet Dominus Papa in Sede sua, circum stantibus Episcopis & Cardinalibus, Diaconis, & ceteris Ecclesiæ Ordinibus. Tunc Electus Imperator cum Conjuge sua & omnibus Baronibus suis, Clericis, & Laicis, osculantur pedes Domini Papæ: & Reginâ in partem cum supradictis ductoribus suis recedente, Electus jurat fidelitatem Domino Papæ in hunc modum:* In nomine Domini nostri Jesu Christi. Ego N. Rex, & futurus Imperator Romanorum, promitto, spondeo, polliceor, atque per hæc Evangelia juro coram Deo, & beato Petro Apostolo, tibi N. beati Petri Apostoli Vicario fidelitatem, tuisque Successoribus canonice intrantibus; meque amodo Protectorem ac Defensorem fore hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & vestræ personæ, vestrorumque Successorum in omnibus utilitatibus, in quantum divino fultus fuero adjutorio, secundùm scire meum ac posse, sine fraude & malo ingenio. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia. *Ibique Camerarius Domini Papæ, Electi Pallam accipit sibi habendam. Deinde quærit ab eo Dominus Papa, si vult habere pacem cum Ecclesia. Eoque ter respondente:* Volo, *Dominus Papa dicit:* Et ego do tibi pacem, sicut Dominus dedit Discipulis suis. *Osculaturque frontem ejus & mentum (rasus enim esse debet) & ambas genas, postremo os. Tunc surgens Dominus Papa ter quærit ab eo, si velit esse filius Ecclesiæ. Et illo ter respondente:* Volo, *Dominus Papa dicit:* Et ego te recipio ut filium Ecclesiæ. *Et mittit eum sub Manto, & ille osculatur pectus Domini Papæ; & accipit eum per dexteram manum, & Cancellarius ejus sustentat eum à sinistra. Electus verò ducitur per dexteram ad Archidiaconum Domini Papæ; & sic intrat per portam æream, Clericis beati Petri cantantibus:* Benedictus Dominus Deus Israël, *usque ad portam argentariam. Ibi dimittit eum Dominus Papa orantem, quem lento subsequitur gradu Regina cum supradictis ductoribus suis usque ad supradictam portam argenteam. Electus verò completa Oratione surgit, & Episcopus Albanensis dat super eum hanc primam Orationem:* Deus, in cujus manu corda sunt Regum, inclina ad preces humilitatis nostræ aures misericordiæ tuæ, & Principi nostro famulo tuo N. tegimen tuæ appone sapientiæ, ut haustis de tuo fonte consiliis, tibi placeat, & super omnia Regna præcellat. Per *&c.*

*Post Dominus Papa ingreditur Ecclesiam beati Petri, Clericis ejusdem Ecclesiæ cantantibus responsorium:* Petre amas me? *Quo completo, Dominus Papa benedicit. Deinde sedet in Sede sibi præparata in dextera parte ejusdem rotæ. Completa Oratione Albanensis Episcopi ingreditur Electus, & sedet in prædicta Sede, Archipresbytero Cardinalium & Archidiacono hinc inde eum ducentibus, & juxta eum sedentibus, ut doceant qualiter debeat Domino Papæ in scrutinio respondere. Dominus Papa facit scrutinium in hunc modum. Septem Episcopis sedentibus ad dexteram ejus, secundùm ordinem suum, Episcopi Theutonici sedeant ad dexteram Electi, Cardinales & ceteri Ordines Ecclesiæ sedeant. Dominus Papa dicit:* Antiqua Sanctorum Patrum institutio docet & præcipit, ut quisquis eligitur, ut præesse debeat, antea diligentissime examinetur cum omni caritate de fide Sanctæ Trinitatis: & interrogetur de diversis causis vel moribus, qui suo regimini congruunt, secundùm Apostolicum dictum: *Manum citò nemini imposueris.* Et ut etiam is, qui ordinandus est, antea erudiatur, qualiter eum in ea prælatione constitutum oporteat conversari, ut excusabiles sint, qui ei manus imponunt. Eadem itaque auctoritate & præcepto interrogamus te, dilectissime fili, caritate sincera, si omnem prudentiam tuam, quantum tua capax est natura, divino servitio mancipare volueris? *Respondet ita:* Toto corde volo in omnibus obedire & consentire. *Interrogatur:* Vis mores tuos ab omni malo temperare, & quantum poteris, Domino adjuvante, ad omne bonum commutare? *Respondet:* In quantum possum, volo. *Interrogatur:* Vis sobrietatem cum Dei auxilio custodire? *Respondet:* In quantum possum, volo. *Interrogatur:* Vis semper divinis mancipari negotiis, & à lucris turpibus esse alienus, quantum te humana permittit fragilitas? *Respondet:* In quantum possum, volo. *Interrogatur:* Vis humilitatem & patientiam in temetipso custodire, & alios ad hoc inclinare? *Respondet:* In quantum possum, volo. *Interrogatur:* Pauperibus & peregrinis, omnibusque indigentibus vis esse propter nomen Domini affabilis, & misericors? *Respondet:* Volo. *Et dicat Dominus Papa:* Hæc omnia, & cetera bona tribuat tibi Dominus, & custodiat te atque corroboret in omni bono. *Et respondent omnes:* Amen. *Interrogatur:* Credis secundū intelligentiam tuam & capacitatem sensus tui Sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum

ritum Sanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem, coëssentialem & consubstantialem, coæternum & coomnipotentem, uniusque voluntatis, potestatis, & majestatis, Creatorem omnium creaturarum, à quo omnia, & in quo omnia, quæ sunt in Cælo & in Terra, visibilia & invisibilia? *Respondet*: Assentio, & ita credo. *Interrogatur*. Credis singulam quamque in Sancta Trinitate Personam, unum Deum verum, plenum & perfectum? *Respondet*: Credo: *Interrogatur*: Credis ipsum Dei Filium Verbum Dei æternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, & coæqualem per omnia Patri divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex Maria temporalem, Deum verum, & Hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, neque phantasticum, unicum & unum Deum, Filium Dei in duabus naturis, sed in unius personæ singularitate impassibilem & immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis, & pro nostra salute passum verâ carnis passione, & sepultum, ac resurgentem à mortuis die tertia verâ carnis resurrectione; die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, & anima ascendisse in Cælum, & sedere ad dexteram Dei Patris, unde venturus est judicare vivos & mortuos, & reddere unicuique secundùm opera sua, sive bona fuerint, sive mala? *Respondet*: Assentio, & per omnia credo. *Interrogatur*: Credis etiam Spiritum Sanctum, plenum & perfectum, verumque Deum ex Patre & Filio procedentem, coæqualem & coëssentialem & coomnipotentem & coæternum per omnia Patri & Filio? *Respondet*: Credo. *Interrogatur*: Credis hanc Sanctam Trinitatem, non tres Deos, sed unum Deum omnipotentem, æternum, invisibilem, & incommutabilem? *Respondet*: Credo. *Interrogatur*: Credis Sanctam Catholicam & Apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur Baptisma, & vera omnium remissio peccatorum? *Respondet*: Credo. *Interrogatur*: Anathematizas etiam omnem hæresim extollentem se adversùs Sanctam Ecclesiam Catholicam? *Respondet*: Anathematizo. *Interrogatur*: Credis etiam veram resurrectionem carnis ejusdem, quam nunc gestas, & Vitam æternam? *Respondet*: Credo. *Interrogatur*: Credis etiam novi & veteris Testamenti, Legis & Prophetarum & Apostolorum unum esse Auctorem Deum, & Dominum omnipotentem? *Respondet*: Credo. *Et dicatur ei*: Hæc Fides augeatur à Domino ad veram & æternam Beatitudinem, dilectissime in Christo fili. *Et respondeant omnes*: Amen.

*Tunc vadit Dominus Papa ad Secretarium, & induit se Pontificalibus indumentis usque ad Dalmaticam, quibus indutus sedet. Interim Episcopus Portuensis in medio rotæ medianæ dat hanc Orationem super Electum*: Deus inenarrabilis Auctor Mundi *&c. sicut in unctione Regis. Finita Oratione vadit Electus ad Chorum Sancti Gregorii cum prædicto Cardinalium Archipresbytero, & Archidiacono: quibus quasi magistris uti debet in toto officio unctionis. Et induunt eum Amictu, & Alba, & Cingulo. Et sic deducunt eum ad Dominum Papam in Secretarium. Ibique faciat eum Clericum. Et concedit ei Tunicam & Dalmaticam & Pluvialem & Mithram, Caligas & Sandalia, quibus utatur in Corona sua. Et sic indutus stat ante Dominum Papam. Verum completo scrutinio exit Ostiensis Episcopus ad portam Argenteam, ubi Regina cum Judicibus & Baronibus suis præstolatur, & dat ei hanc Orationem*: Omnipotens æterne Deus, fons & origo bonitatis, qui semen & sexus fragilitatem nequaquam reprobando adversaris, sed dignanter comprobando potius eligis, & qui infima Mundi eligendo quæque fortia confundere decrevisti, quique æternæ gloriæ, virtutisque tuæ triumphum in manu Judith feminæ . . . . . . Judaicæ plebi de hoste sævissimo resignare voluisti, respice, quæsumus, ad preces humilitatis nostræ, & super hanc famulam tuam N. quam supplici devotione in Reginam eligimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eamque dexterâ tuæ potentiæ semper & ubique circumda, ut verbo muniminis tui undique firmiter protecta, visibilis seu invisibilis hostis nequitias triumphanter expugnare valeat, & una cum Sarra atque Rebecca, Lia & Rachel, beatis reverendisque feminis, fructu uteri sui fœcundari, seu gratulari mereatur ad decorem totius Regni, statumque sanctæ Dei Ecclesiæ regendum, nec non protegendum, per Christum Dominum nostrum, qui ex intemerato Beatæ Mariæ Virginis utero nasci, visitare ac renovare hunc dignatus est Mundum. Qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus Sancti, per immortalia secula seculorum. Amen. *Qua Oratione completa, unus de Cardinalibus Presbyteris, cui Prior præceperit, & de Diaconibus similiter unus, cui Archidiaconus jusserit, Reginam deducant usque ad Altare Sancti Gregorii; ibique exspectet, donec Dominus Papa cum sua processione exeat. Completis igitur omnibus supradictis, Ministri induant Dominum Papam Planetam & Pallium; & impositâ Mithrâ procedat, Ordinibus de more procedentibus. Post quem vadat Electus cum supradictis ductoribus suis, quem sequatur Uxor ejus usque ad Arcam beati Petri. Tunc Primicerius cantat introitum cum Schola, &* Kyrie Eleison, *& silet. Dominus Papa ascendit ad Altare, & post confessionem dat pacem Diaconibus, & incensat. Post incensum ascendit ad Sedem. Electus verò inter hæc & Uxor ejus prosternuntur ante Arcam beati Petri, & Archidiaconus facit Letaniam. Qua finita exuitur solo Pluviali dimisso. Episcopus Ostiensis ungat brachium dextrum de oleo exorcizato, & inter scapulam, & dicit*: Domine Deus omnipotens, cujus est omnis potestas & dignitas, te supplici devotione atque humillima prece deposcimus, ut huic famulo tuo prosperum Imperatoriæ dignitatis concedas effectum, ut in tua dispositione constituto, ad regendam Ecclesiam tuam nihil ei præfinita (*) officiant, futuraque non obsistant; sed inspirante Sancti Spiritus tui dono, Populum sibi subditum, æquo justitiæ libramine regere valeat, & in omnibus operibus suis te semper timeat, tibique jugiter placere contendat. Per Dominum *&c. Sequitur Oratio*: Deus Dei Filius Jesus Christus Dominus noster, qui à Patre oleo exsultationis unctus est præ participibus suis, ipse per præsentem sacri unguinis infusionem, Spiritus Paracliti super caput tuum fundat

(*) In Ordine II. supra descripto habetur *præsentia*.

dat benedictionem, eamdemque usque ad interiora cordis tui penetrare faciat: quatenus hoc visibili & tractabili dono invisibilia percipere, & temporali Regno justis moderaminibus exsequuto, æternaliter cum eo regnare merearis. Qui solus sine peccato Rex Regum vivit & gloriatur cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus Sancti, *&c.*

*Post Regis unctionem sequitur Benedictio Reginæ ante Altare*: Deus, qui solus habes immortalitatem, lucemque habitas inaccessibilem, cujus Providentia in sui dispositione non fallitur; qui fecisti quæ futura sunt, & vocas ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt: qui superbos æquo moderamine de Principatu ejicis, atque humiles dignanter in sublime provehis; ineffabilem misericordiam tuam supplices exoramus, ut sicut Esther Reginam Israël, causâ salutis, de captivitatis suæ compede solutam ad Regis assumi thalamum, Regnique sui consortium transire fecisti, ita hanc famulam tuam N. humilitatis nostræ benedictione, Christianæ plebis gratiâ salutis, ad dignam sublimemque Regis nostri copulam, Regnique sui participium misericorditer transire concedas. Et ut Regali fœdere conjugii semper manens pudica, proximam dignitatis palmam continere queat, ubi Deo vivo & vero in omnibus & super omnia jugiter placere desideret, & te inspirante, quæ tibi placita sunt, toto corde perficiat. Per Dominum nostrum Jesum Christum. *Sequitur*: Sacri unctio olei in pectore Reginæ Spiritus Sancti gratia humilitatis nostræ officio copiosa descendat, ut sicut manibus nostris indignis oleo materiali oblita pinguescit exterius, ita ejus invisibili unguimine delibuta impinguari merearis interius, eâque spirituali unctione perfectissime semper imbuta, & illicita declinare tota mente & spernere discas seu valeas, & utilia animæ tuæ jugiter cogitare, optare, atque operari queas, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & eodem Spiritu Sancto vivit & regnat Deus in secula seculorum. Amen. *Post hæc Dominus Papa descendit à Sede, & vadit ad Altare Sancti Mauritii, sequente Electo & Regina. Et Domino Papa stante super limen in introitu Altaris, Electus stet ante eum in medio rotæ; ad cujus dexteram stet Regina cum sex Episcopis Palatii Lateranensis in rotis, quæ sibi positæ sunt, circumstantibus* (*), *septimo in officio Altaris Domino Papæ serviente. Tunc Oblationarius Prior & Secundus sumant Coronas Electi & Reginæ de Altari Sancti Petri, & ponant super Altare Sancti Mauritii. Tunc Dominus Papa det Annulum Electo, & dicat*: Accipe Annulum, signaculum, videlicet sanctæ Fidei, soliditatem Regni, augmentum potentiæ; per quem scias triumphali potentia hostes repellere, hæreses destruere, subditos coadunare, & Catholicæ Fidei perseverabilitati connecti. Per *&c. Oratio post Annulum datum*: Deus, cujus est omnis potestas & dignitas, da famulo tuo prosperum suæ dignitatis effectum, in qua te remunerante permaneat, semperque teneat, tibique jugiter placere contendat. Per Christum *&c. Hinc cingit eum Gladio, & dicit*: Accipe hunc Gladium cum Dei bene✠dictione tibi collatum, in quo per virtutem Spiritus Sancti resistere & ejicere omnes inimicos tuos valeas, & cunctos sanctæ Dei Ecclesiæ adversarios, Regnumque tibi commissum tutari, atque protegere castra Dei, per auxilium invictissimi triumphatoris Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre in unitate Spiritus Sancti vivit & regnat in secula seculorum. Amen. *Oratio post Gladium*: Deus, qui providentiâ tuâ cælestia simul & terrena moderaris, propitiare Christianissimo Regi nostro, ut omnis hostium suorum fortitudo virtute Gladii spiritualiter frangatur, atque pro illo pugnante penitus conteratur. Per Christum *&c.*

*Hinc coronetur. Tunc Archidiaconus accipiat Coronam de Altari Sancti Mauritii, & porrigat Domino Papæ. Quam quum Dominus Papa posuerit super caput Electi, dicat hanc Orationem*: Accipe signum gloriæ in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti; ut spreto antiquo hoste, spretisque contagiis omnium vitiorum, sic judicium & justitiam diligas, & ita misericorditer vivas, ut ab ipso Domino nostro Jesu Christo in consortio Sanctorum æterni Regni coronam percipias. Qui cum Patre *&c. Impositio Coronæ super caput Reginæ. Quam quum imponit Dominus Papa super caput ejus, imponant manus septem Episcopi; & dicat Dominus Papa alta voce: septem Episcopi taceant*; Accipe Coronam Regalis excellentiæ, quæ licèt ab indignis, Episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur. Unde velut hæc exterius auro est & gemmis redimita, ita tu interius auro sapientiæ, virtutumque gemmis decorari contendas, quatenus post occasum hujus Seculi cum prudentibus Virginibus sponso perenni Domino nostro Jesu Christo digne & laudabiliter occurras, januamque cælestis Regni cum eodem ingredi merearis. Qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per infinita secula seculorum. Amen. *Heic det Dominus Papa Sceptrum Imperatori, & dicat*: Accipe Sceptrum Regiæ potestatis insigne, virgam scilicet rectam Regni, virgam virtutis, qua te ipsum bene regas, sanctam Ecclesiam, Populumque Christianum tibi à Deo commissum Regia virtute ab improbis defendas, pravos corrigas, rectos pacifices, & ut viam rectam tenere possint, tuo juvamine dirigas; quatenus de temporali Regno ad æternum pervenias, ipso adjuvante, cujus Regnum & Imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen. *Oratio post datum Sceptrum*: Omnium Domine fons bonorum, cunctorumque Deus institutor profectuum, tribue, quæsumus, famulo tuo N. adeptam bene regere dignitatem, & à te sibi præstitum honorem corroborare dignare. Honorifica eum præ cunctis Regibus terræ. Verbi eum benedictione locupleta, & in solio Regni firmâ stabilitate consolida. Visita eum in sobole. Præsta ei prolixitatem vitæ. In diebus ejus semper oriatur justitia, ut cum jocunditate & lætitia æterno glorietur in Regno; per Dominum *&c. Post hæc Dominus Papa cum suis Ministris ad Altare beati Petri revertitur. Tunc Præfectus Urbis & Primicerius Judicum deducant Imperatorem; Imperatricem vero Præfectus Navalis, & Secundicerius Judicum.*

*Quibus in locis suis jam stantibus, Dominus Papa incipit*: Gloria in excelsis Deo *&c. Et Schola respondet. Deinde dicit hanc Orationem*:

(*) In margine adnotatur: *secundum antiquam consuetudinem loquitur.*

nem: Deus Regnorum omnium *&c.* *Qua finita, Archidiaconus cum ceteris Palatii Diaconibus & Primicerio & Subdiaconis inter Crucem & Altare incipiunt has laudes*: Exaudi Chriſte. *Schola cum Notariis in Choro reſpondet*: Domino noſtro C. à Deo decreto ſummo Pontifici & univerſali Papæ, vita. *Et hoc ter. Iterum dicit Archidiaconus cum adſtantibus ſibi*: Exaudi Chriſte. *Et Schola cum Notariis reſpondet*: Domino noſtro N. à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori, vita & victoria: *tribus vicibus*. Exaudi Chriſte. *Reſpondet Schola*: Dominæ noſtræ N. ejus conjugi, excellentiſſimæ Imperatrici, vita: *tribus vicibus*. *Item*: Exaudi Chriſte. *Reſpondet*: Exercitui Romano & Theutonico vita & victoria: *tribus vicibus*. *Item*: Salvator Mundi: *Reſpondent*: tu illos adjuva: *tribus vicibus*. *Item*: Sancte Michaël. *Reſpondent*: tu illos adjuva; *ter*. Sancte Gabriel. *Reſpondent*: tu illos adjuva; *ter*. Sancte Petre. *Reſpondent*: tu illos adjuva; *ter*. Sancte Paule. *Reſpondent*: tu illos adjuva; *ter*. Sancte Johannes. *Reſpondent*: tu illos adjuva; *ter*. Sancte Gregori. *Reſpondent*: tu illos adjuva; *ter*. Sancte Maurici. *Reſpondent*: tu illos adjuva; *ter*. Sancte Mercuri. *Reſpondent*: tu illos adjuva; *ter*. *Item*; Chriſtus vincit; Chriſtus regnat; Chriſtus imperat. *Reſpondent alii ſimiliter ter*. Spes noſtra. *Reſpondent*: Chriſtus vincit. Salus noſtra. *Reſpondent*: Chriſtus vincit. Victoria noſtra. *Reſpondent*: Chriſtus vincit. Honor noſter. *Reſpondent*: Chriſtus vincit. Gloria noſtra. *Reſpondent*: Chriſtus vincit. Murus noſter inexpugnabilis. *Reſpondent*: Chriſtus vincit. Laus noſtra. *Reſpondent*: Chriſtus vincit. Triumphus noſter. *Reſpondent*; Chriſtus vincit. Ipſi laus, honor, & imperium per immortalia ſecula ſeculorum. Amen. *Hac Laude finita, legitur Epiſtola, & cantatur Graduale &* Alleluja. *Poſt quæ Imperator & Imperatrix deponunt Coronas. Tunc legitur Evangelium. Poſt quod Imperator deponit Gladium, & aſcendit ad ſedem Domini Papæ, Imperatrice ſequente. Et offert Domino Papæ panem ſimul, & cereos, & aurum. Singillatim verò Imperator vinum, Imperatrix aquam, de quibus debet eâ die fieri Sacrificium. Quibus finitis revertuntur ad loca ſua. Quum autem Præfatio incipit, Imperator extrahit Pluvialem, & induitur Manto proprio. Quum datur Pax Domini, aſcendit ad communicandum, indutus proprio Manto, & Imperatrix cum eo. Et accepta communione iterum redeunt ad loca ſua. Finitâ vero Miſsâ accedat ad Imperatorem Comes Palatii, & diſcalciet eum Sandaliis & Caligis, & calciet eum ocreas Imperiales & Calcaria Sancti Mauritii. Et acceptis Coronis ſequantur Dominum Papam pergentem ad equitandum, deducti uſque ad equos à ſupradictis ductoribus. Quum Dominus Papa venerit ad equum, Imperator teneat ſtapham; & coronetur, & intret in proceſſionem. Imperator cum ſuis ductoribus eum ſequatur. Imperatrix vero cum ductoribus ſuis ſequatur Imperatorem. Ceteri Barones ſequantur. Clerici Urbis omnes, ſicut ſoliti ſunt, laudes faciant per loca ſua. Judæi ſimiliter in loco ſuo. Coronetur Civitas. Campanæ ſonent omnes. Camerarii Imperatoris præcedant, & ſequantur, nummos projicientes, & equitantium iter non impediatur. Quumque pervenerint ad aſcenſorium, Prior Cardinalium Sancti Laurentii foras muros, incipit Laudes, ſicut mos eſt, & ceteri reſpondent. Quibus finitis Imperator deſcendit, & tenet ſtapham Domino Papa deſcendente, depoſitâ prius Coronâ. Deinde ducitur Dominus Papa ab Imperatore & Præfecto Urbis uſque ad cameram majoris Palatii: ubi inde ſeparentur. Imperatrix verò deducitur à Primicerio & Secundicerio Judicum uſque ad cameram Juliæ Imperatricis; in qua ipſa comedere debet cum Epiſcopis & ceteris Baronibus ſuis. Camerarii Imperatoris cum Camerario Domini Papæ dent Presbyterium omnibus Ordinibus ſacri Palatii, Pontifice & Imperatore in camera pauſantibus. Quo peracto comedat Imperator ad dexteram Domini Papæ, ceteris in locis ſuis ſedentibus. Finito prandio ſurgat unus ex Diaconibus, quem Archidiaconus juſſerit, & legat Lectionem, qua perlecta ſurgant Cantores, & cantent quod ſoliti ſunt. Finito cantu, ſurgant omnes cum benedictionibus. Dominus Papa redeat ad cameram ſuam, Imperator ad cameram Juliæ. Electus deſcendens de Monte Gaudii, & veniens ad Ponticellum, jurat hoc ſacramentum Romanis*: Ego N. futurus Imperator juro me ſervaturum Romanis bonas conſuetudines, & firmo chartas tertii generis & libelli ſine fraude & malo ingenio. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia. *Ad Portam Collinam ſimiliter iurare debet. In gradibus Sancti Petri ſimiliter.*

Multa heic ſunt, quæ non mediocrem eruditionis ſegetem præberent, ſi mihi in ejuſmodi campo exſpatiari animus foret. Unum tantummodo delibabo. Vetuſtiſſimus mos fuit, ac perpetuò deinde ſervatus, ut in Romana coronatione, novi Imperatoris juſſu ac liberalitate, effuſe projicerentur nummi in Populum plaudentem. Legitur in primo Ordine: *Camerariis ejus miſſilia ſpargentibus*. Uſus eſt Latiniſſimo verbo Scriptor; notum quippe eſt, *Miſſilia* ab antiquis appellata fuiſſe dona in Populum ab Auguſtis conjecta; eaque interdum ex mera pecunia fuerunt, uti docet Svetonius in Caligula Cap. 17. In Ordine Tertio clarius hæc videas explicata: *Camerarii Imperatoris præcedant, & ſequantur, nummos projicientes*. Proinde idem factum à Berengario I. Auguſto in ſua coronatione, ſcripſit Anonymus illius Panegyriſtes Lib. IV. de Laudib. Berengarii, Part. I. Tom. II. Rer. Italicarum; ad quem locum Valeſius multa congeſſit. Donizo quoque in Vita Mathildis Lib. II. Cap. XVIII. coronationem Romanam deſcribens Henrici V. inter Auguſtos Quarti, ait:

*Antiquo more proceſſio Regis honore*
*Facta fit extenſa, nummis ejus cooperta.*

Reliqua exempla prætereo. Neque heic conſiſtebat Imperatorum liberalitas; effundenda eis etiam fuere dona, non tamen palam, in quoslibet Romanæ Curiæ Ordines. Hoc diſcas ex illis Ordinis Tertii verbis: *Camerarii Imperatoris cum Camerario Domini Papæ dent Presbyterium omnibus Ordinibus Sacri Palatii*. Animadverte vocem *Presbyterium*. Ejuſmodi nomine apud Romanos deſignabantur *dona*, quæ Pontifices Eccleſiaſticæ ſuæ Curiæ conferebant in ſua Coronatione, immo quotannis. Cujus rei adhuc veſtigia ſuperſunt. Immo & Senatui Romano Pontifices ſeſe liberales præbere conſueverunt: idque occurrit conſtitutum in Charta concordiæ Anno MCLXXXVIII. initæ inter Clementem III. Papam & Senatum Populumque Romanum, quam evulgavit magnus Annalium Eccleſiaſticorum parens, & ego emendatam & auctam infra recudam in Diſſertatione Quadrageſima ſecunda *de Cognominum origine*. Ibi legitur: *Vos autem* (ideſt Papa) *dabitis per* tem-

*tempora Beneficii*, *& Presbyteria conſueta*. Antea, ideſt Anno MCLXXXIII. acris diſcordia fuerat inter Lucium III. Papam & Romanos *ſuper Conſuetudinibus quibuſdam, quas Prædeceſſores ſui facere ſolebant, quas prædictus Papa juravit ſe numquam facturum*. Hæc ſunt verba Rogerii Hovedeni in Annalibus. Inter haſce Conſuetudines à Lucio III. improbatas, veri mihi videtur ſimile, fuiſſe etiam annua dona, quæ Senatui Romano conferre ejus Prædeceſſores conſueverant. Ceterum *Presbyterii* voce ſignificata fuiſſe ejuſmodi donativa, antea monuerunt Macri fratres in Hierolexico, & Du-Cangius in Gloſſario Latin., ſed potiſſimum ea oſtendunt, quæ Cardinalis Baronius ad Annum MCXCI. ex eodem Codice MSto Cencii Camerarii depromſit, ſed à nuper editis diverſa, ſpectantia ad ritum Electionis, Conſecrationis, & Coronationis Romanorum Pontificum. Nam & ii pecuniam projicere in Populum cogebantur, ac inſuper tum Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & cunctis ſacræ Curiæ Officialibus, tum etiam Præfecto Urbis, Senatoribus, aliiſque Populi Romani Miniſtris ſtata dona tribuere. Audi Cencium ipſum in hæc verba loquentem: *Miſsâ autem celebratâ, revertitur ad Palatium coronatus cum proceſſione & honore arcuum, repræſentatione Legis à Judæis, ac thuribulorum à Clericis Romanis, & jactibus totidem* (ideſt pecuniæ) *& tanta quantitate factis, ſicut in ſecunda Feria poſt Paſcha. Sciendumque eſt, quod Cardinales omnes, Græci, Primicerius cum Schola Cantorum, Præfectus, Senatores, Judices, & Advocati, Scriniarii, Præfecti navales, Schola Crucium, & Capellani, tale Presbyterium, & taliter datum accipiunt, quale in die Paſchæ ſuperius nominatum recipiunt. Subdiaconi autem ſinguli ſingulos Meloquinos* (nummorum genus) *habent. Univerſæ etiam Scholæ Palatii, Clerici Romani pro thuribulo, Judæi pro repræſentatione Legis, ſtructura Arcus, tale Presbyterium recipiunt, & taliter, qualiter datur in Coronationibus aliis Domini Papæ: Familia quoque & Curiales Presbyterium habent juxta Camerarii voluntatem.* Uſus eſt & voce *Presbyterii* Gregorius Magnus Papa, ut alios Scriptores præteream. *Rogas* quoque appellata id genus donativa reperimus; eademque vox occurrit non ſemel apud Anaſtaſium Bibliothecarium, idem ſignificans atque *Presbyterium*. Et ex ipſo quidem Anaſtaſio conſtat, vel antiquiſſimos Romanos Pontifices *Rogas ſolitas* dediſſe Clero, ſimulque & Optimatibus Romanis, eaſque interdum pro ſua liberalitate ampliaſſe.

Sed quando commemoratus eſt *jactus* nummorum in Coronatione Papæ, addendum eſt, aliis quoque temporibus in uſu fuiſſe Romano Pontifici pecuniam effundere in Populum, quum ſcilicet ſolenni more procedebat. In Cencii Camerarii Codice MSto, Cap. *Quid debeat facere Dominus Papa in ſecunda die Paſchæ*, iſta leguntur: *Coronabatur in capite graduum Sancti Petri: deinde ſolemniter equitabat ad Lateranum per viam Papæ uſque ad viam de Calcariis, & domum Cencii Muſca-inpugno* (ſubdit Grimaldus: *quæ hodie etiam eſt Familiæ Cenciæ*) *ubi eſt cloaca; & tranſeundo ante Eccleſiam Sancti Nicolai uſque ad Amygdalam* (Grimaldus adnotat: *ibi eſt hodie Ulmus Cloacæ magnæ Matthejorum*) *ab Amygdala ad Sanctum Laurentium penſilem* (Grimaldus addit: *hodie Sanctus Salvator Polonorum*). *Hinc ad Porticum Sancti Marci, & angulum quatuor Columnarum* (Grimaldus: *hodie Macellum Corvinorum*); *deinde per Clivum Argentarii ad Arcum de Miranda; & inde ad Turrim Comitum* (Grimaldus: *tunc de Cartularia Frajapanorum dictam, in qua Alexander III. ſe recepit, fugiens ingens periculum Friderici I. Imperatoris, Romam hoſtiliter ingreſſi, & hinc in habitu peregrini Cajetam aufugit, ut narrat Romualdus Salernitanus*). *Poſtea ad Sanctum Nicolaum de Coloſſeo* (Grimaldus: *quæ fortaſſe eſt illa hodie profanata juxta Coloſſeum*). *Et à Sancto Nicolao de Coloſſeo uſque ad Sanctam Mariam de Ferrariis; deinde ad domum Johannis Papæ* (Grimaldus: *hæc domus fuit ibi uſque ad tempora Pii IV., quam imperitum vulgus domum Johannis feminæ Papæ vocabat, & erat juxta Eccleſiam Sancti Clementis*). *Deinde uſque ad angulum Sancti Clementis. Et ab angulo uſque ad Palatium Lateranenſe Seneſcalcus ad dimovendum Populum, jactus pecuniarum faciebat in Turri Stephani Ser Petri in capite Parionis* (Grimaldus: *quæ domus Stephani, ſeu Petri erat, ubi nunc eſt Eccleſia Sanctæ Cæciliæ Turris campi, ſive Montis Jordani, ex Cæremoniali Gregorii X. Papæ. In Palatio Cencii Muſca-in-pugno ex feneſtris dicti Palatii ad Sanctum Marcum, & ad Sanctum Adrianum; ex Palatio Sanctæ Martinæ, occurrebant Judæi Summo Pontifici cum Lege, ante prædictam Turrim Stephani Ser Petri in capite Parionis*). Hæc etiam Cencius ſubnectit: *Quum vero pervenerit ad Sanctum Adrianum, alius de Curialibus aſcendens Palatium Sanctæ Martinæ, facit ibi jactum ob memoratam cauſſam, ut ſic multitudo, quæ impedimentum præſtat Domino Papæ, removeri poſſit, denariis ipſis colligendis intendens. Si Dominus Papa conſecratur, vel eligitur extra Urbem, quum venerit Romam, ad Capellam Sanctæ Mariæ Magdalenæ ad radicem Montis-mali deſcendit, & intrat cum Cardinalibus ipſam Capellam, & ibi recipit Pluviale & Mitram; & poſtea equitat & procedit. Et Judæi ſibi occurrunt cum Lege & laudibus. Et veniunt omnes Clerici induti, cum Crucibus & Vexillis & thuribulis, cum capſa cum thure. Et quælibet Eccleſia occurrit ipſi Papæ cum thuribulo. Papa imponit incenſum; & illi incenſant Papam; & ita faciunt omnes Eccleſiæ.* Hæc ille, uſui Eruditorum poſthac futura. Poſtremo tamdem loco Romanam Imperatorum Coronationem reſumens ajo, fuiſſe tempora, quibus præter Coronam Imperialem, *aureus* quoque *circulus* in Coronatione novo Imperatori conferebatur. Erat is Corona ſine radiis aut liliis, nudo circulo aureo conſtans, ideo traditus, ut Patricius Romanorum ſignificaretur. Locupletiſſimum teſtem habemus Leonem Oſtienſem Lib. 2. Cap. 79. Chronici Caſinenſis. *Eidem*, ait, *Henrico* (ſcilicet inter Auguſtos Secundo, qui Anno MXLVI. Romæ Coronam ſuſcepit) *Patriciatus honorem Romani contribuunt, cumque præter Imperialem Coronam, Aureo Circulo uti decernunt*. Paria habet de Lothario II. Auguſto Petrus Diaconus Lib. 4. Cap. 119. ejuſdem Chronici Caſinenſis, & Acerbus Morena in Hiſtor. Laudenſ. de Friderico I. Imperatore. An ante Annum à Chriſto nato Milleſimum ejuſmodi Ritus viguerit, nondum mihi deprehendere licuit. Neque plura addam. Ordinem in Coronatione Regis Italiæ ſervatum jamdiu dedi in Comment. *de Corona Ferrea* Tom. II. Anecdot. meorum.

# DE OFFICIIS
## DOMUS REGIÆ.

## DISSERTATIO
## QUARTA.

# DISSERTATIO QUARTA.

PAuca nunc præfari juvat de *Officiis domus Italicorum Regum*, antequam præcipuos barbaricorum temporum Magistratus aggrediar. Pauca, inquam; heic enim infelicius quàm alibi antiqua monumenta nos deficiunt. Facile fuit Romanarum Antiquitatum cultoribus Sæculo proxime præterito congerere & explicare Officia vel minutiora domus Augustæ, sive Romanorum veterum Imperatorum. Nam sive Ethnicæ superstitionis monitum foret, sive inanis gloriæ cupido, non Magnates tantùm, sed & ipsum vulgus, ipsique etiam Servi, tumulo suo epigraphen marmore inscriptam adjungere consueverunt, quæ posteris munerum à se gestorum, ac officiorum quorumvis memoriam servaret. Ex hisce eruditis Romanorum temporum lapidibus quanta adhuc copia superfit, nihil est, quod ego Lectorem moneam. Verùm Sæculis Langobardicis, Francicis, & Germanicis, aliis moribus Italia est usa. Vix ullus è vulgo titulum suo sepulcro apponebat: quippe una fossa multorum corpora fere semper excepit. Unis Principibus, Episcopis, aliisque Regni Primatibus, interdum Epitaphia fuere posita; sed & pleraque ex iis cecidere, aut injuriâ temporum, sive lapicidarum, excisa, aut in novas substructiones barbarice conjecta. Aliquid tamen dicam. Nulla dubitatio est, quin Italicorum Regum aula complurium Officiorum splendore niteret, tum iis, qui Regi ac Reginæ in Palatio famulabantur, tum aliis, quos Rex ad regendos Populos, ad ærarii Regii reditus colligendos, ad gubernandas militares copias eligebat. Præter Nobilium, aliorumque Liberorum hominum ministeria, ingens Servorum copia tum in Palatio, tum extra, ab eorum nutibus pendebat. Jam Paullus Diaconus Lib. III. Cap. XVI. testis est, quo tempore Autharis Rex constitutus fuit, *Duces, qui tunc erant, omnem substantiarum suarum medietatem Regalibus usibus tribuisse, ut esse posset, unde Rex ipse, sive qui ei adhærerent, ejusque obsequiis per diversa Officia dediti, alerentur*. Porro alii ex hisce Regiis Ministris, seu familiaribus, ad majora ministeria, alii ad minora, alii denique ad minima adhibebantur. Idem factum à Francicis, Italicis, Germanicis Imperatoribus ac Regibus, unusquisque intelligit. Peculiaribus autem Disquisitionibus ego infra agam de *Ducibus*, *Marchionibus*, *Comitibus sacri Palatii*, *Comitibus ordinariis*, *Sculdasciis*, *Judicibus*, *Castaldiis*, *Vassis*, *Missis Regiis*, *Scabinis*, *Centenariis*, *Decanis*, *Notariis*, aliisque hujusmodi Regum Ministris. Nunc pauca alia Officia complectar, prout illa memoriæ meæ sese offerent.

Itaque Aula Regum Langobardorum suum habuit *Majorem Domus*, non qualem ex summa inertia Francorum Reges Merovingicæ stirpis habuere, qui videlicet demto nomine Regis, omnem Regiam potestatem atque auctoritatem absorberet; sed Præfectum Palatio, sive Oeconomiæ ac Familiæ Regiæ: nam id ei munus injunctum puto. Adhuc in Italicorum Principum Palatiis dignitas ista perdurat, ac nomen *Maggiordomo*. Publici juris fecit Ughellius Tomo I. Ital. Sacr. in Episcop. Arretin. Judicatum *Ambrosii*, qui *Illustris Majordomus* appellatur, *in Civitate Arretina* habitum *Anno Tertio Liutprandi Regis*, *Indictione XI. mense Augusti*. Sed scribe *Indictione XIII.* ut in Diplomate subsequenti ipsius Liutprandi: hoc est Anno Christi DCCXV. Is ergo tunc *Major domus* Regalis Aulæ Ticinensis, & ob negotia Regni in Tusciam à Liutprando Rege missus, litem inter Arretinum & Senensem Episcopos ferventem diremit; neque ob hoc Judicatum opinari cogimur, plures Regi Liutprando fuisse Majores domus, quum unus potuerit esse (atque ita fuisse non ægre mihi persuadeo) Ticinensi Palatio præfectus, & aliqua de caussa in Tusciam profectus. Hinc autem habemus, multum dignitatis & auctoritatis fuisse *Majori domus* apud Langobardos Reges, quando is Judex sedebat inter Episcopos, ex delegatione tamen, ut opinor, Regis ipsius. *Stratoris* quoque munus occurrit in Langobardorum Palatio. Hujus cura erat sternere & parare equos Regi, ipsique adesse, ac manum præbere, dum equum ascenderet, & equitantem pone sequi. Itaque ad *Stratorem* spectabat, stapedem (nunc *la Staffa*) tenere Principi equum insilienti. Ac propterea Imperatores ipsi pro reverentia Sancti Petri Apostolorum Principis dedignati minime fuerunt stapiam tenere Romano Pontifici, ac Stratoris officio tunc fungi. Cujus rei etsi obvia sunt exempla, unum tamen excerpere juvat ex MSto Codice Cencii Camerarii, ubi congressus Hadriani IV. Papæ & Friderici I. in Imperatorem coronandi Anno Christi MCLV. enarratur.

## De receptione Papæ Adriani à Frederico Imperatore tempore Coronationis suæ; hoc est Anno 1155.

*Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Centesimo Quinquagesimo Quinto, Indictione III. Quinto Idus Junii, Pontificatus vero Donni Adriani Papæ IV. Anno Primo. Quum Donnus Fredericus Romanorum Rex Romam in Imperatorem coronandus accedens, in territorium Sutrinum cum exercitu advenisset, ivit ad eum de Civitate Nepesina Donnus Papa. Et quum A. tunc Coloniensis Archiepiscopus, & multi de Principibus illius exercitus ei obviam exivissent, ad tentorium Regis cum jocunditate nimia, & competenti honorificentia conduxerunt. Ubi quia Rex in* Stratoris officio *exhibendo*, & tenendo streugam *illum honorem Donno Papæ nequaquam exhibuit, qui ab antecessoribus ejus Romanorum Regibus ob Apostolorum Principis reverentiam Romanis consueverat Pontificibus exhiberi: cœperunt qui cum Donno Papa venerant, contristari, & de subtracta ei reverentia murmurare. Quocirca Donnus Papa eum ad osculum non recepit. Unde remanente ibidem exercitu, totus sequens dies sub istius rei disceptatione decurrit; asserentibus Cardinalibus, Donnum Imperatorem de antiqua consuetudine, ac Romanæ Ecclesiæ dignitate, Donno Papæ stapedem debuisse tenere; propter quod quidam Cardinales discesserunt. Tamdem verò antiquioribus Principum, & illis, qui cum Imperatore Lothario ad Donnum Papam Innocentium venerant, requisitis, & investigatâ ex relatione illorum, & veteribus monumentis, prisca consuetudine, judicio Imperialis Curiæ decretum est, & communi Principum favore firmatum, quod Donnus Imperator pro Apostolorum Principis & Sedis Apostolicæ reverentia exhiberet* Stratoris officium & streugam Donno Papæ teneret. *Tertio itaque die movit Imperator exercitum, & castrametatus est juxta Lacum, qui dicitur Jausa, in territorio Nepesino. Ibique, sicut constitutum fuerat inter Principes, Donno Papa appropinquante tentorio suo, Imperator per aliam viam obviam veniens, descendit eo viso de equo, & in conspectu exercitus in omni alacritate* officium Stratoris implevit & streugam ipsius tenuit: *& tunc primo eum ad osculum Donnus Papa recepit.*

Ergo *Stratoris* officium non aliud fuisse videtur, quam qui nunc *Cavallerizzo maggiore*, aut *Scudier maggiore*, dicitur. Langobardica seu Germanica Lingua hunc *Marpahis* appellabat, teste eodem Paullo Lib. II. Cap. IX. ubi Gisulfus Alboini Regis nepos memoratur, *vir per omnia idoneus, qui eidem Strator erat, quem linguâ propriâ Marpahis appellant*. Et Lib. VI. Cap. VI. *Rex Cunibertus, dum post hæc cum Stratore suo qui Linguâ propriâ Marpahis dicitur, consilium iniret*. Unum-ne, an plures Stratores Ticinensis Aula numeraret, decernere non ausim. Apud Ughellium Tom. VIII. Ital. Sacr. in Archiepiscopis Beneventan. & in Chronico Sanctæ Sophiæ occurrit non semel nomen *Marpahis*, sed semper vitiatum. Fuit enim & apud Beneventanos Principes eadem Dignitas & nomen, sed non idem fortasse munus. Nam non solùm plures *Marpahis* in Beneventana provincia numerati sunt, sed etiam Judicem egisse in pagis videntur. *Judiciaria Faroaldi Marpahis nostro* occurrit in Charta Arichisi Principis apud eumdem Ughellium. Et in Charta Liutprandi Principis: *Adstantibus erga nos Engilberto, & Johanne Maleparo Judicibus nostris*. Legendum *Marpahis*. Ita in Siconis Principis Charta: *Judiciaria dari Maripali nostro*. Legendum videtur *Dati Marpahi nostri*. Vide & Chronicon Vulturnense Part. II. Tomi I. Rer. Italic. pag. 391. & 392. ubi *Gripertus Marepais, filius bonæ memoriæ* Walperti, *qui fuit Castaldeus. Et Pando Marepais filius bonæ memoriæ Landulfi Marepais*. Quare complures *Marpahis* in Apulia fuere, & quidem extra Palatium Beneventanum, pagi fortassis alicujus Rectores.

*Pincernas* & *Vestiarios*, sive *Vestararios* in Aula Ticinensi memorat idem Paullus Lib. V. Cap. II. Eos nunc appellamus *Coppieri*. *At Vestiarii* nomine ut ut designatos opinari liceat, quos nunc dicimus *Guardarobieri*, verba tamen Paulli potius indicant illum, qui vestem domino ministrat, eique ad se induendum inservit, nunc *Ajutanti di Camera*, *Camerieri*, Gallis *Valets de Chambre*. In Paralipomenis Anonymi Salernitani Part. II. Tom. II. Rer. Italicar. Cap. 118. Hæc legimus: *Quum Pincerna Imperatoris* (scilicet Ludovici II. Augusti) *cum aureo poculo vinum dedisset* (Landulfo Episcopo Capuano) *is exiguum sumsit, & statim Pincernæ poculum reddere voluit. At Imperator adiecit*: „ Vestro famulo poculum „ reddite, sitque vobis donatum. „ Plures autem in Imperatoris Aula erant *Pincernæ*, eisque unus præerat, quem *Pincernam primum* aut *principem* appellabant. In Placito Spoletino Anni DCCCLX. (ut habent Additamenta ad Chronic. Casauriense, Part. II. Tomi II. Rer. Italic.) inter Optimates Ludovici II. Augusti occurrit *Hechideus Comes & Pincerna primus*. Illustris quoque fuit *Buticularii* dignitas in Francorum Regum Palatio. Ita verò appellatus *Princeps Pincernarum*. Præterea Regio Stabulo Præfectus erat, quem *Comitem Stabuli* vetustissima monumenta appellant. An eo nòmine censeretur sub Langobardis Regibus, qui hac dignitate fungebatur, incertum est. Illud extra controversiam est, sub Francis in Italia dominantibus, & sub Principibus Beneventanis ex genere Langobardorum, munus hoc & nomen reperiri. In supra laudatis Additamentis ad Chronic. Casaurien. pag. 928. Ludovicus II. Imperator in Placito Anni memorati DCCCLX. laudat inter Optimates suos *Adelbertum Comitem Stabuli*. Idem quoque Anonymus Salernitanus Paralipomen. Cap. 29. Grimoaldum Storeseyz Principem Beneventi dixisse tradit Beneventano cuidam: *Stabulum nostrum pete, & qualem volueris equum exinde tolle. At ille ad Comitem Stabuli properavit* &c. Subsequentibus Sæculis, quod Comites Stabuli militares etiam copias regerent, caussam præbuit appellandi *Comestabulum*, qui turmæ uni militari præesset. *Referendarii* quoque enumerantur inter veteris Palatii munera. Diploma Aistulfi Langobardorum Regis Anni DCCLVI. quod habes Part. II. Tomi II. Rer. Italic. in Chronic. Farfens. pag. 440. scriptum dicitur *ex dicto Domni Regis per Theopertum illius Referendarium*. Non satis liquet, fuerit-ne *Referendarii* munus supplicum preces exhibere Principi, an ejus Diplomata scribere

annu-

annuloque signare, ita ut nullum discrimen fuerit inter *Notarios*, sive *Cancellarios*, ac *Referendarios*.

Veri quoque simile est, *Mariscalchi* officium ac nomen in Augustorum & Regum Aula minime fuisse desideratum, si tamen hoc munus non idem fuit cum *Comite Stabuli*. Olim verò *Præfecti equis* erant *Marescalchi*, humili munere, qui ad militiam deinde translati, nostrorum temporum *Marescallis* nomen dedere. Eorum mentio est in Pacto Legis Salicæ Cap. XI. & in Alamannica Tit. 79. Fuisse quoque Principibus suum *Marischalcum* discimus ex Diplomate expeditionis Romanæ Caroli Crassi Augusti apud Goldastum Tom. I. Constitut. Imperial. pag. 207. ubi hæc verba: *Singuli verò Principes suos habent officionarios speciales, Marscalcum, Dapiferum, Pincernam, & Kamerarium*. Verùm unde hauserit Goldastus ejusmodi Diploma, incertum est, atque in eo occurrunt Notæ Chronologicæ tanto vitio laborantes, ut suspicionem justam falsi ingerant: cujus criminis ab aliis quoque arguitur Goldastus. Datum quippe dicitur *VIII. Idus Junii, Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCCXC. Regni autem ejus XXII. ante consecrationem*. Et verbis quidem disertis ibi scriptum, Carolum parare se ad iter Italicum, atque ad Romanam Coronam suscipiendam. Atqui Anno Christi DCCCXC. tantùm abest, ut Carolus Crassus inungendus esset Imperator, ut ne inter vivos quidem numeraretur, Anno scilicet DCCCLXXXVIII. postremo fato functus. Ad hæc is dicitur *Rex Francorum & Romanorum*; quæ formula omnino ab eorum temporum moribus abhorret, ac plane ridenda. Quare Freherus & Du-Cangius cautius egissent, si minus fidei adjunxissent Goldastinæ illi merci, & potissimum quod aliis ejusmodi fœtibus non careat Collectio Goldasti. Infra in Dissertat. XVII. *de Fisco* Diploma Carlomanni Regis exhibebit nobis *Eginolfum Dapiferum nostrum, & Alamannum Venatorem nostrum*. Præterea in Alamannorum Lege Tit. 79. *Seniscalchi* munus memoratur, uti & in Francorum veterum monumentis, ad quem cura domus seu familiæ dominicæ spectasse creditur, sub *Majore domus*, quasi is fuerit, qui nunc *Mastro di Casa* appellatur. In Diplomate Anni DCCCXVII. Tom. I. veter. Scriptor. Martene & Durand, Ludovicus Pius Augustus commemorat *Adalbertum Siniscalcum nostrum*. In altero Diplomate Pippini ejus filii Aquitaniæ Regis occurrit *Erlaldus genitoris nostri Siniscalcus*. Neque unus *Seniscalchus* Regibus iis fuit, sed plures, quum apud Marculfum Lib. I. Cap. 25. Rex in judicio sedisse dicatur cum *Referendariis, Domesticis, Seniscalcis, Cubiculariis*, &c. Attamen, uti etiam animadvertit Bignonius, *Seniscalchi* munus minime diversum fuit ab *Architriclino*, sive *Dapifero*, aut à *Principe Coquorum*, de quo infra. Nam in Annalibus Francorum Tom. 2. pag. 16. Tomi II. Duchesnii ad Annum DCCLXXXVII. legitur: *Misit exercitum suum Rex partibus Britanniæ una cum Misso suo Audulfo Sinescalco*. Atqui hæc eadem describens Eginhardus in Annalib. Francorum ad Annum DCCLXXXVI. ait de Britonum rebellione: *Missus illuc Regiæ Mensæ Præpositus Audulfus, perfidæ gentis contumaciam mirâ celeritate compressit*. Idem habetur apud Annalistam Saxonem ab Eccardo editum, atque in aliis Chronicis. Ad hæc Regino Prumiensis Abbas ad Annum eumdem tradit, missum à Carolo Magno exercitum in Britones *una cum Misso suo Odulpho Principe Cacorum*: Scribe *Principe Coquorum*. Ergo habes, quo munere olim *Seniscalchi* fungerentur. Idemque confirmatur ex Italica voce *Scalco*, significante *Præpositum Mensæ*. Menagius eam censet profectam ex Teutonico *Scalc*, significante *Servum, Ministrum*. Atqui non ex uno *Scalc*, nimis generico nomine, efformata fuit nostra vox *Scalco*, sed quidem è *Seniscalcho*, quæ vox sensim immutata in *Sescalchus* (ejusque exempla abundant) tamdem apud Italos evasit *Scalco*. Vossius & Eccardus è *Son* significante *Gregem*, & *Scalc* significante *Servum*, seu *Præfectum*, compositum putant *Seniscalchum*. Difficile eis subscribam, atque accuratius Etymon ab aliis exspectandum opinor. Vix autem dubitandi locus est, quin & Reges Italici, & reliqui Cæsares nomen hoc, & dignitatem in suum Palatium invexerint. Hincmarus Remensis Archiepiscopus inter Officia Regiæ Francorum domus *Senescalcum* etiam recenset. *Silentiarii* quoque dignitas in Regia Francorum Aula fuit, atque eo munere functus fuit Sanctus Angilbertus, postea Centulensis Abbas. Fortassis ita appellatus, qui in Consistorio Regi assidebat ad deliberandum de Regni negotiis, aut ad Consistorii fores custos silentium aulicis indicebat.

Ad hæc fere certum videtur, minime desideratos fuisse in Italico Palatio, qui Venationi & Aucupio præessent. *Falconarii* & *Venatores* iis nomen erat. Quatuor fuisse scribit Hincmarus in Francorum Aula *Venatores*, unum *Falconarium*. In Epistola Caroli Magni ad Pippinum filium Italiæ Regem, quam editam habes Part. II. Tom. I. Rer. Italicarum pag. 112. inter Leges Langobardicas, hæc ait: *Pervenit ad aures clementiæ nostræ, quod aliqui Duces, & eorum Juniores, Gastaldii, Vicarii, & Centenarii, seu reliqui Ministeriales, Falconarii, Venatores* &c. *mansionatica & paravereda accipiant* &c. Hæc utique de Palatii Italici Ministerialibus scribit inclytus Imperator. Insigni etiam dignitate fulgebat in Palatio Regum Francorum, prælaudato Hincmaro teste in Lib. de Offic. Palatii, *Præfectus pistoribus*. Ermoldus Nigellus Lib. 4. de Gest. Ludovici Pii, Part. II. Tomi II. Rer. Ital. scribit:

*Pistorū Petrus hinc princeps, hinc Gunto Coquorum*
*Accelerant, mensas ordine more parant*.

Gunto idem ac *Seniscalchus*, ut nuper ajebam; Petrus verò *Pistorum princeps* fuere. A vero minime abhorret, Lotharium quoque ejus filium & Ludovicum II. ejus nepotem, Augustos hæc eadem ministeria in Ticinensi Palatio constituisse. Atque idem Ludovicus Pius Imperator ab Astronomo Scriptore ejus Vitæ dicitur misisse in Italiam Anno DCCCXXII. Lotharium filium, & una cum eo *Geruntium Ostiarium*. Hic ab Eginhardo appellatur *Ostiariorum Magister*; atque adeo Præfectus Ostiariis Palatinis, quibus certe Ticinensis Aula nequaquam caruerit. *Ostiarios* Palatii Ticinensis infra memoratos videbis in Lege IX. Ratchisii Regis. *Gerwardus* etiam *Palatii Bibliothecarius* in Aula Ludovici Pii Augusti comemmoratur ab eodem Eginhardo Cap. 6. Opusculi de Translat. Sanctorum Marcellini & Petri. Erant & Romanis Pontificibus *Ostiarii* in Lateranensi Palatio: atque ad eos spectat Charta, quam è Regesto MSto Cencii Camerarii descriptam, heic evulgandam censui.

## Sacramentum Ostiariorum Palatii Pontificis Lateranensis, Anno 1188.

IN *nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXVIII. Anno Primo Pontificatus Donni Clementis Papæ III. Indictione VI. mense Januarii die XXII. Administrante Domino Cencio Donni Papæ Camerario. Ego Bobo Capotianus* Prior Ostiariorum, *& Romanus Tedelgarius, & Ranusius, Johannes Capotius, Racanellus, Johannes Bonusfilius, Stephanus Pictor, cum aliis sociis nostris, constituti* Ostiarii in Lateranensi Palatio *per Dominum Papam, ab hac hora in antea fidelis ero eidem Donno Papæ, suisque Catholicis Successoribus, & Ecclesiæ Romanæ. Non ero in facto, consilio, vel consensu, ut vitam perdant, vel capiantur mala captione* &c. sicut in juramento Romanorum continetur. *Custodiam quoque Palatii prædicti, & Basilicæ Sancti Laurentii, & Sancti Silvestri, fideliter faciam in vita & morte Romanorum Pontificum. Non furabor, neque diripiam, neque consentiam meo posse furari, vel diripi de Reliquiis, auro, argento, gemmis, palliis, ornamentis, libris, chartulis, oleo, plumbo, ferro, ære, lapidibus, portis, lignis, tabulis ipsius Palatii, & earumdem Ecclesiarum, & Romanorum Pontificum. Hæc omnia juro: & observabo per bonam fidem sine fraude & malo ingenio. Sic me Deus* &c.

Porro ejusmodi Ostiarii Pontificii Ordinem suum constituebant, quem *Scholam* appellabant olim. Idque constabit ex altera Charta, quam ex eodem Regesto MSto depromsi.

## Cencii Camerarii Pontificii præceptum, quod Ostiarii de mandato Camerarii debent ostia fideliter custodire. Circiter Annum 1191.

EGo *Cencius Camerarius ex parte Domini Papæ præcipio vobis* Ostiariis, *ut amodo ebdomadam in vice vestra faciatis: vel si justam excusationem habueritis, unusquisque vestrum committat ebdomadam uni de sociis vestris* Ostiariis. *Et venietis ad faciendum servitium Domino Papæ in ipso Palatio cum sociis vestris omnibus in Assumtione Sanctæ Mariæ pro custodiendo Palatio, in Nativitate Domini, in Pascha, & etiam in die Jovis Sancti; & quandocumque, & qualitercumque placuerit Camerario, qui erit per tempora. Et semper invocatione Camerariorum habebitis omnes comestionem. Et non habeatis potestatem mittere aliquem in* Schola, *nisi de mandato Camerarii. Et non teneat claves Basilicæ Sancti Laurentii, & Palatii, nisi* Ostiarius *juratus*.

Animadverteris, Camerarium Pontificium præfuisse Ostiariis, eosque suo functos munere statis hebdomadis, atque insuper certa fuisse tempora, quibus eisdem comestio dabatur à Camera Pontificis.

Imperatoribus itidem fuit *Archicancellarius* unus, & plures sub eo *Cancellarii*, qui & *Notarii*, & *Chartularii* appellati: de quibus nullus mihi sermo futurus est, quum ejusmodi munera non minus vetustis quam nostris temporibus nota ac florentia intueamur, & passim occurrant in Regum Diplomatis. Ille etiam appellatus *Archinotarius*, hi *Notarii*. In Diplomate Ludovici II. Anno DCCCLX. inter Additamenta ad Chronicon Casauriense *Tructerimum sacri Palatii Archinotarium* legimus. Sed scribendum *Tructemirum*, seu potius *Drutemirum*, qui revera hoc nomine subscribit, & alibi *Archicancellarius* appellatur. *Protonotarii* munus idem à nonnullis fuisse creditur atque *Archicancellarius*. Plures etiam *Cappellanos* numerabat Aula Regia, qui sacris operabantur, divinaque officia statis temporibus in Cappella Regia canebant. Hisce præerat *Archicappellanus*, sive *Archipresbyter Franciæ*, seu *Primicerius sacræ Cappellæ*, cujus dignitas eximia, cujus auctoritas ingens fuit, ut multis ostendit Guilielmus Peyratus in Comment. Lib. I. Cap. 26. Eam quoque in rem consulendi Ludovicus Thomassinus, Mabillonius, atque Du-Cangius. Sacrorum ejusmodi Ministrorum Palatinorum mentio quoque est in Italicis monumentis. *Reginarium Cappellanum Imperatoris* habes in nuper laudato Diplomate Ludovici II. Et in Charta Anni DCCCLXIII. occurrit *Farimundus Diaconus & Cappellanus* ejusdem Augusti. Eidem Imperatori, cui plerumque sedes Sæculo Christi IX. fuit in Urbe Regiâ Ticino, aderat *Joseph Archicappellanus*, ut constat ex Actis Synodi Ticinensis Anno DCCCLV. apud Labbeum Tom. 8. Conciliorum. Ceterum *Archicappellanus* à Walafrido Strabone Cap. 31. de Exordiis Rer. Ecclesiastic. dicitur Præfectus *Clericorum caussis*; eorum quippe controversias dirimebat. *Apocrisarius* etiam appellatur ab Hincmaro sæpe laudato, immo & *Palatii Custos*. Ab eodem Walefrido memoratur insuper *Præceptor Palatii*, quem Du-Cangius eumdem censet cum *Comite Palatii*. Ego diversum suspicor, quum Aldricus postea Senonensis Archiepiscopus, ut est in ejus Vita apud Bollandistas ad diem V. Junii, *Præceptor Palatinus* institutus fuerit à Ludovico Pio Augusto, *ut vita Imperialis Aulæ, & majora negotia suæ discretionis arbitrio diffinirentur*. Hic autem non Comes Palatii, sed *Cancellarius* fuisse videtur. Certe Monachus fuit; Laici autem, non Clerici, munere *Comitis Palatii* fungi consueverunt.

Si Ughellio fides, fuerunt & *Tronarii* inter officia Cæsarei Palatii. Refert enim Diploma Caroli Magni Tom. I. Ital. Sacr. in Catal. Episcop. Arretin. *datum IV. Nonas Martias, Trigesimo tertio & Trigesimo quarto Anno Imperii nostri. Actum Romæ in Ecclesia Sancti Petri Principis Apostolorum, ubi ipse in corpore requiescit*. Quare Du-Cangius in suum Glossarium intulit *Tronarios*. Sed parcat Ughellius, si corruptam apud eum hanc vocem suspicer; sunt enim crebra nimis vitia horum similia in monumentis ab eo productis. Præterea nusquam alibi offendas id genus Officii: cur semel tantum, hoc est in uno illo Diplomate servatum fuerit eorum nomen? *Notum sit* (ita ibi scriptum) *omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Guastaldis, seu reliquis Trona-*

*nariis, & cunctis fidelibus nostris* &c. Aut *Vicariis*, aut altera propior vox ibi scribenda. Quid? quod Diploma illud commenti signa patentia præfert. Vide Notas Chronologicas. Satis sunt ad dignoscendam imposturam. Ipse etiam Carolus inscribitur *Rex Francorum & Romanorum atque Langobardorum*. Apage & *Romanorum*. Abhorret etiam à Cancellariæ Carolinæ more *Signum Karuli Magni Imperatoris*, ut alia omittam. Propterea nisi alia lux affulgeat, *Tronariis* nullus heic erit per me locus inter Officia domus Augustalis. *Camerarium* vero, qui *Cameræ* seu Fisco Regio præesset, consueverunt habere Francorum Reges; uti & *Domesticos* complures, & *Mansionarium*, nunc *Quartier-Mastro*, qui mansiones seu ædes itineranti Regi parabat. *Cubicularios* quoque ad custodiendum Principis Cubiculum destinatos; & *Auricularios*, sive *à secretis*, quorum munus idem cum *Consiliariorum* fuisse videtur. Horum vestigia nondum reperi in Italicis monumentis. *Consiliarii* verò Augustorum & Regum sæpe memorantur in eorum Diplomatis vel sub Imperatoribus Francicis; atque id muneris deferebatur tantummodo Episcopis, Comitibus, Vassis, aliisque illustribus viris. Ipsos verò *Vassos* inter Officia domus Regiæ connumeratos fuisse, infra ostendam in Dissertat. X. *de minor. Just. Ministr.* quippe munere illo plerumque ii fungebantur, quo nunc Nobiles; *Gentiluomini* appellati. Eorum nempe erat honoris caussâ in Palatio, atque in Placitis adstare aut assidere Principi, ac in ejus comitiva esse, vel quum longa itinera suscipiebat. *Barones* autem vetustis iis Sæculis nuncupati reperiuntur cum *Vassi* ipsi, tum reliqui primores Regni: quæ vox in Germania, ac Regno Neapolitano perdurat. Ejusmodi quoque Vassis Beneficia sive Feuda interdum conferebantur, quibuscum erat connexum Officium aliquod, puta *Pincernæ*, *Venatoris*, *Cubicularii*, *Cursoris* &c. Vide in Dissertat. XI. *de Allodiis*, sub quot titulis sua Feuda elargiretur olim Patriarcha Aquilejensis, magnæ olim potentiæ & auctoritatis Princeps. Neque enim Reges tantum ac Imperatores splendidâ aulicorum familiâ dignitatem suam tuebantur, sed & Episcopi, Duces, Marchiones, & Comites, quibus complures erant Vassi, Barones, ac famulorum numerosa cohors, singulis certantibus in honore domini sui, sive Nobiles, sive ignobiles, sive Liberi, sive Servi. Uti Liutprandus in Historia Lib. 2. Cap. 10. memoriæ prodidit: Ludovicus III. Imperator circiter Annum Christi DCCCC. *Exiens Papiâ, proficiscitur Lucam, ubi decenter, miroque paratu ab Adelberto* (Duce videlicet ac Marchione Tusciæ) *suscipitur. Quumque Ludovicus in domo Adelberti tot militum elegantes adesse copias cerneret, tantam etiam dignitatem, totque impensas prospiceret, invidiæ zelo tactus suis clanculum infit:* „ Hic Rex „ potius quam Marchio poterat appellari. In „ nullo quippe mihi est inferior, nisi solummo„ do nomine „. Erant autem Principibus Beneventanis Dignitates quædam Palatinæ, quarum nomina aut à Latinorum, aut à Græcorum Imperatorum Aula mutuati fuerant, uti *Comitis Palatii*, *Protospatarii*, *Gastaldii*, *Topoteriti*, *Portarii*, *Thesaurarii*, *Referendarii*, *Actionarii*, *Vestiarii*, vel *Vestararii*, *Vicedomini*, *Pincernæ*, *Basilici*, *Candidati*, *Stratigi*, aliaque ejusmodi munera. Ita ipsi quoque Italiæ Principes jam tum cum Regibus magnificentiâ certabant. Neque minori pompâ Aulam suam decoratam voluit sub initium Sæculi XI. Bonifacius Marchio, Mathildis Comitissæ postea pater, Mantuæ tunc & Ferrariæ dominans. Accipe, quæ habeat Auctor Vitæ Sancti Symeonis Eremitæ, tunc in Monasterio Padolironensi Mantuani agri degentis, apud Mabillonium Part. I. Sæculi VI. Benedictini. Mantuam profectus fuerat Sanctus Eremita, invisendi Marchionis gratiâ. *Quumque ex aula Principis, quæ quadratæ cuidam ac peramplæ imminebat Curiæ, egrederetur, & ad Monasterium redire vellet, Leonem ex illis unum, quos Princeps magnificentissimo alebat sumtu ac pompa, obviam habuit.* Fugerat ille è carcere. At sanctus vir per fauces arreptum ac lenitum ad consueta stabula non sine ingenti prodigio deduxit. Ex his intelligas, quantâ magnificentiâ Princeps ille viveret, quamquam tunc Tusciæ ac Spoleti Provinciis nondum dominaretur.

Interdum quoque occurrunt in veterum monumentis *Gasindii*: quo nomine ajo designatos fuisse *Familiares*, sive qui de Familia Regis, Comitum, aliorumque Procerum fuere. Spelmannus in Archaeologo vocem derivat è Francico *Case* pro *domo*, & è Saxonico *Hynde* pro *famulo*, ut sic dicatur quasi *Cashyndus*. Vossius Lib. 2. Cap. 8. de Vitiis sermon. à *Casa* & *intus* conflatam hanc vocem conjectabat. Eccardus verò in Notis ad Legem Salicam hæc scribit: *Gasindium, comitatus famulitiumque vocabatur; & Gasindus, qui est in comitatu alicujus, minister, fidelis, homo domini*: Addit infra: *Nos voce Gesinde adhuc pro famulitio utimur*. Hoc idem ante Eccardum tradiderat; & quidem recte, Hugo Grotius. Nobis nunc appellantur *Cortigiani, uomini della Famiglia*. Id constat è Lege Langobardica, quæ apud Lindenbrogium Rothari Regi tribuitur, sed revera auctorem habuit Liutprandum Regem Lib. 6. cap. 9. uti videre potes Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum. Statuitur ibi pœna occidenti *liberum hominem*: nempe is *res suas in integrum perdat*. Tum pœna etiam ei indicitur, *qui se defendendo, liberum hominem occiderit*: quod profecto mirere, nisi hæc interpreteris de excedente fines inculpatæ tutelæ. *Pro minima persona, quæ exercitalis homo invenitur esse, CL. solidos componat, qui eum occiderit. Et pro eo, qui primus est, CC. solidos*. Deinde hæc in rem nostram statuere pergit Rex: *De Gasindiis verò nostris volumus, ut quicumque minimus sit, & in tali ordine occisus fuerit, pro eo quod nobis deservire videtur, CC. solidis fiat compositus. De majoribus secundùm qualis persona fuerit*. Denique sibi ac successoribus suis decernendum reservat, *quousque ad CCC. solidos ipsa compositio debeat ascendere*. Hinc ergo duo habemus. Nempe *Gasindios Liberos homines* fuisse, ac præterea appellationem istam communem fuisse quibuscumque in famulicio Principis degentibus, sive ad minora, sive ad majora ministeria adhiberentur. Neque Regum tantummodo Familiares titulum ejusmodi gessere. Famulantes etiam Judicibus, sive Urbium Præsidibus, ceterisque Magnatibus, *Gasindii* sunt appellati. Propterea Ratchis Rex in Lege VI. sanxit, ut Judices in administranda justitia caverent sibi, ne affectus erga consanguineos, amicos, aut familiares suos, eos anteverterent à tramite justitiæ. *Si Judex*, inquit ille, *neglexerit judicare, aut forsitan attenderit ad Gasindium, vel ad Parentes, aut Amicum suum, aut ad præmium, & legem non judicaverit: tunc qui læsum se sentit, veniat ad Palatium, & recla-*

*clamet suam violentiam* &c. Itaque deferebatur *Gasindii* titulus Liberis hominibus, qui sponte Regi, aut Regni Proceribus famulatum in eorum familia præstabant. Neque inter eos locus fuit *Servis*, sive mancipiis, quorum erat servire ex debito dominis suis. *Libertos* quidem invenias, qui nempe libertate acquisita fruebantur, interdum fuisse *Gasindios Ducum*, aliorumque Magnatum. De heredibus *Liberti, qui fulfreal factus fuerit*, agit Lex CCXXVIII. Rotharis Regis: ibique statuitur, ut Libertus intestatus moriens, *si aliquid in Gasindio Ducis* (*Judicis* habet editio Lindenbrogii) *aut privatorum hominum obsequio, donum aut munus conquisierit, res ad donatorem revertantur*. Illustribus etiam ac potentibus viris usitatum fuit ad suum famulatum adsciscere viros liberos, atque hi dicebantur *esse in obsequio alicujus*. Audi Legem VII. Ratchisii Regis. *Si quicumque Liber homo in servitio de Gasindio Regis, aut de ejus Fidelibus introierit, & si Judex, de sub quo fuerit, dolose eum opprimere quæsierit, pro eo quod ipse in servitio alterius introivit* &c. Estensis Codex habet: *pro eo quod in alterius obsequium introivit*. Doctissimus Bignonius in Notis ad Marculfum apud Baluzium Tom. 2. pag. 906. Capitular. Reg. Francorum, *Gasindios* censuit esse *Servos, aut Fideles, qui Dominis suis perpetuo adhærent, eisque jugiter ministrant*. Servos, inquam, idest Mancipia. Idque hausisse sibi visus est ex una è Formulis Marculfi, ubi hæc verba occurrunt: *Si aliquis Servo suo Gasindio suo aliquid concedere voluerit*. Bignonio subscripsit Vossius in loco supra laudato. At ego in priori sententia persto, videlicet numquam in censum Gasindiorum venisse *Servos*. Infido autem textui superstruxere Bignonius & Vossius: nam apud Lindenbrogium ea Marculfi verba ita se habent: *Si aliquis Servo suo, Gasindiove, aliquid concedere voluerit*: & in editione Baluziana: *Si aliquis Servo, vel Gasindio suo aliquid concedere voluerit*. En ut à *Servis* distinguuntur Gasindii; atque uti hæc ipsa Formula hosce à Servili conditione excludit, ita & supramemoratæ Leges non alios quam *Liberos homines* Gasindii nomine donarunt. In Bullario Casinensi Tom. 2. Constit. 10. Cunimundus quidam interfecisse traditur *Manipert Gasindum gloriosæ Ansæ excellentissimæ Reginæ*. Sed & ipsi Vassi Regii, sive quum in comitiva Regis forent, sive ii tantum, qui aliquo ministerio in ejus Aula fungebantur, appellatione *Gasindii*, uti videtur, deprehenduntur insigniti. Est mihi in hanc rem egregium Judicatum, quod ex antiquo MSto Regesto Episcopii Cremonensis excerpsi.

## Placitum coram Berengario I. Italiæ Rege Cremonæ habitum, in quo pro Landone Episcopo Cremonensi sententia fertur contra Leonem Scabinum, Anno 910.

DUm Domnus Berengarius gloriosissimus Rex *ad Regali dignitate in Civitate Cremona advenisset, & domum Episcopii, & matris Cremonensis Ecclesie in caminata dormitorio ejusdem domui, ubi ipse Princeps cum suis* Gasindiis *& Judicibus, ceterisque suis fidelibus adesset, quorum nomina hec sunt: Gausus, Tiso, Bernardus, Pazo, Rainerius, Bebo, Anno, Milo, Oldericus, & Ingelramus*, Vassi Domni Regis, *Ambrosius Cancellarius item Domni Regis, Ratfredus Notarius sacri Palatii, Johannes, Archerius, & Andreas Capellanus similiter Domni Regis, Leo Archipresbyter, Petrus, Lampertus, & Rapertus Presbiteri, Lupus Archidiaconus, Aldo, Oldepertus Diacones Cardinis ipsius Episcopii, Rodelandus, Adelbertus, Witegad, Aribertus, & Odelbertus Vasalli predicti Presulis, & reliqui multi. Ibique eorum presentia veniens* Lando Episcopus ipsius Sedis *una simul & Adelbertus Vasallo & Advocato suo, afferens secum preceptoras paginas tres, & notitiam unam inquisitionis, quas ipse Domnus Berengarius Rex ante se legere fecit presentia. Ubi continebatur in primo precepto inter cetera, qualiter* Karolus Rex Francorum & Longobardorum *per petitionem sanctissimi* Stephani Cremonensis Ecclesie Episcopus *concessisset & confirmasset per suas auctoritates preceptas omnes res Episcopii Sancte Marie & Sancti Stephani, quod ibidem à longo tempore visum esset pertinere tam Monasteria, quamque & Senodochia, seu Ecclesias Baptismales, vel reliquas possessiones ad eundem Episcopatum pertinentes; insuper & junxisset ipsius venerabili loco, qui dicitur Tecledo cum Brivisula & Cucullo & omnia ad ipsa loca pertinentia, & Porto Vulpariolo transitorio militum usque in caput Addue cum molitura & portoras usque in caput Addue. In alio namque precepto continente in eo inter cetera, qualiter Lotharius Imperator confirmasset pro mercedis sue augmentum quicquid ad prefatam Ecclesiam Episcopii Sancte Marie & Sancti Stephani longo tempore Reges vel aliquibus liberi homines largissent, vel ea que divina pietas ibidem augere voluisset cum omni integritate* &c. *In tertio namque precepto continente in eo inter cetera, qualiter Domnus Hludowicus Imperator per petitionem Benedicti Cremonensis Ecclesie Episcopi confirmasset, & junxisset per sui precepto quicquid ad prefatam Ecclesiam Cremonensis Episcopi Reges vel quibuslibet homines largissent* &c. *Erant precepta ipsas firmata & ab ipsis Regibus & Imperatoribus manibus propriis, & ab eorum anulis sigillata, & à suis Cancellariis scripta & emissa, per Data & Indictione. In jam dicta notitia continebatur in ea inter omnia, qualiter per Sanctionem sacri Principis & gloriosissimi Hlotharii Imperatoris, Adelgisus Comes Cremonam advenisset ad perquirendum instituta precepti, que Karolus Rex in eadem Ecclesiam concessit habendum, idest Curte Cucullo, & Tecledo, Caprariolas, & Brivisula, una cum Porto Vulpariolo* &c. *Erat notitia ipsa firmata manu propria idem Adelghisi Comitis, & aliis Judicibus, & reliquis, scripta per manum Ingeprandi Diaconi, & emissa per Regnorum & Indictionem.*

*Preceptoras ipsas & notitia ostensas & lectas, interrogatus est ipse Lando Episcopus & Adelbertus Advocatus ab eodem Domno Berengario Rege, per quod eos ostenderent. Qui dixerunt:* „ Ideo eos hic vestri ostensimus presentia, ut „ vobis cognita sint, & ne quis dicere valeat, „ quod pars hujus Cremonensis Ecclesie eos „ scilens aut occulte vel concludiose habuisset; „ & quod plus est, iste Leo Scavino hujus Cre- „ monensis, & Advocatus Curtis nostre Sexpi- „ las, qui hic vestri adest presentia, querimus

„ ut

„ ut dicat, si precepta ista & notitiam Judicati, „ quam hic ostensimus, bonas & vera sint, & „ si res illas in locas Cucullo, Tecledo, Brivisula, & Porto Vulpariolo, cum transitorio „ militum, usque in capud Addue cum molitura de molendinis & portoribus usque in capud Addue, sicut in eisdem preceptis legitur, dc pars predicte Curtis vestre Sespilas „ nobis à pars hujus Episcopii Cremonensis „ contradicere queret aut non. „ *Qui & ipse Leo Scavino & Advocatus ex verbo & preceptione idem Domni Berengarii Regis dixit & professus est*: „ Vere precepta ista & notitiam, „ quam hic ostensistis, bonas & veraces sunt, „ & res in locas Cucullo, Tecledo, Brivisula, „ cum omni sua pertinentia, & Porto Vulpariolo transitorio militum usque in capud Addue, sicut per eisdem preceptis legitur à parte predicte Curtis Sexpile vobis à parte Episcopii sancte Cremonensis Ecclesie nec contradixi, nec contradicere quero, quia cum lege non possum, eo quod juxta ipsa legibus „ ejusdem Episcopii proprias esse debent, & à „ parte ipsius Curtis nichil pertinent ad habendum cum lege. „ *Cum ipse Leo Scavino & Advocatus taliter professus & manifestus fuisset, rectum eis omnibus paruit esse, & judicaverunt, ut juxta eorum altercationem & eidem Leoni Advocatori professione & manifestatione pars ejusdem Cremonensis Ecclesie res illas in eisdem locis Cucullo, Tecledo, Brivisula, cum omnia sua pertinentia, & Porto Vulpariolo, transitorio militum usque in capud Addue, & cum molitura de molendinis & portoribus usque in capud Addue, sicut in easdem legitur preceptoras, ad suorum proprietatem habere deberet juxta ipsas preceptoras; & ipse Leo Advocatus, vel pars ejusdem Curtis maneant inde taciti & cuntenti. Et finita est causa. Et hec notitia pro securitate parti ejusdem Episcopii fieri jussimus.*

*Quidem & ego Petrus Notarius per jussionem Domni Regis, & admonitionem nostrorum Judicum scripsi, Anno Regni Domni Berengarii Regis, Deo propitio, XXIII. Mens. November, Indictione XIV.*

*Ego Ambrosius Diaconus, & Cancellarius Domni Regis interfui & subscripsi.*

*Ego Andreas Diaconus sancte Ticinensis Ecclesie, & Capellanus Domni Regis interfui.*

*Ego Johannes Clericus interfui.*

*Ego Gauso interfui.*

*Walpertus Judex Domni Regis interfui.*

*Sichardus Judex Domni Regis interfui.*

*Besanius Judex Domni Regis interfui.*

*Rotfredus Notarius Domni Regis interfui.*

*Lupus Archidiaconus interfui.*

*Petrus Diaconus ibi fui.*

*Agivertus Presbiter ibi fui.*

*Aldo Diaconus ibi fui.*

*Lampertus Presbiter ibi fui.*

*Signum manibus nostrorum Bernardi, & Pazoni, seu Rainerii, Vassi Domni Regis, qui interfuerunt*

*Signum manibus suprascriptorum Beboni, & Miloni, item Vassi Domni Regis, qui interfuerunt*

*Signum manibus suprascriptorum Odelrici, & Ingelrami, similiter Vassi Domni Regis, qui interfuerunt.*

*Rodelando ibi fui.*

Ughellius Tomo 4. Ital. Sacr. per hæc tempora *Landulfum* nobis exhibet in Cathedra Cremonensi sedentem. Hinc autem liquet, *Landonem* Episcopum vitam suam produxisse saltem usque ad Annum DCCCCX. Obiter etiam animadverte, huic Placito interfuisse aliquot *Presbyteros & Diacones Cardinis ipsius Episcopii*, hoc est Cardinales Cremonensis Ecclesiæ. Quàm eminentem locum *Gasindii Regales*, sive Aulæ Regalis Ministri, ea occasione tenuerint, nemo non videt, quum præcedant Cancellario, Judicibus, Notario, & Capellano Regis, Cardinalibus Cremonensibus, & Vassis Landonis Episcopi. Verborum autem contextus satis indicare videtur, *Vassos Domni Regis* eosdem fuisse, atque *Gasindii*. Adnotavit supra laudatus Bignonius, in quibusdam veteribus formulis pro *Gasindio* appellari *Ministerialem de intus casa*. Non obsisto ego; sed addendum puto, fuisse olim extra Principis aulam complures Gasindios, sive quod illustri hoc titulo ex privilegio uterentur, sive quod à Rege ministerii alicujus causâ per Provincias mitterentur, eorumve foret munus, advenienti Regi in obsequio & famulatu esse. Hadrianus I. Papa in Epistola 94. Codicis Carolini, Carolo Magno Francorum & Langobardorum Regi flagitiosum facinus, *in gente Langobardorum*, hoc est in Italico Regno, sibi deprehensum significat, ut ad illud reprimendum & eradicandum pius Princeps accurrat. Inquit autem: *Pro hoc sæpius ammonuimus Guntfridum, & aliis Gasindis vestris Epistolas dirigentes Raginaldo & Raginbaldo, ut tam detestabile stuprum devitarent. Sed ipsi noluerunt acquiescere* &c. *& plures in Italia eorum invitari exemplo non desinunt*. Ex his satis elucet, Gasindios illos habitasse non in Francia apud Regem, sed in Italia, atque heic perpetrasse crimen, quod eis Pontifex objicit. Honorifico autem titulo *Gasindios* insignitos fuisse didici è Charta, cujus pervetustum apographum vidi in Tabulario Archiepiscopii Lucensis, heic evulgandâ. Ibi una cum Sichimundo Archipresbytero Lucensis Ecclesiæ, fratre videlicet germano *Talesperiani Episcopi Lucensis*, quem *Tabenperianum* corrupte appellatum videas in Italia Sacra Ughellii, tres *Gasindii* Liutprandi Regis, patriâ, uti videntur, Lucenses, ac Ticini in famulicio Regis degentes, Diaconiam ad suscipiendos peregrinos in Lucensi agro instituunt. Inscribuntur ii *VV.MM.* idest, quantum conjicere possumus *Viri Magnifici*.

Fun-

## Fundatio Xenodochii in pomœrio Lucensis Urbis facta à Sichimundo Archipresbytero Lucensis Ecclesiæ, ac tribus Gasindiis Liutprandi Regis, Ticini, Anno 729.

R*Egnante Domno nostro Liutprand, Viro excellentissimo Rege, Anno pietatis ejus Octavo decimo, sub die XV. Kalend. Januar. Indictione Tertia decima. Oraculo Sanctorum Christi Confessorum Secundi, Gaudentii, atque Columbani, quod Deo juvante extra muros Civitatis Lucensis, loco ubi dicitur Apulia, edificare disponent, ubi & Diaconia in susceptione Peregrinorum fieri exoptant, Sigemund venerabilis Archipresbiter ejusdem Ecclesiæ Lucensis, seu Theutpert, & Ratpert, atque & Godepert VV. MM.* Gasindi Regis, *filii quondam Gundualt, presentes presentibus dixerunt:*
„ *In Evangelio Redentor humani generis* &c.
„ *Quapropter nos Deo inspirante juxta propriam voluntatem & vota ipsum sanctum Oraculum edificare disponimus in suprascripto loco & Diaconia in susceptione Peregrinorum, nos suprascripti germani Tehutpert, Ratpert, & Godepert, pro remedio Parentorum nostrorum, atque nostra mercede, ex terra nostra, quam in ipso loco Apulia habemus, in tabula una recipiente modiolas duodecim, in qua terra* &c. *Ego autem Sigemund Archipresbiter una cum auctoritate & consensu germani & Domini mei* Talesperiani Episcopi, *& nostra propria pecunia pro nostro remedio, offero & dono in prefato sancto Loco, & terra nostra ad Runco de Casale, quod dicitur Sindoni in pezza una recipiente modiolas* &c. *Ita ut cum exinde Christi perciperint Pauperes, Domino gratias referant, & nobis proveniat ad remedium. Ipsum vero Zenodochium dum ego qui supra Sigemund Presbiter advixero, in mea sit potestate* &c. *Et confirmationis nostre paginam Magno Notario sancte Ticinensis Ecclesiæ ex jussu Benedicti venerabilis Subdiaconi, & Exopt. Ticin. scribendum rogavimus, & subter confirmantibus testibusque obtulimus roborandum.*

*Actum Ticini.*

*Ego Sichimund W. Presbiter huic cartula donationis à nobis facta subscripsi, & testibus optulimus.*

*Ego Theutpert V. M. huic cartula donationis à me & germanis meis facta relegi & suscripsi, & testibus obtulimus roboranda.*

*Ego Gudepert, qui nomen suum scripsit, & hanc cartulam fieri rogavit.*

*Signum manus Roduald Gasindi Regi, filio quondam Rodpald, testis.*

*Ego qui supra Magnus Notarius sancte Ticinensis Ecclesie, scriptor hujus cartule donationis, post tradita complevi & dedi.*

*Ego Osprand Subdiaconus, Notarius sancte Lucensis Ecclesie, quantum in autenticum inveni, nec plus addidi, nec menime scripsi.*

Atque hactenus de *Gasindiis*, qui iidem fuisse videntur atque *Gardingi* apud Gothos Hispaniæ dominantes, quorum mentio est in Legibus Wisigothorum, & in Concilio Toletano XIII. Eo nomine Optimates seu Palatini viri, *Cortigiani*, significabantur: eoque sensu & *Gasindii* vocem usurpatam vidimus. Monet autem locus, ut aliquid etiam de *Deliciosis* adferamus, quum eorum interdum mentio occurrat in ævi barbarici monumentis. Eo nomine designabantur, qui non tantùm in familia Principis aut Magnatum erant, sed præ ceteris cari & familiares apud ipsos fuere, & participes plerumque secretorum. *Delicatos* Romani olim fortassis appellarunt, qui *Deliciosi* posteriori ævo fuerunt. Contentio autem maxima inter Eruditos est, quid nomine *Delicatus* Romani significarint, nonnullis censentibus, pueros exoletos, & infandæ libidini deditos, ea voce signari, aliis turpitudinem omnem ab eo nomine excludentibus. Uti quidem mihi videtur, minime inhonestum nomen ex institutione & munere fuere *Delicati*; sed quod ii nonnullis erant in deliciis, propterea suspicionem criminis aliquando ingerebant. Plutarchus pag. 943. in Antonino hæc habet: Ὁ δὲ Σαρμέντος ἦν τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδάριον, ἃ Διλικία Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. Ideſt: *Sarmentus verò puellulus erat inter ludicros Cæsaris, quos Romani* DELICIAS *appellant*. Nempe Romani, Magnates præsertim, puerulos apud se habere consueverunt, jocosos & blandos, sive honoris caussâ, sive ut eorum hilaritate ac ludis mœstitiam à se repellerent. Hosce *Delicias* dicebant, hosce *Delicatos*. *Grisologus annos tres* tantum & *menses novem* natus, atque è vivis raptus, *Delicatus* appellatur in Inscriptione apud Fabrettum Cap. V. pag. 362. Erant & mulieribus, nobilibus, uti & Virginibus Vestalibus, *Delicatæ* suæ. Exemplum non unum vide apud Gruterum & Fabrettum. Sed & Sanctus Augustinus Lib. de Gratia & Lib. Arbitr. Cap. 21. de Esther, secundùm versionem τῶν Septuaginta, scribit: *Et inclinavit se super caput Delicatæ suæ, quæ præcedebat eam*. Spectant hæc verba ad Cap. V. Esther, atque in Vulgata referuntur Capite XV. Sed ita ut ibi interpretes cæcutiant. *Assumsit* (ita habet Vulgata) *duas famulas, & super unam quidem innitebatur quasi præ deliciis*. Ideſt super unam *Delicatam*, quæ ei *in deliciis* erat. Infra: *Lassum super Ancillulam reclinavit caput*. Hoc est super *Delicatam* suam. Atque ex ejusmodi παιγνίοις sive jocosis, ac Deliciosis, sive Delicatis pueris, fortasse emersit vox nostra *Paggio*, aut à παῖς *puer*, famulus, ut Monosinius ac alii censuere. Certe non à *Bagoas*, ut Boxhornius opinabatur, neque à *Fabeus*, uti Menagius somniavit, hæc ita suo cerebro construens: *Glossæ veteres: Fabeus*, παῖς. *Fabea*, παιδίσκη. *Fabeus*, *Fabius*, *Pabius*, *Pagius*, *Paggio*. Abeant Glossæ illæ, ac longius abeat pannus iis à Menagio assutus. Inter *Delicatum* ac *Deliciosum* nil fortasse, ut dixi, discriminis olim fuit. Ævo Langobardico & Carolino *Deliciosi* in aula Principum numerabantur, sed honestissimo ac magnifico prorsus munere. Eos opinor non alios fuisse, quam quos nunc appellamus *Confidenti*, sive *Favoriti*, aut intimos Principum familiares. Statuit Rachis Rex in Lege IX. capitale crimen fore, *si quando aliqui pravi homines submittant in Palatium ad nostrum secretum discendum, ut per Deliciosos, aut per Ostiarios, vel per alios homines, captiose aut absconse investigare possint quicquid nos agimus*. Ita Nicolaus I. Papa in Epistola 17. scribit: *Sanctissimos Episcopos Delicio-*

*liciosos nostros pro eo vestræ caritati direximus*. Utitur & eodem verbo Johannes VIII. Papa in Epistolis 72. 217. & 277. uti Du-Cangius jamdiu animadvertit. Proinde nunc assequare, quid Sigebertus Gemblacensis significet in Lib. de Script. Ecclesiast. Cap. 83. ubi de Alcuino, sive Albino Abbate in hæc verba scribit: *Tanta familiaritate Imperatori Carolo acceptus fuit, ut appellaretur Imperatoris Deliciosus*. Memoratur etiam in Hadriani I. Papæ Vita apud Anastasium Bibliothecarium *Albinus Deliciosus ipsius Regis*, ideft Caroli Magni, Legatus ab eo missus in Italiam Anno DCCLXXIII. Censet Clarissimus Mabillonius in Annalib. Benedictin. Albinum hunc alium fuisse ab Alcuino, sive Albino Monacho, quem nuper memoravi. Non obsisto; sed fortasse non immerito Sigebertus Alcuinum ipsum Monachum Deliciosum Caroli Magni affirmasse potuit. In Lege Bajuvariorum Cap. XV. habetur: *Si Servus liberum furaverit, & vendiderit, aut manus perdat aut oculos. Sine signo numquam evadat, quamvis Deliciosus sit apud Dominum suum*. Qua ex Lege agnoscimus, interdum Servis etiam delatum fuisse titulum *Deliciosi*. Uno verbo: *Delicatus*, *Deliciosus* nihil aliud significavit olim, nisi *Dilectus*, *Carus*, & honestâ quidem significatione rudibus in Sæculis.

Fuerunt & *Juniores Ducum* & *Comitum*, de quibus multa pro sua eruditione habet Du-Cangius in Glossario Latino, & quorum non est mihi memoria contemnenda. Carolus Magnus in Epistola ad Pippinum Italiæ Regem, suum filium, Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 112. se accepisse ait, *quod aliqui Duces & eorum Juniores, Gastaldii, Vicarii, & Centenarii, seu reliqui Ministeriales, Falconarii, Venatores, & ceteri per singula territoria habitantes ac discurrentes, mansionatica & paravereda accipiant non solùm de liberis hominibus, sed etiam de Ecclesiis Dei*, &c. Propterea censuit idem Du-Cangius sub hoc nomine venisse *Magistratus & Officiales Comitum*, vel *Judices inferioris ordinis, qui majoribus suberant*. Sunt qui *Juniores Ducum* interpretantur eorum *Filios*. At veri similius, immo certum arbitror, hosce quoque inter *Ministeriales* fuisse recensitos, eosque fuisse, qui in aliquo ministerio Ducibus & Comitibus inservirent, uti nunc sunt Ostiarii, Præfecti culinæ, stabulo, vestiario, tributis militiæ, venationi, *&c.* Custodes corporis, curatores viarum, aggerum, *&c.* OEconomi, Notarii, aliique horum similes, qui nobilem familiam, ac Ministros Ducum & Comitum tunc constituebant. Nunc eos *Officiali* appellamus. Ut olim Hebræi & Latini *Pueros* appellarunt *Famulos* suos, ita subsequuta Sæcula appellasse videntur *Juniores*. Et sane quum Duces & Comites iis Sæculis illustre munus, & speciem quamdam Principatus in regendis Populis gererent, erant eis propterea multiplices Ministri, quales & cura splendidæ familiæ, & regimen Populorum exigere videbantur. Nam quod à Du-Cangio tamdem proponitur, videlicet *Juniores* fuisse appellatos, *qui officio Judicum, sed pedaneorum, functi fuere*, nescio, an sine dubitatione sit amplectendum, quamquam eidem acquieverim in Notis ad Leg. Langobard. Qui fuerint Judices Populi majores, atque minores, infra significabo in Dissertat. X. *de Judicibus*. Equidem *Juniores* à *Judicibus* diversos suspicor. At inquit ille: Hoc edifcimus è Capitulari Caroli Magni Anno DCCCII. Cap. 25. ubi statuitur: *Ut Comites & Centenarii omnes ad justitiam faciendam compellant; & Juniores tales in ministeriis suis habeant, in quibus securi confidant, quia legem atque justitiam fideliter observent, pauperes nequaquam opprimant*. Sed ante statuendum foret, an is revera sit horum verborum sensus, quem doctissimus vir est arbitratus. *Justitiam facere* eo in loco idem videtur, ac justa facere, juste operari tum in se ipso, tum erga proximum, potius quam Judicis titulo atque auctoritate justitiam aliis ministrare. In Lege Langobard. VIII. Pippini Italiæ Regis: *Si forsitan Francus aut Langobardus, habens beneficium, justitiam facere noluerit, ille Judex, in cujus ministerio fuerit, contradicat illi beneficium* &c. Sunt & alia hujusmodi. Quare ex ipso Capitulari supra laudato sensus hic emergere videtur: Comites nimirum & Centenarii, hoc est Judices, quorum revera fuit ministrare Populo justitiam, & compellere quoscumque ad Leges servandas atque implendas, jubentur adigere *omnes ad justitiam faciendam*. Sed quoniam Ministri & familiares Ducum, Comitum, aliorumque Rectorum Populi, & Judicum, ideft *Juniores*, potentiâ suâ abutentes, Populo interdum graves ac injurii evadebant, nolebantque damna aut probra aliis illata emendare, aut inique usurpata restituere: idcirco sancitur, ut ii tamdem ad ejusmodi ministeria, atque officia deligantur, qui nolint lædere justitiam.

Neque deerant id genus Ministri, ac nobiles famuli, qui vel adhibitis precibus, vel metu injecto, à Populo extorquebant munera, pecuniam, commeatum, vecturas, & alia ejusmodi, quibus propterea occurrit Carolus Magnus in Lege Langobardica 121. hæc scribens: *Audivimus, quod Juniores Comitum, vel aliqui Ministri Reipublicæ, sive etiam nonnulli fortiores Vassi Comitum, aliquam redhibitionem* (nunc *contribuzione*) *vel collectiones, quidam per pastum, quidam etiam sine pasto, quasi deprecando, à Populo exigere soleant*. Tum alia onera (*aggravj*) ab iis Populo inlata recenset, quæ omnia, ut auferantur, edicit. Eadem ratione explicari potest Lex 17. Pippini Regis Italiæ: *Stetit nobis de omnibus libellariis, ut nullus Comes, nec Juniores eorum, eos amplius distringant, nec inquietent, nisi sicut à longo tempore fuit consuetudo*. Heic *distringere* idem est ac nostrum *aggravare*, ejusque significationis alia exempla abundant. Rursus idem Pippinus in Lege 22. ait: *Placuit nobis, ut nullus Comes, nec eorum Juniores, nullatenus præsumat alicui homini sua testimonia tollere, vel abstrahere* &c. Eo omnia recidunt, ut reprimatur audacia non Judicum, sed uti nunc vulgo dicitur, Aulicorum, seu Officialium publicorum, & famulantium Comitibus, de quorum impotentia Populus conquerebatur. Gregorius Turonensis Lib. 5. Cap. 27. Histor. Francor. ad Annum DLXXVIII. scribit: *Post hæc Chilpericus Rex de pauperibus & Junioribus Ecclesiæ, vel Basilicæ bannos jussit exigi, pro eo quod in exercitu non ambulassent*. Clericos juvenes hisce verbis indicari censet Du-Cangius. Sed minime constat, jam tum coactos fuisse Clericos subire militiam: quod revera subsequentibus Sæculis factum est; ita ut opinari etiam possimus, heic agi de Laicis Ministris, sive famulis illius Basilicæ. Quod si juvenes Ecclesiæ heic intelligendos præfracte contendas, huc advoca Legem 10. Codicis Theo-

Theodosiani Lib. 10. Tit. 2. in qua *Clericis & Juvenibus præbetur immunitas, ut Ecclesiarum cœtus concursu Populorum frequentetur*. Ubi vides à *Clericis* distingui *Juvenes*. Infra additur: *Quod & conjugibus & liberis eorum, & ministeriis, & maribus pariter ac feminis indulgemus*. En ut ii *conjugio* operam darent, & *ministerio* aliquo fungerentur; ac proinde inter *Juvenes* illos & *Juniores* Gregorii Turonensis multa similitudo intercedit. Denique audi, quid statuerit Carolus M. prælaudatus in Capitulari de Villis Tom. I. pag. 339. Capitular. Baluzii §. LVIII. *Quando catelli nostri Judicibus commendati fuerint, de suo eos nutriant, aut Junioribus suis, idest Majoribus, Decanis, vel Cellariis, eos commendare faciant* &c. Hæc animadvertat, qui *Juniorum* nomine designatos putat *Filios*, seu *Liberos* Magnatum.

Nunc videndum restat, an inter Officia aut Regiæ domus, aut Reipublicæ recensendi sint *Scariones*. Hanc mihi quæstionem suppeditavit Charta Mathildis magnæ Comitissæ à Troncio edita in Historia Pisana, & exarata Anno MC. pro Canonicis Pisanis. Præcipit ibi Comitissa, *ut neque Comes, neque Vicecomes, neque Scario, neque aliquis publicorum Ministrorum ad Placitum faciendum ante se prædictos villanos compellere præsumat*. Non mediocris auctoritatis fuerint *Scariones* oportet, quando homines cogere ad Placita poterant. Heic me tenebris multis circumfusum sentio. In Chronico Vulturnensi Part. II. Tomi I. Rer. Italic. pag. 349. Carolus Magnus Diplomate suo statuit, *ut si aliquo tempore orta fuerit contentio inter Abbatem* Vulturnensem, *vel Advocatum suum, seu de Servis, vel aliqua causa*, &c. *liceat eis se defendere per Scariones ejusdem Monasterii, sicuti antiquitus consuetudo fuit*. Du-Cangius in Glossario Latino id hominum genus *Ostiarios* fuisse opinatus est, in eam sententiam adductus à Monacho Sangallensi, qui in Vita Caroli Magni Lib. I. Cap. 20. de quodam Episcopo scribit: *Dixit ad Ostiarium, vel Scarionem suum (cujus dignitatis aut ministerii viri apud antiquos Romanos Aedilitiorum nomine censebantur)* „ voca ad me illum „ pileatum hominem. „ Vereor, ut Monachus ille satis Romanæ eruditionis peritus fuerit, quando Aediles, sive ut is ait, *Aedilitios* veterum cum *Scarionibus* sui temporis componit. Utcumque sit, minime eo in loco confundendus est *Scario* cum *Ostiario*, sed potius distinguendus. Addit Du-Cangius, vocem hanc crebrius sumi *pro Ministris Judicum; vel certe pro minoribus Judicibus*. Quam in rem verba adfert Chronici Vulturnensis. Sed nihil inde exculpere possis, ut *Scariones* in album Judicum majorum, minorumve, aut Ministrorum referas. Juramentum in litibus interponere Ecclesiasticis viris olim nefas fuit. Propterea per Advocatos suos Laicos illud præstare consueverunt. Aistulphus Rex in Lege Langobardica 12. hæc scribit: *Si quis cum Curte Regis causam habuerit, & evenerit, ut pars Curtis Regis, sacramentum deducere* (idest exigere) *debeat, si minor causa de Solidis XX. fuerit, per sacramentum ab Scharione pro Actoribus finiatur. Si verò major causa fuerit, Actor de Loco* (venerabili) *cum Actoribus secundùm qualitatem causæ per sacramentum persolvat*. Nomine *Actoris* Advocatum significari ego in Notis conjectabam. Quod ubi statuas, habemus, interdum per *Scarionum*, interdum per *Advocati* jusjurandum lites facti alicujus in controversiam adducti fuisse diremtas. Adi nunc supra memoratum Chronicon Vulturnense, Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag 372. ubi Ludovicus Pius Anno DCCCXIX. in Diplomate Monachis iis concesso (de cujus fide erit mihi sermo in Differtat. XVII. de *Fisco*) ait: *Et nullus audeat Abbates vel Monachos ejusdem Cœnobii ad jurandum quærere; quia contra divinam credimus esse Legem. Sed per Scariones omnibus temporibus finem faciant, sicut prisca consuetudo fuit*. Habitum vero fuit Placitum Anno DCCCXCVI. in Beneventano Palatio (ut constat ex eodem Chronico pag. 410.) coram Ageltrude Augusta, & Radelchiso Principe Beneventano; ubi decretum fuit, ut *Majo Abbas* Vulturnensis in lite ibi agitata *quinque Scariones sui Monasterii jurare faceret* &c. Reapse non ita multo post *ipse Majo Abbas ostendit quinque Scariones sui Monasterii, idest Magelgarius, & Majone* &c., *& ita eos ad sancta Evangelia jurare fecit* &c. Quo facto Monachis Vulturnensibus caussa adjudicata est. En ergo quid ii Scariones præstiterint, non certe *Ministri Judicum*, neque *Judices Minores*. Erant autem non solum Monachis, sed & Episcopis, & Curti Regiæ, sui *Scariones*: cujus rei certos nos facit Charta, quam authenticam vidi in ditissimo Tabulario Archiepiscopii Lucensis. Permutatio quorumdam bonorum facta fuerat inter *Alpertum, Ducem Lucensem* nomine Aistulphi Langobardorum Regis, & *Walprandum Episcopum* Civitatis ejusdem. Quum vero excidisset, & nusquam reperiretur Charta ejusmodi contractus, curante *Perideo Episcopo*, per novas tabulas reparata est priorum jactura. Inde vero constat, delectos utrimque fuisse *Scariones*, & missos ad æstimanda bona, de quibus facienda erat commutatio.

# Renovatio Chartæ testantis permutationem bonorum factam inter Aistulphum Langobardorum Regem, & Walprandum Episcopum Lucensem, Anno 754.

IN *Dei nomine. Regnante Domno nostro Aistolfo Rege, Anno Regni ejus Quinto, per Indictione Septima, mense Julio, feliciter. Dun per jussu* Domni excellentissimo Aistolfo Rege *mandatum fuisset mihi* Alpert Duci, *seo &* Walprand Episcopi *viganeum facere de res Auriperti pictori cum Curtis Domni Regi, ita & factum est, & duas Cartulas uno tenure fuissent conscriptas per preceptum ipsius Domni nostri confermatas fieri devissent, requisivimus ca......... quem de partis Curtis regia de ipso viganeum in Ecclesia Sancti Martini data fuera, minime ea jungere potuimus, eo quod in exercitus d........ierat: set dun hec dictum fuisset Domni Regi per* Peredeus venerabilis Episcopus, *eo quod ipsa Cartula minime invenire potuisset, demandavit ipse Rex piissimo alia tale Cartula relevare per ipso Notario, qui ea antea scripserad, qualis ille erat, quem de parte Ecclesie ad Curtis Regia emissa fuerat. Placuet adque convinet inter Ecclesiam Sancti Martini, nec non & Curtes Domni Regi, & qualiter av ipso piissimo, & ad Deo conserbato Domno Aistolfu Rege est demandatum, ut cambium de Curte ipsius Lucense in predicta Ecclesia Sancti Martini melioratam datum fieri devirent pro personas de ....... vel germanas Auripert pictori, seo & homenis pertenentibus eorum, vel res, quem ad manum sua abuissent, qui sunt pertenentes Ecclesie Sancti Martini ....... consentientem venerabilis* Walprand *Episcopus, & av ipso ordinati fuissent da parte Ecclesia ipsa commutationem faciendum Jordanni Arcipresbitero ....... achipert Arcidiaconus, & Auduaci* Scario; *& da parte Curtis Domni Regis ab Alpert Duci ordinati fuissent ad ipsa res extimandum Teupert* Scario, *Teutprand filio quondam Teppuloni, & Grasulus ...... unde constat dedissent Ecclesia Sancti Martini in primis Casa avitationis ipsius Auripert, vel de germani ejus una cum fundamenta sua, hic infra Civitate; & recipet in viganei locum à Curte Domni Regi Casa cum fundamenta sua prope muro Civitatis. Ubi resedirent Aumundulo & Silvolus, qui fuerint Epistolas deportantes; & terra quem abuissent Auripert vel germani ...... ubi ipse Casella edificata est, recipet Ecclesia Sancti Martini terra in atpretiato sub estimationem intra clausura illa prope ...... tatis, ubi ipse casella Aumunduli & Silvoli edificata est, & pro Casa, quem abuissent in loco Lupelia & in Pumpiano prope Ecclesiam Sancti Machari cum ...... vel omnia quantum in suprascriptas locas avire visis fuissent, recipet Ecclesia Sancti Martini Casa* Willuli, *& Casa Galpertuli, & Casa Filipert in loco ...... sse cum fundamentas suas, terris, vineis, olivis, silvis, castaneitis, omnia & in omnibus ad ipsas suprascriptas Casas pertenentes in integrum, excepto homenis de ipse Case, & fundamenta eorum hic infra Civitate, & terre eorum ultra fluvium Ausare, quem à Curte Domni Regi est reserbatum, & de terre, qui fuit de ipse Case da Turre, qui sunt hic circa Civitatem, percipet Ecclesia Sancti Martini per mensura pro terre, qui fuerunt Auripert, vel de germani ejus in primis cum ...... anolas modiorum sex & sistariorum octo pro campo ipsius Auripert vel de germani ejus, loco qui dicitur ad Ausare, quod est modiorum sex; similiter recipet Ecclesia Sancti Martini duas petias de terra in loco Roncho* &c. *Qualiter suprascripta commutatio acta est per* Walprand *Episcopus & Alpert Duce: unde duas Cartulas uno tenure conscriptas Radalpert Notario scrivere commonuemus.*

*Actum Luca, Regnum & Indictionem suprascriptam feliciter.*

*Hec Carta relevata est per demandationem ipsius Domni nostri Aistolf Regi, in Anno Septimo, Indictione Nona, mense Septembrio.*

*Ego* Alpert Dux *in anc Cartula cummutationis à me facta ad te* Walprand Episcopus, *ut supra legitur, propria manu subscripsi.*

*Ego Teutprand, qui in hanc cummutationem interfuit ad ipsas res extimandum, manus mea suscripsi.*

*Ego Teuderadu Presbiter in ach Cartula cummutationis facta at* Walprandu *Episcopus, ed Alpertu Duces, propria manu mea me teste supscripsi.*

*Ego Radalpert, qui hanc Cartula relevavi per demandationem ipsius Domni nostri Regi predicto Alpert Doci, & qualiter ipsius demandatio fuet, complivi & dedi.*

Quod heic *viganeum* dicitur, *permutationem* significat. In aliis Chartis Lucensibus *Deganeum* appellatur; idemque significat. Adhuc autem in ea Civitate perdurat ejusmodi vox, & apud Notarios familiaris est formula *titulo permutationis & Deganei*. Sed & vocabulum *deganare* ibi in usu est pro *permutare*. Ughellius Tomo I. Italiæ sacræ, tradit *Walprandum Episcopum Lucensem* in vivis fuisse usque ad Annum Christi DCCLIV. Ego quoque tabulas ad eum spectantes, & Anno DCCLIV. scriptas, legi. Ex hac autem membranâ habemus, ante Julium mensem Anni DCCLIV. sedisse in Cathedra illius Urbis *Peredeum Episcopum*, quem tunc ignorabat Ughellius, sed postea agnitum indicavit in Appendice ad Tomum V. primæ editionis. Ejusdem autem Peredei plura acta & per plures annos, in Lucensi Archivo adservata, præ oculis habui. Atque ex his, quæ hactenus dixi, quamquam nondum plane aperuerim, quodnam munus, quæve dignitas *Scarionum* fuerit, satis tamen lucis nobis est factum, ut perspiciamus, quantopere à veritate deflexerit Hugo Grotius, alioqui vir summus, dum hæc scribit: *Obscariones. Carcerum custodes, iidemque Carnifices, qui & Scariones à Scaren & Obscaren, quod est abscindere*. Sed jam tamdem quale hominum genus ii fuerint, edicamus. Animadverte enumerari in prælaudato Chronico Vulturnensi pag. 397. Servos celeberrimi illius Cœnobii, atque illic legi: *De Decania de Cerqueto de Scariatu Gaudiosi. In primis ipse Gaudiosus cum filiis suis* &c. Infra memoratur *Villa, ubi Martinisci dicitur, de Scariatu Gradicisi* &c. *Item de Laurentisu, de Scariato Teoderissi. In primis ipse Teoderissi cum filiis suis* &c. Ibi simili ratione scriptum: *Item De-*

*Decania Teodoaldi de ipsa Villate Cerqueto. In primis ipse Teodoaldus* &c. *Item Decania de Cerqueto Ansefrid. In primis ipse Ansefrid* &c. *Scariatus* ergo fuisse videtur Præfectura complectens varias Servorum Familias, quibus præerat *Scario*. In eodem Chronico pag. 399. occurrunt ista: *Quomodo iste Ursepertus in primis fuit Scario per Servo super alios Servos Sancti Vincentii*. Verba illa *pro Servo* vitiata suspicor; at hinc saltem elucere potest, *Scariones* fuisse *super alios servos*; ipsosque etiam videri servili conditioni fuisse obnoxios: quod tamen affirmare pro certo non ausim, quamquam in Diplomate Radelchisi Beneventani Principis pag. 412. ejusdem Chronici Vulturnensis hæc verba legantur: *Liceat Præposito Monasterii Sancti Petri Apostoli secundùm consuetudinem terræ istius cum quinque Scariones, servos de ipsa sua Ecclesia, satisfacere*. Itaque *Scarionum* appellatio inde nata fortasse fuerit, quod ii præessent *Scaræ*, sive *turmæ* ( unde manavit Italicum *Schiera* ) Servorum, suamque *Scaram* regerent, præcipue quando ad latrones repellendos, aut ad terram defendendam, ipsos quoque Servos armatos accurrere necessum erat. Idem *Masnadæ* aliorum Servorum præstabant, ut dicam infra in Dissertat. XIV. *de Servis*.

Porro antequam Dissertationi huic finem faciam, brevibus innuere statui aliquot ex Officiis quæ olim numerabantur in Aula Pontificia. Nam à vetustissimis Sæculis Romani Pontifices eximium suæ dignitatis splendorem copioso quoque & præstanti Officialium & famulorum cum nobilium tum ignobilium cœtu tutati sunt; ac præcipue postquam Urbi omnium reginæ, ac tot aliis Civitatibus dominari cœperunt. Supra memoravi *Ostiarios* ac *Deliciosos* Pontifici inservientes. Infra in Dissertation. LXXV. *de piis Laicor. Confratern.* occurrent nobis *Cubicularii, Mappularii, Addextratores, & Servientes nigri, de familia Domini Papæ*. Sed præter hos fuere, non uno tamen tempore, *Camerarius, Bibliothecarius, Archidiaconus, Superista, Clerici Cameræ, Archicancellarius, Notarii, Protonotarius, Cancellarii, Scriniarii, Chartularius, Primicerius Notariorum, Primiscrinius, Secundicerius, Actionarii, Vicedominus* sive *Oeconomus, Vestiarius, Nomenclator, Sacellarius, Arcarius* sive *Thesaurarius, Capellani, Buticularius, Pincerna, Marescalcus, Panetarius, Dapiferi, Cursores, Judex Cameræ Domni Papæ, Familiares, Servientes, Campsores Domni Papæ, Scriptores Cameræ, Cantores*, quorum Schola celebris antiquis etiam Sæculis Romæ fuit, *Virgarii, Sellarii, Magistri Militum*, ut alios prætercam, qui nunc memoriæ meæ nequaquam recurrunt. Et quoniam nonnullos ex hisce Officialibus commemoratos vidi in Chartis, quas complectitur Regestum MStum Cencii Camerarii, easdem, utpote quæ nondum editæ fuerunt, huc inferre non incongruum duxi, quum & aliis de caussis ad eruditionem veterum Sæculorum, atque Historiæ Romanæ lucem, usui alicui esse possint.

## Chartula permutationis Castri Montis Sancti Johannis ab Adriano IV. Papa factæ, Anno 1157.

EGo *Ubaldus Cardinalis titulo Sanctæ Crucis, Procurator Domini Papæ Adriani ex ipsius mandato & præcepto, in præsentia* Philippi Sanctæ Sedis Apostolicæ Sacellarii Judicis, *cambio & permuto tibi Raynaldo de Aquino, tuisque heredibus ac successoribus in perpetuum: idest medietatem totius Castri, quod vocatur Mons Sancti Johannis, sicut Romanæ Ecclesiæ pertinet, & nostris detinemus manibus, cum districto & placito suo, cum domibus, terris, vineis, silvis, paludibus, & pantanis, cum omnibus suis pertinentiis, molendinis, positum in territorio Campanino, sicut inter suos concluditur fines; sicut Domino Papæ & sanctæ Romanæ Ecclesiæ pertinet, sic tibi damus & permutamus. Tali verò tenore & conditione, ut tu vel aliquis filiorum tuorum, qui Castrum tenere debet, & quicumque Castrum perpetuo tenuerint, fidelitatem & hominium facere debent Domino Papæ Adriano & suis Catholicis successoribus, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ: adjuvare per personas vestras & per ipsum Castrum guerram & pacem facere contra omnes homines, & servire Domino Papæ, & successoribus suis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut ex aliis Campaniæ Baronibus, ad mandatum & præceptum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tam tu, quam & filii tui. Et omnes, qui in Castro partem habebunt, jurabunt ipsis, qui fidelitatem juraverunt Domino Papæ, quod eis Castrum per vos vel vestras submissas personas non auferetis, neque de jure & dominio Domini Papæ & Catholicorum successorum suorum & sanctæ Romanæ Ecclesiæ subtrahetis; immo si Ecclesiæ Romanæ opus fuerit, absolvetis homines vestros de prædicto Castro à Juramento, & eis præcipietis, ut adjuvent Ecclesiam Romanam cum eis, qui Ecclesiæ Romanæ de fidelitate tenentur. Ideo hanc permutationem tibi facio, quia tu dedisti supradicto Domino Papæ, & successoribus suis Catholicis, medietatem duorum Castrorum, unius destructi, & alterius integri, quæ vocantur Britti, cum omnibus pertinentiis suis; sicut in Charta à te per eumdem Scriniarium facta continetur. Et ab hac itaque hora licentiam & potestatem habeas tu vel heredes tui in prædictam medietatem Castri intrandi, tenendi, fruendi, possidendi, & faciendi quicquid volueritis in perpetuum, secundùm quod Romanæ Ecclesiæ pertinet. Tali quidem conditione, ut tu vel heredes tui medietatem ipsius Castri non vendetis, vel alio modo alienabitis alicui personæ, quæ moretur ultra flumen Ceperani, nisi forte inter vos. Si fortè aliquando volueritis partem vestram alienare, cum prædictis oneribus & conditionibus alienetis: sed prius requiretis Dominum Papam, qui pro tempore fuerit, & sanctam Romanam Ecclesiam. Et si voluerit emere, pro viginti Libris P. P. monetæ minus ei concedetis. Quod si noluerit emere, tunc vendere poteritis, seu alienare alicui personæ, quæ meritò non sit suspecta Romanæ Ecclesiæ, tamen cum supradictis oneribus & conditionibus. Et defendere promittimus ab omni homine si necesse fuerit, pœnâ sexaginta Librarum auri. Et tu supradictus Raynaldus tactis sacrosanctis Evangeliis jurasti, te observaturum sine fraude & malo ingenio, sicut superius dictum est.*

Char-

## Chartula cessionis Castri Corclani facta Adriano IV. Papæ à Buccaleone, Anno 1158.

*IN nomine Domini. Anno ejusdem Incarnationis MCLVIII. Indictione VI. Anno IV. Pontificatus Domni Adriani Papæ Quarti, mense Augusto, die XXVII. Ego Buccaleonis, nulla vi coactus, neque dolo inductus, sed propria mea voluntate bonâ refuto, renuntio & concedo nomine transactionis omne jus, omnemque rationem, si quam habeo, vel habere videor, tam ex parte Patris, quàm usu vel consuetudine in Castro Corclani, intus seu foris, in diversis vocabulis, & omnibus eorum utilitatibus tam in terris cultis vel incultis, quàm in domibus habitatis & inhabitatis, vobis Domno ac patri Adriano Papæ, & vestris omnibus Catholicis successoribus in perpetuum; pro eo quod tradidistis mihi centum quadraginta Libras Lucensis monetæ ad beneplacitum meum: ideoque volo, ut totum, quod superiùs legitur, sit ratum & firmum jure transactionis, refutationis & cessionis in perpetuum. Quod si ego, vel mei heredes, aut aliquis per me, contra hoc instrumentum venire tentaverimus, aut non defenderimus vobis vestrisque successoribus Castrum meum Carnanum habere jure proprietatis pœnæ nomine, & pœnâ solutâ hoc instrumentum transactionis à me factum firmum permaneat.*

*Hoc factum est Narniæ, die Mercurii, juxta Ecclesiam beati Juvenalis, in Palatio Domni Petri Episcopi, & in præsentia Domni Papæ Adriani, & Domnorum Cardinalium, atque aliorum bonorum hominum quamplurium, ante quos supradictus Buccaleon manu sua sacrosanctis Evangeliis observare juravit.*

*Ubaldus Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Praxedis.*

*Octavianus Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Cæciliæ.*

*Johannes Presbyter Cardinalis titulo Sanctorum Johannis & Pauli.*

*Hildibrandus Presbyter Cardinalis titulo Sancti Apostoli.*

*Guido Cremensis Presbyter Cardinalis Sanctæ Mariæ Transtiberim.*

*Willelmus Presbyter Cardinalis titulo Sancti Petri ad Vincula.*

*Magister Raymundus Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Vialata.*

*Petrus Episcopus Narniensis.*

*Præsentes fuerunt: inter quos Manasses Judex Nepesinus fuit:* Johannes Bonus Marescallus Domni Papæ: Alexius Pincerna Domni Papæ: Petrus Butiglerius: Johannes Riccius de Curia. *Uvitio & Petrus filius Leonis Berardi: Rodulfus Signoretti: Johannes Rainerii: Malapetia: Donatus: Lassaboves: Petrus Capuanus; Narnenses: Astaldus Romanus: Maximus Judex Utriculanus: Fuscus Thebaldi: Nontevolti, Vitervienses: Malagonella Tudertinus; & Raynaldus Bonicomitis de Asprula, rogati testes sunt.*

✠ Ego Ægidius Notarius à Domno Papa Cœlestino, *rogatu Buccaleonis complevi & scripsi.*

## Chartula donationis omnium bonorum suorum facta Adriano IV. Papæ à Raynaldo Senibaldo, Anno 1159.

*IN nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis MCLIX. Anno V. Pontificatus Donni Adriani IV. Papæ, Indictione VII. mensis Aprilis, die XVIII. Ego quidem Raynaldus Senibaldi de Dono Dei, hac die propria mea voluntate bonâ inter vivos dono & concedo tibi Donno Adriano, à Deo decreto summo Pontifici & universali Papæ IV. tuisque Catholicis successoribus, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad veram hereditatem, perpetuamque proprietatem in perpetuum: idest omnia mea bona mobilia & immobilia & omne jus, omnesque actiones seu exceptiones, quæ habeo in locis & vocabulis; videlicet Sanctam Mariam de Canneto cum Villa, terris & vineis: & Pomonte cum terra laboratoria: & Podium de Dono Dei cum domibus, terris & vineis: nec non & tenimentum de Sottoterram: immo etiam in Castello Ugonis Villam cum hominibus, terris & vineis: in Mollagara Ecclesiam Sancti Blasii cum tenimentis suis: in Campomajore terram laboratoriam & unum molendinum. Et demum ubicumque aliquid mihi quocumque modo competit tam jure hereditario, quamque locis, seu quocumque alio modo, tibi dono & concedo, & corporaliter per hoc instrumentum investiens trado; ut ab hodierna die in antea liceat vobis intrare, tenere, vendere, donare, commutare, & quicquid volueritis ad usum vestrum, vestrorumque Catholicorum successorum, & beati Petri, sanctæque Romanæ Ecclesiæ perpetuo faciendi. Ego itaque una cum meis heredibus defendere promittimus ab omni homine, si necesse fuerit. Quod si contra hæc, quæ dicta sunt, quolibet modo venire attentavero, & cuncta, quæ dicta sunt, non observavero, & si ea defendere noluero, aut non potuero, tam ego quàm mei heredes componamus tibi tuisque successoribus pro pœna duas auri Libras: & solutâ pœnâ hæc donationis Chartula perpetuo firma permaneat. Quam scribendam rogavi* Andream Scriniarium, *in mense, & Indictione suprascripta VII.*

✠ *Signum manus prædicti Raynaldi Senebaldi de Dono Dei, hujus chartulæ rogatoris.*

*Viscardus testis.*

*Benedictus Zenonis testis.*

*Rogerius de Letulo testis.*

*Sasso Johannis de Carbona testis.*

Gislebertus Domni Papæ Marescallus *testis.*

*Bobo Rauli Capiciani testis.*

*Anterius Albanensis testis.*

Andreas Scriniarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ & sacri Lateranensis Palatii *complevi & absolvi.*

## Chartula, per quam Gualganus de Sculcula recognovit Castrum Sculculæ juris beati Petri esse, & habere illud in custodia, Anno 1159.

*Anno Dominicæ Incarnationis MCLIX. Indictione VII. Pontificatus verò Donni Adriani IV. Papæ Anno V. mense Julio die XIII. Boso Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis*, Donni Papæ Camerarius, *una cum Petro Gaitano, & Rogerio nepote* Johannis Cancellarii, *Subdiacono Apostolicæ Sedis, &* Presbytero Rodulpho Cappellano ejusdem Donni Papæ, *atque* Petro Buticulario, Alexio Pincerna & Scriniario, Donello & Johanne Ritio Janitoribus, *atque* Bovaccano & Gisleberto Marescalcis, *&* Malavolta Magistro Conestabulo *super custodia Arcis Corclani, & cum multis aliis* Servientibus de domestica familia Donni Papæ, *venit ad Sculculam, ex mandato & dispositione ipsius Donni Papæ & Cardinalium: ibique à Galgano & duobus filiis suis Militibus Simone & Gottifredo, & aliis habitatoribus ipsius Castri honorifice susceptus est, & reverenter deductus ad Palatium & Cappellam, quæ est in summitate ipsius Arcis. Tunc verò in communi audientia omnium supradictorum, & aliorum circum adstantium post diligentem allocutionem & requisitionem ipsius Cardinalis &* Camerarii *supradictus Galganus recognovit ipsum Castrum de Sculcula proprii juris beati Petri esse, & commendatum parentibus suis & sibi à Romanis Pontificibus: & sic usque ad præsens tempus ad fidelitatem beati Petri & Romanorum Pontificum ab eis custoditum atque decretum. Ad auferendam quoque omnem dubitationem, & majorem evidentiam, quod hæc omnia ita se habeant, præcepit omnibus istis, qui inferius notantur, familiariter secum in ipsa munitione habitantibus jurare fidelitatem Donno Papæ in hunc modum. Ego Leo Presbyter &* Cappellanus *ipsius Munitionis: ego Nicola Parente* Vicecomes; *ego Landucu* Dapifer: *ego Petrus Cunicus* Portonarius: *ego Galganus Buccabella* Cellerarius: *ego Nicolaus de Pandolfo: ego Nicola Marsicano & Petrus Abrusia* Custodes & Vigilatores *ipsius Munitionis, juro per hæc sacrosancta Evangelia, quod ab hac hora in antea fidelis ero Donno Papæ Adriano, ejusque Catholicis successoribus & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nec ero in facto vel consilio aut consensu, quod vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione. Certum eorum damnum & grave, si cognovero, faciam remanere, si potero: si verò non potero, tunc indicabo Donno Papæ vel per me, vel per Nuntium meum, vel per literas. Et si forte (quod absit) Dominus meus Galganus, vel ejus filii, ullo umquam tempore nollent recognoscere ipsum Castrum de Sculcula per beatum Petrum & Romanos Pontifices, sicut dictum est, & de fidelitate Donni Papæ vellent exire, tunc ego pro meis viribus repugnando resistam eis, & tenebo me contra eos cum Donno Papa, qui pro tempore fuerit. Præterea idem Galganus absolvit omnes istos in hac parte à juramento, quo ei tenebantur.*

*Scripta sunt hæc per manum prædicti Rogerii Subdiaconi, in ipsa munitione de Sculcula, tertio Idus Julii.*

## Chartula permutationis Castrorum Lariani & Normæ inter Alexandrum III. Papam & Rainonem de Tusculano, Anno 1179.

*In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno Incarnationis ejus MCLXXIX. Pontificatus Domni Alexandri III. Papæ Anno XXI. Indictione XIII. mensis Octobris die XI. Domnus Papa Alexander de propria voluntate, & Dominorum Cardinalium consensu, scilicet Ubaldi Ostiensis Episcopi, Theodini Portuensis Episcopi, Johannis Presbyteri Cardinalis Sanctorum Johannis & Pauli, Alberti Presbyteri Cardinalis &* Cancellarii; *Marci Presbyteri Cardinalis Sancti Marcelli, Gratiani Diaconi Cardinalis Sancti Cosmæ, & aliorum, permutavit cum nobili viro Rainone de Tusculano; & ipse Dominus Papa dedit ei, ejusque heredibus in perpetuum ad proprietatem Castrum Normæ cum arce & domibus, terris, vineis, pascuis, aquis & piscariis ac silvis, & omnibus suis tenimentis & pertinentiis. Similiter & Viculum cum omnibus, sicut supra dictum est, utilitatibus & pertinentiis suis. Et Dominus Raino dedit prædicto Domino Papæ & Ecclesiæ Romanæ ad proprietatem in perpetuum Castrum Lariani cum arce, quam Dominus Papa tunc per eum tenebat, cum domibus, terris, vineis, silvis, aquis, pascuis, & cum omnibus suis tenimentis & pertinentiis. Et traditio est ab utraque parte possessio, ut Domnus Papa deinceps & Romana Curia Castrum Lariani cum arce & suis pertinentiis, proprietatis jure libere habeat & possideat: & Dominus Raino & ejus heredes Castrum Normæ & Viculum cum omnibus eorum pertinentiis & utilitatibus, proprietatis jure libere habeant & possideant. Possessiones autem, quæ de tenimento Lariani obligatæ erant, Dominus Papa suâ pecuniâ recolligere debet, si non excedat summam CC. Librarum provesinorum: si verò hanc summam excedit, superfluum Dominus Raino solvere debet. Conventum est etiam utriusque partis consensu, ut liceat Domino Papæ ejusque successoribus, à tali permutationis contractu, si voluerint, resilire, & reddito Lariano cum arce & tenimentis suis & meliorationibus Domino Rainoni vel ejus heredibus, recipiant Normam cum arce, & Viculum cum eorum tenimentis & meliorationibus, nullis hinc inde pro meliorationibus factis redditis, vel detractis expensis. Pecuniam tamen, quam pro dissolutione pignorum ante hunc contractum obligatorum Dominus Papa creditoribus solverit, Dominus Raino vel ejus heredes dissoluto contractu Domino Papæ & Curiæ Romanæ restituet. Domino verò Rainoni & ejus heredibus nullo tempore liceat, invito Domino Papa, vel ejus successoribus, à tali contractu recedere. Et Dominus Papa obligavit se suosque successores Domino Rainoni stipulanti in*

*pœ-*

*pœnam quinquaginta Librarum auri, si unquam contra hujus contractus tenorem facerent, aut si, quod dedit legitime, contra omnem personam non defenderent, aut si de Viculo eum, sicut promiserat, non juvaret, si fortè Landus Saulis, aut ejus consanguinei, eorumque successores guerram de Viculo sibi fecerint vel ejus heredibus. Et Dominus Raino similiter obligavit se suosque heredes in similem pœnam prædicto Domino Papæ stipulanti, si ipse aut sui heredes contra talem contractum facerent, aut si quod dedit legitime, contra omnem personam non defenderent. Interfuerunt huic contractui* Frater Franco Domini Papæ Camerarius: Caliota Menescalcus: Petrus Ostiarius: Paulus Panetarius: Giffredus Butillerius: *Loffredus Vetulus: Johannes Juelis: Maniciettus: Robertus Naturalis; qui omnes rogati sunt testes. Interfuerunt &* Judices Ildicius & Bulgarellus *Anagnini, & Gregorius Coranus.*

## Charta refutationis factæ Cœlestino III. Papæ de Civitate Castellana à Constantia & Sibilia sororibus, & Hiacyntho Petri Deusvossalvet, & Nicolao & Octaviano fratribus, Anno 1195.

*IN nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis MCXCV. & Anno IV. Pontificatus Domni Cælestini III. Papæ, Indictione XIII. mense Februarii die prima. Nos quidem Constantia uxor quondam Andreottæ, & Sibilia uxor Hiacynthi Petri Deusvossalvet, germanæ sorores, filiæ quondam Andreæ de Baldoino: Nec non & nos principaliter Hiacynthus Petri Deusvossalvet, atque Nicolaus & Octobianus fratres, filii dudum præfati Andreottæ; omnes simul pro portione unicuique nostrûm competenti, ante præsentiam Dominorum* Judicum, Saissonis Primicherii, & Johannis Saissonis Arcarii, *atque Petri Pauli Rubei Dativorum; & in præsentia Domni Petri de Judice Causidici, & subscriptorum testium, propria nostra voluntate renuntiamus, & generaliter refutamus vobis* Domno Petro Sarraceno Domni Papæ Senescalco, *mandato & procuratori Domni Papæ Cælestini ad hoc specialiter coram dictis Sapientibus constituto, ad opus & utilitatem ipsius Domni Papæ & successorum ejus, ac totius Ecclesiæ Romanæ perpetuò: idest omnem litem & petitionem, quam ipsi Domno Papæ & Romanæ Ecclesiæ fecimus, petivimus, petere vel facere potuimus, videlicet de universa portione quondam Petri de Attegia, scilicet illarum mille Marcarum argenti, quas ei & suis consortibus olim Domnus Adrianus Papa IV. debuit. Pro quibus ei Civitatem Castellanam & universum Comitatum ejus, ac Montem Altum obligavit, & jure pignoris tradidit, sicut per Privilegium ipsius Domni Papæ Adriani apparet; quod, quantùm ad portionem ipsius olim Petri de Attegia pertinet, inane desistat & vacuum, & nullius momenti penitus habeatur. Quæ portio nobis competit vel competere videtur tam ex successione prædicti Andreæ de Baldoino, quàm ex concessione & mandato mihi specialiter Jacquinto pro medietate facto, & mihi Constantiæ pro altera medietate, videlicet à Kiera uxore Petri Latronis, & filia quondam Farulfi de Monasterio; sicut per publicum, quod vobis tradimus, Instrumentum apparet; & ipsi quoque Domino Andreæ de Baldoino pertinuit ex successione olim Mariæ filiæ suæ, quam ex Domina Albascia uxore sua, & filia præfati Domini Petri de Attegio procreaverat: sicut per Testamentum ipsius Dominæ Albasciæ apparet, quod vobis pariter pro ipso Domno Papa damus. Quodcumque itaque jus & quamcumque actionem personalem & in rem sive hypothecarium, tam etiam ad agendum, quàm excipiendum, quod quamve adversùs dictum Dominum Papam, & universam Ecclesiam Romanam, & specialiter in omnibus prædictis rebus atque pignoribus, scilicet Civitatis Castellanæ intus & foris, ac totius Comitatus & Montis Alti, & generaliter in omni patrimonio Romanæ Ecclesiæ, & adversùs aliam quamcumque personam habere possemus jure vel occasione, seu respectu totius portionis prædictarum mille Marcarum argenti ipsi olim Domino Petro de Attegio competentis, & fructuum, usurarum, vel accessionum earum, pœnæ, & omnis causæ; vobis, ut dictum est, procuratorio nomine pro ipso Domno Papa & suis successoribus generaliter refutamus, cedimus, & mandamus. Ita ut quidquid nos usque modo, quo ad possessionem & proprietatem nostro jure & nomine respectu omnium prædictarum rerum adversùs quamcumque personam agere vel excipere possemus, ipse modo Domnus Papa & successores ejus suo jure & nomine agant & excipiant; & ut utili possint & directa actione intendere, vos in re prædicta Domni Papæ procuratorem constituimus.*

*Hanc autem refutationem, concessionem, & mandatum, vobis, ut dictum est, pro ipso Domno Papa facimus, pro sexaginta duabus Marchis argenti & dimidia, quas nobis omnibus pro portione unicuique nostrûm competenti, pro dicto Domno Papa & ex sua pecunia, ut dictum est, procuratorio nomine datis atque persolvitis. De quibus omnibus, & de omni nostro, quantùm ad dictam portionem Petri de Attegia pertinet, prædictarum mille Marcharum argenti, nos bene quietos vocamus, & non solutæ pecuniæ vel argenti exceptionem, & omnem aliam exceptionem, si qua contra præfatum Dominum Papam & Romanam Ecclesiam ad infringenda, quæ dicta sunt, & inferius apparebunt, in omnibus uti possemus, per omnia generaliter refutamus. Insuper promittimus sub pœna prædictæ summæ argenti duplæ, hoc nostrum jus, totum vel partem nemini concessisse, obligasse, nec aliter alienasse. Et si aliquid de rebus & possessionibus dictæ Civitatis Castellanæ intus & de foris, & toto Comitatu ejus per nos, aut per ipsum quondam Dominum Petrum de Attegia, vel per suos heredes & successores mole fuerit debiti obligatum, illud ex prædicta summa argenti recolligere & exobligare sub inferiori pœna promittimus. Et si aliquando per alienationem vel obligationem à nobis factam, vel à prædicto Domino Petro de Attegia & suis heredibus & successoribus, dictus Domnus Papa & successores ejus, vel Ecclesia Romana damnum aliquod patientur, quanti erit damnum, [illegible] in nostris bonis ipsi Domno Papæ & successoribus ejus placentibus, sine juris offensa, & alicujus Curiæ proclamatione, auctoritate propria*

jure

*jure pignoris vendicent, quantum ad dictam summam argenti pertinet. Et si aliquo modo contradicere voluerimus, cadamus à jure, quod in eisdem bonis habuimus, & ipsum damnum duplum ipsi Romanæ Ecclesiæ solvere teneamur. Pro quo verò damno, si quod absit, accideret, nos specialiter Jacquintus & Nicolaus Andreottæ insolidum nostra bona quantum ad illud pertinet, obligamus, & à Romana Ecclesia pro nobis & nostris heredibus precario possidemus, renuntiantes omne juris vel legum auxilium, quod pro nobis in hac causa introductum est, eo quod ex parte pro aliis intercedimus. Et amodo dictus Domnus Papa & successores ejus, ac tota Romana Ecclesia quiete semper & pacifice maneant. Et pro nobis & nostris heredibus & successoribus nos omnes prædicti masculi & feminæ vobis pro dicto Domno Papa & suis successoribus & tota Romana Ecclesia, quæ dicta sunt, omnia observare, defendere, & adimplere promittimus sub pœna totius prædictæ summæ argenti duplæ. Et solutâ pœnâ, hæc Chartula firma permaneat. Quam scribere rogavimus Johannem Leonis* Scriniarium *in mense & Indictione suprascripta XIII.*

*Petrus Sarracenus Johannis Kinardi testis.*
*Paulus Malagromus* Domni Papæ Userius *testis.*
*Gregorius Johannis Bibentisaquam testis*
*Johannes Oddonis testis.*
*Laurentius Barbuccia testis.*
*Ego Johannes Leonis* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarius, *habens potestatem dandi tutores & curatores, emancipandi etiam, decretum interponendi, & alimenta decernendi, complevi & absolvi.*

## Chartula compromissionis quorumdam Dominorum de Paliano de venditione Castrorum Paliani & Serronis facienda Gregorio IX. Papæ, Anno 1233.

*IN nomine Domini: amen. Anno Incarnationis Christi MCCXXXIII. Pontificatus Domini Gregorii Papæ IX. Anno VI. Mense Januario die XXVIII. Indictione VI. Cum inter Reverendum Patrem Dominum Gregorium IX. Summum Pontificem & quosdam Dominos Paliani, scilicet Transmundum de Tincto, Lucam de Paliano, Petrum Pinctum, Bartholomæum Pinctum, Petrum de Paliano, Jacobum & Hungarum fratres, Thomam Babusum, Petrum Vetulum, Thomæum Nicolai de Myro, Thobaldum de Gregorio, & Nicolaum Macaranum, super venditione & alienatione totius partis eorum Castri de Paliano & Castri Serronis, Domino Papæ & Romanæ Ecclesiæ facienda, dudum habito diligenti tractatu, parati essent prædicti Palianenses ad alienationis contractum Romanæ Ecclesiæ faciendum, quia tam de pretio venditionis quàm de iis, quæ Dominus Papa sibi nomine Romanæ Ecclesiæ retineret, ac de iis etiam, quæ à Romana Ecclesia præfatis Palianensibus concederentur in feudum, erat quædam discordia inter partes: tamdem* Magister Boëtius Clericus & Familiaris Domini Papæ, *procurator nomine Romanæ Ecclesiæ ad hoc specialiter constitutus ex parte una, & prædicti Palianenses ex parte altera,* Dominum Stephanum de Anagnia Capellanum Domini Papæ, *& Dominum Johannem de Gaviano, ac Dominum Johannem de Raynaldo, arbitros seu arbitratores, laudatores, seu amicabiles compositores communiter & concorditer elegerunt, qui arbitrari seu laudare deberent de omnibus supradictis, quantum videlicet nomine pretii pro tota & integra parte eorum Paliani & Serronis intus & extra eisdem Palianensibus à Summo Pontifice solveretur, & quæ sibi Dominus Papa nomine Romanæ Ecclesiæ in prædictis Castris jure dominii retineret, quæ etiam postmodum concederet in feudum eisdem. Et partes hinc inde sibi ad invicem promiserunt sub pœna inferius constituta, quod quidquid arbitri seu arbitratores supradicti laudabunt & statuent inter eos, seu fuerint arbitrati, semel aut pluries sedendo vel stando, diebus feriatis vel non feriatis, præsentibus partibus vel absentibus, hinc inde ratum & firmum habebunt, & perpetuo inviolabiliter observabunt. Ut autem prædicta omnia robur obtineant perpetuæ firmitatis, compromissum hujusmodi per legitimam stipulationem fuit hinc inde tali pœnâ vallatum, quod quilibet prædictorum Palianensium ad pœnam CC. Librarum proveniensium Romanæ Ecclesiæ, & Romana Ecclesia eis ad pœnam similiter teneatur; ita tamen quod pœna prædicta illi parti lucro cedere debeat, quæ compromissi jura servaverit illibata, eodem compromisso post pœnæ solutionem nihilominus rato & firmo manente.*

*Actum est hoc in Civitate Anagniæ, præsentibus testibus infrascriptis ad hoc specialiter rogatis, scilicet Domino Alberto Johannis Apuliæ,* Magistro Palmerio Clerico Cameræ, Willielmo Ostiario Domini Papæ, *Nicolao de Malliano, Petro de Carpeneto, & Paganello* Cursoribus Domini Papæ.

*Et ego Ricardus Imperialis Aulæ Scriniarius, hanc Chartam utriusque partis consensu scripsi fideliter & complevi rogatus.*

# DE DUCIBUS
## AC PRINCIPIBUS
## ANTIQUIS ITALIÆ.
## DISSERTATIO
## QUINCTA.

# DISSERTATIO QUINCTA.

POst Augustalem ac Regiam Dignitatem olim fuit, & adhuc est magno in honore Ducalis Dignitas. A militia nomen *Imperatorum* æque ac *Ducum* procul dubio profluxit; & mentio *Ducum* vel sub ipsis antiquis Imperatoribus occurrit, apud quos significabat splendidam in exercitu Præfecturam. Complures in Notitia Imperii enumerantur *Duces*, uni Provinciæ Præfecti, & ad fines tuendos delecti. Attamen in Codice Theodosiano Lib. 6. Tit. 26. animadversione digna est Lex XIII. Theodosii Augusti junioris, data Anno Christi CCCCVII. ubi hæc leguntur: *Immunitatem tribuimus his, quos post emeritam in armis militiam ad Honorem Ducatus nostræ Serenitatis provexit judicium*. Ex hac Lege, uti & ex aliis ejusdem Codicis, deduci posse videtur, fuisse nonnullos, qui post diuturnam militiam ad pacificam & illustrem Dignitatem *Ducalem* ascenderent in Augustorum Palatio; immo alios etiam hujusmodi honore donatos, quamvis nullam armis operam antea dedissent: quo Titulo aucti assidebant exinde consiliis in secreto Imperatorum Consistorio. Ego rem dubiam relinquo. Contra certum est (nosque dubitare non finit altera Lex eodem Anno data, quæ est LXVI. Lib. 8. Tit. 6. memorati Codicis) fuisse olim *Duces Provinciarum*, ad quos pertinebat tueri armis Provinciam sibi traditam. Sanctus Fulgentius in Homil. 56. *Ante carrucam Imperatoris præcedunt Metatores, Palatini, Protectores, Tribuni, Duces, & Comites*. Sed plura ex antiquioribus Seculis delibare nolo. Ad Langobardos venio. Sub istis, uti & sub Francis, aliisve Germaniæ Regibus, in usu pariter fuit appellatio ac *Dignitas Ducum*; eorumque munus militare erat, utpote qui ad tutelam Regni præessent militibus, in finibus potissimum Regni ejusdem. Duplicis autem generis fuere, uti etiam innui in Antiquit. Estensib. Cap. 5. videlicet *Minores*, quibus una Civitas regenda ac defendenda tradebatur; & *Majores*, quorum imperio suberant plures Civitates, seu integra Provincia. Quod est ad priores, apud Paullum Diaconum de Gestis Langobardorum Lib. 4. Cap. 3. mentio est Minulphi (is *Ducem de Insula Sancti Julii* appellat) quem Agilulphus Langobardorum Rex de medio tollendum jussit. Præterea memorat is nonnullos *Duces Tridenti*, Zangrulphum *Ducem Veronensem*, & Gaidulphum *Pergamensem Ducem*, hoc est Bergomi, qui *in Civitate sua Pergamo, rebellans contra Regem, se communivit*. Ab eodem quoque Rege defecit *Dux Ulfari apud Tarvisium*; & sub Rege Liutprando occurrunt *Gaidoaldus Brixianus Dux*, & *Peredeus Vicentinus Dux*. Denique eodem Paullo teste, *Romani, habentes in capite Agathonem Perusinorum Ducem, venerunt, ut Bononiam comprehenderent*. Is Perusiam rexisse videtur pro Græcis Augustis: nam & Imperatores Orientis *Duces* constituebant in iis Italiæ partibus, quas à furore Langobardorum servarant illæsas, ut infra patebit. Ad hæc notissimum est, Langobardos, postquam Alboinus & Clepho Reges trucidati fuere, instituisse *triginta Duces*, quorum curâ universum Regnum *per annos decem* sine Rege gubernatum fuit. Tum constituto Rege Authari circiter Annum Christi DLXXXVI. *Duces, qui tunc erant, omnem substantiarum suarum medietatem Regalibus usibus tribuunt, ut esse possit, unde Rex ipse, sive qui ei adhærerent, ejusque obsequiis per diversa officia dediti, alerentur*. Hæc nuper laudatus Paullus Lib. 3. Cap. 16. ex quibus intelligimus, adhuc perrexisse *Duces* præesse, ut antea solebant, Urbibus quibusdam primariis, sub Rege tamen, qui cunctis imperabat. Nescio, inde-ne, an ex recentiorum Ducum incolatu emerserit in iis Civitatibus, diutissimeque perseveraverit nomen *Curtis Ducis*, quo significabatur olim Palatium, ubi Duces habitabant, & jus Populo dicebant. In Charta Veronensi Anno DCCCCXXI. scripta Tom. 5. Italiæ Sacr. memoratur *Casa infra Civitatem Veronam prope Curtem Ducis*. Ita & in Charta Astensi Anno IDCCCLXXX. exarata Tomo 4. ejusdem Itaiæ Sacr. legimus: *Dum resideret Buderico Vicecomes in Niello* (scribe *Mallo*) *publico in Curte Ducatus Civitate Astense*. *Lucensi* quoque in Urbe *Curtem Ducis* fuisse reperi: quod & Florentinius antea monuit. Vide infra Dissertat. IX. *de Missis*. Quare quum Mediolani perduret adhuc nomen publici loci *il Cordusio*, non ut olim opinatus sum Cap. 6. Antiquit. Estens. à *Curia Ducis*, sed à *Curte Ducis*, id nomen loco inditum fuit. Sequutus hac in re fueram Gualvaneum de la Flamma, qui in Manipul. Flor. Tomo XI. Rer. Italicar. Cap. 42. de antiquo Mediolanensium Duce scribit: *Hic habitabat in Palatiis juxta Ecclesiam Sancti Protasii ad Monachos, ubi usque hodie Curia Ducis, sive vulgo Cordusium dicitur*. Verùm non à *Curia*, sed à *Curte* nomen loci potius est arcessendum. Reperitur & *Curtis Regis* in Capitularibus Regum Francorum, & in Legibus Alamannicis, pro Aula seu *Palatio Regis*: unde ad nos venit vox *Corte*. Ita *Curtis Olonna* Palatium Regium in agro Ticinensi fuit, ubi Liutprandus Rex sibi delicias comparaverat, & magnifica Templa condiderat. Ibi quoque sæpe consederunt Italici Augusti & Reges, ac præcipue Ludovicus II. & exstant complura Diplomata ibi scripta. Baluzius Tom. II. Capitular. pag. 1291. situm *Curtis Olonnæ* quærit, & Glabri Rodulphi verba adfert, è quibus deducit, Palatium istud *in tractu Vercellensi* quærendum esse, ubi etiam *Cœnobium Sanctæ Christinæ* statuit. Fallitur. Tam Curtis illa, quàm Cœnobium exstitere in Ticinensi territorio, non longe à Pado ad fluvium Olonnam. Eorum adhuc nomen & situm didicisse Baluzius potuit à Magino in tabulis Italiæ. Et quidem Curti illi imperat Excellentissimus S. R. I. Princeps Franciscus Philippus Estensis, Marchio Sancti Martini &c. Quorumvis autem Ducum munus fuit barbaricis Sæculis non solum *Militiæ* præesse (quod & sub Romanis factum est) sed & *Justitiæ*, hoc est jus dicere, ac justitiam tueri in Populo sibi commisso. Romanorum quoque temporibus Zosimus Lib. 2. Histor. auctor est, *Ducis* appellationem *Prætoribus* fuisse tributam. Neque aliud in Italia observatum, quàm quod in Gallia, ubi Fortunatus de *Lupo Duce* hæc scribebat:

*Bella moves armis, jura quiete regis:*
*Fultus utrisque bonis, hinc armis, legibus illinc.*

Vidimus hactenus *Duces* unius Civitatis. Et quoniam facta est mentio Minulphi *Ducis de* In-

*Insula Sancti Julii*, conjecturæ fit locus, fuisse olim Loca etiam, Civitatis appellatione nequaquam insignita, quæ à suo *Duce* regerentur. Insula profecto Sancti Julii in Diœcesi Novariensi sita (quæ quemadmodum à multis Sæculis ejus Urbis Episcopis etiam in temporalibus subjecta fuit, ita & nostro ævo ab amplissimo Cardinali S. R. E. Giberto Bonromeo Novariæ Episcopo regitur, & ut veteres ajebant, distringitur) numquam caput ita extulisse videtur, ut Civitatem sinu suo complecteretur. Ad hæc in Monumentis celeberrimæ Abbatiæ Nonantulanæ in Mutinensi agro sitæ, quorum compendiosam seriem infra in Differt. LXVII. *de mod. acquirend.* evulgabo, sub Carolo Magno nominatur *Johannes Dux Persiceti, & Pontis Ducis.* Quibus tabulis Scriptor ille Johannem (certe *Ducem*) inscripserit *Persiceti & Pontis Ducis Ducem*, minime novi. Adi, si lubet, infra Differtat. XXI. *de Statu Italiæ*. Interea quando statuere velimus, *Persicetum* appellationem *Ducis* contulisse memorato Johanni, consequens etiam erit, numeratos olim fuisse Duces, à quibus ne una quidem Civitas regeretur. Idque potissimum in Exarchatu, Pentapoli, aliisque Romano Pontifici subjectis regionibus accidit. Porro ad hunc ipsum *Johannem Ducem* censeo ego pertinere Chartam scriptam Anno DCCLXXII. Kalendis Julii in agro Bononiensi, quo tempore Langobardis Bononia suberat. In hisce tabulis agitur de prædiis positis in Villa, quæ *Reddù* appellatur, in finibus supra memorati Persiceti, uti nunc, ita & eo tempore sitâ *in Territorio Motinense*. Eorum venditor fuit *Johannes Dux*, emtrix verò *Anselberga Abbatissa Sancti Salvatoris*, nunc Sanctæ Juliæ Brixianæ Civitatis, hoc est eadem illa, quæ patrem habuit Desiderium postremum Langobardorum Regem, & prima Abbatissa insigni illi Monasterio præfuit, quod à fundamentis excitarat ejus Pater. Præterea heic memorantur alia duo præstantissimà Cœnobia, & ipsa fundata à Langobardis Optimatibus, quorum tamen gentem nonnulli lacerare pergunt, quasi Langobardos Vitia omnia deturparint, chorus autem Virtutum domi tantum eorum placidissime sederet, qui ex Langobardorum spoliis potentiam suam amplificarunt. Memorantur, inquam, ibi supra laudatum Monasterium *Nonantulanum* Sancti Silvestri, & alterum Sancti Salvatoris *ad Leones* fundatum in agro Brixiano. En Chartam ipsam, quæ adhuc legitur in Archivo Monachorum Casinensium Sancti Petri Regiensis.

## Venditio prædiorum facta à Johanne Duce Anselbergæ Abbatissæ Sanctæ Juliæ Brixiensis, Anno 772.

*IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Regnantibus Domno Desiderio & Adelchis, excellentissimis Regibus, Anno pietatis Regni eorum in Dei nomine Sexto decimo, & Tertio decimo, primo mense Julio, Indictione* X. *feliciter. Scripsi ego Stephanus Notarius, rogatus & petitus ab* Johanne *in Dei nomine* Duce, *ipso presente, adstante, michique dictante, quique fatetur se inite bone fidei viro optimo, & legibus sub dupl. . . . . . bone condicionibus, sed & regi quoque infrascripte meliorate, que tu ex ratione habitu distraxisse, & distraxi vendidisse & vendidit. Ego suprascriptus Johannes in Dei nomine Dux, à presenti die vobis Domne Anselperge in Dei nomine Abbatisse, vel cuncta Congregationis in Monasterio Domini Salvatoris sito infra muros Civitatis Brixie, idest in funderas seu casalias, qui rejace trans Mucia, que nobis pro dono & precepto à Regia potestate concessa sunt ad pertica legitima de pedes duodecim plenarios usque ad mensura completa ad rationem facta juges duodecentos infra Reddutto in Territorio Motinense; ubi inter adfines ab uno latere da Oriente Mutia percurrente; & ab alio latere da Meridie* Monasterium Domini Salvatoris sito in Leonis *habente; seu tertio latere da Occidente* Monasterium Sanctorum Apostolorum, & Sancti Silvestri *habente; atque à quarto latere ab Occasu Lin. . . . . . . polito, qui nunc sunt: & si quis alii adfines sunt, vel ab origine fuerunt, quotquot ex poblicis finibus, terminibus, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, racionalibus viis, fontibus, aquis perhennis, vel omnibus infra se habente, & infra suprascripta coerentia, vendimus vobis suprascriptos duocentos juges: precio autem placitum & definitum, sicut inter nos convenit, in auro Solidorum duodecentos. Et repromitto me ego suprascriptos Johannes Dux una cum filiis & heredibus vobis Domne Anselperge Abbatisse, vel cuncta Congregatione Monasterii Domini Salvatoris sito infra Civitate Brixia infra easdem coerentia suprascriptos duocentos juges ab omni quemque homine defensare: & si defendere minime potuero, promitto me vobis componere suprascriptos duodecentos juges talis, & alios talis una quoque inibi à vobis edificavit, aut melioratione fuerit in duplo.*

*Acto in Curte mea in Aquario Monte Bellio Territorio Bononiense, sub die, Regum, & Indicione suprascripta feliciter.*

✠ *Johannes in Dei nomine Dux in hanc Cartula manu mea propria subscripsi.*

*Signa manus Autelmoni germano Theoderoni Castaldius testis.*

*Stephanus Notarius Scriptor istius Cartule vendicionis post roborata testibus tradita ea complevi & dedi.*

Cum his confer Chartam alteram ejusdem *Johannis Ducis* mihi edendam in memorata nuper Differtatione XXI. *de Statu Italiæ*, ubi situm Persiceti indicabo. Sed potissimum inter *Duces Minores* commemorandi veniunt nonnulli, quorum sæpe mentio occurrit in Historiis & antiquis Chartis Ravennatibus. Doctissimus illius Urbis Historicus Hieronymus Rubeus Lib. 5. pag. 249. Histor. Ravenn. indicavit Donationem multorum prædiorum factam ab *Ingerada Comitissa* Petro Ecclesiæ Ravennatis Diacono filio suo. Et quoniam nonnulla in iis Tabulis non contemnenda occurrunt ad hoc argumentum spectantia, integras heic proferam, quales in Archivo Estensi habentur, hoc est earum exemplum nequaquam immune à multis erroribus ex imperitia amanuensis.

Dona-

## Donatio multorum prædiorum ac jurium facta ab Ingelarda Comitissa Petro Diacono Ravennati filio suo, ubi memorantur varii Duces ac Ducatus, Anno 896.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Deo propitio, Pontificatus Domni Stephani Summi Pontificis & universalis Papæ in Apostolica sanctissima beati Petri Sede Primo, sicque imperante Domno piissimo P. P. Lamberto, à Domino coronato pacifico magno Imperatore, Anno Quarto, die VIII. mensis Septembris, Indictione XV. Ravenne. Si enim circa eos, à quibus esse servitia quisque accipiunt, quod extranea carnis consistunt, digna dona præbenda ei, quanto ampliusque diffusius dignissimum esse amplissima dona conferre ei, qui carnali consanguinitate unita & quotidiana incessanter & nocturna impendere non desinunt. Qua de re Ego pro omnipotentis Dei clementiâ Ingelarda filia Apaldi Comitis Palatii, profiteor per hanc mee vocis, cessionis, donationis, translationis, & perpetuali transactioni, tibi presenti Petro venerabili Diacono Sancte Ravennatis Ecclesie, dulcissimo & suavissimo filio meo, tuisque heredibus in perpetuum, absque hereditario nomine, & veluti externe persone, eo quod habere & detinere videor tam majora propria, quamque & conducta, seu & testamentario jure quondam Martini glorioso Duci, & suavissimi viri mei, seu ex me comperationis atque acquisitionis causâ: idest in Territorio Faventino Curtem integram, que vocatur Cassanicus. Item in Spatano cum casalibus & omnibus appendicibus earum; seu & Curtem in integro, que vocatur . . . . . . item cum fundis & casalibus & omnibus apendicibus suis: imò & Curtem, que vocatur Mutiliana in eodem Territorio; item cum fundis & casalibus & omnibus apendicibus suis. Verum etiam & Curtem in integro, que vocatur Acricta. Item & Sinciano cum casalibus & omnibus apendicibus suis usque ad jugum Alpium finibus Tuscie: simulque etiam & Curte in integro, que vocatur Arcatti, similiter cum fundis & casalibus & omnibus apendicibus suis: & omnia quantumcumque habere dignoscor per quemlibet modum vel titulum in suprascriptis Faventino Territorio & Ducatu, excepto Curte, que vocatur Bubiano cum ipsa pe. . . . . . & que ad ipsam Curtem Bubianam pertinet, & in ipsa petra Castellum esse videtur. Item habere me fateor in Territorio Liviense Plebe Sancti Pauli Ducati Traversarie, Curtem, que vocatur Aureliacus, qui aliquando vocatur Sancti Mamme; & Ronco, qui aliquando vocatur de Fasillo, & omnibus apendicibus earum. Itemque & quantacumque in toto Territorio Liviense habere videor. Insuper habere videor Curtem in integro, que vocatur Casale, sitas Territorio Ravennate in Decimo Plebe Sancti Cassiani, cum fundis & casalibus, & omnibus apendicibus suis. Similiter habere me dico & retinere duo Monasteria, que sunt fundate . . . . , Ariminense, idest Monasterium Sancti Thome Apostoli, & Sancte Eufemie Martiris, cum omnibus rebus generaliter & possessionibus ad eadem Monasteria pertinentibus. Similiter & habere me dico in Comitatu Comiaclo & in Territorio & Ducato ejus, in omnibus generibus & speciebus; & in Massa Fiscalia, & Cornacervina, & Finale, vel Vico Aventino, & ceteris propinquis locis. Itemque dono omnia, que mihi pertinent in Comitatu Gavello, & Ferrariense. Itemque postremo & habere & retinere & possidere me fateor domum integram, ubi manere videor, situm in Civitate Ravenne, qui vocatur Fessato; cum Monasterio Sancte semperque Virginis Dei Genitricis Marie, à nobis fundato & edificato, cum omnibus rebus & possessionibus suis ad idem Monasterium quoquo modo, & ubi, sibi pertinentibus cum sal. . . . . . . & familiantis, seu & Curte & orto eidem Monasterio pertinentibus, & Curticella trans Platea, cum omnibus sibi adjunctis: seu & aliam domum novam, qui vocatur de Senegalie, prope Ecclesiam beati Petri Apostoli, qui vocatur Masons. . . . . . . . cum Curte & aliis domibus ibi coërentibus, & sala una cum ipso broilo ibidem adherente; cum omnibus eidem pertinentibus similiter in Civitate Ravenne. Item, ut diximus, prope Ecclesiam Sancti Petri, qui vocatur Masons, similiter profiteor habere mansiones foris portàs Sancti Victoris, qui vocatur Guarcinorum, cum superioribus & inferioribus suis, & cum ortalibus & terris atque stationibus, cum accesso ripe fluminis, & cum omnibus mihi integriter pertinentibus. Et habere me fateor prata extra fluvium, & de his ripa Teguriensis, cum omnibus sibi pertinentibus.

Nunc autem placuit mihi superscripte Engelarde, Christo auxiliante omnipotenti, filia quondam Apaldi Comitis Palatii, relicta quondam bone memorie Martini glorioso Duci, pura mente, meoque consilio, bonaque meam spontaneam voluntatem, sine quavis cum metu aut circumventione, quatenus secundum me tributam . . . . . . . tenere cartam cum calamare, & cultellum & festucum notatum & guazonem de terra cum ramis arborum & vinearum de terra levari, & tibi Dominico Tabellioni hujus Civitatis Ravenne scribendum rogavi. Et quod ego signum sancte Crucis feci, & testes scribere rogavi, signum sancte Crucis facere, & tibi Gumberto Scavino pro persona superscripti Petri venerabilis Diaconi Sancte Ravennatis Ecclesie, dilectissimo filio meo, suisque heredibus in perpetuum possidendum concedo, absque hereditario nomine, & veluti extranee persone, in Territorio Faventino Curtem in integrum, que vocatur Aesidiate. Item cum fundis & casalibus & omnibus apendicibus suis; imò & Curtem, qui vocatur Mutiliana in eodem Territorio Faventino, cum fundis & casalibus omnibus & apendicibus suis: verum etiam & Curte earum usque ad jugum Alpium finibus Tuscie; simulque etiam & Curte integro, que vocatur Arcudis: item cum fundis & casalibus & omnibus apendicibus suis; & omnia quantacunque hic dignosco pro quovis modo vel titulum in suprascripto Territorio Faventino & Ducatu, cum omnibus rebus, quos habere videor in Plebe Sancti Valentini, qui vocatur in Trudanum, excepto Curte, que vocatur Bubiano, una cum ipsa petra, ubi Castello esse videtur, & V[illegible] aula, & ipsum . . . . . . anula cum suis pertinentiis. Item & do tibi suprascripto Petro venerabili Diacono filio meo . . . . . . . à presenti die Curte integro, qui vocatur Auriliacus, &

*Roneo, qui vocatur de Tasilo in* Ducatu Traversaria, *& est in toto Auriliacus, aliquando vocabulo Sancte Marie, simul etiam cum fundis & casalibus, & omnibus earum pertinentiis, & quantascumque habere videor in suprascripto* Territorio Liviense, *Insuper & dono tibi dulcissimo filio meo Curte integro, qui vocatur Casale, sita in Territorio Ravenne in Decimo Plebe Sancti Cassiani; item cum terris & casalibus & omnibus apendicibus suis. Similiter & do tibi absque hereditario nomine Monasteria duo fundata infra Civitatem Ariminensem, idest* Monasterium Sancti Thome Apostoli, & Sancte Eufemie, *cum omnibus rebus & pertinentiis & possessionibus ad eadem Monasteria pertinentibus. Similiter & do tibi dilectissimo filio meo similiter absque hereditario nomine, in* Vico Cumiaclo & Territorio & Ducatu *ejus, in omnibus generibus & speciebus; excepto Casale, ubi residere visus fuit Leo, qui vocatur Albo, & quatuor . . . . . . que fuerunt quondam bone memorie* Gregorio Duce *socero meo; Et Quinto Majore, quod ad jura Sancte Marie in Pomposia videor habere; & duas partes in Cornacervina, ac etiam partem in Finale, que omnia innovanda sunt à suprascripto Monasterio. Item quod postremo dono tibi amantissimo filio meo similiter, ut sepe dixi, absque hereditario nomine veluti extranee persone, omnia à presenti die, domum integrum, ubi manere videor, situm in Civitate Ravenne, ubi vocatur Sarato, cum* Monasterio Sancte semperque Virginis Marie, *à nobis noviter à fundamento edificatum, cum omnibus rebus & possessionibus suis, ad idem Monasterium quoquo modo & ubi sibi pertinentibus, cum sal. . . . . . . & familiaricis suis, & Curte & orto pertinenti, & curticella trans Platea, cum omnibus sibi subjunctis. Et ita tamen predictum Monasterium Sancte Marie, & Curte juxta domum, & cum omnibus rebus, ut diximus, ad idem Monasterium pertinentibus, ita permaneat ordinatum, qualiter quondam Pater tuus & Ego ordinavi illud. Nec liceat tibi tuisque heredibus, quod ullum modum vel occasionem causa aliter ordinare, vel de ipsis rebus à nobis ibidem derelictis subtrahere audeas, vel diminuere. Sed etiam tibi suprascripto filio meo similiter absque hereditario nomine, alteram domum novam, qui vocatur Senegalia, prope Ecclesiam beati Petri, qui vocatur Majore, & aliis domibus & sala ibi coherentibus, una cum ipso broile ibidem adherente, cum omnibus ad eadem pertinentibus. Similiter in Civitate Ravenne, similiter, ut diximus, prope Ecclesiam beati Petri, qui vocatur Masons. Do etiam & dono & perpetualiter transacto tibi multotiens dicto Petro filio, veluti extranee persone, omnes mansiones meas, sitas foris murum Civitatis Ravenne extra portam Sancti Victoris, qui vocatur Guartinorum, cum superioribus & inferioribus suis, cum ortalibus & terris vacuis & institutis, seu & stationibus, una cum accesso, ripa, flumine, mihi ibidem pertinentibus, largior & do tibi filio meo, tuisque heredibus omnia prata mea ex una parte fluminis Teguriensis, excepto prato majore.*

*Hec omnia, que superius leguntur, à presenti die habeatis, teneatis, possideatis, & quomodo vobis placuerit ordinetis, cum mansis, terris, vineis, campis, pratis, & cum omnibus piscationibus, & venationibus, & cum omnibus rebus ad earum pertinentibus proprio jure vendendi, donandi, commutandi, vel cui relinquere volueris plenum dominium de legibus sortiatur effectum; quia legibus est prefixum, ut quod semel donatum vel quoquo modo dum collatum cui fuerit, nullo modo revocetur, cum dictas namque res predictas habeatis, teneatis, possideatis, ordinandi & disponendi & innovandi cum res suprascripto Monasterio Sancte Marie fundata in Curte, que vocatur Farata, ut superius disposuimus, perfruamini, & dum consteterit nostra hereditate in quibuscumque nominibus Cartarum nostrarum ad supradictarum rerum, edificiorum commoneo innovare; aut quando volueritis vel potueritis, licentiam habeatis in omnibus, salva tamen annua pensione D. M. C. A. omnino persolvendum queat, inde pertinuerit. Et liceat tibi suprascripto filio meo Petro per hanc Cartulam à me inte factam in ipsas res, quas superius nominavi, introire & possidere . . . . . . . . . legitimam & corporalem traditionem, sine omni meo, meorumque heredum vel aliquorum obstaculo vel impedimento. Et si quempiam persona . . . . . . . . vel heredes de predictis rebus ex parte vel ex totum expellere, vel qualibet calumnia generare voluerit, ego predicta Ingelarda, Dei misericordia . . . . . . . . donatrix tua, una cum ceteris heredibus meis, te supradictum Petrum filio meo, tuisque heredibus, pro predictis rebus, ut superius dictum est, in omnibus stare, & defensare promitto ipsas res in perpetuum: conducta namque res dum hereditatem ex t. . . . . . . . . constituerit, quod super absit & avertat divina potentia, & in aliqua controversia mota fuero, vel pro extranea persona non adventandum judicium, non supplicandum Principibus, neque per Apostolicam vel per Ecclesiasticam, vel per Regalem potestatem ad interpellandum, vel pro qualibet . . . . . . imaginationis ingenium, & quod humanus sensus invenire vel argumentare potest, omnia superius scripta non observavero vel adimplevero, & non defensaverimus cuncta, que superius leguntur, & à me pollicita sunt, contra hanc cartam agere voluero vel agam, quam secundùm tenore meo jurata voce dico per omnipotentem Deum, Sedemque sanctam Apostolicam, & vitam & incolumitatem invictissimorum Principum Dominorum Nostrorum attestatione confirmo, quia daturam me esse promitto. Ego supradicta Ingelarda, clementiâ Dei Comitissa cum ceteris filiis & filiabus meis, tibi Petro Diacono sancte Ravennatis Ecclesie, tuisque heredibus ante omnes . . . . . . aut interpellationem pene nomine auri obrizi Libras viginti; & post pene solutionem maneat hec Cartula profersionis, donationis, perpetualis transactionis absque hereditaria veluti extranee persone facta, & à me leges tributarie tenore contracta omnimodis in suo robore & inconvulsa. Quam vero Cartulam me juxta leges tribuente documentum Dominico Tabellio hujus Civitatis Ravenne scribendum rogavi, in qua ego consensi libenter manu propria signum sancte Crucis feci, & testibus à me rogatis obtulit subscribendum, eorumque presentia dicto Petro Diacono filio meo ejusque heredibus contradit . . . . . . . sub die, & mense, & Indictione suprascripta XV. Ravenne.*

✠ *Signum manus suprascripte Ingelarde Dei misericordia Comitisse & donatrix ad omnia suprascripta, cui relectum est.*

✠ *Signum manus Adelengo, qui vocatur Acio, ex genere Francorum, rogatus, & signum sante Crucis, cui relectum est.*

Natalis *Dei pietate* Dux *huic Cartule donationis & transactionis, sicut superius legitur, rogatus testis subscripsi.*

Pe-

Petrus *divino nutu* Dux *& Judex huic Cartule cessionis & transactionis rogatus testis subscripsi.*

*Petro Diacono huic Cartule donationis & transactionis rogatus testis subscripsi.*

*Gregorius filius Petrus Consul huic Cartule donationis rogatus testis subscripsi.*

*Martino Consul huic Cartule donationis & transactionis rogatus testis subscripsi.*

*Dominicus in Dei nomine Tabellio hujus Civitatis, scriptor huic Cartule cessionis, donationis, & transactionis de omnibus, sicut superius legitur, post roborationem testium complevi & absolvi.*

Insalutatæ dimittendæ non sunt Notæ Chronologicæ hujus Chartæ. Recte signata est *Indictio XV.* quæ decurrere cœpit à Kalendis Septembris, conjuncta cum *Anno primo Stephani VI. Papæ*: atque hæc indicant Annum Christi DCCCXCVI. Verùm quod est ad *Annum IV.* Lamberti Imperatoris, censeo restituendum heic *Annum V.* nisi Ravennæ aliud exordium habuerit Lamberti ejusdem Epocha. In hac autem Charta occurrunt *Ducatus Faventinus*, *Ducatus Comacli*, *& Ducatus Traversariæ*. Faventia & Comaclum antiquis etiam temporibus gestavere titulum Civitatis, & à suo Episcopo regebantur. *Traversariæ* idem numquam contigit; nihil enim aliud fuit, nisi Villa in agro Ferrariensi sita in Plebatu Luibolæ Diœcesis Ravennatis; & nihilo secius insignitam cernimus appellatione *Ducatus*. Animadversione quoque digna sunt, quæ habet *Ingelarda*, quum profitetur, à se *non supplicandum Principibus*, *neque per Apostolicam*, *vel per Ecclesiasticam*, *vel per Regalem potestatem*. Indicare hæc videntur, Italicos etiam Reges, ut jam alibi monui, iis temporibus protendisse auctoritatem suam in Urbes Exarchatûs Ravennatis. Sed his dimissis, memoratos heic vides *Martinum gloriosum Ducem*, Ingelardæ olim Maritum, atque *Gregorium Ducem* socerum suum, ac demum inter eos, qui Chartæ subscribunt, *Natalem* ac *Petrum* & ipsos *Duces*. Iisdem fere temporibus exhibet nobis Rubeus in Historia Ravennate *Romualdum* filium *Sergii Ducis*, aliosque non paucos commemorat in subsequentium Sæculorum Historia: quæ omnia produnt, in Exarchatu, & Ravennæ potissimum floruisse uno tempore *Duces* complures. Teste Petro Damiani, Sanctus Romualdus *Ravennæ Civitatis oriundus*, *ex illustrissima Ducum fuit stirpe progenitus*. Is autem natus Anno Christi DCCCCXVII. ut ostendit Clarifs. P. Grandius in Differtat. Camaldulens. Immo ex monumentorum collatione deduci posse videtur, illustrem hujusmodi Titulum hereditarium olim fuisse in Nobilissima quapiam Familia Ravennate, quæ, uti ex duabus pergamenis Archivi Estensis intellexi, tamdem defecit circiter Annum MCLXXX. sublato è vivis sine prole *Johanne Duce*, & ad ejus hereditatem vocatis *Petro Traversaria* nobili Cive Ravennate, & *Taurello* Patre celebris Salinguerræ nobili Cive Ferrariensi. Gratum Lectoribus futurum puto, si ambas Chartas producam, quippe quæ complectantur quædam non vulgaria ad cognitionem eorum temporum, & præcipue quod de Villa, quam *Ducatum* appellant, tunc lis foret inter ambos nuper memoratos heredes, & Archiepiscopum Ravennatem. Quamquam credibile sit, hosce *Duces* antiquitus assumsisse eximium hunc Titulum à splendido quopiam Magistratu, sive à regimine Civitatis Ravennæ, aut alicujus alterius in Exarchatu positæ; attamen ad opinandum feror, ipsos procedente tempore inde dejectos, impetrasse saltem Tituli continuatum honorem, atque eâ de causâ impositam eorum Pago appellationem *Ducalem*: quemadmodum *Comitis* nomen olim Rectoribus tantummodo Civitatis alicujus datum, Castellorum & vicorum Dominis tribui sensim cœpit. Nunc memoratas ambas Chartas Lector accipiat.

## Examen testium in controversia inter Archiepiscopum Ravennatem & Petrum Traversariam & Taurellum Salinguerræ senioris filium, de Curte seu Pago, cui nomen Ducatus. Anno 1197.

*Strachinardus juratus dicit, quod à triginta annis recordatur, quod vidit* Duces *habere & tenere* Ducatum, *nec eis vidit molestiam fieri, nec audivit, quod* Duces *tenerent* Ducatum *pro Ecclesia Ravennate, nisi à tempore interdictionis facte ab Archiepiscopo G. aput Cellam Sancti Jacobi, cui interdictioni interfuit. Et dicit, quod tunc respondit Taurellus, quod si Dominus Petrus vult dare suam partem* Ducatus *Domino Archiepiscopo, quod ipse libenter daret suam. Interrogatus, si locus, ubi est* Ducatus, *vocetur Puteus Francolus, dicit quod non: sed dicit, Puteum Francolum esse ex altera parte vie. Interrogatus de confinibus* Ducatus, *dicit, quod Fossatum Rodulfi ignorat. Padesolum dicit, quod est versùs Aquilonem, quod currit juxta stradam, inde ad Fossam Putei Francoli, & ibi incipit defluere deorsum versùs Luibolam: Fossa verò directo trait secus viam, & est justa* Ducatum, *& ad capite Ville Putei Francoli versùs Orientem; deinde flectitur & descendit versùs Valles, quæ vocantur Fovee Lazari* &c. *Et credit, quod mortuo Filio* Johannis Ducis, *prius intraverunt ipsum* Ducatum *Nuncii Petri Traversarie quàm Nuncii Archiepiscopi. Et dicit, quod Petrus Traversaria & Taurellus postea tenuerunt* Ducatum *usque modo: Petrus Traversaria pro duabus partibus, Taurellus pro tertia. De aliis nihil.*

*Petrus Borus juratus dicit idem, quod Strachinardus, & tantò plus dicit, quod* Ducatus *est de Plebe Sancti Viti, & Puteus Francolus est de Plebe Luibole. Et dicit, quod audivit, quod una fovea quondam fuit inter Puteum Francolum & Luibolam* &c.

*Tigrimus juratus dicit, quod à viginti annis infra vidit,* Duces *habere & tenere* Ducatum, *set si pro Ecclesia Ravennate tenerent, ignorat. Et dicit, quod Nuncii Archiepiscopi prius intraverunt possessionem* Ducatus, *ut credit, quàm illi Petri Traversarie. Et quidam de Nunciis Archiepiscopi ivit ad domum ipsam testis, que est constituta in Pozo Francollo, & non in* Ducatu, *& percussit Collonellum domus cum ense, & precepit ei, ut teneret pro Archiepiscopo: qui respondit, quod teneret pro eo, cujus erit. Nec postea vidit aliquando Archiepiscopum. Dicit tamen, quod Nuncii Archiepiscopi intromiserunt totum* Ducatum, *ut audivit. Confines vero* Ducatus *ingnorat. Et dicit, quod Petrus Traversaria & Taurellus usque modo habueruut & tenuerunt* Ducatum. *De aliis dicit se nihil scire* &c.

## Sententia Arbitrorum electorum in controversia de Manso Caligariorum, & duabus partibus Ducatus inter Archiepiscopum Ravennatem, & Petrum Traversariam. Anno 1197.

*In nomine Domini. Anno ab Incarnatione ejus MCXCVII. die XIV. mensis Aprilis, Indictione XV. Ravenne in Palatio Domini Archiepiscopi. Et ideo nos Tomasius de Gueli, & Lotorengus, & Odosinus Judex, arbitri compromissarii electi à Domino W. sancte Ravennatis Ecclesie Archiepiscopo, & Domino Petro Traversaria, ad cognoscendam & dirimendam litem nostro arbitrio, que inter eos vertebatur, scilicet de uno Manso Calegariorum, quem quondam habuit Rodulfus Judex, & ejus filia, posito in Capite Sandali, & de duabus partibus* Ducatus, *quam ipse Dominus Petrus possidere videtur in territorio Sancti Viti, &* Duces *habuerunt & detinuerunt; de quibus in hunc modum contendebant. Asserebat Dominus Archiepiscopus, predictum Mansum Calegariorum ad Ecclesiam pertinere, quod Dominus Petrus non inficiebatur, set in se innovari debere dicebat. Dicebat* Ducatum *ad Ecclesiam pertinere similiter, & mortuo Filio* Johannis Ducis, *Ecclesiam per suos ministros primum* Ducatus *possessionem occupasse, unde vel possessionem non amisisse, & potiorem in judicio, quod est retinende possessionis, fore, vel in jure possessorio, quod est de recuperanda possessione, obtinere debere. Econtra Dominus Petrus dicebat, se prius possessionem* Ducatus *adeptum fore, & juste possidere nunc duas partes, videlicet ex divisione, quam fecit* Marchio *inter ipsum & Taurellum. In judicio verò proprietatis taliter contendebant. Dominus quidem Archiepiscopus dicebat, modis omnibus* Ducatum *ad Ecclesiam pertinere, &* Duces *pro feudo habuisse. E contra Dominus Petrus dicebat, nequaquam, set pro suo per longissimum tempus* Duces *possedisse. Auditis, examinatis, cognitis variarum partium allegationibus, & veritate pro ut melius potuimus, inquisita in facto & in jure tam per testium depositionem quàm Instrumentorum exibicionem, quàm etiam Advocatorum adsertionem, habito quoque prudentum consilio, sic nostro firmamus arbitrio.*

*Ad restitutionem siquidem Mansi Calegariorum Domino Archiepiscopo Dominum Petrum Traversariam condemnandum. De duabus partibus* Ducatus, *quas Dominus Petrus detinet, taliter pronunciamus Dominum Petrum in possessorio absolutum: in proprietatis autem judicio sic dicimus. Primum tamen ipsius* Ducatus *confines, quomodo ex dictis testibus & Instrumentis cognovimus, declaramus, ut questio de his de cetero non oriatur. Ex parte Aquilonis est Padesolum de Medelana . . . . . . . . flectitur Padesolum versùs Luibolam, deinde . . . . . . . . inferiori directo . . . . . . . . & vadit usque ad Fossam Lazari . . . . . & per eam usque Gurgum Borielli. Ex parte Orientis taliter. Ex parte vero Occidentis est Fossatus Rodulfi usque ad Pedazosam, & protenditur ex parte meridia-*

*diana usque ad Vallem, que vocatur Carigia Sedule; & justa Carigiam Sedule est Aqua Butiliaria, deinde Gurgum Boriellum ex parte Orientali, ut dictum est. Item Rivus Gregorius decurrit & decurrere debet inter* Ducatum *& Maderi, ut ex Instrumentis & testibus apparet. Ad restitutionem siquidem tertie partis illarum scilicet duarum partium* Ducatus, *quam Dominus Petrus possidet, ipsum Dominum Petrum Domino Archiepiscopo condemnamus. In reliquis duabus partibus duarum partium* Ducatus *sic dicimus. Dominum quidem Archiepiscopum ut de his duabus partibus Domino Petro jure henphiteotico in se & in suis filiis & nepotibus per Instrumentum publice confectum concedat, condemnamus, nulla videlicet mercedis Calciariorum à Domino Petro dando, set pro pensione tribuat nummum unum Ravennatis Monete singulis annis, vel Indictionibus. Et Dominum Petrum Domino Archiepiscopo jure predicto, & secundùm prefatam formam, jam dictas duas partes accipiat, condemnamus.*

*Ego Martinus, Dei gratiâ, Ravenne Tabellio, huic arbitrio presens interfui, & jussione Domini Thomasii, & Domini Lotorengi, & Domini Rodulfini Judicis, Arbitrorum ujus Arbitrii scripsi & complevi, ut superius subscripsi. Huic Arbitrio interfuerunt Rodulfus à Bisazono, Nontevoluit Judex Communis Ravenne, Johannes Tabellio, Petrus de Carbo, Johannes Sapiens, Missius Judex, Brandus Judex, Ugo Judex, Johannes Deusdedit, Rigo Ubertelli, Johannes Presbiteri Alberti, & alii multi.*

Inter Duces Minores suus etiam locus debetur compluribus Romanis Ducibus, quorum mentio est apud Anastasium Bibliothecarium, vel ipso Sæculo Christianæ Æræ Octavo, atque in aliis vetustis monumentis Sæculi IX. X. & XI. Chartam vidi spectantem ad celebre Monasterium Sublacense, & scriptam Romæ temporibus Johannis X. Papæ, cui testes interfuerunt ac subscripserunt *Leo*, *Romanus*, *Silvester*, *Nicolaus*, & *Boso*, omnes titulo *Ducis* ornati, & poscente *Sergio Duce* illuc acciti. Jam liquet, hos *Duces* aut Romæ, aut in conterminis locis habitasse. Utrum vero ii quampiam Civitatem nomine Romanorum Pontificum regerent, an potius aliquod Militare aut Palatinum munus gererent sub ipsis Pontificibus, aut membra forent Senatus Romani, ego decernere non ausim. Apud Mabillonium in Appendice ad Tomum IV. Annal. Benedictin. habetur Epistola circiter Annum MXXXII. ab Halinardo Abbate Divionensi scripta *Domno illi sacri Palatii Vestarario, primo Senatori, necnon unico Romanorum Duci*. Ad titulum *Ducis* consueverunt ii adjungere titulum quoque *Consulis*: neque ullum est dubium, quin præclarissimum fuerit eorum munus, & sublimis auctoritas. In Chronico Farfensi, Part. II. Tomi II. Rer. Italic. pag. 523. legitur Placitum coram Benedicto VIII. Papa habitum Anno MXV. ubi *Romanus* ejusdem Pontificis Frater cogitur restituere duo Casalia ablata celeberrimæ Farfensi Abbatiæ. Inscribitur *Romanus Consul & Dux, & omnium Romanorum Senator*: ex quo argui potest, quanta Romæ foret hujus viri præstantia atque auctoritas. Simile vocabulum reperio in Charta apud Ughellium Tomo I. Ital. Sacr. pag. 1099. Nempe illic *Albericus Marchio*, ipsius Romæ suo tempore Princeps, Anno DCCCCXLV. appellatur *omnium Romanorum Senator*. Et quidem Senatorem suum Romani vel subsequutis temporibus ingenti auctoritate donarunt, ipsosque interdum Pontificibus opposuere. Nunc autem proferam Chartas duas, quas amicus meus Nicolaus Aloysia descripsit è membranis vetustissimi Cœnobii Sublacensis. In iis occurrunt *Benedictus Consul & Dux*, quo etiam titulo donantur *Georgius*, *Gratianus*, & *Silvester*, Romanorum Proceres ea tempestate.

Dona-

# Donatio facta Sublacensi Monasterio, ejusque Abbati Leoni à Benedicto Consule & Duce Anno 952.

*ANno, Domino propitio, Pontificatus Domni Agapiti Summi Pontificis & universalis junioris Pape in sacratissima Sede beati Petri Apostoli, Septimo, Indictione X. Mense Madio, die XXIV. Domino sancto merito, & venerabili Monasterio Sancti Benedicti, quod ponitur in Sublaco, & omnium desiderabilium michi nimium proferendo in suprascripto venerabili Monasterio, in quo* Domnus Leo religioso Presbitero & Abbate *esse dinoscitur, & per te in cunctis aliis Presbiteris & Monachis in predicto Monasterio introëuntibus, & ibidemque permanentibus in perpetuum perpetuam in Domino salutem. Semper enim Christiana mens ostendit fideliter reddere vota...... manum omnipotenti Dei in suos servitores gratanter offerre debere cognoscitur. Quapropter ego Benedictus in Dei nomine Consul & Dux in predicto Monasterio in presentia Domni Leonis religioso Abbate ipsius Monasterii, & in cunctis aliis Presbiteris & Monachis in servitio Dei ibidem introëuntibus, pro redemtione anime mee, & veniam delictorum meorum, & propter eorum orationibus, que non desunt cotidie pro fidelibus Christianis agere; à presenti enim die bona atque spontanea mea voluntate, pure & absque ulla condicione, do, dono, cedo, trado, & largior, atque inrevocabiliter offero, & ex meo jure in vestra jura & potestate transfero atque transcribo in usum & salarium in eodem Monasterio, ut in perpetuum abeatis: idest omnes res meas quascumque michi evenit da Theobaldo Presbitero, quot sunt terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, cultum vel incultum, constitutis territorio Campanino in locum, qui vocatur Pusano; seu & terris & vineis cum arboribus suis, quantumcumque habere & detinere visus sum in locum, qui vocatur Pentoma, positum suprascripto territorio Campanino. Nec non & colonia in integrum, que appellatur Asile, cum omnibus finibus, terminis, limitibusque suis, cum casis, vineis, terris, & silvis, cum arboribus pomiferis, fructiferis diversi generis, puteis, fontibus, rivis atque perennis, edificiis, parietinis attiguis, adjunctis, adjacentibusque suis, cultum vel incultum, & cum omnibus ad eis pertinentibus, posita predicto territorio Campanino, juris mei existens. Unde & omnes moniminas de suprascriptis immobilibus locis aput me, meosque heredes, rejacent ad conservandas & salvas faciendas; sed quandoque vobis vestrisque successoribus necesse fuerit, semper eas ostendere & demonstrare promitto in omni tempore. Unde & hanc à die presenti donationis Charta contradidi vobis in perpetuum vestrorumque successores omnibus suprascriptis immobilibus locis, cum omnibus eorum pertinentiis, ut superius legitur, eo tenore sub divini judicii obtestatione pretulimus tam ego, quam heredibus meis, ut Abbatibus, qui in eodem Monasterio per tempora succedentibus constituti fuerint, non habeant licentiam aut potestatem ipsis supradictis locis pro aliquo tenore à supradicto Monasterio pro alio quocumque arcumento abstollere aut alienare, sed omni tempore in vestra vestrorumque successorum maneat potestate. Quod si quolibet modo quispiam Chartam pro quavis modis vel tenore fecerint absque libello pensionario, hanc Charta inane & vacuam decerno permanere, & ipsa res sine omni obstaculo ad me meosque heredes redeat potestate. Et numquam à me, neque ab heredibus meis, neque etiam à nulla magna parvaque persona à nobis submissa pro quolibet modis, obcasione, vel calumnia, facere vel promovere presumemus; sed in omnibus adimplendam promissionem inviolabiliter observare atque adimplere promitto. In qua jurando dico, per Deum omnipotentem, sancteque Sedis Apostolice, & Domni Agapiti Junioris Papæ, hec omnia, que hujus serie continetur; si, quod absit, quoquo tempore ego vel meis heredibus contra vobis, vestrisque successoribus à presenti die donationis Charta, quam sponte fieri rogavi, agere vel causare presumpsero, & cuncta, que superius legitur, non observavero, tunc non solum perjurii reatum incurram, verum etiam daturo me promitto una cum heredibus meis vobis vestrisque successoribus ante omnem litis initium pene nomine auri obrizi Libram unam, & post pena absolutionis hanc Chartam in suam nihilominus maneat firmitatem. Quam scribendam rogavi Georgius Tabellio Urbis Rome; in qua & ego suprascripto Benedicto manu propria subter signum sancte Crucis feci & testes, qui subscriberent, rogavi, & in prefato Monasterio contradidi, in Mense & Indictione suprascripta X.*

✠ *Signum manu de suprascripto* Benedicto Dux *donatore.*

*Stephanus Primicerius, testis ab eo rogatus subscripsi, & traditam vidi.*

*Andreas Archarius sancte Sedis Apostolice, testis ab eo rogatus subscripsi, & traditam vidi.*

*Georgius Secundicerius sancte Sedis Apostolice, testis ab eo rogatus subscripsi, & traditam vidi.*

*Leo Protoscriniarius & Apocrisarius sancte Sedis, testis ab eo rogatus subscripsi, & traditam vidi.*

Georgius Consul & Dux, *testis ab eo rogatus subscripsi, & traditam vidi.*

*Ego Georgius Tabellio Urbis Rome post testium subscriptiones, & traditionem factam complevi & absolvi.*

Obla-

# Oblatio terrarum Monasterio Sublacensi facta à Gratiano Consule & Duce, Anno 956.

*ANno, Deo propitio, Pontificatus Domni Johannis summi Pontificis & universalis duodecimi Pape in sacratissima Sede beati Petri Apostoli Primo, Indictione XV. Mense Novembrio, die XIV. Domino sancto merito, & venerabili Monasterio Sancti Benedicti, quod situm est in Sublaco, in quo est* Leone *Christi famulo* religioso Presbitero & Monacho, *& pro divina clementia* coangelico Abbate ejusdem Monasterii, *seu & Leone Presbitero & Monacho Secundo, similiterque Tertio Leone religioso Monacho Decano ejusdem Monasterii, & pro vobis in cunctis aliis Presbiteris & Monachis à magno usque ad parvo introëuntibus, vel in servitio ejusdem Monasterii permanentibus in perpetuum. Ego Gratianus in Dei nomine Consul & Dux per remedium anime mee, & veniam delictorum meorum à presenti die bona spontaneaque voluntate do, dono, cedo, trado, & inrevocabiliter largior simulque & offero vobis vestrisque successoribus Abbatibus, Presbiteris, & Monachis, qui in jam dicto Monasterio esse noscuntur, in usu & utilitate vestra in perpetuum: idest terra sementaricia ad pratum faciendum ad modiorum plus minus tres cum introito & exitu suo, & cum omnibus ad eas pertinentibus, posita foris Portam majorem non longe à muro ipsius Civitatis Rome, & inter affines; ab uno latere via publica, à secundo latere terra sementaricia de Andrea, à tertio latere predium de jam dicto Monasterio, & à quarto latere terra sementaricia de Franco, juris venerabilis Ecclesie Sancti Laurentii, que ponitur foris muro, sicut mihi evenit per hereditatem parentum meorum, & per precepto Pontificalem: ita vobis largior atque offero in perpetuum, unde & alias moniminas vetustas & novas apud me reservo; sed minime eas tradere possum pro aliis locis, que in ea continere videtur; sed quandocumque vobis vestrisque successoribus necesse fuerit eas demonstrare, una cum heredibus & successoribus meis demonstrare & defendere promitto vobis, vestrisque successoribus. Quam suprascripta terra cum omnibus ad eam pertinentibus, ut superius legitur, à presenti die habeatis, teneatis, possideatis vos vestrisque successoribus, Abbatibus, Presbiteris, & Monachis in perpetuum, etiam nomine vestro renovandi, & quicquit exinde facere sive peragere volueritis, in vestrum vestrique successoribus sit potestatem. Et numquam à me neque ab heredibus meis aliquam aliquando habeatis questionem aut calumniam, sed in omni tempore ab omni homine, & in omni loco ubi vobis vestrisque successoribus necesse fuerit, stare me una cum heredibus meis, & defendere promitto vobis vestrisque successoribus. In quo juratus dico per Dominum omnipotentem, sancteque Sedis Apostolici, seu salutem venerabilis & Apostolice, seu salutem venerabilis & Apostolici Domni Johannis sanctissimi XII. Pape, hec omnia, que hujus Carte donationis seriem textus eloquitur, inviolabiliter conservare atque adimplere promitto. Nam si, quod absit, & quoquo tempore contra hanc donationis Cartam, quam sponte fieri rogavi, agere aut causare presumpsero per quodvis modi ingenio, quod sensum humanum intelligere vel capere potest, tunc non solùm perjurii reatum incurram, verum etiam daturo me promitto una cum heredibus meis vobis vestrisque successoribus ante omnem litis initium pene nomine auri uncie sex cbricias, & post penam absolutionis manentem hanc donationis Cartam in sua nihilominus maneat firmitate. Quam scribendam rogavi Johannem Scriniarium & Tabellionem Urbis Rome. In qua ego subscriptus manu propria subscripsi, & testes qui subscriberent rogavi, & vobis suprascriptis contradidi in Mense & die suprascripta.*

*Gratianus in Dei nomine Consul & Dux, in hanc Donationis Carta, ut superius legitur, facta à me in Leone Abbate, manu propria signavi, feci, & testes, qui subscriberent, rogavi.*

Silvester *in Dei nomine* Consul & Dux, *testis rogatus signavi & feci.*

*Urso nobilis viro testis rogatus signavi & feci.*

*Sergius nobilis viro testis rogatus signavi & feci.*

*Leo nobilis viro testis rogatus signavi & feci.*

*Ego Johannes Scriniarius & Tabellio Urbis Rome complevi & absolvi*

Atque heic ritum Romanorum animadverte jurandi *per Deum omnipotentem, sanctæque Sedis Apostolicæ, & Domni Agapiti junioris Papæ*, sive *salutem Apostolici Domni Johannis sanctissimi XII. Papæ*. Contra Carolus Magnus in Lege Langobardica 117. statuit, *ut nullus præsumat per vitam Regis vel filiorum ejus jurare*. Occurrunt alii id genus *Duces* in eodem Chronico Farfensi. Sed & apud Turrigium de Crypt. Vatic. Part. 2. pag. 537. & apud Crescimbenium in Histor. Diaconiæ Cosmedinianæ offertur nobis Romana Inscriptio, in qua memoratur *Eusthatius inmeritus Dux*. Quod miratus sum, hic fuisse videtur Diaconus, aut saltem Minister Diaconiæ Sanctæ Mariæ in Cosmedin, quum se inscribat *huic sanctæ Diaconiæ Dispensatorem*: ita enim appellati Diaconi etiam in Epistolis Gregorii Magni Papæ. Apud eumdem Turrigium pag. 541. Inscriptio Romana legitur, marmore insculpta, *Calen. Junias per Indictione Octava, Anno ab initio Mundi Sex Milia Ducentos sexaginta tres, tempore Domni Stephani junioris Papæ*, idest Anno Christi DCCLV. in qua *Theodetus holim Dux, nunc Primicerius Sanctæ Sedis Apostolicæ, & pater ujus Benedicti Diaconi à solo edificavit pro intercessionem animæ suæ & remedium omnium peccatorum*. Chartæ quoque scriptæ *Anno VI. Johannis XV. Papæ*, idest An. Christi DCCCCXC. in Lib. MSto Jacobi Grimaldi *de sacrosancto Sudario Veronicæ*, subscribit *Guido vir nobilis, neptus Pontificis, & Dux Aricicnsis*: quo nomine, ut opinor, significatur Castellum Campaniæ nunc *la Riccia*. Præterea in Additament. ad Chronicon Casauriense à me factis Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 931. *Petrus habitator Civitate Roma* Anno Christi DCCCLXVIII. Curtes quasdam vendit Ludovico II. Imperatori, atque hisce verbis se subscribit: *Petrus in Dei nomine Consul & Dux*. Inter testes legitur *Johannes Dux de Civitate Roma, Legem vivens Romanam*. Hi creduntur mihi titulum

hunc accepiſſe aut à Senatorio Magiſtratu , aut ab aliqua Urbe, aut Caſtello , quibus dominarentur , aut quæ gubernarent . In Vita Sancti Nili Calabri Tom. VI. Veter. Scriptor. Martene & Durandi, *Gregorius Dux* , Dominus *Tuſculani* memoratur . Idem de aliis opinari fas eſt. Conſuevere pariter Auguſti Græci ſtatuere Præſides cum Titulo *Ducum* in iis Italiæ partibus , quas à Langobardorum invaſione illæſas ſervare potuerunt. Anno Chriſti DC. Sanctus Gregorius Magnus Papa Lib. I. Epiſtol. primâ, ſcripſit *Godiſcalco Duci Campaniæ* , & Anno DCIV. alteram dedit Epiſtolam , hoc eſt decimam Libr. XIV. *Godwino Duci Neapolis* . Propterea in noviſſima editione Operum ejuſdem Sancti Gregorii à celeberrimis Monachis Benedictinis Congreg. Sancti Mauri facta ad Lib. VIII. Epiſt. 3. habetur Altaferræ adnotatio , contendentis , tempore hujus Pontificis *Comites ſingularum Urbium*; *Duces vero*, *univerſæ Provinciæ fuiſſe Præfectos* : quam in rem idem Altaferra adfert Gregorii Magni, & Gregorii Turonenſis aliquot loca . Verùm ſententia hæc nutare mihi creditur . Id quidem apud Francos tunc in more fuit , ac Turonenſis auctoritate confirmari poteſt ; in Italia verò alia conſuetudo obtinuit . Fuere profectò & heic Duces integræ Provinciæ Præfecti ; verùm fuerunt & alii, quibus una Civitas regenda committebatur . Hujus moris exempla nonnulla jam protuli in Langobardorum Regno . Nunc ipſum Gregorium Magnum adi Lib. I. ſcribentem Epiſtolam LVIII. *Arſicino* ( ſive *Urſicino*) *Duci* , *Clero* , *Ordini* , *&* *Plebi Ariminenſis Civitatis* : quæ indicare videntur unum illius Urbis Præſidem , quales etiam revera cenſendi ſunt *Agatho Dux Peruſinæ Civitatis* circiter Annum Chriſti DCCXXX. ac *Toto Dux Nepeſinæ* circiter Annum DCCLXVII. commemorati ab Anaſtaſio Bibliothecario in Vitis Romanorum Pontificum .

Progredior nunc ad *Duces Majores* Italici Regni , quorum poteſtas ac regimen in integram aliquam Provinciam protendebatur. Sub Regibus Langobardis ii tantum duo fuiſſe mihi creduntur , ſcilicet *Spoleti*, ac *Beneventi*, quorum inſtitutio referenda eſt ad ipſa primordia Regni Langobardici. Iis autem Ducibus peculiaris poteſtatis menſura tributa fuit , & quidem non in unam tantum Urbem, ſed in plures. Neque ii erant precarii Gubernatores , ſed ſupremi pæne Domini , ſive Reguli , ejuſmodi Provinciarum, in quibus Filii Parentibus ſuccedebant, electione tamen Populi , ut puto, intercedente, uti & conſenſu Regum , à quibus novimus datos interdum Duces eiſdem Provinciis. Cur vero latior dominatio , majoreſque prærogativæ hujuſmodi Ducibus conceſſæ fuerint , inde manaſſe puto , quod majoribus viribus ad eas regiones tutandas opus foret, & Regia Langobardorum ab iis nimium diſtaret. Scilicet infenſiores ac potentiores hoſtes, quos diu ſuſtinuerit Langobardica gens , fuere Græci , atque ii ſane excuſandi , quia à Langobardis tot felicium Provinciarum ditione ſpoliati. Spoletano Ducatui contermini erant Ducatus Romanus ex una, Exarchatus Ravennas cum Pentapoli ex altera. Beneventanus autem Ducatus jacebat inter ipſum Romanum Ducatum, variaſque Græcorum Urbes maritimas . Itaque neceſſe fuit in remotioribus hiſce Regni partibus Præfectos conſtituere non vulgaris auctoritatis atque potentiæ, quibus , quum neceſſitas poſceret, vires multas cogere facile foret , eaſque Græcorum conatibus opponere . Atque inde etiam factum , ut memorati duo Ducatus, uti præſtantiores ceteris , conferri ſolerent omnium nobiliſſimis Regni Proceribus, & ipſis Regum affinibus : quæ conſuetudo , Francis etiam in Italia regnantibus, ſubinde obtinuit . Agnoſcebant Duces iſti ſupremum Regis jus ac dominationem, ejuſque Vaſſalli , ut nunc dicimus, erant ; ſed & ipſi ampliſſimo jure ſuis Populis dominabantur, neque tributorum quidquam, ut puto, in Fiſcum Regis inferebant . Major tamen uti potentia , ita & auctoritas fuit ſemper *Beneventanis Ducibus* , quam *Spoletanis*, & præcipue ſub Francis Imperatoribus ; tunc enim Beneventana ditio in Principatum converſa fuit , eoque tamdem devenit , ut nullum ſupra ſe Principem agnoſcere vellet .

Mihi olim inſederat opinio , Ducatum *Forojulienſem* iiſdem privilegiis ac juribus exornatum fuiſſe , vel quum Langobardi Reges in Italia dominabantur , ductus auctoritate Pauli Diaconi , qui eorum Ducum acta & ſucceſſionem , non ſecus atque Beneventani & Spoletani Ducatus perſequitur . Verum alia mihi nunc ſententia eſt . Scilicet uni Civitati, regnantibus Langobardis, Forojulianus Dux præfuiſſe mihi creditur, hoc eſt *Foro Julii*, quæ Civitas nunc *Cividal di Friuli* appellatur, cui quidem everſa Aquileja cum quamplurimis Oppidis , & ampliſſimo agro ( nunc *Friuli* ) ſuberat, ſed nullo jure in finitimas Urbes Tarviſii, Vicentiæ, Patavii &c. quibus ſui peculiares *Duces* erant . Non quod pares ii Duces forent Beneventanis & Spoletanis , eorum ſeriem contexuit Paulus, ſed quod ipſe in Foro Julii natus , res Patriæ majori qua potuit diligentiâ literis commendatas voluit. Ceterum poſtquam Carolus Magnus Langobardorum Regno potitus eſt , ut eſſet , qui Sclavos, Avares, & Græcos finitimos viribus ſuis comprimeret, Forojuliano Ducatui varias Civitates ſubdidit, hoc eſt regionem, quæ à Verona extenditur uſque ad Dalmatiæ , ſive Delmatiæ fines , ac propterea non contemnendum Adriatici litoris tractum , *Marchiâ* inde conſtitutâ , quæ nomen ſuum accepit modo à Civitate *Fori Julii* , modo *Tarviſii* , ac tamdem *Veronæ* , prout nempe præcipuam ſuam Sedem in una ex iis Urbibus conſtituebant Duces ſive Marchiones Provinciæ . Monendus tamen Lector , aliter viſum fuiſſe amico olim meo , utique emunctæ naris viro, P. D. Gaſpari Beretto in Diſſertat. Chorograph. præpoſita Tomo X. Rer. Italicarum ; ſcilicet *Marcham Tarviſinam* (quæ eadem ac Veronenſis) diſtinctam fuiſſe à *Ducatu Forojulienſi*: cujus tamen rei idoneos teſtes nondum vidi . Quod certum eſt, in Lib. Antiquit. Eſtenſium oſtendi , ſub Germanicis Imperatoribus eos, qui Forojulienſi Marchiæ præerant , *Carinthiæ Ducatui* , ſeu *Marchæ*, ſimul præfuiſſe: quod etiam antiquius poſtea deprehendi . Nam vel ſub ipſis Francorum Regibus eaſdem Provincias uni Præfecto traditas Annales Francorum produnt . Legitur illic ad Annum DCCCXIX. imperante Ludovico Pio : *Cum Baldricus Dux* (Fori Julii ) *in Carantanorum regionem* , *quæ ad ipſius curam pertinebat* , *fuiſſet ingreſſus* . Præterea in memoratis Antiquitat. Eſtenſib. protuli Chartam ſpectantem ad ejus regionis Ducem ac Marchionem, qui ineunte Sæculo XI. floruit. Nunc alteram adjungere juvat , hoc eſt *Placitum à Duce* eodem , *Adalberone* videlicet , habitum Anno MXVII. quam ex antiquo Regeſto deſcripſi Venetiis adſervato apud ſacras Virgines nobiliſſimi Cœnobii Sancti Zachariæ .

Charta

## Charta Placiti ab Adalberone Duce ac Marchione habiti in Comitatu Tarviſino, ubi diremta eſt controverſia pro Monialibus Venetis Sančti Zachariæ adversùs Abbatem Cœnobii Patavini Sanctæ Juſtinæ, Anno 1017.

*DUm in Dei nomine in Comitatu Terviſianenſe, in. Villa Axillo de ſubtus, per ejus data licentia in judicio reſideret Donus Adelpeyro Dux iſtius Marchiæ Carentanorum, & Rambaldus Comes iſtius Comitatus Terviſianenſe, ad ſingulorum hominum juſtitias faciendas ac deliberandas. Reſidentibus cum eo Walpertus, Wilelmus Comitibus, Teupo, Johanne, Yſeledo Judices, Svitigerio, Odëlricus, Sindo, Ulverado, Walfredo, & reliqui plures. Ibique eorum veniens preſencia Petrus Presbiter una cum Advocatore ſuo de Monaſterio Sancti Zacharie Prophete, poſito in Rivoalto prope Curtis Palatio; ceperunt dicere: Jam plures vices reclamavimus nos ad vos Domne Adelpeyro Dux, ut nobis juſticiam faciatis de Johannes Abbas Monaſterii Sancte Juſtine ſito in loco Patavi, & de Johannes Notarius, qui eſt habitator in Monte Selice Avocatori ſuo: quia inter nos intencione ſurrexiſſet de Capella una, qui eſt conſtructa in onore Sancti Thome & Sancti Zenonis, cum omnibus caſis, &c., qui eſt de Monaſterio Sancti Zacharie Prophete; quibus poſite ipſa Capella & rebus in Comitatu Patavenſe in Judiciaria Monteſilicana, tam in eodem loco Monte Selice ad pede de ipſo Monte cum ejus terris ibidem per ceteris locis. Unde nos ante hos dies ad locus, qui nominatur Leonieus, intencionem habemus, & noticia, qui inveſtitus fuit, cauſata fuit in preſencia ſupraſcriptorum Walpertus & Wilelmus Comitibus, & in eodem loco fuit paratus cum eo ad rationem ſtandum & legitime finiendum. Unde poſuit conſtitutum & unitum Placitum infra Comitatum Terviſianenſe, antequam vos de ipſo Comitatu tranſiſſet, & inde finem percipiendum. Ecce me paratus cum eo ad rationem ſtandum & legiptime finiendum hic veſtrâ preſenciâ.*,, Ad hæc recordatus erat Domnus Adelpeyro Dux, Walpertus Comes, atque Wilelmus Comitibus, quod ſic eſſet per ita, ſicut ſupradictus Petrus Presbiter obſervaverat. Et tunc ibi locus in eodem judicio predictus Domnus Adelpeyro Dux eumdem Johannes Abbas, ſeu & Johannes Advocatori ſuo cepit inquirere per ipſum Placitum. Et tunc in eodem loco preſens omnium in eodem juditio ipſam Cartulam, quod predictus Abbas demonſtrabat cum ſuo Advocatore Johanne, quod factam habuiſſet Rotikerius bone recordationis Sancte Veronenſis Eccleſie Epiſcopus, filius quondam Adelmari, ex Langobardorum genere, reproba & falſidica inventa fuit, & ibi inciſa: & per judicium eoſdem Petrus Presbiter cum Stephano Advocatori ſuo ad pars ſupraſcripto Monaſterio Sancti Zacharie ad proprio inveſtivit, ſicut ad propriọ inveſtitus fuit de predicta Capella, & de prenominatis Caſis &c. Et tunc ibi in eodem judicio predictus Donno Adelpeyro Dux propter Deum, & anime Domni Enrici Sereniſſimi Imperatoris, ac ſue mercedis, hanc Cartam noticiam ſcribere precepit ad opus ipſius Monaſterii Sancti Zacharie; & per ſuſtem, quam ſua tenebat manus, miſit bandum Domni Imperatoris in Mancoſos aurẹos mille ſuper eumdem Petrum, ſeu pars predicto Monaſterio Sancti Zacharie, & prenominata Capella, ut nullus quislibet homo inquietare & deveſtire audeat ſine legali judicio. Qui verò fecerit, prædictos Mancoſos aureos mille ſciat ſe compoſiturus medietatem partem Domnorum Regum, & medietatem prefacto Monaſterio Sancti Zachariæ, ejuſque ſucceſſores Ancillarum Dei. *Quidem & Ego Iſceldo Notarius & Judex ex juſſione ſupraſcripti Domni Adelpeyro Dux, & Raimbaldo Comes, & Judicum ammonicionem ſcripſi hanc, Anno Domni Henrici graciâ Dei Imperator Auguſtus Tercio, XV. Kalend. Februarius, Indictione XV.*

✠ *Signum manus ſupraſcripto Donno* Adelpero Dux *interfui, & manu ſua Crucem fecit.*

Willelmus Comes *manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Signum manus ſupraſcripto Raimbaldus Comes interfuit, & Crucem fecit.*

✠ *Signum manus ſupraſcripto* Walpertus *Comes interfuit, & Crucem fecit.*


*Ego quide Iſceldus Notarius & Judex noticiam ſcripſi, poſt tradita complevi & dedi.*

Oculos heic Lector intendat in laudabilem rudium Sæculorum morem. Nempe ubi coram Judicibus dubitatio ac lis ingerebatur de veritate aut falſitate alicujus Chartæ, tum accuratum illius examen inſtituebatur. Quod ſi rite perſpectâ characterum formâ, teſtium nominibus, notis Chronologicis, Tabellionis ſigno, aliarumque rerum collatione factâ, apparebat, tabulas in controverſiam adductas non legitimi Notarii authenticum opus, ſed pravi cujuſpiam nebulonis impoſturam eſſe, cultello cedebantur ex Judicum decreto, ne quis in poſterum iis uteretur, ſive abuteretur in veritatis ac juſtitiæ contumeliam. Ita apud Francos Thoderici Regis edicto ſtatutum eſt, ut ſi quod Diploma ſive Charta falſi damnaretur, continuò pergamena ipſa transforata ex hominum commercio ſecederet. Hæc ergo occurrunt in monumento nuper allato: *Ipſa Cartula reproba & falſidica inventa fuit, & ibi inciſa*. Addam tamen, ejuſmodi Chartam, uti ex aliis ejuſdem Aſceterii monumentis didici, non ideo proſcriptam, quod impoſtura foret, ſed quod eſſet informis, hoc eſt ſine ſubſcriptione Notarii, aut ſine temporis nota. Fortaſſis in Charta iſta legendum *Dux iſtius Marchiæ, & Carentanorum*. Certe is utriuſque Provinciæ regimini præfectus dignoſcitur. Quod ſi ille, qui *Veronenſi*, ſive *Tarviſinæ Marchæ* præerat, *Carinthiæ* quoque imperabat, vix perſuadere mihi poſſum, quin & *Forojulianæ provinciæ* intermediæ dominaretur. Ego plura non addam de *Foroiulienſi Ducatu*, niſi quod iſtum præ reliquis Ducibus nobilitavit Berengarius I. ex Duce Rex Italiæ, Anno DCCCLXXXVIII., ac deinde Anno DCCCCXVI. Romanorum Imperator creatus. Et quoniam rariſſima occurrunt ejus monumenta, quo tempore Ducem tantummodo agebat, habeat heic locum Diploma Caroli Craſſi Auguſti, ex autographo exiſtente Placentiæ in Archivo inſignis Monaſterii Benedictinorum Sancti Sixti, ubi *Berengarius Dux* ab ipſo Im-

Imperatore *consanguineus suus* appellatur : quæ res confirmat dudum congesta ab Hadriano Valesio in Præfatione ad Panegyricum ejusdem Berengarii . Vide etiam infra Dissertat. XXII. *de Legib.*, ubi ostendam, *Eberhardum* quoque ejusdem Berengarii Patrem , atque *Hunrocum* ejus fratrem antea Ducatui Forojuliensi præfuisse . Monere tamen antea Lectorem volo , conjungi in Diplomate isto *Annum II.* Caroli Crassi cum die *V. Kal. Maji Anni DCCCLXXXI.* An ita in authentico scriptum revera sit , decernere non ausim ; neque enim illud sub oculis habui . Quod sane pronuntiare intrepide me posse reor , *Annus Secundus* vitiose heic positus fuit , sive error in pergamena sit , sive ab amanuensi processerit . Annus dumtaxat *Primus* Epochæ Imperialis ejusdem Caroli tunc decurrebat , uti alia Diplomata ostendunt , atque ego infra ostendam in Dissertat. XLI. *de Nominib.*

## Donatio trium prædiorum à Carolo Crasso Imperatore facta Petro Capellano Berengarii Ducis Forojuliensis, Anno 881.

*IN nomine sancte & individue Trinitatis . Karolus divina favente clementia Imperator Augustus . Si ad preces fidelium nostrorum aures pietatis nostre accomodamus, alacriores in nostro servitio eos reddere non dubitamus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum tam presentium , quamque & futurorum solercia , Berengarium Ducem ,* & affinitate nobis conjunctum , *nostram deprecasse clementiam , quatenus cuidam Capellano suo , Petrum nomine , concederemus quasdam res massaricias in Susinade , ubi Runcalia dicitur , unum videlicet , qui regere videtur per Maurinum , & alterum per Guibertum , tertium verò per Radevertum cum omni integritate , & sicuti ab ipsis detenti sunt & delaborati fuerunt . Sed quia per certius rata esse visa sunt predictis massariciis cum omni integritate eorum , cum casis & omnibus edificiis , ac rebus , terris , vineis , pratis , pascuis, silvis , stallariciis , rivis , rupinis , ac paludibus , cultis & incultis, divisis & indivisis, cum finibus , terminibus , accessibus , & usibus aquarum, aquarumque ductibus , omnia & ex omnibus sicuti à predictis hominibus recti sunt & laborati fuerunt , de nostro jure in jure & potestate prenominati Petri Clerico & Capellano transfundimus , & perpetualiter ad possidendum per hoc nostre auctoritatis preceptum confirmamus tam ipsi , quamque heredibus suis facientes exinde quicquid ipsi visum fuerit . Unde precipientes per hanc nostram auctoritatem jubemus , ut nullus publice minister vel administrator aliquam violentiam aut diminorationem eidem vel ejus heredibus , vel cui ipse dederit ex predictis rebus facere pertemptet , sed liceat eas quiete possidere , & cuicumque voluerit , relinquere perpetualiter , omni remota vexatione atque diminoratione . Si quis autem , quod futurum esse non credimus , cujuscumque ordinis homo hanc nostram auctoritatem in quocumque corrumpere aut violare temptaverit, sciat se compositurum* XXX. *Libras auri obrizi , medietatem Palatio nostro , & medietatem eidem Petro Clerico, vel ejus heredibus , aut cui ipsas res habere statuerit . Et ut firmum & stabile permaneat , propria manu confirmavimus , & anulo nostro sigillari pre*[illegible]*pimus .*

*Signum*  *Karoli Serenissimi Imperatoris .*

*Hernustus Notarius ad vicem Liutwardi recognovi & subscripsi .*

Locus Sigilli cerei deperditi .

*Data V. Kalendas Maji, Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXI. Indictione XIV. Anno verò Imperii ejus II.*

*Actum Olonna Curte Regia feliciter .*

Ad hæc illustris fuit *Ducatus Spoletanus* , Langobardorum Regum ac subsequentium Augustorum temporibus , ita ut vel Anno Christi DCCLI. appellaretur magnifico sane titulo *gloriosus & summus Dux gentis Langobardorum in Spoletis* , ut constat ex ejus Placito producto in Annalib. Benedictin. à Mabillonio : cui interfuere *Perto Sculdarius* , & *Hallo Sculdarius* . Scribendum *Sculdais* , seu *Sculdasius* . Multa autem de Ducatu isto , cujus amplitudinem in Dissertat. II. indicavi , habentur in *Historiæ Spoletanæ* Tomo I. à Bernardino ex Comitibus Campelli edito Spoleti Anno 1672. uti & in *Regia Picena* , sive Historia Marchiæ Anconitanæ, quæ Spoletani Ducatus pars fuit , evulgata Maceratæ Anno 1661. à Pompejo Compagnonio . Quod heic animadvertas velim , Carlomannus Italiæ Rex in Diplomate Monachis Casauriensibus concesso , uti habetur Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum pag. 812. & 817. Anno Christi DCCCLXXVII. commemorat *ambos Spoletanos Ducatus* . Quæ dicendi forma nos docet , divisum antea fuisse insignem illum Ducatum in duos , & prodere satis videtur , cur uno , eodemque tempore duo Duces Spoleti occurrant , nempe Wido atque Lambertus . *Spoleto* unus, alter *Camerino*, seu *Firmo* præfuisse mihi creditur . Unam verò Chartam proferre heic lubet , quam in Antiquitat. Estens. Cap. 39. fueram pollicitus , spectantem ad *Guarnerium* hujus nominis fortasse Primum , *Ducem* , *& Marchionem* ejusce regionis . Fuit hic Princeps natione Theutonicus : ejusque Conjugis nomen , nimirum *Altru-*

*trudæ*, nobis ex hac Charta innotescet, quam suppeditavit mihi vetusta pergamena Archivi Estensis. A vero non abludat, qui hanc putet ad manus Estensium Marchionum delatam Anno MCCX. aut subsequentibus, quo tempore dominabantur *Marchiæ Anconitanæ*. Ceterum quum Decembri mense Anni MCXVII. decurreret Indictio XI. veteris exscriptoris sphalma heic emendandum venit; nempe pro *Indictione IX.* restituenda est *Indictio XI.*

## Traditio terrarum ac silvarum à Berardo filio Massari facta Guarnerio Duci & Marchioni Spoleti, ac Altrudæ hujus uxori, Anno Christi 1117.

IN *nomine sancte & individue Trinitatis. Anno ab Incarnatione ejus MCXVII. mense Decembri, Indictione IX. Regnante Enrico Quarto Rege ac Romanorum Imperatore Augusto. Ideoque ego Berardus filius quondam Massari, bona mea voluntate per hanc Chartam trado tibi* Guarnerio Duci & Marchioni, & Altrude Conjugi tue, *& heredibus ex ea natis, vel nascituris, idest de re mea, vel meo conquisito, quod habeo infra Comitatum Camerini, & in loco, qui nominatur in Monte Sancti Genesii, totam meam porcionem terre atque silvarum sine nulla mea reservatione, & omnem introitum cum exitu suo, in integrum tradidi, atque irretractabiliter dedi predictam meam porcionem terre atque silvarum, quam habeo supra dicto Monte Sancti Genesii*, Guarnerio Duci & Marchioni, & Altrude Conjugi tue, *& omnibus heredibus ex ea natis, vel genituris; habendi, tenendi, possidendi & vendendi, aut donandi, & pro suo judicandi & faciendi quid vobis placuerit, quia sic inter nos convenit. Obligo me predictus Berardus meosque heredes vobis predictis vestrisque heredibus, si hanc predictam rem egerimus, causaverimus, vel intentionaverimus, aut ob omnibus hominibus vobis non defensaverimus, componamus vobis per predicta byxancios triginta de bono auro. Et hec Carta firma & stabilis permaneat, hec Carta rogata à predicto Berardo.*

✠ *Ego Atto Judex scripsi.*

✠✠✠ Signum manus *Tebaldi*, *Alberico*, *& Arnolfo fratres, filii Arnolfi in hac Carta rogati testes.*

Florentinius Lib. II. Vitæ Mathildis titubans suspicabatur, eamdem Comitissam dominatam quoque fuisse Ducatui Spoletano & Marchiæ Anconitanæ: sed tabulis destitutus rem statuere non potuit. Est mihi nobilis Charta è MSto Regesto Cencii Camerarii depromta, unde satis lucis affulgere potest ad agnoscendum, utrique Provinciæ (quæ tamen olim una fuit) Comitissam præfuisse: quod & ab ejus patre Bonifacio, aliisque ante eum Principibus factum est. Intentis oculis sequentia lege, quæ quamquam ultra centum annos à morte ipsius Mathildis scripta fuerint, ei tamen subjectas aliquot olim terras in ea regione aperte indicant.

Lite-

## Literæ Domini Papæ Honorii III. de recuperatione Castrorum & Terrarum Comitissæ Mathildis, Anno 1221.

HOnorius Papa III. &c. *Ne rerum gestarum memoria cum tempore labente labeatur, & in oblivionem veritas veniens vagetur incerta, si ei fuerit fides ademta, inventum est authenticarum remedium scripturarum, quæ factorum perpetuantes memoriam, indubitatam fidem faciant veritati, quæ sua luce clarescens, non patitur justitiam falsis calumniis obumbrari. Unde ad universorum notitiam volumus pervenire, quod quum magna pars* Comitatus Comitissæ Mathildis, *qui totaliter ad Romanam Ecclesiam pertinet pleno jure, & à multis & variis personis detineretur indebite occupata, & tam* Cives Spoletani, *quàm fere totus* Ducatus Spoletanus *nobis nullatenus responderint: nos in illo spe nostra totaliter posita, qui adest in veritate invocantibus nomen ejus, quamquam infinitis & arduis essemus negotiis inevitabiliter occupati, ad recuperanda jura Ecclesiæ solicite intendentes, venerabili fratri nostro Ostiensi Episcopo, tunc Legationis fungenti officio in partibus Lombardiæ, direximus scripta nostra, ut duo Castra, videlicet Medicinam & Argellatam, quæ Bononienses tunc temporis detinebant, ad demanium Sedis Apostolicæ revocaret. Qui juxta mandatum nostrum illa recipiens, dilecto filio Henrico de Paragnano, Subdiacono nostro, quamdiu nobis placeret, commisit fiducialiter gubernanda; & homines Castrorum ipsorum eidem nomine nostro fidelitatis juramenta præstantes, ei de rationibus nostris responderunt integre ac respondent. Deinde quum inter* Spoletanos, Narnienses, Cocoronenses, *& adjutores eorum ex parte una, &* Interamnenses, Tudertinos, Fulginates, *& adjutores eorum ex altera, gravi guerrâ subortâ, ita quod præter stragem virorum & multimoda rerum damna, & quod est gravius, animarum pericula, quæ utraque pars incurrerat, multi detinerentur hinc inde captivi: nos eis paterno compatientes affectu, licet quidam ex illis viderentur filialem obedientiam abjecisse, dilectum filium Pandulphum Subdiaconum & Notarium nostrum illuc curavimus destinare, ut omnes ad pacis fœdera inienda, tam spirituali quàm temporali districtione compellens, captivos utrimque faceret liberari. Qui mandatum nostrum diligenter adimplens, studuit in manu forti corripere inquietos & pusillanimes consolari, & quorumdam rebellium pertinaciâ congrue castigatâ, & captivis redditis libertati, Potestatibus Civitatum & Castrorum fere omnium* de Ducatu, *quos apud Bevaniam ad suam præsentiam evocarat, sub debito fidelitatis, & pœna mille Librarum injunxit, ut in Octavis Apostolorum Petri & Pauli quælibet Potestas cum tribus vel quatuor de Civitate sua, vicem omnium habentibus, se apud Urbem Veterem nostro conspectui præsentaret. Quibus in prefixo termino in nostra præsentia constitutis, post tractatum diutinum tam super pace inter ipsos plenius reformanda, quàm super* Ducatu *ad manus Ecclesiæ retinendo, quod & cum prædicto Subdiacono tractaverant diligenter; tamdem* Perusini, Assisinates, Fulginates, Nucerini, & Interamnenses *juxta mandatum nostrum munitiones, Castra & Regalia, sicut ea umquam habuit aliquo tempore claræ memoriæ Dux Corradus, in manibus nostris libere resignarunt. Et licet* Spoletani *super iis, quæ* de Ducatus Demanio *detinebant, exhibuerint se difficiles, asserentes quod si prædictus Dux ea possedit, aliquando possessor fuerit violentus, tamdem tamen super iis nostris paruerunt beneplacitis & mandatis. Et sic* toto Ducatu *ad manus Sedis Apostolicæ revocato, tam* Ducatui, *quam* Assisii *&* Nuceriæ Comitatibus *dilectum filium nostrum R. Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem præfecimus in Rectorem. Qui omnia, quæ in iis ad Romanam Ecclesiam pertinent, obtinens pacifice ac quiete, cuncta pro voluntate sua disposuit & disponit, juramentis fidelitatis ab hominibus* Ducatus *&* Comitatuum *sine difficultate receptis.*

*Ad hæc quum quidam Theotonicus Marescalcus Castrum Precense detinuisset diutiùs occupatum, nos missis illuc Nuntiis nostris, amoto exinde Marescalco prædicto recuperavimus Castrum ipsum, universis habitatoribus ejus dilecto filio S. Camerario nostro ad hoc à nostro latere destinato, & ab eis honorifice & devote recepto nomine nostro fidelitatis exhibentibus juramenta. Unde nos tam idem Castrum, quàm Radicofanum & Aquampendentem dilecto filio Muscæ, Potestati Viterbiensi fideli nostro commisimus, quamdiu nobis placuerit, gubernanda. Præterea quum carissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum Imperator, tunc Rex, veniens suscepturus de manibus nostris Imperii diadema, venerabilem fratrem nostrum Metensem Episcopum, Imperialis Aulæ Cancellarium, in Italiam præmisisset, misimus ad eum dilectum filium Raynaldum Monaldi Subdiaconum & Capellanum nostrum, ut ei vice nostra* Comitatum Comitissæ Mathildis *libere resignaret, sicut à Rege ipso fuerat sibi jussum. Et licèt Cancellarius ipse petitionem ejusdem Subdiaconi usque ad adventum Regis circa partes Bononiæ distulisset, tamdem tamen idem Rex tam de Castro Gonzagæ, quàm de aliis Castris, scilicet Pepugnano, Bondeno Veteri, & Bondeno Novo, nec non de toto* Comitatu & Pondere ac Terris Comitissæ *prædictæ, Magistrum Alatrinum, Subdiaconum & Capellanum nostrum, qui erat cum eo, & eumdem Raynaldum Ecclesiæ Romanæ nomine investivit, & eos constituit possessores, mandans ipsos per venerabilem fratrem nostrum Episcopum Taurinensem, Vicarium suum, in corporalem possessionem induci; & præcipiens tam omnibus Militibus & habitatoribus Castrorum ipsorum quàm aliis Vassallis de ipso Comitatu seu Terris & Poderis, ut omnes ab omni juramento, quo ipsi tenebantur ratione Terrarum ipsarum, penitus absoluti eisdem Capellanis vel eorum alteri, seu cuilibet alii ab Ecclesia Romana misso, fidelitatis juramenta præstarent, & abjurarent ab iis contraria juramenta. Quod si non facerent, scirent se ex tunc omnibus bonis Comitatus sive Poderis seu Terrarum ab ipsis possessis Regiâ sententiâ perpetuo esse privatos. Præterea injunxit firmiter & mandavit Potestatibus, Consulibus, & Rectoribus Civitatum, sub pœna mille Marcarum, ut omnes possessiones Comitatus prædicti detentas ab ipsis, sine difficultate ac molestia qualibet restituerent, & absolverent omnes de Comitatu & Terris prædictis ab omni juramento, districtu, & obligationibus, quibus ratione alicujus juris-*

*jurisdictionis, quam in eis hactenus exercuerant, tenerentur eisdem. Et removerent Consules & Rectores, Bajulos, & si quos Officiales ipsis praefecerant: & extraherent quoscumque posuerant de Terris ipsis, & de cetero memoratis Capellanis vel eorum alteri, seu cuilibet alii à Sede Apostolica destinato ad retinendam possessionem, quam habent, & recuperandam quam non habent, praestarent consilium, auxilium & favorem. Et sic factum est, quod multi Barones, Milites, & alii Terrarum ipsarum eisdem Capellanis nomine nostro fidelitatis juramenta praestantes, recognoverunt, se omnia, quae de Comitatu praedicto tenebant, pro Romana Ecclesia possidere.*

*Verùm quia Nobiles viri filii Comitum Alberti & Neresii, qui Castrum Gonzagae cum pertinentiis suis detinebant invasum, praedictus Cancellarius eis sub poena mille Marcarum injunxit, ut Castrum ipsum sine difficultate qualibet resignarent: quia id efficere renuerunt, nec voluerunt in Regis praesentia comparere, idem Rex de consilio suorum Principum Bannum ipsius Cancellarii confirmavit, & personas eorum sub perpetuo Imperii banno ponens, bona ipsorum, ubicumque inventa forent, confiscari praecepit, nisi usque ad diem Dominicum proxime tunc venturum resignarent in manibus Capellanorum ipsorum, vel eorum alterius Castrum ipsum. Praecepit quoque Cremonensibus, Parmensibus, Reginis, Mutinensibus, Bononiensibus, & generaliter universis fidelibus suis, ut praedictis Nobilibus, adjutoribus, & fautoribus, vel aliis detentoribus Castri praedicti facerent vivam guerram. Inhibuit etiam Mantuanis, Veronensibus, Ferrariensibus, Brixiensibus, & aliis fidelibus suis sub obtentu fidelitatis & certa poena, ne ipsis impenderènt consilium, auxilium vel favorem, sicut in literis Regio sigillo munitis prospeximus plenius contineri. Et quia Castrum Bondeni Veteris dirutum erat, nuper reaedificatum est, & ab Ecclesiae Romanae fidelibus pacifice habitatur. Dilectus quoque filius Albertus Comes Pratensis, fidelitatis nobis praestito juramento, Terram Vallesi, Roccam Gonfienti, Monticellum, Arigazzam, Bargam, Pidierlam, Casale, Roccam de Vico, Castreolum, Limognum, Graecum, Mugonum, Pillianum, Monticellum, Fossatum, Torrem, Batum, & Savignanum cum pertinentiis suis recepit à nobis in feudum, unum Asturem & duos Braccos pro eisdem Castris Ecclesiae Romanae annis singulis redditurus, quos etiam nobis pro uno anno persolvit. Praeterea licèt* Marchiam Anconitanam *ad manus suas Ecclesia Romana pro majori parte teneret, nihilominus tamen praedictus Imperator eam nobis omnino quietans, & refutationem faciens, prout in ipsius Literis plenius continetur, praecepit omnibus* de Marchia, *ut nobis tamquam Domino suo de cetero plenarie responderent. Quumque nos postmodum dilecto filio* Nobili viro Azoni Marchioni Estensi *eam in feudum duxerimus concedendam, praesente Imperatore investientes eumdem de ipsa* Marchia *per Vexillum, nos praenominatum Pandulphum Subdiaconum & Notarium nostrum, & Imperatoris, venerabilem fratrem nostrum ....... Patriarcham Aquilejensem illuc curavimus destinare, ut eum in possessione* Marchiae *inducentes, ei facerent de omnibus rationibus suis integre responderi: Civitate tamen Anconitanâ, quamdiu nobis placuerit, in nostris manibus reservatâ, & universo Patrimonio beati Petri à Ponte Ceperani usque Radicofanum possesso & disposito pacifice ac quiete pro nostrae beneplacito voluntatis. Datum Laterani, XII. Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Quinto.*

Hisce Literis significare vult Honorius Pontifex, *magnam partem Comitatus Comitissae Mathildis* antea *à variis personis* occupatam, demum Apostolicae Sedi restitutam fuisse. Primo recenset *totum Ducatum Spoletanum*, & in fine *Marchiam Anconitanam*, quam *postmodum*, ait, *dilecto filio Nobili viro Azoni Marchioni Estensi in Feudum duximus concedendam, praesente Imperatore, investientes eumdem de ipsa Marchia per Vexillum*. De hujusmodi Investitura Marchiae Anconitanae Estensibus Principibus data infra sermo recurret in sequenti Differt. VI. *de Marchionibus*. Reliqua Chartae hujus verba respiciunt hereditatem ditionum Comitissae Mathildis in aliis locis; ac propterea intelligimus, ejus dominationi olim subjunctum fuisse *Ducatum Spoleti*, & *Marchiam Anconae*. His adde, quae in Dissertatione Chorographica medii aevi Tomo X. Rer. Italicar. animadvertit Clarifs. Berettus. Verùm hactenus commemoratis Ducatibus praestitit amplitudine ac nobilitate *Ducatus Beneventi*, cui non una suberat Provincia, ac peculiares aliquae praerogativae contributae fuerant. Exploratum sane est, non secus ac Forojulienses atque Spoletani, Regibus Langobardis paruisse Duces Beneventanos. Verùm hi longe majori prae ceteris auctoritate pollebant, qualem finitima ac opposita perpetuo Orientalium Imperatorum potentia exigebat. Francis verò Regibus Italiâ potitis, elatiores etiam animos induerunt iidem Duces Beneventi. Arichis, sive Arigisus Dux, quantum vires tulerunt, Carolo Magno obnixus, impetratis tamdem conditionibus levissimae servitutis, vix eum Dominum agnovit. Grimoaldus autem ejus filius, disruptis brevi pactis, & Monarchiâ arreptâ, variam belli sortem contra Francorum gentem sustinuit. Supremae deinde Francorum ac Germanicorum Caesarum ditioni se quidem subdiderunt ejus Successores, sed sublimi Principatus jure sibi servato. Quare non injuriâ scripsit Camillus Peregrinius in Opuscul. de Finib. Ducat. Benevent. *Videri, Francorum Reges, & qui post illos Italiae Regnum obtinuerunt, ipsumque Carolum, strictiori quodam jure Spoletanum Ducatum obnoxium habuisse prae Beneventano, qui memoratis Regibus vectigalis tantum fuit*. Utique Eginhardus in Vita Caroli Magni tradens, quam longe dilatatum fuerit ejus imperium, inter debellatas subjectasque Provincias *Beneventanam* quoque recenset. Ipse etiam Carolus in quodam Edicto apud Baluzium Tomo I. pag. 985. Capitular. non minus *Francos* quam *Beneventanos* eâdem Lege constringit. Et quum Anno DCCCLI. Ducatum inter se partiti fuerint Radelchis & Siconulphus, satis aperte iidem professi sunt, se Ludovicum II. Augustum revereri uti supremum Dominum suum. Idem ostendunt acta Ottonis Magni Imperatoris. Nihilo tamen secius, si supremam potestatem excipias, quam in Augustis Occidentalibus agnovere Duces Beneventani, propter quam eorum *homines*, hoc est *Vassi* fuerunt, & praeter aliquod tributum ab ipsis Ducibus persolvendum, quod Anno DCCCXIV. ascendit ad *septem Solidorum millia*, ac deinde penitus sublatum est: reliquum potestatis & auctoritatis fuit penes ipsos Duces, non absimiles aliquot Italicis Principibus nostrorum temporum, qui jura suprema exercent, ac veluti Reges imperant, quam-

quamquam Romano Imperio & Auguſtis, præſtito fidelitatis ſacramento, obnoxii. Arichis, quem ſupra nominavi, ipſius Caroli Magni temporibus, abjecto *Ducis* titulo, quo dum ſtetit Langobardorum Regnum, ejus Præceſſores fuerant uſi, titulum *Principis* aſſumſit, ſignificaturus, ut puto, ſe ipſum veluti Regem regionis illius. Nunc etiam inter Neapolitanos Proceres pluris æſtimatur *Principis* quam *Ducis* appellatio, quum tamen aliis in locis diverſa opinio jamdiu invaluerit. Itaque Arichis ſe ſacrandum, ſive inungendum Epiſcopis obtulit, & Coronâ eſt uſus, & in reliquis agere Principem ſupremum cœpit. Audi Erchempertum, Leone Oſtienſi teſte in Chronic. Caſinenſ. Lib. 1. Cap. 9. ita loquentem: *Hic Arichis primus Beneventi Principem ſe appellari juſſit, quum uſque ad illum, qui Benevento præfuerant, Duces appellarentur. Nam & ab Epiſcopis ungi ſe fecit, & Coronam ſibi impoſuit, atque in ſuis Chartis* „ Scriptum in ſa„ cratiſſimo noſtro Palatio „ *in finem ſcribi præcepit*. Immo quum defeciſſent Reges ex Langobardorum gente, Beneventani Duces, quaſi eorum ſucceſſores aut heredes (quandoquidem tantâ auctoritate & potentiâ Populis ejuſdem Nationis adhuc præerant) ſuis Titulis alterum quoque addiderunt, ſe inſcribentes *Gentis Langobardorum Principes*, uti multa eorum Diplomata apud Peregrinium & Ughellium, atque in hoc Opere fidem faciunt. Et quamquam Grimoaldus Arichiſi filius Carolo M. ſeſe ſubdiderit, eodem Erchemperto teſte, conditionibus nonnullis ſeſe obſtringens, brevi tamen ſuam Autocratiam recepit. Mabillonius in additam. ad Supplementum de Re Diplomatica ex Archivo Caſinenſi profert Notas Chronologicas Diplomatis Grimoaldi Principis, quod datum dicitur: *Quinto Anno, Menſe Auguſto, Tertia Indictione*, ad eumdem Grimoaldum Primum rèferens, *fortè quod Grimoaldus non ſtatim à morte Patris Ducatum inierit*. Sed minime animadvertit vir magnus, illic agi de *Grimoaldo II. Storeſaiz*, qui alteri ſucceſſit Anno Chr. 806. Anno autem 810. decurrebat ejus *Annus V.* & *Indictio Tertia*.

Jam monui, ideo ab Auguſtis Occidentalibus mitius actum cum *Ducibus* ſive *Principibus Beneventi*, uberioremque relictam dominationis menſuram tum iis, tum *Principibus Salerni*, & *Comitibus Capuæ*, aliiſque, antiquum Ducatum Beneventanum inter ſe partitis, ne ſe Orientis Imperatoribus, qui finitimis in Urbibus regnabant, adjungerent, ſi quando durius haberentur ab Occidentalibus Auguſtis. Et revera non ſemel accidit, ut ſive armorum vi adacti, ſive ſpe majoris fortunæ illecti Principes ii Græcis adhæſerint. In Chronico Sancti Vincentii ad Vulturnum pag. 417. Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum habetur Diploma conceſſum à *Landulpho* & *Atenulpho Beneventi Principibus* Godelperto ejuſdem Cœnobii Abbati Anno Chriſti DCCCCXVI. Tituli, quibus illi utuntur, nempe *Anthypati* & *Patricii*, duas ex potioribus Dignitatibus indicant, quas olim conferret Orientalium Auguſtorum Aula; ſatiſque ſignificant, hoſce Principes tunc ſub ſuprema Græcorum ditione fuiſſe. Iiſdem inſtitit ſemitis *Guaimarius I. Salerni Princeps*, ad quem dimidium Beneventani Ducatus ſpectabat ex diviſione Anno DCCCLI. facta inter Siconulphum & Radelchim, cujus Acta leguntur apud Peregrinium in Hiſtor. Princip. Langobardor. & mentio quoque habetur in Diplomate, quod nunc proferam. Donat in eo Guaimarius Eccleſiæ Sancti Maximi, intra Civitatem Salernitanam fundatæ à Guaiferio Principe genitore ſuo, Servum, cui nomen Lupus, una cum Uxore, Filiis & Filiabus, Nepotibus & Neptibus illius, & cunctis eorum rebus mobilibus & immobilibus. Dignus eſt, qui attente conſideretur ejuſmodi mos, nunc inter Chriſtianos pœne deſuetus. Quo tempore Saraceni claſſe validâ (appellatur hæc *ſtorus*, ſive *ſtolus*, unde poſtea Italica vox *Stuolo*) impetum fecere in Salernum, Lupus ille cum Barbaris iis, patriæ ſuæ & Chriſtiani nominis hoſtibus, factionem iniit: quare tamquam proditor poſtremo ſupplicio plectendus erat. Verùm bene illi res ceſſit: nam intercedentibus, ut reor, Religioſis viris, in ſervitutem commutata eſt illius pœna. Et quoniam is deinde uxorem duxit, ex qua filii ac nepotes ſunt procreati, hinc factum eſt, ut univerſa ejus Familia, ne exceptâ quidem Conjuge, ſervilem conditionem Patris contraxerit ſecundùm Legem VI. Liutprandi Regis Lib. IV. pag. 56. Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. & Legem LXXII. Lotharii Auguſti pag. 146. En ipſum Diploma, quod ex archetypo exiſtente in Archivo celebris Cœnobii Cavenſis deſcriptum fuit.

Dona-

## Donatio Lupi Servi, atque integræ ejus Familiæ, facta Ecclesiæ Salernitanæ Sancti Maximi à Guaimario I. Salernitano Principe, Anno Chr. 899.

IN *nomine Domini Dei Salvatoris Jesu Christi. Declaro ego* Waimarius Princeps & Imperialis Patritius, *quia concessum est mihi à sanctissimis & piissimis Imperatoribus Leone & Alexandro per berbum & firmissimum Preceptum Bullâ aureâ sigillatum, integram Sortem Benebentane Probincie, sicut divisum est inter* Sichenolfum & Radelchisum Principem, *ut licere me exinde facere omnia, quod voluero, sicut antecessores mei omnes* Principes *fecerunt. Proinde concessimus in Ecclesias beatissimi Maximi pro nostre salutis anime, quam* Dominus Guaiferius Princeps *pater meus à nobo fundamine construxit intus hanc nobam Civitatem Salernitanam, hunc Serbum* sacri nostri Palatii, *Lupus filius Ragimperti, cum uxore sua, & filiis, filiabus, nuris, & nepotibus suis, cum omnibus rebus substantia illorum movile atque immovile, & cum omnibus illorum pertinentiis, pro quo ipse Lupus cum Sarracenis ambulavit, & pactuotes fuit, quando ipse storus super hanc predictam Civitatem resedit. Et proinde supradictus Lupus concessimus in predicta sancta Ecclesia cum uxore sua, & filiis, filiabus, nuris, & nepotibus suis, sicut supra dictum est, pro eo quod postquam nobis culpatus fuit, postea autem ipsa ejusdem mulier super annum spatium ipsum Lupum habuit birum, & ipsis filiis, filiabus, & nepotibus suis postea genuerunt, & juxta legem ad* sacrum nostrum Palatium *perbenerunt potestatem. Cum omnibus rebus, substantiis suis, movile atque immovile, cum omnibus suis pertinentiis in supradicta sancta Ecclesia concessimus securiter abendum. Et constituimus, ut nullus Basilico, nec Stratigo, nec Protospatarius, aut Spatarius, Candidatus, aut Spatarius, aut Gastaldeus, aut Sculdais, aut qualiscumque alius Serbus sanctorum Imperatorum habeant potestatem in illos, vel in eorum rebus qualecumque angariam vel dationem exigendum, sed ipsa jam dicta sancta Ecclesia omni tempore securiter illos possideat, sicut illorum sanctum berbum continet, quem nobis concessum, ut omnes homines nostri liceret suos dominare Serbos cum omnibus rebus, substantiis suis vel actionibus, ut omnes residerent subtus ficum suam habsque omni contradictione* sancti Imperii nostri. *Iterum volumus, ut si Rector suprascripte Ecclesie illos vel illorum rebus subtrahere voluerit de potestate jam dicte Ecclesie, revertantur in potestatem de heredibus nostris, sicut per illorum suprascripte potestatis nobis concessum est, & ab illo tempore, quo ipse Lupus pactuotes fuit, & ad potestatem* nostri Palatii *perbenit, cum omnibus rebus substantie, illorum, & usque modo cum omni illorum pertinentia sic in integrum in prefata sancta Ecclesia concessimus, sicut supra dictum est ad securiter abendum.*

*Quod vero Præceptum concessionis ex jussione suprascripte Potestatis scripsit Ego Ursus Notarius.*

*Actum Salerni de Anno Vigesimo tertio, & de Anno septimo Principatus Domini Guaimarii Principis filio meus, de mense Augustus, Secunda Indictione.*

V|V
R—A—A
M

adest Sigillum cereum cum effigie & literis

DNUS WAIMARIUS.

Uti quisque videt, profitetur heic Guaimarius, se suam auctoritatem agnoscere ab Orientalibus Augustis: *concessum est mihi à sanctissimis & piissimis Imperatoribus Leone & Alexandro*; ideoque is inscribitur *Imperialis Patritius*. Simul tamen significat ipse, quanta foret suæ auctoritatis amplitudo, eamque pæne supremam fuisse, in hæc verba loquens: *ut licere me exinde facere omnia, quod voluero, sicut antecessores mei omnes Principes fecerunt*: quæ mire produnt singulares olim prærogativas Principum Beneventi atque Salerni. Perrexerunt postea præstantissimæ istæ Langobardici sanguinis reliquiæ per varias vices, variasque ditionum suarum sectiones in iis regionibus dominari, donec celeberrimo Nortmannorum Principi Roberto Guiscardo, ejusque fortissimis fratribus, ac nepoti contigit post Annum Christi ML. dejectis antiquis dominis, simulque Saracenis & Græcis, Apuliâ & Calabriâ totâ potiri, immo & universâ Siciliâ, & fundamenta statuere Regni, quod ambarum Siciliarum subinde appellatum est, nunc divisum in Regna Neapolis atque Siciliæ. Ceterum dum supra laudati Principes viguerunt, Principatus sui Annos, Regum more in suis Diplomatis numerabant. *Palatii*, immo & *sacri Palatii*, & *Cameræ* nomina adhibebant; quod tamen & à Spoleti Ducibus aliquamdiu factum videbimus. Ipsi Italiæ Reges, quum Leges promulgabant, aut Privilegia largiebantur, *Tusciæ* quidem, *Spoleti*, *Fori Julii*, sive *Austriæ*, *Italiæ* &c. mentionem facere consueverunt; sed fere semper à Benevento ac Salerno commemorando abstinebant: quod ii Principatus supremo veluti imperio fruentes pars quidem Italici Regni forent, sed alio sidere regerentur. Et sane in aliis quidem Italiæ Ducatibus & Marchiis Duces & Marchiones constituebantur à Regibus aut Imperatoribus; & si quando filius in iis succedebat patri, non id factum nisi consensu & facultate prævia Augustorum aut Regum. At in Principatibus Beneventano & Salernitano, ac postea Capuano electione tantum, aut consensu Populi constituebantur Principes, atque ii ex hereditate successores habebant filios. Quod de *Annis Principatus*, & de *sacro Palatio* dixi, confirmatum eo nonnullis pergamenis, quæ in Tabulario prælaudati insignis Monasterii Cavensis in Salernitano agro siti adservantur.

## Gisulfi I. Salernitani Principis Diploma, per quod Johanni Abbati Monasterii Salernitani complures terras largitur Anno Chr. 950.

*IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Concessimus nos vir gloriosissimus Gisolfus, divinâ providentiâ Longobardorum gentis Princeps pro amore omnipotentis Dei, & pro salute anime nostre, tibi Joanni Abbati, patri nostro, & in tuo Monasterio, quod a novo fundamento intus hanc Civitatem Salernitanam fundasti, terras pertinentes* sacri nostri Palatii; *quæ est Iscla, ubi Duo-Flumina dicitur, Actu Lucaniano, in qua Ecclesia Sancte Genitricis Dei Marie sita est; cum suis terris, silvis, aquis, & aquarum usibus per circuitum ipsius Ecclesie, idest ex omnibus partibus milliaria quatuor, cum finibus & viis, & cum omnibus infra se habentibus, in ea ratione,* A *ut amodo & deinceps per hoc nostrum roboreum Preceptum ea, que perlegitur, tu nominatus Joannes Abbas, tuisque successoribus, & pars vestri Monasterii, securo nomine habere & possidere valeatis, & omnia ex eodem faciatis quod volueritis, & à nullo ex nostris Judicibus, Comitibus, Castaldeis, vel à quibuscumque agentibus habeatis exinde aliquam requisitionem, sed perpetuis temporibus securiter & firmiter eos habeatis.*

*Quod verò præceptum concessionis ex jussione suprascripte Potestatis scripsi ego Petrus Notarius.*

*Actum Salerno Palatio, de Anno XVIII. mense November, IX. Indictione.*

## Guaimarii fortasse Tertii Principis Salernitani donatio facta Lucæ Abbati ........ Anno 1005.

*IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Nos Guaimarius divinâ opitulante clementiâ Langobardorum gentis Princeps, pro amore omnipotentis Dei, salutisque anime, ac patrie nostre salvationis, quàm & per postulationem* Purpure Principisse *dilecte conjugis nostre, concedimus tibi Luce Abbati Monasterium Sancte Barbare, quod dedicatum est in pertinentia de Nove, finibus Salernitanis, cum omnibus rebus pertinentibus ipsius Monasterii, & cum Molino, quod edificatum est in fluvio de ipsa Bruca, & cum ipso Castaneto, quod est in pede de Monte, qui vocatur Tevorio, & cum ipsa Cesina, que est ultra ipsum fluvium, quam roncare fecit Cosma Abbas antecessor vester. Ideo ut diximus, inclitum ipsum Monasterium cum omnibus terris & vineis seu silvis, & jam dicto Castaneto & predicto Molino vobis concessimus, cum omnibus infra se habentibus, omnibusque suis pertinentiis, & cum vice de viis suis; securiter vos diebus vite vestre illud habendum, dominandum, possidendum, & omnia de ipso frudio faciendum, que volueritis. Et à nostris Judicibus, Comitibus, Castaldeis, vel à quibuscumque agentibus nullam exinde patiamini molestationem, sed amodo* B *& omnibus diebus vite vestre per hoc nostrum roboreum preceptum predictum Monasterium cum omnibus suprascriptis, & cum omni sua pertinentia securo nomine habere & possidere valeatis in jam dicta ratione.*

*Quod vero Preceptum concessionis ex jussione supradicte Potestatis scripsi ego Romoaldus* in sacro Palatio, *in Anno XVII. Principatus supradicti Domini Guaimarii gloriosi Principis, de mense Julio, Indictione III.*

Ad eumdem Guaimarium spectat & subsequens Diploma; nam utrobique commemoratur *Purpura Principissa dilecta* ejus *conjux*. Sed exploratum mihi minime est, num heic de Guaimario III. Principe Salernitano sit sermo, C an de ejus filio Guaimario IV. Neque enim viam inire potui tribuendi hæc Primo aut Secundo Guaimario. Utique Tertio conjux fuit *Gaitelgrima*; sed & is ante illam alteram duxisse potuit, scilicet *Purpuram*. Quod si Diplomata hæc referenda sunt ad Guaimarium IV. videndum superest, cur nulla Johannis ejus filii consortis in Principatu mentio fiat. Hujus uxor fuit *Gemma Principissa*, ut infra ostendam. Hasce tenebras aliis dissipandas relinquo. Interim alterum Diploma exero.

Guai-

## Guaimarii fortasse Tertii Principis Salernitani Diploma, per quod Cennamo Episcopo Montis Aurei multa donat, Anno 1010.

*IN nomine Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Nos Guaimarius, divinâ opitulante clementâ Langobardorum gentis Princeps, pro amore omnipotentis Dei, salutisque anime, & Patrie nostre salvationis, quàm & postulationem & obsecrationem* Purpure Principisse *dilecte conjugis nostre, concedemus & confirmamus in Ecclesia Veati Michaëlis Arcangeli sita in Monte, qui dicitur Aureo, à super flubio Tusciano, in quo vir venerabilis Domnus Cennamus Episcopus preesse videtur, pertinentie sacri nostri Palatii de Dolecaria ...... flubio Siler, ubi proprie nomen Pirritello, dicimus, qui sunt ...... ipsis vacue, & silbis uno teniente per hoc finis de pede ....... Cripte, qui est super bia Carraria, in ora de campu, qui dicitur de Calore, & ab ipsa Cripta rectum descendente in ipsa bia, & prevaricante ipsa bia, & rectum pergente in Pullo Minore, & trabersante ipso Pullo, & rectum pergente in alio Pullo Majore, & per ipso Pullo saliente usque bia, qui pergit ad Labandoria Sancti Laurentii; & trabersante ipsa via, & saliente per Aquario, rectum pergente in ribi Donocollo, & per ipso ribi ascendente usque bia, qui pergit ad Altim, & per ipsa bia pergentibus in partibus Septentrionis usque Ballone, qui descendit erga campu, qui dicitur de Erveruffe, & per ipso ballone descendente & conjungente se in orto de campo, qui dicitur de Calore, & per ipso orto descendente in ipsa Cripta, qui est priore fine. Hac vero res per jam dictos finis totum & incritum in prefatam sanctam Sedem concessimus, cum omnibus infra se abentibus, omnibusque suis pertinentiis, & cum bice debiis suis. Seu & concedimus in jam dictam sanctam Sedem, ut liceat pars ipsius Ecclesie, ejusque Rectores in ipso flubio Siler da ipsa parte in supra usque in ...... de ipsa alimenta qualiter intrare, in ipso Siler jam dicto flubio clusamina facere & habere, qualiter voluerint & ubi voluerint in ripis ejusdem fluminis à resina, & ex imo facere & habere tam in ista parte ipso flubio, quàm & in illa, & lintre ibidem habere; & cum ipso lintre liceat pars ipsius Episcopii homines & animales, omnesque illorum utilitatibus per ipso flubio portare in illa parte, & reducere ad ista parte, qualiter pars ipsius Ecclesie voluerit. Has omnes supradictas res concessiones, ut superius dictum est, pars ipsius Episcopii, ejusque Rectores amodo & semper securiter habendum, dominandum, possidendum, & omnia exinde faciendum, que voluerint. Et à nostris Judicibus, Comitibus, Castaldeis, vel à quibuscumque agentibus nulla inde pars ipsius Episcopii, ejusque Rectores patiantur molestationes; sed amodo & deinceps per hoc nostrum roboreum Preceptum cunctam nostram concessionem pars ipsius Episcopii, ejusque Rectores, seu vestro nomine habere & possidere valeat in jam dicta discretione.*

*Quod vero Preceptum concessionis ex jussione supradicte Potestatis scripsi ego Romoaldus* in sagro Palatio, *in Anno XXII. Principatus supradicti Domini Guaimarii gloriosis Principis, de mense Julius, Indictione Octaba.*

Ac proinde ab iis Principibus Episcopi & Abbates bona Ecclesiarum suarum novo Diplomate confirmanda curabant: quod Reges & Augusti in reliqua Italia facere consuerunt. Exemplum habe in Diplomate eorumdem Principum, quos nuper commemorabam.

## Guaimarii III. ejusque filii Guaimarii IV. Diploma, per quod Amato II. Archiepiscopo Salernitano, ejusque Ecclesiæ omnia jura confirmant, Anno 1023.

IN *nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi. Nos Guaimarius & Guaimarius, divinâ opitulante clementiâ Longobardorum gentis Principes, concessimus & confirmamus in Ecclesia sancte Dei genitricis ac Virginis Marie, ac beati Matthei Apostoli & Evangeliste, in qua* Domnus Amatus venerabilis Episcopus *regimen tenere videtur, pro amore omnipotentis Dei, & salutis anime nostre, seu & nostre patrie salvatione, per postulationem predicti Domini Presulis, & obsecratione* Gaitelgrime Principisse dilecte conjugis nostre: *omnes res Mortuorum ex* nostri Palatii, *que infra vel extra terras prefati vestri Archiepiscopii sunt vel fuerunt pertinentes. Seu & concedimus in predictam sanctam Sedem omnes plateas, anditos, qui ubique intus hanc Civitatem cum presis & juris & casis vestri Archiepiscopii conjuncte sunt aut fuerunt, ut licentiam habeant pars vestri Archiepiscopii in ipsis plateis & andetis scalas ibidem ponere seu fabricare justa ratione, & desuper plateis & andito munimina & edificia seu piles & arcora facere, qualiter volueritis sic in altum, ut onerosa plaustra obit . . . . . in predicta ratione exinde incredere & recredere possint subtus ipsa edificia. Damus & concedimus in predictam sanctam Sedem omnem alvearium fluvium, qui ubicumque cum rebus predicti Archiepiscopii conjuncte sunt vel fuerint, ut licentiam habeant pars ipsius Archiepiscopii ponere palitiones in ipsis alveis facere, quam & in ripis, & aqua exinde levare & portare & dare vel voluerint, & Molina ibi edificare, qualiter vobis placuerit, donamus & concedimus, que ubique conjuncte fuerint ad ipsis fluminibus. Iterum & concedimus in prefatam sanctam Sedem omnem angariam, & omnem servitium, & omnem censum vel dationem, & omnia & in omnibus quantam quantoque omnesque liberis ominibus, qui ubicunque jam dicti Archiepiscopii rebus sunt aut fuerint habentes, ut omnem servitium, & omnem censum aut angariam dare aut facere debuerint ad pars nostre Reipublice, semper dent & faciant illud in predictam sanctam Sedem. Quàm & omnes res prefati vestri Archiepiscopii, que nunc modo habetis, vel in antea residentes fuerint in vestris eredibus, pars vestri Archiepiscopii illis dominent, atque judicet, quomodo vobis placuerit. Quàm & omnes Presbiteri & Diacunes vel Subdiacones vel Clerici tam de intus ac Civitate, seu à foras de quantum quantoque vestra Diocesim pertinent, vos & vestris successoribus illos judicetis vel distringatis, eo tenore decernentes, qualiter sancti Canones docent. Quàm & concedimus in predictam sanctam Sedem, ut si aliquando tempore qualisque causationis habuerint, unde pars predicti Archiepiscopii juramento debuerint persolvere, non aliis personis eas persolvant, nisi Scariones vestri Archiepiscopii, quomodo ex antiquitus consuetudo fuit. Et si qualiscunque omo servus vel angilla jam dicti Archiepiscopii battiderit . . . . . . . . ad esso componat, sicut ad liberi homines & ad liveras feminas. Quàm & concedimus in predictam sanctam Sedem . . . . . . . . riti & Censiles ipsius Archiepiscopii, tam mascoli quàm femine ibidem deserviant, sicut ex antiquitus deservierunt, & Censora persolverunt. Et nec illas vel illis, vel illas vel illarum eredes de rebus stabile nec vendere vel donare vel campiare possint sine jussione predicti Domni Archiepiscopi vel ejus successores. Seu concedimus & confirmamus in ipsam sanctam Sedem omnes concessiones, que ubique singulis vel Imperatoribus, Regibus, Ducibus, seu Principibusque concessa vel confirmata tam per Preceptum, quàm & per Brebe sigillatum, vel Cartarum munimina esse videntur; hac videlicet ratione, ut amodo & omni tempore pars predicti vestri Archiepiscopii, ejusque Rectores ipsas concessiones vel confirmationes omnes, quas diximus, habendi, possidendi, dominandi, & omnia exinde faciendi, que & qualiter volueritis; & à nostris Judicibus, Comitibus, Castaldeis, vel à quibuscunque agentibus pars prefati vestri Archiepiscopii, ejusque Rectores, per hoc nostrum roboreum Preceptum cunctas, quas diximus, securo nomine eas habeatis & possedeatis, & queque volueritis, exinde faciatis absque omnibus publicis requisitionibus.*

*Quod verum Preceptum concessionis ex jussionibus supradictorum Potestatum scripsi ego Aupsus Diaconus Salernitano Palatio, in Anno XXXV. Principatus supradicti Domni Guaimarii Principis, & V. Anno Principatus Domni Guaimarii ejus filio, Principibus, de mense Maio, VI. Indictione.*

Vidisti *Gaitelgrimam* Guaimarii III. uxorem. Prodere nunc juvat uxorem Guaimarii IV. nempe *Gemmam* antea mihi memoratam: illius enim mentio est in altero Diplomate Monasterii Cavensis, ubi & videas mentionem Corporis Sancti Matthæi Salernum translati.

Guai-

## Guaimarii IV. Principis Salernitani Diploma, per quod Amato II. Salernitano Archiepiſcopo, ejuſque Eccleſiæ, omnia jura ac bona confirmat, Anno 1032.

*IN nomine Dei eterni & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Waimarius divinâ protegente clementiâ Longobardorum gentis Princeps, concedimus & confirmamus per hoc noſtrum roboreum Preceptum, annuloque noſtro ſignatum, in Eccleſia beate Dei genitricis & Virginis Marie ſanĉte Salernitane Sedis, in qua* Domnus Amatus Secundus venerabilis Archiepiſcopus *preeſt, & in Eccleſia beati Apoſtoli & Evangeliſte Matthei, cujus Corpus veraciſſime obtinere credimus; pro noſtro remedio anime, per obſecrationem* Gemme Principiſſe dileĉte conjugis, *omnia, que antiquitus in eadem ſanĉta Eccleſia conceſſa ſunt, & oblata fuerunt, & omnia, que tempore ipſius prefati Domni Amati venerabilis Archiepiſcopi in ipſa ſanĉta Eccleſia poſſidere ac dominare videntur. Inſuper concedimus, ut omnia, que ipſe prediĉtus Domnus Amatus venerabilis Archiepiſcopus ad ſui poteſtatem & manus, & cunĉta, que in ſuo cellario vel orreo congregari ſolent, neque per Preceptum, neque per violentiam de illius poteſtate & dominio minuentur. Quicunque autem poſt oc noſtrum roboreum Preceptum ex omnibus, que ſuperius conceſſimus, quicquam minuere voluerit, vel attemtare preſumſerit, à prediĉto Domno Archiepiſcopo excommunicetur, & in modum maledictionis mittatur danabilis, & ante coſpetum Domini & ejus Genitricis inveniatur, & perpetui anathematis vingulo inſolubiliter religetur, quemadmodum Datan & Abiron, precepti Domini tranſgreſſores; vivum eum terra deglutiat, & exemplum ſit cunĉtis, qui res ſanĉte Eccleſie invadere nituntur. Non ſit particeps perpetui Regni, & partem habeat cum Juda traditore. Inſtinquibilis crucietur flammis eternis. Non adipiſci mereatur vitam eternam, ſed penas ſuſtineat ſempiternas.*

*Et ut hec noſtra ſupradiĉta conceſſio ſtabilis ac firma in eternum permaneat, Arupaldum Abbatem Scribam* noſtri Sagri Palatii *ſcribere, annuloque noſtro eam inſigniri precepimus, de Menſe Magio, concurrente Indiĉtione XV. Anno verò initiante noſtri Principis Quarto . . . . .*

Eâdem ratione Alfânus I. Archiepiſcopus Salernitanus cunĉtis ſuæ Eccleſiæ bonis Privilegium Giſulfi II. Principis conquiſivit, ut è ſubſequenti Præcepto conſtabit.

## Giſulfi II. Præceptum, per quod Alfano I. Salernitano Archiepiſcopo, ejuſque Eccleſiæ jura omnia ac bona confirmat, Anno 1058.

*IN nomine ſanĉte & individue Trinitatis. Giſulfus divinâ favente clementiâ Longobardorum gentis Princeps. Nos ab omnium Conditore dignas mercedes credimus accepturi, ſi ſanĉtis ac venerabilibus locis curam & ſolicitudinem impenderimus; & quod ab eorum cultoribus poſtulati fuerimus in eiſdem ſanĉtis Locis, pro ut poſſumus, adimplemus. Idcirco amore & timore ipſius Conditoris ac noſtri Redemptoris compulſus, qui pro ſalute noſtra mortem ſumere, & pativulum Crucis ſubire non dedignatus eſt, ut nos à morte liveraret, & perpetuam vitam tribueret, & pro ſalute hujus noſtre Salernitane Patrie, & per interventum tuum, o Do*mne Archiepiſcope Alfane *reverendiſſime ipſius Salernitani Archiepiſcopatus ſpiritualis pater noſter, & per poſtulationem* Domine Gemme Principiſſe *cariſſime genitricis noſtre, confirmamus in ipſo Archiepiſcopio integram Eccleſiam Sanĉti Martiris Viti, que conſtruĉta eſt intra hanc Civitatem ſecus plateam, que pergit ad portam, que Elinus dicitur, & in ipſa platea mercimonium conficitur: & omnes terras & caſas ipſi Eccleſie pertinentes intra hanc Civitatem; & omnes res ſtabiles ipſi Eccleſie pertinentes foris hac Civitate, cum omnibus, que intra ipſas Eccleſiam & terras & caſas & res ſunt, cunĉtiſque earum pertinentiis, & cum vice de plateis & viis & anditis ſuis, & cum muniminibus ex eo continentibus, & cum omnibus rebus mobilibus ipſi Eccleſie pertinentibus; eâ ratione ut totum, quod diĉtum eſt, ſemper ſit in poteſtate tua, Domne Alfane, & ſucceſſorum tuorum. Et pars ipſius Archiepiſcopii, & tu, & ſucceſſores tui, licentiam habeatis de eo facere quod volueritis. Et confirmamus in eodem Archiepiſcopio omnes terras & cavas & potechas ipſi Archiepiſcopio quomodocunque pertinentes intra hanc Civitatem juſta ipſam plateam, in qua, ut diĉtum eſt, ipſum mercimonium conficitur, cum omnibus, que intra eas ſunt, cunĉtiſque earum pertinentiis, & cum vice de ipſa platea & de anditis ſuis, ut ſemper ſint in poteſtate tua, Domne Archiepiſcope, & ſucceſſorum tuorum, & pars ipſius Archiepiſcopii, ad faciendum de eo tu & ſucceſſores tui & pars ipſius Archiepiſcopii, quod volueritis. Et concedimus in eodem Archiepiſcopio, ut quando tu & ſucceſſores tui & pars jam diĉti Archiepiſcopii volueritis intra ipſas terras & cavas & potechas in ipſa platea, plangas & ſecus eas ponere faciatis & habere quantas volueritis, & in ea lignamina rigere & habere, & ſuper eas edifigia qualiter volueritis, & in ipſis terris & caſis & potechis & plancis, quot volueritis, homines ordinare licentiam habeatis, & carnes & alia mercimonia in eis mercimoniare & vendere & emere, quantas tibi tuiſque ſucceſſoribus & pars ipſius Archiepiſcopii placuerit; & nullo tempore à pars noſtre Reipublice aliquod tributum vel cenſum aut ſervitium ſeu penzionem illis omnibus tollere aut exiquere querat vel imponere faciat, neque portaticum ſeu plateaticum in hac noſtra Civitate & foris per totum* noſtrum Principatum Salerni *non dent, ſed omne tributum & cenſum & ſervitium, portaticum & plateaticum penſionem, quod per annum pars ipſius* noſtri Sagri Palatii *illi, qui in eis, ut diĉtum eſt, mercimoniaverint & vendiderint & emerint facere & perſolvere debuerint, tibi tuiſque ſucceſſoribus & pars ipſius Archiepiſcopii faciant & perſolvant. Et confirmamus in eodem Archiepiſcopio*

*ſcopio omnia, que per Romanorum Pontificum Privilegia ac decreto, & per Imperatores & Reges ac per* Principes predeceſſores noſtros *antecesſoribus veſtris & vobis & in ipſo Archiepiſcopio confirmata & conceſſa per quemlibet modum fuerunt, & omnia, que in ipſo Archiepiſcopio ab aliis hominibus per quemlibet modum data fuerunt, ut ſemper ſint in poteſtate tua & ſucceſſorum tuorum & pars ipſius Archiepiſcopii, ad faciendum ex eo, quod volueritis. Et neque à noſtris Judicibus, Comitibus, Caſtaldeis, neque à quibuſcunque actoribus noſtre Reipublice, & quolivet tempore, tu & ſucceſſores tui & pars ipſius Archiepiſcopii habeatis ex hoc, quod in dicto Archiepiſcopio conceſſimus & confirmamus, aliquam contrarietatem; & ſemper & in perpetuum illud tu & ſucceſſores tui & pars ipſius Archiepiſcopii ſecuriter habeatis & facieatis ex eo quod volueritis. Textum verò harum confirmationum & conceſſionum ſcribere precepimus tibi . . . . . . prandum Levitam & Scribam hujus* noſtri Sacri Palatii, *Anno nobis à Deo conceſſi Principatus Septimodecimo, Menſe Majo, concurrente Indictione XI.*

Nunc autem addendum, fluctuaſſe jura Principum Beneventi ac Salerni. Nam modò nullum ii agnoſcebant Principem ſupremum, modò Imperatoribus Occidentis parebant, aut Græcis ſeſe in clientelam tradebant, eiſve ſeſe ſubdebant; immo & interdum ibi ſunt dominati Græci, dejectis Principibus ipſis. Quum verò in Occidente Latinorum Cæſarum vires prævalebant, ſe eorum Vaſſallos aſſerere non dubitabant, ampliſſimâ tamen auctoritate ſervatâ. Caroli Magni, & Ludovici II. temporibus jus Occidentalium Imperatorum in eos quoque Principatus ſupra innui. Eadem jura reſtaurata videas ab Ottone Primo, Secundo, & Tertio, uti & ab Henrico inter Auguſtos Primo, ut alios Auguſtos prætercam. Cæſareæ poteſtatis in ea loca certum quoque indicium dabunt Literæ Ottonis II. & Henrici I. à quibus Salernitani Præſules Privilegia ſibi confirmanda curarunt. Ea nunc addere juvat ex prælaudati Monaſterii Cavenſis Archivo depromta.

## Otto II. Auguſtus Johanni Salernitano Epiſcopo jura ac bona omnia confirmat, Anno 982.

*In nomine ſancte & individue Trinitatis. Otto ſuperno favente nutu Romanorum Imperator Auguſtus. Si juſtis Deoque divinis locis non . . . . . . ſolummodo preeſſe, verum etiam prodeſſe ſtuduerimus, preſentis vite ſuffragium, & eterne remedium invenire non titubamus; & ſi in priſtinum gradum erigere conamur, noſtri Imperii culmen ſublimare procul dubio credimus. Quapropter noſtrorum omnium preſentium videlicet ac futurorum fidelium induſtria noverit petitionem & interventum noſtre dilecte conjugis noſtri Imperii participis. Per hanc noſtri Precepti preſentem paginam, prout juſte & legaliter poſſumus ſancte Salernitane Sedis Eccleſie in beati Apoſtoli Matthei ſite honorem, ubi cotidie ſumme Trinitati debite dicuntur laude, atque* Johanni Epiſcopo ipſius prefate Eccleſie Vicario *noſtro fideli concedimus & confirmamus omnes res & proprietate ab antiquis Principibus ipſius Civitatis predicte conceſſas Eccleſie, ſeu ea, que* Giſulfus Princeps *cum* uxore ſua Gemma *ibi obtulit pro ſuarum remedio animarum, tum ea, que intra eamdem Civitatem habere videntur, tum extra, cum terris illis, que ultra fluvium Tuſciano prefate Eccleſie pertinere videntur uſque ad fluvium qui dicitur Siler, ſeu in Comitatu Capuatio, & Dulicaria, & in ceteris locis predicte Eccleſie pertinentibus, que dici vel nominari poſſunt, una cum utriuſque ſexus familiis, Aldiis, & Aldiabus, cum angariis & cenzibus, cum campis, vineis, pratis, ſilvis, molendinis, piſcationibus, venationibus, aquis, aquarumque decurſibus, juribus, privilegiis, immunitatibus, tam in ſcriptis quam ſine, juſte & legaliter eidem Eccleſie pertinentibus: cum Capellis & aliis in intrecum. Quamobrem precipientes jubemus, ut nullus Princeps, Dux, Marchio, Comes, Straticho, Epiſcopus, vel quilibet noſtro ſub Imperio, magna parvaque perſona degens audeat prefatas res Eccleſie, vel Epiſcopum inquietare, moleſtare, vel ob aliquo ſibi pertinenti ſine legali judicio diſveſtire preſumat: ſed liceat prenominatum Epiſcopum, ſuoſque ſucceſſores cuncta huic paginole preſcripta regere, & ad utilitatem Eccleſie tenere, omnium hominum contradictione remota. Si quis verò temerario auſu hujus noſtre conceſſionis paginam violare queſierit, ſciat ſe compoſiturum treſcentum Libras auri, medietatem Camare noſtre, & medietatem predicte Eccleſie & Epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus. Quod ut verius credatur, & ab omnibus diligentius obſervetur, in calce impreſſione noſtri ſigilli inſignita confirmare juſſimus.*

*Signum Domni Ottonis ſereniſſimi & invictiſſimi Imperatoris Romanorum Auguſti.*

*Johannes Cancellarius ad vicem Petri Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſcripſi.*

*Data XIV. Kalendas Majas, Anno Dominice Incarnationis DCCCCLXXXII. Anno Regni Domni Ottonis XXII. Imperii autem ejus X. Indictione X.*

*Actum prope Tarentum feliciter. Amen.*

Hen-

## Henrici II. Regis, inter Augustos Primi Diploma concessum Amato II. Archiepiscopo Salernitano, per quod ei confirmat omnia jura, Anno 1022.

*IN nomine sancte & individue Trinitatis. Henricus divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Si justis, Deoque divinis locis non solùm preesse sed etiam prodesse studuerimus, presentis vite suffragium & eterne remedium invenire non titubamus; & si in pristinum gradum erigere conamur, nostri Imperii culmen sublimare procul dubio credimus. Quapropter omnium fidelium sacre Dei Ecclesie, nostrorumque presentium ac futurorum comprehendat universitas, qualiter interventu ac petitione Theoderici nostri dilecti Cancellarii per hanc nostri Precepti presentem paginam, prout juste & legaliter possumus, sancte Sedis Ecclesie in beati Apostoli Matthei site honore, ubi quotidie summe Trinitati debite canuntur laudes, atque inviolabiliter & perpetualiter* Amato ipsius prefate Ecclesie Archiepiscopo, *nostroque fideli, de novo concedimus & confirmamus omnes res & proprietates ab antiquis Principibus ipsius Civitatis predicte hec concessas Ecclesie, seu ea, que* Gisulfus Princeps *cum* uxore sua Gemma *ibi obtulit pro suarum remedio animarum, tam ea que intra eandem Civitatem habere videntur quam extra, cum terris illis, que ultra fluvium Tuscianum prefate Ecclesie pertinere videntur usque ad fluvium, qui dicitur Siler, seu in Comitatu Capuaci & Dulicaria, & in ceteris locis jam dicte Ecclesie pertinentibus, que dici vel nominari possunt. Insuper etiam concedimus Castrum Libani cum omnibus adjacentibus sibi, quemadmodum illud antiquitus ipsa Ecclesia tenuit & dominata est per Precepta & quascumque scriptiones, Castrum videlicet Libani, quod à Grimoaldo & Alfano germanis injuste invasum est. Concedimus denique & confirmamus eidem Ecclesie omnes mortuorum res, que in ipso Episcopio vel in rebus suis sunt aut erunt ad futurum, omnesque res mobiles sive immobiles, que ab antiquitus Deum timentibus hominibus oblate ibi sunt; ac omnes concessiones ejusdem sancte Ecclesie concessas à Principibus & Ducibus seu Regibus. Censiles namque omnes ejusdem Ecclesie, ut pars prefati Episcopii dominetur, jubemus, nullo contradicente, sicut antiquitus fecerat. Nostra namque Imperiali auctoritate ei concedimus confirmationes, ut pars ejusdem Episcopi habeat potestatem ad Ecclesie ejusdem jus ordinare infra eamdem Civitatem quinque Macellatores, ubi voluerit, ad carnes vendendas. Statuentes siquidem illi concedimus & confirmamus omnes illas res, que ab ejusdem Episcopi jure sine ratione & justitia post obitum sancte recordationis* Petri, ejusdem Ecclesie venerabilis Episcopi *ablate sunt per* Johannem Episcopum, *qui inordinate eandem tenuit Sedem. Ut si qua ante scriptio per manus ejusdem Johannis facta, ostensa fuerit, dijudicamus eam pro munere irritam & inanem, eo quod contra Canonicam auctoritatem suam deseruit Sedem, & ad aliam accessit: quod omnino fieri non potuit secundùm auctoritatis Canonum instituta. Statuimus, ut pars prefati Episcopi distringat omnes forenses Presbiteros sibi pertinentes ac Clericos, omnesque eorumdem familias, scilicet illos, qui in Diœcesi ejusdem Episcopii habitant: Volumus ut judicet & distringat sine ulla partis publice contrarietate. Et in suo servitio habeat, ut Canones jubent. Omnes quippe supradictas res illi confirmamus una cum terris, vineis, campis, pratis, silvis, pascuis, montibus, vallibus, planitiebus, aquis, aquarumque decursibus, ripis, molentinis, piscationibus, forestis, venationibus, servis, ancillis, Aldiis, Aldiabus, ancariis, censibus, pensionibus, Capellis, Castellis, Villis, ac omnibus que dici aut nominari possunt, prefate Ecclesie juste & legaliter pertinentibus in integrum. Precipientes igitur omnino jubemus, ut nullus Dominus, Princeps, Straticho, Marchio, Episcopus, Comes, Vicecomes, nullaque nostri Regni magna vel parva persona prefate Ecclesie res, vel Episcopum inquietare, molestare, aut in aliquo sine legali judicio disvestire presumat. Sed liceat eidem Amato Archiepiscopo prefati Episcopii res tenere, possidere, atque per hoc nostrum Preceptum predictas res ad utilitatem sue Ecclesie adquirire, omnium hominum contradictione remota. Si quis autem (quod absit) hujus nostre auctoritatis presumtuosus violator extiterit, sciat se compositurum auri purissimi Libras mille, medietatem Camere nostre, & medietatem ejusdem Episcopii regentibus. Quod ut verius credatur, diligenterque ab omnibus observetur manu propria roborantes hanc paginam nostro sigillo insigniri jussimus.*

*Signum Domni Henrici serenissimi Imperatoris Augusti.*

*Theodericus Cancellarius vice Eberardi Episcopi, & Archicancellarii .........*

*Data pridie Kalendas Junii, Anno Incarnationis Domini M. .......... Indictione V. Anno verò Domni Henrici II. regnantis ..... Imperii verò IX.*

*Actum Trojæ feliciter. Amen.*

Præter Principatus *Beneventanum*, *Salernitanum*, & *Capuanum*, à postremo hoc excisum, *Ducatus Neapolitanus* celebris olim fuit. Numquam Regibus Langobardis, aut Augustis Latinis, ac Principibus nuper laudatis contigit, ut præclarissimam illam à feris Sæculis Urbem, quamquam non semel pertentatam, suæ ditioni adderent. Eligebatur ibi à populo *Dux*. Is verò supremâ auctoritate fruebatur, nisi quod interdum, aut potius fere semper, tum Civitas, tum Duces uti supremum Dominum reverebantur Imperatorem Græcum. *Magistri* quoque *Militum* olim appellati Principes, quibus ejusdem Civitatis regimen committebatur. Qui titulus aut minorem, aut breviorem, quàm Ducis, auctoritatem nescio an indicare possit. Venetiis quoque Anno DCCXXXVII. uti Dandulus scribit in Chronico, interemto Urso Duce, quum in successoris electione discordes essent civium animi, *annualem Rectorem sibi præesse statuerunt, quem Magistrum Militum appellaverunt. Quæ quidem dignitas secundùm Græcorum usum Tribunatu major, super eos & cunctum Populum potestatem obtinet.* Quare *Ducum* perpetua, *Magistrorum* annua potestas fuisse videtur, nisi novis suffragiis ipsa identidem confirmaretur. Neapoli tamen non precaria, sed stabilis fuit *Magistri Militum* appellatio. Præterea iidem interdum *Tribuni Militum*, sæpius verò *Consules* appellati

lati occurrunt. De hisce *Ducibus* mentio est in Johannis Diaconi Histor. Episcop. Neapolitan. Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. itidemque in Chronico Casinensi, & in Vita Sancti Athanasii Neapolitani, atque in aliis veterum monumentis. Meminit & Bibliothecarius in Vita Gregorii II. *Neapolitanorum Ducum Exhilarati & Johannis*. Alii tibi occurrent apud Peregrinium in Histor. Princip. Langobard. Sed potissimùm vide in eadem Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 431. Diploma datum Anno DCCCCXLIV. à *Johanne Consule* & *Duce Neapolis*, ejusque filio *Marino Duce* Leoni Abbati Vulturnensi. Eximiam fuisse ejusmodi *Ducum* auctoritatem ex hoc monumento patet; atque aliunde constat, Ducatum illum non solam Neapolim, sed & alias Campaniæ Urbes in litore maris fuisse complexum. Et diu quidem illorum Ducum potentia perduravit, ita ut vel Sæculo Christi XI. Leo Ostiensis in Chronico Casinensi meminerit *Sergii Consulis & Ducis Neapolitani*. Ad hunc ipsum pertinet Charta, quam debeo diligentiæ ac amori Josephi Muschæ Sacerdotis Neapolitani, ex Archivo Monasterii antiquissimi Sanctorum Severini & Sossii depromtam.

## Donatio, sive confirmatio facultatis piscandi in Lacu Patriensi, facta Roccio Abbati Monasterii Neapolitani Sanctorum Severini & Sossii à Sergio IV. Consule & Duce Neapolitano, Anno 1011.

IN *nomine Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Imperante* Domino *nostro* Basilio *magno* Imperatore, Anno XXXVIII. *sed.* Constantini *magni* Imperatoris *fratre ejus*, *Anno XXXV. die XVII. Januarii*, *Indictione II. Neapoli*. *Nos* Sergius *in Dei nomine* Eminentissime Consul & Dux, *concessimus & firmamus vobis* Domno Roccio *venerabili* Abbati Monasterii Sanctorum Severini & Sossii, *ubi eorum venerabilia requiescunt corpora*, *& per vos in suprascripto sancto & venerabili vestro Monasterio*, *ut licentiam & potestatem habeatis vos & posteri vestri suprascripti venerabilis & sancti Monasterii*, *ponere & habere una paratura ad piscandum cum duas londras in medietate nostra parte militiæ de Lacu Patriensi*, *& omni quodcumque exinde habere & tollere potueritis*, *in vestra*, *posterisque vestris*, *sit potestate quidquid exinde facere volueritis*, *etiam licentiam & potestatem habeant vestris hominibus, quos ibidem direxeritis ad piscandum in ipsa medietate nostra partibus militiæ redditum facere & habere*, *& ligna & paleas exinde extraëre*, *quantas ad eis necessum fuerit*. *Et numquam presumimus nos*, *aut posteris nostris*, *nec nostris ordinatis*, *quod in eodem Lacu Patriensi posuerimus & ordinaverimus*, *nec alia quævis persona vobis*, *posterique vestri*, *nec ipsorum hominibus vestris exinde aliquod tollere*, *aut querere*, *nec contraire perennis*, *ac perpetuis temporibus*: *Et neque à nobis suprascripto Sergio Dei gratiâ Consul & Dux*, *neque à posteris nostris*, *qui post nos in nostro honore*, *locoque Duces accesserint*, *nullo tempore*, *numquam vos suprascripto Domno Roccio venerabili Abbati*, *aut posteris vestris*, *nec suprascriptus Sanctus Venerabilis Monasterius*, *quod absit*, *habeat exinde aliquam quacumque requisitionem aut molestiam per nullum modum*, *nec per summissam personam à nunc*, *& in perpetuis temporibus*. *Quam concessionem*, *sicut superius legitur à nobis facta*, *Petro Primario scribere precepimus*, *in qua & nos subpter pro ampliori ejus firmitate manus proprias subscripsimus*, *die & Indictione suprascripta*. *Et hoc recordando firmamus*, *ut hec omnia*, *& ex omnibus suprascriptis*, *que superius vobis concessimus & firmavimus*, *in vestra posterisque vestris*, *suprascriptoque Sancto Venerabili Monasterio sint potestate ad habendum in sempiternum*, *profugiandum perennis ac perpetuis temporibus*: *& nunquam presumetis vos*, *aut posteris vestris alicui*, *vel ubique illud dare*, *aut credere*, *nec extraneare per nullum modum*; *& si facere presumeritis* . . . . . . . *maneat*, *aut nullam habeat firmitatem in se*.

✠ *Sergius Consul & Dux subscripsi*. ✠

Pagius in Critic. Baron. auctor est, Anno Christi DCCCCLXXVI. Basilium & Constantinum Romani Junioris filios, eodem tempore Imperium iniisse apud Græcos. Verùm testem habemus Chartam istam, tantummodo post tres annos Constantinum renuntiatum fuisse Augustum. Anno quoque MLXV. dominabatur Neapoli *Sergius eminentissimus Consul & Dux*, *atque Domini gratiâ Magister Militum*, uti fidem facient tabulæ, quas ad me misit Cl. Vir Johannes Carminius Falco, nunc Episcopus Marturanensis, ex Neapolitanis pergamenis descriptas.

## Johannis II. Archiepiscopi, & Sergii V. Ducis Neapolitani Charta, per quam Ittæ Ursi Comitis filiæ, quædam Neapolitanæ Ecclesiæ bona concedunt, Anno 1065.

IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Imperante Domino nostro Duce Constantino magno Imperatore, Anno Quinto, die XXII. mensis Julii, Indictione III. Neapolis. Hecce jam preteritos septuaginta & unum annos expletos. Visus itaque fuit vone memorie Domnus Sergius Domini gratiam Archiepiscopus sancte Sedis Neapolis Ecclesie concedere & tradere per chartulas concessionis at quondam Petro & Gregorio uterinis germanis, filiis quondam Petri & quondam Maria honesta femina jugalium personarum, integra Clusuria de terra ipsius sancte Neapolitane Ecclesie, positum at Sanctum Sossium ad Area foris muris istius Civitatis Neapolis, de quantum ibi detinuit scripto genitori illorum, & quantum intus ipsa Clusuria abuit & pertinuit Aligerni famulo scripte sancte Neapolitane Ecclesie, una cum intersicas suas, quot est intus eadem Clusuria in una detinentia: utraque cum arboribus & introitum suum, & omnibus sibi pertinentibus. Quam vero scripta integra Clusuria de scripta terra diviserunt inter se scriptis germanis per merissis divisionis, hecce jam preteritos annos quadraginta unum. Unde per ipsa merisse tetigit à scripto quondam Gregorio portio ex ipsa Clusuria à parte Septentrionis justa icaba publica, qui pergit ad ipso loco Sanctum Sossium. Unde reliqua portio ex ipsa Clusuria à parte Meridie tetigit scripto Petro germano suo. Quam & ipsa portio scripti quondam Petri modo pertinet de scripta sancta Neapolitana Ecclesia, eo quot sine proprium heredes defunctus est. De qua benisti tu, videlicet Itta honesta femina, filia quondam Ursi Comitis una cum quidem Domna Maria religiosa Monaca & gubernatrix Monasterio beatissimorum Nicandri & Marciani atque Patricie, puellarum Dei, & cunctas ejus Congregationes Monacharum ipsius Monasterii. Et cepistis rogare & postulare nos, videlicet Johannes Domini gratiam Archiepiscopus scripte sancte Sedis Neapolis Ecclesie, & Sergius in Dei nomine eminentissimi Consuli & Duce, atque Domini gratiâ Magister Militum: ut pro Domini ammore, & pro mercedes & salbationes anime nostre, seu & pro bigore scripte sancte nostre Neapolitane Ecclesiæ tribueremus & daremus seu cederemus tibi scripta Itta honesta femina parenti nostra, filia scripti quondam Ursi Comitis parenti nostri, hemere da heredibus scripti quondam Gregorii, qui nominabatur Boffa, integra scripta portione scripti quondam Gregorii de scripta integra Clusuria de scripta terra cum omnibus sibi pertinentibus pro scripto Monasterio, pro infermorum, qui de ipsa Congregationes Monacharum infirmaberint: & tribueremus tibi exinde illum licerem & pertinentiam, quam exinde pertinet in scripta sancta nostra Neapolitana Ecclesia. Iterum daremus & concederemus tibi scripta Itta honesta femina parenti nostra & scripta Icaba, qui pergiebat ad Area nostra, qui modo est explanata justa eadem Clusuria à parte Septentrionis, una cum duos passos de latitudine de terra, quam ipsa sancta nostra Neapolitana Ecclesia abet intus ipsa portiones scripti quondam Gregorii de scripta Clusuria justa area Pictula Fabrita, qui pertinet de scripta sancta nostra Neapolitana Ecclesia.

Et quia acquiebimus ipsum rogatum vestrum, & hecce in presentis concedimus tibi scripta Itta honesta femina parenti nostra, scripta Icaba, qui modo est explanata & pastenata, cum scriptos duos passus de scripta terra, qualiter superius legitur, una cum omnem licerem & pertinentia, quam ipsa sancta nostra Neapolitana Ecclesia abes in scripta portione scripti quondam Gregorii Boffa, qui eam tetigit de scripta Clusuria de scripta terra. Etiam & nos tribuibimus tibi, ut licentiam & potestatem abeas tu hemere scripta integra portione scripti quondam Gregorii Boffa de scripta integra Clusuria de scripta terra cum omnibus sibi pertinentibus, da scriptis heredibus suis, ad habendum illut ipse Monasterio una cum omnia, quem vobis superius concessimus in sempiternum pro utilitatem infermorum, qui de ipsa Congregationes Monacharum infermaberint. Iterum concedimus & damus tibi licerem & licentiam, abeant omni tempore homnibus, qui laborant ipsa terra, quam tu comparaberis pro ipso Monasterio, & ipsum, quem vobis concessimus, ut supra legitur, adunare omnem laborem ex ipsas nominatibas terras, & excuniare in scripta area Pictula Fabrita pertinente scripte sancte nostre Neapolitane Ecclesie in sempiternum. Et neque à nobis jam dictus Sergius in Dei nomine eminentissimus Consul & Dux, atque Domini gratiam Magister Militum, neque à posteris nostris, qui post nos in nostros honores accesserint, nec ab ipsa sancta nostra Neapolitana Ecclesia, nec à nobis personas summissas, nullo tempore nunquam tu scripta Itta honesta femina parenti nostra, aut scripto Monasterio, quot absit, abeatis quacunque requisitione de scripta terra, que comparaberis da ipsis heredibus scripti quondam Gregorii Boffa, cum omnibus sibi pertinentibus, ut supra legitur: nec de ipsum alium, ut superius legitur, aut molestia per nullum modum, nullamque adimbenta ratione à nunc & in perpetuis temporibus, quia ita nobis bone voluntatis complacuit. Si quis autem potenx vel impotenx homo Secularis aut Sacerdotales hordine indutus contra hanc Chartulam benire presumseris, & ea in quacunque parte ebacuare quesierint per se aut per summissas personas, sub abathematis vinculis sint obligatus: beniat eis maledictione, que continet in centesimo hoctabo Psalmos: fiat eis sicut Dathan & Abiron, quos vivos obsorbuit terra: & sicut Acetofel Consiliario Davit: & sicut Anania & Safigra, qui mentientes ante pedes Apostolorum exspiraberunt: seu & cum omnibus hereticis & excimaticis tenebrosa partem possideat cum Anna & Cavfas & cum Juda traditores Domini nostri Jesu Christi. Insuper componat pars ipsius infidelis à partem fidem serbantis, & à scripto Monasterio auri Libras sex Visanteos. Et hec chartula, qualiter superius legitur, sit firma impertetuum.

Scripta vero per manus Johannis Curialis & Scriniarii, qui ista firmissima Chartula pro nostra juxione & absolutione scripsit die & Indictione scripta Tertia.

✠ Johannes Archiepiscopus subscrit.

✠ *Sergius Consul & Dux subscripsi.*

✠ *Petrus indignus Sacerdos & Primicerius sancte Neapolitane Ecclesie subscripsi.*

✠ *Einrichus Archipresbiter & Cymiliarca sancte Neapolitane Ecclesie subscripsi.*

✠ *Stephanus Presbiter & Capitularis sancte Neapolitane Ecclesie subscripsi.*

✠ *Adelgisus Archidiaconus sancte Neapolitane Ecclesie subscripsi.*

✠ *Sergius Diaconus sancte Neapolitane Ecclesie subscripsi.*

✠ *Petrus Diaconus sancte Neapolitane Ecclesie subscripsi.*

✠ *Stephanus Subdiaconus sancte Sedis Neapolitane Ecclesie subscripsi.*

✠ *Johannes Subdiaconus sancte Neapolitane Ecclesie subscripsi.*

✠ *Sergius Subdiaconus sancte Neapolitane Ecclesie subscripsi.*

✠ *Ego Johannes filius Domni Leoni testi subscripsi.*

✠ *Ego Johannes filius Domni Ursi testi subscripsi.*

✠ *Ego Johannes filius Domni Johannis testi subscripsi.*

✠ *Ego Johannes Curialis & Scriniarius complevi & absolvi per scripta Tertia Indictione.*

Vides heic numeratos Annos Imperii Constantini Ducæ Imperatoris Græci. Hinc inferre potes, Neapoli viguisse adhuc ejusdem Augusti jura; cujus *Annus Quinctus* si revera, ut habet Charta, decurrebat Anno Christi MLXV. anciparit Pagius non satis congrue annos illius Imperii. Sergius etiam Quartus istius Avus Neapolitanis præfuit, Monasticam demum vitam amplexus. Uti veri mihi videtur simile, *Marinus Comes Cumanus*, ad quem subsequens Charta spectat, signata annis Constantini Monomachi Imperatoris, illius filius fuit.

## Marinus Comes Cumanus, Sergii IV. Consulis & Ducis Neapolitani filius, aliquot jura donat & confirmat Laurentio Hegumeno Monasterii Sanctorum Sergii & Bacchi, Anno 1044.

IN nomine Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Imperante Domino nostro Constantino magno Imperatore, Anno secundo, die XXVII. mensis Martii, Indictione XII.* Certum est, nos Marinus Comes, filius quondam vone recordationis Domini Sergii, in Dei nomine eminentissimus Consul & Dux, & postmodum vero Monachi, *à presenti die promtissima voluntate promitto vobis* Domno Laurentio venerabilis Ygumenus Monasterii Sanctorum Sergii & Vachi, *qui nunc congregatus est in Monasterio Sanctorum Theodori & Sebastiani, qui adpellatur Casa Picta, situm in Viridarium, & cuncta sancta & veneranda vestra Congregationem Monachorum scripti sancti & venerandi vestri Monasterii; eo quod ego quesivit scripto vestro Monasterio, ut omni annue dare solitus est per consuetudinem in ipsum Comitatum meum de Castro Cummano, quas ego tenere videor, una Tractoria de vinum mundum, tractum usque intus ipso Castro nostro Cummano pro illa obedientia vestra, que habetis in loco, qui vocatur Quarto Majore. Et pars autem vestra dicevat, ut non exet ita. Et post hec autem placuit mihi, quo pro Domini amore, & redemtionis anime mee, ut ego vobiscum exinde nullam intentionem habere; sed facere vobis ego exinde chartula offertionis, ut hic & aput eternum Dominum requiem invenire valeam. Deinde & ego per anc chartula à die presenti offero & trado vobis & per vos in eodem sancto & venerando vestro Monasterio, ipsa Tractoria de vinum, ut supra legitur. Et nec ego nec posteris meis, qui ipsum Castellum Cummanum tenuerint, nec nostris ordinatis querere illam non debeamus, nec querere faciamus vobis, posterisque vestris, aut in scripto vestro Monasterio, nec in scipta obedientia vestra per qualecumque modum, nec per summissas personas, nec per ullam adinventam rationem, aut per nullum umanum studium vel arvitrium, à nunc & in perpetuis temporibus. Sed ut superius diximus à die presentis & usque in sempiternum sit à nobis vobis & per vos in eodem vestro Monasterio, ejusque vestre Congregationis presentibus & futuris offerta & tradita in sempiternum. Et neque à nobis scripto* Marino Inclito Comite *scripti Castri Cummani, neque à posteris nostris, qui ipsum Castellum tenueris, nullo tempore nunquam vos aut posteris vestris, vel scripto vestro Monasterio, ejusque sancte vestre Congregationis scripti vestri Monasterii presentibus & futuris, quod absit, abeatis exinde aliquando quacunque requisitionem aut molestia per nullum modum, nec per summissas personas à nunc & in perpetuis temporibus. Insuper promitto & atfirmo vobis, ut si quavis personas vos, aut posteris vestris, aut scripto vestro Monasterio, vel ipsa vestra obedientia exinde quesierit, per nos aut pro nostris heredibus seu posteris, qui ipsum Comitatum & ipsum Castellum Cummanum tenuerit, vobis posterisque vestris & in scripto Monasterio vestro nos & posteris nostris eos einde desuper tollere, & tacitos facere debeamus absque omni vestra damnietate; nullam exinde dantes aut qualivet mittentes occansionem; quia ita nobis in omnibus vone voluntatis complacuit. Si quis autem ex nobis vel de posteris nostris, aut de nostris ordinatibus, ut supra legitur, vel alias quavis personas potens vel inpotens, quobis tempore contra anc chartula oblationis venire presumserit per se aut per summissas personas, vel eam vacuam aut irrita facere voluerit per quobis modum, tunc ille sit innodatus sub vinculo anathematis trecentorum decem & octo Patrum; abeatque partem cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, ut in diem Judicii ante communem Judicem sit damnandus. Insuper componat in scripto Monasterio auri Libras duas Bysanteas. Et ec chartula offertionis, ut supra legitur, sit firma.*

*Scripta per manus Sergii Scriniarii pro scripta Duodecima Indictione.*

✠ *Hoc signum manus scripto Marino Comite, quod ego pro eum subscripsi.*

✠ *Ego Marinus filius Domni Aligerni testi subscripsi.*

✠ *Ego Sergius filius Domni Gregorii testi subscripsi.*

✠ Ego

✠ *Ego Johannes filius Domni Sergii testi subscripsi.*

✠ *Ego Sergius Scriniarius complevi & absolvi pro scripta XII. Indictione.*

Iis etiam Sæculis multum sibi nominis peperit *Amalfitana Civitas*, cujus Populus navigationi & mercaturæ in primis addictus, formâ Reipublicæ assumtâ, Præsidem sibi eligere consuevit, cui titulus *Consulis*, *Comitis*, ac demum *Ducis* fuit. De origine & Præfectis Populi illius vide quæ habeat Anonymus Salernitanus in Paralipomen. Histor. à me editis Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum. Verùm heic juvat Urbem, cui olim ingens nominis gloria accessit, aliquantulum illustrare, edendo videlicet fragmentum non contemnendum Amalphitanæ Historiæ. Acceptum refero illius donum P. D. Eustachio Caracciolo Clerico Regulari Neapolitano ex præclarissima gente Principum Torellæ genito, quem ob eximias animi ac ingenii dotes, & singularem erga me humanitatem, libentissime semper commemoro. Ille verò è Collectaneis MStis Johannis Baptistæ Bolviti adservatis Neapoli apud Clericos Regulares in insigni Cœnobio Sanctorum Apostolorum, idem fragmentum describendum mihi curavit. Nempe Bolvitus, nobilis vir, cujus Familia in album Nobilium Neapolitanorum inlata est, quidquid ad Historiam inclytæ ac Regiæ Urbis Neapolitanæ pertinens reperire potuit, in sex volumina coëgit: cui studio immortuus est Anno 1593. Annos quinquaginta duos natus. Testatur autem non uno in loco Bolvitus, ex Amalfitano Chronico hæc tantum fragmenta sibi fuisse conspecta, quum tamen Marino Frecciæ Jurisconsulto celebri Neapolitano integrum ad manus fuisse videatur literis Langobardicis in pergamena exaratum; namque ab eo memoratur illud Chronicon in Libris *de Subfeudis*, ac præcipue ubi disserit *de Officio Admirati Maris*, *& de Provinciis & Civitatibus Regni*. Et profectò quæ supersunt, fragmenta esse dumtaxat, nemo non agnoscat. Quare nil mirum, si heic desiderantur nonnulli ex Amalphitanis Ducibus, quos idem Bolvitus Amalphitanæ Civitati olim dominatos arbitratur, uti & nonnulli ex ejus Urbis Archiepiscopis. Exempli caussâ auctor idem est, Anno MXCVI. Amalphis Ducem constitutum fuisse *Marinum* cognomento *Sebastos*: quippe in antiquo Codice Monasterii Cavensis, complectente Libros Bedæ de Temporibus, hæc adnotatio in margine legitur: *Anno Domini MXCVI. Rogerius Comes Siciliæ cum valido exercitu Christianorum & Saracenorum venit in Campaniam, & obsedit Nuceriam XI. Kalendas Junii in Vigilia Pentecostes, & eam debellavit. Et inde profectus Amalphiam obsedit eam cum Rogerio Duce Apuliæ & Calabriæ, & terra marique pugnavit. Mox Amalphitani Marinum Sebastos Ducem sibi constituunt, & Comitem & Ducem repulerunt: qui reversi sunt sine effectu, sicut venerant.* Obsidionis Amalphitanæ ad eum Annum meminerunt etiam Lupus Protospata, & Gaufridus Malaterra Lib. IV. Cap. 24. Sed neuter mentionem facit de *Marino* isto Duce. Equidem doleo, excidisse tantam partem Amalphitani Chronici; sed quando pauca hæc è naufragio evasere, eorum saltem vitæ in posterum caveamus. Et quamvis fabulam sapere videatur Amalphitani Populi origo heic tradita: attamen memineris, longe antea, ut supra monui, ab Anonymo Salernitano non aliam fuisse memoriæ proditam. Fortasse Scriptor hic, uti & Salernitanus, ab antiquioribus Amalphitanorum Historiis ista accepere; aut saltem à Salernitano, qui floruit circiter Annum Christi DCCCCLXXX. Amalphitanus noster hæc delibavit.

# CHRONICI
# AMALPHITANI
## NUMQUAM ANTEA EDITI
# FRAGMENTA

Ab Anno Chr. CCCXXXIX. usque ad Annum MCCXCIV.

# CHRONICI AMALPHITANI FRAGMENTA.

## CAP. I.

*Tempore, quo magnus Imperator Constantinus Civitatem Constantinopolim reædificavit cœlesti visione, invitare cœpit universas gentes Romanorum ad novam Romam, hoc est Constantinopolim, quæ antiquitus Byzantium vocabatur. Quumque multitudo Procerum Romanæ gentis properaret ire in Constantinopolim cum omnibus suis rebus & familiis, ascenderunt naves, relinquentes propria, quum ad nova ædificia properarent, quæ ipsis Imperator Constantinus fertur promisisse. Hic autem Imperator obiit in partibus Persiæ Anno Dominicæ Incarnationis CCCXXXIX. Venientes itaque ad partes Sclavoniæ, irruit in eos tempestas valida, & huc illuc navibus dispersis, duæ solummodo naves ex eis naufragio periere. Quarum homines cum uxoribus & familiis suis nudi & vacui evaserunt, & salvi facti sunt in loco, qui Ragusia appellatur. Ad quem statim quum pervenissent, rogaverunt habitatores loci illius dicentes:* Nos enim Romani Patricii sumus, & valde sæva tempestas huc naufragos nos jactavit. Rogamus ergo vos humiliter: concedite nobis aliquod hujus Terræ spatium, in quo vobiscum habitare possimus. *Quibus habitatores loci respondentes dixerunt placabiliter:* Parati sumus vos recipere. Ista enim provincia quamvis non sit ampla & delectabilis, sicut nobis esset opportuna, sufficiat tamen vobis & nobis. Insuper solatia, & expensa uxoribus & familiis vestris dabuntur sufficienter. *Qui hoc audito sumserunt viros habitantes cum eis multis temporibus. Igitur Ragusii Romanis invidentes, obliti promissionibus, & delectationibus antiquis, cœperunt eos opprimere & odio habere. Romani autem hoc perpendentes, cogitaverunt dimittere Ragusiam per mare, & alias invenire regiones. Qui caute ablatis navibus Ragusianorum, ascenderunt in eas ipsi cum omnibus familiis ac rebus eorum. Et navigantes ad partes Italiæ applicuerunt ad locum, qui dicitur Melphium. Ubi dimisso nomine Romanæ gentis, quo prius nuncupabantur, jam non Romani, sed Melphitani appellati fuerunt. Ad quem locum quum pervenissent, ignorantes, quo tenderent, manserunt ibi longo tempore. Italia verò quum opprimeretur diversarum gentium potestatibus, locusque Melphii esset parvus & vilis, dicti Melphitani metuentes, ne subjugarentur dominationi prædictarum potestatum, deserentes Melphium, pervenerunt usque Ebulum, quod est in partibus Salernitanæ Civitatis. Ubi per aliquod tempus permanserunt. Quidam autem huc illuc discurrentes & explorantes, pervenerunt usque ad montana, ubi nunc Scala dicitur. Videntesque incolæ loci illius homines ignotos, sed formâ corporis honestos, & honestiores eloquio, ad invicem admirati sunt multum, dicentes eis:* Rogamus vos ergo diligenter, ut aliquantis diebus nobiscum heic maneatis. *Quod est factum. Sed quia locus Ebuli non videbatur eis securus & tutus ad habitandum, propter diversitatem gentium & dominorum, qui ibi morabantur & dominabantur, habebant propter ea solicitudinem, visu pariter & auditu, de inveniendo aliquem tutum & securum locum, atque à natura munitum. Propterea iidem Melphitani, qui Scalam usque pervenerant, de loci situ perscrutabiliter inquirentes, descenderunt ad Vallem, quæ ex parte Occidentis subjacet monti, qui nunc Scala vocatur, perlustrantes usque ad plagam litoris. Cujus loci situs eis valde placuit propter ejus securitatem, & copiam duorum fluminum, quibus Scala circumvallatur. Et cum gaudio apud Ebulum remeaverunt ad suos, renuntiantes eis omnia, quæ viderant, & invenerant. Quibus quia facile non crediderunt, ut possent effici certiores, miserunt quosdam prudentiores ex eis. Quibus euntibus, & omnia circumspicientibus esse, sicut fuerat eis in veritate relatum, ad suos cum gaudio redeuntes dixerunt:* O Romani, invenimus loca munitissima contra omnes adversarios, cum copiosis aquarum fluminibus. *Quorum assertioni credentes, statim præparato & disposito itinere cum uxoribus suis, & aliis rebus & familiis eorum pervenerunt usque Scalam, habitantes ibi.*

## CAP. II.

*Denique post longa tempora descenderunt de Scala ad Vallem illam usque ad litus maris, quod ibi subjacet ex parte Occidentis. Et in eo loco ipsi Melphitani cœperunt ædificare Urbem ad exemplum aliarum Civitatum, appellantes eam Amalphiam. Et habitaverunt in ea pacifice usque ad tempus Sicardi Principis Beneventi & Salerni. Nondum enim Principatus Salerni divisus erat à Principatu & dominatione Principatus Beneventi.*

## CAP. III.

*Quum prædictus Princeps evidenter intellexisset, quod gens Amalphitanorum cresceret prudentiâ & virtute, ut Langobardorum & Neapolitanorum genus pro modico reputarent, seduxit majorem partem Amalphitanorum muneribus & promissionibus; inducens eos ad destructionem propriæ patriæ & Civitatis. Cujus muneribus magnisque donis & amplis beneficiis jam illi corrupti, dicere cœperunt suis consanguineis occulte, & per epistolas consulere & suadere, quatenus propriam patriam & terram relinquerent, & ad loca uberiora & potentissima, Principis munificentiâ convolarent. Ad hæc illi tale dabant responsum per nuntios & per literas:* Dona multa & ampla Principis Domini vestri, & loca deliciosa vobis sint. Nobis autem sufficit hæc montuosa terra.

## CAP. IV.

*Interea Princeps prædictus considerans Amalphitanorum Populum immobilem & intrepidum permanere, quadam nocte iidem Amalphitani, qui erant cum Principe & cum Langobardis non parvis, occulte noctis tempore per secreta & improvisa loca intraverunt Civitatem Amalphiæ, parvo murorum aditu imminente; eamque capientes, duxerunt omnes Amalphitanos secum in Civitatem Salerni, quos Princeps collatione beneficiorum placavit sibi, & in quibus debuit & potuit, honesto modo honoravit.*

CAP. V.

*Hujus tempore, Corpus Beati Bartholomæi Apostoli de Lipari in Beneventum translatum est Anno Incarnationis Domini videlicet DCCCXL.*

CAP. VI.

*Hujus etiam temporibus Beatissimæ Triphomenæ Virginis & Martyris, de Regione minori in Amalphiam translatum est Corpus, & infra breve tempus de Amalphia in Beneventum translatum est.*

CAP. VII.

*Tempore autem non longe elapso Sicardus Princeps occisus est à suis, quum regnasset annis septem. De cujus morte Amalphitanorum Populus grandi dolore permotus est. Et de Salernitanis, qui eos offenderant, desiderantes sumere ultionem, habito occulto consilio, irruerunt in homines Salernitanæ Civitatis, deprædantes eos, & partem hujusmodi Civitatis igni succenderunt. Quibus peractis statim cum honore Amalphiam reversi sunt. Sequenti verò Anno, hoc est, ab Incarnatione Domini DCCCXLIV. Principatus Beneventi & Salerni divisus est in duos. Nam Radelchis tenuit Principatum Beneventi, & Siconulphus tenuit Principatum Salerni.*

CAP. VIII.

*Anno itaque regressionis Amalphitanorum de Salerno in Amalphitanam Rempublicam Anno Domini DCCCXL. Kalendis Septembris, Tertiæ Indictionis, Anno verò I. Principis Radelchisis, Amalphitani elegerunt sibi primum Præfectum nomine Petrum. Sequenti verò Anno alio proximo elegerunt sibi Sergium Præfectum filium Constantii Comitis. Deinde Maurum Præfectum. Post hæc elegerunt duos per annum. Post istos incœpit esse super eos Johannes cum Urso Comite Præfectus. Et post eos Muschus Comes cum Sergio Comite. Iterum Leo Comes cum Tauro Comite. Post hos Lupinus Comes cum . . . . . Comite. Sequitur Ursus Comes cum Sergio Comite, qui dictus est de Marino. Deinde Sergius filius Gregorii Magister Militum.*

CAP. IX.

*Denique post multas Amalphitanorum gentes, juraverunt omnes Amalphitani & Atranenses Domino Marino filio Domini Luciani filii Domini Pulchari Præfecti, & fecerunt sibi illum plenissimum & Seniorem Præfectum. Et regnavit una cum Domino Sergio filio suo annis XIV. Quem Populus Amalphitanorum cum deposuisset, cæcavit eum, & misit Neapolim. Post hunc factus est Dominus Maurus Mauri filius Cumarii Musci, & Dominus Sergius filius Domini Petri Comitis, filii Mauri Vicarii Antiocheni. Qui regnavit annis V. Quorum unus, scilicet Dominus Sergius, jactavit eum de honore suo, mittens illum apud Salernum. Et prædictus Dominus Maurus rexit Amalphitanos annis IV. & Amalphitani deposuerunt eum. Postquam factus est Senior Dominus Urso filius Marini Comitis de Pantaleone Comite filio Cumarii Musci, & regnavit mensibus sex, deposuerunt eum. Post hunc factus est Dominus Urso Galastaricus filius Domini Johannis filii Solni Romani Vitalis. Et regnavit mensibus sex. Et deposuerunt eum. Iterum autem reversus est Dominus Marinus Dux, qui vixit cæcus, & regnavit una cum Domino Pulcharo filio annis VII. & deposuerunt eumdem. Post hunc remansit idem Dominus Pulcharus filius ejus, qui regnavit annis VII. & mortuus est. Deinde factus est Senior Sergius filius Sergii de Deodatu, una cum Petro Episcopo filio Ursi, filii quondam Petri, filii Pancali. Et regnantibus ambobus simul anno uno removerunt Petrum Episcopum. Post ipsum regnavit Dominus Sergius solus annis V. Post hunc factus est Dominus Manso ejus nepos, filius Lupini, filii Turcii, filii Mauri, Vicarii de Antiochia, & regnavit diebus XVIII. & deposuerunt eum. Postea Marinus filius Leonis, filii Marini, & regnavit annis VI. & captus est à Surrentinis pugnando in mari cum eis cum navibus*

CAP. X.

*Post hæc omnia Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXIII. Dominus Manso Fusilis, filius Domini Leonis filii Domini Ursi, factus est magnus Dux Amalphitanorum. Qui regnavit annis XVI. & factus est Monachus in Monasterio Sancti Benedicti de Monte, & ibi fecit Ecclesiam.*

CAP. XI.

*Deinde in Anno Domini DCCCCXXVIII. Dominus Mastarus filius Domini Mansonis prædicti, excellentissimus Imperialis Patricius, factus est Dux Amalphitanorum, & regnavit annis XL.*

CAP. XII.

*Post hunc Anno Domini DCCCCLXVIII. factus est Senior Dominus Mastarus minor filius prædicti Domini Mastari gloriosi Ducis, filii quondam Domini Masonis Ducis. Qui regnavit in Ducatu Amalphitanorum cum Domina Androsa matre sua annis quatuor. Et occisus est.*

CAP. XIII.

*Jam verò Anno Domini DCCCCLXXII. factus est sine aliquo scandalo Dux & Patricius Dominus Sergius filius Domini . . . . . . Comitis, filii Domini Sergii de Musco Comite, & Imperialis Patricius. Sed qui fecit occidere Mastarum in monte. Regnavit autem annos septem & menses sex, & mortuus est*

CAP. XIV.

*Anno verò Domini DCCCCLXXIX. Dominus Manso Imperialis Patricius, & Antipatus, filius prædicti Domini Sergii factus est gloriosus & perfectissimus Dux, & regnavit annos circiter quatuor. Quem Dominus Oferius frater ejus degradavit, & cepit cum omnibus filiis ejus, & factus est ipse Senior Anno Domini DCCCCLXXXII. Hic regnavit anno uno & mensibus novem, & mortuus est. Eo verò anno finiente, Dominus Manso, qui degradatus fuerat, recuperavit dominium, & regnavit aliis annis sexdecim, & mortuus est.*

CAP. XV.

*Anno verò Domini Millesimo Dominus Johannes Petrella filius supradicti Domini Mansonis Ducis factus est Dux & Patricius. Et regnavit annos tres, & mortuus est.*

CAP. XVI.

*Anno verò MIV. Dominus Sergius filius prædicti Domini Johannis factus est Senior. Et regnavit cum Domino Johanne filio suo annis tredecim. Hunc Dominum Sergium Ducem & Patritium Amalphitanorum Populus jactavit & deposuit de Civitate. Et quia recessit in Romagnam cum eodem Johanne filio suo amplius non regnavit.*

CAP. XVII.

*Quem Dominum Johannem iterum elegerunt sibi Ducem & Seniorem Anno Domini MXIX. mense Januarii, X. Indictione. Et regnavit annis XIII. Et hic fecit Seniorem secum Dominum Sergium filium suum, qui regnavit similiter aliis annis III. & fugierunt Neapolim*

CAP.

CAP. XVIII.

*Deinde verò Anno Domini MXXXV. factus est Senior Dominus Manso filius supradicti Domini Sergii patris etiam supradicti Domini Johannis cum Domina Maria genitrice sua. Et regnavit annis IV. & mensibus III. Quo regnante prædictus Dominus Johannes frater ipsius rediit de Neapoli, & recuperato dominio cepit prædictum Dominum Mansonem ejus fratrem, & duxit eum apud Insulam Galli, & cœcavit eum, & subsequenti anno recessit, & ivit in Constantinopolim.*

CAP. XIX.

*Post hæc autem Anno Domini MXXXIX. Dominus Guaimarius Princeps Salerni factus est Dux Amalphiæ de mense Aprilis, Indictione VII. Et regnavit annis V. & mensibus VI., quibus completis, Dominus Manso jam cœcatus recuperavit Terram, & regnavit aliis annis IX. circa.*

CAP. XX.

*Anno Dominicæ Incarnationis MLII. Dominus Guaimarius Princeps Salerni interfectus est Anno principatus sui XXIII. Cui successit Gisulfus filius ejus.*

CAP. XXI.

*Anno Domini MLIII. mense Aprilis, Indictione VI. homines Amalphiæ & Atrani rebellaverunt expellentes prædictum Dominum Mansonem Ducem & Patritium. Subsequenti autem mense Octobris VI. Indictione, supradictus Dominus Johannes Patritius rediit de Constantinopoli, & recuperavit dominium, & regnavit annis XVI. & mortuus est.*

CAP. XXII.

*Huic successit Anno Domini MLXIX. Dominus Sergius ejus filius, & regnavit annis V. in pace. Jam verò post ejus obitum successit ei Dominus Johannes ejus filius: Qui antequam incœperat regnare, vix ad modicum temporis intervallum, de mense Novembris XII. Indictione perdidit Terram & dominium Anno Domini MLXXIV. quod ei abstulit illustris Dux Robertus Guiscardus de gente Normannorum nobiliter oriundus. Regnavit autem in Ducatu Amalphiæ annis VIII. & mensibus VIII. Et obiit Anno Domini MLXXXII. decimoseptimo Calendas Augusti, IX. Indictione.*

CAP. XXIII.

*Heic admonet locus, ut aliquid ex gentibus Ducis Roberti Guiscardi, & prosapia generis sui interponatur; nec non quando Normanni primum in Apuliam venerunt. Anno verò Dominicæ Incarnationis DCCCCXCIX. quidam nomine Melh Catipanus primitùs in Apuliam conduxit Normannos, quos secum habens, bellum cum Græcis in Apulia apud Basantellum commisit. Et non multum post temporis intervallum, ipse Melh Catipanus Civitatem Asculanam cepit, & multas alias Civitates & Castra, non desistens pugnare. Anno autem Dominicæ Incarnationis MXI. fames valida Italiam invasit. Quo etiam tempore idem Melh Catipanus cum Normannis Apuliam expugnavit. Sequenti verò Anno Basilius & Constantinus fratres Catipanum suum nomine Bubagnanum magnâ cum thesauri pecuniâ duxerunt in Apuliam, ut circuens regiones sibi vindicaret, ac Imperiali dominationi subjugaret. Qui veniens omnia cœpit tranquille agere, atque strenue ordinare. Hic in Apuliæ finibus Anno Domini MXIII. reædificavit Civitatem diu dirutam muris parvis, quæ nunc dicitur Troja, & antiquitus Civitas Aeclana vocabatur. Ipse autem nominatus Catipanus in finibus Samnii & Apuliæ reædificavit atque constituit Urbes, & Oppida. Ipsaque Regio usque hodie Capitinata ex suo nomine nuncupatur.*

CAP. XXIV.

*Anno Dominicæ Incarnationis MXXXIX. Indictione VII. mense Julii, Normanni jam ingressi in Apuliam, ter, uno die cum Græcis gravi bello dimicaverunt juxta Aufidum. Et Normanni victores exstiterunt. In ipso quidem prœlio fuit Drogo Normannorum Comes, & quatuor ex fratribus ejus.*

CAP. XXV.

*Anno Dominicæ Incarnationis ML. Indictione III. Drogo Normannorum Comes defunctus est. Cui Humfridus frater ejus Normannorum Comes successit, tenuitque potestatem ejus honoris per annos VII.*

CAP. XXVI.

*Leo autem Papa multis precibus ab Henrico Imperatore filio Conradi Imperatoris motus, per quorumdam Samnitum suggestionem, Anno Dominicæ Incarnationis MLIII. mense Julii, Indictione VI. venit Beneventum, ut Normannos de Apulia expelleret. Qui movens inde gressum, similiter cum Alemannis, quos Imperator secum portaverat, apud . . . . . Civitatem, & in finibus Salerni & Apuliæ cum Normannis acriter pugnavit. Commisso itaque bello, Normanni totum Alemannorum exercitum in ore gladii miserunt. In ipso quidem belli apparatu defecerunt Alemanni, & ii, quorum suggestione in ipsorum auxilium venerant. Leo autem Papa minime per quod venerat perficere valens, reversus est Romam, unde cum armatorum manu in bellum processerat, quamque . . . . . . . Sanctus fuisset. Hoc autem egit, quod non ejus id erat officium; neque hoc illi permissum fuerat à Domino, qui pati venerat, suosque ut ab aliis magis paterentur, quam ut alios persequerentur, præmonuerat. Exercitus sui multitudo copiosa cæsa est, ipso perspiciente. Non enim Dominus Discipulis suis, & Successoribus suis præceperat, ut seculares, veluti Principes sequuti materiales gradus, in Populum corruerent, sed verbo & dicto monerent pie, & conversationis exemplo instruerent.*

CAP. XXVII.

*Humfridus Comes Normannorum suum diem clausit extremum Anno Domini MLVII. relinquens sibi successorem filium suum strenuum Militem, nomine Bayelardum. Sed Robertus, qui nominatur Guiscardus, ipsius Humfridi Comitis frater, natus ex communi patre Tancredo Normannorum Comite, honorem illum sibi arripuit, prædictum Bayelardum nepotem suum expellens.*

CAP. XXVIII.

*Tancredus autem fuit timoris Dei non immemor. Qui duodecim filios habuit, quorum primus fuit Sarnus, qui Miles insignis exstitit; secundus autem Comes Goffridus, pater Roberti Comitis de Lavello; tertius verò Drogo Comes, de quo superiùs est scriptum; quartus autem Huctinus, & ipse Comes, qui propter fortitudinis suæ prudentiam grandia faciens, pro nomine appellatus fuit; erat enim astutissimus & ferox, fortisque viribus; quintus exstitit Comes Humfridus; sextus Malogerius Comes quoque probus atque formosus; septimus itaque fuit Robertus Guiscardus. Hic autem per animi astutiam, ingeniique prudentiam primus ex Normannorum genere, Apuliæ Ducatum, honoremque adeptus est, quinimmo non multo post sibi*

*sibi subegit Calabriam, & Lucaniam, atque Siciliam: militum namque disciplinam gloriosissime auxit. Octavus autem fuit Albertus armis strenuus; nonus Tancredus; decimus Humbinus Comes de Sancto Nicandro, paterque Roberti Comitis de Principatu: fuitque ipse Humbinns acer ingenio, constans animo, senisque naturâ. Undecimus Frumentinus; duodecimus Rogerius Siciliæ Comes, qui Miles insignis exstitit, justitiæ tenax, suis, suorumque opibus succedens, Ecclesiam Dei atque Sacerdotum consolans. Habuit etiam prædictus Tancredus filias tres.*

CAP. XXIX.

*Ricardus de gente Normannorum cum Jordano ejus filio factus est Princeps Capuæ Anno Domini MLVIII. Indictione XI. Contra quem misit Imperator Gotfridum Marchionem, ut expelleret Ricardum & Jordanum. Sed non potuit ille Marchio intrare Terram Laboris. Commissum est enim pluries bellum inter Ricardum Principem supradictum & Marchionem Gotfridum apud Aquinum. Et quia iste minime prævaluit, propterea Ricardus fugavit Gotfridum. Et tunc dictus Princeps fecit Jordanum filium suum Comitem Aversæ. Qui genuit filios Ricardum, Robertum, & Jonatham. Jonathas autem obiit sine liberis, & habuit in uxorem sororem Rogerii Comitis Siciliæ.*

CAP. XXX.

*Comes Robertus Guiscardus Anno Domini MLX. vocatus à Trojanis civibus, ipsorum Civitatem in suam potestatem suscepit. Qui non post multos dies cum suo exercitu in Calabria Cusentiam cepit, ac omnium Normannorum Dux factus est. Et accepit uxorem Sicligaydam Guaimarii Principis Salerni filiam, ex qua habuit filios Rogerium, Robertum, & Guidonem, & filias quinque. Ex altera prima verò uxore, nomine Alberada, prius habuit filium nomine Boëmundum. Sed idem Dux Nicolaum Papam regnare fecit, & fidem Romanæ Ecclesiæ servavit. Et statim more solito eumdem Papa cum Apostolica potestate canonice investivit per Vexillum cum totis ejus Terris.*

CAP. XXXI.

*Ipse autem Nicolaus naturali est vita functus Anno Domini MLXII. Cui successit Alexander Papa. Quo Anno Princeps Ricardus Capuam cepit, eamque ordinavit. His autem diebus Robertus ad Alexandrum Papam proficiscens devenit, sicut fecit ad Nicolaum Papam.*

CAP. XXXII.

*Robertus Dux cepit Civitatem Vestis Anno Dominicæ Incarnationis MLXVII. apprehenditque Catypanum nomine Bennatum. Hoc etiam tempore Dux prædictus Barum obsedit Apuliæ Civitatem, & triennnio eam incessanter terrâ marique fatigavit.*

CAP. XXXIII.

*Anno verò Domini MLXX. Indictione VIII. Robertus Dux Civitatem Barensem longa obsidione fatigatam cepit. Et inde movens exercitum in Siciliam ire præparavit. Obseditque Panormum, ditissimam Siciliæ Civitatem, & viriliter eam expugnavit, cepitque Anno Dominicæ Incarnationis MLXXIII. Et exinde portas ferreas & columnas marmoreas quamplures cum capitibus efferri fecit Trojam in signum victoriæ suæ. Anno subsequenti ordinatis ibi municipiis, ipse Dux Tranum in Apulia Civitatem cepit.*

CAP. XXXIV.

*Alexandro Papa vitâ functo, eidem Anno Dominicæ Incarnationis MLXXIII. cum maximo honore successit electus Papa Gregorius. Hic autem beatus Pontifex assumsit sibi in amicos omnes Primates Campaniæ, Apuliæ, & Calabriæ. Dux autem Robertus cepit Anno Domini MLXXV. Sanctam Severinam Civitatem Calabriæ loco munitissimam. Tertio verò Anno, postquam obsederat eam, cepit quoque Civitatem Cusentiæ, obsessâque Sanctâ Agathâ, quam incessabili oppugnatione cinxerat, cepit eamdem.*

CAP. XXXV.

*His etiam diebus cum suo exercitu Dux Robertus proficiscens obsedit Salernum Civitatem, ob medicinæ utilis artis peritiam diu famosam & præcipuam. In qua Gisulfus Princeps frater uxoris ejusdem Ducis Roberti, intus pugnabat. Dux autem Robertus acriter eamdem Civitatem incessanter terrâ marique expugnavit, & non destitit, donec post septem menses obsidionis cepit illam mense Decembris Anno Dominicæ Incarnationis MLXXVII., captusque ab eo fuit Gisulfus. Qui fame coactus, Turrim majorem, in qua se tuebatur, se cum suis reddidit Duci.*

CAP. XXXVI.

*In eadem verò Civitate Salerni ipse Dux Robertus construxit Ecclesiam in honorem Beati Matthæi Apostoli & Evangelistæ.*

CAP. XXXVII.

*In Panormo verò fecit idem Dux Robertus Monasterium in honorem Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ semper Virginis, Anno primo postquam cepit Salernum.*

CAP. XXXVIII.

*Idem Robertus Dux Beneventum obsedit acriter. Et jam expugnasset, nisi Romanus Pontifex, cujus præcepto parebat, hoc eidem Duci prohibuisset, & nequaquam ab incœpto destitisset, donec eam Civitatem quoque cepisset.*

CAP. XXXIX.

*Simili modo Ricardus Princeps Capuanus, Neapolim obsedit ipso eodem Anno, & fortiter illam Civitatem oppugnavit undique, ut eam caperet. Sed eodem Anno in eadem obsidione Princeps ipse obiit, Anno verò Principatus ejusdem XX. Indictione I. Fuit autem hic Princeps staturâ procerus, fortis animo, ingenio astutus, argutus & formosus, circa benevolas & fideles personas mansuetus atque benignus; rebellibus verò atque perfidis valde terribilis. Cui successit Jordanus ejus filius. Hic autem Jordanus accepit in matrimonio Guaitylgamiam filiam Guaimarii Principis Salerni, ex qua habuit filios Ricardum, Robertum, atque Jonatham.*

CAP. XL.

*Prædictus verò Robertus Dux obsidens Vicum Civitatem cepit eam Anno Domini MLXXX. ibidem grandia facientem fratrem suum capiens. Statimque lumine privari fecit eum, ex eo quod ipse & alii plures Barones rebelles exstiterunt. Ceteri verò metu perterriti male substiterunt. Sequenti Anno cepit Spinacorbam; & paucis evolutis diebus ipse Dux cepit Hydruntum, cepitque Tarentum. Deinde venit Salernum, & inde movens gressum processit ad Gregorium Papam, & ab eo accepit Vexillum Sancti Petri, de mense Junii apud Cipparanum.*

CAP. XLI.

*His autem diebus venit ad Ducem Robertum quidam dicens se Michaëlem Constantinopolitanum.*

*num. Et valde conquestus est, se exinde expulsum fuisse. Ipse Dux Robertus proposuit auxilium sibi dare. Et, ut ejus mos est, diligenter illum accipiens, ac honorabiliter curam habens, secum duxit eum usque Salernum. Et inde movens gressum ad Hydruntum, ibidem Dux Anno Domini MLXXXI. assumsit exercitum, apud Constantinopolim ire cupiens. Qui mare transiens cum Boëmundo filio suo applicavit Avellonam, ducens secum cum exercitu suo etiam uxorem suam, nec non prædictum Michaëlem, qui se Imperatorem dejectum fuisse conquerebatur. Et dimisit Rogerium filium suum, cum omnibus sibi commissis in Apuliam. Inter hæc interim Nicephorus Botoniates Constantinopolis factus Imperator, adventum Roberti Ducis audiens, duxit Alexium magnum domesticum suum, cui commisit militiam, deditque sibi maximam thesauri copiam, ut non solùm Christianorum, verùm etiam Paganorum exercitum magnum congregaret, atque Duci Roberto viriliter resisteret. Qui Civitatem Adrianopolim pergens, quoscumque poterat, capiebat quotidie, & singulis diebus fidelitatis sacramentum sibi ab illis fieri studebat, quorum unicuique multa tribuebat, plurima jure jurando promittebat. Ceteris autem militibus, qui adhuc Nicephori dominium timebant, nihil interim tribuebat, sed eos sæpe sic alloquebatur, dicens:* Libenter vobis dare multa Imperator ipse promisit mihi, & thesauros mittere. Sæpe etenim propter hoc ad eum accessi. Sed quia non misit, valde doleo. *Sed ipse Alexius, ut suis creditoribus quasi redderet, vasa propria, & vestes, quibus utebatur, quibusdam largiebatur, dicens:* Si esset mihi posse tantum de meis largiendi (prudentes viri veluti estis,) ego vos ditissimos facerem. *Et hæc incessanter machinabatur, ut omnes ad se militum voluntates traheret. Pro quibus etiam ire ad Imperatorem disposuit, loquens ut sua quasi omnia illis donaturus transmittat. Qui dum Constantinopolim processisset, quoscumque potuit secum duxit. Et simili modo eos donis & promissionibus sibi allexit, subtrahens animos eorum ab Imperatoris amore. Qui in illa infelicitate numquam potuit esse securus. Alexius verò ipse postquam venit ad Imperatorem; tamquam fidelis Dux ad Dominum, ut eum magis securum redderet, simpliciter est loquutus. Sed quasi de se timens, noctu è Constantinopoli fugit, & ad exercitum properavit, & reversus est dicens:* Imperator, propterea quod vestra stipendia efflagito, mihi vult mortem dare . . . . . . . . . . (*a*) . . . . . . . .

CAP. XLII.

*Petrus de Alaneo Archiepiscopus Ecclesiam Amalphitanam dedicavit. Ipsum Palatium in nostro Archiepiscopatu fabricavit. Vineas quoque & hortos pastinavit. Et in Tramonto multa inserteta Castanearum inserculavit. Hic sedit plusquam annos XXII.*

CAP. XLIII.

*Eo verò defuncto iterum Clerus & Populus fieri fecerunt Johannem Archiepiscopum cognomento Sparanum. Qui fuit præclarus in omnibus. Hic sedit annos VIII. cum dimidio, quum esset MCXCVI. ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi.*

CAP. XLIV.

*Dominus Petrus Capuanus Cardinalis portavit Corpus Sancti Andreæ Apostoli de Constantinopoli in Amalphiam Anno Domini MCCVIII. Et collocavit illud in Confessione, quam & cum titulo desuper ipse Cardinalis fecerat fieri de suo proprio sumtu infra navem Majoris Ecclesiæ. Quam Confessionem postea compleri fecit Archiepiscopus Johannes Capuanus.*

CAP. XLV.

*Et sub eo tempore quædam navis Romanorum passa est naufragium in litore Civitatis Amalphitanæ juxta Doganam vetustam.*

CAP. XLVI.

*Et quinque annis in Ecclesia Amalphitana & Civitate ejus positum fuit Interdictum. Post quinque annos Capitulum plures Ecclesiæ possessiones vendidit. Et redemtum fuit Interdictum Centum Unciis.*

CAP. XLVII.

*Hic Archiepiscopus Matthæus de Alanio ivit Romam ad Concilium generale, quod celebravit Dominus Innocentius Papa III. Anno Domini MCCXV. In quo Concilio dictus Domnus Matthæus Archiepiscopus compressus fuit à nimia pressura Populi in ostio Ecclesiæ Sancti Johannis Lateranensis, ubi Concilium celebrabatur, & ex illa pressura mortuus fuit.*

CAP. XLVIII.

*Et successit in Archiepiscopatu Amalphiæ Domnus Johannes Canonicus Amalphiæ, filius Domini Johannis Capuani, qui fuit frater Domini Petri Cardinalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cum titulo Sancti Marcelli.*

CAP. XLIX.

*Domnus Philippus Augustariccius, Præsul & Civis Amalphiæ fecit suis expensis Campanam magnam, & novum ac pulcherrimum Campanile Anno Domini MCCLXXVI. Fecit etiam idem fieri Mythram auream.*

CAP. L.

*Domnus Andreas de Alaneo, Præsul & Civis ejusdem Civitatis Amalphiæ, moribus ornatus, virtutibus decoratus, gratus Deo, benevolus omnibus satis, nobilis & discretus, Pontificatus Anno primo, & Anno Domini MCCXCIV. in inferiori Grucla, ubi est Corpus beatissimi Andreæ Apostoli, fecit fieri cœlum ornatum stellis cum diversis ornamentis; Crucem magnam cum pede de argento deaurato, & aliam Crucem argenteam deauratam.*

*FINIS.*

Venio nunc ad *Surrentum* & *Cajetam*, quæ Urbes & ipsæ olim *Ducis* nomen suis Præfectis dedere, quo tempore sui erant juris. Verùm finitimis Principibus potentioribus cedere coactæ, honoris tamen gradum in illorum titulis servarunt. Cujus rei & ego producere possum testes tabulas, in queis Guaimarius IV. Salernitanus Princeps inscribitur etiam *Dux Amalfis & Surrenti*. Diplomatis hujus exemplum debeo supra laudati Monasterii Cavensis Tabulario.

Do-

(*a*) Multa desiderantur in fine hujus Capituli. Desunt & quamplurima alia Capitula in textu originali.

# Donatio facta Ecclesiæ Sancti Felicis à Guaimario IV. & Gisulfo II. Principibus Salernitanis, Anno 1051.

IN *nomine Domini. Trigesimo tertio Anno Principatus* Domini nostri Waimarii gloriosi Principis, *& Duodecimo Anno* Ducatus ejus Amalfis & Surrenti; *& Decimo Anno Principatus & ipsorum Ducatuum* Domini Gisulfi eximii Principis & Ducis, *filii ejus, mense Martio, IV. Indictione. Dum coram presentia suprascripti Domini nostri Guaimarii Serenissimi & à Deo conservati Principis & Ducis, essemus nos Amatus & Joannes Judices, & plurima suorum more solito circumadesset turba fidelium, ipse Dominus Princeps & Dux, semper solitus placidum Deo exhibere famulatum, & cupidus in sanctis locis de rebus suis dare, per hanc Cartulam dedit in Ecclesia beati Confessoris Felicis, que intra res suas, que sunt in finibus Lucanie, constructa est, de terris suis campestribus, & cum vineis, que sunt propinque ipsi Ecclesiæ, & ex omnibus partibus terris ipsius conjuncte per mensuras justo passu hominis mensuratas. A parte Occidentis finis via, & passus centum octoginta. A parte Meridiei est finis, sicut aliquantum vallitellum discernit, & passus centum. A parte Orientis sunt passus centum octoginta, & revolvit in ipsam partem Orientis per vallonem passus septuaginta, & revolvit in partes Septentrionis passus octoginta sex. Ab ista parte Septentrionis, sicut aliquantum vallone discernit, & passus ducenti triginta; cum omnibus, que intra ipsas terras sunt, cunctisque earum pertinentiis, & cum vice de ipsa via. Ea ratione, ut semper sint in potestate Custodum ipsius Ecclesie, & ipsis terris utantur, fruantur, & de usufructu earum faciant quod voluerint. Et ipse Dominus Princeps & Dux obligavit se & suos heredes semper defendere Custodibus ipsius Ecclesie suprascriptam dationem ab omnibus hominibus, quibus per ipsos Dominum Principem & Ducem, & illius heredes, illud, vel ex ipso comodocunque datum aut obligatum aut alienatum paruerit, & qui pro illorum parte & dato quascumque causationes de eo ipsis Custodibus jam dicte Ecclesiæ preposuerint. Et si, sicut superius scriptum est, ipse Dominus Princeps & Dux, & ejus heredes ipsis Custodibus jam dicte Ecclesie non adimpleverint, & suprascripta, vel ex eis quicquam removere aut contradicere presumpserint, obligavit se & suos heredes componere Custodibus ipsius Ecclesie ducentos auri Solidos Constantin. & duas Chartulas unius tenoris, hanc quam ipsi Ecclesie emisit, & alteram quam ipse Dominus Princeps retinet, te Romoaldum Notarium scrivere precepimus, qui interfuisti.*

✠ *Ego qui supra Amatus Judex.*

✠ *Ego qui supra Joannes Judex.*

*Ducum* quoque *Cajetanorum* mentio est in antiquis monumentis; immo suos etiam Rectores *Fundana Civitas* Sæculo Decimo *Ducis* titulo ornabat. Refert Ughellius in Appendic. ad Tomum V. Ital. Sacr. in Episcop. Cajetan. tabulas scriptas, *Imperante Domno nostro piissimo perpetuo Augusto Ottone, Anno Imperii ejus Octavo Decimo* (idest Anno DCCCCLXIX. illud enim *Decimo* delendum est) *& temporibus Domni Johannis gloriosi Consulis & Ducis, filii Martini* (potius *Marini*) *gloriosi Consulis & Ducis filius ejus, Anno Octavo, mense Martio, Gajeta*. Inter eos, qui adsunt, memoratur *Domnus Marinus Dux Fundanus*. Anno etiam MLXIV. memoratum videas *Raynerium Comitem filium quondam Domni Leoni gloriosi Consuli & Ducis*. Et Anno MCV. *Ricardus Dux Gajetanorum & Comes Suessanorum*. Verùm tot Apuliæ, Campaniæ, & Calabriæ Principatus sensim Sæculis Undecimo & Duodecimo coaluerunt unà cum Siciliâ in Principes Nortmannos, uti ex ejus regionis Historia constat. Unum tamen addere placet ad illustrandam Regni Neapolitani Historiam. Certum est, Robertum Guiscardum inclytum Ducem inter alia Principatu Salernitano fuisse potitum, quem cum amplissima aliarum ditionum copia in Rogerium Ducem filium suum transmisit. Cujus rei etsi nihil opus est adducere testes, attamen ex Archivo supra laudati Monasterii Cavensis Diplomata duo descripta producere statui, Salerni Dominum eumdem Rogerium nobis ostendentia.

## Rogerius Apuliæ & Calabriæ Dux, five Robertus Guifcardus Dux ejus pater, Caftellum de Comite concedit Alfano I. Archiepifcopo Salernitano, Anno 1080.

*IN nomine fancte & individue Trinitatis. Rogerius divinâ favente clementiâ Dux. Si divinum cultum, fancte Ecclefie honorem atque cultorem debitâ reverentiâ ordine digno attendimus, profecto noftra devotione circa fanctam Dei Ecclefiam diligentiffimam curam ac folacium adhibere debemus, ut tanto nos fuperna pietas gratiofe protegat, quanto ferventius fuam Ecclefiam pro viribus exaltare atque tueri fatagimus. Incirco pro amore omnipotentis Dei & Domini noftri Jefu Chrifti, & fancte ejus Genitricis & Virginis Marie, & beati Apoftoli & Evangelifte Matthei, & falute anime noftre, noftrorumque omnium parentum, & petitione Domine San . . . . . . dilecte conjungis noftre, concedimus in Archiepifcopio hujus nobis à Deo conceffe Salernitane Civitatis, cui Domnus Alfanus gratiâ Dei Archiepifcopus preeffe dignofcitur, locum qui dicitur Caftellum de Comite, quod modo ipfi Curti noftre jure pertinet, cum hominibus, terris, & vineis, Ecclefiifque, & cum omnibus, que illic habemus, & cum omnibus que homines illius loci modo habent, vel habituri erunt; ea ratione, ut pars, loca & homines, & omnes ex eis defcendentes femper fint in jurifdictione ipfius Salernitani Archiepifcopii & non aliter, nifi ut cuncta fervitia & cenfus & donationes, & quidquid nobis & parti noftre Reipublice facere & perfolvere debent & debuerint, ipfi Domno Archiepifcopo, ejufque fucceffloribus & parti ipfius Archiepifcopii omni tempore faciant & perfolvant, & neque à nobis & noftris Judicibus, Comitibus, Gaftaldeis, neque à quibufcumque Actoribus noftre Reipublice habeant ipfe Domnus Archiepifcopus, ejufque fucceffores, & pars ipfius Archiepifcopii quolibet tempore, ex hoc quod ut dictum eft concedimus, aliquam contrarietatem, fed in perpetuum fecure illud habeant, & ex eo, quod voluerint, faciant. Quod fi quis temerario aufu hujufmodi conceffionis violator extiterit, fciat fe compofiturum auri puriffimi Libras quinquaginta, medietatem noftre Curie, & medietatem parti ipfius Archiepifcopii. Et hec conceffio, ut fuperius legitur, femper firma & inconcuffa permaneat. Scriptum vero hujus noftre conceffionis fcribere precepimus tibi Urfoni noftro Notario, Anno Dominice Incarnationis MLXXX. menfe Octobris, Indictione IV.*

Habeo heic tenebras, five è Charta ipfa, five è Librarii incuria offufas. *Octobri menfi Anni MLXXX.* refpondet *Indictio IV.* At quomodo *Rogerius* tunc temporis non tantum *Dux* fuit, fed & Diplomatum largitor, vivente adhuc & dominante *Roberto Duce* ejus patre? Contra apud Ughellium Tom. VII. Ital. facr. in Archiepifcop. Salernitan. profertur Diploma ejufdem *Roberti Ducis* datum ipfi Alfano I. Archiepifcopo Salernitano, ipfo Octobri menfe ejufdem Anni MLXXX. Quid eft ergo, quod ejus filius *Rogerius* ipfo tempore Ducem & Dominum Salerni agit? Utique pro *Rogerius* fcriptum fuiffe videtur in ea Charta *Robertus*. Si tamen *Rogerii* nomen fervatum velis, aut ferius confignanda erit Charta, aut conjiciendum, ipfo Anno MLXXX. Rogerium à patre confortem Ducatus fuiffe renuntiatum: quod hactenus Anno fubfequenti, aut etiam Anno MLXXXII. factum Eruditi cenfuerunt. Verùm conjectura ifta ruit, ubi alterum Diploma confideres, quod mox fubdam, à Rogerio ipfo datum Anno MLXXXIX. *Ducatus verò noftri Anno Quarto*. Ergo Anno MLXXX. nondum Dux à patre conftitutus fuerat Rogerius.

Con-

## Confirmatio omnium jurium ac bonorum facta Alfano II. Archiepiscopo Salernitano à Rogerio Duce Apuliæ, Anno 1089.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Rogerius filius gloriose memorie Domini Roberti excellentissimi Ducis. In divinum cultum & sancte Ecclesie honorem atque utilitatem debitâ reverentiâ & ordine digno adtendimus; profecto devotione tota circa sanctam Dei Ecclesiam diligentissimam curam & solatium adhibere debemus, ut tanto nos superna pietas gratius protegat, quanto ferventius suam Ecclesiam pro viribus exaltare atque tueri satagimus. Idcirco pro amore omnipotentis Dei & Redemptoris nostri Jesu Christi, & pro salute anime prefati nostri Genitoris & nostre, concedimus & confirmamus in sagro Salernitano Archiepiscopio, cui nunc Dompnus Alfanus gratia Dei Archiepiscopus preest, integram Terram, que Pratum Domnicum dicitur, quod est foris hac nobis à Deo concessa Salernitana Civitate, per fines & mensuram justo passu ...... hominis mensur ...... a parte Occidentis est finis terram ipsius Archiepiscopii, que similiter Pratum dicitur: à parte Setentrionis est finis Via antica, que modo non frequenter utitur, & discernit ab hac terra, & alia terra cum arbustis, quam nos retinemus: & per ipsam Viam mensura passus centum: à parte Orientis similiter est finis terra, quam nos retinemus, & passus septuaginta octo, & revolvit in partem Occidentis juxta eandem finem passubus sexdecim, & revolvit in partem Meridiei similiter passubus octuaginta & duobus usque Fontem, qui ibi est. Et deinde per medium ipsum fontem recte descendit, & vadit in parte Meridiei usque viam, que ducit prope litus maris: ab ipsa parte Meridiei est finis eadem Via, & per eam recte mensura passubus septuaginta octo usque suprascriptam priorem finem. Et eadem quoque terra per suprascriptas fines & mensuras in ipso Archiepiscopio, ut dictum est, concedimus & confirmamus cum omnibus, que intra eam sunt, conctisque ejus pertinentiis, & de ipsis viis, ea ratione ut semper sit in potestate supradicti Domni Alfani Archiepiscopi, ejusque successorum, & licentiam habeant de eo facere, quod voluerint. Nec non concedimus & confirmamus in eodem Archiepiscopio omnia, que à singulis nostris predecessoribus, videlicet Imperatoribus, Regibus, Ducibus, atque Principibus, ibidem confirmata atque concessa, seu data vel oblata tam per Precepta quàm etiam per Brebes sigillatos, seu per Cartarum munimina esse videntur, ut semper pars ipsius Archiepiscopii cuncta ea securiter habeat, & faciant ex eis quod voluerint. Et neque à nobis nostrisque heredibus & successoribus, neque à nostris Judicibus, Comitibus, Castaldis, neque à quibuscumque autoribus Reipublice nostre, seu aliis quibuslibet hominibus, ipse Domnus Archiepiscopus, ejusque successores, & partes ipsius Archiepiscopii habeant ex eis, que, ut dictum est, in prefato Archiepiscopio concedimus & confirmamus, quolivet tempore aliquam contrarietatem; sed in perpetuum ea omnia securiter habeant & faciant ex eis, sicut supra scriptum est, quod voluerint, omni publica & aliorum hominum contradictione remota. Quod si quis forte temerario ausu hujus nostre concessionis & confirmationis quolibet tempore violator extiterit, sciat se compositurum auri purissimi Libras centum, medietatem Camare nostre, & medietatem partibus ipsius Archiepiscopii. Et hec nostra concessio & confirmatio semper firma & inconcussa permaneat. Textum vero hujus nostre concessionis & confirmationis, tibi Landulfo meo Notario scribere precepimus, & cum meo Tipario plumbeâ bullâ bullari jussimus, Anno Dominice Incarnationis MLXXXIX. Ducatus vero nostri Anno Quarto, mense Julio, concurrente Indictione XII.*

✠ *Ego Rogeriu me subscripsi*

✠ *Signum Guaın Comitis Caputaquensis.*

✠ *Ego Paganus de Florenza.*

Ex his habes Rogerium Ducem Guifcardi filium, dominantem quoque Salerni. Atqui Anno sequente MXC. invenio *Robertum divina clementia annuente Comitem Salernitani Principatus*, & Privilegia more Principum concedentem. En Chartas ipsas ex ipso Cavensi Cœnobio deductas.

## Robertus Comes Principatus Salerni Alfano II. Archiepiscopo Salernitano omnia bona & jura confirmat, Anno 1090.

IN nomine Domini Dei eterni & Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejus MXC. temporibus Domini nostri Rogerii gloriosissimi Ducis, mense Junii, Indictione XIII. Robertus divinâ clementiâ annuente Comes Salerni Principatus, filius quondam Domini Comitis Guillielmi. Justum esse credimus & conveniens rationi, ut ea que Ecclesiis justa & pia largitione Principum & oblatione fidelium conferuntur eis, ab omnibus Christi fidelibus stabilitate perpetua conserventur. Per hoc enim vite eterne aquiritur meritum, & pro animabus eterna ....... perpetuo comparantur. Ea propter notum esse volumus perenniter universis, quod nos scientes, Casale Liciniani cum omnibus hominibus & pertinentiis suis, terras ad Sanctum Petrum de Thoro, Portum cum Lunare & passagio, hac cannitias pro piscibus capiendis in fluvio Silaris, atque totum tenimentum cum terris & silvis de loco, qui dicitur Petta, Ecclesiam Sancti Viti cum Curte sua & terris, in eodem loco existentem, nec non & quasdam alias possessiones, & terras cultas & incultas in pertinentiis Terre nostre Ebuli existentes, sacrosancto Salernitano Archiepiscopio, in quo Domnus Alfanus Secundus Archiepiscopus preest, per bone memorie Dominum Gisulfum Secundum gloriosum Principem gentis Longobardorum & Principatus Salerni, diviné miserationis nutu esse data perpetuo & concessa, ad preces prefati Domni Archiepiscopi, & Domine Gilie dilecte conjuncis nostre, & pro remissione peccatorum nostrorum, atque ob reverentiam beati Matthei Apostoli & Evangeliste, cujus precibus apud Deum quotidie adjuvamur, de consensu & voluntate Domini nostri Rogerii Ducis incliti, predictorum Archiepiscopio, ejusque Pastoribus, quantum ad nos pertinet, possumus, & habemus, congedimus, damus, & perpetuo predicta omnia confirmamus. Insuper concedimus & mandamus statuentes, ut omnes homines presentes & futuri tam in predicta nostra Terra Eboli, quàm de Casali Liciniani Vassalli Archiepiscopi sepe dicti habitantes, sint in predicta Terra nostra Eboli, & in pertinentiis suis perpetuo liberi & esempti ab omni datione, & ab omni jure diricture, plateatici, & portatici, tam in personis, quàm in mercibus & in rebus suis, quas intromittent in Ebulum vel extraxerint de eodem. Et ut isdem homines Vassalli Archiepiscopii supradicti de omni questione & placito, que inter se habuerint, vel contra eos, quomodocumque moventur ab aliis, semper coram Bajulis & Judicibus predicti Domni Archiepiscopi & successorum ejus, atque memorati Archiepiscopi debent libere conveniri. Propter quod concedimus ei Curim in Terra nostra Ebuli super ipsis semper regere & habere, secundùm quod eam ipsum Archiepiscopum in ipsa Terra nostra Ebuli novimus habuisse hactenus & habere. Preterea de affluentiori gratia & mera liberalitate nostra concedimus ex nunc, & in perpetuum damus sepe dicto Domno Archiepiscopo & successoribus suis, atque Archiepiscopio memorato & confirmamus p......as de omnibus reditibus nostris platearum, plancarum tincte * ulente predicte nostræ Terre Ebuli, & de omnibus nutrimentis animalium, que nos & successores nostri habemus & habuerint in eadem Terra & in ejus pertinentiis quomodocunque; ea ratione ut omnia supra dicta que in presentia Judicum Roberti & Johannis & testium subscribendorum voluntarie dedimus & concedimus Archiepiscopio supradicto, semper sint juris & ditionis ipsius Archiepiscopii & Pastorum ejus, & potestatem habeant de eis semper facere quod voluerint, ad utilitatem & honorem perpetuum Archiepiscopii memorati. Propter quod per nostram bonam voluntatem & convenientiam promittimus, & per factam stipulationem dicto Domno Archiepiscopo pro parte sua & Ecclesie sue obligamus nos nostrosque successores & heredes cuncta, qualiter superius scripta sunt, semper ipsi Domno Archiepiscopo; ejusque successoribus, & partipus ipsius Archiepiscopii defendere & antestare ab omnibus hominibus: & cum pars ipsius Archiepiscopii voluerit, potestatem habeat per se ea defendere qualiter voluerit; & neque à nobis nostrisque successoribus seu heredibus, atque ab aliis quibuslibet hominibus aliquam molestiam seu requisitionem ex iis, quæ superius jam dicto Archiepiscopio concedimus, donamus, & confirmamus, ipse Domnus Archiepiscopus & successores sui, seu pars ipsius Archiepiscopii patiantur, sed in perpetuum ea omnia securiter habeant, possideant, & disponant. Si quis fortè temerario ausu harum nostrarum concessionum, donationum & confirmationum violator extiterit, sit sub maledictione Domini nostri Jesu Christi, & à Regno suo separetur, & cum Juda proditore in eterno gehenne ingendio sit dapnatus. Amen. Denique pro securitate atque defensione Archiepiscopii supradicti ego Robertus Comes una cum Domina Gilia Comitissa conjuge mea hoc Preceptum fieri fecimus, & tibi Johanni Notario scribere jussimus, & tam nomina nostra quam nomina Judicum predictorum & testium subscribendorum testari fecimus, & sigillo nostro sigillari.

Actum & confirmatum in Castello, quod Murus nuncupatur, Anno, mense, & Indictione supradictis.

Que omnia ego Johannes Notarius Castelli de Muro scripsi, & meo signo signavi.

✠ Ego Robertus Comes supradictus istud confirmo.

✠ Ego Gilia Comitissa istud idem approbo.

✠ Ego qui supra Robertus Judex.

✠ Ego qui supra Johannes Judex.

✠ Ego Mellus de Tabella istud firmo.

✠ Ego Johannes Pipe istud testor.

✠ Ego Ursus de Curanna hoc vidi & audivi, & testis sum.

✠ Ego Geroldus de Contursi testis sum.

Ejusdem Diplomatis mentio est in altera Charta, quam subjicio.

## Possessio capta ab Alfano II. Archiepiscopo Salernitano quorumdam bonorum sibi concessorum à Roberto Comite Principatus Salernitani, Anno 1098.

*In nomine Domini Dei eterni & Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejus MXCVIII. temporibus Domini nostri Rogerii gloriosi Ducis, Mense Junio, Sexta Indictione. Cum coram presentia Domni Alfani gratiâ Dei Archiepiscopi sancte Sedis hujus Salernitani Archiepiscopatus essemus nos Johannes & Grimoaldus Judices, aliique complures homines, inter quos specialiter convocati aderant gloriosus filius quondam Pandulfi Comitis & Johannes filius quondam Guaiferii, & Bernardus filius quondam Alferii, Johannes qui dicitur Piper, & Ursus qui dicitur de Kiranna, una cum quodam Johanne Notario, accesserunt dicentes; missos esse à* Roberto Comite Salernitani Principatus, *filio quondam Gulielmi Comitis, &* Gilia Comitissa uxore ejus; *& in eadem presentia ostenderunt unum Preceptum sigillo ipsius Roberti Comitis signatum, qualiter ipse Robertus pro amore Dei, & salute anime prefati genitoris sui, simul etiam pro salvatione sua & ejusdem conjugis sue, & redemptione peccatorum illorum, presentibus testibus, qui in eo subscribendi erant, per interventu prefate Gilie Comitisse conjugis sue, concesserunt, obtulerunt, donaverunt, & remiserunt in Ecclesiam Sancte semper Virginis Dei genitricis Marie & beati Apostoli & Evangeliste Matthei, que est Sedes ipsius Salernitani Archiepiscopatus, cui Domnus Alfanus Secundus Archiepiscopus preest, totam & integram terram, que dicitur de Rivo Petroso per fines, que in eodem Precepto adnotate sunt. Insuper & obtulerat & remiserat in eodem Archiepiscopio Ecclesiam Sancti Georgii ibi propinquam, cum terris & silvis & pascuis & aquis & vineis & omnibus ad ipsam Ecclesiam pertinent, & qualiter à Rectore ipsius Ecclesie, qui nunc ei preest, tenentur & possidentur, & dominatus est per unum diem & unam noctem, cum vice de viis & pertinentiis suis. Pariter etiam concesserat & obtulerat in eodem Archiepiscopato homines & censiles suos, quorum nomina in ipso Precepto atscripta esse videntur, cum uxoribus & liberis eorum & omnibus stabilibus & mobilibus, rebusque illis pertinentibus, & cum omnibus rebus stabilibus, que fuerant Andree & Papa Theori & Petri de Aurilia; ea ratione ut omnia superius dicta semper essent juris hac ditionis ipsius Archiepiscopii: & prefatus Domnus Archiepiscopus, ejusque successores, & pars ipsius Archiepiscopii licere haberent de heis facere quod velent, sicut ipsum Preceptum continet, quod scriptum est per jam dictum Johannem Notariisque presenti Anno, preterito Mense Majo, presentique Indictione. In quo ipse Robertus Comes, & Gilia Comitissa, & Mellus de Lavella, & dictus Johannes Presbiter, Ursus & Geroldus de Contursо subscripti sunt. Et ut ipsum Preceptum ostensum hac lectum fuit, ipsi Johannes Piper, & Ursus de Kiranna dixerunt, se etiam interfuisse & vidisse & audivisse cum omnia in eodem Precepto leguntur fieri, & deinde ipsum Preceptum firmari, & dicto Johanni Notario scribere ipsi Comes & Comitissa precepissent: & ipsi Johanni & Urso ab ipsius Comite & Comitissa cum summa devotione jussum fuisse, ut ipsum Preceptum pro illorum parte ad hanc Sanctam Sedem adducerent, & super Altare beati Apostoli & Evangeliste Matthei illud ponere; quatenus ipse Domnus Archiepiscopus, ejusque successores, & pars ipsius Archiepiscopii licentiam haberent de ipso Precepto & omnibus, sicut idem Preceptum continet, facere quod voluerint. Quapropter ipsi Johannes Piper & Ursus de Kiranna simul cum dicto Domno Archiepiscopo & Clero ipsius Archiepiscopii, unà nobiscum & supra omnibus, qui, ut prelegitur, convocati fuerant, prefatam Ecclesiam Sancte Dei Genitricis & Virginis Marie, & beati Apostoli & Evangeliste Matthei introiverunt, & jam dictum Preceptum super ipsum Altare Sancti Matthei posuerunt; promittentes & fidem ipsi Domino Archiepiscopo prebentes, ut omnia, velud ipsum Preceptum continet, fieri. Et ita de eis ipsum Preceptum jam dicto Johanni Notario scribere ipsi Comes & Comitissa jussissent, & specialiter ipsi Johanni & Urso mandarent, ut ipsum Preceptum ab illorum parte adduceretur; eodem sacro Altari, ut dictum est, poneretur. Postea vero ipse Domnus Archiepiscopus benedictionem dedit ipsi Johanni Piper & Urso pro parte dictorum Comitis & Comitisse trecentos sexaginta Solidos monete istius Civitatis: qualiter tibi Alfano Notario, qui interfuisti, scribere precepimus.*

✠ *Ego qui supra Jovannes Judex.*
✠ *Ego qui supra Grimoaldo Judex.*
✠ *Signum manus dicti Geroldi.*
✠ *Signum manus prenominati Johanni filii Guaiferii.*
✠ *Signum manus prefati Berardi.*

Sed quis iste *Robertus Comes Principatus Salernitani*? Nihil de eo mihi occurrit apud accuratissimum Camillum Peregrinium. Immo Romualdus ipse Salernitanus Archiepiscopus, qui altero Sæculo Chronicon scripsit, à me editum Tomo VII. Rer. Italicar. nullum de eo verbum facit. Is verò in utraque Charta inscribitur *Filius quondam Comitis Guilielmi*. Conjecturam meam profero. Hieronymus Surita, sive Dominicus à Portonariis in Præfatione ad Historiam Gaufredi Malaterræ, Tomo V. Rer. Italicar. censuit, Guilielmum Ferreabrachium, primum Apuliæ Comitem, fratrem scilicet Roberti Guiscardi natu majorem, *sine liberis* vivendi finem fecisse. Sed videndum, an non ipsius Guilielmi Ferreabrachii filius fuerit *Robertus*, ut nuper vidimus, *Comes Salernitani Principatus*. Guilielmus Apulus in Poëmat. de Normann. Lib. 4. edito Tom. V. Rer. Italicar. narrat, à Roberto Guiscardo Duce electum successorem, & adscitum ad Ducatus consortium fuisse Rogerium filium, quo tempore idem Robertus bellum Græco Imperatori intulerat. Addit curæ *Roberti Comitis* Rogerium adolescentem commendatum fuisse:

*Jus proprium Latii totius, & Appula quæque*
*Cum Calabris, Siculis, loca Dux dat habenda Rogero.*
*Roberto Comiti committitur, atque Girardo*

Quis verò fuerit iste *Robertus*, continuato sermone indicat Poëta, hæc subdens:

Al-

*Alter fratre satus, fidissimus alter amator.*

Quum ergo *Robertus* Salernitanus Comes *Guilielmi Comitis* filius fuerit, illum putare fas est eumdem, cui traditus fuerit educandus Rogerius Guiscardi filius, & cui pater fuerit Guilielmus Ferreabrachia. Is autem Salernum Feudi titulo consequutus fuisse censendus est: quod & indicant ejus verba, quum nempe ait, se donationem illam facere *de consensu & voluntate Domini nostri Rogerii Ducis incliti*, atque Annos ejus Ducatus enumerat.

Sed regrediendi tempus est; jam enim nos advocat *Ducatus Tusciæ*. Si adquiescendum Cosmo ab Arena in Serie Ducum Tusciæ pag. 54. qui erudite hoc argumentum versavit, vel sub ipsis Regibus Langobardis *ad morem Forojuliensis Ducatus adlectus est Dux ad regendum & Tuscum.* Contra Matthæus Palmerius in Chronico suo ad Annum DCCLXXVI. scripsit, sub Regibus Langobardis Tusciam *Ducatus* appellatione minime fuisse distinctam; eorum enim temporum Historiam percurrenti, nulli alii occurrunt Duces, præterquam Beneventanus, Spoletanus, & Forojuliensis: atque in ejusmodi sententiam inclinasse etiam videtur doctissimus Vir Camillus Peregrinius in Lib. de Ducat. Beneventano. Verùm prælaudatus Cosmus ab Arena, ut suam opinionem validioribus niti fundamentis ostendat, præeunte sibi Francisco Maria Florentinio in Monument. Comitissæ Mathildis, profert circiter Annum Christi DCXXX. aut DCLVI. *Tasonem Ducem Provinciæ Tuscanæ*, à Fredegario in Chronic. num. 69. memoratum: & postea *Allonisinum*, *Walpertum*, *Obertum*, *Albertum*, & *Tachipertum*, qui ante Caroli Magni Imperium (ut is opinatur) ejus Provinciæ *Duces* fuerunt; tum sub Francis *Allonem*, *Wicheramum*, *Bonifacium I. & Bonifacium II.* ejus filium, ex quibus progeniti sunt Principes nobilissimi *Adalberti* duo *Duces & Marchiones Tusciæ*, propagatores Familiæ Estensium Marchionum, uti in Antiquitatibus Estensibus pluribus conjecturis productis perquam verisimile ostendi. Verùm multa sunt, quæ me absterrent (absterruerunt antea & amicum, eumdemque eruditissimum virum D. Gasparem Berettum Monachum Benedictinum in Dissertat. Chorographica medii ævi num. 98. quam edidi Tom. X. Rer. Italicarum) ab opinione Florentinii & Cosmi supra laudati amplectenda. Quum enim aperte jam intellexerimus, fuisse olim *Duces* sive Præsides *unius Civitatis*: quicumque ante Annum Christi Octingentesimum à Cosmo de Arena recensentur, dubitare possumus, num fuerint unius potius *Lucensis Urbis*, quàm universæ *Tusciæ Duces*. Neque Fredegarius illius auctoritatis Scriptor est, ut eidem omnino controversiam hanc dirimendam sinamus, scribenti de rebus à se non parum remotis. Præterea significare ejus verba possunt *Tasonem* unum ex *Ducibus Tuscanæ Provinciæ*, non verò Rectorem Provinciæ universæ. Legi olim & descripsi è ditissimo Tabulario Archiepiscopii Lucensis antiquissimam Chartulam, quam heic ad commodum Eruditorum apponere juvat, barbariem quidem undique spirantem, sed non minus gratam Antiquitatum amatoribus.

## Donatio prædiorum facta Ecclesiæ Sancti Petri in Civitate Lucensi à Fortunato Presbytero, ejusque filio Bonualdo Presbytero, reliquum vitæ in Monasterio agere cupientibus, licentiâ per eos petitâ à Telesperiano Episcopo, & Walperto Duce, Anno 713.

*In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Regnante Domno nostro Liutprand viro excellentissimo Rege Anno Regni ejus Secundo per Indictione Undecima feliciter* ......... *quod in terra pax hominibus bone voluntatis. &c. Ego Fortonato religioso Presbiter una cum filio meo Bonuald v. v. Presbiter, nus ad sancto Domini cummendare Altario, & fragilis hic periturus relinquere, dum eum Domino meo Jesu Christi complacuerit, in loco quanatis sumus Vico, qui vocatur Cassiana, uno petente consilio Deo dignum est, nus havitare in Monasterio petivimus licentiam Domni Talesperiani Dei gratia Episcopo, & cum gratia* Domni Walperti Duci nostro Civitatis nostre Lucensis, *quantum virtus animi, & ad fondamentis, fabricis, vestibulis Ecclesiis constituemus in honore Sancti Petri a* ...... *suprascripto Fortunato decrevi inter me & filiis meis, ut ego pro omnibus rebus meis indefenito* ....... *prope ipsa Ecclesia Presbiteri modiorum duodecim, & vergario medi loco uno prope ipsa Ecclesia omnia in integrum, idest portiuncula mea in integrum ego Fortonato per mercedem & remedium anime mee offero Deo & Ecclesie Sancti Petri, quem mihi heredem constitui simul & ego Bonuald v. v. Presbiter ipsa portiuncula mea quanta pars, qui mihi ad fratribus meis advinet, excepto campo vel vergario, qualiter superius legitor, quod in potestatem portionis Fortonati demisimus, omnia & in omnibus parte mea cultum adque incultum, movile vel inmovile seoque semoventibus, omnia in integrum offero Deo & Sancti Petri, quem mihi heredem constitui tam movile quam inmovile seo semoventibus, quidquid havere visi sumus, vel adhuc conquirere potuerimus ab hac die firma ad ipsa sancta vertute in integro possedeat, & umquam ullo tempore ad novis retragendum est ad alia Ecclesia aut ad alium Sacerdotem, quod ad novis offertum est, nisi qui inivi Abbas fuerit, & quem voluerit secum havere, & si quis filiis vel nepotibus nostris sine cojuve Deo servire voluerit, & regulariter vivere, ipsi fruator in honore Domini; & si Abbas de hac luce migratus fueret, & dormieret cum patribus suis, quem Monaci ipsi elegerint de eo Monasterio ipso sivi aveant Abba ordinatus, & si quis de novis quod ab se substragere volueret, vel proprio defendere, vacuus & enanis exinde exeat, & dona nostra in integro Deo & Sancto Petro permaneat confermatam.*

*Quam viro Cartulam dotalium ego Sicherad à XI indignus Presbiter ex jussione Domni Thalesperiani venerabili Episcopo, vel ex rogatus Fortonati & Bonuald Presbiter hanc Cartula*

*dotalium scripsi & perpetui temporibus permaneat.*

*Actum in Civitatem Lucense sub die, & Regnum, & Indictione suprascripta feliciter.*

*Signum manus Fortonati viri religiosi benefactori & conservatori.*

*Signum manus Bonualdus venerabili Presbitero, benefactori & conservatori.*

*Signum manus Benetatato filio ejus consentientis.*

*Signum manus Roduald V. D. filio ejus consentientis.*

*Signum manus Baronte filio ejus consentientis.*

*Signum manus Widicau V. D. testis.*

*Signum manus Wileradu V. D. testis.*

*Signum manus Benenato V. D. testis.*

*Signum manus Mauricioni V. D. testis.*

*Et post hanc completa Cartula rememoravimus particellula nostra de Oliveto in Vaccule, ego Fortonato & Bonuald parte nostra in integrum offerimus Deo & beati Sancti Petri, quem novis heredem constituimus.*

*Ego Sicherado indignus Presbiter hanc Cartulam ex autentico fiditer exemplavi.*

Vides heic preces porrectas ab hisce Presbyteris *Domno Walperto Duci nostro Civitatis nostræ Lucensis*. At hæc evincere videntur, in una Lucensi Civitate ejusque agro conclusam fuisse Walperti hujus Ducis auctoritatem, neque majorem excogitandam in ceteris, quos ante Annum DCCC. Lucensia monumenta exhibent. Si Walpertus Provinciam universam Ducis titulo rexisset, *Dux Tusciæ*, non autem *Dux Civitatis nostræ Lucensis* appellandus fuisset. Hæc præsentiens Franciscus Maria Florentinius, emunctæ naris Scriptor, utpote quem non latuit ejusmodi Charta, eamque minime dissimulavit in Monumentis Mathildis Comitissæ Lib. 3. opinatus est, Walpertum, cerosque supra memoratos Duces *à Lucensi Urbe, uti capite Tusciæ Provinciæ, titulum Ducis assumsisse, non secus ac Dux Fori Julii ab Urbe ejus nominis dicebatur Dux Forojuliensis*, & nihilominus in integram Provinciam suam protendisse potestatem, quam titulo Marchionis regebant. Verùm palmaris inter hos Duces differentia intercessit. Universæ Provinciæ nomen dederunt primariæ Urbes *Beneventum, Spoletum, ac Forum Julii*; neque enim alia tunc appellatio in usu erat: ac propterea qui *Ducem Forojuliensem* dicebat, continuo significabat integræ *Provinciæ Forojuliensi* Præfectum. Contra verò *Provinciam Tusciam* Langobardis appellare semper in usu fuit, & nunquam *Provinciam Lucensem*: quare qui Præsidem illius Provinciæ significare voluisset, *Ducem Tusciæ*, non *Ducem Civitatis Lucensis*, appellasset, uti revera factum est, quum regimini unius Ducis tota Tusciæ Provincia Sæculo Nono commendari cœpta est. Quamobrem restat, ut adhuc Walpertum, ejusque Successores ad Annum saltem DCCC. unius Lucensis Urbis Duces, sive Præsides censeamus. Nam quod Florentinius nuper laudatus opinatur, Cosmus verò de Arena, & Pagius uti certum statuunt, nempe Desiderium *Tusciæ Ducem* Anno Christi DCCLVI. adlectum fuisse Regem Langobardorum, bonis tabulis caret. Immo Dandulus in Chronico pag. 142. Tom. XII. Rer. Italicarum de eo scribit: *Desiderius itaque, qui Dux Istriæ erat, auxilio Papæ factus est Rex Longobardorum*. Accedit, quod jam supra innui, Paullum Diaconum in Historia Langobardica identidem commemorasse Duces Beneventi, Spoleti, ac Fori Julii, & ne unum quidem *Tusciæ Ducem* oblivioni eripuisse. Quare tantum de hisce unis silentium, tanta verò cura de reliquis? Numquid non & Tuscia nobilissima Provincia fuit, & latissime protensa ac illustris? Sane hæc me eo vehementius ad opinandum impellunt, nondum uni Duci universam Tusciæ Provinciam tunc fuisse commissam, sed quidem pluribus, qui more Comitum suam quisque Civitatem regerent ac tuerentur. Denique ad hujusmodi quæstionem absolvendam opportuna mihi videntur, quæ Hadrianus Papa habet in Epistola 60. ad Carolum Magnum Francorum Regem apud Du-Chesnium, Tom. III. Scriptor. Francic., scripta, ut conjecturæ suadent, circiter Annum DCCLXXVI. Ibi enim mentionem facit Reginaldi, *qui nunc in Clusina Civitate Dux esse videtur*. Ex iisdem Literis deducitur, tunc eam Civitatem spectasse ad Tusciam Langobardorum, ac propterea ad Carolum tunc Italiæ Regem, ipsumque Reginaldum ex *Gastaldio Castri Felicitatis* creatum fuisse ab eodem Rege *Ducem Clusinum*. Rursus in Epistola 74. idem Pontifex conqueritur apud Carolum Regem de invasione, *quam Gundibrandus Dux Civitatis Florentinæ in Monasterio Sancti Hilarii ingerit*. Evincunt hæc, si probe pensentur, ante Annum DCCC. non unum, sed plures *Duces* eodem tempore in Tuscia fuisse, & Lucensem Ducem nondum jus dixisse universæ illi Provinciæ. Deinde verò imperante Ludovico Pio, ut habetur in Francorum Annalibus ad Annum DCCCXXVIII. *Bonifacius II.* egregius *Comes* videtur latiori potestate usus, & reliquis *Tusciæ Comitibus* præfuisse ac imperasse, quandoquidem iis ad se accitis contra Piratas Africæ expeditionem suscepit.

At certe extra dubitationis aleam positum est, *Adalbertum I.* ejus filium, atque hujus Successores universam rexisse Tusciam titulo *Ducis* atque *Marchionis*. Vide infra in Dissertat. X. *de Minor. Justit. Ministr.* Placitum ab eo habitum Anno DCCCXLVII. ubi appellatur *Inlustrissimus Dux*. Dicitur etiam *Comes & Marchio* idem Adalbertus I. in tabulis à me productis Cap. XXII. pag. 210. Antiquitat. Estens. Quod si non his tantùm titulis Principes ii insigniti nobis occurrunt in Chartis antiquis, sed interdum etiam *Comitis*, uti jampridem monuit Florentinius in Vita Mathildis: non alia de caussa id factum opinari licet, nisi quia præter totius Tusciæ Præfecturam, ii titulo *Comitis* uni Civitati præfuere, hoc est Lucensi. Inter pergamenas Archiepiscopii ejusdem Urbis unam vidi scriptam *Anno Incarnationis DCCCXC. post ovito Karoli Imperatoris Anno Tertio* (nulla heic Regis facta mentio indicat, nondum in Tusciam penetrasse auctoritatem Berengarii I., aut Guidonis de Regno tunc concertantium) *VI. Kalendas Junias, Indictione octava*. Ibi Viventius Presbyter bona permutat cum Gerardo Lucensi Episcopo. *Et Adalbertus Comes direxit Missos suos* (videlicet ad æstimandas terras). *Hi sunt Roffridus Notarius & Schabinus* &c. Habes heic Adalbertum II. Tusciæ Marchionem *Comitis* appellatione tantummodo donatum. Ita in aliis Anni DCCCLXXIV. & Anni DCCCLV. ac DCCCL. Contra in Chartâ exaratâ *Berengarius gratiâ Dei Rex. Anno Regni ejus Deo propitio XIII. Duodecimo Kalendas Septembris, Indictione III.*, idest Anno

DCCCC.

DCCCC. Adalbertus Subdiaconus terras commutat cum Petro Episcopo Lucensi, & ad eas visitandas *Adalbertus Dux direxit Missos suos*. Idem legitur in altera Charta scripta *Anno XX. Ludovici Imperatoris*, *Sexto Idus Februarii*, *Indictione III.*, idest Anno DCCCLXX. Ita quoque in Chartis Annorum DCCCLXIV. DCCCLXXIV. DCCCLXXXVI. In Charta verò autographa conscripta, *Regnante Domno nostro Berengarius*, *gratiâ Dei Imperator Augustus*, *Anno Imperii ejus VI.*, *Nonas Decembris*, *Indictione IX.*, idest Anno DCCCCXX. hæc verba occurrunt: *alio lato tenet terra*, *quæ quondam fuit Adalberti Marchioni*. Dixi Anno DCCCCXX., quia Indictionis Nonæ ingressum sumsi à Kalendis Septembris ejusdem Anni. Verùm postquam exordium Imperii Berengarii I. ex iis, quæ adnotavi in Dissertat. LVI. *de Religion. Christian.* decurrere cœpit die 24. Martii Anni DCCCCXVI. reliquum est, ut *Sextus Annus Imperii* illius exordium sumserit eodem die ac mense Anni DCCCCXXI. ac propterea *Indictio Nona* in Charta hac Annum tantummodo DCCCCXXI. implet, aut Charta ipsa vitio aliquo laborat. Redeo ad titulos *Ducis* & *Marchionis*, quibus Tusciæ Præsides olim fruebantur. Postremo hoc titulo quamquam ii progrediente tempore frequentius distinguerentur ac uterentur, attamen ne primum quidem posuere, aut oblivioni mandarunt. Bonifacius magnæ Mathildæ Comitissæ pater, sæpe *Dux* & *Marchio* inscriptus reperitur, & apud Florentinium in Monument. Mathild. Lib. 3. pag. 118. hisce verbis designatur Anno MXXXVIII. *Bonifatius divinâ miseratione Tuscorum Dux & Marchio*: quæ satis produnt, Tusciam non minus *Ducatum*, quàm *Marchiam* fuisse appellatam. Neque revera ullus ibi amplius Dux erat præter illum, qui universæ Provinciæ imperitabat; nam singulis Civitatibus Præfecti tunc Titulo dumtaxat *Comitum* donabantur. Ita in altera Charta, quam produxi supra Dissertat. I. *de exter. gentib.* idem inscribitur: *Nos Bonefacius Marchio & Dux Tusiæ*. Attamen post hactenus dicta non dissimulabo, quid in Diplomate Ottonis III. Augusti apud Canonicos Lucenses adservato mihi occurrerit. Scilicet ibi commemoratio fit *Ducis & Marchionis Lucensis Civitatis*. Illud autem non aliâ de caussâ, ut supra Florentinius conjiciebat, factum videtur, nisi quia Lucensis Civitas iis temporibus fuit Sedes Marchionum Tusciæ, & Provinciæ caput, sicuti & ego jam animadverti Cap. XVII. Antiquitat. Estens. Rursus enim moneo, in Charta Anni MCCXXIV. (scribe MCXXIV.) quam Ughellius Tom. I. Ital. Sacr. in Episcop. Lunensib. protulit, atque ego à vitiis præcedentibus expurgatam recudi, nequaquam legendum esse *gloriosa Civitas Luna*, *super universam Tusciæ Marchiam caput ab exordio constituta*: sed quidem *gloriosa Civitas Luca*. Itaque uti olim *Verona*, *Tarvisium*, *Spoletum*, *Ancona* Marchiis nomen dedere, ita & *Luca* aliquando dedisse potuit. Neque tamen dissimulandum, *Pisas* etiam aliquando hoc honore insignitas fuisse, hoc est antea, scribente Liutprando Lib. 3. Cap. 4. Histor. *Pisam*, *quæ est Tusciæ Provinciæ Caput*. Nempe Duces, seu Marchiones Tusciæ in una potius quàm in altera Civitate habitantes Ducali Sedi appellationem Capitis conferebant. Nunc Diploma nuper à me indicatum accipe.

## Ottonis III. Augusti Præceptum, quo Canonicis Cathedralis Lucensis omnia eorum bona confirmat, Anno 998.

*IN nomine sancte & individue Trinitatis. Otto divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Quia decet Imperiali magnificentie loca sancta ditare atque venerari, & omnibus Kristianis de animabus suis curam atque sollicitudinem gerere: ideo dignum duximus modo in presenti sanctissimi Martini Episcopi locum Lucæ Sanctum in aliquo locupletare, ut & ipsis, pro quibus donatum est ad refrigerium, & nobis ad remedium proficiat sempiternum. Quapropter considerantes nos hoc, & in animo volventes, prece & amonitione fidelis nostri* War. . . . . . . *Capellani, confirmamus predicto Sancto loco, sicuti olim* Ugo, Lotharius, Avus, & Genitor noster, *atque Precessores nostri Reges, & Imperatores pro remedio animarum* Adelberti Marchionis, *&* Bertæ Comitissæ, *nec non & suarum, dederunt beato Martino Pontifici, Ecclesieque sue site Luce, suisque fidelibus ibi pro tempore Deo famulantibus Sacerdotibus, Diaconibus, Subdiaconibus quoque, ceterisque pro tempore ibidem ordinatis; videlicet Curtem unam, quam predicta Berta suo precio comparavit, & dicitur Massa Grausi, consistens in ipso Comitatu Lucensi, cum terris &c. Statuimus ut Episcopus loci nullam quoquam in tempore de præfatis Curtibus potestatem habeat, neque inde se intromittat, nisi ad Canonicorum auxilium & salvationem. Et si, quod absit, à potestate eorum præfatas Curtes Episcopus loci, aut ullus invasor tulerit, aut aliquid subtraxerit: tunc deveniant in potestatem* Ducis & Marchionis Lucensis Civitatis *tamdiu, donec talis Episcopus venerit, qui præfatas Curtes in jure & potestate Canonicorum esse permittat, &c.*

*Signum Domni Ottonis*  *invictissimi Imperatoris Augusti.*

*Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani Episcopi notavi.*
*Data Kalend. Septembris, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVIII. Indictione VI. Anno Tertii Ottonis Regni XV. Imperii verò III.*
*Actum in Castello Marlia juxta Lucam feliciter.*


Pendet chordula ſericea rubea & flava ſine Bulla.

Aliqua mihi, dum hæc deſcriberem, oborta dubitatio eſt, archetypum ne, an exemplum antiquiſſimum pergamena illa exhiberet; ſed in ea ſententia confirmatus fui, archetypum eam dicendam eſſe, ex quo in Tabulario Capituli Canonicorum Patavii ſimile Diploma mihi occurrit, datum eodem Anno, atque in ipſo loco Lucenſis agri: quod & ipſum proferendum cenſui.

Otto

## Otto III. Imperator omnia Privilegia & jura confirmat Ursoni Episcopo Patavino ejusque Ecclesiæ, Anno 998.

*IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Tercius Otto divina favente gratia Imperator Augustus. Si sanctis & venerabilibus locis digna conferimus munera, aut collata à piis & religiosis viris Imperiali auctoritate confirmamus, ad statum Imperii nostri proficere credimus. Quapropter omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque fidelium præsentium & futurorum comperiat industria, qualiter pro Dei amore, nostræque remedio animæ per hanc nostri Præcepti paginam confirmamus & corroboramus Aecclesiæ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & Sanctæ Justinæ, quæ caput est Patavensis Episcopii, cui præesse videtur* Urso Episcopus, *nosterque fidelissimus, omnia Precepta & mundiburdia à nostris prædecessoribus Regibus vel Imperatoribus eidem Aecclesiæ concessa, omnesque Plebes, Cortes, Abbatias, Senodochia ad prefatum Episcopium juste & legitime pertinentia, & nominative Curtem Saccum nominatam cum placitis, districtis, & omnibus, quæ dici vel nominari possunt ad prefatam Curtem pertinentibus. Precipientes itaque nostra Imperiali jubemus potentia, ut nullus Dux, Episcopus, Patriarcha, Abbas, Marchio, Comes, Vicecomes, nullaque nostri Imperii magna parvaque persona prefatam Sanctam Patavensem Aecclesiam, Rectoresque suos de cunctis, que per Precepta vel mundiburdia juste & legaliter jam dictæ Aecclesiæ concessa vel confirmata sunt, inquietare, molestare, vel disvestire sine legali presumat auctoritate. Si quis igitur hujus nostri Precepti violator extiterit &c.*

*Signum Domni Ottonis* 

*invictissimi Imperatoris Augusti.*

*Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani Episcopi notavi.*
*Data X. Kalend. Septembris, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVIII. Indictione VI. Anno Tertii Ottonis, Regni XV. Imperii III.*
*Actum in Marlia juxta Lucam feliciter.*

Tenuia quædam vestigia apparent Sigilli olim appensi.

Quod solum in Lucensi Diplomate animadvertendum est, etiam Kalendis Septembribus currit *Indictio Sexta*, quæ immutari tunc solebat. Sed varius usus Indictionum fuit, aut fortasse mihi dies excidit ante Kalendas illas adnotatus, uti in Patavino factum videas. Finem habuisse *titulum Ducalem* in Mathilda Bonifacii filia, suspicatus est supra memoratus Florentinius, quum revera illius Successores occurrant uno *Marchionis* titulo contenti. Inter alios *Welpho Sextus*, celeberrimus Princeps ex Estensi Linea Brunsvicensium Ducum, in suis Diplomatis Anni MCLX. hos præfert titulos: *Welfo Dei gratiâ Dux Spolcti, Marchio Tusciæ, Princeps Sardiniæ, Dominus Domus Comitissæ Matildis*. Sed animadvertendum est, *Philippum Suevum* postea Romanorum Regem, se ipsum inscripsisse Anno MCXCV. *Ducem Tusciæ*, ut ex ejus Diplomate constat apud Margarinum in Bullar. Casinens. Tom. 2. Constit. 218. Tamdem quod singulare habuit Tusciæ Ducatus, ejus regimen interdum, sive concedentibus, sive tolerantibus Augustis, commissum fuit feminis, virilem tamen animum in pectore gerentibus. Ejusmodi fuere *Beatrix* supra laudati Bonifacii Marchionis ac Ducis olim conjux, ejusque filia generosa mulier Comitissa *Matildis*, quibus tum *Ducissæ*, tum *Comitissæ* titulus in usu fuit. Produnt hoc varia illarum monumenta, quorum unum heic inserere placet, adservatum Mutinæ in Archivo sacri Canonicorum Collegii.

Con-

# Concordia inita inter Albertum de Bajoaria Nobilem Mutinensem, & Eribertum Episcopum Mutinensem de Canonica Civitatis Novæ, coram Beatrice Comitissa & Ducissa Tusciæ, Anno 1075

*IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jhesu Christi. Anno ab Incarnatione ejusdem MLXXV. Sexto Idus Junii, Indictione Terciadecima. Manifesta causa est michi Alberto filio quondam Alberti de Bajoaria, quod in presentia* Domne mee Beatricis Comitisse & Ducis, *ejusque jussu ac voluntate pactum donationis causá est positum inter me &* Heribertum Episcopum Motinensis Ecclesie, *ut si unquam in tempore agere aut causare vel molestare presumpsero contra suprascriptum Episcopum, vel ejus successores, aut contra eorum Missum, idest nominative quandam Canonicam de Citanova, quam habere & detinere visus fui à parte Motinensis Ecclesie, omniaque ex omnibus quicquid mihi prescripto Alberto pertinet de jam dicta Canonica, sive per scriptum aut sine scripto, sive per Beneficium aut per quodvis ingenium; & si de meo dato aut facto exinde in aliam partem apparuerit, cui ego dedissem aut fecissem; vel si in antea ego vel mei heredes dederimus aut fecerimus jam dictam Canonicam; si hoc apparuerit & clarum factum fuerit: tunc componere promitto una cum meis heredibus viginti Libras Papiensium denariorum, medietatem Domne mee Beatrici vel ejus heredibus, ac medietatem suprascripto Heriberto Episcopo vel ejus successoribus. Et insuper hoc pactum firmum & stabile permaneat, sicut supra legitur, quia sic inter nos convenit. Et nec michi liceat ammodo ullo tempore nolle quod semel volui; sed quod hic à me semel factum vel conscriptum est, sub jurejurando inviolabiliter observare promitto cum stipulatione subnixa.*

*Actum in Casa Sancti Cesarii feliciter.*

*Signum manus suprascripti Alberti, qui hoc pactum, ut superius legitur, fieri rogavit, & ei relectum est.*

*Signa manuum Bulgari de Nonantula, & Manfredi de Sorbaria, qui in his omnibus, sicut superius legitur, rogati sunt testes*

*Ego Bernardus manu mea subscripsi.*

*Rotechildus Notarius Sacri Palatii scripsit, post traditum complevit & dedit.*

Quæ heic appellatur *Civitas Nova*, eadem est, cujus occurrit mentio in Testamento Caroli Magni Anno DCCCVI. apud Baluzium Tom. I. pag. 442. Capitular. Reg. Francor. Mutinensis enim Populi pars quo tempore eorum Civitas à Græcis Bononiæ atque in Exarchatu dominantibus identidem vexabatur, simulque à circumfluentibus fluviis exlegibus afflicta, paludibus circumquaque obsidebatur, lares transtulere ad locum paucis millibus passuum ab Urbe nostra dissitum ad Occidentem in Via Æmilia, quam *Claudiam* appellamus: ibique Civitate constructâ nomen loco indidere *Civitatis Novæ*, quod adhuc durat sub vocabulo *Cittanuova*. Hodie nihil aliud è tot ædificiis superest, nisi Templum Parochiale sub Archipresbyteri cura. De ista Civitate multus erit mihi sermo in Dissert. XXI. *de antiquo Italiæ statu*. Ducibus hactenus commemoratis denique addendi sunt *Venetiarum Duces*, antiquissimi & ipsi, quorum illud præcipuum decus est ad nostros usque dies suam continuasse seriem ordine non interrupto. Nam quamvis ne olim quidem ii pertinerent ad Regnum Italiæ, in Italia tamen erant; ac præterea digna in primis est inclyta illa, & à tot Sæculis gloriosa Respublica, quæ veteres suos Principes habeat in omnium monumentis minime neglectos. Jam in Differt. II. *de Regn. Ital.* monui, Venetorum Duces Italicis Regibus numquam paruisse; idque luculentius confirmari potest ex Diplomate concesso circiter Annum DCCCXL. à Lothario I. Augusto Petro Venetiarum Duci, quod habes in Annalib. Venet. Andreæ Danduli Tomo XII. Rer. Italicar. Ibi memoratur Pax inita à Carolo Magno cum Imperatoribus Orientis, *quemadmodum temporibus Avi nostri Caroli per decretum cum Græcis sancitum possederunt*. Sed quid in ea Pace decretum est? Nos heic edocebit idem Dandulus Lib. 8. cap. 1. de ipsa illa Pace scribens: *Per hoc quippe Decretum Carolus approbans, quod cum Nicephoro actum fuerat, Novam Venetiam à se abdicavit, permittens Venetos amodo per totum Occidentale Imperium terras suas possidere, & illis immunitatibus gaudere, quibus sub Græcorum universali Imperio gaudere soliti erant*. Simile, immo amplius Privilegium à Carolo Crasso Augusto retulit Johannes Venetiarum Dux Anno DCCCLXXXIII. quod nobis idem Dandulus servavit. Ac præsertim mirere, quod ibi scriptum est, scilicet ut in quacumque parte Regni Italici invenirentur Veneti, ii adhuc Ditioni Ducis subjecti essent, atque ab ipso puniendi: quæ intelligenda reor de rebellibus ac fugitivis Venetis, quibus ne in terris quidem Italici Regni sive Romani Imperii asylum concedebatur. Vide pariter in eodem Chronico Diploma Ottonis III. datum Petro Venetiarum Duci Anno DCCCCXCII. Olim ergo extra fines Italici Regni, & immunes à ditione Regum Italicorum fuere Veneti: verùm an à Græcorum imperio, protectionis saltem jure penderent, disputari quidem potest, & negare impavide nemo possit. Non erat iis temporibus in Italico solo, regionibusque conterminis gens ulla fatis tam benignis usa, quæ inter potentissimos Reges plenissime Libertatem suam tueri posset aut auderet, servire nescia. Hinc erant Langobardi, aut Franci Reges in omnem dilatandæ potentiæ occasionem intenti; illinc Græci Imperatores, qui portiones aliquot antiquæ dominationis retinebant, & ad deperdita recuperanda quotidie inhiabant. Nisi Populus exiguus medius horum ab alterutrius imperio aliqua ex parte pependisset, brevi in eorum prædam & servitutem cessisset.

Et quidem Græci, vel post occupatas à Langobardis plerasque Italiæ partes, Ravennam, Istriam, Dalmatiam, aliasque maritimas Urbes ad Adriaticum fretum diu tenuerunt; simulque aliquid juris retinuisse videntur in Insulas, quæ nunc splendidissimam Venetiarum Urbem aut efformant, aut circumcingunt. Refertur à Dandulo, Baronio, aliisque Scriptoribus Epistola Gregorii II. Papæ, scripta *Urso Duci Venetiarum* Anno DCCXXVI. ubi post-

postquam enarravit occupatam à Langobardis Ravennam, ei præcipit, ut totis viribus præsidium ferat Exarcho, qui Venetias confugerat, ut in pristinum statum res Romani Imperii restituantur, & Ravenna recuperetur, ita exigente Augustorum servitio. Non alio titulo præceptum hoc Venetorum Duci dedisse censendus est Gregorius Papa, nisi quod Græcus Augustus, adhuc Romæ Dominus, ei suas vices ad Romani Imperii tutelam commendasset. Per aliquod tempus desiit Venetiis Magistratus *Ducum*, eorumque loco regimini præficiebatur *Magister Militum*, qualis fuit Anno DCCXL. Julianus, de quo hæc scribit Dandulus Lib. 7. Cap. 7. Chronici: *Hic ex munificentia Imperiali Hypatus, idest Consul Imperialis, jam factus, hunc honorem promeruit obtinere*. Ita Deusdedit paucos post annos *Imperialis Hypati honore fungebatur*: idemque narratur de Mauritio circiter Annum DCCLXVI. ac de aliis subsequentibus Venetiarum Ducibus. Titulus autem *Hypati* seu *Consulis* à Græcis Imperatoribus conferebatur. Cujus rei illustre exemplum prostat apud Franciscum Sansovinum Historicum Venetum Lib. 13. Venet. illustrat. quod Opus Venetiis excusum est Anno 1604. Narrat ille, sub oculis se habuisse Examen testium Anno DCCCIV. celebratum ab Izzone (fortasse Azzone) Cadolao & Ajone Comitibus & Missis in Istriam à Carolo Magno Augusto, ad inquirendas extorsiones ibi factas à Johanne Duce illius Provinciæ Rectore. *Ab antiquo tempore dum fuimus sub potestate Græcorum Imperii* (ita ajunt Istrienses, tunc ditioni Caroli Imperatoris adjecti) *habuerunt parentes nostri consuetudinem habendi actus Tribunati, Domesticos, seu Vicarios, nec non Lociservator* (lego *Lociservatores*) *& per ipsos honores ambulabant ad communionem, & sedebant in consessu unusquisque pro suo honore. Et qui volebat meliorem honorem habere de Tribuno, ambulabat ad IMPERIUM* (hoc est ad Imperatorem Græcum) *qui illum ordinabat HYPATUM. Tunc ille, qui Imperialis erat Hypatus, in omni loco secundùm illum Magistratum Militum præcedebat*. Tacite hæc Lectori dictitant, non aliunde quam à Palatio Constantinopolitano nomen *Imperialis Hypati*, auctoritatemque ejusmodi Dignitati junctam, Ducibus etiam Venetis fuisse delatam. Atque illud idem confirmare videtur prælaudatus Andreas Dandulus Venetiarum Dux, quum in suo Chronico Lib. VII. Cap. 13. scribit: *Nicephorus Orientale Imperium suscepit Anno Domini DCCCIII. Hic Nuntios Carolo misit, & cum eo fœdus iniit. In hoc fœdere, seu decreto, nominatim firmatum est, quod VENETIÆ Urbes, & maritimæ DALMATIÆ, quæ in DEVOTIONE Imperii illibatæ perstiterunt, ab Imperio Occidentali nequaquam debeant molestari, invadi, vel minorari* &c. Suberat certe Græcis Augustis Delmatia: ergo & *Venetiæ in devotione Imperii* fuisse videntur. Et reipsa ex bello, quod deinde Anno DCCCIX. & DCCCX. agitatum est inter Græcos & Pippinum Italiæ Regem, quod in vetustis Francorum Annalibus descriptum habemus, deduci potest, Orientalium Imperatorum ditioni tunc aliquo ex pacto aut fœdere obnoxias fuisse Veneticas Insulas. Et potissimùm quum in iisdem Annalibus tradatur ad Annum DCCCX. Carolum Magnum pacem pepigisse cum Græcis, in qua *Niciforo Venetiam reddidit*. Non certe hujus nominis Provinciam: ergo ejus nominis Urbem. Quæ si vera sunt, neminem jure merito pudeat aut tœdeat nostris temporibus, quod olim sua Civitas ab eorum Principum jure aliquo ex titulo penderet, qui non solùm in universam Italiam, sed in tot alias Europæ ac Asiæ nobilissimas Provincias adeo magnifice sunt dominati.

Ceterum, eodem Dandulo teste, circiter ea tempora Nicetas Patricius, & Græcæ Classi Præfectus, *Venetias accedens, Obelerio Duci Spatarii titulum ex Imperiali largitione gratiose concessit*. Angelus quoque Venetiarum Dux, Obelerii successor, ex duobus natis suis alterum Constantinopolim misit, *qui ab Imperatore Leone honorem Hypati, seu Imperialis Consulis, obtinuit*. Tradit idem Scriptor, circiter Annum DCCCXL. Venetias accessisse Theodosium Patricium, qui *Imperiali nomine Petrum Ducem Spatarium Imperii constituit, & Venetos requisivit, ut contra Saracenos apparatum bellicum mittere velociter procurarent*. Petrus iste in Diplomate Lotharii I. Augusti nuper memorato inscribitur *Petrus Dux & Spatarius Venetorum*, hoc est, *Spatarius Imperii* super Venetos. Anno pariter DCCCLXXX. *Ursus Dux Venetorum per Apocrisarios Basilii Imperatoris Protospatarius effectus, magni ponderis campanas Imperatori delegavit*. Idem de paucis aliis memoriæ proditum videas, post quos nullum superest vestigium, quo innotescat, num plena auctoritate fruerentur Veneti, & an amplius Duces ex jure Græcorum Cæsarum penderent. Sæculo Decimo (ut auctor est Petrus Damiani in Vita Sancti Romualdi Cap. 5.) Petrus Urseolus Venetiarum Dux electus est, seditione commotâ in Vitalem Candianum. *Hoc igitur modo*, inquit ille, *Petrus Dalmatici Regni adeptus est Principatum*. Hinc habes, quanta eo tempore foret Venetorum, eorumque Ducis dignitas, atque Autocratia. Certe quum in dies decresceret potentia ac virtus Orientalis Imperii, credibile est, Venetos sensim integram Libertatem sibi antiquitus asseruisse. Attamen vel sub Imperatoribus Græcis ampla ac illustris auctoritas fuit Venetorum Ducibus, idque simili de caussâ, qua Beneventani Principes à Regum Italicorum Aula nimis remoti latiori potestate sunt dominati. Proinde quæcumque monumenta veterum Venetorum Ducum supersunt, supremâ eos potestate functos indicant, ut quum exempli caussâ cum Imperatoribus ac Regibus Italiæ de discernendis finibus Regni & Ducatus agebant: quam in rem exstant Diplomata varia Augustorum & Regum, in queis nullum jus eorum in Duces Venetos deprehendis; Duces verò Principum more cum iis negotia pertractant. Erant iis suæ classes; ac bellum ipsi indicebant, suâ, non alienâ, auctoritate usi. *Palatii* quoque nomen, & *Cameræ* iis fuit: quæ Principatus supremi indicium præbent. Atque heic proferre volo ad ejusdem inclytæ Reipublicæ gloriam Chartam Petri Hadriensis Episcopi, quem Ughellius ignoravit. Inter illum, atque Ottonem Urseolum Ducem Venetiarum bellicæ turbæ intercesserant, quarum meminit Andreas Dandulus in Chronico à me edito, Tomo XII. pag. 236. Rer. Italicar. hisce verbis: *Septimo Ducis Anno Hadrienses, qui Venetorum fines invaserant apud Lauretum, sui reatus pœnam à Venetis hostiliter exeuntibus debite receperunt. Unde Petrus Episcopus cum Primatibus loci ad Ducem venire coacti, veniam habuerunt, promittentes amodo non præsumere, vel attentare similia*. En ipsam Chartam, nobis in adversariis suis servatam à Peregrino Prisciano Ferrariensi.

Petri

## Petri Hadriensis Episcopi promissio facta Ottoni Urseolo Venetiarum Duci de non lædendo in posterum Castello Laureti, nunc *Loreo*, Anno 1017.

IN *nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Deo propitio Pontificatus* Domini Benedicti summi Pontificis *& universalis Papæ in Apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini Sede Quinto; sicque imperante* Domino Enrico *à Deo coronato magno* Imperatore *in Italia Anno verò Tertio, die VII. Mensis Junii, Indictione XV. in Palatio Ducatus Venetiæ. Spondeo atque promitto ego* Petrus *sacræ* Adriensis Ecclesiæ Episcopus, *una cum Advocatore meo Joanne, atque nostris cunctis fidelibus tam Canonicis quàm Laicis, tibi* Domino Ottoni *glorioso* Duci Veneticorum ac Dalmaticorum; *ut amodo in antea omnibus diebus vitæ meæ Castellum, quod situm est apud Lauretum, nec dolo, nec temerario ausu incursare, neque incendere, neque depredari presumam, neque ullum hominem in eo habitantem depredari intra ditionem vel dominium vestri Ducatus, quod ad presens tenere vel dominari videmini: neque per me, neque per aliquam summissam personam, vel per illos, quibus resistere vel contradicere valeo. De depredationibus verò, quæ hactenus mihi, meisque hominibus factæ sunt, promitto, me nunquam aliquam vindictam sumpturum, neque aliquam querimoniam facturum, nec ante Principem, nec ante aliquam personam hominum: quoniam de omnibus depredationibus suprascriptis finem fecimus, & cunctam transactæ predæ querimoniam definivimus. Quod si contra omnia hec, quæ premisimus, ire tentavero, vel contra hanc sponsionis Chartulam aliquid agere presumpsero, componere vobis promitto auri cocti Libras quinquaginta: & solutâ penâ maneat hec sponsionis Chartula in sua firmitate.*

Ego Petrus *Dei gratia* Episcopus *sacræ* Adriensis Ecclesiæ *in hac sponsione, ut supra legitur, manu propria subscripsi.*

✠ *Signum manus Donati Presbiteri.*

✠ *Signum manus Victi Clerici.*

*Anastasius Consul interfui & subscripsi in hac sponsione.*

*Theobaldus Longus in hac sponsione interfui & subscripsi.*

*Crimoaldus in hac sponsione interfui & subscripsi.*

*Joannes filius Gerardi in hac sponsione interfui & subscripsi.*

✠ *Signum manus Arnulfi testis ad omnia, que leguntur supra.*

*Ego Maraldus interfui & subscripsi.*

✠ *Signum manus Marini Diaconi.*

✠ *Signum manus Maurici Clerici.*

*Ego Joannes Dei nunc Tabellio Ravennas, hanc sponsionem scripsi, & post tertium suprascriptorum manus complevi & absolvi.*

Hisce additum volo Diploma Dominici Sylvii Ducis Veneti, quod in Historia Veneta MSta exsistente in Bibliotheca Estensi legitur.

# Dominici Sylvii, Venetiarum & Dalmatiæ Ducis Diploma, quo multa jura & bona confirmat Dominico Patriarchæ Gradensi, Anno 1074.

*IN nomine Domini Dei eterni. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MLXXIV. Mense Septembre, Indictione XIII. Rivoalto. Dum in Dei & Christi nomine quadam die resideremus in Palatio nostro nos quidem* Dominicus Sylvius per misericordiam Dei Venetie & Dalmatie Dux, *una cum Episcopis, Abbatibus, Judicibus, & maxima parte nostrorum fidelium, inter cetera, que ad provectum nostre patrie pertinebant, pertractare cepimus de nostro Gradensi Patriarchatu, qui nostrarum omnium Ecclesiarum & totius Venetie caput est, de hoc videlicet, quod Precessor noster bone memorie Dominicus Contarenus Dux laudatione Episcoporum, Abbatum, Judicum, ceterorumque complurium bonorum hominum statuit .... perpetuo sancte Gradensi nostre Patriarchali Ecclesie. In primis itaque totam Terram nostri Ducatus, que dicitur Villa, posita in Civitate Nova; & centum amphoras vini, quas Caprenses de Comitatu Hystrie ex antiqua consuetudine omni anno persolvere debent* nostro Palatio: *& centum Libras nostrorum Denariorum, que fuerunt* de Camera Sancti Marci; *& alias ducentas Libras Denariorum, que fuerunt de Roga; & iste trecente Libre ad lucrum esse debent, Capetanea semper salva. Et insuper alias Libras Denariorum centum sexaginta de Roga Magistratus ...... De Olivolensi etiam Episcopatu Libras Denariorum viginti. De Torcellensi Episcopatu Libras Denariorum viginti. De Methamaucensi Episcopatu dimidiam Piscariam, que est posita in loco, qui dicitur Faviraga, & insuper modios frumenti quinque. De Episcopatu Equilensi modios de frumento septem. De Episcopatu Civitatis Nove sex dies de terra araturia, ubi sunt vinee in loco, qui dicitur Mugla. De Episcopatu Caprulensi fundamentum Salinarum secundùm firmamentum chartule, quam ipse Bonus Episcopus fecit nostro Patriarchatui. De Monasterio Sancte Trinitatis de Brutulo modios frumenti duodecim. De Monasterio Sancti Hilarii Libras Denariorum viginti quinque. De Monasterio Sancti Georgii Libras Denariorum decem. De Monasterio Sancti Felicis de Amianis modios frumenti sex. Hec omnia predicti Episcopatus & Abbatie in Kalendis Septembris persolvere debent nostro Patriarchatui per singulos annos. Sed tempore predicti precessoris nostri Ducis secundùm superius dictam constitutionem & confirmationem & conlaudationem impediente negligentia chartula minime completa est. Et quia nobis Reipublice Rectoribus necessario competit, sic rerum dubiarum implicitam expedire controversiam, sic earum, que determinate sunt diutius duraturam stilo efficere memoriam, ne de oblivione dato negotio suboriantur aliquo modo scandala in posterum. Igitur nos predictus* Dominicus Sylvius per gratiam Dei Venetie & Dalmatie Dux, *consensu & conlaudatione omnium Episcoporum nostre patrie, idest Henrico Olivolensi, Ursone Torcellensi, Henrico Methamaucensi, Bono Caprulensi, Petro Civitatis Nove, Stephano Equilensi, Abbatum etiam, idest Dominico Brutulensi, Martino Sancti Hilarii, Justo Sancti Georgii, Johanne Sancti Felicis, quorum omnium nomina propriis manibus*



*subscripta sunt, simul quoque nostris manibus subscripta sunt, simul quoque nostris Judicibus, & pluribus aliis nostris fidelibus conlaudantibus, statuimus & confirmamus sancte nostre Gradensi Patriarchali Ecclesie, & vobis* Domno Dominico Patriarche, *& vestris successoribus, perpetuo habendi omnia, que superius dicta sunt, tam de nostro Ducatu quam de Episcopatibus quam etiam de Abbatiis; ita ut neque nos, neque nostri Successores unquam in tempore contra hanc nostre constitutionis, & conlaudationis atque confirmationis chartam ire debeamus. Quicunque etiam ex omnibus nobis predictis Episcopis vel Abbatibus contra hanc nostre constitutionis & conlaudationis atque confirmationis chartam ire temptaverint, & fuerit clarefactum, componere promittimus cum nostris successoribus predicto nostro Patriarchatui, & vobis vestrisque successoribus, auri Libras quinque. Et hec constitutionis & confirmationis & conlaudationis chartula maneat in sua firmitate, quam scribere rogavimus Dominicum Clericum, Saturninum Notarium, & Ecclesie Sancti Cassiani Plebanum.*

*Ego Dominicus Sylvius Dei gratiâ Dux consensi, & manu mea subscripsi.*
*Ego Heinricus Dei gratiâ Castellanus Episcopus subscripsi.*
*Ego Urso Dei gratiâ Episcopus Torcellanus manu mea subscripsi.*
*Ego Einricus Episcopus Methamaucensis subscripsi.*
*Ego Petrus Dei gratiâ Sancte Nove Civitatis Ecclesie Episcopus subscripsi.*
*Ego Stephanus Dei gratiâ Sancte Equilensis Ecclesie Episcopus subscripsi.*
*Ego Martinus gratiâ Dei Abbas Sanctorum Hilarii & Benedicti subscripsi.*
*Ego Justus Dei gratiâ Abbas Sancti Georgii manu mea subscripsi.*
*Ego Johannes divino munere Abbas manu mea subscripsi.*
*Ego Dominicus Abbas manu mea subscripsi.*
*Ego Petrus Ursiulo manu mea subscripsi.*
*Signum manus Dominici Mauri Judicis, qui hoc rogavit.*
*Ego Johannes Gradonico manu mea subscripsi.*
*Ego Basilius Justo manu mea subscripsi.*
*Signum manus Stephani Sylvii, qui hoc rogavit.*
*Ego Dominicus Ursiolo manu mea subscripsi.*
*Ego Petrus Delfino manu mea subscripsi.*
*Ego Facio Dono manu mea subscripsi.*
*Ego ..... Gradonicus manu mea subscripsi.*
*Ego Petrus ..... manu mea subscripsi.*
*Ego Dominicus Emiliano manu mea subscripsi.*
*Signum manus Joannis Fuscari, qui hoc rogavit.*
*Ego Dominicus Mauroceni manu mea subscripsi.*
*Ego Mauritius Florentio Mauroceni manu mea subscripsi.*
*Ego Johannes Mauroceni manu mea subscripsi.*
*Ego Dominicus Sbornaro manu mea subscripsi.*

*Ego Johannes Magnus manu mea subscripsi.*
*Ego Dominicus Caputincollo manu mea subscripsi.*
*Ego Petrus Michaël manu mea subscripsi.*
*Ego Andreas Michaël manu mea subscripsi.*
*Ego Johannes Badoario manu mea subscripsi.*
*Ego Dominicus Pantaleo manu mea subscripsi.*
*Ego Ursus Badoario manu mea subscripsi.*
*Ego Petrus Vivardo manu mea subscripsi.*
*Ego Vitalis Polani & laudo, & manu mea subscripsi.*
*Ego Petrus Andreardi manu mea subscripsi.*
*Ego Johannes Pantaleo manu mea subscripsi.*
*Signum manus Boni Michaëlis, qui hoc rogavit.*
*Ego Johannes Superantius manu mea subscripsi.*
*Ego Constantino Faleri manu mea subscripsi.*
*Petrus Ursoyolus Judex.*
*Dominicus Maurus Judex.*
*Johannes Gradonicus Judex.*
*Bonfiliolus Justus Judex.*
*Stephanus Sylvius.*
*Ego Dominicus Clericus & Notarius complevi & roboravi.*

Viden, ut ille *per misericordiam Dei* se inscribit *Venetiarum & Dalmatiæ Ducem*? Ergo tunc idem Principatus à nullo supremo Principe pendebat. Ac propterea quum Anno MCXVI. Venetiis esset Henricus inter Imperatores Quartus, ibique Proclama pro Sanctimonialibus Sancti Zachariæ daret, quod à me editum fuit Cap. XXIX. pag. 283. Antiquitat. Estens. Notarius scripsit, id factum *in Regno Veneciarum in Palatio Ducis*. Antiquis verò Sæculis, quamquam Veneto Populo fortasse jus aliquod in regimine politico servaretur, nihilominus in uno eorum Duce consistebat non Titulus solùm, sed etiam jus omne Principatus. At progrediente tempore in Aristocratiam ac Rempublicam illic deventum est, atque tam sapienter temperata fuit regiminis forma, ut Ducis quidem Dignitas, prægrandem honorificentiam præferens, adhuc perduret; sed imperii potestas sit penes Optimates.

Coronidem huic argumento addere placet, aliqua inserendo de antiquis *Sardiniæ* Principibus, quos nempe Ducibus similes, aut potius Regibus appellare possumus. Jam constat, Insulam eam titulo Regio collatam à Friderico II. Imperatore post Annum MCCXL. *Henrico*, qui & *Entius* appellatus est, filio suo, qui deinde dies suos clausit in carcere Bononiensi. Sed monendi sunt Lectores, longe antea illuc invectam fuisse Dignitatem Regalem. Cujus rei testem dabo Chartam non uno nomine magni æstimandam, quam mihi suppeditavit celeberrimum Casinense Cœnobium.

## Diploma Gonnarii Turritani in Sardinia Regis, quo Casinensi Monasterio confirmat omnia ejus jura ac bona in Regno suo sita, Anno 1147.

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejus MCXLVII. Indictione X. Octavo Kalendas Julii. Si injusta & vana postulantibus nullus omnino justus & firmus est tribuendus effectus: justæ & religiosæ postulationi, & maxime Dei cultorum & locorum venerabilium, manus est aperienda charitatis & pietatis. Quapropter ego* Gonnarius divina dispensatione Turritanorum Rex & Dominus, *Vicesimo Anno Regni nostri, Jerosolimam pergens ad loca sancta visenda, ad limina Sanctissimi Patris Benedicti declinare decrevimus; atque petitionibus Reverendissimi Donni Raynaldi Dei gratiâ Cardinalis, & Casinensis Abbatis, & Fratrum, quos ibi congregatos reperimus, quorum conversationibus valde placuit, assensum præbuimus. Quibus etiam vinculo societatis, amore & reverentia Beati Patris Benedicti, & ipsius loci, quam perspeximus, religione nos astrinximus; & ea, quæ à Prædecessoribus nostris, & Consanguineis, vel à quibuscumque in Insula Sardinia sub Regno nostro Turritano Casinensi Cenobio quoquo modo data, seu danda sunt, quantum in nobis est, in perpetuum tenenda & possidenda confirmamus. Scilicet Sanctæ Mariæ de Thergo Ecclesiam, Sancti Petri de Galsubi, Sancti Nicolai de Solio, Sancti Petri de Murchi, Sancti Michaëlis de Fernugio, cum omnibus pertinentiis eorum, & Ecclesiis eis concessis: cum servis & ancillis, terris & vineis, cultis & incultis, sylvis & pascuis, planiciis, montibus & vallibus, molendinis, aquis, aquarumque decursibus. Quicquid præterea gloriosæ memoriæ Atavus meus Baraso Rex, & Marianus Avus noster, Constantinus etiam Genitor noster, & Marchusa Regina Uxor ejus, & Consanguinei nostri cum filiis & filiabus, & Comita cum Uxore sua Muscundola, & Marianus cum Uxore sua Justa, Pera filia Gonnarii, Constantinus de Carvia cum Uxore sua Jorgiâ, Foratus de Gentil cum Uxore sua Susanna, nec non & alii quique fideles, qui in eodem Casinensi Cenobio dederunt, absque omni molestatione, dilaceratione, & conditione, firma & illibata perpetuo manere volumus. Amen, amen, amen. Fiat, fiat, fiat. Et si quis ista Carta destruere aut exterminare eam voluerit, iste . . . & Deus nomen suum de libro vitæ, & carnes suas disrumpat volatilibus Celi & bestiis terræ; & mittat in illis Dominus mortem Papellæ: & deleatur de isto Seculo citius; & habeat maledictionem de Deo Patre omnipotente, & de Sancta Maria Matre Domini nostri Jesu Christi, & de Beato Michaëli Archangelo, & quatuor Evangelistas Marccus, Mathæus, Lucas, & Johannes, & de duodecim Apostolis, & de sexdecim Prophetis, & vigintiquatuor Seniores, & de trecentos & octo Patres Sanctos, qui Canones disposuerunt in Nicea Civitate, & de novem Ordines Angelorum, & omes Sanctos & Sanctas Dei. Amen, amen, amen. Fiat, fiat, fiat. Et si quis ista Carta audire voluerit, & nostras Ordinationes placuerit, & dixerit, quia bene est, habeat benedictionem de Deo Patre omnipotente &c. Amen &c. Fiat &c. Et sunt Deus omnipotens testes primus, deinde ego Judex Gunnari, qui hanc Cartam fieri precepi,* & Domnus Joannes Surrentinus Episcopus, *& Domnus Robertus ejusdem Regis Curiæ Magister, & Sigismundus filius Bulli, & Comita de Toris nepos ejusdem, & Torchetori de Sera.*

„ Hoc totum confirmatum est in suprascri-
„ pta Ecclesia Casinensi, præsente, & præci-
„ piente

" piente prædicto Domino Rege Gonnario, & " Domno Johanne Episcopo Sorentino, & Magistro Roberto, & aliis supradictis, in præsentia Domni Raynaldi Casinensis Abbatis & Cardinalis, & ante præsentiam Domni Mazzulini præfatæ Ecclesie Advocati. " Quod ego Joannes Diaconus & Curiæ Notarius ex præcepto supradicti Domini Gunnarii Turritani Regis scripsi, præsentibus his ad hoc testibus vocatis, scilicet Bernardo de Sancta Rufina, Murino de Arpino, Ruberto filio de Albaneto ....... majore, Raynaldo filio Johannis de Majo. Scriptum " in Mense & Indictione suprascripta.

*Ego Gonnarius Judex Turritanus in domu beati Benedicti libenter subscripsi.*

✠ *Ego qui supra Joannes Surrentinus Episcopus signum Crucis feci & interfui.*

*Signum manu supranominati Magistri Roberti Turrenensis subscriptum.*

*Ego Comita de Thori manu mea subscripsi.*

*Ego Torquetore de Serra hoc decens signum manu mea feci.*

*Ego Sigismundino filio Bollo subscripsi.*

Floruit revera Anno MCXLVII. Raynaldus S. R. E. Cardinalis, & Abbas Montis Casini. Ex hac vero Charta discimus, ne in isto quidem *Gonnario* exordium habuisse *Sardiniæ Regum* nomen. Nempe ille confirmat donationes, quas eidem Casinensi Monasterio fecerant *Atavus meus Baraso Rex, & Marianus Avus noster, & Constantinus Genitor noster, & Marchusa Regina uxor ejus*. Si vel Atavus Gonnarii Regio titulo illustris fuit, ergo jam ante annos centum Sardiniam habuisse Reges suos agnoscimus. Et alia quidem monumenta ad Sardiniam ejusque Principes in Dissert. XXXII. *de Origin. Linguæ Italic.* producam; sed nunc omittendum non est, illic uno tempore non unum Regem olim leges dedisse, atque hujusmodi Principes *Judices* etiam fuisse appellatos. In hac eadem Charta, ut vides, idem *Gonnarius* æque inscribitur *Judex Turritanus*, & *Turritanorum Rex*. Nam postquam circiter Annum MXVII. contigit, ut felicibus Christianorum armis Sardinia è Saracenorum manibus recepta fuerit, operâ potissimum ac virtute Pisanorum, divisa est ea Insula in quatuor Dynastias, quarum singulis præfectus est *Judex*, atque exinde eorum ditiones *Judicata* cœptæ sunt appellari. Primum ex hisce Judicatis fuit *Calaris*, cui Anno MLXXX. dominabatur Orzoccus. Est illius mentio in Lib. 8. Epistolarum Gregorii VII. Papæ, ex queis Decima scripta est *glorioso Judici Calaritano Orzocco*. Alterum fuit *Arborea*, nunc *Oristagni*, spectans Anno MCLXV. ad *Barasonem Judicem*, qui eodem Anno à Friderico I. Imperatore Ticini Regio Titulo & Coronâ donatus fuit. Audi Acerbum Morenam Historicum ejus temporis æqualem, qui in Histor. Laudens. pag. 1126. Tomi VI. Rer. Italicar. hæc habet; *Eâ tempestate quidam Judex de Sardinia de Civitate Erborea* (idest Arborea) *maxime opulentus, ad majorem Dignitatem provehi desiderans, ab Imperatore cœpit implorare, ut Regio solio decoraretur. Tamdem Principum, ac non modicæ pecuniæ interventu, pro posse licèt resisterent ac rogarent Populi, ne illum Regem constitueret, die Lunæ tertiâ mensis Augusti ipsum Imperator Regem Sardiniæ instituit, promittentem & jurantem Imperatori fidelitatem*. Latius digesta hæc habes in Annalib. Genuens. & in Chronico Pisano, editis in eodem Tomo VI. Rerum Italicar. ubi referuntur dissidia non pauca, quæ inter Barasonem hunc umbratilem Regem, ceterosque Sardiniæ Judices, pariterque inter Genuenses, atque Pisanos illius caussâ intercessere. Tertio Judicato *Gallura* nomen fuit, de quo itidem mentio occurrit in memorato Chronico Pisano. Dynastiæ hujus Judices diu floruere, donec circiter Annum MCCXCVIII. è vivis sublatus est, nullâ relictâ prole, *Ugolinus Galluræ Judex*, Maritus *Beatricis Estensis*, quæ post ejus fata iterum nupsit Galeatio Vicecomiti Matthæi Magni filio, Mediolanensium deinde Principi. Dantes Aldigerius celebris illius ævi Poëta Etruscus, honorifice meminit Ugolini hujus, quem *Ninum* appellat, Cap. VIII. Purgatorii, dum eum de Beatrice antea Conjuge sua ita loquentem facit:

*Non le farà sì bella sepoltura*
*La Vipera, che i Milanesi accampa,*
*Come avria fatto il Gallo di Gallura.*

Tamdem quartum Sardiniæ Judicatum *Turres* constituerunt, quod alio nomine *Logodoro* est appellatum, spectans ad *Gonnarium* ipsum, cujus Diploma supra attulimus. Veri autem simile est, aut hanc Sardiniæ partem reliquis anteiisse in deferendo Regium titulum suis Judicibus, aut à Gonnarii *Atavo Barasone* Rege ceteros etiam Judices descendisse, qui Insulam postea inter se fuerint partiti. Et pauca hæc de Sardinia sufficiant, de qua ejusque Judicibus plura adferam in nuper memorata Dissert. XXXII. *de Origin. Linguæ Italic.* Quod postremo animadvertas velim, antiqui Gothorum Reges, non Reges, sed *Judices* appellari & ipsi maluerunt; quippe hoc nomine Athanaricum donant Ammianus Marcellinus Lib. 27. Histor. ac Themistius in Orat. X.

Porro quum facta mihi supra fuerit mentio Ducum & Principum Beneventanorum, inter Italiæ Principes diu eximiorum, quamquam eorum seriem multis pertractatam habeamus ab Historicis nonnullis, quorum Opuscula Camillus Peregrinius evulgavit, atque ego rursus edidi Part. I. Tomi II. Rer. Italicar. nihilo tamen secius tenebris subductum heic volo breve Chronicon, quod acceptum refero Nicolao Aloisiæ, amico viro, & antiquitatum medii ævi præcipue amantissimo. Descripsit ille Opusculum hoc è pervetusto Codice MSto Bibliothecæ Vaticanæ, Notasque etiam addidit, quas simul Lector accipiet. Ita verò ille ad me scripsit: *Oblatus est mihi Codex membranaceus, qui olim in Bibliotheca τοῦ μακαρίτου Cardinalis Sirleti adservatus, illustrissimo Annalium conditori Baronio perspectus fuit. Ad Bibliothecam Vaticanam nunc pertinet, & Psalterium Monastico more dispositum, Sacramentarium, atque Antiphonarium, Ritualeque demum, ac Hymnarium complectitur, characteribus Langobardicis exarata. Huic, quem antiquissimum vocat eruditus Bartholomæus Gavantus, præfixum est Chronicon, ab Anno DCCLXXXVIII. ad Annum usque MCXIII. deductum, hoc est rerum in Beneventano Ducatu, sive per Langobardorum Duces, sive per Capuanos Principes, vel tamdem per Normannos gestarum brevis narratio. Qui illud ex vetustis membranis consarcinavit, San-Sophianæ Asceterii Monachus fuit, quum in sacris Libris in Codice contentis nedum Sanctorum memoriæ deprehendantur, quorum corpora in ejusdem*

*dem Monasterii Basilica servabantur, verùm insuper memoratæ Basilicæ ac Altarium dedicationis commemorationes legantur, queis aperte demonstratur, ad Monachorum usum conscriptum fuisse Codicem nonnisi alicujus Ascetæ operâ. Equidem inspectâ primâ Chronici paginâ Necrologium existimavi, quippe qui Beneventanorum Principum emortualem annum signatum inibi perlegi, Monachorum interea consuetudinem haud ignorans, Necrologium sacris Libris, quibus in Choro utebantur, affigendi, ut ad Defunctorum, & præsertim Benefactorum commemorationem faciendam, Martyrologio in Capitulo recitato, præsto esset. At non ita: quinimmo etsi primorum Langobardorum Ducum emortualem tantummodo annum notasset, reliquorum tamen etiam gesta brevibus prosequitur, qui scilicet post medium Sæculum Christianum Nonum Beneventano Ducatui imperarunt. Qua de caussa Opusculum continuo descripsi, humanitate Illustrissimi & Reverendissimi Domini Caroli Majellæ, viri tibi apprime & universæ Literariæ Reipublicæ notissimi, cujus bono natum esse omnes Eruditi fatentur. Descriptum itaque iterum cum autographo contuli, & perbrevibus denique notis illustratum ad te transmittere sategi. Tu itaque, quem veluti Magistrum veneratus sum, & venerari pergam, dum vixero, non exiguum donum, sed animum mittentis pro tua humanitate metire.*

*Dabam Romæ VI. Kalendas Martias MDCCXXIX.*

BRE-

# BREVE
# CHRONICON
## MONASTERII BENEVENTANI
## SANCTÆ SOPHIÆ
## AUCTORE ANONYMO,
DE REBUS GESTIS
## IN DUCATU BENEVENTANO,
Ab Anno Christi DCCLXXXVIII. usque ad Annum MCXIII.

*ADDITIS NOTIS*

CL. VIRI NICOLAI ALOISIÆ.

# CHRONICON MONASTERII BENEVENTANI.

| Anni Domini. | Indictiones. | |
|---|---|---|
| DCCLXXXVIII. | X. | *Mense Augusti, VII. Kalendas Septembris, Θ. Arechis Princeps & Dux Samnitum, atque Fundator (a) Sanctæ Sophiæ.* |
| DCCCVI. | XIII. | *Θ. Grimoaldus Princeps successor Domni Arechis; & electus est Grimoaldus Thesaurarius Princeps in Benevento.* |
| DCCCXVIII. | XI. | *Electus est Sico Princeps in Benevento, de quo fama fuit (b) venenasse Grimoaldum Principem.* |
| DCCCXXXI. | IX. | *Θ. Sico (c) Princeps.* |
| DCCCXXXII. | X. | *Electus est Sycardus filius ejus in Benevento.* |
| DCCCXXXVIII. | I. | *Translatum (d) est Corpus Sancti Bartholomæi in Benevento.* |
| DCCCXXXIX. | II. | *Occisus (e) est Sycardus Princeps, & electus est Radelchis; & eodem Anno dedicatum est Oratorium Sancti Bartholomæi.* |
| DCCCXLIX. | XII. | *Obiit (f) Redelchis Princeps, & electus est Radelgarius filius ejus.* |
| DCCCLIV. | II. | *Obiit Radelgarius Princeps, & Adelgis frater ejus electus est filius Radelgarii Principis.* |
| DCCCLXI. | IX. | *Comprehensum est (g) Varum ab Imperatore.* |
| DCCCLXVI. | XIV. | *Venit Ludowicus Rex, & pugnatum cum Sotane Rege Ismaëlitarum, & vicit eum.* |
| DCCCLXXII. | V. | *Comprehensus est (h) à Beneventanis Ludowicus Rex.* |
| DCCCLXXV. | VIII. | *Græci ingressi sunt (i) Varum.* |
| DCCCLXXVIII. | XI. | *Electus est Princeps Gayderis filius Radelchis, & occisus est Adelchis Princeps frater ejus.* |
| DCCCLXXXI. | XIV. | *Ejectus est de Benevento Gayderis Princeps mense Januario, & electus est Radelchis junior.* |
| DCCCLXXXV. | III. | *Radelchis junior expulsus est de Benevento, & electus est Alo Princeps.* |
| DCCCLXXXVIII. | VI. | *Perditio fuit facta in Varo per Græcos.* |
| DCCCXCI. | IX. | *Obiit Alo Princeps mense Octobris, & electus est Ursus puer filius ejus.* |
| DCCCXCII. | X. | *Intravit Sybbaticius Stratigo cum Græcis in Benevento mense Octobris, & in Sipontum de mense Junii.* |
| DCCCXCV. | XIII. | *Expulsi sunt (k) Græci de Benevento per Guidonem Marchionem.* |
| DCCCXCVIII. | I. | *Radelchis Princeps junior recuperatus in Principem.* |

*Hun-*

(a) Anno 774. circiter Monasterium, Ecclesiamque, alterius ad instar Constantinopoli à Justiniano excitatæ, *Sanctæ Sophiæ* nomine ædificasse videtur Arechis, ex Præcepto Donationis bonorum eidem concessorum, ab altero Chronographo San-Sophiano apud Ughellium Tom. 8. Ital. Sacr. in Append, pag. 34.

(b) Grimoaldum Thesaurarium, sive Grimoalt Comitis Compsini insidiis à Sicone morti proximum jugulatum fuisse, veteres Historici omnes fatentur; at venenum eidem à Sicone propinatum nemo. Quum ergo moribundum adhuc necatum hi scribant, fortè vel veneno hebetem interimere securius voluere. Vide-sis Erchempertum Tomo II. Rer. Italicar. pag 283.

(c) Metachronismus. Ad Annum enim 833. Siconis emortualis annus protrahendus est. Atque Sicardi electio, patre adhuc vivente, qui eum Ducatus consortem anno præsignato effecerat, huic Anno illiganda est, etsi Anno 833. solus imperare cœperit, quum in ejus Diplomatibus & Præceptis ab eo Anno Ducatus anni numerentur.

(d) Pagius ad insequentem Annum ex Leone Ostiensi, aliisve monumentis, Translationem hanc protrahit, & quidem exeuntem: nam cum tertio Præfecturæ Bastacii anno, qui exeunte Februario 837. ordinatus fuerat, eam copulat. Noster porro hoc Anno. Anastasius apud Pagium ad hunc usque Annum Liparis fuisse sacrum pignus, Annoque 839. Beneventum translatum fuisse dehinc subjungit.

(e) Quum annos sex, & menses decem ei tribuat post patris decessum Chronographus alter San Sophianus, sequitur, ut Anno 839. exeunte decesserit.

(f) Quia Radelchim annis undecim & mensibus decem regnasse ex altero San-Sophiano Chronographo certum est, sequitur duorum annorum metachronismo Anonymum nostrum peccasse: quare ad Annum 851. ejus emortualis annus consignandus est. Sicuti recte Radelgario quatuor annos tribuit, ita memoriâ lapsus, quum Adelgim, sive ut infra rectius scribit, Radelchim filium Radelgarii scripsit, quem revera ejus fratrem, Radelchis porro filium, tum ipse infra, tum veteres omnes fuisse tradunt.

(g) Non hoc Anno, sed fere post decennium, hoc est Anno 871. id accidit. Ludovici adventum Anno 866. recte illigavit Chronographus noster, prœliumque cum Saracenis in Apulia gestum à Francis: quod quum feliciter nostri gessissent, insequenti Anno Barum, sive Barium obsidione cinxit Ludovicus, quæ triennio ferme integro perduravit. Vide Erchempertum loco supra citat. n. 32.

(h) Ad Annum antecedentem revocandum est Ludovici infortunium. Nam quum Hadriano II. Papa adhuc superstite, qui Anno Christi 872. Januarii mense currente decessit, vinculis mancipatum fuisse certum sit, sequitur, quod Anno 871. comprehensus fuerit Ludovicus. Vide Annalistam Bertinianum Tomo II. Rer. Italicar. pag. 557. & Pagium ad hunc Annum.

(i) Vide prælaudatum Erchempertum num. 76. ibidemque Camillum Peregrinium. Porro sub Alonis, seu Ajonis Principatu, qui ab Anno 875. exeunte imperare cœpit, Græci potiti sunt Bari.

(k) Recte ad hunc Annum consignatur Græcorum expulsio; nam Græci Leone Ostiensi Lib. 1. cap. 4. & Anonymo Salernitano testibus, nonnisi annis tribus & mensibus novem Beneventi dominati sunt.

| Anni Domini | Indictiones. | |
|---|---|---|
| DCCCXCIX. | II. | *Hungari in Italiam venerunt .* |
| DCCCC. | III. | *Beneventani ejecerunt* (*l*) *Radelchim Principem de Principatu , & electus est Atenolfus cognatus ejus à Capua .* |
| DCCCCII. | V. | *Tertio anno* (*m*) *Principatus Domini Atenolfi electus est Landulphus filius ejus . Iste Landulphus fuit Patricius & Princeps .* |
| DCCCCXI. | XIV. | *Electus est Atenolphus Princeps .* |
| DCCCCXII. | XV | *Obiit Atenolphus Princeps .* |
| DCCCCXVI. | IV. | *Saraceni ejecti sunt de . . . . . . . & Gariliano .* |
| DCCCCXXI. | IX. | *Intravit Dominus Atenolphus in Sypontum .* |
| DCCCCXXII. | X. | *Intraverunt Hungari secundo in Italiam mense Februario .* |
| DCCCCXXVI. | XIV | *Michaël Rex Sclavorum comprehendit Sypontum .* |
| DCCCCXXXVIII. | XI. | *Sol obscuratus est .* |
| DCCCCXLI. | XIV | *Obiit* (*n*) *Atenolphus frater Domni Landulfi .* |
| DCCCCXLIII. | I. | *Obiit* (*o*) *Landulphus Antipater frater ejus .* |
| DCCCCXLVII. | V. | *Intraverunt tertio Hungari in Italiam .* |
| DCCCCLIV. | XII. | *Translatum* (*p*) *est Corpus Sancti Matthæi in Salernum .* |
| DCCCCLVIII. | I. | *Electus est Landolphus Episcopus .* |
| DCCCCLX. | III. | *Obiit* (*q*) *Constantinus Imperator .* |
| DCCCCLXI. | IV. | *Obiit Landulphus Princeps , & electus est Landulphus germanus Pandulphi Principis .* |
| DCCCCLXIV. | VII. | *Obiit* (*r*) *Romano Imperator filius Constantini . Otto senior Rex Romam venit .* |
| DCCCCLXVII. | X. | *Septima die intrantis mensis Septembris venit* (*ſ*) *Papa Johannes in Beneventum .* |
| DCCCCLXVIII. | XI. | *Sol obscuratus est decima die stante mense Decembris . Obiit* (*t*) *Landolphus Princeps & electus est Pandulphus filius ejus .* |
| DCCCCLXX. | XIII. | *Papa Johannes* (*u*) *primum consecravit Landulphum Archiepiscopum Beneventanum .* |
| DCCCCLXXXIII. | XI. | *Electus est Alphanus Archiepiscopus . Obiit Otto Rex Romæ .* |
| DCCCCLXXXV. | XIII | *Gregorius Papa consecravit Alphanum Archiepiscopum* |
| DCCCCXC. | III. | *Octavo Kalendas Novembris factus est Terræmotus magnus in Benevento , pro quo ceciderunt multa ædificia , & plures homines mortui sunt .* |

*Otto*

(*l*) Recte quidem : Atenolphus enim Capuano Principatu potitus est Sabbato post Epiphaniam, quod in VII. Id. Januarii incidit, Literâ Dominicali A. Erchemperto teste. Atqui nonnisi cum Anno 887. Indictione V. copulari potest hæc ab laudato Historico chronologica nota. Quare quum ille annis tredecim Capuæ imperarit, ut Johannes Archidiaconus in Chronic. Comit. Capuæ Tomo II. Rer. Italicar. pag. 273. refert , sequitur , ut primus annus ejus Principatus in Benevento illigandus sit Anno 900. Corrigendus est tamen Anonymus Salernitanus qui Part. 4. pag. 295. Tomi II. Rer. Italicar. initium anno LI. accidisse scribit, postquam nova Capua condita fuerit , quod Anno 856. contigit , quum stare non possint cum iis, quæ antea tradidit , scilicet Guidonem Marchionem duobus annis, mensibus sex, expulsis Græcis Beneventi regnasse : totidemque annis Radelchim ; quorum Principatus anni ad invicem collati annos quinque integros reddunt. Hinc eo referente, Græcis Anno 895. depulsis, superest, ut additis quinque Guidonis nempe & Radelchis annis , Atenulphi initia contrahamus ad Annum 900. & loco *LI.* annorum *XLIV.* notam eidem Anonymo Salernitano apponamus.

(*m*) Dissentit Chronographus alter San-Sophianus , qui annum unum integrum Atenulpho patri tribuit, quum scilicet solus regnarit, decem verò & menses sex cum filio. Verùm quum nonnisi Anno 900. exeunte Principatum Beneventanum obtinuerit tertiodecimo Capuani Principatus anno, qui cum eodem Anno 900. exeunte copulari debet , sequitur, ut Anno 902. ejus Principatus tertio ineunte filium Collegam elegerit.

(*n*) Emortualem annum Atenulphi junioris primus hic noster prodit Chronographus.

(*o*) Annis quadraginta quatuor regnasse in serie Comitum Capuæ dicitur Landulphus apud Peregrinium , computatis annis, quibus simul cum patre Regno præfuit. Quare recte ejus initia ad Annum 902. consignantur à Chronographo nostro : certamque ejus Regni annorum vel hinc periochem habemus, quam ex veteribus monumentis exoptabat ediscere clariss. vir Peregrinius . Antipatri nomen occurrit in ejus Charta in Chronico San-Sophiano apud Ughellium Tom. 8. Ital. Sacr. veter. editionis.

(*p*) Vide Ostiensem in Chronico Lib. 5. cap. 2. & Chronicon Cavense Tomo VII. Rer. Italicar. Ejus memoriam Pridie Nonas Maji Casinenses recolebant , ut ex eorum Ordine apud clariss. virum P. Martene de antiq. Monachor. Rit. Tom. 2. pag. 596. habetur. Quare hac die Anno 954. accidisse non immerito inde arguere licet.

(*q*) Constantini emortualis annus ad antecedentem 959. retrahendus est. Obiit enim eodem Anno, mense Novembri, ut recte Pagius statuit.

(*r*) Ad Annum antecedentem consignanda est Romani Augusti depositio: Ottonis verò Magni Romam adventus Anno 962. secundùm vulgarem Epocham est illigandus.

(*ſ*) De Johannis XIII. Papæ in Beneventum appulsu nemo Veterum , quem sciam, verbum fecit. Quod ex Ostiensis Chronico certum apparet, Anno 965. Pagio emendante, Capuam is Pontifex venit. Verùm , si nostro Chronographo fides, sententia Baronii stabit, asserentis, bis Capuam appulisse Johannem, nempe Anno præsignato; tum Anno 968.

(*t*) Septem annos & menses sex Landolpho Principi tribuit Anonymus San-Sophianus alter . Quare quum Anno 961. electus antea heic dicatur, sequitur, eum reipsa hoc Anno decessisse, die XXVIII. Decembris , quum à V. Kalendas Julii Anni 961. alterius Landolphi emortuali regnare cœpisse eum viderimus. Chronographus Cavensis ejus mortem ad superiorem annum revocat.

(*u*) In Concilio Romano Metropolitani Dignitas Beneventanæ primùm accessit Ecclesiæ, postquam jam Capuana eâ prærogativâ fuerat insignita: quidquid perperam in Retractatione sua dicat nuperus eruditus Criticus. Exstat Tomo IX. Concilior. columnn. 1238. edition. Labbean. Epistola Johannis XIII. Papæ, data Romæ VII. Kalendas Junii, Indictione XII. Pontificatus Anno IV. Quare in antecedentem Annum protrahenda sunt ea , quæ ad hunc Annum Chronographus noster consignavit.

| Anni Domini. | Indictiones. | |
|---|---|---|
| DCCCCXCVIII. | XI. | *Otto Rex (x) venit Beneventum.* |
| MI. | XIV. | *Obiit Alphanus Archiepiscopus.* |
| MII. | XV. | *Tertia die intrantis mensis Augusti venerunt Saraceni in Beneventum, & nocte transierunt ad Capuam & ad Neapolim.* |
| MIII. | I. | *Beneventani expulerunt Pandulphum Principem, & miserunt vinctum usque Surrentum.* |
| MV. | III. | *Reversus est Pandulphus de exilio. Electus est Alphanus Archiepiscopus.* |
| MX. | VIII. | *Fuit destructum Sepulcrum Domini.* |
| MXIV. | XII. | *Obiit Pandulphus Princeps mense Augusti.* |
| MXVII. | XV. | *Mense Maji venerunt Normanni in Apulia, & in mense Junio fecerunt bellum cum Græcis.* |
| MXVIII. | I. | *Apparuit Stella crinita.* |
| MXXV. | VIII. | *Obiit Henricus Rex.* |
| MXXIX. | XII. | *Inundaverunt aquæ fluminis Caloris & Sabbati.* |
| MXXXIII. | I. | *Eclypsis Solis mense Junio.* |
| MXXXIV. | II. | *Obiit Landulphus Princeps mense Septembris. In die Sancti Petri Sol obscuratus est.* |
| MXXXVIII. | VI. | *Mense Junio venit Conradus Rex in Beneventum. Mense Augusto factus est Landulphus junior.* (subintelligendum Princeps.) |
| MXLIV. | XII. | *Fuit Terræmotus in Cœna Domini horâ tertia mense Aprilis.* |
| MXLV. | XIII. | *Obiit Alphanus Archiepiscopus, & electus est Madelfridus.* |
| MXLVII. | XV. | *Venit (y) Henricus Rex filius Conradi super Beneventum cum Papa Clemente. Et Leo Sanctus Papa excommunicavit eos.* |
| MXLVIII. | I. | *Fuit fames valida.* |
| MXLIX. | II. | *Mense Aprili descendit Leo Papa in Apuliam ad Oratorium Sancti Angeli.* |
| MLI. | IV. | *Leo Papa misit Legatos suos Beneventum, qui acceperunt (z) saccummattum à Beneventanis ad .......* |
| MLIII. | VI. | *Descendit Leo Papa in Apuliam, ubi facto (&) bello cum Nortmannis, reversus est Beneventum, ubi, postquam ordinavit Uderisium Archiepiscopum, reversus est Romam, & obiit XIII. Kalendas Maji.* |
| MLIV. | VII. | *Obiit Leo Papa.* |
| MLV. | VIII. | *Tertiadecima die stante mense Junio factus est magnus sonus in Cælo, horâ Tertiâ.* |
| MLVIII. | XI. | *Factus est Pandolphus Monachus in Sancta Sophia.* |
| MLXI. | XIV. | *Mense Februario obsedit Nicolaus Papa (a) Alipergum, & sequenti mense Julio obiit.* |
| MLXII. | XV | *Alexander Papa (b) ordinatus est. Et Riccardus Princeps cepit Capuam.* |
| MLXIII. | I. | *Tertio Nonas Octobris fuerunt grandines magnæ sicut ova post cœnam.* |
| MLXV. | III. | *Cecidit resina (c) nimia de mense Novembris.* |
| MLXVI. | IV. | *Sextodecimo Kalendas Maji (d) apparuit Stella Cometis. III. die stante mense Februarii factæ sunt tenebræ horâ Nonâ, & permanserunt horæ tres. Postea subsequuta est pluvia rapida nimium. Dux Gotofredus venit. Et Nortmanni bella crudelissima fecerunt cum Britannis in terra Anglorum & Saxonum.* |
| MLXVIII. | VI. | *Obiit Udalricus Archiepiscopus.* |

Capta

(x) Quum non semel Beneventum venerit Otto III. observante Pagio ad hunc annum num. XX. hoc tamen Anno venisse vel ex Leonis Ostiensis Scholiaste eruditissimo ediscimus, qui Casinum adventasse, Præceptumque confirmationis bonorum eidem Archimonasterio concessisse, datum VIII. Kalendas Junii, Anni 998. ex Regesto n. 125. refert. Quare inde Beneventum usque pervenit.

(y) Eadem Hermannus Contractus, & VVippo in Vita Conradi Lib. 2. cap. 4. tum Ostiensis apud Pagium ad hunc Annum. Lapsus Librarii, Leonem pro Clemente excommunicatione Beneventanos perculisse scribentis. Porro illi Agnetem Augustam contumeliis affecerant. Ceterum Leo IX. Papa Anno nonnisi 1049. Clementi II. suffectus fuit, qui eos contra, teste Ostiensi, ab excommunicatione per Clementem decessorem suum lata absolvit.

(z) Pro *saccummattum* fortasse scribendum *Scaccummattum*.

(&) Immeritò Ostiensis prœlium Normannicum consignans à Pagio carpitur, quasi unius anni anachronismo peccarit, & in subsequentem illud protraxerit, quum apertis verbis Epocham signet Cap. 77. dicens: *Posthac adjunctis sibi fere cunctis partium istarum Militibus, Apuliam cum Normannis dimicaturus perrexit Anno Domini MLIII.*

(a) De hac Alipergi obsidione apud Historicos ne iota quidem. Quis etiam locus indicetur, nondum didici.

(b) Alexander II. Papa anno antecedenti Nicolao II. sufficitur; quare haud copulari potest cum Capuana expugnatione, quæ recte ad hunc annum consignatur, consentiente Ostiensi Lib. 3. cap. 15. quem vide.

(c) *Resina*, idest pluvia fœtida, seu immunda. Vide Du-Cangium in Glossar. Latin. verb. *Bromosus*, *Brumosus*. Idem infra repetitum videas ad Annum 1081.

(d) Ad hunc Annum tum Græci tum Latini Historici, qui tamen mense Majo visam scribunt, & Arnulphus Mediolanensis declinante Vere. Quæ quum per mensem & ultra visa fuerit, recte ejus apparitio ad illum diem consignari potest. Corrigenda Indictio in Chronico Cavensi, & Annus in Lupo. Gothifredi adventum hoc Anno confirmat Anonymus Casinensis: quare corrigendus Sigonius, qui Lib. 9. de Regno Italiæ præcedenti anno illigavit.

| Anni Domini. | Indictiones. | |
|---|---|---|
| MLXXI. | IX. | *Capta est Palermus à Roberto Duce .* |
| MLXXII. (*e*) | X. | *Undecimo Kalendas Maji obiit Alexander Papa , & Gregorius fit Papa mense Aprili .* |
| MLXXIII. | XI. | *Obiit* (*f*) *Pandulphus Princeps mense Februarii , & Burgum à Porta Rufina crematum est mense Augusti . Gregorius VII. Papa venit Beneventum .* |
| MLXXIV. | XII. | *Electus* (*g*) *est Domnus Madelmus , & consecratur in Abbatia Sanctæ Sophiæ à Domno Papa Gregorio . Et Milo fit Archiepiscopus .* |
| MLXXV. | XIII. | *Robertus Dux perrexit super Salernum , quod tenebat Gisolfus Princeps cognatus suus ; & sedit super eum à mense Magio , usque in festum Sanctæ Luciæ : & in ipsa nocte cepit eamdem Civitatem . Obiit* (*h*) *Milo Archiepiscopus .* |
| MLXXVI. | XIV. | *Roffridus fit Archiepiscopus .* |
| MLXXVII. | XV. | *Quintodecimo Kalendas Decembris obiit Landulphus Princeps , & quartodecimo Kalendas Januarii venit super* (*i*) *Beneventum Robertus Dux , & sedit ibi usque in VI. Idus Aprilis .* |
| MLXXVIII | I. | *Gregorius Papa tradidit Roberto Ducatum .* |
| MLXXIX. | II. | *Gelavit flumen Calor , ita ut desuper homines calciati transirent .* |
| MLXXX. | III | *Henricus* (*k*) *Imperator venit Romam . Et in eodem anno Robertus Dux perrexit super Civitatem Tiburtinam . Et Jordanus Princeps fecit pactum cum prædicto Henrico Imperatore .* |
| MLXXXI | IV. | *Tertio Nonas Februarii cecidit resina die & nocte , quanta nullus meminit . Henricus Imperator iterum Romam venit .* |
| MLXXXII. | V. | *Electus est Imperator Alexius Constantinus .* |
| MLXXXIII. | VI. | *Henricus Rex venit Romam , & obsedit eam .* |
| MLXXXIV. | VII. | *Henricus ordinavit* (*l*) *Clementem Papam Romæ , qui erat Archiepiscopus Ravennæ . Mense Maji perrexit Robertus Dux super Romam , & cepit eam fraude Romanorum , & deposuit de Arce Sancti Angeli Gregorium Papam , & cum eo venit Beneventum . Demorati sunt ibi aliquibus diebus . Ivit Salernum , & dedicatum est ibi* (*m*) *Oratorium Sancti Matthæi .* |
| MLXXXV. | VIII. | *Obiit Gregorius Papa apud Salernum . Obiit Robertus Dux trans mare .* |
| MLXXXVI. | IX. | *Obiit Girardus Comes .* |
| MLXXXVII. | X. | *Translatum est Corpus Sancti Nicolai in Varum . Sexto Idus Magi ordinatus est Desiderius , qui & Victor Papa dictus est , & obiit XV. Kalend. Octobris .* |
| MLXXXVIII. | XI. | *Mense Martio ordinatus est Urbanus Papa .* |
| MLXXXIX. | XII. | *Pisani & Genuenses Africanam regionem afflixerunt .* |
| MXCIII. | I. | *Mense Aprilis visæ sunt à multis quasi in unum Stellæ in Occidente cadere de Cælo .* |
| MXCIV. | II. | *Quartadecima die intrantis mensis Januarii factus est tremor magnus , & in quarto die . . . . . . . . .* |
| MXCVI. | IV. | *Gens Christianorum transit mare dimicatura contra Paganos .* |
| MXCVII. | V. | *Alma Hierusalem est reddita Christianis . Obiit* (*n*) *Datmarus .* |
| MXCVIII. | VI. | *Capua est reddita . Æstas fuit fervida plus solito , ut pro eo vites cum uvibus arescerent .* |
| MXCIX. | VII. | *Obiit Urbanus Papa tertio die stante mense Julio , & electus est Paschalis , qui & Raynerius Cardinalis : inde cessavit Schisma . Obiit* |

(*e*) Librarii Sphalma , Annum 1072. pro 1073. scribentis ; quo tempore & Alexander II. decessit prænotato recte die, & Sanctus Gregorius VII. electus fuit die XXII. Aprilis.

(*f*) In hac rerum narratione ordo præposterus observatur. Præmittitur Pandolphi mors, quæ exeunte hoc Anno contigit. Porro Gregorii VII. adventus hoc eodem Anno Indictione XI. mense Augusti.

(*g*) Recte Madelmi ordinatio in Abbatem Sanctæ Sophiæ cum Milonis ordinatione conjungitur : quem hoc Anno Beneventanæ præfuisse Ecclesiæ ex Synodico ejus Judicato edíscimus in Chronico San-Sophiano, quamvis ibi mendosa sit Indictio .

(*h*) Milonis obitus recte designatur, qui insequente ineunte Anno Roffridum successorem habuit. Corrigendus Ughellius in annum sequentem ejus obitum protrahens.

(*i*) Recte : nam VI. Idus Aprilis obsidionem pœne reliquit Robertus , à Desiderio Casinensi Abbate monitus , uti præter Romualdum, Ostiensis narrat Lib. 3. cap. 45. Porro Sanctus Gregorius VII. hoc eodem Anno prædicti Beneventani Ducatus investituram Junio decurrente Aquini Roberto Guiscardo concessit , à quo sacramentum fidelitatis accepit. Quare perperam à nostro Chronographo in subsequentem annum id protrahitur.

(*k*) De Henrici in Urbem hoc Anno adventu apud Scriptores ne verbum quidem. Fœderis autem cum Roberto innovati meminit Romualdus in Chronico, qui Cyperani fuisse Ducem scribit. Roberti super Tiburem adventus, & cum Henrico confœderationis meminit nemo . Guillielmus Apulus Beneventi fœdus iterum ictum memorat. Si divinare licet , Tiburi id accidisse , à nostro Chronographo subindicatum existimarem, unde Beneventum cum Gregorio processerit , atque in Ducatus Metropoli solemni ritu sancitum , quod fortè Tiburi definitum erat.

(*l*) Hoc est, *inthronizavit* : namque eum Brixini à Schismaticis eligi antea & ordinari fecerat.

(*m*) De Oratorio Sancti Bartholomæi à Roberto Guiscardo Anno 1077. constructo meminit Guillielmus Apulus , exstatque Epistola responsiva Sancti Gregorii VII. Alphano Salernitano Archiepiscopo scripta, quæ est octava Libri octavi, qui Sanctum Pontificem de care monuerat . Consecrationis tamen ejus Oratorii Epocham ex nostro Chronographo nunc primùm discimus.

(*n*) Dathmarus fuit Beneventanæ Urbis Præses, de quo Continuator Leonis Ostiensis Lib. 4. cap. 19.

| Anni Domini. | Indictiones. | |
|---|---|---|
| MC. | VIII. | *Obiit Clemens* (o) *Papa . Paschalis Papa descendit in Apuliam , & fecit Synodum in Melphia mense Octobris , & excommunicavit Beneventanam Civitatem , & permansit ita excommunicata menses XI. dies XXXI.* |
| MCI. | IX. | *Rogerius Comes Siciliæ & Calabriæ , Paschalis Papa cum Duce Rogerio , & multitudine militum , hominumque innumerabilium venit super Beneventum : quorum timore perterritus Anso Dathmari filius fugit X. Kalendas Octobris , Indictione X. Alio verò die triumphans ingressus , Urbem suo dominatui subdens .* |
| MCII. | X. | *Fuit fames valida , ita ut modium frumenti venderetur centum denarios ; & mortalitas hominum .* |
| MCV. | XIII. | *Apparuit Stella Cometes decimo die intrante mense Februarii ab occidente .* |
| MCVI. | XIV. | *Obiit Henricus Rex .* |
| MCVII. | XV. | *Obiit Roffridus Archiepiscopus . Obiit Domnus Adelmus Abbas , & Domnus Benedictus fit Abbas .* |
| MCVIII. | I. | *Paschalis Papa venit Beneventum , & facto Synodo mense Octobris consecravit Landulphum , VI. Idus Novembris .* |
| MCIX. | II. | *Secundo die intrantis mensis Novembris combustum est thesaurum Sanctæ Mariæ .* |
| MCX. | III. | *Apparuit Stella Cometis mense Junio per triginta dies . Filius Henrici Regis venit Romam mense Februario : fraude cepit Papam Paschalem , & Cardinales . Obiit Robertus Dux , VIII. Kalendas Martii , & Boëmundus frater ejus .* |
| MCXII. | V. | *Paschalis Papa fecit Synodum Romæ mense Martio , infringens pactum , quod fecerat cum Rege , sicut præcedenti anno juraverat cum Cardinalibus , & confirmato Decreto Pontificum prædecessorum suorum de investiendis Pontificibus Germaniæ . Duodecimo Kalendas Julii apud Neapolim mare recessit tantùm , & aqua quasi . . . . . passus ducta , ita ut pisces remanserint in sicco . Postmodum autem apparuit Stella clarissima . Undecimo Kalendas Augusti cœptum est ædificari Oratorium Sancti Bartholomæi à novo fundamento .* |
| MCXIII. | VI. | *Jordanes Comes , & Robertus simul cum Principe Capuano sumentes arma , venerunt super Beneventum II. Idus Augusti . Qui turpiter fugati sunt à Landulpho Comite Stabuli similiter cum Beneventanis .* |

(o) Clemens scilicet Antipapa ; quo confirmatur annus ejus emortualis à Pagio signatus ad hunc annum , num. 2.

# F I N I S.

# DE MARCHIONIBUS ITALIÆ.

# DISSERTATIO SEXTA.

# DISSERTATIO SEXTA.

DE illustri Titulo ac Dignitate *Marchionum Italiæ* multa jampridem attuli, Par. I. Cap. V. Antiquitat.* Estensium. Nunc alia mihi congerenda sunt, ut nobili argumento fiat satis. Ante Caroli Magni tempora difficile reperias in usu, aut à coævis Scriptoribus memoratum *Marchionis* nomen, à *Marcha* sive *Marchia* derivatum, voce Theutonica, quâ significantur *confinia*, ac *limites* Provinciæ alicujus, Regni, & agri. *Foris Marcham nemo mancipia vendat*, legitur in uno ex Capitularibus ipsius Caroli Magni spectante ad Annum DCCLXXIX. apud Baluzium Tom. I. pag. 198. Capitularium. Atque ideo qui sive Duces, sive Comites ab Imperatoribus Francis ac Germanis, & à ceteris Italiæ Regibus, præficiebantur regimini ac tutelæ Provinciæ alicujus sitæ in finibus Regni, ii sensim Sæculo Christi Nono appellari cœpti sunt *Marchiones*, *Marchenses*, *Marchisi*. In altero ex Capitularibus Anni incerti, quæ Carolo Magno tribuuntur apud prælaudatum Baluzium Tom. I. pag. 529. (sed nescio an certo titulo) inquirendum præcipitur: *Quomodo Marcha nostra sit ordinata, & quæ per se fecerunt confiniales nostri* &c. Subditur infra: *De illis hominibus non recipiendis à Marchionibus nostris, qui Seniores suos fugiunt* &c. Ludovicus quoque Pius Caroli Magni filius & successor in Edicto Anni DCCCXV. pro Hispanis in Franciam à Saracenorum infestatione confugientibus, loquitur *de ea portione Hispaniæ, quæ à nostris Marchionibus in solitudinem redacta fuit*. Hæc fortassis omnium antiquissima *Marchionum* mentio. Immo & de ipsa dubitabam ego olim, quum longe serius ejusmodi Titulum ab ipsis Francis usurpatum videam, & sub ipso Ludovico Pio appellari pergerent *Comites*, qui postea *Marchionum* nomen assumsere. Certe nulla mihi hæsitatio est in amandando ad figmenta Sæculorum posteriorum Chartam *Ludigari Comitis Civitatis Asculanæ*, quam Ughellius Tom. I. Ital. Sacr. in Episcop. Asculan. exhibet, scriptam, *Regnante Domino Carolo & Pippino filio ejus excellentissimis Regibus Francorum & Longobardorum, seu & Patritiis Romanorum, Regnorum in Christi nomine in Italia XXVI. & XVIII. & temporibus Vinigisi summi Ducis, Anno felicissimo Ducatus ejus Octavo, mense Junii, die II. per Indiction. VI.* hoc est Anno Christi DCCXCVIII. Quod Pippinus etiam appellari heic videatur *Francorum Rex*, nullam fere mihi difficultatem creat. Alibi idem factum ab imperitis Notariis animadverti, nisi quod Chartæ huic ab ipsis Carolo Magno & Pippino subscriptum dicitur, ac proinde Notario diligentia major futura fuit. Quod verò idem Pippinus *Patricius* etiam *Romanorum* dicatur, immo ipse non alio quàm isto in subscriptione titulo utatur: hoc sane concoquere ego nequeo. Insueta deinde est subscriptio ipsa *Caroli Imperatoris*, ac *Pippini Patritii Romanorum*. Suis Diplomatis, non sua subscriptione consueverunt Imperatores, & Reges aliorum donationes confirmare: quod etiam factum non Anno DCCXCVIII. fuerit, sed postquam Carolus Imperialem Dignitatem adeptus est. Subscribit etiam *Vinigisus Dux & Marchio*: quod profectò vix credam, quum, uti nuper ajebam, titulus *Marchionis* nondum invaluisset. Præterea subscribunt *Rodelantus* & *Astolfus*, duo scilicet ex iis, quos *Paladini* appellatos Romanenses tantùm Fabulæ celebres effecere. Ad hæc difficile cum Anno DCCXCVIII. componas *Annum Octavum Winigisi Ducis*, quem Anno DCCLXXXIX. Ducatu donatum colliges è Catalogo Chartarum Farfensium, infra mihi evulgando in Dissertat. LXVI. *de mod. acquir.* Denique in ea Charta supino nimis errore adnotatur *Annus ab Incarnatione DCCCLXXIV.* quod & Ughellius sensit, & pro suo modulo castigandum sibi censuit.

At jam percontetur aliquis, quodnam olim intercedebat discrimen inter *Duces*, *Marchiones*, & *Comites*? In eodem nuper laudato Edicto nulla alia quàm *Comitis* appellatio Præsidi Marchiæ tribui videtur iis verbis: *Cum Comite suo in exercitum pergant, & in Marcha nostra juxta rationabilem ejusdem Comitis ordinationem, excubias facere non negligant*. Præterea Adalberti duo Tusciæ Præfecti Sæculo Christi Nono nunc *Duces* inscripti reperiuntur, nunc *Marchiones*, aut *Comites*; & æque Tuscia ac Forum-Julii modò appellatione *Ducatus*, modò *Marchiæ* memorantur. In quo ergo sita erat ejusmodi nominum diversitas? Quæstionem hanc dirimere non tam facile liceat; neque enim sinit veterum monumentorum penuria, nos certius atque intimius in hanc rem intueri. Extra omnem dubitationem positum reor, sub Regibus Langobardis inauditum in Italia fuisse, aut certe nusquam usurpatum nomen, nedum munus *Marchionum*. Regnantibus iis in eorum ministerio nullos alios invenias, nisi *Duces*, *Comites*, aut *Judices*, *Gastaldios*, *Sculdascios*, aliaque id genus nomina. Ad *Duces* ergo Langobardicos quod attinet, quamquam certum videatur, eorum Dignitatem à *Militia* nomen accepisse, atque ejusmodi appellatione fuisse donatos, qui militaribus copiis unius Civitatis aut unius Provinciæ præessent: incertum tamen est, an ita politico regimini Civitatis sibi commissæ præessent, ut *Judicis* etiam munus sub Langobardis Regibus implerent. In Codice Legum Langobardicarum Lib. I. Tit. 14. Rotharis Rex in hæc verba loquitur: *Si quis de exercitalibus Ducem suum contemserit ad justitiam faciendam, XX. Solidos Duci suo & Regi componat*. In altero Edicto ejusdem Regis legitur: *Si quis res suas ab alio in exercitu requisierit; & noluerit ille reddere, tunc ambulet ad Ducem. Et si Dux illi, aut Judex, qui in loco ordinatus est à Rege, veritatem, aut justitiam non conservaverit, componat tam Regi, quàm ei, cujus causa est, Solidos XX.* Qui heic appellatur *Judex*, nihil aliud mihi est, quàm qui *Comes* postea vocatus est. Nimirum occupato à Francis Italico Regno ad regimen cujuscumque Civitatis delectus est Præfectus cum titulo *Comitis*, ad quem præ ceteris spectabat justitiam unicuique ministrare in Placitis. At hoc idem præstitere *Judices* singularum Urbium sub Langobardis Regibus. Liutprandus Rex Lib. 2. Tit. 41. Lege primâ edicit, ut qui lites habent, ad suum *Sculdascium* dirimendas deferant, qui si justitiam facere negliget, pœnâ plectetur. Quod si ejusmodi erit causa, ut à Sculdasio decerni non pos-

possit, ad *Judicem* deducatur: & isto suum munus negligente, ad Palatium Regis tamdem controversia deveniat. *Si verò talis causa fuerit, quod ipse Sculdasius* (*Sculdais* habet MStus Codex Estensis) *deliberare minime possit, dirigat ambas partes ad Judicem suum. Et si nec Judex deliberare potuerit, dirigat infra duodecim dies ambas partes in præsentia Regis.* Ergo post supremum Regiæ Curiæ tribunal, unicuique Civitati suus erat *Judex* minister justitiæ, auctoritate similis *Comitibus* posteriorum temporum. In Præfationibus ad Leges suas protestantur Langobardorum Reges, se Edicta illa efformasse una *cum Judicibus & reliquis Langobardis fidelibus tam de Neustriæ, quàm de Austriæ, vel de Tusciæ finibus.* Liutprandus verò Rex, eosdem Judices significaturus, hisce aliis verbis utitur: *Una cum illustribus viris Optimatibus meis Neustriæ & Tusciæ* (oscitantia Librariorum excidisse puto *Austriæ*) *vel universis Nobilibus Langobardis.* Ex quibus sat patet, *Judices* in Civitatibus primatum tenuisse, uti deinde à *Comitibus* factum, eisque commissum ministrare Populo justitiam. Ceterum an uti Francorum *Comites*, ita Langobardorum *Judices* addicti placido Juris publici studio, arma quoque induere ac militare, poscente necessitate, cogerentur, nondum liquido intellexi. At de his latius in Differt. VIII. *de Comitibus* erit differendi locus.

Ad *Marchiones* venio. Illud exploratum, id nominis sub Imperatoribus Francis iis datum, qui Provincias positas ad fines Regni tuebantur: idem enim significabat *Marchio*, ac Præfectus Marchiæ sive Marchæ, hoc est Provinciæ alicujus Præses, cui cura, ac tutela finium, ac limitum Regni commendata fuerat, sive terra, sive mari hostium incursibus Provincia pateret. Idem verò munus, non tamen nomen, ignotum minime fuit sub ipsis Romanis. Nam *Duces limitaneos* sub Severo Alexandro Augusto fuisse, auctor est Lampridius in ejus Vita Cap. 58. Ita à Vopisco in Aureliano commemorantur *Saturninus Scythici limitis Dux, & Trypho Orientalis limitis Dux.* Sed & à Trebellio Pollione in Celso mentio fit *Pomponiani*, qui fuit *Dux limitis Lybici.* Sæculo quoque Christianæ Æræ Sexto sub Gothis Regibus in Italia dominantibus, ejusmodi ritum perdurasse, testis est Cassiodorius Lib. 7. Cap. 4. Variar. En ejus verba: *Ducatum tibi credimus Rhætiarum, ut milites in pace regas, & cum eis Fines nostros solemni alacritate circumeas.* Neque secus adhibiti à Francorum Regibus Proceres militares, qui finibus Provinciarum tuendis præessent. Tanti verò momenti res exigebat, ut non unius Civitatis, sed integræ Provinciæ homines, urgente aliqua aut impressione, aut suspicione hostium conterminorum, ad arma insurgerent, & sub uno capite militarent. Qui ergo ad *Marchiæ* sive *Provinciæ* tutelam supremo armorum imperio deligebatur, is sive Dux, sive Comes foret antea, *Marchio* etiam appellari ex hoc munere cœptus est. Porro ejusmodi officium in Provinciis, quæ jampridem Duci uni suberant (quales jam diximus *Forum Julii*, atque *Spoletum*) in ipsis Ducibus continuatum est; in iis autem Provinciis, quæ à pluribus Comitibus regebantur, nullum sibi Præfectum præter Regem agnoscentibus (quales sub Regibus Langobardis Tuscia, Litus Italicum, & Insubria fuisse videntur) inter Civitatum *Comites* demum delectus est potentior atque illustrior, qui *Marchionis* titulo ceteris præesset, & auctoritatem in universam Provinciam exerceret. Id primò in Francia Sæculo Christi Nono usurpari cœptum, deinde in Italico Regno; eaque auctoritas ac dignitas iis collata est, ut singulis Comitibus, totiusque Provinciæ hominibus imperarent. In supra memorato Edicto Ludovici Pii pro Hispanis hæc legimus: *In Marcha nostra, juxta rationabilem ejusdem Comitis ordinationem, excubias facere non negligant.* Et infra; *Ad Comitis sui mallum* (hoc est, ad publica judicia ab ipso Comite habita) *omnimodis venire non recusent.* En Marchiæ Præfectum *Comitem*; atque hinc *Marchionis* titulus ei additus fuit. Ita in Annalibus Reginonis ad Annum DCCXCIX. legenti occurrit: *Wido Comes, qui in Marca Britanniæ præsidebat.* Hic autem in Annalibus Eginhardi, sive Laureshamensibus appellatur Wido Comes, atque *Præfectus Britannici Limitis.* Rursus in his ad Annum DCCCXXVIII. commemoratum videas *Baldericum Ducem Forojuliensem*, hoc est *Ducem*, qui Provinciæ Forojuliensi Præfectus erat. Et nihilominus decem ante annos laudatum ibidem deprehendimus *Cadolaum Comitem, & Marcæ Forojuliensis Præfectum.* Nempe hic titulum quoque gessit *Comitis*, ac *Marchionis*. Sed & idem Anno sequenti appellatur *Dux*, ejusque Ducatus appellatione *Marchiæ* donatur. *Cadolach Dux Forojuliensis febre correptus in ipsa Marchia decessit.* Ita in Diplomate Berengarii I. Augusti, Anno DCCCCXXIII. Tomo V. Ital. Sacr. in Episcopis Bellunensibus memoratur *Marchia Fori Julii.* Paria animadvertas in Ducibus Spoleti ac Tusciæ, qui nunc *Ducis*, nunc *Marchionis*, interdum etiam *Comitis* titulo insigniti cernuntur. In Tuscia frequentius adhibita est appellatio *Marchionis*, quàm *Ducis*, quamquam utroque titulo Principes illi fruerentur. In Charta Attonis Episcopi Florentini, spectante ad Annum MXXXVII., quam laudat Borghinus in Tractat. de Eccles. Florentin. ista leguntur: *Pro salute & remedio animarum Ducum, seu Marchionum Tusciæ; & pro salute & incolumitate Bonifacii eximii Marchionis.* Secus in Provincia Spoletana, quamvis & ipsa *Marchiam* constitueret, unus tamen fere semper titulus *Ducis* in usu fuit. Et contra complures alii in Italico Regno post Annum Christianæ Æræ Millesimum occurrunt, *Marchionis* quidem dignitate ac nomine illustres, numquam verò *Ducis* appellatione distincti: quæ quidem argumento esse possunt, non idem fuisse munus & decus *Marchionis* ac *Ducis*. Si præpollebat *Ducis* appellatio, cur Tusciæ Duces, postposito hoc titulo, sæpius *Marchiones* se se inscribebant? Rursus verò cur tot *Marchiones* numquam *Ducali* titulo decorati inveniuntur? Conjecturam meam accipe. Uni illi Marchiones fuerunt etiam *Duces* olim appellati, sive quod plures Comites sibi subjunctos haberent, & multas per consequens Urbes regerent, quales certe fuerunt Duces Tusciæ, Fori-Julii, & Spoleti, sive quod præcipua aliqua insignia à Regibus & Augustis eorum Dignitati adjicerentur, quorum ceteri Marchiones expertes erant. In Annalibus Francorum legimus, *Bosonem* Caroli Calvi Augusti Sororium fuisse *Ducem* constitutum Anno DCCCLXXVI., & in Urbe Ticinensi *Coronâ Ducali* ornatum. Illi ergo appellati *Comites*, quippe Præfecturam alicujus Urbis gerebant; *Marchiones*, quia tutelæ finium universæ Provin-

vinciæ præfecti; *Duces* verò, quod complures Comites & Civitates sub suo imperio haberent, aut Coronæ Ducalis decus impetrarant. Ceteri tantummodo *Marchiones* appellati, qui limites tuebantur, sed nullos aut paucos Comites sub se numerabant.

Institutum fuit, ut supra innui, munus ac nomen *Marchionum* à Francis Regibus post Sæculum à Christi Nativitate Octavum, Regno in varias *Marchias*, sive Provincias limitaneas diviso. Quamdiu conjuncta stetit Italia cum Regno Francorum in prosapia Pippini Francorum Regis, Italia non vidit appellatione Marchiæ distinctas eas partes, quæ limite suo contingebant Galliam atque Germaniam: nullus enim inde hostis timebatur, quum universa hæc Regna unum Dominum, unamque Regiam stirpem sibi imperantem agnoscerent. Sed postquam in diversas portiones excisa fuit amplissima ditio Caroli Magni, ac potissimum exclusis ex Italia ejus posteris, novæ quædam *Marchiæ* heic efformatæ fuerunt ad fines Galliæ & Alamanniæ, & ad ipsum Mare inferum, ut Saracenis aut Nortmannis incursantibus obsisteretur. *Mediolano* atque aliis Insubriæ Civitatibus, ex quo Imperatores Sæculo Christi Decimo extra Italiam habitare consueverunt, suspicatus olim fui, *Comitem Sacri Palatii* præfuisse. Erat iste nimirum Magistratus amplissimus, ac Ticini plerumque consistens; atque hic in Antiquitat. Estens. Par. I. Cap. VI. mihi visus est *Marchionis* munus in iis partibus exercuisse; neque enim alium ibi hactenus deprehendi, qui præstantior ipso, Comitibus variarum nobilium Civitatum præesset, quando Reges aberant, uti in aliis Provinciis Italici Regni consuetudo fuit: quum *Ducum* præcipue seu *Marchionum* esset, auctoritate in omnes Provinciæ suæ Civitates sibi traditâ, universam regionem illam in officio continere, atque ab hostibus protegere. Vide infra Dissertat. XIII. *de homin. Liber.* Ibi occurret tibi ad Annum DCCCCI. *Sigefredus Comes Palatii, & Comes Comitatus Mediolanensis.* Nunc etiam Comes Palatinus Rheni nulli Germanicorum Ducum, aut Marchioni Brandeburgio, auctoritate cedit, quamquam neque Dux, neque Marchio appelletur. In hanc rem nonnulla congessi in eisdem Antiquitatibus Estensibus: & adhuc in ea sententia sum, è Mediolanensi quoque ditione constitutam olim fuisse unam *Marchiam*, institutam, ut opinor, postquam Otto Magnus imperare cœpit, aut saltem Sæculo proxime sequenti. Pari etiam ratione ad credendum ducor, ex *Litore Italico*, quod Genuensium ditionem nunc complectitur, efformatam olim fuisse *Marchiam*; nam & ipsa illa regio post Francos Italiæ Reges fuit finis Regni cum terra tum mari. Hanc ipsam Provinciam designatam olim puto in Diplomate Hugonis Italiæ Regis, cujus vetustissimum exemplum (nam archetypum appellare non ausim) vidi in Tabulario Canonicorum Arretii. Est autem hujusmodi.

## Mundiburdium ab Hugone Italiæ Rege concessum quibusdam hominibus Territorii Balneensis circiter Annum 928.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Hugo divina favente clementia Rex. Omnibus fidelibus Sancte Dei Ecclesie, nostrisque presentibus scilicet hac futuris notum esse volumus: qualiter suburbium . . . . . . . . Ortensium venerunt ad nos homines supplicantes ac petientes nostram Regalem clementiam, ut eis roborem securitatis auxilium respiceremus tam super eos, quam super eorum omnibus rebus misericordiam confirmaremus. Hi homines sunt habitatores Terretorium Balneensis. Nomina vero eorum propria sunt, Georgius cum tres filiis suis, idest Albericus, Gandulfus, atque Frodgerius. Nos namque pro Dei amore, animeque nostre remedium super eos, ed super eorum rebus adminiculum pietatis inpendimus, atque nostram Regalem potentiam, Mundburdium tam movilibus quàm & inmovilibus rebus sive familiis, servis, atque liberis utriusque sexu, que esse videntur in* Terretorium Balneensis, *seu in* Comitatu Montefeltro, Bobio, Cesena, *atque* Arimino, *& etiam* Castello Felicitatis, *seu* Aritio, *vel per ceteras locas, tam in omnibus finibus* Romanie, *quàm in cunctis finibus* Tussie *sive* Italie, *tam in omnibus finibus* Spoletini *quàm & circa* Maris Littoribus *est vel fuerit conquisita, tam cultis quam agris, seu habitantibus quam inhabitantibus, sive solestres quamque publicis, alpestribus, seu pascualibus, animantibus, tam aquis piscantium, quam & silvis venantium, tam de hereditario jure quamque & de comparatione. Insuper & statuimus ac confirmamus vos prefati Georgius & Albericus atque Gandulfus seu Frodgerius ipsa Foresta, quam tenetis per comparationem da Garardus. Unde vos nostram Regalem clementiam auxilium auctoritatis existere, seu & omnem vestrum conquisitum tam proprietatis quamque & preceptarias atque livellarias, vel per quacunque genio scripturarum, vel corporalis traditio, sive quantacunque per monimina cartarum vestrarum instrumenta tenuistis vel tenetis, vel in antea conquirere potueritis bannum nostrum in Mancosos auri duo millia mitti juberemus; pro quo salvi & quieti vivere valerent, sicuti & fecimus, & has nostras Regales literas in eorum scribere jussimus. De quo precipientes omnino jubemus, ut nullam quelibet magna parvaque persona in persona eorum, vel in eorum rebus movilibus & inmovilibus rebus, seu servis & ancillis, liberis & colonis tam originariis quam noviter adquisiti, tam per omnia eorum monimina, quamqui per diversarum cartarum strumenta, vel per qualicumque ingenium adquisitas infra supra & scripta Comitata & Territorias tam Balneensis quam & ceteris finibus positas, ut nullus nullam audeat inferre molestiam aut contrarietatem sine legali judicio. Qui verò fecerit, predictos duo millia Mancosos auri se agnoscat esse compositurum, medietatem parti Camere nostre, & medietatem predictorum Georgii & Alberici atque Gandulfi seu Frodgerii, eorumque heredes. Ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur de sigillo nostro subter jussimus sigillari.*

*Locus sigilli cerei deperditi.*

Vides heic varias Italici Regni Provincias distingui, *Romaniam* videlicet (nunc *la Romagna*), quæ tunc ejusdem Regni pars habebatur, Tu-

*Tusciam*, *Italiam*, in qua Mediolanum, *Spoletum*, & *Maris Litora*, in quibus Genua. Ita in *Constitutione promotionis exercitus* Ludovici II. Augusti Anno DCCCLXVI. quam Peregrinius evulgavit ( vide Tomum II. Rer. Italicar. pag. 264. ) ad colligendos ac movendos milites præfecti dicuntur *in Litore Italico* ( ideit in litore Inferi Maris ) *Ermefridus*, *Macedo*, & *Vulferius*. Atque eo quod Litori isti Italico *Marchiæ* nomen inditum tamdem fuerit, non immeritò ab Anonymo Ravennate memoratur *Provincia maritima Italorum*, *quæ dicitur Lunensis*, *& que confinalis existit de suprascripta Provincia*, nunc *la Provenza*. Marcharum *Mediolanensis* & *Genuensis* non dubium testem jampridem attuli Par. I. Cap. VI. Antiquitat. Estens. hoc est Chartam, inter eas referendam, quæ *Brevia*, aut *Chartæ recordationis* appellantur: hoc est, quæ non sunt Diploma Imperiale, sed Instrumentum Notarii testantis, Imperatorem aliquid egisse. Neque enim eo ipso momento, quo Investitura alicujus rei dabatur in Curia Regum, Diploma quoque expediebatur à Cancellario. Itaque ex ea Charta intelligimus, Fridericum I. Imperatorem Anno MCLXXXIV. *Obizoni Marchioni Estensi* titulum concessisse Investituræ *de Marchia Genuæ*, & *de Marchia Mediolani*, uti jam aliis antecedentibus Estensis Familiæ Marchionibus, aut saltem Azzoni II. ejus Avo, concessum fuerat. Alia ejusdem Marchiæ vestigia in eodem Libro commemorata invenias. Quamvis enim Friderici I. temporibus nullum amplius *Marchionem* Mediolanenses & Genuenses sibi præesse ac imperare sinerent, quippe Reipublicæ formam, frustra obsistentibus Augustis, amplexi: attamen Imperatores, quod solùm poterant, consuetudinem retinuerunt largiendi, si non rem, saltem Titulum ejusmodi Marcharum, quo suum jus aliqua ratione illæsum servarent. Fortius verò me in hac sententia confirmavit, quod postea deprehendi in altero ejusdem Friderici I. Diplomate archetypo apud Clarifs. Virum Marchionem Scipionem Maffejum, eruditionis etiam hujusmodi cultorem egregium. Ibi *Bonifacium Comitem de Sancto Bonifacio*, *Malregolati Comitis filium*, Fridericus idem Augustus *Comitem Veronæ* esse jubet, eumque de illius Urbis Comitatu investit, nonnulla jura ac tributa Dignitati eidem adnexa, simulque alias complures Terras, Comitis, ut puto, allodiales, eidem confirmans. *Concedimus*, inquit, *Comitatum Veronensem*, *& omnia*, *quæ ad Comitatum pertinent*, *& omnia Misteria* ( unde Italica vox *Mestieri*, quo nomine Artes significamus, videlicet converso nomine *Ministerium* in *Misterium* ) *& officia tam de Scola Majori*, *quàm de Officio Pistorum & Macellatorum*, *& ut in prædictis Officiis delinquentium ad eum pertineat districtio* &c. *& jus campanatici*, aliaque jura, quæ olim ad Comitem Urbis spectabant. Datum est hoc Privilegium Anno MCLXV. atque illud idem ab eodem Friderico confirmatum subinde fuit *Sauro Comiti de Sancto Bonifacio* Anno MCLXXVIII. ac deinde à Friderico II. Comitibus ejusdem illustris Familiæ. Neque prætermittendum, Bonifacium illum Malregolati Comitis filium, etsi puerum pater moriens reliquerit, ei tamen in Veronensis Comitatus munere, sive Titulo successisse: quod elicere posse mihi videor ex Charta in Archivo Monasterii Veronensis Sancti Zenonis servata & exarata *Anno MCLII. die Luni*, *qui est IX. Kalendas mensis Julii*, *in Civitate Verona*, *in domo*, *qui dicitur Curtalta*, *Tebaldo Sanctæ Veronensis Ecclesie venerabili Episcopo*, *nec non Alberto Tenca Veronensium Rectore*, *& Eleazaro*, *Contutoribus Bonifacii Comitis Veronensis filii Malregolati Comitis*. Extra omnem controversiam positum est, Veronensem Populum longe ante Fridericum I. libertatem arripuisse, nullique Comiti ab Imperatoribus constituto fuisse illic locum, quamquam San-Bonifaciana Familia diu perrexerit habitare in ea Urbe, multisque honoribus frui, immo tempora fuerint, quibus dominationem quamdam receperit. Verùm Friderico ejusque successoribus placuit, Titulum saltem ditionis continuare in Familia Comitum de Sancto Bonifacio, cujus Majores non Titulo solùm sed etiam re Comitatum illius Urbis tenuerant. Neque refert objicere, Mediolanum, eique conterminas Urbes jacuisse in medio Italiæ Regno, neque sitas *ad limites Regni*, ex quo effluere posset in Præsidem *Marchionis* appellatio. Mediolanensis enim Marchia cum Terris ac Civitatibus sibi subjunctis, uti & nunc, pertingebat olim ad fines Helvetiæ ac Rhetiæ, sive Alamanniæ, & ad Sedunenses, qui Burgundico Regno subjuncti erant, atque adeo limitanea erat Italici Regni.

Hisce adde, Sæculo quoque Decimo efformatam fuisse *Marcham Montisferrati*, quam tunc pertigisse ad limites Regni, nemo hactenus ostendit. Nam quod doctissimus amicus meus in Dissertat. Chorograph. præposita Tomo X. Rer. Italicar. Section. XI. num. 43. contendit, Marchæ hujus ditionem usque ad Ligusticum mare excurrisse, idoneis tabulis nondum firmatum puto. Uno Diplomate Ottonis Magni Augusti ad Annum DCCCCLXVII. spectante, & in Benevenuti de Sancto Georgio Historia edito, ejus opinio nititur, ubi Imperator ait: *Donamus atque largimur prædicto Aledramo Marchioni omnes illas Cortes à Flumine Tanari usque ad fluvium Urbam*, *& ad Litus Maris*, *quorum nomina sunt hæc*: *Dego*, *Bagnasco*, *Ballangio* &c. Sed animadvertendum est, nihil in eo Diplomate agi de *Marcha Montisferrati*, cujus regimen tradere minime mos fuit ejusmodi formulis. Ibi *Cortes* tantummodo Otto donat & confirmat, & in jus Aledrami transfundit. Hoc est, ibi dumtaxat agitur de *Allodiis*, qualia fuere *Cortes*, uti in Dissertat. XI. palam fiet, & formulæ ipsæ produnt; non verò de *Beneficiis*, qualia fuerunt Marchæ, Comitatus &c. Quamobrem Diploma illud invitum trahas ad Montisferratensis Marchæ fines indicandos. Et præcipue quum, ut infra dicam, vel Anno MXIV. *Marcha Savonæ* occurrat, & vix de antiquitate *Marchæ Genuæ* dubitandum sit, ita ut fateri cogamur, præclusum fuisse *Marchæ Montisferrati* aditum ad Ligusticum Mare. Adde, alteram quoque Marcham in ipso Mediolanensi tractu olim institutam videri, si fides Gualvaneo de la Flamma in Manipul. Flor. edito Tomo XI. Rer. Italic. Loquor de *Martesana*, Provincia sive regione memorata in antiquis Mediolanensis Populi Historiis, atque apud Ottonem & Acerbum Morenam Laudenses Historicos evulgatos Tomo VI. earumdem Rer. Italicar. Inter Abduam & Lambrum, Tristano Calcho teste, protendebatur hæc regio ad montes Briantiæ, ejusque caput fuit Vicus Mercatus. Igitur Mediolani Præses vetustis Sæculis (si inquam Gualvaneo adhibenda fides est ita scribenti Cap. 42.) *erat Dux Burgariæ*, *Comes Seprii*, *& Marchio Martesanæ*. Tum Cap. 201. Me-

Mediolanensis Reipublicæ victorias enarrans ab Urbe restaurata Anno MCLXVII. ait: *Ducatus Burgariæ, Marchionatus Martesanæ, Comitatus Seprii, & Comitatus Turigiæ & Parabiagi &c. facti sunt subjecti & servi perpetui Civitatis Mediolani*. Quare uti quæ nunc Marcha Anconæ dicitur, & de qua sermo infra erit, primo appellata fuit *Marcha Guarnerii*, ita regio illa fuisse olim videtur *Marcha Martesii*. Antiquis profecto temporibus, frequentius etiam quam nostris, Regnorum ac regiminum mutationes occurrebant, & excisis antiquis Marchis novæ instituebantur, aut una in plures dividebatur, sicuti & novi Comitatus in dies pullulabant, prout fortuna belli, sive precum importunitas, sive pecuniæ oblatæ potentissima ratio, aut una ipsorum Regum mobilis voluntas faciendum suadebant. Cui consuetudini postea Fridericus I. Augustus finem fecit C. de Feud. Lib. 2. Tit. 55. *de prohibita Feudorum alienatione*. Bene tamen cessit, quod ad hæc luculentius confirmanda emerserunt Chartæ duæ ad *Azzonem Marchionem & Comitem Mediolani* Anno MXLV. spectantes, quas proferam infra in Dissertat. XLV. *de assumta à Civitat. Italic. Reipubl. formâ*, & quas etiam commemoravit prælaudatus Cl. Vir D. Gaspar Berettus pag. 72. Dissertat. Chorograph. Has ibi legendas servavi. Neque alia fuit apud Francos, Alamannos, aliosque Germaniæ Populos Marcharum ratio, nisi quod dubitare cogor, acceptum-ne semper fuerit *Marchæ* sive *Marchiæ* nomen pro significanda Provincia. Huc referenda est Charta non vulgaris, quam olim descripsi ex Tabulario celebris Monasterii Bobiensis, spectans, ut mihi veri simile videtur, ad Annum DCCCLXXX. Annum videlicet Quinctum Regni Ludovici junioris Alamanniæ Regis, nisi forte intelligendus sit Ludovicus Rex ejus pater, filius Ludovici Pii Imperatoris. Mirum, quantùm sapiat Charta hæc inscitiam rudium Sæculorum. Lege, si lubet.

## Donatio Ecclesiæ fundatæ prope Marchiam Rhetiæ sub titulo Sancti Columbani, facta à Wolfarto Helvetico viro, Abbati Sancti Columbani Bobiensis, Anno fortasse 880.

*EGo in Dei nomine Wolfarth. Conplacuit mihi in animo meo, ut aliquid de rebus meis pro remedio anime mee & parentorum meorum condonare deberem, quod & ita & feci. Hoc est in pago Turgauge, loco qui dicitur* Wangas, *prope* Marcha Reciæ, *Basilica constructa, ubi Sanctus Columbanus olim cum suis habitare volebat, modo Deo opitulante concedit nobis de suo sancto Corpore Reliquias ad haberé. Nunc volo illam porcionem, quam mihi pater meus moriens dereliquid in ipsa Capella, & ego me ipso conquesivi, idest Curte clausa edifitiis, mancipiis septem, terris cultis & incultis, pratis, pascuis; silvis, aquis farinariis; & insuper aditiam quicquid mihi de Rikero advenit in* Marcha Tucunnie *cum omni intecritate, hoc est Curte clausa cum edifitiis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarum cursibus & incursibus, & in alpis. Hec, ut prefatus sum, cum omni adjacentiis vel apenditiis trado ad Ecclesiam, que constructa est in Italia in honore Sancte Petri, ubi Sanctus Columbanus in corpore requiescet ad* Monasterium, *que dicitur* Pobio, *ubi* Amalrichus Abbas *gregi Dei regulariter preesse cognoscitur. In eá ratione videlicèt, ut quamdiu mihi vita comitatur in corpore, superius denominatas res liceat ad habere, & censumque singulis annis persolvere ad ipsum Altarium, qui est constitutus ad capud Sancti Columbani, duas Albas bonas ad Missam celebrare; hoc fiat ad Missam Sancte Johannes, aut antea octo dies aut postea. Sin autem tale negligentia pervenerit, quod non poturit, postea in dublum, donec ad ipsum tumulum, unde ego indignus consolationem anime mee accepi. Infantes mei post obitum meum similiter faciant. Posteritas, que de illis fuerint procreati, masculi heredes legitimi semper habeant in ipsum censum. Sin autem plerumque contigit, quod nullus masculus de illis legitimus non est, tunc etiam ubi censum persolvebatur, illuc etiam revertat in perpetuum. Sique sciero, quod futurum non credo, si ego ipse, aut quislibet persona istius traditionis firmitatem corrumpere voluerit, obviante ei ordine veritatis, nullatenus fallatiam suam valeat perficere, & pro ausu temerario persolvat ad prefatum Monasterium duplum tantum, quantum malo ordine cupiditatis preventus abstrahere voluerit; & insuper Rege sit culpabilis auri untias tres, argenti pondera quinque coactus exsolvere, & nihilominus presens cartula cum omnibus in se confidentibus inviolata permaneat cum testibus subordinatis.*

*Actum in puplice in loco, qui dicitur* Wangas, *ubi ipsa Ecclesia est constructa in honore Sancti Columbani, presentibus quorum hic signacula continentur.*

*Signum Wolfhart, qui hanc traditionem fecit & confirmare rogavit.*
*Signum Ruadpert.*
*Signum Posso filios suos.*
*Signum Herchanolt.*
*Signum Hettar.*
*Signum Iltipret.*
*Signum Dionzo.*
*Signum Hekgibart.*
*Signum Paldcoz.*
*Signum Wrtaram.*
*Signum Baldram.*
*Signum Peratolf.*
*Signum Lantolt.*
*Signum Hegilpert Peccatger.*
*Signum Gerram.*
*Signum Cozhelen.*
*Signum Amalberi.*
*Anno V. Regnante Ludovici Rege, & sub Atone Comite, octavo Idus Augusti.*
*Ego indignus Cunpertus Presbiter scripsi & subscripsi.*


Habetur heic mentio loci, ubi habitationem sibi delegerat Sanctus Vir Columbanus in Turgovia, in cujus rei monumentum Ecclesiam sive Oratorium postea ædificandum curarat Wolfartus donator. Hinc autem lux aliqua fortassis affulgere poterit iis, quæ habet Walafridus Strabo Cap. 4. Vitæ Sancti Galli Abbatis apud Mabillonium in Act. Sanctor. Benedictin. Describens ille itinera Sancti Galli una cum sancto ejus Magistro Columbano, his oti-

utitur verbis: *Venerunt infra partes Alamanniæ ad fluvium, qui Lindimacus vocatur. Juxta quem ad superiora tendentes, pervenerunt ad Lacum Turicinum; quumque per litus ambulantes, venissent ad caput Lacus ipsius in locum, qui Tucconia dicitur, placuit illius loci qualitas ad inhabitandum*. Opinatur Clarifs. Mabillonius nomine *Lacus Turicini* intelligendum esse illum, qui nunc *Lago di Zurigo* appellatur; *Tucconiam* verò sive *Tuggen*, non aliam esse regionem, quam quæ nunc *Zug* dicitur, auctoritate innixus Goldasti paria scribentis. Verùm an hæc recte se habeant, illorum erit animadvertere, qui intimius norunt Chorographiam ac Eruditionem Helveticam; neque enim *Zug* situm est ad Lacum Turegi, sive Zurigi; & contra quam censuerit Goldastus, *Tucconiæ* vocabulum exhibere potius videtur *Toggemburgi* Terram, pro qua paucis ante annis acre bellum exarsit inter Zuriganam Rempublicam & Abbatem Sancti Galli. Præcipua autem caussa, cur hanc protulerim Chartam, ea est, ut Lectores animadvertant illic memorari *Marcham Reciæ*, & *Marcham Tucconiæ*. Erunt qui duas *Marchas* continuo heic intueantur; neque ego negaverim, quin ita esse potuerit. Attamen injecta mihi suspicio est, *in Marcha* nihil aliud heic esse, quam formulam *in finibus* significantem *intra agrum*, sive *Territorium*, atque usitatam in antiquis Tabellionum Chartis. Certe Alamannici Notarii in hunc sensum eâdem voce interdum usi sunt. Ita in quadam donatione apud supra memoratum Goldastum legenda Rer. Alamannicar. Tomo 2. part. 1. pag. 42. & scripta Anno XXIV. Ludovici Regis, quidam *Wolfartus*, quem facile credam eumdem ac ille, cujus modò Chartam produximus, insigni Cœnobio Sancti Galli elargitur *quicquid in Centipratis Marcha præsenti die visus sum habere*. A vero non longe abeat, qui hujusmodi vocabulo putet heic tantummodo significari *agrum*, sive *fines* Terræ illius. Nunc verò animadvertendum, occurrere in vetustis Italiæ monumentis *Marchiones* non paucos, Sæculo Christi Nono, Decimo, & subsequentibus florentes, quorum Marchiam frustra expiscamur, quum raro cui Marchiæ præessent, in eorum titulis expressum videamus, quamquam credere par sit, cum ejusmodi Titulo ac Dignitate conjunctum quoque fuisse jus & munus regendæ alicujus Marchæ sive Provinciæ. Eruditorum examini subjectum heic volo Diploma quoddam Berengarii I. Italiæ Regis nondum editum, quod olim è Regiensium Canonicorum Tabulario descripsi, multiplici ratione luce dignum.

Beren-

## Berengarius I. Italiæ Rex Curtes Felinam & Malliacum, nunc positas in Comitatu Regiensi, confirmat Unroco filio quondam Supponis Marchionis, Anno 890.

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Berengarius Rex. Decet Regalem Excellentiam, ut suorum precibus fidelium libenter aures accommodet, atque eorum vota sereno vultu ad finem usque perducat. Omnium igitur sancte Dei Ecclesie fidelium, nostrorumque presentium scilicet ac futurorum noverit sagacitatis industria, qualiter* Unroch Consanguineus noster, filius quondam Supponis incliti Marchionis, *interventu Adelardi venerabilis Episcopi, nec non &* Waltfredi illustris Marchionis, *dilectorum fidelium nostrorum, ostendit nobis Precepta antecessorum nostrorum Hludowici scilicet Imperatoris, & Karlomanni Regis, seu & Karoli Imperatoris Augusti seniorum & consobrinorum, in quibus continebatur, quod jam fatus Hludowicus Imperator concesserat prænominato Supponi Marchioni, seu & eidem Hunroch inter cetera, que ei tribuerat, Cortes duas in Comitatu Parmense in Gastaldiato Bismantino, quarum una vocatur Malliaco & altera Felinis cum Capella & Oratorio in Monte Cervario, cum mansis & omnibus pertinentiis & adjacentiis earum in integrum tam in montibus & vallibus, quàm in planis, familiis quoque utriusque sexus, sicut antiquis temporibus ad Comitatum Parmensem pertinuerant: quod Preceptum habebat Karolus Imperator Senior & Consobrinus noster confirmatum & corroboratum per suæ renovationis Preceptum. Petiitque Excellentiam nostram, ut ob majorem & pleniorem securitatem tam idem Preceptum de Malliaco & Felinis, quamque & omnes res & familias, quas prelibatus Suppo per singulas Regiones & Comitatus infra Regnum Italicum per jam dictorum Regum & Imperatorum Precepta obtinuerat, seu & omnes res mobiles & immobiles, quas juste & legaliter quolibet ingenio conquisivit, per nostri Precepti paginam confirmaremus. Quapropter presens nostræ authoritatis rudimentum ei fieri jussimus, per quod omnia predictorum Antecessorum nostrorum precepta tam de Malliaco, & Felinis, quamque & de omnibus rebus preceptalibus in eorum Preceptis legitur in integrum, seu & de omnibus, que juste & legaliter idem Suppo aquisivit: quod libenter confirmamus. Si quis autem hoc nostre confirmationis Preceptum violare attemptaverit, sciat se compositurum centum Libras auri optimi, medietatem Palatio nostro, & medietatem sepe nominato Hunroch persolvat, suisque heredibus & proheredibus. Et ut ab omnibus verius credatur, diligentiusque observetur, manu propria subter eam confirmavimus, & anulo nostro insigniri jussimus*

*Signum Domni*  *Berengarii Serenissimi Regis.*

*Petrus Cancellarius ad vicem Adelardi Episcopi Archicancellarii recognovi.*
*Dat. IV. Idus Maji, Anno Incarnationis Domini DCCCC. Anno verò Regni Domni Berengarii gloriosissimi Regis III. Indictione VIII.*
*Actum Veronæ in Dei nomine feliciter. Amen.*

*Dimidium Sigilli Cerei affixi adhuc visitur.*

Rara sunt, ideoque pluris facienda, Privilegia à Regibus olim concessa sæcularibus personis. Contra supersunt innumera in Ecclesias collata, atque ea potissimum de caussa, quod Ecclesiæ supra Sæcularium Principum ac privatorum Familias duobus fruerentur Privilegiis. Nimirum ingruente bello, atque in aliis Reipublicæ turbationibus, id obsequii plerumque deferebatur locis &. Collegiis sacris, ut inter Populorum tumultus, furoremque militarem illæsa cum suis Archivis restarent; ac præterea numquam moriebantur Ecclesiæ, vel decedentibus earum Pastoribus, sive Episcopis, sive Abbatibus. Immo omnia fere, quæ in Tabulariis ad nostros usque dies pervenere, pertinentia ad Principes, aliasque personas Sæculares, unis debemus Ecclesiis, quandoquidem ad loca illa Religiosa una cum hereditatibus deducta fuerunt, ibique servata. Quod ergo mihi præ ceteris consideratione dignum heic visum est, Charta illa scripta occurrit *IV. Idus Maji, Anno Incarnationis Domini DCCCC.* Ceteræ autem Notæ Chronologicæ, hoc est *Annus III.* Regni Berengarii, & *Indictio VIII.* apertissime ad Annum spectant *DCCCXC.*, ut sane perspicias, errorem illuc irrepsisse, & scribendum *Anno Incarnat. Domini DCCCXC.* Affirmare tamen ausim, Diploma illud archetypum esse; & mihi non perfunctorie inspicienti ac describenti tale apparuit tum ex characterum forma, tum ex dimidio Sigilli cerei adhuc in pergamena affixi. Cernitur ibi integrum caput Berengarii, vultum Principis adolescentis aut juvenis præferens cum his literis superstitibus . . . . . RIUS REX. Sub cera deprehenduntur consuetæ calami excursiones, quæ & in aliis antiquorum Regum Diplomatis habentur. Privilegio denique nullum deest authenticitatis indicium; attamen nihil aliud ibi ego legi, nihilque ceteri inspexerunt, quibus legendum exhibui, nisi *Annum DCCCC.* quum contra conscribendus ibi tantùm foret Annus *DCCCXC.* Sed quid minuta hæc refero? Ut minùs periti in re Diplomatica ex novo hoc exem-

exemplo intelligant, in autographis ipsis, minimeque apocryphis Diplomatibus, occurrere interdum Notariorum sphalmata, ad quorum aspectum non continuo imposturæ crimen est injiciendum. Nempe Cancellario, uti ejus Amanuensi, excidit in hac archetypa pergamena, numeralis nota X., ante postremam C. uti & alibi factum. Illud quoque, ut obiter dicam, heic animadvertas, velim, duas illas Curtes *in finibus Parmensium* sitas, à Ludovico II. Augusto *Supponi Marchioni* dono datas. Quis ergo tum Parmæ dominabatur? Sed his tamdem dimissis, in hoc Diplomate memoratos vidimus duos antiquos *Marchiones*, *Supponem* unum; alterum W*alfredum*. Quod spectat ad Walfredum, Anonymus Poëta, cui Panegyricum debemus Berengarii Augusti, editum à Valesio, & jam à me recusum Tomo II. Part. I. Rer. Italicar. ipsum eumdem recenset Lib. 2. inter Berengarianos commilitones, tria armatorum millia secum trahentem.

*Nec mora: Waltfredus ter mi[illegible] sumit amicos.*

Et poterat quidem ille tantum conferre virium; siquidem *Fori Julii Marchio* fuit, & rebellem postea se præbuit contra ipsum Berengarium, Arnulpho Imperatori addictus. In Annalibus Fuldensibus apud Du-Chesne Tom. 2. Scriptor. Francic. hæc lego ad Annum DCCCXCVI. *Post mortem Waltfredi Forojulii Marchensis, qui multum fideliter ad Imperatorem Veronam contendendo retinuit, illico Berengarius Regnum Italicum invasit*: ideſt recepit.

De *Suppone Marchione* supra descripto inquirendum nunc restat, cuinam Marchiæ Præfectus is fuerit. Ex eodem Scriptore Panegyrici Carminis nuper laudati discimus, adhæsisse Berengario filios Supponis adversùs Guidonem Regem:

*- - - - - - Pariter tria fulmina belli*
*Supponidæ coëunt: Regi sociabat amico*
*Quos tunc fida satis Conjunx - - - - -*

Hinc habemus, *Supponi Marchioni* tres fuisse filios; unius autem nomen, ideſt *Hunroci*, in modò evulgato Diplomate deprehendimus. Multa heic habet pro sua eruditione Hadrianùs Valesius in Notis ad laudatam Panegyrim. Scilicet Suppo horum pater non alius est ab illo, qui *strenuus Vassus, & dilectus Consiliarius noster* appellatur in Diplomate Anni DCCCLXIII. à Ludovico II. Augusto. Chartam vide infra in Differt. XI. *de Allodiis*. Idem quoque mihi creditur, qui in Chronico Monasterii Casauriensis ad Annum DCCCLXXII. appellatur *Suppo Piceni Comes, qui & Dux inscribitur, in Imperatoris exercitu fulgidus*, hoc est, uti Valesius addit, in exercitu *Ludovici II. Imperatoris*. Si non tantum *Comes*, sed & *Dux* appellatus fuit *Suppo*: consequens est, ipsi integum Ducatus Spoletani regimen commissum fuisse. Et antea quidem alter *Suppo senior Dux Spoleti* Anno DCCCXXII. constitutus fuerat, qui biennio post una cum vita illustre illud munus deposuit, uti scribit Annalista Bertinianus. Fuerit ergo, ut conjecturæ ferunt, *Suppo* in Diplomate nostro laudatus, & in exercitu Ludovici II. Augusti conspicuus, Nepos ex filio aut fratre alterius Supponis senioris. Sed quei heic *Spoleti Dux*, quum Ludovici II. temporibus neminem alium Spoleti Ducem sive Marchionem noverimus, nisi *Lambertum* & *Guidonem*, aut etiam si mavis, duos *Lambertos*, aut duos *Guidones*? Neque apud Campellum in Historia Spolet. neque in Catalogo Spoletanorum Ducum, quem protulit Clariss. Mabillonius Tomo I. part. 2. Musæi Italici, ullus certe *Suppo* temporibus iis occurrit Spoletanæ Marchiæ Præfectus. Verùm Annales Francorum, atque Erchempertus eorum temporum Scriptor, sat lucis heic nobis ministrant. Iis testibus discimus, Anno DCCCLXXI. *Lambertum Spoletanum Ducem* una cum Fratre, aut Filio *Guidone*, sive *Lamberto* altero filio (hæc enim non satis perspecta) in indignationem incurrisse Ludovici II. Imperatoris; quare coactus est vertere solum, sibique asylum conquirere apud Adelgisum Beneventi Principem. In eo rerum amphractu novus Dux Spoletanis datus, eâque Dignitate ornatus fuit *Suppo* junior, in Casauriensi Chronico memoratus. Eumdem unice *Comitem* inscribit Johannes VIII. Papa in quibusdam literis ad eum datis: quod minime insuetum, quum Berengarium quoque & alios, aut Marchiones aut Duces illorum temporum, unicâ sub appellatione *Comitis* idem Pontifex compellarit. Spoletanis autem ab Anno DCCCLXXI. quo dejecti fuere Lambertus & Guido, antea Spoletani Duces, usque ad Annum DCCCLXXVI. præfuit *Suppo* junior, hoc est, usque dum Ludovicus II. Augustus vixit, & Carolus Calvus electus fuit Imperator, cujus electioni seu confirmationi subscripsit idem *Suppo* Anno DCCCLXXVI. in Concilio Ticinensi, uti fidem faciunt Acta à Baronio & Labbeo edita, & fusiora Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. ubi legitur *Signum Supponis Comitis*. Scilicet tamquam Spoleti Dux & Marchio eisdem Comitiis ille interfuisse videtur, suamque auctoritatem interposuisse. Quæ hactenus dixi, confirmata videas à monumentis, quæ Chronico Casauriensi addita à me fuere in eadem Part. II. Tomi II. Ibi tabulæ scriptæ Anno DCCCLXXI. exhibent *Sisenardum Missum Supponis Comitis*. Aliæ scriptæ Anno DCCCLXXII. in *Pinnensi* Civitate leguntur, in quibus *Suppo Dux, filius quondam Maurini* quædam Casauriensi Cœnobio donat. Anno quoque DCCCLXXIII. permutationi agrorum factæ à Grimbaldo Episcopo Pinnensi subscribit *Wido Missus Supponis Comitis*. Quæ verba indicant regionis illius Præfectum. Præcipue verò animadvertendum est, Chartam illam conscriptam fuisse *Anno XXIV. Ludovici II. Imperatoris Augusti, & secundo Anno Supponis Comitatus*, sive potius *Supponis Comitis*, *XXV. mensis Martii, per Indictionem VI.* scilicet Anno DCCCLXXIII. Valesius quoque alteram Chartam laudat, exaratam *Anno Imperii Ludovici XX. & I. Anno Supponis Comitis, die XXIX. mensis Septembris per Indictionem V.* Vitium habes in Annis Imperii, aut in Indictione. Exhibentur etiam tabulæ à Baluzio ex eodem Chartario Casauriensi editæ in Appendice Tomi 2. Capitularium, & scriptæ, ut ibi legitur, *Anno Regni & Imperii Domni Lodovici XXX. & primo Anno Supponis Comitis, die VIIII. mensis Junii, Indictione V.* Et heic aliquod mendum latet. Deceptus autem fuit Baluzius, dum Chartam hanc scriptam censuit Anno DCCCXXVII. Regnante Ludovico Pio Augusto. Pertinet ipsa ad Annum Christi DCCCLXXII. quo Ludovicus II. ejus nepos imperabat. Regni autem, non verò Imperii, Epocha heic adhibita fuit.

Inre-

Interea illud ad rem nostram facit, per Epocham Annorum Comitatus Supponis certos nos fieri, ipsum Ducatui seu Marchiæ Spoletanæ præfuisse. Mos enim fuit Tabellionibus signare etiam Annos illorum Ducum, sive Comitum: quo Comitis nomine Sæculo IX. non rarò donabantur ejus Provinciæ Rectores. Adde & Placitum à me ibi editum pag. 946. quod habuere *Fratellus Auditor Supponis Comitis, & Radepertus Castaldio ejus, & Missus, de mandato Supponis Comitis intra Civitatem Theatinam temporibus Supponis Comitis, Anno ejus IV. mense Madio, Indictione VIII.* hoc est Anno DCCCLXXV. De *Suppone* isto recurret infra sermo in Dissertat. XI. *de Allodiis*. Verùm subsequenti Anno DCCCLXXVI. *Suppo* noster, sive coactus cedere, sive raptus à morte, locum fecit *Lamberto* & *Guidoni* restitutis in gratiam à Carolo Augusto, qui deinde Spoletanum Ducatum rexere. In additamentis ad idem Chronicon Casauriense pag. 947. Chartam produxi, scriptam in Pinnensi Civitate *Anno Imperii Domni Caroli Augusti Primo, seu & temporibus Widonis Comitis, Anno Comitatus ejus Primo, mense Junio per Indictionem IX.* Neque unus Wido Spoleti tunc imperabat, sed & Lambertus, quum in eadem Charta investiatur de aliquot rebus Romanus Abbas *per jussionem Domni Caroli Imperatoris Augusti, & per jussionem Lamberti & Widoni Comitum*. Vide & Chartam subsequentem Anno DCCCLXXVII. exaratam. Ex his intelligis, *Supponem juniorem* per totum tempus, quo Lambertus & Guido exularunt, dominatum fuisse Marchiæ Spoletanæ. In caussâ fuit illorum restitutio (de qua etiam est mentio in Paralipomen. Anonymi Salernitani Cap. 123. Part. II. Tomi II. Rer. Italicar.) cur Suppo ad filios transmittere nequiverit illius Ducatus seu Marchiæ regimen, quum ex indulgentia Regum jam invaluisset mos, ut filii idonei, successores essent patri in ejusmodi honoribus. Atque hæc ipsa, quæ nuper vidimus, indicare nobis possunt, quinam ab Anno DCCCXLIV. saltem usque ad DCCCLX. Spoletanum Ducatum rexerint; & quo pacto Campelli Historia supplenda veniat, lacunis aut tenebris ad ea tempora scatens. Consule Additamenta eadem à me facta ad Chronicon Casauriense. Ibi Chartam vide Placiti *in Marsa* habiti *in tempore Ildeberti Comitis, Anno Comitatus ejus Septimo*, hoc est Anno Christi DCCCL. Placito præest *Odelerius Missus Berengarii & Ildeberti Comitum*. Ergo in ditione horum Comitum fuit *Marsorum Civitas*, sive *Marsica*, olim in Spoletano Ducatu comprehensa; ac propterea opus est, ut eos statuamus *Duces Spoleti*. Quum verò per ea tempora Ducatus Spoletanus in duos esset divisus; quippe *ambo Spoletani Ducatus* memorantur in Diplomate Carlomanni Italiæ Regis Anno DCCCLXXVI. in prælaudato Chronico Casauriensi: propterea conjecturæ locus est, *Berengarium* uni, alteri *Hildebertum* præfuisse; nisi ambos velimus uno tempore integram Provinciam moderatos. In eisdem Additamentis pag. 925. altera legitur Charta, exarata in *Pinnensi* Civitate *temporibus Ilderti Comitis, Anno Comitatus ejus X. die XVI. Aprilis, per Indictionem Primam*, hoc est Anno DCCCLIII. Succedit tertia, scripta in *Piane Anno Imperii Ludovici Imperatoris Septimo, seu temporibus Ildeberti Comitis, Anno Comitatus ejus XIII. mense Junio, per Indictionem IV.* idest Anno Christi DCCCLVI.

A Denique in Placito celebrato *inter fines Hasinos & Camertulos, Anno Imperii Hludovici Decimo, mense Martio, Indictione VIII.* hoc est Anno DCCCLX. ipse *Hildebertus Comes* à Missis Imperialibus restituere cogitur nonnullos fundos Imperatori Ludovico. Atque heic adnota vocem *Camertulos*, quæ una satis prodit, quam turpiter fallantur, qui dubitant, num *Camertes* veterum iidem fuerint, ac recentiores *Camerini* Cives. *Berengarius Dux* memoratur in Catalogo Chronici Farfensis imperante Lothario I. Augusto circiter Annum DCCCXL. sed seriùs, & sub Ludovico II. ejus nomen scribendum fuit. Neque alii Provinciæ ipsum præfuisse quàm Spoletanæ, reliqua Catalogi illius nomina indicant. Et neutiquam B dubito, quin idem fuerit cum ipso, cujus mentionem in Charta nuper laudata deprehendimus. *Comes* ibi tantummodo appellatur; at sæpe repetendum, tunc Marchiones etiam, & Duces sub ea appellatione venisse. Verùm *Hildeberti Comitis* supra memorati nusquam alibi mentio occurrit, nisi quod Ignotus Casinensis apud Peregrinium Tomo II. Rer. Italicar. pag. 267. scribit: *Lampert filius Widonis, & Ildepert Comites, nisi sunt manus erigere contra Hludowicum Imperatorem; sed relatâ illorum fraude persecutus est eos Hludowicus* &c. Lambertus Anno DCCCLXXI. rebellionem iniit, atque ad Adelchisum Principem Be- C neventanum confugit. At longe antea Hildebertus regere desierat Marcham Firmi, & Spoleti Ducatum. Certe hunc etiam inferendum inter Spoletanæ Marchiæ Præsides multa persuadent; hoc est, illius auctoritas in locis Spoletano Ducatui addictis, & Epocha annorum illius, qua usos etiam reliquos Spoleti Duces Sæculo eodem nuper vidimus, & quidem titulo dumtaxat Comitatus. Accedit, quod per ea tempora nullum alium certum Spoleti Ducem historica monumenta hactenus prodiderunt. Quare donec alius Dux Spoletanus prodeat, aut mihi ostendatur, *Berengarium* & *Hildebertum*, non quidem Ducatui Spoletano, sed Marchiæ tantummodo Firmanæ sive Came- D rini fuisse dominatos: ego ambos illos Comites, Spoleti Duces cum Eruditorum veniâ appellare pergam. Fortassis Anno DCCCLX. Hildeberto successit *Lambertus* Spoleti Dux: ipsoque in fugam verso, successit *Suppo* junior, de quo antea agebamus.

Præterea, quod *Supponis* hujus nobilitatem præclarissimam luculentius ostendit, ejus filius *Hunrocus* à Berengario Rege dicitur in Diplomate nuper evulgato *Consanguineus noster*. Putat etiam Valesius, *Berthilam* ipsius Berengarii conjugem ex eodem Suppone Marchione progenitam: quæ si vera sunt, *Hunrocum* habemus Regis Berengarii Sororium. Vox tamen *Consanguineus* aliud sonare potest. Mihi po- E tius creditur juncta fuisse *Supponi Marchioni*, patri Hunrochi hujus, filia *Unrochi*, Ducis seu Marchionis Forojuliensis, qui frater Berengarii ipsius Regis fuerat, uti infra ostendam in Dissertat. XXII. *de Legibus*. In Unrocho Supponis filio pro more familiari etiam temporibus iis recreatum videtur nomen Avi materni. Sed quando in Spoletani Ducatus rebus versamur, non eum dimittam, antequam indicem alterum Ducem, quem Campellus in Histor. Spolet. & Camillus Lillius in Histor. Camerini ignorarunt. Is est *Theobaldus* junior. Jam Ducatui illi & Marchiæ Camerini præfectus fuerat circiter Annum DCCCC-

DCCCCXXXIII. *Theobaldus* senior, qui à Liutprando Historico appellatur *Camerinorum & Spoletinorum Marchio*. Is autem ab humanis excessit circiter Annum DCCCCXXXVII. Cui successit *Anscharius*, tum *Sarlio*, deinde *Hubertus* Salicus Hugonis Regis filius, idemque etiam Tusciæ Marchio. Post hunc Spoleti imperasse creditur *Hugo* ejus filius, celeberrimus Tusciæ itidem Marchio. Verùm sive in exilium acto *Huberto*, sive è vivis sublato, *Theodebaldus* junior Spoleti & Camerini Marchas regere cœpit Anno Christi DCCCCLIV. In additamentis à me factis Chronico Casauriensi Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 952. Charta nobis occurrit, scripta in Pinnensi territorio, *Regnantibus Domno Berengario & Adelberto, filio ejus, Regibus, Anno Regni eorum VII., & temporibus Theobaldi Ducis & Marchionis Anno ejus IV. mense Junii per Indictione XV.* ideſt Anno Christi DCCCCLVII. Ergo ab Anno DCCCCLIV. *Theobaldus* junior erat *Dux* Spoleti, *Marchio* Camerini. In Indice Chronici Farfensis à me edito in eadem Part. II. Tomi II. inter Lotharium & Berengarium Italiæ Reges recensentur *Bonifacius & Thebaldus filius ejus Duces*, apposite cum Charta Casauriensi. Quare ex Indice illo discimus, *Theobaldo* huic patrem fuisse *Bonifacium* pariter Spoleti Ducem. Hic ille idem est, de quo Liutprandus Lib. 2. Cap. 18. Histor. scribit: *Dederat Rex Rodulfus Waldradam sororem suam conjugem Bonifacio Comiti potentissimo, qui NOSTRO TEMPORE Camerinorum ac Spoletinorum exstitit Marchio.* Non inquit Liutprandus, Bonifacium Spoleti & Camerini Marchionem fuisse, Rodulfo regnante; sed ipsum tunc tantummodo Comitem, ac deinde *nostro tempore* ambas Marchas eidem fuisse collatas. Scribebat Liutprandus Ottonis Magni Augusti temporibus, circiter Annum DCCCCLXIII. Jam diem suum tunc obierat *Bonifacius* Marchio, & nuper vidimus *Theobaldum* ejus filium Anno DCCCCLVII. *Ducem & Marchionem*. Supereſt ergo, ut non Anno DCCCCXXII. uti Lillius censuit, sed longe serius, *Bonifacius* iste Spoletanis & Camertibus imperarit, eique successor datus fuerit Anno DCCCCLIV. *Theobaldus* junior ejus filius. Post Theobaldum istum, aut serius, rexisse videtur Ducatum Spoletanum & Marchiam Camerini *Transmundus Dux & Marchio*, cujus mentio est in monumentis Cœnobii Farfensis, & Vulturnensis. In Charta quippe Vulturnensi scripta Anno MXI. pag. 498. Chronici occurrit *Transmundus Comes filius quondam Transmundi, Dux & Marchio*. Ergo Dux iste senior fato jam functus fuerat. In Catalogo Farfensis Monasterii pag. 304. memoratur *Transmundus Dux*, ac pone sequitur *Otto Primus Imperator*, ita ut is videatur Spoleto præfuisse ante Annum DCCCCLXII. aut saltem Ottone I. imperante, fortassis usque ad Annum DCCCCLXVII. Qui in eo Catalogo *Ducis* & *Marchionis* titulo ornantur, ii Spoletano Ducatui, & Marchiæ Firmi seu Camerini imperasse deprehenduntur. Et sane pag. 325. ejusdem Chronici Farfensis *Transmundus Dux & Marchio* litem diremisse dicitur spectantem ad *Comitatum Firmanum*. Ita apud Lupum Protospatam in Chronico ad Annum DCCCCLXXII. pugnasse traditur *Asto* (scribe *Atto*) *filius Transamundi Marchisii cum quadraginta millibus Saracenorum*.

Opinatus etiam fuit Camillus Peregrinius *Pandulfum* cognomento *Caput-Ferreum*, Principem Capuæ & Beneventi, *Ducem* quoque *Spoleti*, & *Camerini Marchionem* constitutum fuisse circiter Annum Christi DCCCCLXIX. Ejus sententiæ subscribo. In Additamentis ad Chronicon Casauriense pag. 954. Placitum produxi habitum in agro *Firmano* à *Pandulfo Duce & Marchione* Anno DCCCCLXVII. Vide & alterum Placitum pag. 982. habitum Anno DCCCCLXVIII. *Anno Pandulfi Principis, Ducis, & Marchionis, Ducatus ejus Primo*, Mense Aprili: cui intersunt Episcopus Firmanus, aliique ejusdem Firmanæ Marchæ. Ex quo intelligas, Anno DCCCCLXVII. Pandulfum cœpisse dominari Spoleto, aut saltem Marchæ Firmi sive Camerini. Vide & tertium Placitum pag. 962. ab eo celebratum Anno DCCCCLXX. *in Territorio Marsicano*. In eodem *Territorio* aliud Placitum Anno DCCCCLXVIII. habuerat idem Pandulfus, uti constat ex Chronico Vulturnensi Part. II. Tom. I. Rer. Italicar. pag. 441. Itidem in Historia Anonymi Salernitani edita à Peregrinio, Tom. I. Rer. Italicar. pag. 302. *Pandulfus* idem Princeps *cum multitudine Spoletini*, nec non & cum suo Populo, Neapolitanis bellum intulit. Eo hæc omnia collineant, ut agnoscamus, *Pandulfum Caput-Ferreum* Spoletanis & Camertibus imperasse ab Anno DCCCCLXVII. usque ad DCCCCLXX. & forsitan usque ad mortem suam, quam contigisse Anno DCCCCLXXXI. novimus. Quare *Sico Spoletinorum Comes* ab Anonymo Salernitano ad Annum DCCCCLXIX. memoratus part. 7. num. 5. Historiæ editæ à Peregrinio, Spoletanæ tantùm Civitatis Comes sive Rector fuerit, non verò Spoletanorum Dux. Et fortassis ille idem fuit, qui in Placito Vulturnensis Cœnobii pag. 443. habito Anno DCCCCLXX. *in Territorio Marsicano* coram Ottone Magno Imperatore, & Pandulfo Principe, Duce, & Marchione, appellatur *Sico Marchio sacri Palatii*, non verò Spoletinorum Comes aut Marchio. Pandulfo è vivis sublato traditus videtur (nisi heic locus sit dandus *Transmundo* supra memorato) idem Ducatus una cum Camerini Marcha *Hugoni Tusciæ Duci*, de quo infra sermo erit. Post ipsum Anno MI. à morte raptum quis Ducatum illum & Marcham rexerit, obscurum plane mihi est; neque enim audeo huc trahere *Johannem Ducem & Marchionem*, quem in Charta Anni MXII. pag. 509. Chronici Farfensis memoratum video. Illud quidem novi in toties laudatis Additamentis ad Chronicon Casauriense pag. 989. legi Placitum Anno MXXVIII. habitum *in territorio Pinnensi*, in quo residebat *Ugo Dux & Marchio*: uti & alterum pag. 992. eodem Anno celebratum *in territorio Marsicano*, coram nonnullis Episcopis Ducatus Spoletani. Hunc etiam *Ducem* Spoletanum & *Marchionem* Firmanæ seu Camerinensis Marchæ, quamquam ignotum Lillio in Histor. Camerini ac aliis, persuadent ejus tituli, & auctoritas in Pinnensi Civitate, quæ Firmanæ Marchæ aut Camerinensi addicta fuit, & comitiva Episcoporum. Quis autem fuerit *Hugo* iste *Dux & Marchio*, diu perquisivi; atque in eam tandem conjecturam descendi, non alium esse ab eo, cujus mentio est in Charta Anno MLVI. scriptâ, atque à me infra edendâ in Dissertat. XV. *de Manumiss.* ubi *Domna Willa inclita Comitissa, relicta quondam Domni Ugo gloriosissimo, qui fuit Dux & Marchio*, una cum filiis suis ancillam quamdam suam libertate donat. Vide & alteram Chartam in Dis-

Differtat. LXVII. *de mod. acquirend.* quæ forfitan ad hunc ipfum Hugonem pertinet. Hic patrem habuiffe videtur *Bonifacium Marchionem* Lege Ripuariâ viventem, cujus Chartam habes apud Ughellium in Epifcop. Florentin. Tom. 3. pag. 60. Ital. Sacr. Sed progrediamur. Anno autem MLVI. & fequenti Marchiam Firmanam, & Ducatum Spoletinum rexiffe videtur Victor II. Roman. Pont., uti præfe ferunt duæ Chartæ ab eodem Ughellio productæ in Appendice ad Tom. V. Ital. Sacr. in Epifc. Aprutin.

A

Sed heic fortaffe nimis immorati fumus.

Suis locis compofuiffe hactenus mihi videor nonnullos ex antiquis Marchionibus. At nunc tu difficile oftendas, quem Populum rexerit olim nobilis alter Marchio fub finem Sæculi Noni florens, cujus mentionem nobis fervavit Diploma Guidonis & Lamberti Auguftorum Ravennæ datum. Antiquiffimum ejus exemplum legi & defcripfi ego adfervatum Mediolani in Chartophylacio infignis Monafterii Sancti Ambrofii, cujus hæc funt verba.

## Donatio Curtis Lemennis facta à Guidone & Lamberto Imperatoribus Conrado Marchioni, ejufque Conjugi Ermengundæ, Anno 892.

*N nomine Sancte & individue Trinitatis. Wido & Lantbertus gratiâ & mifericordiâ ejufdem omnipotentis Dei Imperatores Augufti. Imperialis Dignitas quanto liberalior & ad preces fibi fideliter fervientium, tanto divinam erga fe propitiationem adeffe propenfius confidit. Quapropter omnium fidelium Sancte Dei Ecclefie, noftrorumque tam prefentium quam & futurorum noverit folertia*, Cohunradum dilectum Patruum ac Patruelem noftrum, illuftrem Marchionem, *miffa petitione per* Ageltrudam amantiffimam Conjugem noftram Imperatricem Auguftam, *noftram imploraffe clementiam, quatinus Cortem unam juris noftri Palacii, que dicitur Lemennis in Comitatu Bergomenfi, ad perennem proprietatem ipfi &* Uxori *ejus* Ermengundi, *& filiis atque heredibus ac proheredibus eorum per noftre auctoritatis Precepta concederemus. Quorum precibus*

B

*aurem clementie noftre dantes, prenominatam Cortem Lemennis cum omnibus adjacentiis & pertinentiis fuis in integrum, fcilicet utriufque ordinis ac fexus familiis, foreftibus, precariis, reditibus, cum omnibus, que dici aut nominari poffunt ad eandem Cortem refpicientibus, ficut à fancte memorie Hludovico Imperatore quondam conceffa fuit, de noftro Imperiali jure ac dominatione in jus proprietarium ac perennem poteftatem ipfi Cohunrado, uxorique fue Ermengundi, atque heredibus eorum transfundimus & tradimus atque confirmamus, quatinus ab hodierna die ac deinceps liberam facultatem ac poteftatem habeant faciendi ex ipfis rebus quicquid elegerint, videlicet alienandi, vel quibus voluerint donandi abfque alicujus repetitione atque contradictione, caffatis undique fcripturarum, fi apparuerint, titulis, à quibuslibet digeftis, vel etiam filentio tectis. Et ut verius credatur &c.*

*Signum Domni Widonis*  *gloriofiffimi Imperatoris.*

*Signum Lantberti*  *Imperatoris Augufti.*

*Divo Notarius ad vicem Helbunci Archicancellarii recognovi.*

*Dat. Kalend. Maji, Indictione X. Anno Domini DCCCXCII. Imperante Domno Widone Imperatore, Regni ejus IIII. Imperii illius II. Anno Lantberti Imperatoris I.*

*Actum Ravenna in Dei nomine feliciter. Amen.*

Uti alibi monui, Cardinali Baronio vifum eft, Guidonem & Lambertum Imperiali Corona donatos fuiffe, illum Anno DCCCXCII. filium vero Lambertum Anno DCCCXCIII. quæ fententia improbata eft à doctiffimis viris. Vide quæ fupra commentatus fum de Epocha Guidonis in Differtat. III. *de Roman. Imperator.* & infra adferam in Differtat. XXXIV. *de Diplomat.* Quod eft ad Lamberti coronationem vide infra Differtat. VIII. *de Comitib.* Heic autem habemus quemdam *Conradum Marchionem*, cujus genus fplendidiffimum profectò fateare, quando *Patruus & Patruelis nofter* ab ipfis appellatur Auguftis. Equidem novi, delicatulos nequaquam fuiffe eorum temporum Scriptores in ufu Latinarum vocum, & à multis retro Sæculis confueviffe Reges titulum *Fratris* aut *Confobrini* honoris tantùm caufsâ Principibus

C

aut Magnatibus eximiis deferre. At quandoquidem rudibus iis Sæculis non cernimus ejufmodi honorificis titulis ab Imperatoribus ac Regibus infignitos reliquos Principes, aut illuftres viros, veri nimium videtur fimile, nobis in hoc Diplomate occurrere conjunctiffimum aliquem Guidonis & Lamberti Confanguineum, atque ex eorum paterno aut materno fanguine derivatum. In Capitulari Caroli Calvi Imperatoris fpectante ad Annum DCCCLXXVII. apud Baluzium Tom. 2. pag. 265. inter eos *Comites*, five Principes, quos ad filii fui curam atque tutelam defignavit idem Auguftus, *Conradum* quemdam *Comitem* legimus. Quidni is fuerit ipfe *Conradus Marchio* in hac pergamena memoratus? Certe in eo Capitulari num. 31. mentio fit aliorum Principum tunc in Italia fingulari nobilitate po-

tentiâ clarorum, nempe *Bosonis*, *Bernardi*, ac *Widonis*, quem puto non alium à Guidone postea Imperatore. Verùm si petas, cui *Marchiæ* præfuerit *Conradus* iste, equidem ignotum mihi non diffitebor. Potuit is Marchiam regere in Italia, sed & potuit in Francia; simulque apud Principem natione Francum, qualis fuit Guido Augustus, in Italia agere, tum quod eidem consanguinitate conjunctus esset, tum etiam quod Franci Proceres, regnantibus heic Regibus è Francorum genere, consueverunt Beneficia sibi ac Allodia in Italico Regno conquirere. Ita si perconteris, cujus Marchæ regimen commissum fuerit *Alberico Marchioni*, patri videlicet *Alberici* postea *Romanorum Principis*, de quo mentionem habemus apud Liutprandum Historicum, & alios, inscitiam meam lubens fatebor. Occurrit quidem mihi in Charta Anni DCCCCX. à me addita Chronico Casauriensi Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 951. *Waldepertus Vicecomes Alberici Marchionis* Placitum habens *Corneti*, cui certe loco Albericus dominabatur: nihilo tamen secius non liquet, unde ille *Marchionis* titulum acceperit. Idem de aliis dicas non sine veterum culpa, quibus nil pensi persæpe fuit exprimere, quibus ex locis Duces, Marchiones, & Comites, suæ dignitatis appellationem arcesserent. Chartam quoque Lucensem inspexi, Anno Christi MLXXXI. scriptam, in qua *Hugo Comes filio bone memorie Rodulfi, qui fuit similiter Comes, & Julecta jugales, filia bone memorie Wilelmi, qui fui Marchio*, oppignerant Anselmo Lucensi Episcopo Curtem & Castellum Suvereti. Utrum *Willelmus* iste *Marchio* spectet ad gentem Malaspinam, an ad Montisferrati Principes, alii decernant. Ita amicus meus doctissimus Joseph Antenor Scalabrinius Ferrariensis, Rector Sanctæ Mariæ de Bucca, & Sacrarum Literarum in Ferrariensi Academia Professor, Chartam mihi indicavit, scriptam *Bononiæ*, *Anno Primo Pontificatus Johannis Papæ, & Imperii Ottonis Quinto, die V. mensis Junii, Indictione IX.* idest Anno Christi DCCCCLXVI. in qua Petrus & Lambertus germani, *filii Johannis, & nepoti bone memorie Petroni Ducis adque Marchionis*, quosdam agros in emphyteusim concedunt. Quis me nunc doceat, cui Marchiæ præfuerit *Petronius* iste, sive Petrus? Fortasse tempora fuere, quibus Bononia, Ferraria, aliæque finitimæ Urbes *Marchiam* constituerunt. Idque indicare videtur altera Charta, ab eodem Scalabrinio inspecta, & scripta Anno MCXXVIII. *nemine imperante, die XIX. Marcii, Indictione VI. in claustro Sancti Ambrosii de Ferraria*, cui subscribunt testes *Marchio de Mainardo, Girardus, & Johannes, homines de ista Marchia*. Ceterum in Antiquitatibus Estensibus Part. I. quotquot inveni vetustos Proceres, è quibus descendunt Marchiones appellati postea Estenses, *Marchionum* titulo insignitos quoslibet vidi, sive ii originem suam traxerint ab *Adelbertis Ducibus & Marchionibus Tusciæ*, uti graves conjecturæ persuadent, sive aliunde fuerint progeniti. Num verò illi cuipiam Marchiæ præfuerint semper, an Titulo tantùm fruerentur ex indulgentia Imperatorum aut Regum Italiæ, nemo facile decernat. Est mihi Charta è Tabulario Archiepiscopii Pisani, excerpta à Clariss. P. D. Guidone Grandio Abbate Camaldulensi, & publico Matheseos in Pisano Licæo Professore. Spectat ad *Albertum Marchionem filium quondam Opitioni Marchionis*, illum nempe ipsum, cujus monumenta retuli Par. I. Cap. 25. earumdem Antiquitatum. Is tantùm inscribitur *de loco & Regno Langobardiæ*: diciturque *Albertus* in textu, tum *Adalbertus* in subscriptione, ita ut luculentius innotescat, quod alibi monui, *Albertum* & *Adalbertum* unum idemque nomen fuisse.

Dona-

# Donatio aliquot Castrorum facta Johanni Abbati Sancti Michaëlis in loco Martuli ab Alberto Marchione filio Obizzonis Marchionis, Anno 1061.

IN *nomine Domini Dei eterni. Anni ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo Sexagesimo Primo, III. die intrante mensis Februarii, Indictione XIV. Monasterio Sancti Michaëlis Archangeli, sito loco, qui dicitur Martuli, ubi nunc* Donnus Johannes Abbas *preesse videtur: ego quidem* Albertus Marchio, filius quondam Opitioni Marchionis, *qui fuit Genitor meus*, de loco, & Regno Langobardie; *quia professus sum ex natione mea Lege vivere Langobardorum, offertor & donator ipsius Monasterii, presentibus dixi: Quisquis in sanctis ac in venerabilibus locis ex suis aliquit contulerit rebus, juxta Auctoris vocem in hoc Seculo centuplum accipiet, & insuper, quod melius est, vitam possidebit eternam. Ideoque ego, qui supra, Albertus Marchio dono & offero à predicto Monasterio ad jura proprietatis abendum meam portionem de Curtibus, Castris, Cappellis, in quorumcumque honore Sanctorum consecrate sint, & omnibus rebus territoriis, tam de domnicatis, quàm & de massariciis juris mei, & que fuerint juris quondam ejusdem Genitoris mei. Et sunt positis in locis & fundis, que nuncupantur Petriole, Banciola, Capannula, Furcule, Cesiano, Vico. Et de rebus meis, que sunt positis juxta fluvium, que vocatur Hera, tam infra Curtes & Castra, quàm & de foris per singulas qualiacumque loca posite sunt, & inveniri potuerit, infra* Comitatu Lucensis, *&* Pisensis, *&* Vulterrensis, *de meis juris rebus ad meam portionem de suprascriptis Curtis, Castris, & Cappellis infra easdem Comitatus pertinere videntur. In hanc autem predicte offersione de suprascriptis Curtis, Castris, & Cappellis, atque omnibus rebus territoriis juris mei, qualiter comprehensum, vel superius dictas, una cum accessionibus & ingressibus earum, seu cum superioribus & inferioribus suarum, ut ab hac die in eodem Monasterio dono & offero, & per presente Cartam offersionis ad proprietario jure ibidem abendum confirmo: faciendum exinde ad pars dicti Monasterii, aut ad cui pars ipsius Monasterii dederit, sine omni mea, & de heredum meorum contradictione pro mercede & remedio anime de ejusdem Opitionis Genitoris mei, & mee. Quidem exspondeo atque promitto me ego, qui supra, Albertus Marchio, una cum meis heredibus tibi, qui supra, Johanni Abbati ad partem predicti Monasterii, tuisque successoribus, aut cui vos, vel pars predicti Monasterii dederit, istam offersionem, qualiter superius legitur, ab omni contradicente homine defensare debeamus. Et si defendere non potuerimus, aut si aliquit exinde per quovis ingenium inde subtrahere quesierimus, tunc in duplum eadem offersione, ut supra legitur, vobis ad partem predicti Monasterii abendum in consimilibus locis, aut cui pars predicti Monasterii dederit, restituamus, sicut pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit sub extimatione. Hanc enim Cartam offersionis mee paginam Sigefredus Notarius sacri Palatii scribere rogavi, in qua subter confirmans testibus, qui obtulerunt roborandam.*

*Actum infra Castrum Casale Majore feliciter.*

✠ *Signum manus suprascripti* Adalberti, *qui anc Cartam offersionis, ut supra fieri rogavi.*

*Signum* ✠ ✠ ✠ *manibus Araimundi, & Ottonis, seu Adam, Legem Langobardorum viventes rogati testes.*

✠ *Ego qui supra Sigefredus Notarius, Scriptor hujus Cartam offersionis, post traditam complevi & dedi.*

✠ *Ego Ugo Notarius Apostolice Sedis, autenticum hujus vidi, legi, & exemplavi.*

✠ *Ego Benthe sacri Lateranensis Palatii Judex, hautenticum illud vidi, & legi, & subscripsi.*

✠ *Ego Bernardus Notarius sacri Palatii, autenticum ujus vidi, & legi, & subscripsi.*

✠ *Ego Rolandus Notarius autenticum hujus vidi, & legi, & hic subscripsi.*

✠ *Ego Sigismundus autentico ujus vidi, & legi, unde hoc exemplar facta est, & subscripsi.*

Animadverte, donationem hanc literis consignatam fuisse à Tabellione *infra Castrum Casale Majore* Cremonensis Diœceseos. Uti verò ostendi Par. I. Cap. septimo Antiquitat. Estens. *Casale Majus* Sæculo Christi Undecimo in ditione fuit Familiæ Marchionum Estensium, ita ut nulla dubitatio supersit, quin agatur heic de Principe ad eamdem Nobilissimam gentem spectante. Antiquis autem temporibus etiam in more fuit, ut duæ Marchiæ, ex Imperatorum seu Regum Italiæ Privilegio, uni eidemque Principi regendæ traderentur. Eam ob caussam celebris adhuc est *Hugo Salicus*, Huberti filius, & nepos Hugonis Italiæ Regis, quem simul *Tusciæ Marchionem*, & *Spoleti Ducem* fuisse novimus. In Chronico MSto Monasterii Sancti Vincentii ad Vulturnum, Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 484. Placitum refertur, Balvæ habitum ab ejus Missis Anno Christi DCCCCXCV. unde ejus auctoritas in Spoletanam regionem dignoscitur, atque is inscribitur *Dux* & *Marchio*. Confirmata hæc videas à Sancto Petro Damiani in Opuscul. 57. ad Gothifredum Marchionem hisce verbis: *Obtinuit utramque Marchiam, & quam Thyrrhenum videlicet, & quam Mare Adriaticum alluit.* Tum subdit, quum perspiceret Hugo, sibi utrumque regimen grave ac molestum esse, *ultroneæ renuntiationis arbitrio cessit Imperatori Marchiam Camerini cum Spoletano Ducatu; juri verò proprio Tusciam reservavit.* Quei ergo Hugo Marchio Anno DCCCCXCV. ordinariâ auctoritate in Spoletano Ducatu Placita habere potuit? Placidus Pucinellius in Historia Hugonis Magni pag. 12. censet contigisse *renuntiationem* istam sub Ottone II. Imperatore; Cosmus verò de Arena indefinitum tempus relinquit. Sed sunt quæ me deterrent ab amplectenda hoc loco narratione Petri Damiani. Ex Charta nuper memorata satis constat, vel Anno DCCCCXCV. Hugoni Marchioni obtemperasse Spoletum & Camerinum, quum in iis regionibus lites dirimeret *Elmepertus Episcopus* Arretinus *Missus Domni Ugonis Dux & Marchio*. Ergo pluribus etiam

annis poſt obitum Ottonis II. Auguſti Hugo Tuſciæ Marchio Ducem Spoletanorum & Camerinenſium agebat. Ad hæc in Bibliotheca Patrum Tom. XVII. inter Gerberti, ſive Silveſtri II. Papæ Epiſtolas legitur Epiſtola 158. in qua Otto III. Imperator ſcribit ſe in ſubſidium ejuſdem Silveſtri deſtinaſſe *Hugonem Tuſcum vobis per omnia fidum S. Comit.* (ſive *S. Comitem*, ut Du-Cheſnius habet, in quibus literis vitium aliquod ſubeſt) *Spoletinis, & Camerinis Præfectum*. Epiſtola hæc Anno ſaltem Chriſti DCCCCXCIX. ſcripta fuit, quippe eo Anno ad Apoſtolicam Sedem ſublimatus eſt Silveſter II. Immo quæ ibi leguntur, rectius indicare videntur conſcriptam Anno Milleſimo Aeræ Chriſtianæ. Quum verò ſubſequenti Anno MI. è vivis ſublatus fuerit Hugo Marchio poſt quadraginta regiminis annos: quo quæſo tempore Spoleti & Camerini Præfecturam ille abdicavit? Niſi ſuppoſiticia ſit, aut aliquo vitio laboret (quod ſuſpicabatur amicus Berettus), hæc ſane nutantem mihi exhibent Cardinalis Oſtienſis auctoritatem in præſenti re; eoque magis, quod non ſatis accuratus teſtis ille fuerit in aliis ad eumdem Hugonem ſpectantibus. Narrat is præterea, Ottonem III. Imperatorem, auditâ ejuſdem Principis morte, exiliiſſe præ gaudio in hæc Pſalmiſtæ verba: *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus*, eo quod ſibi jam timeret ex nimia illius potentia. Propiora hæc vero ſunt; at eadem conciliare vix poſſis cum reliquis de Hugone narratis, cui tanta moderatio tribuitur, ut Principatum Spoletanum vivens ac ſponte exuere potuerit. Sed hæc ſatis ſuperque.

Hugoni Magno in Principatu Tuſciæ ſucceſſorem fuiſſe datum Anno MII. *Tedaldum* Bonifacii Patrem, & celeberrimæ Comitiſſæ Matildis Avum, cenſuit Pagius in Critic. Baron. ad eumdem Annum num. 4. Et rurſus, ſi fides adhibenda nonnullis recentioribus, qui ejuſdem Matildis Vitam typis tradidere, creditur *Tedaldus* in ipſa Tuſciæ Marchia ante ſuum obitum ſucceſſorem ſibi ſtatuiſſe filium ſuum *Bonifacium* (ſpectatiſſimum poſtea Principem, & Matildis ejuſdem, ut diximus, patrem) nempe circiter Annum MVII. quo is vivere deſiit. Addunt tamen, Tedaldi votis minime reſpondiſſe fortunam; nam per annos complures regimen Tuſciæ penes alios Optimates fuit, donec Anno circiter MXXXVII. ad Bonifacium ejus filium, proſpere cedentibus rebus, delatum eſt. Equidem multis obſitam tenebris hanc Hiſtoriæ particulam fateri malo; & niſi major lux affulgeat, acquieſcere hujuſmodi opinionibus nequaquam auſim. Illud extra controverſiam reor, Tedaldum *Marchionis* titulo inſignitum fuiſſe. Illud inſuper ſtatuendum, ei Marchiam quampiam, immo non poſtremi nominis, paruiſſe: hæc enim de illo canit Donizo in Vita Matildis, antequam ejus mortem deſcribat.

> - - - - - - *Poſt hæc præcepit, major ut eſſet*
> *Natus dilectus Bonifacius atque modeſtus,*
> *Cui juravere, Patre tunc vivente, fideles*
> *Servi, prudentes Proceres, Comites pariterque.*

Si Bonifacio non Nobiles solùm, ſed etiam *Comites* fidelitatem juramento promiſerunt, ergo ejus Marchia non unam Civitatem complexa eſt, quando, ut jam vidimus, & infra luculentius oſtendetur, plerumque *Comitibus* commendabatur Præfectura Civitatum. Verùm hanc Marchiam fuiſſe *Tuſciam*, & Tedaldum in ea Provincia imperaſſe, atque in ea Succeſſorem reliquiſſe filium, nulla monumenta teſtantur; immo ſunt, quæ ſecus ſuadere videntur. Et primo ſi cum Florentinio & aliis ſtatuimus, Tedaldum Marchionem ad plures abiiſſe circiter Annum MVII. & fortaſſis etiam ſerius, arguendus eſt Donizo in Vita Matildis, quod ſcribat, in limine mortis ab ipſo dimiſſum fuiſſe regimen Marchiæ, omniumque fortunarum, Bonifacio filio. Ita ille:

> *Nam Pater ipſorum moriens benedixit eorum*
> *Perſonas; poſt ſe præcepit, major ut eſſet* &c.

Atqui certum eſt, longe ante illum Annum Bonifacium ſui juris fuiſſe, & contractus iniiſſe, nullâ interveniente auctoritate Tedaldi genitoris ſui viventis, immo & titulo *Marchionis* uſum. Clariſſimus vir Benedictus Bacchinius in Hiſtor. Monaſterii Padolironenſis Append. pag. 23. exhibet Chartam donationis prædiorum ab eodem *Bonifacio Marchione* factam Anno MIV. neque ſuum illi conſenſum præſtat Tedaldus. Ergo nonnullis ante Patris obitum annis emancipatus fuerat Bonifacius, & pro ſuo libito ſua moderabatur, ſimulque *Marchionem* agebat: ut & hinc diſcas, vivis adhuc parentibus *Marchionis* titulo inſignitis, eorum filios interdum *Marchiones* fuiſſe appellatos. Alteram quoque Chartam ſubjiciendam heic duco, quam deſcripſi olim ex antiqua pergamena Monaſterii Sancti Michaëlis in Furculis Piſtorii, ut Eruditi perpendant, an eadem ad hunc ipſum Principem ſpectet.

## Donatio aliquot agrorum facta à Bonifacio Marchione Johanni Abbati Sancti Salvatoris, Anno 1004.

*IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Deo propitius Pontificatus Domni Johannis summi Pontificis & universalis Pape in Apostolica sacratissima Sede beati Petri Apostoli Domini nostri Jesu Christi Secundo, sicque regnante Domno Heinrico piissimo Rege in Italia Anno Tertio, die XXIII. Mensis Septembris, Indictione VII. Fontana Tanoni, feliciter. Profitentes profiteor ego quidem in Dei nomine* Bonifacius gloriosus Marchio *per hujus pagine nostre vocis, professionis, sponsionis, donationis, seu trans persersionis, atque perpetualis transactionis à presente die nostre pagine, te presente in Dei nomine* Domno Johannes venerabilis Presbiter, & Monachus, atque Abbas, *& spiritalis pater noster, à parte in* Monasterio Sancti Salvatoris, *ejusque Successoribus in perpetuum, pro remedio anime nostre. Pro Deo enim dans damus, donamus, cedimus, seu transferrimus, atque cum oblationibus offerrimus, & de nostra jura nostroque dominium, nostrisque filii & heredibus alienamus seu transcribimus atque subdamus in jura & dominium tuum suprascripto Johannis Abbas spirituali patri meo, tuisque successoribus in perpetuum, nos quod habemus ac possidemus, & à nostris manibus jure videmus, quas obvenit per quod modis vel titulum, aut undique nobis advenisset, idest Cassadio, Bonifacingo, qui est posito territorio Pistoriense Plebe ipsius Pistoriense, inter affines de suprascripta terra, que superius legitur. Hoc est ab uno latere Garitano, ab alio latere fluvio, qui vocatur Cassianola, à tertio latere Cassadio Sancti Zenoni, qui vocatur Madiatica, seu quarto latere possidente Rainerio da Strata. Vero etiam damus & cedimus tibi suprascripto Johannes Presbitero & Abbas venerabilis Monacho, tuisque successoribus in perpetuum locum nostrum in integro, qui vocatur Stazano cum omnibus pertinentiis suis, & in Bazio omnia, que nobis pertinent, ut amodo presente die aut quando volueris, liceat tibi suprascripto Johannes Monachus & Abbas tuisque successoribus in his omnibus, que superius legitur, in ibidem introire, & preoccupare, adque ingredere, & potestatem sine ullo atque obstaculo vel impedimento per hec pagine donationis, transfertionis à nobis in vobis facta atque tradita tamquam per legitimam & nostram corporalem traditionem de ista Ecclesia Sancti Salvatoris, & de nostris manibus in tuis mittimus, in presentia testium damus, adque corporaliter tradimus cum omnia, que superius legitur, habendi dominium & potestatem quieti tramite habeatis, possideatis, vindicetis, atque defendatis, etiam utendi, fruendi è more salario in eodem Monasterio in perpetuo permanendi pro eo, sicut diximus, pro redemptione anime nostre. Et ab odierna die nunquam liceat mihi suprascripto donatori, benefactori, neque meis filiis & heredibus ullo umquam in tempore quavis exinde facere questione, repetitione, aut causatione, vel interpellatione, ullamque molestia generare contra te Johannes Abbas vel tuis subcessoribus pro his omnibus, que superius legitur. Pro ex parte vel ex toto numquam agimus neque contendimus, aut invadimus vel occupamus, neque agentibus quo defendere audeamus per nulla occasione neque ingenio, non per nos, neque per nostros heredes filios . . . . . . summissa persona majoris vel minoris, propinquis vel esteris, non ad eundum judicium . . . . . supplicandum Principibus . . . . . . per Ecclesiasticam interpellationem, aut per Regalem vel Imperialem magestatem, neque per ullo modo, ullamque tractionem contraire: de quo sensus humanus arguere potesset, sed in omni tempore securus & quietum, tuosque subcessores exinde maneatis in omnibus in perpetuum. Et si quoque tempore quispiam persona homine insurgerit, qui vos exinde vel ex parte vel ex totum expellere, aut qualibet calumpnia generare voluerit, nos suprascripto Donatorem pro remedio anime nostre, una cum nostris filiis & heredibus tibi suprascripto Johannes Monachus & Abbas, tuisque Subcessoribus ab omni persona hominum stare & observare seo defendere debeamus. Quod si omnia hec, que superius legitur, non servaverimus vel adimpleverimus, pro quibus jurata voce dicimus per Deum omnipotentem, Sedemque Apostolica, & vita suprascriptorum Dominorum atque . . . . . confirmamus, quia dare nos esse promittimus tibi suprascripto Johannes Presbitero & Monacho atque Abbas, tuisque Subcessoribus. Et si quis contra hanc cartula ire aut corrumpere, vel minuare aut inviolare, cum Datham & Abiron, Anna & Caipha, & Juda traditore dampnetur in infernum, & cum Simone Mago, qui gratiam Spiritus Sancti exurpavit, fiat dampnatus & confusus, ante omnis litis initium aut interpellatione, pene nomine auri obrizo Libras quattuor sit compositurus. Et penam solutam maneat hanc cartula donationis permaneat in sua firmitate.*

*Signum manus* ✠ *suprascripto* Bonifacio Marchiones *jam dicti donatoris ad omnia, cui relecta est.*

*Signum manus Sigifredo in hanc cartula donationis rogatus testis.*

*Signum manus Atius in hanc cartula donationis rogatus testis.*

*Signum manus Bondi in hanc cartula donationis rogatus testis.*

*Signum manus Garandus in hanc cartula donationis rogatus testis.*

*Signum manus Petrus in hanc cartula donationis rogatus testis.*

*Quam verò paginam Petrus quidem in Dei nomine Notario nostrum scribendum rogavimus & super manus nostra propria firmavimus, testibusque à nobis rogatis obtulimus, & eorumque presentia tradimus sub dies XXIII. Mense Septembris, Indictione Septimo. Fontana Tanoni.*

Tantum vetustatis præferebant characteres, aliæque hujus Chartæ notæ, ut archetypam continuo dixisses. Attamen noverit Lector, concordem in ea non procedere *Indictionem Septimam* cum *Anno Secundo Johannis* XVIII. Papæ, & *Anno Tertio Henrici Regis*, qui postea Primus hujus nominis Imperiale solium conscendit. Quare conjicere licet, pro *Indictione III.* quam in autographo positam reor, scripserit Amanuensis parum oculatus aut semisopitus *Indictionem VII.* Atqui non de uno Exemplatore, sed de ipso Tabellione expostulare heic me, quæso, sinant Lectores, & exclamare: o rudes antiquorum temporum mores, quibus toties Notarii, immo & ipsi Historici, nullâ posterorum habitâ ratione, illustres homines comme-

memorabant ; ſed tacito eorum Patre, prætermiſsâ eorum Familiâ, ſive Lege ac Natione; & ſiquidem *Marchiones* fuere, ne verbo quidem *Marchiæ*, quam regebant, facto. Ediſſerant mihi Lectores, ad quem Bonifacium Marchionem ſpectet hæc Charta, num ad filium *Tedaldi*, an verò ad alterum *Marchionem Bonifacium Alberti Comitis filium*, Legem Ribuariam profeſſum, cujus tabulas refert Ughellius Tom. III. pag. 60. Italiæ Sacræ, uti & Margarinius in Bullario Caſinenſi, literis conſignatas Anno Chriſti MIX. *in loco Planorio territorio Mutinenſi*, de quo etiam mihi erit ſermo infra in Diſſertat. XXII. *de Legib. Italic.* Pari ergo tempore duo ejuſdem nominis *Bonifacii*, ambo pariter *Marchiones* floruere. Ad utrum referenda ſit Charta nuper allata, difficile pronunties, niſi quod Bonifacius Ribuarius in actis ſuis utitur ritibus ac formulis Legis Ripuariæ, hoc eſt *per cultellum, feſtucum nodatum, wantonem, waſonem terræ* &c. traditionem rei facit: quod in altera à me producta membrana non legitur, ac proinde videtur prodere Bonifacium Langobardum Tedaldi filium Donationis hujus auctorem. Atque hactenus vidimus adeo mature, hoc eſt Anno MIV. Bonifacium hunc, nempe celeberrimæ Comitiſſæ Matildis Patrem, appellatione *Marchionis* illuſtrem. Nunc ipſum nobis exhibebit eodem titulo ornatum Anno etiam MXIX. pergamena altera autographa, quam ex Archivo Capituli Canonicorum Cremonenſium à me deſcriptam nunc primum Lectores accipient.

## Ceſſio Decimæ quatuor Plebium, ſive Eccleſiarum Parochialium in Cremonenſi Diœceſi facta à Bonifacio Marchione, ejuſque Conjuge Richilda Comitiſſa, Epiſcopatui Cremonenſi, Anno 1019.

IN *nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Enricus gratiâ Dei Imperator Auguſtus. Anno Imperii ejus Deo propicio Seſto, III. die Menſis Setembris, Indictione Tertia. Tibi Lanfrancho Judici & Avocatori ipſius Epiſcopio ſancte Cremonenſis Eccleſie à parte jam dicti Epiſcopii, nos* Bonefacius Marchio, filius quondam Teotaldi itemque Marchio, & Richilda *jugalibus*, filia quondam Giſelberti Comitis, *qui profeſſi ſumus ambo ex natione noſtra Lege vivere Langobardorum .... profeſſi ſumus atque ſpondimus nos qui ſupra Bonefacius & Richilda jugales ..... non abeamus licentiam, nec poteſtatem, nullamque occaſionem ad ſubtraendum, nec contradicendum, nec retinendum, nominative Decimam, que pertinet de Plebibus, quibus vocantur prima Sancta Maria in Inſola, ſecunda vero vocatur Sancto Mauricio, tertia Sanctus Johannes à litera, quarta Sancte Georius, quod eſt conſtructa in loco, qui dicitur Urſoni Inſule. Quas Plebes cum ſuorum pertinencias & integritates pertinere videntur de ſub regimine & poteſtate prenominati Epiſcopii. Quod ſi amodo nunquam ullo tempore nos ſupraſcripti Bonefacius Marchio & Richilda jugalibus, aut noſtros heredes de predicta Decima, quod pertinet de ſupraſcriptis Plebibus fecerimus ſubtractionem aut minorationem, vel contradicere aut retinere eum preſumſerimus per nos ipſis &c. & in tali tinore, ſicut ſupra legitur accepimus nos ſupraſcriptis Bonefacius & Rigilda jugalibus ad te jam dicto Lanfrancho Avocatore da parte jam dicti Epiſcopii exinde Launechild capello uno, ut ec noſtra promiſſio omni tempore firma & ſtabilis permaneat.*

*Actum in Caſtro, quod dicitur Pladena, feliciter.*

BONEFACIUS MARCHIO SSI.

*Signum manibus ſupraſcripte* Richilde, *que hanc cartulam promiſſionis fieri rogavit, atque ........*

*Signum manibus ...... Lege viventes Langobardorum teſtes.*

*Ego Lampertus Notarius ſacri Palatii ſcripſi, poſt tradita complevi & dedi.*

Sit ergo certum nobis, ab Anno ſaltem MIV. Bonifacium Tedaldi Marchionis filium palam ac publice ſe *Marchionem* inſcripſiſſe. Hanc ei nobiliſſimam appellationem obveniſſe à *Marcha Tuſciæ*, arbitrati ſunt, ut diximus, recentiores quidam Hiſtorici. Sed interim conſtat, eodem ipſo tempore *Marcham Tuſciæ* non Bonifacio noſtro, ſed aliis Marchionibus paruiſſe. Atque heic examine indiget ſententia Franciſci Mariæ Florentinii, & Coſmi de Arena, quorum unus in Monument. Matild. Lib. I. pag. 12. alter in Serie Ducum Tuſciæ pag. 204. ſcribunt, *Marcham Etruriæ* Anno MIX. rectam fuiſſe à *Bonifacio Marchione Alberti filio*, Legem Ribuariam profitente, quem nuper commemoravi, & poſt Annum MIX. uſque ad MXI. ab *Adalberto Marchione Oberti filio, & Adalberti Marchionis nepote*, ideſt à Principe ad Eſtenſium Marchionum Familiam ſpectante, uti Par. I. Cap. 21. pag. 194. Antiquitat. Eſtenſ. oſtendi. Etenim Marchiones iſti in Chartis Lucenſibus eo tempore occurrunt. Verùm quod duo iſti Marchiones appareant illis annis in pergamena quapiam Tuſciæ, hinc illico deduci nequit, fuiſſe eoſdem Etruſcæ quoque Marchæ Præfectos. Principibus illius ævi erant per totum fere Italicum Regnum Curtes, Caſtella, prædia, aliaque jura, cujus rei exemplum non unum protuli in iiſdem Antiquitatibus Eſtenſibus. Ac proinde quamquam in diverſis Regni partibus eorum Contractus ac Nomina reperiantur, in iis tamen Marchionalem auctoritatem exercuiſſe continuo non ſunt cenſendi, niſi alia accedant ſigna ac argumenta ditionis. A veri certe ſimilitudine abhorret, quod Florentinius & Coſmus de Arena ſibi perſuaſere, ſcilicet exiguo annorum ſpatio, Tuſciæ Præſides fuiſſe *Tedaldum, Bonifacium Ripuarium, Adalbertum Oberti filium*, tum *Raynerium I. & Raynerium II.* quaſi Marchionum munus temporarium ac inſtabile tunc foret, quale deinde fuit Poteſtatum in Urbibus liberis. Marchionatu aut Comitatu quiſquis ſaltem poſt Annum à Chri-

Christo nato Millesimum donabatur ex Imperatorum sive Regum concessione, quamdiu inter vivos erat, ea dignitate, juribusque illi adnexis fruebatur; neque excidebat, nisi contra fidem Principi supremo debitam ageret, aliaque ejusmodi facinora castigatione gravi digna moliretur. Quod tantummodo indicium aliquod præbere possit, *Adalbertum* illum *Marchionem*, *Oberti filium*, quem inter Atestinos Principes commemoravi, Tusciæ præfuisse, Charta est, quam vidi apud Clarissimum quondam Virum Philippum Bonarotam Senatorem Florentinum, cujus raram eruditionem Libri ab eo editi luculentissime testantur. Ex Archivo Cœnobii Passiniani depromta illa fuit, scriptaque erat *Anno MXXXVII. Septimo Kalendas Aprilis*, ubi hæc verba deprehendi: *Constat me Rosa inclita Comitissa, filia Domni Adalberti Dux & Marchio, & quæ fuit relicta Domni Ubaldi Comitis bone memorie*. Cui Provinciæ titulo *Ducis* & *Marchionis* præfuerit *Adalbertus* iste, mihi incompertum est; sed ex *Ducis* titulo veri fit simile, *Tusciam* ei regendam fuisse traditam, eumque esse, qui in Charta Anni MXI. nobis spectandum jamdiu se præbuit. Præterea *Raynerium Marchionem & Ducem Tusciæ* ego certe amplector, quippe illum & ego invenio in Placito Arretii habito Anno MXVI. Marchionalia jura exercentem, uti fidem faciet pergamena olim à me descripta ex authentico existente apud Monachos Benedictinos illius Urbis.

## Placitum in Arretina Urbe habitum à Raynerio Duce & Marchione Tusciæ, in quo Rodulphus Abbas Monasterii Sanctarum Floræ & Lucillæ caussam obtinet contra suos adversarios, Anno 1016.

D*Um* Raginerius Marchio & Dux Tuscanus *Placitum celebraret in Civitate Aretina cum* Hugone Comite ipsius Comitatus, *aderat* Abbas Rodulfus *cum Farulfo Avocato suo: proclamando querebant, quod Johannes filius Martini, & Dominicus Ildici filius . . . . . . . eorumque Ecclesie Sancte Flore & Monasterii, malo ordine contendebat duas petias de terra cum diversis fossis inter se, que sunt prope Civitatem Aretinam infra Plebem Sancte Marie in Gradis. Illa, quam Johannes detinet, & contendit cum aliis hominibus, est in loco, qui dicitur Quncito; ex una parte Castrum flumen, de secundâ, terra, que fuit Regalis, & infra eam est via, de tertia est terra Sancte Flore, de quarta est terra, que reitur per Dominicum de Prata. Alia petia de terra prope Silvam Sancti Donati, qui dicitur Molonis: ex una parte est ei via, de secundâ terra Sancti Donati, de tertia similiter, de quartâ predicta Silva, & infra ea sunt fose. Cum denominatus Abbas per hocto continuos dies, quibus denominatus Marchio & Hugo comes generale Placitum in Civitate Aretina abuerunt, asiduis querelis lamentaretur pro suprascripta terra, quam ei sueque Ecclesie malo ordine predicti homines contendebant, & censuales colones eam eidem Ecclesie subtraentes transvendiderunt, pretestatus Marchio Raginerius & Hugo ejusdem Civitatis Comes per singulos dies per diversos precones ac nuntios eos ad Placitum convocarunt. Denuum extrema die presentis Placiti cum eos abere nec videre possent, & cum nusquam venirent, ut vel illam terram sancte Ecclesie rederent, aut stando in ratione cum Abate & Advocato ipsius Ecclesie ab eis eam legaliter defenderent, set per diversa loca latitando confugerent, & nunquam venirent: per lignum, quod manu tenebant prefatus Marchio & Comes eundem Abatem Rodulfum & Farulfum Avocatum ejus ad proprietatem Ecclesie eorum in integrum investierunt; cunctas privatas ac publice actioni deditas personas sub Imperiali auctoritate omnino bannum mittentes super eos in Mancusos aureos duo milia, ut nemo illos exinde devestire audeat sine legali judicio. Qui vero fecerit, predictos duo milia Mancusos aureos compositurum se esse sciad, medietatem Regi, & medietatem eidem Monasterio & Monachis, qui ibidem Deo pro tempore servientibus. Ubi autem oc factum est, aderant Hugo, Ursus, Arnulfus, Baldizo, & Lambertus Judices, Walfredus Comes, Griffo filius Griffonis & Ursus filius ejus, Petrus filius Raginerii cum filiis ejus, Raginerius filius Adelmi, Ubertus filius Petri, Teuzo filius Gerardi, Raginerius de Ru . . . . . . Azzo filius Usigizionis, Petrus filius Eriberti, Franco filius Hugonis, Wido filius Griffonis, Griffo filius Azzonis. Hoc factum est in suprascriptorum presentia.*

*Quidem & ego Martinus Notarius ex jussione suprascripti Marchionis, seo predicti Hugonis Comitis & Judicum amonitione scripsi in Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo Sexto Decimo, Anno vero Imperii Domni Heinrici Imperatoris Romanorum Augusti Tertius, Mense Hoctuber, Indictione XV.*

✠ *Signum suprascripti Marchionis, ex cujus jussione seo & Judicum amonitione ec notitia facta est.*

✠ *Signum predicti Hugonis Comitis, ex cujus amonitione ec notitia facta est.*

*Baldizo Judice subscripsit.*

*Lamberto Judex adfuit & subscripsit.*

*Ugo Judex Domni Imperatoris interfui & subscripsi.*

*Ego Ursus Judex Domni Imperatoris interfui subscripsi.*

*Arnolfus Judex Domni Imperatoris subscripsi.*

*Ego Martinus Notarius scripsi & complevi.*

Hermannus Contractus in Chronico ad Annum MXXVII. hæc habet: *Conradus Rex acto Yporegiæ Natali Domini in ulteriora progressus, Lucam cum Reginhero Marchione in deditionem accepit*. Rem tamen pacifice actam Otto Frisingensis tradit Lib. 6. Cap. 28. Chronici, scribens: *Rex verò Conradus castra movens Sanctum Pascha Vercellis celebravit. Ibi Rehinerium Marchionem cum Civibus Lucensibus obviam habuit*. Sed Contracto Historico æquali major adhibenda fides. *Deditionis* nomen satis indicat, præcessisse oppugnationem Lucensis Urbis, aut bellicam impressionem in Lucensem agrum. Certe Anno præcedenti idem Conradus *totam, præter Lucam Urbem Tusciæ, Italiam sibi subjugarat*. Et fortassis hac de caussa dejectus è regimine Tusciæ fuit Raynerius, quem disertis verbis *Tusciæ Marchionem* Petrus

Da-

Damiani appellavit. Ipsius autem Raynerii mentionem, ejusque filii reperi in membrana existente in Archivo Capituli Canonicorum Arretii, & scriptâ *Anno Dominicæ Incarnationis MXLVII.* ubi hæc verba: ***Dum in Dei nomine in Comitatu Aretino infra Palatium domus Sancti Donati resideret Herimannus Missus Domni Henrici piissimi Regis*** (Rex tantummodo appellatur Henricus, ac propterea Charta spectare videtur ad Annum MXLVI. nondum ipso Romæ coronato die Natali Domini) simulque cum eo *Ugo filius Raginerii quondam Marchionis, & Uberto Vicecomes filius Buchi* &c. Alterum quoque Raginerii ejusdem filium, novi, *Uguccionem* videlicet, qui paternis titulis insignitus dignoscitur. Testem dabo Chartam Godefridi Marchionis, ubi ejus mentio occurrit. Archetypum in laudata Civitate Arretii apud prælaudatos Monachos ego legebam.

## Placitum in Comitatu Arretino habitum coram Gottifredo Duce & Marchione Tusciæ, in quo Canonici Arretini contra quosdam usurpatores protectione donantur, Anno 1059.

*Dum in Dei nomine in Comitatu Aretino infra Plebem Sancti Stefani sitam in Classe, resideret* Donnus Gottifredus Dux & Marchio, *& Arnaldus Episcopus & Comes in loco, qui dicitur Piscinale, singulorum hominum justitias faciendas hac deliberandas, residentes cum eo Rotikeri, & Alberto, & Ildibrando, & Cantarello, &* Willelmum, *& Jode Galbine, & Johannes de Classe Judices. In quorum itaque presentia, & ceterorum, scilicet* Rainerii filii Ugicionis Ducis & Marchionis, *&* Tegrimus Comes, *&* Rainerius *&* Bernardus Comites filii Ardingi, *& item* Rainerius filius Ugonis de Sesciano Comes, *& Pagano filius Rolandi de Corsino, & Rolandus filius Benzonis de Sasso, & Teuzo fratres filii Ildibrandi, & Rainerius filius Griffi nepos illorum, & Joculus atque Rainerius fratres filiorum quondam Rainerii de Galbine, & Henricus nepo illorum filii Bernardi, & Ugo filio Suppi de Loro, & Ubertus, & Ardimannus, & Fusco fratres filii Buki, & Buki filii Atriperti, & Ugo filius Corbizi, & Ungarello filii ..... & aliorum quamplurimorum, quorum nomina meminere non possumus. In istorum presentia veniens Ildibrandus Presbiter & Prepositus Canonice Sancti Donati, simul curan ........ proclamatione facientes de aliquantis hominibus de bonis sue Canonice, que mali & perversi homines tollebant & contendebant. His auditis Donnus Gottifredus Dux & Marchio quesivit consilium Judicibus, quid de his lamentis & proclamationibus fieri deberet. Tunc Judices respondentes dixerunt:* „ Rectum nobis com„ paret, ut vos pro Dei timore, & anima „ Regis, & vestra mercede, ut mittatis ban„ num super eumdem Prepositum cum Advo„ cato suo, & super easdem res, & super om„ nes res sue Canonice, ne quisquam contra„ rius aut transgressor predictum Prepositum „ simul cum Advocatore suo, vel successores „ ejus de predictis rebus audeat devestire sine „ legali judicio, aut molestiam inferre. *Cum ipsi Judices taliter retulissent, tunc ipse Donnus Gottifredus Dux & Marchio per fustem, quam in suis tenebat manibus, misit bannum super eumdem Prepositum simul cum Rainerio Judice Advocato suo, & super omnes res prefate Canonice, ut nulla magna parvaque persona predictum Prepositum simul cum Advocatore suo de predictis rebus sine legali judicio devestire audeat. Qui vero hoc fecerit, duo milia Mancusos aureos se compositurum agnoscat, medietatem parti Camere Domini Regis, & medietatem parti predicte Ecclesie Sancti Donati. Et hanc notitiam pro securitate rerum predicte Canonice fieri ammonuerunt.*

*Quidem & ego Griffo Notarius per jussionem jam dicti Donni Gottifredi Ducis & Marchionis, & Judicum amonitione scripsi. Hoc actum est Anno Dominice Incarnationis Millesimo Quinquagesimo Nono, regnante Henrico Rege, Mense Junio, Indictione XII.*



*Rotecherius Judex sacri Palatii interfui.*
*Albertus Imperialis Judex interfui.*
*Ildeprandus Judex Domni Imperatoris interfuit.*

*Godefridus Dux & Marchio Tusciæ*, qui Placito huic præest, uti Eruditus quisque novit, ille est, quem post obitum Bonifacii prioris Mariti novis nuptiis sibi copulavit Beatrix Ducissa, magnæ Comitissæ Mathildis mater. Atque heic habemus *Ugicionem Ducem & Marchionem*. Cur ille titulos Ducis & Marchionis gesserit, nondum assequutus sum, quum Tusciæ Anno saltem MXXVIII. Bonifacius Mathildis Comitissæ pater præesse ceperit. Quod dumtaxat animadvertere potui, ejusdem Uguiccionis filius *Raynerius* nullo *Marchionis* titulo insignitur, quamquam patre *Duce & Marchione genitus*. Adhuc enim ex libera Augustorum & Regum voluntate pendebat, ejusmodi munera, quorum possessionem una cum vita parentes posuerant, eorum filiis negare æque atque largiri. Certe plerumque succedebant & in iis honoribus filii, sive ex patrum merito, sive propter intercurrentem pecuniam, atque ob alias caussas, non minus olim quàm nunc potentes atque efficaces. Jamque ego ostendi, Majores Atestinæ Familiæ per varia Sæcula non interrupto cursu appellatione *Marchionum* ornatos. At id ex liberalitate Augustorum processit; liberum quippe ipsis fuit negare, si maluissent. *Raynerium* quoque seniorem, & ejus filium *Uguiccionem* memoratos vidi in pergamena Anni MXLIV. penes Canonicos Cathedralis Arretinæ. Ibi legitur *Definitio inter Canonicos Sancti Donati, & Ministeriales Uguicionis filius Raginerii Marchionis*. Inter alia hæc animadverte: *Deinde ex consensu ambarum partium, & jussione supradicti Uguicionis Marchionis fecerunt venire in eodem loco Fossato bonos homines de Polliciano* &c. En ergo *Raginerium* Anno MXXVII. Tusciæ Marchionem memoratum. Sed & ejus etiam filius *Uguicio Marchio* inscribitur, & Oppido Politiano tamquam Marchio legem dicit: quod præsertim animadvertendum, quum Bonifacius tunc Tusciæ Dux & Marchio fuerit. Itaque Genealogia illorum hæc esse videtur:

Raginerius Dux & Marchio Tusciæ
Anno 1016. & 1027.

Hugo in Charta Anni 1047.

Uguicio Marchio Anno 1044.

Rainerius Marchio Anno 1059.

Rainerius Anno 1090.

Postremi hujus Rainerii mentio est in Charta, quam Arretina in Urbe obtulit mihi prælaudatum Tabularium Benedictinorum in Monasterio Sanctarum Floræ & Lucillæ. Scripta fuit Anno MXC. atque hæc ibi verba: *Manifesta sum ego Caterina Comitissa, quæ Trotta vocor, filia cujusdam Comitis* (en *cujusdam* pro *quondam*, quod exemplis confirmavi Antiquitat. Estens. Cap. 32. pag. 316.) *& sum conjux Raineri filii quondam Raineri Marchionis. Similiter suprascriptus Rainerius filius quondam Raineri Marchionis confiteor, quia una cum suprascripta Trotta conjuge mea* &c. Nullus Raynerio huic, Raynerii Marchionis filio, titulus *Marchionis* tribuitur. Verùm in Diplomate Henrici inter Reges Quarti, inter Imperatores Tertii, quod ab Ughellio evulgatum fuit Tomo III. Ital. Sacr. in Archiepiscop. Pisan. videas Anno MXCIV. Sutrii adstare etiam eidem Henrico Augusto *Marchionem Albertum*, *& Rainerium item Marchionem*. Atque inde inferre quisquam posset, hunc quoque Raynerium titulo Marchionis fuisse deinde ornatum. Sed ut innumeris aliis in locis, ita & heic Ughellii diligentia desideratur. Non Anno MXCIV. sed MLXXXIV. scriptum fuit Diploma illud Henrici Augusti (quod & Troncius in Histor. Pisan. nos docuit) quare ad Marchionem Raynerium seniorem referendum est, patrem Raynerii in Charta Anni MXC. memorati. Quumque is in vivis fuerit Anno MLXXXIV. censendus erit filius *Uguccionis Ducis & Marchionis*, cujus mentionem vidimus in Placito Anni MLIX. Cuinam verò Marchæ is præfuerit, ignotum mihi fateor.

Regrediamur nunc ad *Bonifacium Marchionem* Matildis Comitissæ Patrem. Hunc circiter Annum Christi MXXXVII. regimine *Marchiæ Etruscæ* donatum, sunt qui asserant. Ego ex Charta Archivi Estensis animadverti, ipsum Anno MXXXIV. jam *Ducem Tusciæ* appellatum. Rursus eidem Marchiæ præfuisse illius parentem *Tedaldum*, atque in eâdem Successorem ab ipso designatum Bonifacium filium, ut id repetam, Recentiores autumarunt. Verùm hæc non solùm incerta, sed plane explodenda mihi videntur. Apertissime tradit Donizo, dimissam à Tedaldo *Marchiam* filio; simulque satis ex ipso discimus, non imminutam post Tedaldi mortem potentiam filii Bonifacii. Præterea palam factum est, vel in vivis agente Patre, hoc est Anno saltem MIV. ipsi Bonifacio titulum *Marchionis* adhæsisse. Quum verò ex hactenus productis contra pateat, Provinciam Tusciæ aliis Marchionibus ad Annum usque MXXXIV. non autem Bonifacio paruisse: quid aliud hinc inferendum restat, nisi aliam *Marchiam* extra Tusciam esse quærendam, quæ Marchionalem titulum atque auctoritatem Bonifacio non minus quam ejus patri Tedaldo attulerit? Eoque magis quod ex minime dubiis monumentis compertum habemus, Tedaldum, vel quum Hugo Magnus Tusciam Ducis & Marchionis potestate regebat (rexit autem ad Annum usque MI.) insignia, titulumque *Marchionis* per annos complures detulisse. Et ad eum quidem Annum MI. spectat nobile Placitum ab eodem *Teudaldo Marchione, Comite Regiensi*, habitum in *Castro Carpi*, quod archetypum servant in suo Chartophylacio Monachi Benedictini Regienses, olim Sancti Prosperi, nunc Sancti Petri. Illud dabo infra in Dissertat. VIII. *de Comitibus*. Immo *Adelbertus Atto* Tedaldi pater, uti Chartæ quatuor à Clariss. Bacchinio evulgatæ produnt, antea (videlicet sub Ottone Primo, aut saltem sub Secundo) *Marchionis* dignitate ac appellatione fulsit. Eum Mabillonius in Annalib. Benedictin. ad Annum MLXXXII. *Brixiensem Marchionem* appellat. Sed nullis tabulis, & perperam, ut opinor. Nullus ergo excogitandi locus, Patri & Avo Bonifacii *Tusciæ* regimen collatum tribuisse titulum *Marchionis*. Et si Tusciæ nequaquam præfuerunt illi, certe Bonifacio filio eam Marchiam Tedaldus moriens non dimiserit, quando ne ipse quidem, ejusque pater, eidem Provinciæ Præfecti antea fuerant. Sed quando *Tusciæ* non præfuit Theodaldus seu Tedaldus, cuinam Provinciæ Marchionem illum tribuemus? Vide, an hisce tenebris aliquid lucis adferre possit Charta evulgata à Campio Tom. I. pag. 493. Histor. Eccles. Placentin. ex Archivo Canonicorum Placentinorum: quæ quia ad rem nostram spectare posse videtur, heic iterum est proferenda.

## Charta commutationis inter Johannem Archiepiscopum Placentinum, Abbatem Monasterii Nonantulani, & Gundefredum, qui & Azo, Magistrum Monetæ, Anno 989.

*ANno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCCCLXXXIX. tertio die Mensis Genuarii, Indictione II. Commutatio bone fidei noscitur esse contractum, ut vicem emptionis obtineat firmitatem, eodemque nexu obligant contrahentes. Placuit itaque, bona convenit voluntate inter* Donnus Joannes Archiepiscopus sancte Placentine Ecclesie, & Abbas Monasterii Sancti Silvestri siti Nonantula, *necnon & Gundefredus, qui & Azo, Magister Monete, filius bone memorie Petri, qui professus est ex natione sua Lege vivere Longobardorum, ut in Dei nomine debeant dare, sicut & a presenti dederunt ac tradiderunt sibi vicissim unus alteri commutationis nomine. In primis dedit ipse Donnus Joannes Archiepiscopus & Abbas eidem Gundefredo in causa commutationis, id sunt petias duas de terra juris ipsius Monasterii, quibus esse videntur intra hanc Civitatem Ticinensem, ad loco, ubi Cella dicitur, prope Basiliea Sancte Dei genitricis Marie, que nominatur Capella de Leorardo; prima petia de terra est per mensura juxta tabulas duas & pedes undecim. Coëret ei da una parte terra ipsius Monasterii, quod in sua reservavit potestate: da alia parte ingresso communo, qui pergit usque in via publica, & ad puteum, seu à predicta Capella: & de reliquis duabus partibus casa prope terra a predicta Gundefredi & Boniprandi, qui & Bonizo; secunda petia de terra est, per mensura justa pede uno; coëret & da una parte casa, & terra Uberti, de alia parte predicto ingresso, da tertia parte predicta via publica. Quidem & ad vicem recepit ipse Donnus Joannes Archiepiscopus & Abbas ad eundem Gundefredi à parte ipsius Monasterii meliorata rem, sic lex habet, idest una petia de terra juris ipsius Gundefredi, quibus esse videntur intra hanc Civitatem Ticinensem prope Porta, que dicitur da Ponte, ubi desuper ipsa petia de terra alienum edificium nunc habet, quod est petia ipsa de terra per mensura justa tabulas tres, coëret ei da una parte terra Azzoni, de alia parte Restani, de tertia parte Restani, de quarta parte terra ipsius Gundefredi, quod in sua reservavit potestate, proprietario juri, sibique alii sunt coherentes. Has denique jam dictas petias de terra intra hanc Urbem supra nominatas vel commutatas, una cum accessionibus & ingressionibus earum per jam dictum ingresso ad predictum puteum, & ad jam dicta Capella eundi & redeundi die noctuque eidem Gundefredi necesse fuerit, seu cum superioribus & inferioribus earum rerum, qualiter supra mensurat. & coherentiat. legitur, sibi unus alteri, pars parti, per hanc paginam commutationis nomine tradiderunt, facientes exinde à presenti die tam ipsi quamque & successores vel heredes eorum legaliter proprietario nomine quicquid voluerint aut previderint sine omni uni alterius contradictione. Et spoponderunt se ipsis commutatores, seipsis suorum successores, vel heredes eorum predictis rebus, qui ad invicem commutationis nomine tradiderunt ins. ins. omni tempore ab homine defensare quidem, ac ut ordo legis depossit. Et ad hanc previdendam commutationem accesserunt super ipsis rebus ad previdendum Ilderadus Misso* Donni Teodaldi Marchio & Comes Comitatu Motinense, *& Adelbertus Clericus Misso eidem Donno Joanni Archiepiscopo & Abbati ab eo directo, una simul cum bonos homines extimatores, id sunt Rolandus filius quondam Riculfi, & Petri fil. quondam Dominici, seu Romaldus filius quondam Giselberti. Quibus omnibus extimantibus comparuit eorum extimaverunt, quod melioratas res susciperet ipse Donnus Joannes Archiepiscopus & Abbas ad eundem Gundefred à parte ipsius Monasterii, quam daret, & legibus commutatio ipsa & fieri potuisset. De quibus & pena inter se posuerunt, ut si quis ex ipsis, aut successores vel heredes eorum predictis rebus, qui ad invicem commutationis nomine tradiderunt in. in. non defensaverint, componant pars parti pena duplis ipsas petias de terra, sicut pro tempore fuerint melioratas aut valuerint sub extimatione intra hanc Urbem in consimile loco. Unde due Cartule commutationis uno tenore scripte sunt.*

*Actum Civitate Ticinensem feliciter.*

*Signum manibus suprascripto Gundefredi Magister Monete, qui hanc cartam commutationis fieri rogavi, eique relecta est.*

*Ilderadus fui ut supra.*

*Signum manibus suprascriptorum Rolandi, & Petri, seu Romaldi, qui ipsis rebus accesserunt, & extimaverunt ut supra.*

*Signum manibus Dominici Notarius Sacri Palatii rogatus subscripsi.*

*Signum manibus Ingelbertus Notarius Sacri Palatii rogatus subscripsi.*

*Signum manibus Astulfus Judex Sacri Palatii rogatus subscripsi.*

*Signum manibus Stefanus Judex Sacri Palatii rogatus subscripsi.*

*Ego* Walterus *rogatus testes.*

*Sign.* . . . . . . Waribertus Notarius *& Judex Sacri Palatii, scriptor hujus Cartule commutationis, post tradita complevi & dedi.*

Attente heic animadvertenda sunt verba illa: *Et ad hanc previdendam commutationem accesserunt super ipsis rebus Ilderadus Misso Donni Teodaldi Marchio & Comes Comitatu Motinense; & Adelbertus Clericus* &c. *una simul cum bonos homines extimatores* &c. Uti infra monebo in Dissertat. LXXII. *de caussis imminut. Ecclesiast. potest.* quoties Ecclesiarum res cum aliquo permutandæ erant, mandante Marchione, aut Comite Civitatis, deligebantur æstimatores, qui prius agnoscerent, an commutatio in utilitatem vergeret loci sacri. Alias Chartas ego protuli, è quibus constat, à Marchionibus Tusciæ ejusmodi æstimatores fuisse datos. Hinc ergo sublucere posse videtur, Tedaldum, non solùm uti Comes, sed etiam uti Marchio, præfuisse *Mutinæ*; & ex hac Urbe cum aliis juncta efformatam fuisse Marchiam Tedaldo commendatam. Ipsius quoque Tedaldi pater Adelbertus, qui & Azo, fuerat *Comes Regiensis, sive Motinensis*, ut ostendi Cap. 16. pag. 142. Antiquitat. Estens. Ibique præterea Placitum

tum protuli Anno DCCCCLXIV. habitum, in quo memorata est *pars Marchæ*, hoc est jus Marchionis in agro *Regiensi*, aut *Parmensi*. Ergo regio ista, quacum *Mantuam* quoque conjunctam fuisse opinor, nomen *Marchionis* Theodaldo, ejusque filio Bonifacio contulisse videtur, antequam Tuscia eidem Bonifacio commendata fuerit. Ita Reges atque Imperatores temporibus iis pro arbitrio novas Marchias efformabant, ut fidelibus suis gratificarentur. Adelais autem Imperatrix multa *Adelberto Azoni* Theobaldi patri debebat ob ingens illud beneficium, quod à Donizone aliisque Historicis commemoratur. Postremo tamdem loco animadvertendum est, Tusciæ Marchionibus *Ducis* quoque appellationem ex veteri institutione manantem in usu fuisse: cujus rei exempla non una & ego protuli. Atqui *Bonifacium* ejusque Patrem ac Avum in quamplurimis monumentis ante Annum MXXXIV. *Marchiones* quidem appellatos cernimus, numquam verò *Duces*. Et quamquam Bonifacius non raro vel post adeptam Tusciæ dynastiam uno *Marchionis* titulo inscriptus occurrat, attamen sæpe *Ducalem* quoque adhibuisse deprehenditur. Non pigeat heic Lectorem oculos convertere ad Chartam Placiti, quam nunc primum è tenebris eripere juvat, olim à me descriptam Lucæ ex Archivo Capituli Canonicorum Lucensium.

## Placitum à Cadaloo (qui postea fuit Antipapa) Cancellario & Misso Imperatoris Conradi I. habitum in Comitatu Lucensi, ubi Canonicis Sancti Martini adjudicatur possessio Castelli controversi, Anno 1038.

D*Um in Dei nomine infra Comitatu Lucense in loco, que dicitur Viavinari, intus Curte domnicata* Domni Bonifatii Marchio & Dux, per data licentia Domni Conradi Imperatoris, *qui ibi aderat, in judicio resideret Domnus* Kadelohus Cancellarius & Missus *ad justitia facienda ac deliberanda, adessent cum eo Adalfredus Episcopus Boloniensis Ecclesie, Bertaldus Comes, & Adalbertus Comes, Adalbertus Judex & Avocato*, Flaiberto Judex & Avocato Domni Bonifatii Marchioni, *Johanni, Rolandi, Gerardi, Waldi, Ondelberti Judicibus Sacri Palatii, Bernardi Notarius, Petrus filio bone memorie Pauli, Teoderigo filius bone memorie Ildebrandi, Petrus filio bone memorie Warneri, Gerardo filio bone memorie Cristofani, & reliquis plures; ibique eorum venerunt presentiis Leo Presbitero & Stephano Presbitero & Lamberto Clerico, & Aghino Clerico, Canonici ordinarii de Ecclesia & Canonica Sancti Martini Lucensis, una cum Bacaro Avocato eorum. Ceperunt dicere ac reclamare ad suprascripto Cancellarius*: „ jan plures vices reclamavimus ad vos, Domnus Cancellarius de Baroncello filio bone memorie Leidavitojo, qui nobis & ad aliis Canonicis confratribus nostris de pars Ecclesiæ Canonice Sancti Martini malo ordinem contendi & contradici Monte & Pogio seo Castello illo, qui esse videtur in loco & finibus Rogio, cum omnibus casis & rebus illis, qui esse videntur in suprascripto loco & finibus Rogio, quas bone memorie Raineri filio bone memorie Roffredi per cartula offertionis dedi & feci suprascripte Ecclesie & Canonice Sancti Martini, sicut in predicta cartula legitur; unde vos Domnus Kadelohus Cancellarius Missus epistola ex vestra parte ad eum direx ....... Placitum vociferare fecisse, & ad vestrum Placitum venisse, & de predicto Monte & Pogio seo Castello cum omnibus casis & rebus, qui in supradicto loco & finibus Rogio esse videtur exinde legem & justitiam fecisse, & minime eos habere potuisti. Unde querimus a vos, Domnus Cancellarius & Missus, ut vos pro Dei amore & anime Domni Imperatoris, hac vestra mercede, nos investiatis ad pars predicte Canonice Sancti Martini de predicto Monte & Pogio seo Castello cum omnibus casis & rebus ad eum pertinentibus, ut supra legitur, salva querela, quousque ipsi Baroncello à Placito veniat, & nobis ad pars jan dicte Ecclesie & Canonice exinde legem & justitiam faciad. „ *Cum ipsi Canonici & Bacaro Avocato eorum taliter recitaverunt, tunc recordatus est predictus Domnus Kadelohus Cancellarius & Missus Domni Imperatoris, quod ita verum esse, quod ipsi Canonici cum predicto Avocato eorum asseruerunt, & per fustem, quam in suorum detinuerunt manibus, de suprascripto Monte & Pogio seo Castello, cum omnibus casis & rebus ad eum pertinentibus investierunt suprascripto Leo & Stephano Presbiteri, & Lanberto & Aghino Clerici, & predicto Bacaro Avocato eorum, ut ad pars predicte Ecclesie Canonice Sancti Martini ad salva querela, quousque predicto Baroncello a Placito veniad, & de jam dicto Monte & Pogio seo Castello cum suis pertinentiis, ut supra legitur ad pars jam dicte Canonice legem & justitia faciad. Et insuper miserunt bannum Domni Imperatoris super ipsa Canonica, & super predicto Bacario Advocato eorum, & super jam dicto Monte & Pogio seo Castello cum suis pertinentiis, ut supra legitur, duo milia Mancusos aureos: ut si quislibet homo, magna parvaque persona devestire audeat predicta Canonica de suprascripto Monte & Pogio, seo Castello cum suis pertinentiis, ut supra legitur sine legali judicio, sciat se compositturo, & agnoscat predicta duo millia Mancusos aureos, medietatem parte Camere Domni Imperatoris, & medietatem suprascripti Canonici, & suorum confratribus vel suorum successoribus. Unde hanc notitia pro securitate nuper facta & ostensione suprascripta Canonica fieri monuerunt.*

*Quidem ego Rodulfus Notarius Domni Imperatoris ex jussione Domni Kadelohus Cancellarii Missus, & Judicum ammonitione scripsi, Anno Domini nostri Jesu Christi Dei eterni ab Incarnationis ejus MXXXVIII. Conradus gratiâ Dei Imperator Augusto, Anno Imperii ejus in Italia XI. octavo Kalendas Martii, Indictione VI.*

*Kadelous Cancellarius & Missus sacri Palatii.*
*Ego Gerardus Judex sacri Palatii interfui.*
*Rolandus Judex sacri Palatii interfui.*
*Adalbertus Judex sacri Palatii interfui.*
*Flaibertus Judex Domni Imperatoris & Advocato Domni Bonifatii interfui.*
*Johannes Judex sacri Palatii interfui.*
*Ego Martinus Domni Imperatoris Notarius autenticum illud fideliter exemplavi.*
*Gottefredus Notarius Domni Imperatoris autenticum illud vidi & legi, unde hoc exemplum sumptum est, hicque subscripsi.*
*Otto Notarius Domni Imperatoris autenticum illud unde hoc scriptum est exemplum vidi & legi, hicque subscripsi.*

Videsis Majorum nostrorum ritum. In *Curte domnicata* (nunc Italice diceremus *in una Casa non affittata, ma padronale*) *Domni Bonifatii Marchio & Dux* habitum est illud Placitum, sive Judicium publicum. Scribendum verò fuisset pro more, Cadaloum Cancellarium & Missum Domni Imperatoris ibi judiciale tribunal conscendisse *per data licentia ejusdem Marchionis*. Verùm quia tunc in Comitatu Lucensi, atque, ut arbitror, in eadem Curte versabatur ipsemet Imperator Conradus, judicium illic dicitur habitum *per data licentia Domni Conradi Imperatoris*. Non audeo huc trahere, quæ Otto Frisingensis Lib. II. Cap. 13. de gest. Friderici I. scribit, scilicet cessasse Magistratus omnes, quando Imperator Italiam intrabat, ac nemini sine illius veniâ fas fuisse pristinam exercere auctoritatem. Id quidem ajo, quamquam Curtis illa ad Bonifacium Marchionem pertineret, quia tamen aderat supremus terrarum Dominus, ab eo saltem obsequii causâ, non verò à Marchione, petita est facultas: quasi non amplius in Bonifacii jure Curtis illa foret, sed quidem Imperatoris. Præterea, quod ad rem nostram attinet, Bonifacius heic disertissime vocatur *Marchio & Dux*, uti & in aliis bene multis subsequentium annorum monumentis, quia Tusciæ Præses antea creatus. Atqui ante illa tempora quum tam ipse, quam *Thedaldus* Pater, & *Adelbertus* Avus illustrem titulum *Marchionis* gesserint, numquam verò *Ducis*: quid aliud hinc deducas, nisi ex eis neminem imperasse Tusciæ, atque in ea regione unum tantummodo Bonifacium circiter Annum MXXXIV. *Marchionem* agere cœpisse? Supra innuimus rem satis raram, nempe à duabus olim illustribus feminis Tusciam, more & auctoritate reliquorum Marchionum, rectam fuisse, hoc est à *Beatrice* supra memorati Bonifacii Ducis Vidua, & ab eorum filia celebri *Comitissa Mathilda*. Procul dubio à consuetudine saltem abhorruit, feminis quamquam fortitudine animi, aliisque dotibus supra sexus sui vulgus assurgentibus, gubernandam commendare Provinciam, quando conjuncta cum regimine erat necessitas ducendorum exercituum, ac militiæ faciendæ, quum res poscebat, aliaque præstandi, quæ aut viros tantummodo exigunt, aut femineum genus parum quandoque decent. Et quidem à probando hoc veluti monstro diu abstinuere Imperatores. Verùm progrediente tempore accessit & illorum consensus, non sponte, ut puto, sed necessitate concessus; satius enim visum est feminis opum ac ditionum amplitudine formidandis largiri, quod vel negatum retinere voluissent atque potuissent, uti experientia docuit. Vestigia dominantis olim in Tuscia Beatricis plurima habentur. Ego unum heic proferam monumentum, delibatum è Bibliotheca nuper à me memorati Clarifs. Viri Philippi Bonarotæ Senatoris Florentini.

Pla-

## Placitum Florentiæ habitum coram Beatrice Duciſſa ac Marchioniſſa Tuſciæ, in quo Berta Prioriſſa Sanctæ Felicitatis protectionem Regiam Cœnobio ſuo impetrat, Anno 1072.

D*Um in Dei nomine in Civitate Florentia infra Palatium de Domo Sancti Johanni ibidem reſidebat* Domna Beatrix Ductrix & Marchioniſſa Tuſcie, *ad juſtitiam faciendam, & alias intentiones faciendas & deliberandas, adſtantibus cum ea Paganus de Corſina, &* Wido *Comes, & Ardericus, & Gherardo, & Uberto, & Lamberto, & Florentio Judices, & Adigerius, & Viginitio Cauſidici, & Albitio filio bone memorie Azzi, & Teuderico filio bone memorie Ildebrandi, &* Wido *de Cona, & Ildebrando filio bone memorie Teuderichi, & Johannis filio bone memorie Donati, & Gherardo filio bone memorie Florentii, & alii plures. In eorum preſentia Johannes filio bone memorie Unganelli, qui fuit Clericus, dixit & confirmavit, quod duo ſeſtaria de terra, que eſt poſita in loco Colombaria & Plazza, propria eſſe Eccleſie Sancte Felicitatis, & de ipſa terra ipſe Johannes Cartulam fecit Raineri filio Pagani. Et tunc Berta, que eſt Prior jam dicte Eccleſie Sancte Felicitatis ſita foris muros Florentie Civitatis, una cum Johanne Advocato predicte Eccleſie & Monaſterii, ceperunt mercedem querere ad predictam Domnam Beatricem, ut ipſa propter Deum, & anime Domni Regis, ſueque mercedem, bannum ſuper eos, & ad vicem ſupradicte Eccleſie & Monaſterio mitteret, ſuper jam dicta duo ſeſtaria de jam dicta terra, & ſuper duo alia ſiſtaria juxta ipſa, que fuit Boſi filio Boniti, & Hermingarda Jugalibus filia Ungarelli, & ſuper omnibus caſis, terris, vineis, ſortis, & domicatis, & rebus, quas pertinent ad ſupradictam Eccleſiam, & Monaſterio Sancte Felicitatis, vel ex parte jam dicti Monaſterii abere & tenere videtur infra Comitatu Florentino & Feſolano, & in locibus nominantes Sancto Donato, Romulana, Caldie, Camporigis, Legnaria, Jugulo, & juxta fluvio Ima, & prope Greve, & in Gurgo, & in Poline, & in aliis locis. Ad hec predicta Domna Beatrix per fuſtem, quam ſua detinebat manu, miſit bannum Domni Regis ſuper predicta Berta, que eſt Prior, & Advocatum ejus ad partem ſupradicte Eccleſie & Monaſterio, & ſuper omnes jam dictas terras & vineis & rebus, & ſuper jam dicte quatuor ſiſtariorum, que dicte ſunt. Ut ſi aliquis homo, magna parvaque perſona de prenominatis terris, vineis, & ſupradicta quatuor ſeſtariorum predictam Bertam, que eſt Prior, & Advocatum ejus, vel ad partem ſupradicte Eccleſie & Monaſterii deveſtire preſumat ſine legali judicio: qui hoc vero fecerit duo millia Biſantios aureos compoſiturum ſe agnoſcat, medietatem parti Camere Domni Regis, & medietatem predicte Berte, & Advocatum ejus, & ad partem ſupradicte Eccleſie & Monaſterii. In eo modo finita eſt cauſa. Unde hec notitia pro ſecuritate predicti Monaſterii, ejuſque Rectoribus, & futura oſtenſione fieri ammonuerunt.*

*Quidem & ego Johannes Notarius ex juſſione predicte Beatricis, ſed & Judicum ammonicione ſcripſi, Anno Domini noſtri Jeſu Chriſti Septuageſimo Secundo poſt Mille, V. Kalendas Martii Indictione XI.*

*Ego Ardericus Judex interfui & ſubſcripſi.*
*Gerardus Judex ſacri Palacii ſubſcripſi.*
*Ubertus Judex Domni Imperatoris interfui.*
*Lambertus Judex ſacri Palatii interfui.*
*Subſcripſi dictis preſens Aidericus iſtis.*

Notiſſima quoque ſunt acta imperantis quondam in Tuſcia generoſæ Comitiſſæ *Mathildis* ejus filiæ: Unum heic adjiciam, quod olim deſcripſi ex Archivo Dominorum Roncionum Nobilium Piſanorum.

## Charta remissionis offensarum, & concessio investituræ prædiorum facta à Mathilde Comitissa Gualando Pisano, Anno 1113.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Matilda Dei gratiá, si quid est. Dum in Dei nomine Domna Comitissa Matildis, filia Bonifacii Ducis & Marchionis *septimo Idus Aprilis apud Massam adesset, & inibi, multa ex diversis partibus negotia tractasset, venit ad eam Gualandus nepos Lamberti Rolandi filius de Pisana Civitate, cum quibusdam aliis Pisanis, quorum nomina subter leguntur, rogantem, ut suo pro servitio & parentum suorum, offensionem, quam ei fecerat, sibi condonaret, atque de illo, quod jam pridem* ex Marchia *tenuerat, sibi Investitura faceret. Ipsa quidem consilio suorum fidelium, quorum nomina inferius denotabimus, accepto, & offensionem condonavit, & ex illo, quod Avus jam dicti Gualandi tertia die ante ejus obitum ex Marchia tenuerat, prefatum Gualandum investivit, & nominatim de medietate Silve Parantini, tali modo videlicet, quod ipsa cum presens fuerit, vel cum Missi ejus adfuerint, ex jam dicta Silva debent habere ligna & herbas atque venationes. Ut autem hoc verius credatur & firmius teneatur, hanc cartulam ad memoriam retinendam fieri jussit, & manu propria subscripsit, & sigillo suo insigniri precepit; & insuper penam centum Librarum contra illos, qui super hanc cartulam molestando ire temptaverit, imposuit, & imponendo Ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis in se retinuit, atque ex Silva totum illud, quod habebat, prelibato Gualando in integrum concessit, preter illud, quod supra nominatum est, ita quod nulla superimposita ibi facere debeat.*

| MA | TIL |
|---|---|
| DA | DEI |
| GRA | SI |
| QID | EST |

*Actum est hoc per manum Johannis Sancte Carpensis Ecclesie Diaconi, & Domne Comitisse Matildis Cappellani, MCXIII. Indictione V.*

*Unde Comes Albertus, Sasso de Bibianello, Arduinus de* Palude, *Ugo & Albertus filii Magifredi, Guibertus de Saviola, Bernardus de Capitementi, & alii quamplures ex Langobardia. Ex Pisa autem Ildebrandus filius Rolandi, Romella filius Henrici, Ildeprandus & Rolandus germani, & Marignanus Notarius, & Bello Vicarius, una cum supradictis, rogati sunt testes.*

Dimidium Silvæ, quod heic memoratum vides, avus Gualandi *ex Marchia tenuerat*, hoc est à Marchionibus Tusciæ in feudum receperat. Id non incuriose prætereundum. Erant enim antiquis temporibus in Italico Regno nemora, prædia, aliaque jura, quæ ad Cameram Regis sive Imperatoris pertinebant; alia, quæ ad Cameram Ducis, sive Marchionis: alia denique spectantia ad Comites, sive Rectores Urbium. Reges & Augusti sensim portionem suam aut Marchionibus, aut Vassis, aliisve privatis hominibus, aut Ecclesiis dilargiti sunt; sive ut sæpius contingebat, sub nomine largitionis vendidere. Idem quoque à nonnullis Marchionibus de sua portione factum, inter quos recensendus W*elpho VI. Tusciæ Marchio* ex Germanica Estensium Linea, uti in Antiquit. Estensib. ostendi: qui pœne omnia *Marchionalia* jura in eadem Tuscia pretio recepto ad aliorum manus abire permisit, deinde à Friderico I. Augusto recuperata. Sed quoniam Gualandum Pisanum coram positum habemus, dimittendus non est, donec nobis alium prodat Tusciæ Præsidem, videlicet Mathildis Comitissæ in eadem Marchia Successorem, & ejusdem lemmate in inscribendis ac subscribendis Diplomatibus usum. Is fuit *Rabodo* (Theutonicæ gentis hominem puto) Francisco Mariæ Florentinio ignotus, sed à Cosmo de Arena accurate indicatus in Serie Ducum Tusciæ: ad quem pro confirmatione nuper evulgatæ Investituræ se contulit idem Gualandus. Ex altera hac Charta, cujus antiquum apographum vidi Pisis apud prælaudatos Nobiles viros Ronciones, ego nonnulla decerpam, reliquis dimissis, ne antecedentem repetitam habeat Lector.

Di-

## Diploma Rabodonis Marchionis Tusciæ, quo confirmat Gualando Pisano quæcumque is in Feudum acceperat à Marchionibus Tusciæ, Anno 1117.

IN *nomine Sancte & Individue Trinitatis. Rabodo Dei gratia si quid est. Dum in Dei nomine* Domnus Rabodo Marchio Tuscie., *duodecimo Augusti apud Castellum, quod vocatur Pese, adesset, & inivi multa ex diversis partibus negotia tractasset, venit ad eum Marignanus Notarius & Missus fidelis* Walandi, *nepotis Lamberti, filii Orlandi, de Pisana Civitate cum quibusdam aliis Pisanis & Lucensibus, quorum nomina subter leguntur, rogans, ut pro suo servitio & parentum suorum de hoc, quod jam pridem* ex Marcha *tenuerat, sibi Investituram faceret. Ipse quidem consilio fidelium suorum &c.*

RABODO | DEI GRATIA
SI QVID | EST

*Actum est hoc per manum Regenradi Presbiteri . . . . . . . Rabodonis Marchionis, Anno Millesimo Centesimo Septimodecimo.*

*Ildebrandus filius* Widonis, *Rolandus . . . . . zone filius Gerardi, Rogemundus, Petrus filius Adelardi, Teotho . . . . . . . Ademarus, Heinricus, una cum . . . . . . . testes.*

Ad Annum quoque MCXXIX. alius Tusciæ Marchio sese nobis offert, *Conradus* videlicet *Ravennatum Dux*, & *Tusciæ Præses atque Marchio*. Ejus etiam meminit Florentinius in Vita Mathildis. Cosmus de Arena in serie Ducum & Marchionum Tusciæ, quam in Parte II. numquam edita pollicebatur, ad Annum MCXX. *Conradum* hunc exhibet Ducem & Marchionem Tusciæ. Tum ad Annum MCXXV. *Fridericum* ejus fratrem eâdem dignitate donatum statuit. Fallitur. En ipsum Conradum Anno adhuc MCXXIX. Tusciæ Rectorem. Excerpsi ex autographo existente Lucæ in Archivo Monachorum Sancti Pontiani ex Congregatione Montis Oliveti pauca ista, quæ sequuntur.

## Charta donationis factæ Monasterio Sancti Pontiani Lucensis à Conrado Duce & Marchione Tusciæ, Anno 1129.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Amen.* Conradus divinâ gratiâ Ravennatum Dux, & Tuscie Preses ac Marchio. *Omnibus notum fieri volumus, quod concedimus atque damus Ecclesie & Monasterio Sancti Pontiani sito juxta muros Lucane Civitatis, unam videlicet petiam de terra culta & inculta, que habet Casalinum & fontanam infra se &c.*

*Locus Sigilli cerei deperditi.*

*Hec acta sunt juxta Lucanam Civitatem, in Burgo, qui dicitur Sancti Fridiani, presentibus Fulcerio quondam Rainerii &c. Anno Dominice Incarnationis Millesimo Centesimo Vigesimo Nono, Pridie Nonas Septembris, Indictione VIII.*

*Daisus Notarius Domni Imperatoris, cujus presentia ista sunt acta, ex jussione predicti Doni Conradi Ducis, Marchionis, hec scripsi.*

Præterea Conradum eumdem Anno MCXXI. Tusciæ Præsidem reperi in altera Charta, quam Tabularium Archiepiscopii Lucensis mihi obtulit. Ibi *Bastardus Teutonicus & Missus Domini Marchionis Conradi, ex precepto ipsius Marchionis corporaliter investivit ad proprietatem . . . . . . . Canonicum & Vicedominum Ecclesie & Canonice Sancti Martini Lucensis Episcopatus, de districto videlicet & placito, albergaria & fodro, que Imperatori & prefato Marchioni aliquo modo pertinere videbantur de tota Plebe Villa Bassilica* &c. *presentiâ Sineanime Missi Domini Imperatoris, & Fulcherii Lucensium Consulis* &c. Quæ diligenter animadvertenda sunt, ut discas, qua ratione sensim Regalia translata fuerint ad Ecclesiasticos sive Sæculares viros. Præfuere deinde Tusciæ alii Marchiones, de quibus nullus mihi sermo erit; nam Tusciæ Civitates serius quàm Lombardicæ ad libertatis culmen assurrexere: quod evinci posse videtur è continuata ibi Marchionum seu Ducum ditione per totum Sæculum XII. quæ in Lombardia penitus desierat. Simul tamen verum est, eodem Sæculo Duodecimo non eam fuisse Marchionibus iis sive Ducibus auctoritatem atque ditionem in Populos Tusciæ, quam præcedentes Marchiones exercuerant. Et revera sensim Augusti, atque ipsi Marchiones Regalia Civitatibus aut largiri, aut venumdare cœperunt, ita ut tamdem translatum fuerit universum regimen in earum Civitatum Populos, & supremum dumtaxat jus Imperatores in ea retinuerint, idque etiam sæpe nutarit.

Præter Marchias celebres, de quibus hactenus verba fecimus, fuerunt & aliæ olim in Italico Regno nobis non satis perspectæ, ut supra innui; novæ quippe in dies constituebantur, prout Regum, temporum, ac rerum vices suadebant; quarum Præsides illustrem locum tenuere, ac præcipue in partibus Montisferrati, Pedemontis, Mediolani, Genuæ, & Lunæ. Sed & in tractu Romano occurrunt *Marchiones*, quorum Marchiam non facile indices. In Charta Cœnobii Farfensis ad Annum MXII. spectante, Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. habetur quidam *Johannes Marchio & Dux*, Benedicti Comitis filius, & frater Crescentii Comitis, ex ea, ut conjecturæ ferunt, nobili Familia Romana natus, quæ Crescentium Comitem dedit, rebellem Ottoni III. Augusto, & illius tamdem jussu dirâ morte peremtum. Quum verò ceteræ ferme omnes Marchionum viventium Uxores *Comitissæ* appellari solerent, uti innumera exempla testantur, in eâdem tamen


Charta

Charta Conjux Crescentii, qui unum præfert *Comitis* titulum, *Ducissa* inscribitur iis verbis: *Crescentius Comes cum sua Conjuge Hitta Illustrissima Ducatrice*. Verùm cui Marchiæ præesset Johannes iste *Dux*, simul & *Marchio*, in regione Romana, nisi eum Spoleto, & Camerino, seu Firmo dominatum fuisse conjiciamus, quis mihi ostendet? Rursus quæ olim foret *Guidonis Marchia*, quam in Diplomate nondum edito Friderici I. Augusti memoratam inveni, Eruditis hominibus inquirendum relinquo. Et quidem Diploma illud à me descriptum ex archetypo existente in Archivo Ducum Mantuæ, nunc Cæsareo, sive Archiducali, omnino heic productum volo, quippe in foro literario rara sunt id genus monumenta.

## Investitura Marchiæ Guidonis concessa Henrico Marchioni à Friderico I. Imperatore, Anno 1167.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator & semper Augustus. Ratio suadet, & necessarium esse justicia ipsa demonstrat, ut quicquid aliquo tempore clementia Imperialis de sua largitate fidelibus suis erogat vel distribuit, literarum apicibus pro memoria commendetur, ne per successiones temporum, concessiones vel donationes Regum aut Imperatorum aliqua oblivione depereant, vel ex levi occasione cordibus posterorum dubietatis vulnus infligant &c. Inde est, quod nos in memoria & præ oculis habentes, quanta devotione, quanta fidelitate dilectus noster* Marchio Henricus, *ejusque tota progenies nobis & Imperio semper servierit, & in omni necessitate Imperii fidelis & constans perstiterit, dignum duximus præclara servitia sua & suorum, palma dignæ retributionis adornare, & accepta opportunitate meritis suis grata vicissitudine respondere. Ea propter cognoscant universi fideles Imperii per Italiam constituti, præsentes & futuri, quod nos juxta nostram Imperialem munificentiam prædictum* Marchionem Henricum *pro ejus fideli obsequio, ejusque heredes masculos*, de Marchia Guidonis quondam Marchionis *in præsentia Principum Curiæ nostræ investivimus, simulque de omnibus rebus, de quibus idem Marchio à nobis fuit investitus, atque de omnibus his, quæ per Imperium habuisse & tenuisse dinoscitur, cum omni jure & honore & utilitate, quæ exinde potest provenire; videlicet cum Castris, Burgis, Villis, & Locis, & cum omnibus pertinentiis &c. Ad aumentum quoque hujus nostræ gratiæ, & ad securitatem predictæ Investituræ à nobis factæ prædictum fidelem nostrum Marchionem Henricum in possessionem Marchiæ, & prædictarum rerum liberi per nostrum Legatum mitti decrevimus. Et si aliquis nostræ Majestati vel Nuncio nostro contradicere vel obsistere in hoc facto præsumpserit, quominus prædictus Marchio in possessionem mitti possit, omnibus comprovincialibus personis & Civitatibus sub debito fidelitatis districtæ præcipimus, quatinus prædictum Marchionem Henricum prædictam Marchiam intrare & possidere atque manutenere viriliter adjuvent, omnesque contradictores banno nostro subjicimus. Præterea ne quid ad gratiam desit,* Ugolinum Marchionem fratrem Marchionis Henrici *de prædicta Marchia, & de præfatis rebus similiter investivimus, tali tamen conditione, ut si Marchio Henricus sine legitimo herede masculo decesserit, tunc frater ejus Marchio Ugolinus prædictam Marchiam cum præfatis rebus habeat, teneat, & quiete possideat. Interim verò quicquid de prædictis rebus Marchio Henricus fratri suo Ugolino concedere voluerit, nostræ Majestati per omnia complacebit. Si qua Castella sunt in Marchia prædicti Guidonis Marchionis, & in tota Marchia Henrici & Ugolini Marchionum, & in eorum districtu diruta & destructa, nostrâ Imperiali auctoritate reædificari & relevari permittimus & præcipimus, & eum, quicumque huic nostræ constitutioni vel permissioni contradixerit, volumus Imperiali banno subjacere, centum Librarum auri pœna mulctatum. Omnes quoque homines districtabiles Marchionis Henrici & Ugolini, qui ad Civitates confugerunt, ne dominis suis servire cogerentur, à Civitatibus exire, & ad propria domicilia ad serviendum dominis suis redire jubemus; alioquin personas & res eorum in banno nostro ponimus; & liberam facultatem dominis eorum damus, ut bona, quæ à manu eorum habent, eis auferant, vel super personas & res eorum, quamcumque voluerint, vindictam exerceant. Statuentes itaque Imperiali edicto sancimus, & sub debito fidelitatis præcipimus omnibus fidelibus Imperii, ne qua Ecclesiastica, secularisve persona contra hanc nostram constitutionem &c. Hujus rei testes sunt Heribertus Bisuntinus Archiepiscopus, Hermannus Verdensis Episcopus, Daniel Pragensis Episcopus, Alexander Leodiensis Episcopus, Udo Cicensis Episcopus, Gotefridus Spirensis Episcopus, Radulfus Argentinensis Episcopus, Ludewicus Argentinensis Episcopus, Presbyter Cremonensis Episcopus, Albericus Laudensis Episcopus, Erleboldus Stabulensis Abbas, Dux Bertholfus de Zeringa, Marchio Theodericus, Dux Tieboldus de Boëmia, Dux Ulricus de Boëmia, Borchardus Castellanus de Magdeburg, Cuonradus Castellanus de Nurembere, Comes Tieboldus de Leckesgemunde, & frater ejus Henricus, Comes Warnerus de Havekesburg, Conradus de Lewenstein,* Marchio Wilelmus de Monteferrato, Marchio Manfredus de Wasto, Hugo magnus Marchio, *Comes Robertus de Lorotello,* Marchio Henricus Wercius, Albertus Marchio de Incisa, *Comes Wilelmus de Blandrata, Bertholfus de Scowenburg, Fridericus de Bilvieta, Henricus Marescalcus, Ulricus Dapifer, Lodewicus Pincerna, Ulricus de Sala, Rudegerus & Rodulfus Camerari,* Wido de *Sancto Nazario, Comes Malvicinus, Petrus Traversarius,* Wido *Ubertinus, & alii quamplures.*

Si-

*Signum Domni Friderici*  *Romanorum Imperatoris invictissimi.*

*Signum Sigilli Cerei deperditi.*

*Ego Philippus Cancellarius vice Rainaldi Coloniensis Archiepiscopi, & Ithaliæ Archicancellarii recognovi.*

*Datum in territorio Ariminensi IX. Kalend. Maji, Anno Dominicæ Incarnationis MCLXVII. Indictione XV. Regnante Domno Frederico Romanorum Imperatore gloriosissimo, Anno Regni ejus XV. Imperii verò XII.*

*Actum in Christo feliciter. Amen.*

Velim heic animadvertat Lector, Fridericum I. de Marchia Guidonis investire *prædictum Marchionem Henricum, ejusque Heredes masculos*; ac præterea sinere, ut deficiente eodem Henrico absque Heredibus masculis, succedat in ipsa Marchia illius frater *Ugolinus Marchio*. En ergo iis temporibus jam invecta consuetudo, quæ subinde in jus perenne abiit, nempe singularibus Privilegiis constitutum, ut in Marchiis quoque succederent Marchioni parenti ejus liberi ac descendentes masculi, immo & transversales, Augustis, ut censeo, ejusmodi liberalitate animos Principum & Optimatum Italiæ sibi devincire conantibus. Porro quis fuerit Henricus iste Marchio, certò affirmare non ausim. A vero forsitan longe non abeat, qui eum *Marchionibus Carretti* accenseat. Illius autem Marchia nullas Urbes complectebatur, sed Castella tantum, Curtes, & Villas. Heic autem inter nobiles testes in Charta hac memoratos, digni sunt, qui ante oculos nostros recurrant *Marchio Willelmus de Monteferrato, Marchio Manfredus de Vasto, Albertus Marchio de Incisa, & Marchio Henricus Wercius* (idest *il Guercio*) Italici Proceres omnes. De isto Henrico Wercio infra mentio occurret in Actis Pacis Constantiæ in Dissertat. XLVIII. *de Societat. Lombardor.* Sunt, qui hunc *Marchionem Savonæ* fuisse opinantur. De hisce præcipue videas, quæ multiplici eruditione disserit Clariss. Berettus in Dissertat. Chorographic. Tomo X. Rer. Italicar. ubi de Geographia Italica medii ævi optime est meritus. *Hugo magnus Marchio*, in hoc ipso Diplomate memoratus, unde prodierit, alii inquirant. In Historia MSta Marchionum Salutiarum, quam teneo, is creditur fuisse frater *Manfredi Marchionis Salutiarum, & Vasti*, quem nuper commemoratum vidisti, atque ex eo propagatos *Marchiones Cravesanæ*. Denique hinc discimus, ad Occidentalem Italiæ plagam sensim ac variis temporibus multiplicatas fuisse Marchias, quod nempe antiquis mutilatis, seu divisis, novæ subinde constituerentur. Quum verò hactenus animadvertimus, veteres Marchiones aut adjecto Marchiæ eis creditæ nomine, aut nudo *Marchionis* titulo fuisse commemoratos, petat Lector, quid significent Chartæ quædam, quæ inclinante Sæculo Duodecimo exaratæ, & à Guichenonio evulgatæ habentur, Tom. 3. Histor. Genealog. Regiæ Sabaud. Famil. in queis occurrit *Umbertus Maurianensis Comes, & Italiæ Marchio*: quod profectò rarum est; neque enim Italia erat Marchia. Commemorant quidem interdum Historici *Marchiones Italiæ*; sed insuetum videatur appellari in Chartis *Marchionem Italiæ*, & præcipue quum is alibi *Umbertus Comes & Marchio Maurianensium* dicatur, quæ Mauriena est ultra fines Italiæ. Verùm *Italiæ Marchio* nihil aliud fuit, quam quod in aliis Chartis legitur, scilicet *Marchio de Italia*, aut *in Italia Marchio*. Rarum quoque videatur, quod in alia Charta habetur: idest; *Ego Amedeus Dei gratiâ Burgundiæ & Lombardiæ Comes, Nepos que Comitissæ Aladiæ, & hereditario jure successor*. Exempla hujusmodi formulæ iis Sæculis frustra alibi perquiras. Et quoniam prælaudatus Guichenonius nobilissimam Sabaudiensium Ducum, nunc etiam Sardiniæ Regum, Familiam multâ cum eruditione, Librisque editis illustravit, inde petere Lector poterit Antiquitates eorum Principum, quorum adhuc tantus est splendor & potentia in Italia. Attamen felicitati meæ tribuo posse heic ad illorum decus addere binas Chartas, quæ diligentiam Guichenonii effugerunt, & illius ædificium non leviter exornabunt. Eas debeo benefico studio Illustris. & Excellentiss. Comitis Ludovici Caissotti Primi Præsidis Senatus Taurinensis, qui illas ex Archivis describendas curavit, & pro sua humanitate ad me misit. Jam Guichenonius validis argumentis firmavit, *Adelaidem* celeberrimam *Segusii Marchionissam* secundis nuptiis conjunctam fuisse cum *Hodone Marchione*, filio Umberti Comitis Sabaudiæ & Mauriennæ, atque ex iis propagatam fuisse Regiam Ducum Sabaudiensium progeniem. Ad eosdem Conjuges spectant prælaudatæ Chartæ.

## Donatio facta ab Oddone Marchione Segusii Canonicis Sancti Petri Tarantasiensis, Anno Ch. 1051.

A*Nno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo Quinquagesimo Primo. Ego* Odo Marchioni *Dei gratia, amore Dei Patris omnipotentis, pro remedio animæ Pater meus* Umbertus Comes, *& propter meam animam: Notum sit omnibus præsentibus quàm absentibus, quod ego Odoni mea spontanea voluntate dono Sancti Petri Darentasiensis, ad usum Canonicorum aliquod de rebus meis conjacentibus in Valle Darendasia; hoc est Mansum unum, quod prænominatur Villare Berengeru, quantum ad ipsum Villare aspicit, & aspicere videtur, dono Sancti Petri, & Canonici ejus perpetualiter, ut animæ Pater meus, vel mea sit mediata inter Canonicorum orationes, quas fungere merentur. Si quis verò contra hanc Cartula nostræ authoritatis, suadente Diabolo, aliquam calumniam inferre præsumserit, de meis parentibus, vel extraneis, sit maledictus & excomunicatus, confusus & abjectus; & insuper auri optimi Libram componat in Camera Regis, & aliam Libram auri puri in Camera Episcopi. Et insuper sit Carta ista firma & stabilis perpetuâ firmitate. Et post hæc donatione facta*

*Ego Odoni manus mea, & firmare rogavi.*

*Signum manus Bosoni testis; Lamberti testis; Gunterius testis; Disderius testis; Murart testis; Ubert testis;*

*Facta est hæc Carta à Cancellio, Adam, Regnante* Enrico Rege *Annos XII.*

Huic *Odoni Marchioni* juncta fuit, ut dixi, *Adelais* Marchionissa, virilis animi Mulier; atque ex eorum Matrimonio natus est *Petrus Marchio*, cui nupta fuit *Agnes Comitissa*, filia *Willelmi* Comitis. Illorum mentionem habeo in subsequenti Charta, ubi commemoratum videas *Widonem Marchionem de Seriago*, de cujus prosapia Eruditis Pedemontanis disserendum relinquo.

## Donatio facta Monasterio Taurinensi SSS. Solutoris, Adventoris, & Octavi ab Adelaide Marchionissa Segusii, Anno Ch. 1079.

D*Ie Jovis, quarto die mensis Julii, Monasterio Sanctorum Solutoris, Adventoris, atque Octavii, constructo foris & prope Civitatem Taurini, non multum longe à Porta, quæ dicitur Seusina, in Camerâ, quæ est justà Capellam Domini Abbatis ipsius Monasterii, præsentia* Domnæ Agnetis Comitissæ *filiæ quondam* Wilielmi Comitis, *& relictæ quondam* Petri Marchionis, *&* Domni Ingonis *Sanctæ* Astensis Ecclesiæ Episcopi, *ac* Domni Alberti *Sanctæ* Aquensis Ecclesiæ *itemque* Episcopi, *seu* Domni Widonis Marchionis, *qui dicitur* de Seriago, *sive Crentonis Judicis, & Brunonis de Morocio, atque Enrici de Barono, & Ansaldi de Pulingaria, necnon Danielis, & Ottonis, per croculam* Domni Oberti Abbatis *suprascripti Monasterii, quam suâ tenebat manu* Domna Adelagida Comitissa, *filia quondam bonæ memoriæ* Magnifredi Marchionis, *& relicta quondam* Oddonis *itemque* Marchionis, *dedit investituram supradicto Monasterio Sanctorum Solutoris, Adventoris, atque Octavii, in manu præfati* Domni Oberti reverentissimi Abbatis: *nominative pro medietate de Corte una, quæ vocatur Calpix, cum ipsius Comitissæ omnibus rebus & pertinentiis, ad ipsam medietatem de prædicta Corte pertinentibus hinibi, unde reliqua medietas de prædicta Corte jam dicto Monasterio pertinere videtur proprietario jure; & de quantum sibi pertinebat de medietate de Corte alia, quæ dicitur Covaciæ, cum medietate de omnibus rebus & pertinentiis, ad ipsam medietatem pertinentibus, unde quondam* Adalricus *suprascriptæ Sanctæ* Ecclesiæ Astensis Episcopus, Patruus *ipsius* Domnæ Adalegidæ Cometissæ, *& quondam* Domna Berta Cometissa genitrix sua *fecerunt Cartam offertionis prænominato Monasterio; eo tenore, ut faciant Monachi, qui nunc in ipso Monasterio ordinati videntur, & illi qui de hic in antea fuerint ordinati, tam de prædicta medietate de præfata Corte, quæ dicitur Calpix, cum medietate de omnibus rebus & pertinentiis ad ipsam pertinentibus, quàm de hoc, quod sibi aliquo modo pertinebat de supradicta medietate de præfata Corte, quæ vocatur Covaciæ, & de medietate de omnibus rebus & pertinentiis ad ipsam pertinentibus, hinibi ad utilitatem ipsius Monasterii à præsenti die proprietario nomine, quod voluerint: & ideo ut omnipotens at misericordiissimus Deus animabus suprascriptorum quondam* Magnifredi Marchionis Genitoris *sui, & quondam Domni Adalrici Astensis Antistitis Patrui sui, ac quondam bonæ memoriæ Bertæ Comitissæ Genitricis suæ, atque quondam* Domni Petri Marchionis filii sui *in æterna requie misereri dignetur, & sibi in hac mortalitatis vitâ omnium suorum delictorum indulgentiam, & in perpetuæ stabilitatis futura sanctissimæ suæ contemplationis cum Sanctorum cetibus largiatur clementiam.*

*Factum est hoc, Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo Septuagesimo Nono, suprascripto die Jovis, Indictione secunda, feliciter.*

*Signum ✠ manu suprascriptæ Domnæ Adalegidæ Comitissæ, quæ hoc suprascriptæ suæ Investituræ breve fieri rogavit, ut supra.*

*Ego Aldeprandus, qui Bello sum vocatus, Notarius sacri Palatii interfui, & hujus Investituræ breve scripsi.*

*Marcham* quoque *Firmi* non semel ego commemoravi. Et profecto antiqua est illius institutio ac dignitas. Leo Marsicanus Lib. 2. Cap. 6. Chronic. Casinens. prædia commemorat posita *in Comitatu Marsicano, nec non & Marchia Firmana, & Ducatu Spoletino*. Petrus quoque Damiani, qui Sæculo Christi Undecimo floruit, hæc scribebat in Vita Sancti Ro-

Romualdi Cap. 30. de Ottone III. Auguſto, conditore Monaſterii Sancti Adalberti Ravennæ: *Cui contigua Cœnobii Claſſenſis præſidia contulit, & ea ſibi ex fiſcali poſſeſſione in Firmenſis Monarchiæ partibus recompenſavit*. Supine nimium. Corrige ac ſcribe: *in Firmenſis Marchiæ*. Itidem Cap. 35. Romualdus ad *Camerinæ Provinciæ Comites* veniſſe dicitur, ubi constructo Monaſterio, Clericos, qui *per totam illam Monarchiam per pecuniam* ordinari ſolebant, corripiebat. Et heic ſcribe *Marchiam*: fuit enim olim *Marchia* quoque *Camerini*. Neque ſatis liquet, an quum audimus *Marchiam Camerini*, *Marchiam Firmi*, *Marchiam Anconæ*, eamdem regionem ſub diverſis nominibus habeamus. Nam uti *Marchia Tarviſina* non alia fuit à *Marchia Veronenſi*, pro varietate ſcilicet temporum, ac ſede Marchionum, ita etiam contigiſſe potuit, ut ſub tribus nominibus una eademque regio ac Marchia deſignata olim fuerit, additis tantùm aut exciſis inde aliquot locis. Et quoniam in Antiquitatibus Eſtenſibus memoriæ prodidi, Marchiones Ateſtinos *Marchiæ Anconitanæ* dominatos fuiſſe, quem titulum iſti diu etiam retinuere, monumentis tunc in ejus rei confirmationem adductis, nova nunc adtexo, ex Archivo Eſtenſi depromta.

Exploratum eſt, illudque & ego in eiſdem Antiquitatibus oſtendi, Marchiam iſtam, quod ei dominatus olim fuerit *Warnerius* (ſive, quod idem eſt, *Guarnerius*) natione Germanus, cęptam fuiſſe appellari *Marchiam Guarnerii*. In originem hujus nominis erudite inquirebat amicus olim meus D. Gaſpar Berettus Monachus Benedictinus in Diſſertat. Chorographicâ præpoſitâ Tomo X. Rer. Italicarum. Veri autem ſimile eſt, primum hujus nominis Marchionem in ea regione inſtitutum fuiſſe ab Henrico inter Auguſtos Tertio *Guarnerium* illum, cujus mentio eſt apud Sigebertum in editione Miræi; & qui circiter Annum Chriſti MC. vixit. Nempe acciderit turbulentis iis temporibus, ut Marchiam illam Henricus Mathildi Comitiſſæ, Duciſſæ Tuſciæ, eripuerit, & Guarnerio militi ſuo regendam tribuerit. Porro ad hunc ipſum pertinere arbitror Chartam authenticam, quam mihi obtulit Archivum Eſtenſe, unde ad illius Provinciæ Hiſtoriam lux aliqua accedet.

## Charta Laurentii Camerinenſis Epiſcopi, per quam Warnerio Marchioni, ejuſque uxori Altrudæ emphyteuſeos titulo concedit Caſtellum Sancti Severini, Anno 1119.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini MCXVIIII. Indictione Duodecima. Quia petiſtis à me Laurentio Epiſcopo ſancte Kamerinenſis Eccleſie, ut conſtituerem vobis jus emphiteoticum de rebus ſancte noſtre Eccleſie: ideo ego predictus Laurentius Epiſcopus una cum conſenſu Primatum noſtre Eccleſie trado & conſtituo atque concedo vobis petitoribus* W. (Warnerio) *Marchioni, & A.* (Altrudæ) *Comitiſſe jugalibus, &* W. (Warnerio) *veſtro filio & filiis & nepotibus veſtris uſque in tertiam generationem veſtram legitimam emphiteotico jure, Caſtellum Sancti Severini, & ejus Curtem integriter in integrum cum omnibus, que ad ipſum Caſtellum, & ad ejus Curtem pertinere videntur, cum ipſa Sancti Severini Eccleſia, que in ipſo Caſtello eſt edificata cum omnibus ſibi jure pertinentibus; & cum Caſtro Pallioliti cum omnibus ſibi ſubjacentibus & pertinentibus in integrum. Concedimus etiam vobis predictis petitoribus Plebem Sancti Victorini, & Monaſterium Dolioli, & Monaſterium de Demora cum omnibus ſibi ubique pertinentibus, & campos de Plebe Sancti Petri cum uſu bubulci, decimus, & primitiis, & obſequio mortuorum, & incenſu, & Synodo de predictis Eccleſiis in nobis reſervato. Et hec omnia vobis ſupraſcriptis petitoribus tradidimus & conceſſimus cum terris, vineis, ſilvis, paſcuis, cultis & incultis, aquis, aquimolis, aquarumque decurſibus, & omnibus eorum acceſſionibus. Ad habendum, tenendum, poſſidendum, lucrandum, utendum ac fruendum, & quicquid vobis, veſtriſque heredibus uſque in tertiam generationem rationabiliter placuerit, faciendum. Et hec vobis ideo conceſſiſſe fatemur, quia noſtre Eccleſie patronos & defenſores habere ſperamus. Et inferatis exinde annualiter in Feſtivitate Sancte Marie, penſionis nomine, ſancte noſtre Eccleſie Bizantium unum. Inſuper ego predictus Laurentius Epiſcopus obligo me meoſque ſucceſſores omni tempore ab omni perſona atteſtari, auctorizare, & defendere hanc emphiteoſim vobis ſupraſcriptis petitoribus, veſtriſque heredibus. Promittimus etiam, quod prædictas res vobis ſupraſcriptis, veſtriſque heredibus non tollemus, nec de veſtra poteſtate auferemus. Que omnia ſi non obſervaverimus, vel ego, vel mei ſucceſſores infringere aut corrumpere vel falſare preſumpſerimus, quingentos Bizantios vobis veſtriſque heredibus compoſituros nos obligamus, & poſt penam ſolutam hoc emphiteoticum Inſtrumentum in ſua permaneat firmitate.*

*Ubaldus Anſelmi rogatus teſtis in hac pagina emphiteoſis interfuit.*

*Albericus Guittonis in hac emphiteoſi rogatus teſtis interfuit.*

*Acto Bigonis in hac emphiteoſi rogatus teſtis interfuit.*

*Gens Petri Aczonis, & Albericus Gaſtaldionis rogati teſtes interfuerunt.*

*Factum eſt hoc Inſtrumentum Anno Dominice Incarnationis MCXIX. Indictione Duodecima, Menſe Septembris.*

✠ *Ego Laurentius Epiſcopus in hac emphiteoſi manu propria ſubſcripſi.*

✠ *Ego Paganus Archipresbiter manu mea corroboravi, & huic ſcripto conſenſi.*

✠ *Ego Bernardus Prior huic ſcripto conſenſi.*

✠ *Ego Ugo Archidiaconus huic ſcripto conſenſi & confirmavi.*

✠ *Ego Rainerius Judex ſcripſi.*

De hoc ipſo Guarnerio egi ſupra in Diſſert. V. *de Ducibus*, & Chartam attuli ſcriptam Anno MCXVII. in qua is appellatur *Dux & Marchio*, ſcilicet *Dux Spoleti, & Marchio Camerini*, ſive mavis Piceni. Poſt Mathildis mortem pacifice tenuerit eam Marchiam Guarnerius iſte. Ejus filium *Warnerium* commemoratum heic vides. Et iſte poſtea eidem præfuit Anconitanæ Marchiæ. Nam Charta iſta ſatis prodit, Guarnerium ejus patrem Camertibus

Tom. I. Aa 2 fuiſſe

fuiſſe dominatum, ſub qua Marchia Firmum quoque, & Anconam, & integrum Picenum tunc fuiſſe comprehenſum, Diploma Ottonis IV. Auguſti, datum Anno MCCX. Azzoni VI. Marchioni Eſtenſi, à me in Par. I. Antiq. Eſtenſ. evulgatum, nos docuit. *Laurentium Epiſcopum Camerinenſem* Ughellius in Italia Sacra minime agnovit: eumdem quippe per illa tempora defecerunt Dipthyca illius Eccleſiæ. Propterea ſuus ei in poſterum locus erit inter Antiſtites Camerinenſes. Quod eſt ad *Guarnerium Marchionem*, prædicti Guarnerii, ut puto, filium, ejus mentio eſt in Charta, quam ex Hiſtoriis MStis Faneſtribus, à Vincentio Nolfio compoſitis, excerptam ad me miſit Lucas Antonius Gentilis, ob eruditionem, ſingularemquè in me benevolentiam mihi lubenter commemorandùs. Titulum hunc Charta præferebat.

## Sententia lata in Aula Federici Imperatoris, & ejus præſentia in cauſa inter Epiſcopum Firmanum ex una, & Marchionem VVarnerium parte ex altera, Anno 1164.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, & beatæ Mariæ Virginis, quæ augeat vitam* Federici glorioſi Principis, *Anno MCLXIV. Indictione Duodecima, VIII. die Lunæ, exeunte Menſe Februarii. De controverſia, quæ vertebatur inter* Balignianum Epiſcopum Firmanum, *&* Marchionem Guarnerium, *de Caſtro Murro de Vallis, quod Caſtrum* Domino Albertino Epiſcopo, *Domini Imperatoris Vicario, ſedente pro tribunali prope Eccleſiam Sancti Paterniani de Fano, Ugo Rufus, & Albertus Aldecherii filius, Imperialis Aulæ Judices, utriuſque partis allegationibus viſis, judicavère, prædictum Caſtrum Murrum de Vallis reſtituendum eſſe Epiſcopo Firmano & Officialibus Eccleſiæ Firmanæ: & abſolvère prædictum Epiſcopum Firmanum à petitione Marchionis. Et hoc totum factum fuit in præſentia* Domini Federici Imperatoris. *Interfuere Joannes Ugolini de Ugone Fanenſis, Tholomeus de Caſtro, Hieronymus de Monteſancto, Joannes Albertus de Guidone, Guido Morellus de Fano, Honeſtus de Alberto, Offredutius de Bono Comite, Ugucio de Guidone, Andreas de Peſſo, & Baſilius de Civitate Nova, & plures alii Clerici & Laici.*

*Ego Morandus ſacri Palatii Notarius juſſu prædictorum Judicum hanc ſententiam ſcripſi.*

Ughellius Tom. 2. Ital. Sacr. in Epiſcopis Firmanis, non ſine uberi errorum ſegete hanc ipſam Chartam innuit, ſcribens, *obortam litem Anno MCLX. inter Epiſcopum Firmanum*, quem *Buliganum*, ſeu *Buligarium* appellat, *Vameriumque Muri Vallium Marchionem ejuſdem Caſtelli*; quæ demum coram Friderico Imperatore compoſita fuit. Warnerium Marchionem Camerini, ſive Anconæ. nimis transfiguratum heic habes. Tradita deinde fuit, ut dixi, eadem Marchia Azzoni VI. Marchioni Eſtenſi, tum Aldrovandino ejus fratri, demum Azzoni VII. Sexti filio. Nunc proferre juvat pauca monumenta ad eoſdem Ateſtinos Principes ſpectantia; ii nempe, dejecto Ottone IV. Imperatore, Anconitanam Marchiam ab Apoſtolica Sede acceperunt.

## Innocentii III. Papæ Literæ ad Populos Spoletani Ducatu ut Aldrovandino Marchioni Estensi & Anconitano auxilium & favorem præbeant, Anno 1214.

INnocentius Episcopus, Servus servorum Dei, universis fidelibus nostris per Ducatum Spoletanum constitutis salutem & Apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius Nobilis Vir A. ( Aldrovandinus ) Marchio Estensis de nostro consilio & mandato Marchiam Anconitanam intrarit, ut eam revocet ad Ecclesie Romane dominium, & teneat pro eadem, Universitatem vestram rogamus, requirimus, & monemus, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ob reverentiam Apostolice Sedis & nostram, ad hoc ei consilium, & auxilium taliter impendatis, quod ipsum ad vestra obsequia fortius obligetis, & nos pro servitio in ipso nobis impenso devotionem vestram commendare merito debeamus.

Datum Rome apud Sanctum Petrum, III. Nonas Maji, Pontificatus nostri Anno Septimodecimo.

✠ Ego Daniel Notarius de Rodigio has Literas Pape, jussu Domini Andree de Maxerata Vicecomitis Rodigii pro Domino Obizone Marchione Estensi exemplavi & scripsi, nihil de eis addens vel minuens, quod sensum vel sententiam mutet, nisi fortè literam vel pontum in compositione sillabarum, currente Anno Domini Millesimo Ducentesimo Nonagesimo Secundo, Indictione V. die XIV. intrante Aprili.

## Ejusdem Innocentii III. Papæ Literæ ad Potestatem & Populos Anconitanæ Marchiæ, ut Aldrovandino Marchioni Estensi & Anconitano obtemperent, Anno 1214.

INnocentius Episcopus, Servus servorum Dei, Potestati & Populo Anconitano spiritum consilii sanioris. Cum dilectus filius Nobilis Vir A. Marchio Estensis de nostro consilio & mandato Marchiam Anconitanam intrarit, ut eam revocet ad Ecclesiæ Romanæ dominium, & teneat pro eadem, præsentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus, quatenus a sequela Ottonis reprobi, maledicti, & excommunicati, suorumque fautorum, penitus discedentes, ac redeuntes ad Romanam Ecclesiam Matrem vestram, eidem Marchioni ob reverentiam Apostolicæ Sedis & nostram adhæreatis fideliter, & humiliter intendatis de his, quæ ad jus Marchionis pertinere noscuntur, plenarie respondentes eidem, ac ita viriliter ei consilium & auxilium impendentes, quod sibi ac nobis cedat ad gloriam & honorem; Nosque qui certam fiduciam obtinemus, quod vos ob reverentiam nostram humane ac benigne tractabit, devotionem vestram & fidem debeamus merito commendare. Alioquin dilecto filio R. Subdiacono & Capellano nostro, Rectori Massensi, Apostolicæ Sedis Legato, nostris damus Literis & mandamus, ut vos ad id appellatione remota compellat, prout videat expedire.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum III. Nonas Maji, Pontificatus Nostri Anno Septimodecimo.

## Ejusdem Innocentii III. Papæ Literæ ad Episcopos & Prælatos Marchiæ Anconitanæ, ut consilium & auxilium præstent Aldrovandino Marchioni Estensi & Anconitano, ad recuperandam eamdem Marchiam, Anno 1214.

INnocentius Episcopus, Servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, ac aliis Ecclesiarum Prælatis per Anconitanam Marchiam constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius, Nobilis Vir Al. Marchio Estensis de nostro consilio & mandato Marchiam Anconitanam intrarit, ut eam revocet ad Ecclesiæ Romanæ dominium, & teneat pro eadem: Universitati vestræ præsentium auctoritate præcipiendo mandamus, quatenus viriliter assistentes eidem, & sicuti Marchioni, fideliter intendentes, ita efficaciter ei consilium & auxilium impendatis, quod nobis & sibi meritò debeat esse gratum, vestraque fides atque prudentia inde valeat commendari. Vos denique, fratres Episcopi, & filii Abbates, super vobis ipsis ac creditis vobis gregibus taliter vigilare curetis, extirpando vitia & plantando virtutes, ut in novissimo districti examinis die coram tremendo Judice, qui reddet unicuique secundum opera sua, dignam possitis reddere rationem.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum X. Kalend. Junii, Pontificatus nostri Anno Septimodecimo.

Ejus-

## Ejuſdem Innocentii III. Papæ Literæ ad Populos Marchiæ Anconitanæ, ut Aldrovandino Marchioni Eſtenſi & Anconitano morigeri ſint & obſequentes, Anno 1214.

*INnocentius Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, univerſis per* Anconitanam Marchiam *conſtitutis ſpiritum conſilii ſanioris. Cum reprobus Otto, & principales fautores ipſius, maxime illi, qui nobis ſuper patrimonio Eccleſiæ ſe opponunt, excommunicationis ſint vinculo innodati, omnibus à Fidelitate, quam ipſi Ottoni præſtiterant, abſolutis, ac divinum judicium jam ſit in eundem Ottonem & ipſius complices manifeſtum: miramur quoſdam veſtrûm adeo eſſe improvidos futurorum, ut adhuc etiam eidem Ottoni & fautoribus ejus, contra Claves Eccleſiæ exiſtentibus obcœcatis, non metuant adhærere. Cum igitur dilectus filius*, Nobilis Vir Al. Marchio Eſtenſis *de noſtro conſilio & mandato* Marchiam Anconitanam *intrarit, ut eam revocet ad Eccleſiæ Romanæ dominium, & teneat pro eadem: Univerſitati veſtræ præſentium auctoritate præcipiendo mandamus, quatenus à ſequela dicti Ottonis, ſuorumque fautorum, penitus diſcedentes, ac redeuntes ad Romanam Eccleſiam matrem veſtram, eidem* Marchioni *ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis & noſtram adhæreatis fideliter, & humiliter intendatis de his, quæ ad jus* Marchionis *pertinere noſcuntur, plenarie reſpondentes eidem, ac ita viriliter ei conſilium & auxilium impendentes, quod ſibi ac nobis cedat ad gloriam & honorem, noſque, qui certam fiduciam obtinemus, quod idem Marchio vos ob reverentiam noſtram humane ac benigne tractabit, devotionem veſtram & fidem debeamus meritò commendare.*

*Datum Romæ apud Sanctum Petrum X. Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimodecimo.*

## Ejuſdem Innocentii III. Papæ Literæ ad Populum Civitatis Aſculanæ, ut Aldrovandino Eſtenſi & Anconitano Marchioni obedientiam præſtare amplius non recuſent, Anno 1214.

*INnocentius Epiſcopus, Servus ſervorum Dei,* Poteſtati & Populo Eſculano *ſpiritum conſilii ſanioris. Cum is, qui ſuperbis reſiſtit, & confringit cornua peccatoribus, ponens terminos mari, quos non tranſeant fluctus ejus, ſed illiſi redundent in conculcationem & lutum, reprobi Ottonis abominatus ingratitudinem, & ſuperbiam deteſtatus, ipſum, qui vos viſus fuit avertere a fidelitate & devotione ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ matris veſtræ, his & aliis modis reddens nobis pro dilectione odium, offenſam pro gratia, & injuriam pro honore, ſua virtute proſtraverit: & nos vobis a juramento, quod ei dicimini præſtitiſſe, tamquam illicito abſolutis, dilectum filium* Nobilem Virum Al. Anconitanum & Eſtenſem Marchionem *de* Marchia ipſa *inveſtiverimus ſolemniter per Vexillum; Miramur, nec ſatis admirari ſufficimus, quod vos, neſcimus qua ducti prudentia, vel virtute confiſi, confracto adhuc baculo innitentes, redire differtis ad dominationem ipſius Eccleſiæ matris veſtræ, ac* Marchioni *prædicto Fidelitatis juramenta renititis exhibere, per redeundi difficultatem hujuſmodi amplius demerentes, quàm demerueritis etiam recedendo, cum hoc quidem ſpontanei, illud autem videamini feciſſe coacti. Ideoque Univerſitatem veſtram monemus attentius & hortamur, per Apoſtolica ſcripta vobis firmiter præcipiendo mandantes, quatenus non dubitantes redire ad viam ab invio, & converti ad dexteram a ſiniſtra, dicto* Marchioni, *qui vos clementer ac benigne tractabit, Fidelitatis juramenta præſtetis ita hilariter & libenter, quod idem ad dilectionem veſtram meritò provocetur, & nos non ſolùm præcedentis obliviſcamur offenſæ, verùm etiam ad exhibitionem favoris & gratiæ incitemur.*

*Datum Viterbii III. Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Septimodecimo.*

Ad eumdem Aldrovandinum ſpectat & ſubſequens nobilis Charta, quam è nuper memoratis Hiſtoriis Faneſtribus MStis hauſit prælaudatus Lucas Antonius Gentilis.

## Diploma Aldrovandini Marchionis Estensis & Anconitani, per quod Populo Civitatis Fani Fortunæ pleraque Regalia, nonnullis retentis, donat, Anno 1214.

*In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Nos* Aldrovandinus *Dei & Sedis Apostolicæ gratiâ* Estensis, *&* Marchiæ Varneriæ Marchio, & totius Regni Apuliæ Regalis Aulæ Vicarius & Legatus, *damus, concedimus, & confirmamus nomine nostro, &* Fratris nostri Azzolini, *& confirmari faciemus Civitatem Fanensem & ejus Comitatum seu Districtum, pure, plene, libere, & absolute cum omni jurisdictione, sive dictione, Nobis & Fratri nostro quoquo jure competente vel competituro, sine ulla exactione, molestatione, vel gravamine, nullaque reservatione in Nobis & Fratre nostro facta, quam habemus, vel habuerimus in prænominatis locis, & nulla reservatione facta applicationum aliquarum, sive .... ..., vel donatorum: sed quodcumque jus, quod habemus, vel habuerimus in prænominatis territoriis, ratione rerum & personarum ibidem consistentium, totum damus, cedimus, concedimus, & confirmamus, & res ipsas tradimus vobis* Domno Ricardo Episcopo Fanensi, *Guidutio Leuzari, Joanni Vitalis, & Guido Caussidico, ejusdem Civitatis Ambaxiatoribus, nomine Communitatis Fani, Universitatis & singularitatis: & omne jus, actionem, jurisdictionem, & dictionem, quod, quamve habemus, & Nobis quoquo modo competit in Fanensium Civibus, nunc habitatoribus, & in eâdem Civitate perpetuo manentibus, & in eorum rebus omnibus, tenimentis, seu tenutis, ubicumque sint, & ad prædictos Cives quoquo jure pertinere videantur; prænominatis Ambaxiatoribus nomine Communitatis Fani & Universitatis, damus, concedimus, cedimus, & confirmamus sine ulla exactione, molestatione, & gravamine. Et concedimus specialiter, firme, & remittimus quicquid possumus, aut quoquo modo & jure poterimus dicere, quærere, vel causare Universitati & Communitati Fani, seu singulis Civibus & subjectis occasione Domus Comitis Valterii, & aliarum rerum & possessionum à supradicto Valterio, vel alio pro eo, quoquo modo & tempore detemptorum: Et sententias, pacta, promissiones, & conventiones initas & existentes inter Fanenses & Forumsempronienses, & eorumdem Forumsemproniensium Communitates & subjectos laudamus, observabimus, & observari faciemus & confirmari. Et si aliquid alicui de prædictis dedimus, concessimus, vel donavimus, revocamus, infirmamus, & infirmari faciemus, & ad irritum volumus devenire. Et promittimus nomine nostro, & Fratris nostri, omnia suprascripta, donec plenam ætatem habuerit, observare, & firma tenere, & postea confirmare, & laudare pleno jure. Et omnia suprascripta observabimus singulariter singula, & universaliter universa. Et faciemus,* Fratrem nostrum Azonem *omnia suprascripta, donec habuerit viginti quinque annos, firma tenere, & postea laudare, & confirmare. De quibus omnibus nullam reservationem in Nos vel Fratrem nostrum faciemus, omni occasione & exceptione postposita & remota, præter Fidelitatem, quam Nobis & Fratri nostro fideliter & devote secundùm jus, & communem formam Fidelitatis, pro Ecclesia Romana, ad honorem Beati Petri, & Domini Papæ fecistis, & prædictæ Civiatis Communitas faciet universa: & centum Libras annuatim pro Censu legalium Ravennatensium Cameræ nostræ dicta Civitas persolvet. Parlamentum & Exercitum Nobis per Marchiam tantùm nunc, & deinceps in quantitate, secundùm qualitatem aliarum Civitatum, ad nostrum servitium permanentium, per eamdem Marchiam tantùm dicti Fanenses facient. Statuentes, ut quæcunque persona Nobis subjecta contra hanc nostram concessionis paginam venire attemptaverit, vel eam ausu temerario infringere præsumpserit, mille Marchas argenti componat, medietatem Cameræ nostræ, & aliam medietatem injuriam passis. Ut autem hæc omnia rata & inconcussa permaneant, præsens privilegium per manus Jacobi Notarii scribi, & Sigilli nostri munimine jussimus roborari.*

*Datum in territorio Auximi, XVI. die exeuntis Maji, Indictione secunda, tempore Innocentii Papæ III. Anno Dominicæ Incarnationis MCCXIV. præsentibus Domino Jacobo de Fontana, Domino Guidone de Tantisdenariis, Domino Ranerio Joannis Gerardini, Domino Oddone Ramberti, Domino Arpinello Bononiensi, Domino Parcitate, Domino Rigitino de Crescentiis, Domino Ameryco de Cesena, Consiliariis Domini Marchionis, ad hæc specialiter rogatis testibus.*

*Locus* ✠ *Sigilli*

Habemus hic illustrem Titulum, quem antea nusquam animadverteram. Videlicet Aldrovandinus appellatur etiam *totius Regni Apuliæ Regalis Aulæ Vicarius & Legatus*; quo honore illum Fridericus II. tunc Romanorum & Siciliæ Rex insigniverat. Sed & præter *Azonem VI.* & *Aldrovandinum Marchiones Estenses* eidem Marchiæ Præfectos, jam ostendi *Azonem* quoque *VII. Marchionem Estensem* Investituram de eadem Marchia accepisse ab Honorio III. Papa, Anno MCCXVII. Idem nunc duabus aliis Chartis confirmatum eo, quas ex authenticis membranis apud se adservatis misit ad me Comes Brandolinus de Brandolinis Foroliviensis, Vir & generis nobilitate & Literarum amore mihi semper commendandus.

Li-

## Literæ Honorii III. Papæ ad Azonem VII. Estensem Marchionem, quibus eidem jura confirmat in Marchiam Anconitanam, Anno 1225.

*Honorius Episcopus, Servus servorum Dei, dilecto filio* Nobili Viro A. Anconitano & Estensi Marchioni *salutem & Apostolicam benedictionem. Benigne recepimus, & diligenter intelleximus litteras, quas super negotio* Marchiæ Anconitanæ *tua nobilis discretio destinavit. Noveris igitur, quod nunquam fuit nostri propositi, te* Marchiâ *ipsâ privare, cum nec ignoremus illam tibi esse in Feudum ab Apostolica Sede concessam, nec ad tuam, vel cujusquam alterius injuriam aspiremus. Verum quia Tisius de Campo Sancti Petri, quem illi præfeceras, Marchianos exactionibus importunis ita gravaverat, quod in odium ejus se nobis & tibi subtraxerant, & Imperii jugo submiserant colla sua; Nos attendentes puerilem ætatem, in qua tunc temporis eras, & pensantes quantum dispendium fuisset, si hoc dissimularemus, tibi & etiam Apostolicæ Sedi ex dissimulatione hujusmodi evenire,* Marchiam *multo dispendio & labore recuperavimus antedictam ad Ecclesiæ Romanæ & tuum commodum & honorem. Tu ergo ad nos venire non differas, cum fuerit opportunum, Marchiam ipsam tamquam tuum Feudum libere recepturus.*

*Datum Tibure . . . . Kalendas Maji, Pontificatus nostri Anno Nono.*

*Ego Daniel Notarius de Rodigio has Litteras Papæ, jussu Domini Andreæ de Maxerata, & . . . . . . Vicecomite Rodigii pro Domino Obizone Estensi Marchione exemplavi & scripsi, nibil addens vel minuens, quod sensum vel sententiam mutet, nisi forte litteram vel pontum vel sillabam in compositione, Anno Domini 1292. Indictione V. die XIV. intrante Aprili.*

*Ego Jacobus de Montixiis Judex Communis Ferrariæ, quia suprascriptum exemplum vidi, legi, & auscultavi . . . . . Honorii Papæ, in quo nihil inveni additum vel dimminutum, quod sensum vel sententiam mutet, ideo nomen meum subscribo, & auctoritatem meam, qua pro Communi Ferrariæ fungor, interpono & decretum, ut vim & robur obtineat autentici Instrumenti; in 1308. Indictione VI. Ferrariæ die VIII. mensis Junii.*

Et ne cui dubitatio subrepat, an idem Azo VII. Estensis Marchio possessionem revera, ac dominationem *Anconitanæ Marchiæ* tenuerit, hisce accedat altera Charta, quam authenticam, sed laceram, adservat prælaudatus Comes Brandolinus. In ea enim idem Marchio concedit Monaldo Episcopo Forosemproniensi ad aliquot annos Civitatem ipsam Forosemproniensem cum suo Comitatu, districtu, ac reditibus. Ughellius in Ital. Sacr. Tom. 2. Monaldum Forosemproniensem Episcopum statuit ad Annum Christi MCCXCV. nullum verò ejus Urbis Antistitem agnoscit ad Annum MCCXXVIII. quo scriptum fuit Instrumentum nunc mihi eulgandum. Quare corrigendus hinc erit Catalogus Præsulum Forosemproniensium.

Con-

# Concessio Civitatis Forosemproniensis facta Monaldo ejus Urbis Episcopo ab Azone VII. Estensi & Anconitano Marchione, Anno 1228.

*IN Dei nomine. Amen. Anno Domini Millesimo Ducentesimo Vigesimo Octavo, Indictione Prima, die XII. exeunte Julio.* Nos Azo Dei & Apostolica & Imperiali gratiâ Anconitanus & Estensis Marchio, *concedimus & damus tibi præsenti Ugoni de Monte Episcopi Procuratori, & recipienti vice & nomine* Domini Monaldi *eâdem gratiâ* Forisimproniensis Episcopi, *videlicet Civitatem, & Episcopatum, seu Comitatum totum & integrum Forisimproniensis cum Civitate, Castris, Terris, Villis, habitatoribus, aloderiis, arimannis & arimanniis, cum omni jure, dominio, honore, & signoria, & districtu, bannis, placitis, coltis, dativis, & fictis, usantiis, usibus & abusibus, & albergariis, fumantibus, patronantiis, & cum omnibus aliis ad nos & Curiam de jure, seu de usantiis pertinentibus vel competituris in antea. Et hæc omnia concedimus & damus & committimus tibi Ugoni Procuratori Domini Episcopi, ut apparet in quodam publico Instrumento, a me Martino Notario viso & lecto, & a Petro Notario confecto dicti ...... Ita ut prædictus Dominus Episcopus usque ad Kalendas Augusti proximi, & a Kalendis Augusti usque ad tres annos completos ...... teneat, possideat, & exerceat per se & suos Nuntios omnia prædicta & singula, & exigat & percipiat: & quidquid idem Dominus Episcopus per se vel per suos Nuntios habuerit, perceperit, & exegerit, sibi habeat ...... obventionibus & perceptionibus faciat ut sibi placuerit: reservans ..... a dicto Domino Episcopo nobis dandis vel aliis pro nobis, sive ...... concessionem sive concessiones factas per nos vel nostros Nuntios usque ....... & habeat dehinc in antea dictus Dominus Episcopus ordinet & disponat ...... nos in persona nostra facere poteramus usque ad prædictum terminum, & hæc omnia ....... quem in eo habemus, & pro multis magnis servitiis & honoribus, quæ nobis & nostris Majoribus exhibere ...... confidimus de paternitate & honestate & legalitate sua, quod Civitatem & Comitatum totum ....... tenebis ad nostrum & suum servitium & honorem. Quæ omnia prædicta & singula promittimus tibi Ugoni Procuratori prædicti Domini Episcopi ....... rata habere, tenere & ...... ullo modo vel ingenio usque ad prædictum terminum, & prædicta ...... ad prædictum terminum defendere & auctorizare promittimus, & pœna soluta vel commissa ...... permaneant, ita ut prædicta ...... & damus tibi Ugoni Procuratori ......*

*Actum hoc in Castro ..... Nicolai de Forlino Judicis & Canzellerii dicti Domini Marchionis, & Dominorum Guidonis ...... Civis Cremonæ, atque Guiglielmi de ...... Domini Nicolai a Forlino Judicis & Canzellerii dicti Domini Marchionis in prædictis ...... & in ...... sigillo nostro fecimus roborari.*

*Ego Martinus Notarius dicti Domini Marchionis interfui.*

*Ego Daniel Notarius de Rodigio hoc Instrumentum ex autentico ...... Vicecomite in Rodigio pro Domino Obizone Marchione Estense exemplavi ....... mutet nisi fortè notam vel punctum vel sillabam in compositione sillabarum, currente Anno Domini 1292. Indictione VIII. die XIV. intrante Aprili.*

*Ego Jacobus de Montechxiis, Judex Communis Ferrariæ, quia supradictum exemplum vidi, legi, & auscultavi ...... Not. in quo nihil inveni additum vel diminutum, quod sensum vel sententiam mutet, ideo manu mea me subscripsi, & auctoritatem meam, qua pro Communi Ferrariæ fungor, interpono, & decretum, ut vim & robur obtineat authentici instrumenti, in Millesimo Trecentesimo Octavo, Indictione VI. Ferrariæ, die VIII. mensis Junii.*

Inscribit se Azo VII. *Apostolicâ & Imperiali gratiâ Anconitanum & Estensem Marchionem*. Decernere non ausim, coactus ne & ipse fuerit, uti Azo VI. ejus parens ab Imperatore accipere Investituram Anconitanæ Marchiæ, quam tamen ab Apostolica Sede recognoscebat; an potius *Apostolica gratia* respiciat eamdem Marchiam, *Imperialis* verò Marchionatum Estensem. Is sane alibi se tantummodo *Dei & Apostolicâ gratiâ Marchionem Estensem & Anconitanum* inscribit, post dejectum videlicet Fridericum II. Augustum: quod & præstitere illius posteri Marchiones. Vide etiam præcedentem Dissertationem *de Ducibus*, in qua Literas prælaudati Honorii III. Papæ protuli, testes investituræ Pontificiæ ejusdem Anconitanæ Marchiæ Estensibus datæ. Coronidis loco addere nunc mihi liceat aliquid de Orientali Italiæ parte, servata diu, uti supra monui, ab Imperatoribus Græcis contra Langobardorum impetum & vires Occidentalium Augustorum. Illic in usu minime fuit *Marchionum* dignitas sive titulus. Qui Præsides ad eam regionem ex Aula Constantinopolitana mittebantur, insigniti plerumque fuere titulo *Protospatarii*, aut *Strategi*, aut *Catapani*, quæ nomina à militiâ desumta idem significavere atque *Capitaneus*, sive *primus Capitaneus*. Proinde sunt qui putant *Capitanei* nomen efformatum fuisse è Græco *Catapan*, idest *super omne*, quasi Præfectus Provinciæ, aut cunctis militibus. Sed vetustior est in Italia *Capitanei* appellatio, ac proinde numquam vox nostra *Capitaneus* à Græco *Catapanus* fluxerit. Quum verò post mortem Caroli Crassi Augusti Anno DCCCLXXXVIII. teterrimis bellorum motibus concussa fuerit Italia, tunc non segnes Orientis Imperatores ad arma convolarunt, factumque est in tanta rerum perturbatione, ut potiorem partem Beneventani Principatus Langobardis eriperent; immo & ipsa Beneventi Civitas Anno DCCCXC. in eorum ditionem concessit. Ejusce expeditionis Dux fuit Symbaticius, sive Sabbaticius, à Leone Ostiensi in Chronic. Casin. Lib. I. Cap. 49. appellatus *Imperialis Protospatarius, & Stratigo Macedoniæ, Thraciæ, Cephaloniæ, atque Langobardiæ*. Nomine autem *Langobardiæ*, uti non semel significavi, designabatur ea regio, quam debellatis Langobardis Beneventanis, recepere Græci, & præcipue Apulia. Successorem Anno DCCCXCII. accepit Symbaticius *Georgium*, ab Ostiensi itidem

dem memoratum, & ab Anonymo Salernitano apud Peregrinium part. I. Histor. Langobard. Atque is eodem Anno Majoni Abbati Sancti Vincentii ad Vulturnum confirmavit tria Monasteria in Beneventana regione sita. Diploma, sive *Entilma*, uti illic nuncupatur Græco vocabulo, habes in Chronico ejusdem Monasterii, ibique appellatur *Georgius Patritius*, *Protospatarius*, *& Stratigus*. Si plura Lector cupit de *Marcha Teatina*, nunc Aprutii parte in Regno Neapolitano, & de *Marcha Tridentina*, Provinciæ Venetæ contermina, ac de aliis posteriorum Sæculorum Marchis, adeat Dissertationem nuper laudatam doctissimi Beretti. Narrationem claudat monumentum ineditum adhuc ad *Gregorium Protospatarium Imperialem & Catapanum Italiæ* spectans, qui ultra centum ab illinc annos floruit. Debeo illud Clarissimo quondam Viro D. Benedicto Bacchinio, qui ex Archivo nobilissimi Cœnobii Casinensis descripserat, & mihi fuit impertitus. Junctus simul in membrana legebatur textus Græcus, & Latina versio. Postremam tantummodo Lector accipiat; neque enim Græci characteres descripti, uti erant in autographo, cum compendiis non paucis, suum sensum satis mihi prodidere.

## Confirmatio jurium sacri Monasterii Casinensis in diversis Apuliæ Urbibus, facta à Gregorio Protospatario & Catapano Italiæ, Anno 1000.

*Secundum Februarii mensis, currente Tertiadecima Indictione, Anni Sex Milia Quingentos Octo. Compellationem fecit nobis Maurus Monachus ex Monasterio Sancti Benedicti de Monte Casinensi juxta Cappuanam Urbem, dicendum, ut a plures homines & Civitates, quæ sunt pertinentiis Italiæ pro dicto Monasterio hereditates habet, & per veteres annos dominavit in supradictus Monasterius, & modo tenet illas plures homines injuste & per vim. Unde & per singulos quosque Cartulam nobis monstravit. Quam & direxit de presentium nostris Petrum Romes Curtis dignitati nostre in Civitate Lisina, ut a Porta in Civitatis a foras ubicumque dominium habuit in dicto exemplo Sancti Benedicti, cum quanto dominio illuc habet, & de intus ipsa Civitate Casa diruta, idest & vineas desertas, & terras & bona, & in flumine, qui nominatur Lauriapra, piscara, quæ ibi abuit, & alia piscara, quæ nominatur Sancti Benedicti. Et in pertinentiis de Civitate Asculo in Villam, quæ cognominatur Lanniano, clausurie, territorie, putea. Et in locum, qui dicitur Malesoma, clausurie, territorie, & putea. Et in locum, qui dicitur Sancto Joanne, clausurie & territorie. Et in locum, qui dicitur Sancto Laurentio, territorie. Et intus ipsa Civitate Asculo Casa solariata, que ante hos annos donata per manus S . . . . . . filio Rotardi, in ipsa prefato Monasterio pro redemptionis anime sue. Similiter & in Civitate Canusia in ipsa Civitate, que veterem videtur esse, juxta Ecclesiam beate Eufimie Martyris, Templum beati Benedicti, & Molinum de aqua, & territorie. Et in pertinentium de Civitate Minervine in Pelunele, ubi est Ecclesia Sancti Salvatoris in territorie. Et in Civitate Tranensis, & in Villa, que est de Civitate ipsa, que cognominatur Andre, vineæ sunt desertæ & olivæ, & aliæ biginti septem; & in ipso Rivo, qui vocatur de ipso Monacho, territorie. Probterea hec omnia sub . . . . . . nos perquirentes, & per legem invenimus, quod antiqua essent dominatio prefacti Monasterii, & pro unaquaque dominatione, . . . . . . . loco tendebat, & ut dixi, quod ipsas res possidebant, per vim ipsas tenebant. Proinde astulimus ab ipsis, & tradidimus ipsas ad ipso prefato Monasterio, ut domino . . . . . & omnia sicut ab antiquitus dominavit, & secundum textum ipsius Cartulæ. Ex pro securitate & veritate textus Cartulæ hujus a me* Gregori Imperiali Protospathario, & Katepano Italiæ . . . . . . . *tra Chamosi hunc nostrum emisimus Judicatum bullante, seu cum Bulla nostra plumbea, quam manibus nostris nos subscribsimus, & sustinere illam fecimus per hopus Sancti Monasterii in Latinum, mense & Indictione supranominatis.*

Ex hoc etiam monumento ferme ediscimus, quousque suam ditionem in Apulia protenderint olim Græci, frustra obsistentibus Principibus Beneventanis, & frustra deinde expostulantibus Imperatoribus Latinis. Culmen istud potentiæ accrevit eis, præsertim imperantibus Ottonibus Augustis Primo & Secundo; ibique victores & domini constitere Græci, donec Henricus inter Romanos Imperatores Primus, ac subinde Normanni feliciore audacia eos ab universa regione, quæ Regnum Neapolitanum nunc constituit, abire coëgerunt. Vocabulo *Italiæ* significabant ii idem, quod *Langobardiæ* nomen supra memoratum, sive Apuliam, & quidquid in iis partibus ipsorum imperio accesserat. Pendebat adhuc, ut hoc etiam moneam, ex isto Diplomate bulla plumbea, in qua hæc epigraphe: ΓΡΗΓΟΡΗ . . . . . . . . . ΘΗΚΑ . . . . . . . . . ΑΝϢΙ ΙΤΑΛΙΑϹ . . . . . . . Ο ΡΟΜΑΝΙ . . . . . . ΗϹ.

Quæ verò forent olim Marchionum jura in Marchiis à se rectis, quisnam nobis edisserat in tanta monumentorum veterum penuria? Suum Fiscum sive Cameram fuisse etiam Marchionibus præter Fiscum Regium, fortassis elucebit infra ex iis, quæ afferam in Dissertat. XVII. *de Fisco*. Quædam etiam tributa, vectigalia, & annua dona eis destinata fuisse, mihi persuadeo. Civitates Italiæ postea, ad libertatem anhelantes, ejusmodi jura aut per vim sibi asseruerunt, aut pecuniâ Augustis, ipsisve Marchionibus oblatâ, in suam transtulere ditionem. Ptolomæus Lucensis in Annalibus ad Annum Christi MCLXVI. hæc habet: *Dominus Guelfus Dux Spoletanus, Marchio Tusciæ, Princeps Sardiniæ, & Dominus Domus Comitissæ Mathildis, concessit Lucensi Communi per privilegium omnem jurisdictionem ad jus Marchiæ pertinentem, & ad Domum Comitissæ prædictæ, intra sex milliaria Lucensis Communis.* Ita Henricus inter Augustos Quinctus Anno MCXCI. uti habetur in Annalib. Genuens. Tomo VI. pag. 364. Rer. Italicar. confirmavit Genuensibus *veteres Consuetudines & Privilegia, & Marchiam in Comitatu* &c. hoc est jus, quod habebant olim Marchiones in Comitatu Genuæ. Ad Annum quoque MCLXXXV. ibi legi-

legitur persoluta *medietas totius debiti*, *quod Commune solvere tenebatur*, *pro quo Marchæ*, *& introitus Communis erant creditoribus pignore obligati*: idest reditus olim spectantes ad Marchionem, & longe antea in Rempublicam Genuensem translati. Quod denique repetitum volo, uti *Comitatus* olim scindi cœpti fuere in plures portiones, quibus etiam *Comitatus* nomen relictum fuit: ita & *Marchiæ* divisionem sunt passæ, præcipue in Subalpinis regionibus ad Occidentem. Propterea in veterum monumentis celebris evasit *Marchia Montisferrati*, *Marchia Eborejæ* seu *Eporediæ*, nunc *Invrea*; ac deinde eruperunt *Marchiones Boschi*, *Segusii*, *Salutii*, *Cevæ*, *Cravesanæ*, *Carretti* &c. *Marchiones Estenses*, *Malaspinæ*, *& Pelavicini*. *Marchiam* quoque *Savonæ* memoratam vide in Diplomate Henrici I. Augusti Anno Christi MXIV. Tom. 4. Ital. Sacr. in Episcop. Savonensibus. Hisce omnibus antiquior fuit *Marchia Tridenti*. Sed quoniam facta mihi mentio est *Marchiæ Montisferrati*, quam egregii & celebratissimi Principes illustrarunt, quemadmodum constat ex Historia Benevenuti à Sancto Georgio, & ex aliis Historiis à me editis in Collectione Rerum Italicarum: addere juvat Chartam *Bonifacii III. Marchionis Montisferrati*, qui famam suam per Orientem dilatavit. Et istam debeo supra laudato Præsidi Senatus Taurinensis, scilicet Comiti Ludovico Caissotto bonarum Literarum eximio promotori.

## Bonifacius Marchio Montisferrati confirmat dona Monasterio de Lucedio facta à Guilliermo Marchione Patre, & Rainerio Marchione Avo, Anno Ch. 1183.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini Millesimo Centesimo Octuagesimo Tertio, die XXVI. Novembris, Indictione Primâ. Præsentiâ illorum hominum, quorum nomina subter leguntur, cum Carta, quam sua manu tenebat* Dominus Bonifatius Marchio Montisferrati *Investituram datum atque confirmatum in manibus Fratris Jacobi & Fratris Vercellini de Carbono, Monachorum & Procuratorum* Ecclesiæ & Monasterii Sanctæ Mariæ de Locedio, *ad partem & utilitatem ejusdem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ fecit nominative de omnibus terris & rebus, quæ prædicta Ecclesia habere, tenere, & possidere videtur, tam dato ipsius Domini Bonifacii Marchionis, quàm dato* Domini Guilliermi sui genitoris, *&* Domini Raineri avi sui, *& omnium prædecessorum suorum, & aliorum hominum in Locedio, in Montarolio, Rippamezana, in Pobleto, in Moncalvo, & in Montegaglano, atque in omnibus aliis locis infra hoc Italicum Regnum in integrum: in Locedio ipsam terram, in quam ædificata est ipsa Ecclesia & Monasterium prædictum, cum suis areis & cassiamentis, cum terris cultis & incultis, gerbis, boschis, silvis, & cum omnibus aliis juribus, pertinentiis, & appendiciis: de Montarolio, ipsum locum, & totam Curtem Montaroli, quæ est juris nostri, cum omnibus suis pertinentiis & juribus: in Rippamezana & Pobleto, ipsa loca Rippemezanæ & Pobleti, cum omnibus juribus & pertinentiis: Montemgaglani cum suis juribus & pertinentiis usque in flumine Padi, & piscarias, sicut tenet Mons ille, & bruidam de Macasco, cum prato de Sparoaria de subtus. Montemgaglani versùs Pontem Sturiæ citra Padum: in Montecalvo totum hoc, quod tenebat Arelbertus & Ubertus de Spinarolio, & hoc totum, quod tenebat Petrus de Bruna, & etiam brajam nostram super posse Pobleti, quæ est retro plantatum Monacorum, ubi dicitur ad Gramegnam, & est per mensuram modium decem & novem, staria sex, & tabulæ sex. Cohæret ab una parte Jacobus Crivella, ab aliis partibus prædicta Ecclesia Locedii. Insuper damus & concedimus eidem Monasterio & Fratribus ejusdem Monasterii per totam Terram nostram pascuis porcorum, & pascua nostra pro usu omnium animalium ipsorum; & portus aquarum per totum nostrum territorium. Insuper ob reverentiam & devotionem beatissimæ Virginis Mariæ, & pro remissione peccatorum nostrorum, & nostrorum prædecessorum, beneficia prædictorum nostrorum prædecessorum augere volentes, nos Bonifacius Marchio Montisferrati, prius habita plena & matura deliberatione, participatoque consilio cum Proceribus & Consiliariis nostræ Curiæ, ex nostra certa scientia, & de speciali nostra gratia ac auctoritate constituimus & decernimus & volumus, Abbatem, Monacos, Conversos, Devotos ipsius Monasterii Locedii, qui nunc sunt, & Successores eorum, ac Colonos, & Massarios, qui nunc possessiones prædicti Monasterii colunt, vel imposterum coluerint, & ipsum Monasterium, locaque prædicta, & omnia alia loca Monasterii prædicti, cum omnibus eorum pertinentiis & juribus, quoquomodo ad prædictum Monasterium & ipsius loca spectantibus, immune, & exemptum, ac immunia & exempta; ac suprascriptum Abbatem cum suprascriptis religiosis Monacis, Conversis, Devotis, Familiaribus, Colonis, Massariis, & eorum successoribus immunes & exemptos à quibuscumque honeribus & gravaminibus per nos & Officiales nostros ac nostros Successores eidem Monasterio, ac personis prædicti Monasterii imposterum imponendis. Hanc autem Investituram, Donationem, & Confirmationem firmam & liberam esse volumus cum illo toto honore, districtu, & placito, ac jurisdictione, quam nos & Prædecessores nostri usi & visi sumus habere, frui, tenere, & gaudere, sine aliqua dominatione illius Monasterii, nisi ad benefaciendum, & ab omnibus hominibus custodiendum. Et faciat prædicta Ecclesia exinde cum servitoribus suis & eorum successoribus, quidquid facere voluerint ad proficuum ipsius Monasterii & Ecclesiæ, sine nostra, nostrorumque heredum & successorum contradictione. Insuper donamus & offerimus Curadiam, & Pedagium suprascriptæ Ecclesiæ & Monasterio per totam Terram nostram. Suprascriptam autem Investituram, Donationem, atque Confirmationem fecit suprascriptus Dominus Bonifacius Marchio per se, & suos heredes suprascriptis Fratribus & Procuratoribus, vice & nomine Abbatis, Capituli, & totius Conventus suprascripti Monasterii de Locedio, & successoribus eorum, ut ipsi Abbas, Monaci, & Conversi Monasterii prædicti, & successores eorum perpetuis temporibus teneantur [illegible]*

*pro anima ipsius Domini Marchionis & prædecessorum suorum, & pro statu suo, & successorum ejusdem. Promittensque suprascriptus Dominus Bonifacius Marchio prædictis Fratribus & Procuratoribus prædictæ Ecclesiæ & Monasterii Locedii, suprascriptam investituram donationis atque confirmationis in animam suam semper firmam habere & tenere, & ab omni persona deffensare. Insuper ipse Dominus Bonifacius Marchio adjunxit, ut si sui filii, vel & filii filiorum suorum, & eorum heredum & successorum, omnia suprascripta, quæ superius leguntur, in aliquo tempore removere præsumpserint, in perpetuum suam habeant maledictionem.*

*Interfuerunt testes Dominus Antonius de Tilio, Dominus Henricus de Ghisambertis, Dominus Laurentius Plebanus, Manfredus de Cerexeto, Guilielmus de Sala, Petrus de Germinaco, Ruffinus de Valentia, & plures alii.*

*Actum in Castro Montiscalvi feliciter.*

*Et ego Antonius Carosus, sacri Palatii Notarius, hanc Cartam rogatus tradidi & scripsi.*

Nuper etiam mentionem feci *Marchiæ Segusinæ*, cui præfuisse supra vidimus *Adelaidem Comitissam*, sive *Marchionissam* celebrem, ejusque patrem *Odelricum Maginfredum*, sive *Magnifredum Marchionem*. Argumento huic congruit Charta eximia, de qua multus mihi sermo fuit in Par. I. Antiquit. Esten. ubi ostendi, *Bertham* ejusdem *Maginfredi* Conjugem, atque *Adelaidis* nuper memoratæ Matrem, ex Marchionum Estensium Familiâ prodiisse. Istam quoque accepi ab Excellentiss. Comite Caissotto nuper laudato.

## Fundatio Monasterii Segusini Sancti Justi, facta ab Alrico Episcopo Astensi, ejusque fratre Odelrico Magnifredo Marchione Segusiæ, & Bertâ ejusdem Magnifredi uxore, Anno 1029.

IN *nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Nos* Alricus *gratiâ Dei sanctæ* Astensis Ecclesiæ Episcopus, & Odelricus, *qui &* Magnifredus, *annuente Deo* Marchio *germanus, & filii bone memorie itemque* Magnifredi *similiter* Marchionis, & Berta *Christi misericordiâ* Comitissa, *jugales, filia quondam* Autberti *itemque* Marchionis: *qui professi sumus Lege vivere Salica; ipso namque jugale meo mihi consentiente, & subter confirmante, præsentibus præsentes dicere volumus, quomodo per Testamentum nostrum jure quasdam res nostras ordinare desideramus. Unde omnipotentem Deum, cui omnia visibilia & invisibilia sunt subjecta de hisdem rebus hæredem nostrum constituimus, & pro ejus amore atque timore Monasterium construere volumus, ubi Congregatio Monachorum perpetualiter existat, quæ diu noctuque tam pro nobis, & Genitoribus seu Genitricibus, atque filiis, filiabusque nostris, quorum supra jugalium, sive* Ardoini Avi nostri, *atque* Adelberti Marchionis, *cujus supra Bertæ Comitissæ* Fratris, *filiorumque suis, nec non* Oddonis, Athonis, Ugonis, VVidonis fratrum nostrorum; *item* Ardoini, *& item* Oddoni, patruorum nostrorum, *seu item* Ardoini nostri consobrini, *quàm pro aviabus, avunculis, amitis, materteris, & pro omnibus cæteris propinquioribus nostris utriusque sexus, seu pro omnibus fidelibus vivis atque defunctis, effundant preces ad eundem Creatorem nostrum, ut ipse propter suam clementiam nostra deleat scelera, & in bonis operibus nos perseverare faciat, & ad vitam æternam cum Sanctis suis participes nos faciat. Scimus veraciter Christum & Ecclesiam unam esse personam, quæ Ecclesiæ sunt Christi, quæcumque Ecclesiæ offeruntur, proculdubio Christo offeruntur. Et in sanctis Scripturis insertum est, justa Auctoris vocem: Quisquis ad Deum, vel in Sanctis suis, ex suis aliquid contulerit rebus, in hoc Sæculo centuplum accipiet, insuper, quod melius est, vitam possidebit æternam. Et ideo notum omnibus sit, quia habemus & detinemus ad nostram proprietatem petiam unam de terra intra Segusiensem Civitatem positam, ubi Basilica una in honore Domini nostri Jesu Christi, & Sanctæ Trinitatis, Sanctæque Mariæ Virginis, seu Sancti Michaëlis Archangeli, seu Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum Principis, etiam Sanctorum Joannis Baptistæ, & item Joannis Evangelistæ, atque Sancti Justi Christi Martyris, ubi ejus sanctum quiescit Corpus, nec non & omnium Sanctorum est constructa: quæ est per mensuram justam jugeras duo, cui cohæret ab Aquilone & Occidente murus ipsius Civitatis. Et in ea Basilica volumus & judicamus, ut nunc & in perpetuum permaneat Congregatio Monachorum, qui secundùm Regulam Sancti Benedicti divina subministrantes officia, vitam feliciter ducant beatam; & ad ipsam Congregationem doctrinandum, jam electum & consecratum habemus* Abbatem *quemdam Monachum, & Deo devotum, Christi misericordia dignum, & ejusdem Regulæ doctum, nomine* Dominicum, *qui ab infantia ejusdem doctrinæ vitam consequens, bene videtur esse doctus & nutritus. Et per hoc nostrum Testamentum confirmamus, judicamus, atque concedimus eidem Monasterio de nostra proprietate ad husum & sumptum Monachorum ejusdem Monasterii, cum ipsa petia de terra, quæ superius denominata est, ubi jam dicta Basilica est dedicata, tertiam partem ejusdem Civitatis Segusiæ, sive de ejus territorio, excepto de Castro, quod infra eamdem Civitatem est positum, seu tertiam partem de tota Valle Segusia, quæ juris est nostri, tam in montibus quàm in planiciebus, sicut detinent montes, qui vocati sunt Genevi, & Cinisi, usque in territorium & finem de Villa, quæ vocatur Vaga. In locis & fundis Sexana, Ulci, Bardonesca, SalaBertani exilio, Capud Montis Galionis, Medianæ, Matingo, Foresto, Bozoleto, Sancto Georgio, Canusso, Brusiolo, Burbono, Villare Fulcardi, & in Sancta Agatha: cum Casis, Capellis, universisque rebus, eisdem locis & territoriis pertinentibus. Seu etiam concedimus atque donamus* Cortes *duas integras, sive earum pertinentias, que Almesi & Rubiana sunt vocatas, item juris nostri. Insuper etiam Cortem aliam, & ejus pertinentia, quæ Vigodone est nuncupata; atque medietatem de Corte altera, & de ejus pertinentiis, que Volveria est appellata, similiter juris nostri: omnia, quæ superius habemus denominata, sicut continentur in sediminibus & in vineis, cum areis suarum, terris arabilibus, Capellis, pratis, gerbis, pascuis,*

*ſcuis, ſilvis majoribus ac minoribus, cum areis ſuarum, molendinis, piſcationibus, alpibus, ripis, rupinis, ac paludibus, cultis & incultis, diviſis & indiviſis, una cum acceſſionibus, ſeu finibus, terminibus, & uſibus aquarum, aquarumque decurſibus. Et eſt ipſa res ſuper totum per menſuram juſtam jugera quindecim milia, & ſi parum vel maximum hiſdem partibus pertinentibus inventum fuerit, quàm ut ſupra menſura legitur, in uſum & ſumptum prædicti Monachi ejuſdem Monaſterii ordinati ſit conceſſum, & per hoc Teſtamentum in eo modo, ſicut hìc ſubter fuerit adfirmatum, Deo offerimus, ut ſequente eo habeant Monachi ejuſdem Monaſterii ad eorum uſum & ſumptum, & firmiter poſſideant; & Pars ejuſdem Monaſterii, quidquid voluerit, faciat.*

*Ideo judicamus, & firmiter jubemus, ut nullo modo maneat ipſum Monaſterium in regimine ullius Epiſcopi, vel alterius Monaſterii, nec ullarum perſonarum, aut per donum Imperatoris, vel Regis, nec ullius perſonæ, ſed ſemper ſit in Dei omnipotentis poteſtatem, quem de eodem facimus heredem, & jam dictæ Sanctæ Trinitatis, Sanctæque Virginis Mariæ, ſive Sancti Michaëlis Archangeli, ſeu Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum Principis, atque Sanctorum Johannis Baptiſtæ, & item Johannis Evangeliſtæ, nec non & Sancti Juſti Martiris Chriſti, ſive omnium Sanctorum, & ſequentibus eis, ſit ordinatum, ſicut hìc ſubter fuerit declaratum, ideſt, ut quandiu omnis, vel unus ex nobis in hoc Sæculo fuerit vita, ſit in noſtra, ſequente Deo & præfatis Sanctis ejus, regimina. Poſt verò omnium noſtrorum deceſſum, ſi filius maſculinus ex noſtro conjugio eorum ſupra jugales fuerit relictus, ſit manente nato gratis dandum ipſum ordinamentum, hoc eſt Abbatem conſtituendum, & poſt priorem in ſecundo, & poſt ſecundum in tertio, & ſic unus poſt alterum recipiat ipſum ordinamentum. Si verò defuerint filii maſculini; & nepotes, vel pronepotes ſimiliter maſculini relicti fuerint ex noſtro eorum ſupra jugalium conjugio, ſicut de filiis ſtatutum habemus, ita & hiſdem uſque in quintum geniculum ordinamus, ut ſemper qui major fuerit ex natione, habeat ipſam ordinationem. Quod ſi defuerint filii maſculini, ſive nepotes & pronepotes ejuſdem ſexus, tunc judicamus, ut veniat & ſit in filiarum noſtrarum eorum ſupra jugalium, & in liberos maſculini earum poteſtate dando præfatum ordinamentum, non ad omnes æqualiter; ſemper qui vel quæ fuerit major ex natione, habeat ipſam ordinationem. Poſtquam autem filii, & filiæ, ſeu liberi eorumdem jugalium defuerint, tunc judicamus, & per hoc noſtrum teſtamentum confirmamus, ut quandocumque contigerit, ut Abbas ejuſdem Monaſterii obierit, & alium conſtituendi neceſſitas fuerit, ut per electionem Monachorum ejuſdem Monaſterii fiat electus Abbas dè eadem Congregatione, non aliunde venturus, nec electus ſit, ſed ille, quem à majore & meliore parte eorum Monachorum fuerit electus, Abbas fiat. Et ita conſtitutum à nobis ſit, ut unus ex Monachis ejuſdem Monaſterii per conſenſum majoris partis & melioris cæterorum Monachorum ejuſdem Monaſterii ponat Baculum ſuper idem Altare ipſius Baſilicæ principale; qui electus eſt, illud accipiat, & ſecundùm Privilegium ſummi Pontificis, qui eſt Papa Romanus, ſicut jam ſupra nominatum eſt, & juxta voluntatem & ordinationem noſtram vadat ſe conſecrari à quocumque voluerit Epiſcopo. Et ſic de omnibus Abbatibus, qui in eodem Monaſterio ab hinc in antea fuerint ordinati, ita intelligendum eſt.*

*Et ita, ut ſupradictum eſt, per cultellum, fiſtucam nodatam, vvantonem, & per vvaſonem terræ, atque per ramum arboris, ad eundem Deum, & ad præfatos Sanctos ejus, legitimam facimus traditionem, & Inveſtituram, & nos exinde foris, ſicut ſuperius legitur, & ſubter adfirmatur, expulimus, vuarpivimus, facientes Monachi ejuſdem Monaſterii ordinati ad ſuorum huſum & ſumptum quidquid voluerint, tam pro animæ noſtræ, noſtrorumque genitoribus & genitricibus, filiis, filiabuſque noſtris eorum ſupra jugalium,* ſive Ardoini Avi noſtri, atque Adelberti Marchionis cujus ſupra Bertæ Comitiſſæ fratris, filiorumque ſuorum, nec non Oddonis, Attonis, Ugonis, VVidonis fratrum noſtrorum, item Ardoyni, & item Oddoni patruis noſtris, ſeu etiam Ardoini noſtri Conſuprini, *quàm pro aviabus, avunculis, amitis, materteris, & pro omnibus ceteris propinquioribus noſtris utriuſque ſexus, ſive pro omnibus fidelibus defunctis, ut ſupra dictum eſt, mercede. Ideo ſi contigerit, ut quælibet perſona, magna, parvaque hanc noſtram voluntatem & ordinationem, quæ ſuperius dicta eſt, quod non optamus, nec cupimus, ſed neque ſperamus, execrabili cupiditate ductus, res præfatas totas, vel quamcumque partem, ſicut a nobis, auctore Domino noſtro Jeſu Chriſto, ad illius honorem, & ejus pauperum conſolationem ordinatæ ſunt, aliorſum diſtrahere, immutare, commutare, ſeu quolibet obtentu voluntatem & jam dictam noſtram ordinationem violare præſumſerit, continuo coadunatis Monachis ejuſdem Monaſterii, eligantur ex ſe ipſis unus vel duo, qui nuncient pro aliis ex Dei parte, & Sanctæ Mariæ, ſeu Sancti Archangeli Michaëlis, Sanctorumque Petri & Pauli Principis Apoſtolorum, & Sanctorum Johannis Baptiſtæ, & item Johannis Evangeliſtæ, atque Sancti Juſti, illi perſonæ, qui hoc perpetraverit, ut dimittat, concedatque implere ipſam ordinationem, quæ ſuperius eſt nominata. Si verò poſt primam & ſecundam, ſeu etiam tertiam ammonitionem aſentire noluerit, & incorrigibilis contumatiæ ſpiritum non depoſuerit, fiat de eo, ſicut noſcitur decantatum:* quia perſecutus eſt hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare, & non eſt recordatus facere miſericordiam, & dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo: *totumque ei, quod in perſona Judæ traditoris Chriſti & malignorum Eccleſia decantare ſolet, per ſingulas ei decantetur Eccleſias, quia Deus dixit:* Quandiu feciſtis uni ex minimis meis, mihi feciſtis, *& quandiu his non feciſtis, nec mihi feciſtis. Et ideo quod probatur in capita, in membris intelligendum eſſe non dubitatur: &* fiant dies ejus pauci, & honorem ejus accipiat alter. *Et inſuper veniat ipſum Monaſterium cum omni ſua pertinentia in poteſtate de propinquioribus noſtris, qui tunc temporis apparuerint, non in proprietate, ſed in gubernatione & defenſione. Et tamdiu in eorum maneat poteſtate, quamdiu illa perſona, qui hoc perpetraverit, volente, nolenteque noſtram ordinationem, quæ ſuperius dicta eſt, implere dimittat. Et de hiis omnibus, quæ ſuperius leguntur, implendi te, Deus omnipotens, Creator omnium, conſtituimus in hoc Teſtamento hæredem eſſe noſtrum*

*Jam*

*Jam dictus verò Dominicus Abbas ſit nobis in hoc Teſtamento fidei generalis Commiſſarium. Tibi verò, ſanctiſſima Eccleſia, eas res, quæ ſupra dictæ ſunt, ad huſum & ſumptum tuorum Monachorum, ſervientiumque eis, in eo modo, ut ſupra declaratum eſt, damus atque delegamus. Et pro eo quod ea, quæ ventura ſunt, videre nequimus, in quantum poſſumus, oblicationem facimus. Si quis verò, quod futurum eſſe non credimus, ſi nos, quod abſit, aut ullus de hæredibus, ac prohæredibus noſtris, ſeu quislibet oppoſita perſona contra hoc Teſtamentum ire quandoque tentaverimus, aut illud per quodcunque ingenium infringere quæſierimus, tunc inferamus ad illam partem, contra quem exinde litem intullerimus multa, quæ eſt pena auro obtimo uncias centum, argenti pondera ducentum. Inſuper res ipſas in duplum parti ejuſdem Monaſterii, ſicut pro tempore fuerintélioratæ, aut valuerint ſub extimatione in conſimilibus locis, & quod repetierimus, vendicare non valeamus, ſed præſens hoc Teſtamentum diuturnis temporibus firmum ſtabilitumque permaneat, atque perſiſtat inconvulſum cum ſtipulatione ſubnixa. Et ideo ego, qui ſupra, Alrico Epiſcopo honore Sacerdotii habeo, & Legem Romanam nunc vivere videor, quamvis ex natione, ut ſupra, Salichus ſum, nec mihi liceat ullo tempore nolle, quod volui, ſed quod a me ſemel factum, vel conſcriptum eſt, inviolabiliter conſervare promitto cum ſtipulatione ſubnixa, & bergamena cum tramentario de terra elevavimus, Berenzoni Notario & Judici Sacri Palatii ad ſcribendum tradidimus, & id fieri rogavimus, in qua ſubter confirmantes, teſtibus obtulimus roborandum. Unde duo Teſtamenta uno tenore ſcripta ſunt.*

*Anno Imperii Domini Chunradi, Deo propitio, Tertio, IX. die menſis Julii, Indictione duodecima.*

*Actum Taurinenſem Civitatem feliciter.*



Alricus *gratia Dei* Epiſcopus *in hoc Teſtamento a ſe facto ſubſcripſit.*



*Hoc eſt ſignum* Domini Magnifredi Marchionis, *qui hoc Teſtamentum pro anima ſua, ſuorumqne parentum, atque pro omnibus fidelibus defunctis fieri rogavit, & inde Deum omnipotentem hæredem inſtituit, ut ſupra.*

*Signum* M. *manu jam dictæ* Bertæ Comitiſſæ, *quæ cum eundem virum ſuum, eumque conſentiente, hoc Teſtamentum fieri rogavit, ut ſupra.*

*Signum* M. M. *manibus Johanni, & Odelrici, ambo Lege viventes Romana, teſtes.*

*Signum* M. M. *manibus Witberti Comiti, & Hudoni, Lege viventes Salicha, teſtes.*

*Signum* M. M. M. *manibus Belezini, & Alberti, ſeu Atoni, teſtes.*


*Ego qui ſupra Berenzo Notarius, & Judex ſacri Palatii Scriptor, hoc Teſtamentum poſt traditum complevi & dedi.*

Dona iſti Monaſterio collata a piiſſimis hiſce Principibus, inter quæ animadvertas velim *tertiam partem Civitatis Seguſiæ, & tertiam partem Vallis Seguſinæ*, confirmata ſubinde fuere a Conrado I. Imperatore, uti fidem faciet ſubſequens Diploma, a præſtantiſſimo Comite Caiſſotto ad me miſſum, in quo rem raram perpende, videlicet *auri puriſſimi libras centum Talenta majora.*

Con-

## Conradi Primi Augusti Diploma, per quod Monasterio Segusino S. Justi bona collata ab Alrico Episcopo, & Maginfredo Marchione, confirmantur Anno Ch. 1038. hoc est secundùm vulgarem nostram Æram Anno Ch. 1037.

IN *nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis:* Conradus Romanorum Imperator Augustus *divina favente misericordia. Si Divino intrinsecus tacti spiramine almæ sanctæ matri Ecclesiæ, Christoque digne servientes, mundialis hujus temporis auxilia præbentes, nostræ Romanæ Reipublicæ ad profectum, atque ad augmentum utriusque vitæ, non exiguum fore minime ambigimus: & si piis nostrorum fidelium precibus Cæsareas aures clementer inclinamus, fideliores atque ad publicum nec non privatum obsequium promtiores eos obnixe credimus. Quapropter cunctorum castæ matris Ecclesiæ fidelium devotio animadvertat, qualiter nostra Imperialis Majestas interventu* Domini Popponis Archipræsulis, *nec non* Bertæ Comitissæ, *virtutum moribus expolitæ, dignis petitionibus tacta concedimus, atque per hanc nostri Præcepti paginam corroborantes omnia prædia, cunctasque res illas, quas olim* Alricus *venerabilis* Episcopus, *atque* Mainfredus Marchio *eximius, nec non* Berta *illustris* Comitissa *obtulit sanctæ Ecclesiæ apud Segusiam, ad honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis, atque sub nomine Matris & Virginis, Petrique Apostolorum Principis, & Pauli, omniumque Sanctorum dedicatæ, ubi conditum est sanctissimi Justi Martyris Corpus, atque Sancti Mauri, ob remedium suarum animarum, omniumque Christianorum, ad usum & sumptum Congregationis ejus Monasterii, quam præsentialiter regit atque gubernat* Domnus Bertramus *miræ devotionis* Abbas. *Censemus ergo, atque per hanc nostri Præcepti paginam corroborantes jubemus, ut prædictus Abbas, suique successores, cunctaque Congregatio, secundùm Regulam Beati Benedicti in eodem Monasterio degens, omnia prædia a supradictis Episcopo, Marchione & Comitissa Deo & Sanctis suis collata, habeat, teneat, firmiterque possideat, & secundùm quod ei recte & justæ visum fuerit, ordinent atque disponant, eo videlicet ordine, quo præfati Alricus Episcopus, & Maginfredus Marchio, seu Berta Comitissa pro suarum animarum, omniumque Christianorum remedio, disponere decreverunt, nostrâ, nostrorumque Successorum contradictione & molestiâ procul penitus remotâ: scilicet tertiâ parte ejusdem Civitatis Segusiæ, seu ejus Territorii, excepto Castro, quod infra ipsam Civitatem positum est; seu tertiâ parte de totâ Valle Segusiæ tam in montibus quàm in planiciebus, sicut detinent Montes, qui vocati sunt Genevii, & Cinisii, usque in territorium & finem de Villa, quæ vocatur Vaga, in locis & fundis Sesana Ulei, & Bardonesca Salebertani, Exilio, Caput Montis Gallionis Medianæ, Matingo, Foresto, Bozoleto, Sancto Georgio, Canusso, Brusiolo, Burbono, Villare Fulcardi, Sancta Agatha: cum casis, Capellis, universisque rebus, omnibusque adjacentiis & pertinentiis eorum. Insuper Cortes duas integras Almesii & Rubiana cum appendiciis & pertinenciis earum: nec non Vigodone, & Curtem de Volveria cum omnibus suis pertinentiis, Petra Oriola cum Capella, omnibusque appendiciis & pertinenciis suis, cum piscationibus, pascuis, rupibus, ruinis, a Ripa Sturiæ usque ad littus Maris: Mansum unum in Carisione, & alium in Genecula, cum eorum pertinenciis: Mansos duos in Ferruciaso, cum duabus Capellis, unacum dote, & tertia parte de decima, & duobus molendinis Curtæ Mauce cum omnibus suis pertinentiis. Insuper Lacus de Aviliania, & Vivarium vocatum Vuangery, cum adjacenciis suis. Cunctaque superius denominata cum sediminibus, vineis, areisque suarum, terris arabilibus, Capellis, pratis, gerbis, pascuis, silvis majoribus ac minoribus, cum areis suarum, molendinis, piscationibus, alpibus, ripis, ruinis, ac paludibus, cultis & incultis, divisis ac indivisis, una cum accessionibus, seu finibus, terminibus, & usibus aquarum, aquarumque decursibus. Imperantes itaque præcipimus, & omnino interdicimus, ut nullus Dux, Archiepiscopus, Episcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdadius, Gastaldio, aut aliqua nostri Imperii magna, parvaque persona, prædictum Abbatem, suique successores, ipsamque Congregationem de thesauro Ecclesiæ, & de omnibus suis rebus mobilibus & immobilibus, famulis, & de rebus, quæ ibi sunt, vel conferendæ erunt, inquietare, molestari, disvestire, aut fotrum tollere, seu Legem facere, aut Placitum tenere, nisi Abbas ejusdem loci, aut suum Missus præsumat, seu in domibus eorum aliquam inferre violentiam audeat. Si quis igitur præsumtor temerarius, diabolico avaritiæ stimulo percussus, huic nostræ auctoritatis Præcepto resistere, aut eum aliquatenus infringere temptaverit, noverit se compositurum auri purissimi Libras centum Talenta majora, scilicet medietatem Cameræ nostræ, & medietatem prædictæ Ecclesiæ. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria roborantes, sigilli nostri impressione inferius insigniri jussimus.*

*Signum*  *Domini Conradi invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.*


Poppo

*Poppo Archiepiscopus Treverensis intervenit.*
*Kadelous Cancellarius vice Hermanni Archicapellani recognovit.*
*Datum IV. Kalendas Januarii, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Trigesimo Octavo, Indictione Sexta, Anno autem Domini Chuonradi, Regni Decimo quarto, Imperii Undecimo.*
*Actum Parmæ feliciter. Amen.*

Finem his faciam producendo Chartam, in qua *Marchionis de Orimiano* occurrit mentio, cujus ditionem in Montisferrati, aut Pedemontis finibus, ut puto, sitam, non vacat solicite exquirere. Acceptam refero & istam beneficentissimo Comiti Caissotto primo Taurir													inensis Senatus Præsidi.

## Fridericus I. Augustus omnia bona & jura Ivoni Abbati Monasterii S. Mariæ de Locedio confirmat, Anno 1159.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Fredericus *divina favente clementia* Romanorum Imperator semper Augustus. *Noverit universorum tam futurorum, quàm præsentium Domini Dei, ac sacratissimi Imperii nostri fidelium sagacitas, quomodo nos pro remedio animæ nostræ, ac petitione* Ivonis venerabilis Abbatis Monasterii Beatæ Dei Genitricis Mariæ, *quod* Locedium *dicitur, ipsum Monasterium Locedium, cum omnibus inibi præsentialiter Domino famulantibus, aut in futuro servituris, universisque possessionibus, quas aut nunc de jure possidet, aut in futurum justis modis acquirere potuerit, in Imperialis Protectionis tutelam recipimus. Confirmantes eidem Monasterio, ac nostra præceptione munientes quidquid possidet in Stodegarda, & Curte Montisorioli integraliter; & quidquid possidet in Stafila tam terram, quàm aquam; & quidquid possidet in Matasco; & quidquid tenet in Cornali cum ipso usu aquæ fluminis Padi; & quidquid tenet in Curte Montiscalvi; & quidquid tenet in Curte Sarmatiæ ex venditione Abbatis Sancti Syllani, &* Marchionis de Orimiano, *aut aliter ibidem acquisivit; & generaliter quidquid ei est donatum a* Marchione Montisferrati, *ab Episcopo Vercellensi, aut ab aliis Episcopis, seu fidelibus donatum aut juste acquisitum. Confirmamus etiam eidem Monasterio Insulam Oggerii. Insuper jus piscandi ac navigandi in flumine Pado sine contradictione & absque tributo, ac per totum Vercellensem Episcopatum omnia pecora sua pascendi jus ei concedimus. Præsentis igitur paginæ sanctione præcipimus, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nulla Ecclesiastica, Laicalisve persona, parva seu magna, hujus nostræ jussionis statutum transgrediatur, aut suprascripto Locedii Monasterio aliquam inferre præsumat violentiam, aut personas ejus injuste gravando, sive possessiones minuendo. Quod si quis hoc nostræ constitutionis Edictum infregerit, centum Libras auri optimi componere cogatur, medietatem nostræ Cameræ, medietatem verò prænominato Cœnobio persoluturus. Ut autem plenius hæc nostræ præceptionis pagina omnibus subsecuturis temporibus rata & inconcussa permaneat, mann propria eam roborantes sigillo nostro jussimus insigniri.*

*Signum Domini*  *Frederici Romanorum Imperatoris invictissimi.*

*Locus Sigilli ✠ deperditi.*

*Ego Rainaldus Cancellarius recognovi.*
*Quarto Kal. Februarii, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Quinquagesimo Nono, Indictione VII. Anno Domini Frederici Romanorum Imperatoris Regni VII. Imperii IV.*
*Actum apud Orimianum in nomine Domini feliciter. Amen.*

# DE COMITIBUS PALATII

## DISSERTATIO SEPTIMA.

# DISSERTATIO SEPTIMA.

C*Omitum Palatii*, sive *Palatinorum*, munus præstantissimum fuit antiquis temporibus, sed nullum mihi eorum vestigium occurrit in Italia sub Regibus Langobardis. Invecta est, ut puto, ejusmodi Dignitas in Italicum Regnum à Regibus, ac Imperatoribus Francis, apud quos in usu erat, vel à Sæculo Epochæ Vulgaris Sexto. Eminebat autem in Palatio Francorum Regum, quippe ad *Comitem Palatinum*, tamquam supremum moderatorem justitiæ, pertinebat dijudicare Regni caussas tum civiles, tum criminales, sive ad eum in prima, ut ajunt, instantia deferrentur, sive devolverentur per appellationem. Audi Hincmarum Archiepiscopum Remensem, qui in Tractat. de Ordin. & Offic. Palat. Cap. 21. apud Du-Chesne Tom. 2. Rer. Francic. insignem *Palatini Comitis* auctoritatem his explicat verbis: *Comitis Palatii, inter cetera pæne innumerabilia, in hoc maxime solicitudo erat, ut omnes legales caussæ, quæ alibi ortæ propter æquitatis judicium Palatium aggrediebantur, juste ac rationabiliter determinaret, seu perverse judicata ad æquitatis tramitem traduceret.* Ingens ei auctoritas propterea fuit in hujusmodi judiciis, immo in omnibus, quæ spectabant ad servanda Regum jura, publicamque Regni quietem tuendam rectâ administratione Justitiæ, ita ut nulla caussa in Palatio audiretur, cujus non ipse conscius foret. Quæ ita dicta velim, ut nemo idcirco arbitretur, dimissam prorsus fuisse à Regibus cognitionem Caussarum Comiti Palatii. Nam & ipsi Reges consuevere non paucas audire & dirimere, & summâ benignitate ac tollerantia præbere aures rationibus litigantium. Verùm nulla Caussa ad Regalem audientiam deferebatur, quæ priùs non subiisset examen Comitis Palatii, ut ipse decerneret, finenda-ne foret progredi ad Principis thronum. Hinc addit supra laudatus Hincmarus, sicuti ad *Archicappellanum*, cujus etiam munus in Aula Regum eximium fuit, ipsisque Archiepiscopis præcedere consuevit, spectabat nuntiare Regi Caussas Ecclesiasticas, ita fuisse Comitis Palatii Sæcularium Caussas ad Regem deferre. *De omnibus* (ita ille scribit Cap. 19.) *Sæcularibus caussis vel judiciis suscipiendi curam instanter habebat, ita ut Sæculares prius Domnum Regem absque ejus consultu inquietare necesse non haberent, quousque ille prævideret, si necessitas esset, ut caussa ante Regem meritò venire deberet. Si verò secreta esset caussa, quam prius congrueret Regi, quàm cuiquam alteri dicere, eumdem dicendi locum eidem ipsi præpararet, introducto prius Rege, ut hoc juxta modum personæ vel honorabiliter, vel patienter, vel etiam misericorditer susciperet.* Legantur quæ habet Du-Cangius in Dissertat. XIV. ad Joinvillam, & in Glossario Latino. Erant autem & aliæ Caussæ, quas absque peculiari veniâ, aut imperio Principis dirimere ne ipsi quidem *Comiti Palatii* licebat. Atque in earum numero præcipue recensebantur Potentiorum controversiæ, uti nos docet Lex XLIII. Caroli Magni inter Langobardicas, Part. II. Tomi I. Rer. Italic. secundùm editionem Goldasti his concepta verbis: *Nullus Comes Palatii nostri Potentiorum Caussas sine nostra jussione finire præsumat; sed tantùm Pauperum & minus Potentum ad justitias faciendas se sciat constitutum.* Quæ verba nequaquam deprimunt munus Comitis Palatini, ejus auctoritatem ad unas Pauperum Caussas minusque Potentum coërcendo: sed id tantummodo statuunt, ut non tam facile in Caussis Potentiorum audiendis totum tempus, studiumque suum ille insumat, Pauperibus neglectis, quorum negotia Principibus vere piis & Christianis, eorumque Magistratibus accuratius procuranda erant. Hanc fuisse mentem Caroli Magni, antecedens paragraphus prodit, his verbis: *Ne propter hoc Pauperum & minus Potentum justitiæ remaneant.* Ad hæc amabat rescire solertissimus Augustus, in quam sententiam inclinaret Palatii Comes, quando Potentiores adversùs Pauperes aut minus Potentes litigabant, veritus, ne ipsa potentia animum Judicis in transversum raperet. Ceterum hinc etiam elucet, non minus Pauperum, quam Potentum caussas pertinuisse ad Tribunal Comitis Palatii, quamquam ad has postremas expediendas opus foret Regis veniâ. Accedit quod in MSto Codice Legum Langobardicarum adservato in Bibliotheca Estensi, & apud Baluzium, loco eorum verborum: *Sed tantùm Pauperum & minus Potentum ad justitias faciendas se sciat constitutum*, diversa hæc leguntur: *Sed tantùm Pauperum & minus Potentium ad justitias faciendas sciat sibi esse vacandum*: quibus significatur, nihil vulneris inlatum latissimæ auctoritati Comitum Palatii, sed tantummodo consultum religioso studio atque cautelâ necessitatibus Pauperum.

Unus autem *Palatinus Comes* in Palatio Francorum Regum ad illustre munus suum gerendum consedisse ab aliquibus creditur. Attamen monumenta non desunt, fuisse uno eodemque tempore duos. In Epistola XI. Eginharti sub Ludovico Pio memorantur *Gebuinus & Ruodbertus Comites Palatii*, quorum etiam occurrit mentio in Annalibus Fuldensibus. Alia exempla adfert eruditissimus Mabillonius contra Conringium de Re Diplomatic. Lib. 2. Cap. 11. num. 14. Quod verò propiùs institutum meum contingit, illud est, fuisse in caussâ necessitates Populorum, Regnorumque divisiones, ut sensim plures inveherentur Comites Palatii. Ita conscisso olim in plura Regna Francorum Imperio, singula ex iis suum Comitem habuere Palatinum, qualia fuere Regna Aquitaniæ & Burgundiæ. Ita apud Germanos, Britannos, Polonos, & Hungaros fuit in usu eadem Dignitas, ibique æque ac apud Francos magno in honore habita. Hinc Italico Regno, vel tunc quum Francorum Imperio suberat, suus datus est *Comes Palatii*, quo nempe consuleretur Populorum commodo, quibus intolerandum erat, remotissimam Francorum Imperatorum Sedem petere, ut Comitis Palatini judicium subirent. Ticinum verò, utpote Regni Italici Metropolis, ea Civitas fuit, ubi Italicorum usui destinatus Palatii Comes plerumque morabatur, & jus dicebat. Quanta autem *Comitis Palatini* foret auctoritas, ex eo intelligas, universi Regni Populum potuisse appellare à Ducibus, Marchionibus, & Comitibus ad ipsum. Et in quacumque Regni parte ille versaretur, ex ordinaria facultate judicare is poterat, ac sen-

tentias Ducum & reliquarum Poteſtatum, ſeu Magiſtratuum retractare. Miſſis Dominicis, de quibus ſuo loco agemus, erat par fere poteſtas, ſed delegata ac temporanea, & conſtricta plerumque ad aliquam Provinciam, ſeu locum. Quamquam veri quoque ſimile eſt, potuiſſe appellationem interponi à ſententia ejuſmodi Miſſorum ad Comitem Palatii. Proinde uberem auctoritatem transfuſam intelligas in Wibodum Parmenſem Epiſcopum à Carolo Craſſo Italiæ Rege, quum legis in ejus Diplomate apud Ughellium Tom. 2. Ital.Sacr. in Catalogo Parmenſ. Epiſcoporum: *Habeat ipſius Eccleſiæ Epiſcopus licentiam diſtringendi, definiendi, vel deliberandi, tamquam noſtri Comes Palatii, omnes res & familias tam omnium Clericorum, quamque omnium habitantium infra prædictam Civitatem Parmæ*. Otto etiam I. Anno Chriſti DCCCCLXII. Huberto Parmenſi Præſuli conceſſit, *ut ſit noſter Miſſus, & habeat poteſtatem deliberandi* &c. *tamquam noſtri Comes Palatii*. Idem conceſſum videas Epiſcopis Aſtenſibus, Laudenſibus, ac aliis.

Juvat nunc, quantum potero, contexere ſeriem *Comitum Palatii* in Italia conſtitutorum; eoque lubentius in id incumbam, quod celeberrimus Du-Cangius conatus illuſtrare hanc particulam Italicæ Hiſtoriæ, non multum progreſſus fuit. In Piſtorienſi Charta Anno DCCCXII. ſcripta, quam publici juris faciam in Diſſertat. LXX. *de Cleri immunitat.* memoratur *reclamatio* longe antea *tempore Domni Pippini Regis facta ad Paulinum Patriarcham, Arnonem Archiepiſcopum, Fardulfum Abbatem, & Echerigum Comitem Palatii, vel reliquos loco eorum, qui tunc hic in Italia Miſſi fuerunt* &c. En ergo primum *Palatii Comitem* è Francorum genere, Italiæ datum, quem ego norim: ſi tamen revera munere hoc ordinario in Italia eſt functus. Sub eodem quoque Carolo Magno *Hebroardum Comitem Palatii* fuiſſe conſtat ex Chronico Farfenſi, Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 357. Sed & in eodem Chronico pag. 362. in Placito habito Spoleti, Anno DCCCXIV. memoratum videas *Supponem Comitem Palatii*, qui etiam præcedit *Guinichiſo & Heccideo Ducibus*: tanta quippe erat dignitas Comitis Palatini. An is idem fuerit, qui Anno Chriſti DCCCXXII. Spoleti Dux inſtitutus fuit à Ludovico Pio Auguſto, & poſt biennium, naturæ debitum ſolvit, decernere non auſim. Nomen & tempora congruunt. Verùm poſtremus hic è *Comite Brixiæ* evaſit *Spoleti Dux*, ut habent Annales Bertiniani. Alter poſtea hoc illuſtri munere auctus occurrit ſub Ludovico Pio Auguſto. Quum enim Lotharius ejus filius cœpiſſet jam componere Italicorum lites, ut Eginhardus habet in Annalib. Francor. ad Annum DCCCXXIII. *Papiam regreſſus, menſe Junio ad Imperatorem venit*, hoc eſt in Gallias, ſive in Germaniam remeavit. *Qui quum Imperatori de Juſtitia in Italia à ſe partim facta, partim inchoata feciſſet indicium, miſſus eſt in Italiam Adalhardus Comes Palatii, juſſumque eſt, ut Mauringum Brixiæ Comitem ſecum aſſumeret, & inchoatas juſtitias perficere curaret*. Equidem pro certo minime ſtatuam, *Adhalardum* hunc Italici potius quam Francici Palatii Comitem fuiſſe. Primum tamen mihi perquam veriſimile videtur. Quum enim eo ipſo Anno Ludovicus filio ſuo Lothario coronam Auguſtalem Romæ imponendam curaſſet, eumque collegam in Imperio decreviſſet, quem antea Regio titulo, atque Italiæ regimine donarat, facile conjicere poſſumus, tum ut incommoda Populis minuerentur, tum etiam propter honorem novæ dignitatis, Ludovicum Auguſtum filio Auguſto permiſiſſe ſuum in Italia *Comitem Palatii*, qualem & ipſe in Francia id munus exercentem habebat. Anno proxime ſequenti, hoc eſt DCCCXXIV. ſublato è vivis Suppone Duce Spoleti, inſignem illum Ducatum idem Adelhardus Palatii Comes regendum ſuſcepit; ſed is eodem Anno vitam cum morte mutavit. Exarſere poſtea exſecrabiles controverſiæ inter Ludovicum Pium, & Lotharium filium perduellem; eoque ſaltem tempore credendus eſt Lotharius adlegiſſe ſibi in Italia ſuum proprium Comitem Palatii. Et quidem Anno DCCCXL. Placito cuidam in Civitate Lucenſi habito interfuiſſe deprehendi *Maurinum Comitem Palacii*, ut Charta proferenda in Diſſertat. X. *de Minor. Juſtit. Miniſtr.* teſtabitur. Immo & Anno DCCCXXXV. ejus mentio habetur in Diplomate Cremonenſi ejuſdem Lotharii Auguſti. Fortaſſis hic non alius fuit à *Mauringo Comite Brixiæ*, quem ſupra vidimus ab Eginhardo memoratum.

Jam verò extra controverſiam poſitum eſt, ſub Ludovico II. Auguſto Lotharii filio fuiſſe ſuum proprium Comitem Palatii Italico Regno. Id conſtat ex Placito ſpectante ad Annum DCCCLX, quod evulgavit Clariſs. Mabillonius de Re Diplomatica Lib. 6. Chart. 93. & ego iterum dedi in Chronico Monaſterii Caſaurienſis Part. II. Tomi II. Rer. Italic. Habitum namque illud fuit in Ducatu Spoletano inter Æſium & Camerinum ex juſſu ipſius Imperatoris Ludovici II. ibique conſediſſe legimus *Hucpoldum Comitem Palatii*. Chartam hanc laudat quoque Du-Cangius, atque hinc deducit, non ſemper datum Comitibus Palatii præſtantiorem locum in judiciis, quum eidem Placito præfuiſſe cernamus, ante Hucpoldum ipſum, *Wichcdum venerabilem Epiſcopum, & Adelbertum Comitem Stabuli*. Verùm non ſatis firmum argumentum hoc appellare mihi liceat, quandoquidem in contextu ipſius Placiti, quod eſt ad auctoritatem judicandi, primas partes ſuſtinere *Hucpoldum* intuemur. Sed & longe ante eumdem Annum eadem dignitate fruebatur idem *Hucpoldus*, uti conſtabit ex Placito Anni DCCCLII. aut DCCCLI. habito Ticini, quod evulgabo in Diſſertat. XXI. *de Placitis & Mallis*. Is ibi appellatur *Hucpaldus Comes Sacri Palatii*. In Præfatione ad Ermoldum Nigellum jam adnotavi, ejuſmodi nomina olim duobus modis fuiſſe pronuntiata, hoc eſt, O in A permutato, uti *Arnoldus Arnaldus*, *Ermenoldus Ermenaldus*. Eodem Anno DCCCLII. occurrit idem Hucpoldus titulo *Comitis Palatii* inſignitus apud Ughellium in Ital. Sacr. Tom. 3. pag. 33. id teſtante Charta Rhodingi Epiſcopi Florentini, ſcripta temporibus Lotharii & Ludovici II. Auguſtorum, in qua conſtituitur Abbatiſſa Monaſterii Sancti Andreæ *Berta Deo devota, filia Huepoldi* (lege *Hucpoldi*) *Comitis Palatii*. Ipſemet Hucpoldus celebrationi conſtitutionis illius interfuit & ſubſcripſit. Atque heic minime omittendum, ab Anonymo Epitomatore Chronicorum Caſinenſium (cujus Opuſculum protuli Part. I. Tomi II. Rer. Italicarum) de hoc ipſo Hucpaldo grande facinus referri pag. 370. *Uxor*, inquit, *Ludovici II. Imperatoris* (ſcilicet *Ancilberga*) *in Tucbaldum Palatii Comitem poſt Imperatoris diſceſſum oculos injecit*; ad impudicos amplexus ſolicitavit; reſiſtentem apud virum accuſavit, qui uxori

uxori nimium credulus Comitem inauditum de medio sustulit. At *Andaberta* uxor mariti trucidati innocentiam demonstratura, coram ipso Augusto super *duodecim vomeres* ignitos *nudis pedibus illæsa deambulavit*. Quare Imperator Comitis illius *heredibus Ducatum Liguriæ & Tusciæ*, *& in perpetuum Comitatum Mutinensem cum aliis octo Comitatibus concessit*. Fabulis scatet (uti & reliquum illud Opusculum) hujusmodi narratio. Nihilo tamen secius certum est, agi illic de *Hucpoldo Comite Palatii*, cujus antea mentionem feci. *Tucbaldum* vitio Scriptoris vides, uti & infra *Blatinum Comitem* pro *Palatinum Comitem*. Et fortassis inter hasce fabulas aliquid veri latet, nempe præcipiti jussu Ludovici Augusti hominem hunc morti datum fuisse, atque innocentem deinde compertum, quamquam tentatæ pudicitiæ caussa forsitan vulgi rumor fuerit. Animadvertas etiam velim parem Historiam sive Fabulam, de *Maria uxore Ottonis III. Imperatoris* à Godefrido Viterbiensi memoriæ proditam fuisse: adeo proclives tunc erant vel ipsi Literati ad amplectenda ac repetenda aliorum somnia, modò aliquid insueti ac mirandi continerent. Sed progrediamur.

Ex Placito Lucæ habito, quod proferam in Dissertat. X. *de minor. Just. Ministr.* palam fiet, quis Anno DCCCLXV. illustre hoc munus impleverit, nempe *Johannes Sacri Palatii* . . . . . . . licèt è Charta exesa ceciderit vox sequens, *Comes* tamen *Sacri Palatii* verisimiliter ibi est intelligendus, qui una cum Petro Episcopo Arretino hujusmodi judicio præfuit. Subsequitur ad Annum DCCCLXXIV. in Italia *Heribaldus Comes Sacri Palatii*, cujus habes duo Placita a me addita Chronico Casauriensi Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum. Is in altero ex iis Placitis se inscribit non *Comitem*, sed *Vicecomitem Palatii*, in altero *Comitem Sacri Palatii*. Immo idem in Charta præcedenti, spectante, ut videtur, ad Annum DCCCLXXIII. diserte appellatur *Heribaldus Comes Sacri Palatii*. Sed fortassis & hæc referenda est ad Annum DCCCLXXIV. quo Heribaldus è Vicario factus fuerit Comes ejusdem Sacri Palatii. Et quidem fuisse olim *Vicecomites Palatii*, discere potes è Charta Anno DCCCLXXII. scripta, & in Chronicon Vulturnense inlata, Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 396. Ubi *Adraldus Vicecomes Palatii*, Ludovici II. Augusti jussu controversiam de Servis decernit. In Chartis verò hactenus memoratis, uti & in Placito Johannis à me nuper laudati, animadvertat Lector rem à Conrigio antea negatam. Videlicet multos quidem *Palatii* tantùm *Comites* appellatos fuisse; sed nonnullos etiam *Comitis Sacri Palatii* titulum adhibuisse: cujus rei alia quoque exempla adfert Mabillonius. *Heribaldo* successisse credendus *Boderadus*, sive *Bodradus*. Occurrit ejus nomen in Concilio Ticinensi, ubi actum fuit de electione Caroli Calvi Anno DCCCLXXVI. Nam uti videre potes apud Baronium ad illum Annum, & in Actis ejusdem Concilii editis Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 150. inter Principes, qui interfuerunt & subscripserunt electioni, legitur *Signum Bodradi*, seu *Berdradi Comitis Palatii*. Ad hæc refert Campius in Histor. Ecclesiastic. Placentin. Tom. I. pag. 478. donationem Anno DCCCXCIX. Placentiæ factam ab Everardo Comite, qui inscribitur *filius bonæ memoriæ Boderadi*, *qui fuit Comiti Palatino*. Unum atque eumdem hominem heic nemo non intelligat. Ibique animadvertenda est utpote iis temporibus rara, appellatio illa *Comitis Palatini*. Attamen quum infra legatur ea donatio facta *pro mercede & remedium animæ quondam bonæ memoriæ Boderadi Comiti Palatio*, *suspicio oboritur*, *supra quoque non aliter fuisse scriptum*. Sed ope Excellentissimi primi Præsidis Senatus Taurinensis, idest Comitis Ludovici Caissotti, egregium Placitum adjungere heic possum, in quo ejusdem *Boderadi Comitis Palatii* auctoritatem dilucidius invenies; uti & *Aicardum Vicentinum Episcopum*, Ughellio antea ignotum.

## Placitum in Civitate Ticinensi habitum à Boderado Comite Palatii, in quo Amblulsus Monasterii Novaliciensis Abbas contra Maurinum, negantem se ejusdem Monasterii Servum, victor evadit. Anno Ch. 880.

*Dum in Dei nomine, Civitate Papiæ in sacro Palatio, ubi* Dominus Carolus Rex *præerat in judicio, intus caminata minore, qui est ante Martia, in judicio resideret* Boderadus Comes Palatii, *singulorum hominum justitiam faciendo ac deliberandum, residentes cum eo* Joannes *sanctæ* Ticinensis Ecclesiæ, *&* Aicardus Vincentinæ Ecclesiæ *venerabilibus* Episcopis, Supo, *&* Berengerius Comitibus, *Adelbertus, Leo, Petrus, Fulbertus, Urspertus, Ragonbertus, Ritpertus, Johannes, Leo, & item Natalis, Ursus, & Martinus Judices sacri Palatii, Landepertus & Pelprandus Judices Ticinensis, Atto de Landinaco, Gottefredus de Spariani, & reliquis multis. Ibique eorum veniens præsentia* Amblulfus Abba Monasterii Sanctorum Petri & Andreæ, sito Novalicio, *unacum Rodericus Scavinus Taurinensis Advocatus ipsius Monasterii, nec non & Maurinus filius quondam Petri de Valle Sexsia de Villa, quæ dicitur Ulces, una cum Ansevertus filio suo, altercationem habentes. Dicebant ipsi Amblulfus Abba & Rodericus Advocatus*: Dudum in judicio vestri præsentiâ malaverunt nos isti Maurinus & Ansevertus filio suo, quod pars Monasterii nostri malo ordine, & contra lege eos ad servitutem detineret. Et nos dedimus eorum responsum: quod Pars Monasterii nostri eos ad servitium detineret nec non contra legem, eo quod Civitati Taurinis in judicio præsentia istius Suponi Comiti & Scavinorum, per Judicum judicium istum Maurinum advicisemus, & talem notitiam Judicati haberemus. Isti Maurinus & Ansepertus filio suo dederunt nobis responsum, notitiam ipsam nihil eorum impediret, eo quod omnia, quidquid inde factum esset, per fortia factum fuisset: nam nec per judicium. Tunc per vestrorum Judicum judicium dedit nobis Vvadia ad probandum per Judices, aut per notitiam, qualiter istius Maurini in eodem judicio fortia facta fuisset. Et nos dedimus eorum vvadiam de Placito, & de ipsa notitia Judicum ad Placitum deducendum. Et hodie inter nos exinde constitutum Placitum missum est. Ecce nos parati cum ipsa notitia, sicut eorum vvadiam dedimus. Et quærimus, ut ipsa nobis faciat consignationem, sicut vvadiam dedit. *Responderunt ipse Maurinus & Anspertus filio suo*: Veritas est, quia omnia taliter inter nos actum & vvadiatum est, & hodie inter nos constitutum Placitum missum est. Ecce nos parati quærimus, ut ipsam nobis ostendatis notitiam, sicut vvadiam dedistis. *Tunc ostenserunt ipsi Amblulfus Abba, & Rodericus Scavinus & Advocatus notitiam Judicati, ubi continebatur inter cætera, qualiter præsentiâ Suponi Comiti, & Scavinorum in judicio Civitati Taurini malaset Rodericus Scavinus & Advocatus Monasterii Sancti Petri, Novalicio sito in Valle Sexsia, una cum Amblulfus Abba ipsius Monasterii, Maurinum filium quondam Petri, commanente in Valle Bardonisca, in Villa, quæ dicitur Ulces: qui de sua persona Servus ipsius Monasterii esse debuisset: ipse Maurinus vetaiset, quod non Servus, sed Liber esse debuisset, pro eo quia de libero Patre & Matre natus esset, & taliter per testes ad probandum vvadiam dedisset. Sed in constituto, que inter eis positum fuerat ad Placitum, ipse Maurinus venire neglexisset. Hoc actum, dum Supo illorum Comes resederet in jam dicta Civitate Taurinis* Curte Ducati *in Placito publico venisset reclamandum Maurinus, quod pars Monasterii Novalicio eum pignoratum haberet: & paratus esset suam Libertatem per testes ad probandum, sicut vvadiam dederat. Tunc ipse Comes dedisset ei licentiam foris de ipso Placito exeundi, sua testimonia ad ducenda, sicut professus fuerat. Quia cum foris perexisset, statim reversus fuisset, & professus dixerat, quod ipsos testes ibidem non haberet, quod professus fuerat habere. Tunc ipse Comes dedisset eidem Maurini inducias usque ad alium Placitum. Sed in constituto, quod inter eis positum fuerat, ipsos testes non haberet; sed professus dixerat, quod inquisitum habebat, & nec testes, nec ullam firmitatem de sua Libertate non habuisset, nec invenire potuisset, pro eo quia Petrus genitor suus, Servus de prædicto Monasterio fuisset, & Servum pertinuisset: & ipse ex nascendo Servo Sancti Petri de præfato Monasterio esse debuisset, & nullatenus se de ipso servitio subtrahere potuisset. Cum taliter egissent, & se cumcredidisset; tunc ipse Comes dedisset eidem Maurini inducias, ut fortasse potuisset invenire testes, aut ullam firmitatem de sua Libertate, & constitutum inter eis posuisset. In constituto die dum resedisset ipse Supo illorum Comes in prædicta Civitate Taurinis in Curte Ducati, una simul cum Adalrico Comes, & Grauso Judex, Missi directi Domini Caroli Regis in Placito publico singulis hominibus causas audiendas & justitias faciendas, resedissent cum eis Petrapertus, Adalmondus, Alfredus, Joannes, Guaspertus, item Petrepertus, Alardo, Jonamus, & Ursus Scavinus, Vitelmus, & Amalricus Scavinus Romani, & reliquis multis: ibique in eorum venisset præsentia Abnulfus Abba cum jamdicto Roderico Advocato præfati Monasterii, & ipse Rodericus dixisset adversùs jam dictum Maurinum*: Da nobis testes ipsos, quos tu per vvadiam obligasti de tua Libertate; *ipse Maurinus respondisset, dudum professus fuisset præsentiâ istius Comiti vel Scavinorum, & reliquorum hominum; & iterum professus fuisset, quod testes nec ullam firmitatem non haberet, sicut per vvadiam obligaverat, sed Servus ipsius Monasterii esse debuisset, pro eo quia Petrus genitor suus, Servus præfati Monasterii Sancti Petri fuisset, & ipse ex nascendo Servo ipsius Monasterii esse deberet. Cum taliter professus & manifestatus fuisset, rectum eorum judicium, & Scavinorum paruisset esse, & judicassent ut amodo & in antea fuisset Servus Sancti Petri ipsius Monasterii juxta sua professione. Erat notitia ipsa firmata ab Sopone Comes, & ab Adalrico Comes & Grausone Missi, & ab* Amolus Episcopus, *& ab Scavinis, atque a cete-*

*ceteris nobiles homines; & scripta per manus Joanni Notarii, & emissa Anno Domini Caroli Regis hic in Italia Primo, Mense Aprilis, Indictione Tertiadecima. Notitiá ipsâ ab ordine relectá interrogati sunt Maurinus & Ansevertus filio suo, quid adversùs notitiam ipsam dicere volerent. Qui dixerunt, & professi sunt, quod sicut primitus dixerant, ita & nunc dicebant*, quia omnia per fortia nobis factum fuit. *Cum taliter professi fuissent, interrogati sunt ipsi Maurinus & Ansevertus filio ejus, si haberent Judices aut Notitia, qualiter clarescere potuisset, quod in ipsas Placitus eidem Maurini fortia facta fuisset. Qui dixerunt & professi sunt, quod Judices nec Notitiam exinde non haberent, nec invenire poterant, qualiter clarescere poterat, quod ei fortia facta fuisset. Cum taliter professi fuissent, rectum eorum omnibus paruit esse, & judicaverunt, ut justa eorum altercationem & professionem, & justa ipsa Notitia Judicum, ut ipse Maurinus & Ansevertus filio suo desuorum personis ammodo & in antea Servi ipsius Monasterii Sancti Petri & Andreæ sita Novalicio esse deberent. Et finita est causa. Et hanc Notitiam pro securitate ipsius Monasterii facere comonuimus.*

*Quidem & ego Adegrauso Notarius ex nostrorum Judicum admonitionem scripsi Anno Regni Domini Caroli gloriosi Regis hic in Italia Secundo, Mense Novembris, Indictione Quartadecima.*

✠ *Signum mei Boderati Comiti Palatii, qui in iis actis, ut supra interfuit.*

✠ *Signum Adelpertus Notarius Sacri Palatii interfuit.*

✠ *Signum Petrus Judex Domini Regis interfuit.*

✠ *Signum Fulbertus Judex Domini Regis interfuit.*

✠ *Signum Uspertus Judex Domini Regis interfuit.*

✠ *Signum Pelprandus Judex Domini Regis interfuit.*


✠ *Signum Vitpertus Judex Domini Regis interfuit.*

Animadverte, Taurini quoque exstitisse *Curtem Ducati*, uti Mediolani, atque in aliis insignibus Civitatibus factum supra ostendi in Differt. V. *de Ducibus*. Neque id novum; nam Paullo Diacono teste Lib. III. Cap. 34. de gestis Langobard. Authari Rege Langobardorum e vivis sublato, Theodelinda Regina *Agilulfum Ducem Taurinatium & sibi virum, & Langobardorum genti Regem elegit* circiter Annum Ch. DXC. Itaque *Boderadum* Comitem Palatii habemus etiam Anno Ch. DCCCLXXX. atque adeo sub *Carolo Crasso* Rege, qui nondum Coronam Imperii consequutus fuerat. Sed quid est quod præcedenti Anno DCCCLXXIX. eodem Carolo Rege Ticini morante, occurrit nobis alter *Palatii Comes*, scilicet *Pertoldus*? Ejus nomen servavit nobis Diploma Episcopatui Regiensi ab eodem Carolo nondum Augusto conceffum, quod nunc publici juris facio ex antiquissimo exemplo, existente in Archivo Capituli Canonicorum Regiensium.

## Caroli Crassi Italiæ Regis Diploma, quo Ecclesiæ Regiensi Insulam Suzariam donat, Anno 879.

*IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Ihesu Christi. Karolus divina ordinante providentia Rex. Si ut Sanctorum loca ditentur, quo eorum Presules, ceterique Ministri uberius omnipotenti Domino valeant deservire, munus quoddam conferimus Ecclesiis divino cultui dicatis, nostrorum normam sequentes predecessorum, & in presenti seculo prosperari, atque in futuro veniam consequi non dubitamus eternam. Notum igitur industrie omnium fidelium Sancte Dei Ecclesie, nostrorumque tam presentium, quam futurorum, fieri cupimus, quia* Waltfredus insignis Dapifer, & Pertoldus Illustris Comes Palatii, *dilectissimi fideles, seu Consiliarii nostri, adeuntes magnitudinem nostram, suppliciter suggesserunt, ut ob divinum zelum intuitus, perpetuamque Regni nostre ditioni famulantis celitus stabilitatem, Ecclesie beati Prosperi Confessoris Christi, Regiensis videlicet Episcopi, cui Paulus venerabilis Pontifex preesse cognoscitur, quandam Insulam juris Regni nostri Italici, que nominatur Sugzaria in Comitatu Brixiensi, idest inter Padum & Zaram, cum Curte, & Capellas, seu Piscaria, atque silvis, mansis quoque omnibus, qui sunt in ipsa Insula, de predicto Comitatu usque nunc pertinentibus, cum omni integritate rerum mobilium seu immobilium, vel familiarum, prout hactenus ad nostrum dominium pertinuisse noscuntur, jure proprietario concederemus. Quorum postulationibus, quia justas & rationabiles suggessisse cognovimus, aures benivolentie nostre hilariter inclinantes, prefate Sancte Regiensis Ecclesie, in qua beatum Prosperi Confessoris Christi Corpus humatum jacet, Paulo venerabili Episcopo, ejusque successoribus ad utilitatem & exaltationem ipsius Episcopii eandem Insulam Sugzariam in Comitatu eodem Brixiensi positam inter Padum & Zaram cum Curte, & Capellas, seu piscaria, silvis etiam cum prenominatis mansis, qui ibidem sunt, ex ipso Comitatu pertinentibus, cum omni integritate rerum seu familiarum, cunctisque decimis, & pertinentiis, vel adjacentiis suis, fundis quoque & locis, seu paludibus & Insulis, ubicumque esse videntur in alveis vel curriculis Padi, sicuti ex antiquo ad ipsa loca pertinere videntur, quique ab hominibus pagi ipsius Pulicini nominantur, per nostre pietatis Preceptum perpetualiter donamus, concedimus, modisque omnibus stabilimus, quatenus isdem Paulus venerabilis Pontifex, ejusque successores potestatem habeant de his omnibus rebus ad utilitatem sui Episcopii facere secundùm quod melius previderint ac decreverint, sicut de ceteris rebus juris ipsius Ecclesie, expulsa totius potestatis inquietudine. Si quis autem, quod minime credimus, hujus nostre munificentie quolibet ingenio vel argumento violator extiterit, trecentas libras auri obrizi componere cogatur, medietatem Palatio nostro, & medietatem ad partem predicte Ecclesie. Insuper etiam infamia publica notatus tamquam sacrilegus habeatur ab omnibus. Et ut certius credatur, & diligentius ab omnibus observetur, manu propria subter fir-*

*firmavimus, & de anulo nostro sigillare jussimus.*

*Signum*  *Domni Karoli Serenissimi Regis.*

*Arnostus Notarius ad vicem Liutuardi Archicancellarii recognovi.*

*Data VI. Idus Januarii, Anno Incarnationis Domin DCCCLXXX. Indictione XIII. Anno vero Regni piissimi Karoli Regis in Italia primo.*


*Actum Papie in Palatio Regis, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Datum scripsi Diploma Anno Ch. DCCCLXXIX. quamquam heic legatur subsequens. Eo quippe Anno, die *VI. Idus Januarii* decurrebat *Annus Primus* Regni Caroli Crassi, & *Indictio XIII.* in cursu esse cœperat Septembri mense. Annus autem novus exordium sumsit in Nativitate Domini. Quum vero supra viderimus, *Boderadum* egisse *Comitem Palatii* Anno Ch. DCCCLXXVI. & eodem munere functus nobis occurrerit etiam Anno DCCCLXXX. mirum videatur, quei *Pertoldus* heic memoratus intermedio illo tempore *Palatii Comes* & ipse fuerit. Alterutrum ergo suspicari cogimur. Scilicet aut geminos Palatii Comites tunc electos fuisse, aut in Charta minime autographa Regiensi corruptum fuisse nomen illud, ac restituendum esse pro *Pertoldus Bodradus*. Ad hæc insalutatam transilire nolo rem singularem, quæ in hoc monumento innuitur, videlicet, Insulam *Suzariam* pronuntiari sitam in *Comitatu Brixiensi*. Castellum hoc nunc cis Padum cernitur subtus Gonzagam & Lutiariam: qua igitur ratione spectabat olim ad Comitatum Brixianum? In Antiquitatibus Estensibus Par. I. Cap. VII. eandem mihi difficultatem objeceram, quum in Diplomate Anno MLXXVII. per Henricum IV. Germaniæ Regem, atque Italiæ, Principibus Atestinis concesso, invenerim *Casalem Majorem*, *Vitellianam*, & *Pomponiscum*, Castella tunc eorumdem Estensium juri obnoxia, appellari sita in *Comitatu Brisiensi*. Per hoc nostrum alteri illi Diplomati lux & fides major adjungitur. Si enim *Comitatus Brixiæ* se protendebat *Suzariam* usque, ditionem temporibus nostris Cispadanam: quanto facilius complecti potuit tria illa Castella, nostris non minus quam antiquis temporibus ultra Padum sita? Hinc ergo simul discamus, quæ olim foret Comitatus Brixiani amplitudo, & quot rerum mutationes vel in ipsa telluris superficie tempus invexerit, quum Padus olim ita decurreret, ut descendens Suzariam relinqueret ad lævam, quæ nunc ad ejus dexteram, & quidem ab eo non modicum distans, cernitur. Ceterum olim *Insulæ* nomine is etiam ager donabatur, quem duo fluvii circumfluerent; Suzaria autem ibi sita dicitur *inter Padum & Zaram*. Ughellius in Ital. Sacr. Tom. 5. pag. 1568. alterum Diploma refert, quo Ludovicus II. Imperator Roffredo Episcopo Regiensi eamdem Insulam & Curtem largitur his verbis: *quæ nominatur Suzaria in Comitatu Brixiensi*. Tum inferius habet *eamdem Insulam Suzariam in Comitatu eodem Regiensi positam*: sed emendandus locus, & scribendum *Brixiensi*, uti in autographo ejusdem Privilegii meis oculis egomet legi. Monumenta alia, quibus amplitudo Brixiani Comitatus illustratur, accipiet alibi Lector.

Accedamus nunc ad tempora Widonis sive Guidonis Imperatoris. Supra in Dissertat. III. *de Roman. Imperator.* mentio facta est Diplomatis ab eo concessi Leudoino Mutinensi Episcopo Anno DCCCXCI. *per Maimfredum Comitem Sacri Palatii*. Tum Anno DCCCXCVII. imperante Lamberto Augusto ejusdem Guidonis filio occurrit nobis *Amedeus Comes Palatii*, cujus Placitum Florentiæ habitum possideo, infra edendum in Dissertat. X. *de minor. Justit. Ministr.* Sublato è vivis Lamberto, delata est paucis ab illinc annis Imperialis Corona Ludovico III. sub quo *Sigefredus* insigni hoc munere functus est. Ejus nomen exhibent Diplomata duo ab eodem Ludovico Augusto concessa Adelberto Episcopo Bergomensi, quæ edita habes apud Cælestinum in Histor. Bergom. Part. 2. Volum. 2. Lib. 22. Addam & ego tertium, quod olim descripsi ex autographo adservato in antiquissimo Parthenone Ticinensi Sanctæ Mariæ Theodatæ, dimissis tamen iis, quæ in aliis ejusdem sacri Cœnobii Tabulis à me edendis, verbis minime diversis, leguntur.

## Ludovicus III. Imperator Monasterio Virginum Ticinensium Sanctæ Mariæ Theodatæ jura & prædia confirmat, Anno 901.

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Hludowicus divina favente clementia Imperator Augustus. Si circa servos & ancillas Dei &c. Omnium igitur fidelium Sancte Dei Ecclesie, nostrorumque presentium scilicet ac futurorum noverit industria, qualiter* Adalbertus inclytus Marchio, *&* Sigefredus gloriosissimus Comes, *nostri dilectissimi Consiliarii, nostram adeuntes clementiam enixius postulaverunt, quatenus pro mercede & remedio animæ nostræ, parentumque nostrorum omnia precepta & instrumenta Cartarum, que ab antecessoribus nostris Regibus & Imperatoribus Monasterio Sancte Dei Genitricis Marie, quod nuncupatur Theodate, situ in Urbe Ticinensi, conlata & confirmata sunt, ubi nunc preesse videtur Risinda Abbatissa, nos per precepta munificentie nostre jure proprietario concederemus & reconfirmaremus. Quorum precibus &c.*

*Signum Domni*  *Hludovici Serenissimi Imperatoris Augusti.*

*Arnulfus Cancellarius ad vicem Lituardi Episcopi & Archicancellarii relegi & ......*

*Locus Sigilli cerei deperditi.*

*Data V. Idus Martii, Anno vero Domni Hludovici gloriosissimi Imperatoris Primo, per Indiction. IIII.*
*Actum Papiæ Palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Antequam Ludovicus iste Provinciæ Rex in Italiam regrederetur ad suscipiendum Imperiale Diadema, *Sigefredus* nuper laudatus *Comitem Mediolani* agebat, uti constabit ex egregio Placito in ea Civitate per ipsum habito Anno DCCCC. quod in hoc eodem Opere evulgabo. Veri autem videtur simile, Sigefredum pro Ludovico stetisse contra Berengarium Italiæ Regem, quando ipsum cernimus Anno sequenti ad Comitatum Palatii provectum. Immo quia is ad omnem ventum navigare noverat, quum vi et industriâ Berengarii depulsus postea ex Italia fuisset novus iste Augustus, amplissimum ille munus adhuc sub ipso Berengario exercere perrexit. Ad hanc rem confirmandam utar Placito, quod ipse habuit Placentiæ Anno DCCCCIII. Nimirum stetit coram ipso Adelberga Abbatissa præclarissimi Monasteri Sancti Sixti in ea Urbe siti, ut legitimam demonstraret donationem Guardistallæ (nunc *Guastalla*) & Luciariæ, olim eidem Cœnobio factam ab Hirmengarda Ludovici II. Imperatoris filia. Chartam vidi in vetustissimo Regesto Archivi Civitatis Cremonensis.

## Placitum coram Sigefredo Comite Palatii habitum Placentiæ, in quo Abbatissa Monasterii Sancti Sixti donatas eidem Cœnobio Curtes duas, Guardastallam scilicet ac Luciariam ab Hirmengardâ filiâ Ludovici II. Augusti, Chartâ in judicio producta, docet, Anno 903.

D*Um in Dei nomine, Civitate Placentia, ad Monasterium sancte Resurrectionis Jesu Christi, Donnus gloriosissimus* Berengarius Rex *præerat in Monasterium ipsum a karissima Donna* Ingelberga Imperatrix *constructum esse videtur, intus Ecclesia majore ipsius Monasterii in judicio resideret* Sigefredus Comes Palacii, & Comes ipsius Comitatus Placentini, *una cum* Everardus *ipsius* Placencie, Ildegerius Laudensis. Adelmannus Concordiensis *venerabilis* Episcopus, *Aldegrassus, Adelbertus, Aquilinus, Farimundus, Stadelbertus, & Bernardus Judices idem Augusti, Ansemundus Notarius & reliqui. Ibique eorum veniens presencia* Adelberga Abbatissa *ejusdem Monasterii una cum Madelbertus Advocatus ipsius Monasterii, & ostense sunt ibi Cartule, una, ubi continebatur in ea ab ordine.*

I*N Christi nomine igitur itaque ego in Dei nomine* Irmengarda Deo devota, filia bone memorie Domni Lodoyci Imperatoris, *qui professa* sum *vivere ex natione mea Lege Salica, vobis* Scanburgi Abbatissa Cenobii Monasterio Sanctorum Sisti & Fabiani, *qui fundatum est intra Civitate Placentia, quas quidem Augusta Angelberga olim Imperatrix genitrix mea a fundamentum edificavit in propriis rebus suis, dono, cedo, confero pro remedium anime mee, vel quidem Augustorum Genitori & Genetrix mea, ut dixit, per remedium anime mee vobis Sconburge Abbatisse, vel ad successoribus tuis in perpetuum, ad usum & stipendium Monacharum ubique degentium, qui cotidie in ipsum sanctum venerabilem locum deserviunt, futuris temporibus eorum jure abendum. Hoc est Curtes duas juris meas, quæ sunt positas in Comitatu Regiense, una ex his in fundo & loco* Guardistalla, *hubi Felina dicitur, alia ubi* Luciaria *dicitur, cum Capellas duas, una, que est in honore Sancti Georii, alia in honore Sancti Petri. Has vero prenominatas Curtes cum omnibus earum adjacentiis* &c. *Et taliter justa & secundum Legem meam Salicam, in qua manifesta sum vivere, vobis Sconburge Abbatisse ad partem earum Monacharum, que cotidie in jam dicto sanctum venerabilem locum deserviunt trado & legitimam fatio investituram ad usum & stipendia habendum, per wasonem terre, cultellum, festucum nodatum, frondes arborum, presenti die eorum jure habendum omnia, sicut superius legimus. Et me exinde foris ab warpisco & abasasito feci his presentibus, & birgamina cum attramentario de terra levavi, & Leone Notarius scribere rogavi.*

*Quidem & ego Leo Notarius subscripsi, Pridie Kalendas Decembris, Anno Domni Guittoni Rex Tertio, Indictione IX.* (idest Anno Christi DCCCXC.)

*Actum Placentia.*

*Signum manuum* Hermengarde Deo devota, *qui hanc Cartulam fieri & firmare rogavi.*

*Signum manus Fulconi ex genere Francorum testis.*

*Signum manus Alberici ex genere Francorum.*

*Signum manus Rodoini ex genere Francorum.*

*Signum manus Wallaroni ex genere Francorum testis.*

*Signum manus Retulfi ex genere Francorum testis.*

*Ego Leo Notarius scriptor hujus Cartule, post dicta complevi & dedi.*

*Quidem & ego Andreas Notarius Domni Regis, ex jussione* Sigifredi Comiti Sacri Palatii, *& ammonitionem prædictorum Judicum scripsi, Anno Regni Domni Berengarii Regi Deo propitio XV. mense Januario, Indictione VI.*

*Signum manus nostre* Sigifredi Comiti Palacii, *qui ut supra interfui.*

Hewrardus *humilis* Episcopus *interfui & subscripsi.*

Adalmannus Episcopus *interfui & subscripsi.*

*Aldegrassus Judex Regis interfui.*

*Adelbertus Judex Domni Regis interfui.*

*Farimundus Judex Donni Regis interfui.*

Atque hinc supplenda est Italia Sacra in Catalogo Episcoporum Concordiensium Tomo V. pag. 332. addito *Adelmanno*, quem Ughellius ignoravit. Ad hæc hujus ope monumenti confirmari videtur sententia Pagii, scribentis, antecedente Anno DCCCCII. captum fuisse Veronæ Ludovicum Augustum a Berengario, oculisque effossis coactum ex Italia cedere. Certe Anno DCCCCIII. & Januario Mense, Berengarium Regem pacifice sine æmulo Placentiæ dominantem cernimus. Verùm hac de re infra mihi sermo erit in Dissertat. XIV. *de Servis*. Charta autem hæc scripta fuit *ex jussione Sigifredi Comiti Sacri Palatii*: quo exemplo rursus confirmatum videas, hosce *Comites* non tantummodo *Palatii*, sed etiam *Sacri Palatii*, fuisse appellatos. An ante Annum supra memoratum, atque ante Sigefredum Berengario fuerit quispiam alius Palatii Comes, ab Anno videlicet DCCCLXXXVIII. quo is Regium titulum assumsit, ignotum est mihi. Fortasse quod Ticinum, sedes eo tempore Palatini Comitis, in ditione Guidonis, Lamberti, & Ludovici Augustorum, fere semper stetit, Berengarius ab instituendo altero Comite Palatii sui temperavit. Quod certum, Sigefredo successit in eo munere *Odelricus Marchio*. Hunc ipsum, antequam ejusmodi dignitate augeretur, innuere videtur Anonymus Panegyrista Berengarii Augusti, Tomo II. pag. 393. Rer. Italicar. iis versibus:


*Vicinoque suas cogens ab limite turbas*
*Olricus, Latium Hadriacis qua clauditur undis.*

Qui-

Quibus ex verbis infert Hadrianus Valesius, eo tempore Odelricum Forojuliensi Marchiæ præfuisse. Meminit idem Berengarius *Odelrici inclyti Marchionis, Sacri Palatii nostri gloriosi Comitis*, in Diplomate Anni DCCCCXX. pro Modoëtiensi Ecclesia apud Ughellium Tom. 4. Ital. Sacr. in Archiepiscop. Mediolanens. Itaque is duplici munere functus est. At subinde tot beneficiis a Berengario receptis ingratus, testante Liutprando ejus ævi Historico Histor. Lib. 2. Cap. 15. rebellibus ejusdem Berengarii se adjunxit. Appellatur autem ab ipso *Odelricus Palatii Comes, qui ex Suevorum sanguine duxerat originem*; eumque postea sublatum Hungrorum gladiis, idem ipse scribit. Juvat nunc proferre monumentum nondum publici juris factum, ubi ejus mentio occurrit, ex prælaudato Regesto Civitatis Cremonensis descriptum.

## Diploma Berengarii Imperatoris, quo Bertæ filiæ suæ Abbatissæ Monasterii Placentini Sancti Sixti, regimen & omnia bona ac jura ejusdem Cœnobii confirmat, Anno 917.

*IN nomine Dei eterni. Berengarius divina favente clementia Imperator Augustus. Si petitionibus fidelium nostrorum libenter annuimus, devotiores eos ad nostre pietatis fidelitatis obsequia reddimus. Quo circa omnium universalis Ecclesie fidelium nostrorum videlicet presentium ac futurorum noverit industria, qualiter* Oldericus illuster Marchio, Sacrique Palacii nostri Comes, *& dilectus fidelis noster, suppliciter nostram exoravit majestatem, quatinus ob amorem superne remunerationis per nostri paginam quoddam Monasterium infra Civitatem Placentinam à beate videlicet memorie* Angelberga Imperatrice *constructum, & in honore Sancti Systi dedicatum*, Bertæ *dilectissime* filie nostre *cum omnibus suis pertinenciis confirmare dignaremur, simul quoque roborantes & in perpetuum concedentes eidem Monasterio quasdam Cortes, Guardistallam scilicet, Luzariam, Littora Paludana, Villole, Pigunariam, Curtem Novam, atque Campum Miliatium, & omnia queconque memorata Imperatrix per institutionis sue paginam ubique idem Cenobium diffinivit habendum. Cujus petitionem tota devotione suscipientes id fieri annuimus, hoc nostrum Præceptum scribi jubentes, per quod prelibate Filie nostre idem Monasterium confirmamus, quatinus in sua sit potestate & dominio, quousque vixerit, & ibidem domina & ordinatrix atque retrix invigilet ac permaneat, donec ejus fuerit vita; per quod etiam in prescripto venerabili loco concedimus ac confirmamus omnes res in possessiones mobiles & immobiles, tam per Cartulas quam extra Cartulas, vel cujuscumque inscriptionis titulo ad partem ipsius Monasterii per Præcepta legimus acquisitas & acquirendas, seu quicquid per Regum vel Imperatorum antecessorum nostrorum Precepta ad eundem sacrum locum collatum est; atque Cellulam quamdam, que antiquitus Monisterium dicebatur, non procul à Placentina Urbe sitam loco, qui Caput Trebie vocatur, in qua Ecclesia Apostolorum Principis bonore dicata consistit, cum omnibus inibi pertinentibus, quemadmodum* Karlomannus serenissimus Rex & consobrinus noster *eandem Cellulam cum universis appendiciis suis largitus est eidem Monasterio, proprietario jure, prenominato venerabili loco per hoc nostre auctoritatis preceptum ex integro perdonamus, largimur, confirmamus, ac modis omnibus corroboramus; familias quoque utriusque sexus & condictionis eum Curtibus & Capellis, earumque appendiciis, Castellis, casis, vineis, campis, pascuis, pratis, silvis, sationibus, paludibus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, fluminibus, piscationibus, ripis, rupinis, montibus, collibus, vallibus, ac planiciebus cultis & incultis, divisis & indivisis, mercationibus, vectigalibus, districtionibus suis, ancillis, aldiis & aldianis, & omnibus, que dici aut nominari possunt, ad idem Monasterium juste & legaliter respicientibus, in integrum confirmamus, ita videlicet, ut prelibata Filia nostra quousque vixerit, hac nostra auctoritate roborata de prescriptis rebus eidem Monasterio pertinentibus tam per Preceptorum paginam, ut diximus, quamque per aliarum Instrumenta Cartarum, & acquisitis & acquirendis, potestative faciat, omnium magnarum parvarumque personarum molestatione remota. Si quis vero hanc nostram auctoritatem violare temptaverit, centum quinquaginta Libras auri optimi componere cogatur, medietatem Camere nostre, & medietatem jam dicte Filie nostre. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria roborantes & anulo nostro jussimus insigniri*

*Signum Domni*  *Berengarii piissimi Imperatoris.*

*Johannes Episcopus & Cancellarius ad vicem Ardengi Archicancellarii Episcopi recognovi & subscripsi.*

*Dat. VI. Kalend. Septembris, Anno Dominice incarnationis DCCCCXVI. Domni vero Berengarii piissimi Regis XXVIII. Imperii autem sui II. Indictione V.*

*Actum in Carte Sinna, in Christi nomine feliciter. Amen.*


Notæ Chronologicæ Diplomatis hujus aliquantulum me remorantur. Heic *Annus Imperii* à Chronologia Pagii discordat. Quum enim Anno DCCCCXVI. secundùm calculos ejusdem Pagii, atque ut ego etiam assentio, Paschali die Berengarius Romanorum Imperator fuerit renuntiatus, Augusto mense Anni ejusdem decurrere non potuit *Secundus* Annus Im-

Imperii. Neque *Indictio V.* decurrebat *VI. Kalendas Septembris* Anni DCCCCXVI. sed quidem decurrere cœpit Kalendis ipsis proximis. Difficile etiam cum eodem Anno DCCCCXVI. componas *Annum XXVIII. Regni*, quando ipsum Berengarius iniit primis mensibus Anni DCCCLXXXVIII. uti ostendit perquam erudite Comes Donatus Silva in Dissertatione edita Tomo II. Rer. Italicar. pag. 416. Quare pro Anno DCCCCXVI. scribendum puto DCCCCXVII. Sed his dimissis, de quibus fusius disputabitur in Dissertat. LVI. *de Relig.* & supra actum fuit in Dissertat. V. *de Ducibus*, venio ad tempora Hugonis Italiæ Regis. Sub primis illius Regni annis Palatii Comitem invenio *Giselbertum*, quem Anno DCCCCXXVI. ipse Rex in privilegio concesso Guidoni Episcopo Placentino, atque edito in Histor. Eccles. Placent. à Campio Tom. I. pag. 483. appellat *Giselbertum Sacri* (heic etiam animadverte vocabulum *Sacri*) *Palatii gloriosum Comitem*. Ejus quoque nomen servavit nobis alterum Diploma ejusdem Hugonis, infra in Dissertat. VIII. proxime sequenti evulgandum. Atque hic non alius sententiâ meâ fuisse videtur ab illo, qui ante paucos annos, Liutprando teste Histor. Lib. 2. Cap. 17. rebellem se prodiderat Berengario I. Imperatori, atque ab eo Historico dicitur *Gilbertus prædives Comes & strenuus*. Non abstulit ei vitam, quum posset, Berengarius; at ille beneficium clementi Augusto male rependit; Rodulphum enim Burgundiæ Regem adversus eumdem Berengarium in Italiam accivit, atque, ut conjicere possumus, deinde advocavit & Hugonem, stabiliori postea fortuna Italiâ potitum. Porro Hugone regnante auctor est idem Liutprandus Lib. 3. Cap. 10. seditionem excitatam fuisse à Gualberto potenti Judice Ticini, qui *Razam natam suam Gileberto Comiti Palatii sociaverat*. Præterea sub eodem Hugone alterum *Comitem Palatii* mihi detexit fragmentum membranæ existentis in Regesto antiquissimo Episcopii Cremonensis. Hæc ibi verba: *Dum in Dei nomine in judicio sederet Sarilo Comes Sacri Palatii, in Sala Grasoni in Civitate Cremonæ, sedentibus cum eo Rotardo* &c. *& aliis pluribus. In eorum præsentia venit Dagibertus venerabilis Cremonensis Episcopus, & cum eo Audevertus Advocatus ipsius, & ostendit Præceptum, in quo retinebatur, sicut infra continetur. In nomine Dei æterni. Ugo gratia Dei Rex* ...... reliqua desiderantur. Si quis conjecturæ locus, *Sarilo* iste idem fuit ac *Sarlio Burgundionum ex gente progenitus*, quem sæpe memoratus Liutprandus Ticinensis Historicus Lib. 5. Cap. 2. ab Hugone Rege missum tradit, ut è Spoletano Ducatu dejiceret Anscharium Ducem: quod & ille post durum prœlium peregit. Interemto autem Anschario *Sarlius Marchiâ secure potitur, & Rex Hugo gaudio immenso afficitur*. *Sarilonis Marchionis* est mentio in Chronico Farfensi Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. Cremonensis Episcopus *Dagibertus* in Chartæ fragmento laudatus, à Sicardo in Chronico appellatur *Dalbertus*, & ab Ughellio *Darimbertus*: atque is est, qui successorem in Episcopatu habuit nuper memoratum Liutprandum Historicum. Eum quippe inveni Anno quoque DCCCCLX. viventem, uti fidem faciet Charta ejusdem Regesti Cremonensis, scripta *Berengarius & Adelbertus Reges. Anni Regni eorum X. mense Junio, Indictione III. Commutatio bone fidei noscitur esse contractus, ut vicem emptionis obtineat firmitatem* &c. *Placuit itaque, & bona convenit voluntate inter Domnus Dagibertus reverentissimus Cremonensis Ecclesie Episcopus, necnon & inter Atto Comes* ...... *Wiberti itemque Comiti de loco* ...... Commutatur ibi ingens copia fundorum. Ad hæc regnante Hugone supra laudato, ad idem munus evectus fuit *Ensarichus Comes Palacii*, cujus Placitum Anno DCCCCXXXV. habitum Ticini proferam in Dissertat. XXXI. *de Placitis*. Sed ibi pro *Ensarichus* legendum reor *Sarilo*, ut ibi monui. Hunc deinde excepit *Hubertus* eidem Hugoni Regi natus extra nuptias è Wandelmunda nobili femina; qui simul *Dux & Marchio* Tusciæ præfuit. Et quoniam de illo plura attuli in Antiquit. Estensib. Par. I. Cap. XV. heic unum Diploma evulgabo, ubi is appellatur *Sacri Palatii Comes*, depromptum ex archetypo existente in Archivo Capituli Canonicorum Regiensium.

Hugo.

## Hugonis & Lotharii Regum Italiæ Diploma, quo Curticellam quamdam confirmant Canonicis Regiensibus Anno 942.

*IN nomine Domini Jesu Christi Dei æterni. Hugo & Lotharius gratia Dei serenissimi & piissimi Reges. Si petitionibus servorum Dei &c. Notum sit igitur omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque præsentibus scilicet fidelibus atque futuris,* Hubertum Marchionem *inclitum, nostrique* Sacri Palatii Comitem, *&* Helisiardum *illustrem* Comitem, *nostram supplici devotione adiisse clemenciam, quatinus pro Dei amore, ac Beatæ semper Virginis Mariæ, Sanctique Prosperi, animarumque nostrarum augmento, ut Fratribus inibi Deo famulantibus Canonicæ Sanctæ Dei Regensis Ecclesiæ, per nostrum auctoritatis & tuitionis Preceptum largiremur, atque confirmaremus Corticellulam quandam, quæ vocatur Sp . . . . . go, quæ videtur pertinere de Curte Massa, quæ à Berta quondam Comitissa, quæ in eadem requiescit Ecclesia, ipsi Canonicæ pro salute animæ suæ, suorumque parentum dono conlata est. Quorum precibus libenti animo pietatis nostræ assensum præbentes, jam fatam Corticellulam pro Dei amore, animarumque nostrarum remuneratione, cum omnibus suis pertinentiis & adjacentiis in integrum, idest cum servis & ancillis, campis, vineis &c. per hoc nostræ donationis & confirmationis Preceptum . . . . . . concedimus, atque largimur: ut nullo umquam tempore prefatæ Canonicæ, & qui famulatum Deo, ejusque Genitrici exhibuerint, de jam dicta Corticella . . . . . . aut Vicecomes, vel Sculdasio, sive Gastaldius, aut aliquis . . . . tor Reipublice, magna parvaque persona, vim aut contraretatem aliquam inferre presumat; sed faciant de sepe nominata Corticellula ipsius Canonice Ministri . . . . . ore fuerint, secundùm libitum suum & voluntatem quicquid illis melius visum fuerit ad honorem sancti ipsius loci, remota tocius potestatis inquietudine vel diminoratione. Si quis igitur &c.*

*Signum Serenissimorum*  *Hugonis & Lotharii Regum.*

*Giselprandus Cancellarius ad vicem Bosonis Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi.*

Locus Sigilli. Membrana ibi in quatuor partes concisa: sed nullum vestigium ceræ umquam ibi positæ, ut in reliquis apparere solet.

*Data IV. Idus Junii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLII. Regni vero Domni Hugonis Regis XVII. Lotharii XIII.* Indictione . . . . . . *Papiæ. AMHN.*

Delatis postea Ottoni Magno Romani Imperii fascibus, *Comitem Palatii* egisse deprehenditur *Otbertus Marchio*, unus ex progenitoribus Atestinorum Principum: cujus quoniam varia Acta protuli in Antiquitat. Estensibus, Part. I. Cap. XVI. ab Anno DCCCCLXII. usque ad Annum DCCCCLXXII. ideo heic nomen illius dumtaxat commemorasse satis foret. In Diplomate Ottonis Magni dato Astensi Ecclesiæ Anno DCCCCLXII. apud Ughellium Tom. 4. Ital. Sacr. inter testes recensetur *Obsertus Sacri Palatii Comes*, vitiato illius nomine: quo morbo innumeris in locis Italia Sacra laborat. Memoratur autem à Clarifs. P. D. Guidone Grandio Camaldulensi Abbate in Epistol. de Pandectis Anno 1727. Florentiæ edita, quædam Charta in Tabulario Archiepiscopii Pisani adservata. Scripta fuit *Regnante Domno nostro Otto Imperator Augusto, filio bone memorie Ottonis Imperator, Anno Imperii ejus in Italia octavo, Idus Octobris* (idest Anno Christi DCCCCLXXV.) Ibi *Adalbertus & Obertus germani Marchioni, filii bone memorie Oberti Marchionis & Comitis Palatio*, complura bona ab Ecclesia Pisana in emphiteusim accipiunt. Hæc mire illustrant, quæ in eisdem Antiquitatib. Estensibus disserui de filiis prælaudati *Oberti Comitis Palatii* atque *Marchionis*, è quo tam Estenses Marchiones celeberrimi, postea Mutinæ, Regii &c. Duces, quàm inclyta Brunsvicensium Ducum, nunc magnæ Britanniæ Regum, progenies, rectâ lineâ descendunt.

Egregiam Chartam, summopere à me concupitam, quia amicus Grandius communem mecum voluit, Lectoribus & ego legendam exhibeo.

Præ-

## Præstaria Alberici Episcopi Pisani, per quam Oberto & Adelberto Marchionibus filiis olim Oberti Marchionis & Comitis Palatii immanem copiam bonorum in emphyteusim concedit, Anno 975.

IN *nomine Dei æterni*. *Regnante* Domino nostro Otto Imperator Augusto filio *bone memorie* Ottonis Imperator, *Anno Imperii ejus in Italia Octavo*, *Idus Octobris*...... *Manifesti sumus nos* Adalbertus *&* Obertus germani Marchioni, filii bone memorie Oberti Marchionis & Comitis Palatio, *quia tu* Albericus *gratia Dei hujus sancte* Pisane Ecclesie *umilis* Episcopus, *per Cartam livellario nomine ac censum perexolvendum dedisti nobis, idest omnibus casis & rebus illis juris Ecclesie vestre Sancti Johannis Baptiste, & Sancti Petri Plebem Baptismalis sita a Rio prope Vico Fitri. Casis vero ipsis tam domnicatis, quam & massariciis cum Ecclesiis & titulis subjectis ipsius Plebis, cum fundamentis & universis fabricis suis, cum Curtis, ortis, terris, vineis, olivetis, pascuis, cultis rebus, vel incultis, omnia & in omnibus rebus tam domnicatis, quam & massariciis, quantas ubique in qualibet locis vel vocabulis ad ipsam sanctam Plebem & ad Ecclesiam & titulis ipsius Plebis pertinentibus, cum movilia & familias, quantas modo ibi pertinent, atque in antea ibidem pertinere videbitur, in integrum nobis eas livellario nomine dedisti, seu & libellario nomine dedisti, idest omnem redditum & debitionem illas, quas singulis omnibus, qui sunt abitantibus in Villas illis nuncupantes Rabida, Monticelo, Scandicio, Blentina, Flexo, Anglo, Pericetto, Ermentiano, Alfiano, Tricase, Vico Vitri, Ortalia, Bulisciano, vel que in aliis Villis abitantes sunt aut fuerint, in integrum nobis eas libellario nomine dedisti; simul & libellario nomine dedisti nobis, idest duodecim inter Casis & Casinis seu Ortis & rebus massariciis juris Ecclesie vestre Sancti Johannis Baptistæ & Sancti Petri, quod est Plebe Baptismalis sita alla Vena; casis & rebus vero ipsis esse videtur in loco & fundo Oliveto. Una ex ipsis detinent Urso & Johanni Germani Massarii...... lumbo. Tertia Aggo. Quarta detinet Goprando. Quinta Martino. Sexta Dominico. Septima detinet filii Leoni. Octava detinet Lerine. Nona Johannis. Decima Adalberto. Undecima alio Johanni. Duodecima Lamberto: cum Ecclesiis subjectis ipsius Plebis, duo in honorem Beate Virginis Marie, una ex ipsa sita Luto, alia ad Anceniana, tertia in honorem Sancti Georgii sita in eodem loco Cisano. Has de omnis nostris casis & casinis, ortis & rebus massariciis, cum jam dictis Ecclesiis & titulis subjectis ipsius Plebis, seu cum aliis casis & rebus ad eandem sancte Plebis generalem..... in integrum ubicumque pertinentibus, cum fundamentis & universis fabricis suis, curtis, ortis, vineis, olivis, silvis, virgareis, pratis, pascuis, cultis rebus vel incultis, cum movilias omnia & familias & in omnibus rebus quantas ubique in qualibet locis ad ambo supradicte Plebis & jam dictis Ecclesiis & titulis & ad prenominatis Villis sunt pertinentibus, adque in antea ibidem pertinentes fuerint. Quem Plebis ipse esse videntur de sub regimine & potestate supradicte Ecclesie Episcopatui vestro sancte Marie, in integrum eas nobis livellario nomine dedisti. Item & libellario nomine dedisti, idest Ecclesia illa, cui vocabulum est Sancti Quirici, & fundamento & casalino illo de Ecclesia Sancte Jolicte in loco Cornathano juris ipsius Episcopatui vestro: Ecclesia vero ipsa Sancti Quirici cum fundamento & edificio suo & jam dicto casalino Ecclesie Jolicte, cum omnibus rebus domnicatis & rebus massariciis ad eas pertinentibus, cum curtis, ortis, terris, vineis, olivis, silvis, virgaretis, pratis, pascuis, cultis rebus vel incultis, omnia & in omnibus rebus quantas ubique in qualibet locis vel vocabulis tam domnicatis quam & massarieiis ad easdem Ecclesias Sancti Quirici & Sancte Julictæ sunt pertinentibus in integrum & ut superius dixi, predictum redditum & debitionem de jam dictis Villis, que ad ambo supradicte Ecclesie Plebis consuetudi omnibus supradictis villis, qui ibidem habitantibus atque in antea habitare videtur consuetudi vel debiti sunt reddendi, atque in aliis Villis habitantes sunt, tam vino, labore, oleo, linum, argentum, bestiis, vel qualibet rem de ipso redditum ad jam dicte ambo Plebem pertinentibus in integrum, eas livellario nomine dedisti tali ordine, ut da amodum in nostra, qui supra germani, vel de nostris heredibus & hac proheredibus nostris, sive de illo personis omnibus, cui nos livellario nomine dederimus, vel habere constituerimus, & de eorum heredibus sint & permaneant potestatem, omnibus supradictis casis & rebus, seu movilias & familias, atque jam dicto reddito & debitionem de ambo suprascripte sancte Plebis pertinentibus, atque in antea ibidem pertinere dignoscitur; eos habendi, tenendi, imperandi, laborare faciendi, & nobis eas privato nomine usufructuandi. Et faciamus exinde ex frugibus earum rerum vel censum, quibus exinde Dominus dederat, & predictas familias ad serviendum quidquid voluerimus, & jam dicto redditu & debitionem, quam nobis dedistis, habendi & requirendi seu recoliendi & nobis eas privato nomen usufructuandi, si tamen licentiam & potestatem habeamus nos supradicti germani, & ad heredibus ac proheredibus nostris, sive cui nos eas livellario nomine dederimus vel habere constituerimus, & de hearumque heredibus sive hominibus nostris in ipsam sanctam Plebem introire, & movilias illas, que ibidem invenieremus & exinde nos astrahere, & movilias nostras intus mittendi & foras trahendi & tollendi. Et faciamus exinde quidquid voluerimus sine omni vestra & successoribus vestris calumnia vel contradictionem seu repitionem, nisi tantum per omnem censum & justitiam exinde vobis, vel ad posterisque subcessoribus ad pars predicte ambo Plebis vestre singulis quibusque annis per omnem Mensem Martio censum exinde reddere debeamus ad Curtem vestram domnicatam infra suprascripta Civitate Pisa ad Ecclesiam Sancti Georgii per nos aut per Misso nostro vobis, vel à Misso vestro, argentum Solidos triginta de bonis Denarios expendibilis, duodecim Denarios per singulos Solidos racionatos tantum. Et si ad nos vobis hec omnia qualiter superius legitur, per singulos annos taliter non adim-*

*adimpleverimus & non conservaverimus , aut si supradictas casis & rebus & predicto redditu & debitionem , sicut superius legitur , quas nobis dedistis , relaxaverimus , vel si per nos pejorata fuerit , spondimus nos , qui supra* Adalberto & Oberto germani Marchioni *una cum nostris heredibus componere tibi qui supra Albericus Episcopus , vel ad posterisque subcessoribus tuis, penam argenti optimi Libras centum , quia taliter inter nos convenimus ; & duo inter nos Libelli Petrum Notarium & Judex Domni Imperatoris scribere rogavimus .*

*Actum Pisa .*

✠ Adalbertus Marchio *a nos facto subscripsi.*

✠ Obertus Marchio *a nos facto subscripsi .*

✠ *Ego Gottifredus rogatus testis subscripsi.*

✠ *Ego Benedictus Judex Domni Imperatoris subscripsi .*

✠ *Ego Johannes Notarius Domni Imperatoris , rogatus testis subscripsi .*

✠ *Ego Theubaldus Judex Domni Imperatoris subscripsi .*

✠ *Ego Alboni rogatus testis subscripsi .*

✠ *Ego Petrus Notarius & Judex Domni Imperatoris , post tradita complevi & dedi .*

Atque hinc etiam lucem mutuantur , quæ Cap. 20. earumdem Antiquitatum Estensium disserui de *Terra Obertenga*, quæ protendebatur in *Comitatibus Arretino* , *Lucensi* , *Pisensi*, spectabatque sæculo Christi Decimo ad vetustos Marchiones , unde Atestini Principes descendunt. Sed hisce dimissis , mecum accedat Lector ad perpendendam Placiti Chartam , quæ legitur in Chronico à me edito Sancti Vincentii ad Vulturnum , Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 443. Scilicet Anno DCCCCLXX. versabatur in agro Marsicano Otto I. Imperator, ibique una cum Pandulpho Principe Capuano, *Duce* & *Marchione* , publicum judicium habuit , assidente etiam *Ezeca Comite Palatii* , qui & ante reliquos subscripsisse deprehenditur iis verbis : *Signum Ezeca Comitis Palatii*. Quei ergo , vivente adhuc *Otberto Marchione & Comite Palatii*, alterum heic habemus Palatii Comitem ? Certe Regnum Italicum ab uno Comite Palatii regi olim consuevit . Statuendum ergo , aut iis temporibus constitutos fuisse ab Ottone Augusto duos *Palatii Comites* ; aut Principibus Beneventanis , inter quos computatus est supra memoratus Pandulphus , cui agnomen *Caput Ferreum*, auctoritatem ac jus fuisse non solùm *Sacri Palatii* nomine Aulam suam donandi, immo & *Sacratissimi Palatii* , ut constat ex variis eorum Chartis , sed etiam Regum more peculiarem sibi instituendi sui *Palatii Comitem* , eumque fuisse prælaudatum *Ezecam*. In eodem quoque Diplomate occurrit *Sico Marchio Sacri Palatii* : quod munus, siquidem nos non fefellerint Amanuenses, in quositum foret , vix quisquam edisserat. Se quoque nobis offerunt in iis regionibus alii duo *Palatii Comites* apud Ughellium Tom. 8. Ital. Sacr. pag. 661. Memoratur enim in Diplomate Pandulphi & Landulphi Principum Beneventanorum vinea , *quam Rodfrid Comes nostri Palatii*, *filius Madelfrid Comitis ejusdem Palatii obtulit* &c. Ita & apud Ostiensem in Chronico Casinens. Lib. 3. Cap. 37. *Gregorius Comes Palatii* floruisse dicitur Anno MLXXII. In Additamentis ad Chronicon Casauriense Part. II. Tomi II. Rer. Italic. alterum simile Placitum occurrit, eodem Anno DCCCCLXX. habitum , in quo idem *Ezeca* appellatur *Dux & Marchio & Comes Palatii* , Floruit postea *Giselbertus Comes Palatii* , ejusque mentionem offendi in Charta Archivi Canonicorum Cremonensium . Anno Christi DCCCCLXXIX. Ottone II. imperante , scriptam illam fuisse , indicant Notæ istæ Chronologicæ : *Otto gratiâ Dei Imperator Augustus . Anno Imperii ejus XII. Mense Februario Indictione VII.* Complectitur membrana illa commutationem prædiorum *inter Andream Sanctæ Laudensis Ecclesiæ Episcopum* , *& Arnonem filium quondam Arioaldi de loco Causario* : atque inter agrorum fines memoratur à *Meridie Giselberti Comes Palatio* . Infra in Dissertat. XX. *de actib. Mulier.* tabulas ex Archivo Estensi depromtas dabo, Anno MXVII. scriptas , quibus Nonantulano Monasterio multa prædia donat *Bonifacius Marchio* , pater videlicet celeberrimæ Comitissæ Mathildis , ejusque conjux *Richelda filia bonæ memoriæ Giselberti Comes Palatii*. Ejus ergo genitor fuit *Giselbertus* , Anno DCCCCLXXIX. in Charta Cremonensi laudatus, quem *Principis* titulo donat Donizo in Poëmate de reb. gest. Comitissæ Mathildis , de Bonifacio scribens :

> *Marchio Richildam prætaxatus Comitissam,*
> *Quæ Giselberti de sanguine Principis exit,*
> *Duxit in uxorem.*

Atque is fortasse nepos alterius *Giselberti*, quem regnante Hugone Rege *Comitem Palatii* invenimus. Non ergo Richilda filia fuerit Giselberti Comitis Lucemburgensis ; quod opinati sunt Franciscus Maria Florentinius in Vita Comitissæ Mathildis , ac prælaudatus Benedictus Bacchinius *Lanfrancum* quoque ejusdem Richildæ fratrem, Anno 1017. *Comitem Palatii* egisse, eadem Charta mihi evulganda in nuper memorata Dissertat. XX. *de actib. Mulier.* prodet. Porro quis alius dignitate Comitis Palatii functus fuerit, imperantibus Ottone Primo & Secundo, nondum detexi . Attamen juvat heic producere nobilissimum Placitum Romæ à Benedicto VII. Romano Pontifice Anno DCCCCLXXXIII. celebratum , quod ex Tabulario celeberrimi Sublacensis Monasterii descriptum ad me misit Nicolaus Aloysia , studiosus venerandæ antiquitatis juvenis , meique amantissimus.

## Placitum Romanum à Benedicto VII. Papa habitum, in quo Leo Abbas Sanctorum Cosmæ & Damiani multa restituere cogitur Monasterio Sublacensi, Anno 983.

### *Charta refutationis de Arsule, de Rubiano, de Anticulo, & de aliis fundis, quæ refutavit Leo Abbas Sanctorum Cosmæ & Damiani ad Monasterium Sancti Benedicti.*

*ANno Pontificatus Domni Benedicti summi Pontifici, & universalis VII. Papæ in sacratissima Sede Beati Petri Apostoli, Anno IX. sive Domno Ottone II. magno Imperatore, sue Coronationis Quintodecimo Anno, sed & hujus Aprilis Mensis, Indictione XI. Ut ea, que legaliter diffinita sunt ante presentia Dativorum Judicum, iterum non . . . . . . . Et quia humana mens semper in cogitatione presentem nullo modo perfectam valeat ubique habere memoriam: ideo eruditissimi sanxere, ut per scripturarum seriem texantur ea, que ab ipsis fuerint diffinita, & omnem totius litis amoveant questionem. Hanc Judicati paginam esse adscriptam juventibus asserentibusque Judicibus sacratissime Urbis Rome, qualiter in presentia sanctissimi Pape & venerabilium Episcoporum & diversi gradum Clericorum Apostolice Sedis, nec non & multorum illustrium Virorum, quorum nomina inferius propriis manibus subnotantur, & hic presentia incipiunt nomina; videlicet jam dicto* Presul *una cum* Giribertus *sancte* Tortonensis *Ecclesie* Episcopus; Petrus Episcopus Papiensis *Ecclesie (is enim ambobus per consensu Pontifici, ac jussione Imperatoriâ, curâ audiendi veritatem eo missi sunt)* Gregorius *sancte* Albanensis *Ecclesie* Episcopus; Leo *sancte Ecclesie* Ostiensis Episcopus; Johannes *virum venerabilem* Abbas Monasterii Sancte Marie, *quod situm est* ad Farfa; Roizi *prudentissimus* Abbas Beati Pauli Apostoli; Petrus *Presbiter &* Abbas Monasterii Sancti *Confessoris adque Pontificis* Basilii; Johannes *venerabilis* Diaconus *Sancte* Romane Ecclesie; Stephanus *Dei providentiâ Sancte* Sedis Apostolice Primicerius; Leo *Dei pietate* Archario *Sancte summe* Apostolice Sedis; Aczoni *Dei gratiâ* Protoscinarius & Apocrisarius *sancte* Sedis Apostolice; Rigizo & Benedictus Dativorum Judicibus; Johannes Consul, *qui vocatur* Primicerius; Sergius Comes Palatii; Aczo *qui &* Abbo *nominatur*; Johannes Primicerius; Berardus Comes Civitatis Tiburtine; Agino. *His omnibus & plures astantibus in Basilicâ Beati Petri Apostolorum Principis intro Ospitale, in eo usualis est nominati Pape dormiendum; in eorum presentia evenit Benedictus humilis Presbiter, hac Prepositum venerabilis Monasterii Beati Patris Benedicti & Sancte Scholastice, quod ponitur in Sublaco, una cum Johannes Presbiter & Monacho, atque Petrus item Monacho: omnes hi pro ex persona illorum Abbati, qui ibi minime aderat propter gravem infirmitatem, quam sui corporis districtum habebat. Set predictis his tribus nominatis Monachi, qui majori & perscrutatori suprascripti Monasterii sunt, proclamaverunt in conventu jam dicti Presuli, dicentes:*

Domine sanctissime Papa, & vos omnes deprecamus vestre clementie, ut audiatis atque intendatis nostre postulationi, quam nunc modo per triennium annum in vestro sacro Lateranensis Palatio egimus, & modo vestri auris pateant audiendi. Dicimus de isto Leoni Abbati Monasterii Sanctorum Cosme & Damiani, quod ponitur in Cave, quia contra nostri Monasterii insidiatus est, & etiam res quas sanctorum tuorum antecessorum hujus Cathedra Apostolorum Petri pro Privilegiis hac Preceptis ex vestri Scrinii nostro Monasterio concessere, hic distrahere hac dissumpere cupit. Quia omnem possibilitatem sui Monasterii alienavit, & nostrum, quod caput est, Monasterium in eadem dissipatione cupit videre. *Tunc nominatus Presul cum Judicibus adversùm Leone Abbate dixerunt:* Cur tu tanta superstitione contra Monasterium Sancti Benedicti egisti, qui ex ejus doctrina celestia debes consequi? Et beatus Gregorius loquitur, dicens: si tua dimittere non vis, aliena vide nequaquam appetere. *Ad hec Leoni Abbas dicens:* Nolit Dominus; ut ego illorum locis vel aliquam possibilitatem Monasterii Sancti Benedicti abstulissem. Sed ea, que ipsi postulant, sicut in nostro continetur Privilegio, ita detineo. *Judices dixerunt:* Coram nobis proferant Scriptiones, & ea, que anteriores apparent, in ipsis constet. *Tunc Leoni Abbati proferens suam Scriptionem in manu judici, dixit:* Videte, si nobis justum est; non litis amplius faciam. *Tunc Stephanus Primicerius legere cepit. Johannes Diaconus audito, quod tempore* Alberici olim Romanorum Patricii *fuisset id scriptum, ait:* Sufficit nobis. Iterum modo videamus Monasterii Sancti Benedicti Scriptiones. *Eâdem orâ Benedictus Presbiter ac Prepositus suis Privilegiis hac Precepta ostendit. Tunc supradictis Johanne Diacono & Judicibus pariter apprehenderunt ipsa, & incipiebant legere. Primum inventum est, ut in suprascripto Monasterio Sancti Benedicti confirmatum fuisset locis, que subter nominandi sunt,* Zacherie *sancte memorie. Secundum sanctissimi* Pape Gregorii. *Tertium pie memorie* Nicolai Rome Presul. *Quartum confirmationis* Pape Benedicti. *Et ceteri* Lodoyci *&* Caroli *sanctissimorum* Imperatorum *constitutum est. Audito suprascriptorum Presulum nomina & eorum sancte operationis, & summe Imperatoris virtutem, quod ei non aliut, nisi pro illorum sanctitatis & remunerationis anime concessisse dicuntur, & qui hec frangere cupit, aut aliquid minuare sine consensu Fratrum voluerint, dubium non sit, ut ad Regno Dei possit acceder e: Tunc* Presul Benedictus *una cum Episcopi & Judicibus dixit:* Locis omnibus nominandi sunt. *Et invenerunt Massa Juventiana, seu Seminario. Item locum, qui vocatur Sancti Paulini cum Ecclesia Sancti Petri, incipiente ab aqua & arco, qui vocatur Ferrata. Seu Monte, qui vocatur Ruviano, in quo Ecclesia fuit Sancte Marie. Atque Monte, qui vocatur Arsule.*

*sule . Necnon Pantana, que dicitur Rudimundi. Et locus, in quo est aqua que dicitur Bullica. Simulque Serra, que dicitur Sancti Johanni Pari modo & alium, qui & Anticolo vocatur; & Monte, qui vocatur Cruso : omnia sibi invicem coherentes .*

*Cum autem has locis nominatis omnes cum illorum terminibus in jam fatis Privilegiorum, omnes dicunt a jam nominato Leoni Abbati, & a sua Congregatione; qui ibi aderant :* Te audiente atque vidente in istis locis vestri Monasterii nihil pertinet, si non est consensu hoc Fratrum. Tantum enim, sicuti legere audictis, nominatis locis in Monasterio Sancti Benedicti, cujus res est, presens refutent. *Jam suprascriptus Leo Abbas cum cognovisset veritatem, per baculum cunctis locis, que supra legitur, cum sua simul Congregatione, Monasterio Sancti Benedicti in omnibus refutavit. Tunc Presul similiter ex una parte investivit dicens :* Omnem rem sancte Ecclesie, de qua ablata fuerant, ut predictum est penitus revertatur; & in ipsius dominio sub vestrorum successorumque vestrorum potestatem sine omnem ambiguitatem permaneat cum omnibus, que à suprascriptis locis pertinent. *Taliter ab omnibus Judicibus Dativis sancitum & inviolabiliter est diffinitum. Hoc siquidem Judicatum precipiente* Domno Benedicto summo Pontifici & universali Pape, *mihi Benedictus Scriniario sancte Romane Ecclesiæ, predictis Judicibus Dativis consentiendo & promulgando scribere dicta verba. In quos jam nominati propriis manibus pro ampliore & firmiore stabilitate subscripserunt sub die, anno, mense, & Indictione supradicta XI.*

*Ego* Benedictus Sancte Catholice & Apostolice Ecclesie VII. Presul *subscripsi* .

*Ego* Geribertus *sancte* Turtunensis Ecclesie Episcopus *huic Judicati perpetualiter Charte interfui* .

Petrus Papiensis Ecclesie Episcopus *huic Judicati paginam perpetualiter, sicuti supra legitur, interfui* .

*Ego Johannes indignus Diaconus Sancte Romane Ecclesie huic refutationis Charte interfui & subscripsi* .

Gregorius Episcopus *sancte* Albanensis Ecclesie *huic refutationis Charte interfui & subscripsi*.

Leo Ostiensis Episcopus *huic refutationis, sicut supra memoratus est, interfui & subscripsi*.

Stephanus *nutu Dei* Narniensis Ecclesie Episcopus *huic refutationis Charte interfui* .

Stephanus *Dei providentia* Primicerius *huic refutationis Charte interfui* .

Leo *Domini gratia vocatus* Arcario *sancte* Apostolice Sedis *huic refutationis Charte interfui* .

Azo *Dei pietate* Protoscriniarius & Apocrisarius Romane Ecclesie *interfui & subscripsi* .

Rigizo *nutu Dei* Datibus Judex *huic refutationis Charte interfui* .

Benedictus Datibus Judex *in hac brevi memoratoria manus subscripsi* .

Sergius Comes Palatii *huic refutationi interfui* .

Berardus *inclitus* Comes Tiburtine *interfui & subscripsi* .

Johannes *in Dei nomine* Consul & Dux *huic refutationis Charte interfui* .

*Ego* Benedictus *Dei gratia* Scriniarius *sancte* Romane Ecclesie, *& scriptor hujus, post omnium testium subscriptionem & traditionem complevi & absolvi* .

Egregium monumentum istud appellavi, quod tot illustrium Virorum ac Magistratuum Romanæ Curiæ nomina complectatur. In apographo ad me misso *Giribertus sancte Toronensis Ecclesie Episcopus*, & in subscriptione *Turunensis* legebatur. Ego restituendum censui *Tortonensis*. Ughellius in Ital. Sacr. Tom. 4. eum *Giselprandum*, sive *Geriprandum*, seu *Giseprandum, sive ut alii volunt Espernandum*, & *Gibertum* appellat. Emendanda hæc omnia. Germanum fortasse illius nomen fuit *Gerbertus*; idem verò hoc est atque *Girbertus*, sive *Giribertus*. In Chronico Vulturnensi, quod a me evulgatum est Part. II. Tomi I. Rer. Italic. pag. 465. Placitum habetur in agro Marsicano habitum Anno DCCCCLXXXI. cui præfuere *Petrus Episcopus de Pavia*, & *Gribertus Episcopus de Derdona* ( idest *Derthona* ) *Missi sacri Palatii*, iidem videlicet, qui Romano Placito nunc a me edito interfuere *per consensum Pontificis, ac jussione Imperatoria*. Heic etiam nobis occurrit *Stephanus Narniensis Ecclesiæ Episcopus*, Ughellio ignotus, ac propterea in Catalogum Episcoporum illius Urbis inferendus. Occurrit etiam & *Sergius Comes Palatii*. Verùm non is, ut arbitror, fungebatur amplissima dignitate *Comitis sacri Palatii*, de qua hactenus egimus, & quam Imperatores & Reges Italiæ conferebant. Alioquin is reliquis Magistratibus præcessisset; neque ubi is erat, Missis regiis facultas relicta fuisset. Hic autem humili loco sedet in Placito isto. Quare hunc Sergium Magistratum Romanum fuisse reor, à Romanis Pontificibus electum, qui suprema auctoritate controversias inter Romanos dirimebat, & a quo nulla erat appellatio, ad instar Comitum Sacri Palatii Regni Italici constitutus, ac proinde illum non accenseo Comitibus Palatii Italici, quos hactenus recensui. Anno autem DCCCCXCVI. certior factus sum a Charta Cremonensi, *Ardoinum* tunc eodem munere functum, ut ex ipso monumento patebit, quod ex autographo descripsi, existente in Archivo Capituli Canonicorum Cremonensium .

## Arduini Comitis Palatii ſententia in Placito Limitenſi pronuntiata pro Epiſcopo Cremonæ contra Walpertum Judicem, Anno 996.

DUm in Dei nomine, locus, ubi dicitur Limite, Judiciaria Briſienſe, in prato proprio Epiſcopio ipſius ſancte Briſienſis Eccleſie, per data licentia Domni Adelberti Epiſcopi ipſius Epiſcopio, in judicio reſidebat Ardoinus Comes Palacii, juſtitiam faciendam ac deliberandam, reſidentibus cum eo Riprandus Comes, Adelbertus, Geprando, Rainaldus, Petrus, Sigefredus, Gauſelmus, Alfredus, Sichardus, Walfredus, & Nozo Judices Sacri Palacii, & reliqui plures. Ibique eorum veniens preſentia Rozo Avocatus Epiſcopio ſancte Cremonenſis Eccleſie, nec non & ex alia parte Walpertus Judex, altercationes inter ſe abentes: & retulit ipſe Rozo Avocatus: Habeo & teneo à parte ipſius Epiſcopii proprietatem caſis & omnibus rebus, quas eſſe videntur in loco & fundo Cimeziana, qui recti & laborati ſunt per Mauro & Calvo ſeu Armaſii, liberi ominis. Et ſi quislibet homo adverſum me exinde aliquit dicere vult, paratus ſum cum eo exinde in racione ſtandum, & legitime finiendum. Et quod plus eſt, quero ut dicat iſte Walpertus Judex, qui hic ad preſens eſt, ſi mihi, aut pars ipſius Epiſcopii predictis omnibus rebus contradicere aut ſubtraere vult, vel ſi propria ipſius Epiſcopii eſſe debent cum Lege, an non. Cum ipſe Rozo taliter retuliſſet, ad ec reſpondens ipſe Walpertus Judex dixit & profeſſus eſt. Verè jam dictis omnibus rebus, ſicut ſuperius denominaſtis, tibi nec pars ipſius Epiſcopii non contradico, nec contradicere quero, quia cum Lege non poſſum, eo quod propria ſunt ipſius Epiſcopii, ſet eſſe debent cum Lege; & mihi ad abendum nec requirendum nihil pertinent nec pertinere debent cum Lege, pro eo quod exinde nullam firmitatem nec ſcriptionem, nullamque rationem abeo nec abere poſſum, per quam tibi nec pars ipſius Epiſcopii contradicere aut ſutraere poſſum; ſet, ut diſi, propria ſunt ipſius Epiſcopii & eſſe debent cum Lege. Et reſpondit ſe ipſe Walpertus Judex, ut ſi unquam in tempore ipſe aut ſui heredes adverſus pars ipſius Epiſcopii de predictis omnibus rebus agere aut cauſare vel removere preſumpſerit, per ſe ipſi aut eorum ſumitantes perſonas, & tacite exinde omni tempore non permanſerint, & ſi aparuerit ullum datum aut factum vel colibet ſcriptum, quod ipſi exinde in aliam partem feciſſent, & claruerit, ut tunc componant ipſe Walpertus Judex, ſuique heredes à pars ipſius Epiſcopii pena dublis ipſis rebus, ſicut pro tempore fuerint melioratas, aut valuerint ſub eſtimatione in conſimile loco. Inſuper pena argentum Libras quinquaginta. His actis, & manifeſtatio ut ſupra facta, rectum eorum judicium & auditoribus paruit eſſe, & judicaverunt, ut juſta eorum altercapcione & ipſius Walperti Judici profeſſione & manifeſtacione, ut pars jam dicti Epiſcopii predictis omnibus caſis & rebus ad proprietatem haberet & detinere deberet, & ipſe Walpertus Judex manerent exinde tacitus & cuntentus. Et finita eſt cauſa, & ac noticia pro ſecuritatem eidem pars ipſius Epiſcopii fieri amonuerunt.

Quidem & ego Adelbertus Notarius Sacri Palacii ex juſſione prefacto Comes Palacii & Judicum ammonicione ſcripſi, Anno Incarnacionis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCCXCVI. Undecimo Kalendas Junias, Indictione IX.


Ardoinus Comes Palacii ſubſcripſi.
Adelbertus Judex ſacri Palacii interfui.
Reginaldus Judex ſacri Palacii interfui.
Petrus Judex ſacri Palacii interfui.
Sigefredus Judex ſacri Palacii interfui.
Gauſelmus Judex ſacri Palacii interfui.
Walfredus Judex ſacri Palacii interfui.

Longe forſitan a vero non abeat, qui putet, *Ardoinum* iſtum Palatii Comitem non alium fuiſſe, quàm qui poſt ſex annos, ſublato e vivis Ottone III. Imperatore, Ticini Coronam Italici Regni arripuit: qua de re ſermo mihi fuit Cap. XIII Antiquitat. Eſtenſ. Hinc ſaltem conjicere licet, ad Eporedienſium Marchionum familiam ipſum ſpectaſſe. Ante tamen quàm idem Otto Auguſtus poſtremo fato cederet, animadverti, dignitatem hanc alteri collatam. Nempe *Ottoni*, Nepoti Petri Epiſcopi Novocomenſis, cujus mentio habetur in Diplomate nunc mihi primum edendo, cujus archetypum vidi apud Sacras Virgines Ticinenſes, nunc appellatas *della Poſterla*.

Otto-

## Ottonis III. Diploma, quo Monialibus Ticinenſibus Sanctæ Mariæ Theodatæ omnia illarum jura ac privilegia confirmat, Anno 1001.

IN *nomine Sancte & individuæ Trinitatis. Otto divina favente gracia Romanorum Imperator Auguſtus. Si circa ſervos & ancillas Dei munificentiam noſtræ benignitatis intullerimus, credimus hoc ad noſtræ animæ ſalutem efficaciter pertinere. Quapropter cognoſcat induſtria omnium fidelium noſtrorum, preſentium ſcilicet ac futurorum, quia quidam venerabiles viri, videlicet* Petrus Cumanæ Sedis Epiſcopus, *ejuſque Nepos* Otto Comes Palatii, *noſtram adierunt celſitudinem poſtulantes, ut quoddam immunitatis Preceptum predicti Preſulis Nepti, pretaxati* Ottonis *Comitis ſorori* Waldradæ Abbatiſſæ Monaſterii Sanctæ Mariæ Dei Genitricis, *quod dicitur Theodotæ, ſitum in Urbe Ticinenſi, pro multis diverſiſque utilitatibus ejuſdem Monaſterii fieri juberemus. Nos vero eorum peticiones rationabiles eſſe conſpicientes, hoc immunitatis Preceptum prefatæ Abbatiſſæ conſcribere juſſimus: per quod omnino determinantes jubemus, ut eadem prænominata Abbatiſſa; cognata ſcilicet jam dicto Epiſcopo & Ottoni dilecti noſtri fidelibus, degens ſub Regula Sancti Benedicti, id Monaſterium cum omnibus adiacentiis jure ac legaliter adquiſitis uſque ad finem vitæ ſuæ firmiter, omnique refragatione remota, teneat atque poſſideat. Inſuper ergo omnes res quaſcumque Monaſterium idem longo tempore poſſedit, aut poſtea jure ac legaliter tam emptione, donatione, quàm fidelium oblatione adquiſivit, ac deinceps eodem modo adquirere potuerit, tranquillo jure per hoc noſtræ auctoritatis Preceptum teneat. Et inſuper eidem Monaſterio liceat ſecundum Regulam Sancti Benedicti de propria Congregatione Abbatiſſam eligere. Sintque cuncte res ejus, tàm homines, quàm cetera pertinentia, ſub regali ſeu Imperiali immunitate defenſe. Et ſi neceſſitas fuerit de rebus & familiis ipſius, per inquiſitionem regalem rei veritas aprobetur. Hæc vero omnia, que prelibavimus, & quecunque anteceſſores noſtri feliciſſimi Imperatores, Primus Otto, videlicet Patruus noſter, & Secundus ejus equivocus Pater noſter, per Precepta immunitatis, atque illorum confirmationis, eidem ſancto loco contullerunt, pleniter atque ſecuriter, ſalva omni juſticia ejusdem Cenobii, per preſentem auctoritatem noſtram, ob amorem Dei, Deique genitricis Mariæ, necnon & venerabilem peticionem dilectorum noſtrorum fidelium Petri Epiſcopi & Ottonis Comitis Palatii, concedimus atque confirmamus. Liceatque eidem ſanctæ Congregationi perpetualiter, quiete ac ſecure, ſine ulla moleſtia & inquietudine pro nobis divinam exorare clementiam: Si quis vero, quod abſit, infra dicionem Regni nobis à Deo dati, reſiſtens contra hoc firmitatis ac confirmationis noſtræ Preceptum inſurgere vel irrumpere auſus fuerit, ſciat ſe centum Libras auri probatiſſimi ſolvendum, medietatem eidem Eccleſiæ, & medietatem Palatio noſtro Et ut hæc noſtræ confirmationis atque conceſſionis auctoritas inviolabilis permaneat, & per futura tempora verius credatur, manu propria ſubter firmavimus, Sigillique noſtri impreſſione ſigillari juſſimus.*

*Signum Domni Ottonis*  *Cæſaris invicti.*

*Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani Epiſcopi recognovit.*
*Data XII. Kalendas Mai, Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Primo, Indictione XIV. Anno Tercii Ottonis Regnantis XVII. Imperii V.*
*Actum Ravenne feliciter, Amen.*

*Pendet Bulla plumbea*




Placitum quoque Anno eodem MI. ab ipſo *Ottone Comite Palatii* habitum Ticini, ego evulgavi in Antiquitat. Eſtenſ. Cap. 14. Exorto poſtea bello inter Henricum I. & Harduinum de Regno Italico contendentes, vix licet credere, Ottonem conſtantiſſime munus illud retinuiſſe. Attamen is ad Annum MXVIII. rurſus ſe mihi exhibet Comitem Palatii, ut Lector intelliget è Charta, quæ authentica adſervatur in Tabulario Capituli Canonicorum Mutinenſium.

## Rainardus & Roza conjuges coram Ottone Comite Palatii donant Episcopio Mutinensis Ecclesiæ Domos duas cum Turri & Capella Sancti Nicolai, sitas in Civitate Ticinensi, Anno 1018.

*IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Heinricus gratia Dei Imperator Augustus, Anno Imperii ejus, Deo propitio, Quinto, V. Kalendas Septembris, Indictione Prima. Episcopio sancte Motinensis Ecclesie, ubi nunc* Domnus Warinus Episcopus *preordinatus esse videtur, nos Rainardus filius quondam Attoni, & Roza jugalibus filia quondam Oddoni, qui professa sum ex nacione mea Legem vivere Lungobardorum, set nunc pro ipso viro meo Legem vivere videor Romana: ipso namque jugale & Mundoaldo meo mihi consentiente & supter confirmante, & justa Capitulare Lamgobardorum, in qua inter cetera continere videtur, ut sicut mulier cum viro suo abet potestatem res suas venundandum, ita & donandum: ideoque ego, qui supra, Roza, una cum noticia* Domni Ottoni Comiti Palacii, & Comes istius Comitatu Ticinensi, *in cujus presencia & testium certa facio professione, quod nullam me pati violenciam ad quempiam ominem, nec ab ipso jugale & mundualdo meo, nixi mea bona & spontanea voluntatem, offertores & donatores ipsius Episcopii presentes presentibus diximus. Quisquis in sanctis &c. Ideoque nos, quem supra, Rainardus & Roza jugalibus donamus & offerimus in eodem Episcopio sancte Motinensis Ecclesie pro anime nostre mercede; id sunt Casas duas solariatas, & Turre una cum Capella infra ipsa Turre edificata in onore Sancti Nicolagi, adque Sala una murata cum areas, ubi estant, cum Curte; omnia insimul tenente juris nostris, quibus abere visi sumus intra anc Ticinensem Civitate prope Porta, que dicitur de Viridario. Et sunt ipsas casas solariatas &c. tabulas treginta & quatuor. Coëret eis ad mane terra Monasterio Domini Salvatoris, ad meridie Via publica, ad sera terra Thome & Uberti pater & filio, ab aquilone similiter via publica &c. Hanc enim Cartule offersionis paginam Restaldi Notario sacri Palacii tradimus, & scribere rogavimus, in qua supter confirmans, testibusque obtulimus roborandam.*

*Actum Civitate Ticinum feliciter.*

✠✠ *Signum manibus suprascriptorum Rainardi & Roza jugalibus, qui anc Cartula offersionis fieri rogaverunt, eorumque relecta est.*

P) *OTTO COMES PALACII SSI.*

*Signum manibus Gariardi & Idelpradus germanis, seu Rozoni, omnes Legem viventes Romana, testes.*

*Albericus Judex & Missus Domni Imperatoris rogatus subscripsi.*

*Adelbertus Judex & Missus Domni Imperatoris rogatus subscripsi.*

*Ego qui supra Restaldus Notarius sacri Palacii, scriptor ujus Cartule offersionis postraditi conplevi & dedi.*

Anno etiam MXVII. Chartæ supra memoratæ Richildæ Comitissæ subscribit ejus frater *Lanfrancus Comes Palacii* una cum *Maginfredo Comite*, altero illius fratre. Quod quomodo componendum sit cum Charta nuper allata Anni MXVIII. alii viderint. Illud etiam animadverti, nempe in Synodo Ticini habita circiter Annum MXIX. à Benedicto VIII. Pontifice promulgatas fuisse Leges quasdam Henrici I. Augusti, iisque subscripsisse *O. Comitem Palatii*. Atque hec pauca sufficiant ad illustrandam seriem veterum *Palatii Comitum* in Italico Regno. Neque enim ultra exquirere lubet, quos exinde Italia habuerit ejusmodi dignitate ornatos. Illud potius commemorandum, nobiles hosce Imperatorum, sive Italicorum Regum Ministros, quando non erant in comitiva Regis aut Imperatoris, Ticini plerumque consedisse, ubi Palatium erat Italici Regis, quum fortassis etiam Provinciam illam regerent auctoritate ipsa, qua in ceteros Ducatus aut Marchias præclariores utebantur Duces ac Marchiones Italiæ. Petrus Diaconus in Chronic. Casinens. Lib. 4. Cap. 18. meminit cujusdam Bertæ liberalis feminæ, quam appellat filiam *Compalatii Ticinensis*: quod vocabulum propterea in suum Glossarium intulit Du-Cangius. At facile intelligimus, olim ibi scriptum fuisse *Com. Palatii*, pro *Comitis Palatii*; amanuensem verò imperite utrumque vocabulum conjunxisse. Atque hinc etiam patere potest, a *Ticinensi Palatio* derivatam *Comitis Palatii* in Italia appellationem. Addidit autem laudatus Petrus Diaconus vocem *Ticinensis* (quam reliqui omittere consueverunt, sat conscii nomine *Palatii unum* Ticinense significari) fortasse quia ubi is scribebat, sub hoc nomine designabatur Comes Palatii Beneventani.

Nunc prodendum, quæ rerum vertigo *Comitem Palatii* in Italico Regno primum depresserit, tum omnino abrogarit. Nempe post Annum à Christo nato Millesimum, ut suo loco ostendam, sensim assurgere in libertatem cœperunt Italicæ Urbes, & Imperialibus Ministris locum eripere. Proinde sive adhibitâ vi, sive Imperatoribus conniventibus, coactus tamdem est Italici Palatii Comes abscedere ex Urbe Ticinensi, suamque sedem constituere in Oppido sui juris *Lumello*, sive *Laumello* Ticinensis Diœcesis, unde postea nomen accepit Provincia, quæ nostris temporibus *Lomellina* appellatur. Immo & inde exturbatus ille fuit Sæculo Christianæ Æræ Duodecimo, & in ordinem redactus. Guntherus egregius Poëta, qui postremis Friderici I. annis, aut paullo post, floruit, Lib. 3. Ligurini, mentionem facit Comitis Palatini in Oppido Lumello residentis, scribens:

*Aspice, quàm turpi Lunelli nobile Castrum,*
*Atque Palatini Sedem, fidosque penates*
*Verterat illa dolo. Comitem Civesque vocabat* &c.

Scribendum heic *Lumelli*. Quæ verò antea foret Comitis hujusmodi ditio, significat idem Poëta subdens:

*Et nunc iste Comes, consors & Regius Aulæ*
*Ille potens Princeps, sub quo Romana securis*
*Italiæ punire reos de more vetusto*

*De-*

*Debuit, injuste victrici cogitur Urbi*
*Ut modicus servire cliens, nulloque relicto*
*Jure sibi, Dominæ metuit mandata superba.*

Hæc Guntherus, de Ticinensi Urbe loquens, quæ sibi Comitem Palatii subdiderat. Nunc adire juvat nobilissimum eorum temporum Historicum Ottonem Frisingensem Episcopum, hoc est fontem, unde omnia ferme sua hausit Guntherus. Ita ille de Gestis Friderici I. Lib. 2. Cap. 18. Derthonam loquentem inducit, & de Civitate Ticinensi talibus conquerentem: *Te ipsam non respicis, quæ Lunellum* (scribe *Lumellum*) *Imperiale Oppidum, magna & robusta equitum manu stipatum, Palatini Comitis tui habitatione inclytum* &c. *ad solum usque prosternere non timueris. Factus est ille, INTER ITALIÆ PROCERES NOBILISSIMUS, inquilinus tuus, qui debuit esse DOMINUS. Reddit tibi nunc vectigal, cui tu Principis vicem gerenti vectigal persolvere solebas. Videat Princeps & animadvertat, qua honestate sui, Imperiique honore, ipsius lateri judicium de ITALIS laturus assideat.* Multa hinc lux obvenire potest iis, quæ hactenus attulimus de *Comite Palatii*. Desumebat is, ut jam mox innui, appellationem à *Regio Ticinensi Palatio*. Erat *Nobilissimus Italicorum Principum*. Tamquam Imperatoris, sive Regis Italiæ Vicarius in ea Urbe atque adjacentibus dominabatur, ac *tributa* percipiebat. Verùm quid non potest humanarum rerum fluxa conditio? Non hæc solùm dignitas, sed ejus etiam nomen Sæculo Christi Duodecimo penitus ex Italico Regno evanuit: quod tamen de *Comite Palatii Ticinensis* dumtaxat dictum volo. Etenim nomen, & aliqualis etiam splendor transiit ad aliam speciem *Palatinorum Comitum*, quos subinde in Italiam invectos novimus. Uti enim in Germania præter celeberrimum Regalis Palatii Comitem, qui nunc *Comes Palatinus Rheni* appellatur, illustremque adhuc locum tenet inter sacri Romani Imperii Electores, invaluerunt in ea Provincia quidam alii *Palatini Comites*, ejusmodi titulo alicui regioni præfecti: ita & apud Italos factum fuit. Etenim in Regno Apuliæ, nunc Neapolis, sub Principibus Normannis multo in honore fuerunt *Comites Lauretelli*, simul appellati *Comites Palatini*, quorum munus subsequutis temporibus excidit. Vidit & Tuscia suum Palatinum Comitem Sæculo Christi Tertiodecimo. In Charta Anni MCCLXIX. apud Ughellium Ital. Sacr. Tom. 3. pag. 818. & 824. occurrit mentio *Aldobrandini de Soana, Dei providentiâ in Tuscia Comitis Palatini*. Idem infra hunc titulum præfert: *Ego Ildebrandinus Comes Dei gratiâ Palatinus, filius quondam bonæ memoriæ Comitis Willelmi Thusciæ Comitis Palatini*. Ejus autem filia in aliis tabulis scriptis Anno MCCLXXXVI. vocatur *Illustris & egregia Domina Marghարita Comitissa in Thuscia Palatina*. Hildebrandini nuper memorati Familia inter præclarissimas potentesque Etruriæ numerabatur, quippe dominans Civitati Rosellensi, nunc Grossetanæ, aliisque Oppidis. Atque ad ipsam referendum esse reor Hildebrandum ejusdem Hildebrandini fortassis Avum, cujus memoriam servarunt nobis antiquæ tabulæ in Archivo Hospitalis domus Sanctæ Mariæ Senensis, quas heic adjungere non inutile erit. Eas debeo Nobili Viro Huberto Benvoglienti Patritio Senensi, cujus etsi fato functi multiplicem eruditionem, & exquisitissimum in re literaria criterium, tum & singularem erga me benevolentiam, non semel grati animi caussâ commemorabo. Quippe is non hanc tantummodo Chartam, sed & alia non pauca veterum monumenta mihi suppeditavit, quibus in isto Opere suus erit locus.

## Charta Hildebrandi Comitis Palatini in Tuscia, qua Manto Guilielmi filio in feudum concedit Castrum Batiniani, Anno 1213.

HOc est exemplum cujusdam Instrumenti, sic incipientis. *In nomine Domini. Amen. Anno ejusdem MCCXIII. tertiodecimo Kalendas Octobris, Indictione II. Nos* Ildebrandus *Dei gratiâ* Comes Palatinus *quondam* Comitis Ildebrandi Palatini, *infeudamus, & in rectum feudum damus & tradimus tibi Manto quondam Guilielmi, tuisque heredibus in perpetuum, Castrum videlicet Batiniani, & Turrim, cum omnibus hominibus nostris presentibus & futuris, & cum ejus Curte & districtu, & cum universis terris, tenimentis & possessionibus, silvis & pascuis, paludibus & pratis, & cum omnibus rebus & bonis ad dictum Castrum & Curtem pertinentibus: & generaliter cum omnibus eorum pertinentiis, exceptâ Argenteriâ, quam in nostrum demanium reservamus; de qua Argenteria tantum tibi jam dicto Manto, tuisque heredibus, similiter jure recti feudi largimur, quantum Vicecomitatui inde pertinere posset. Quæ omnia vice recti feudi per nos & nostros heredes tibi jam dicto Manto & tuis heredibus largimur, & de prædictis omnibus & singulis vos investimus, & exinde vobis investituram facimus; ut deinceps habeatis ea integre, teneatis & possideatis, & quidquid vobis exinde placuerit, faciatis jure feudi. Et damus tibi potestatem ingrediendi & accipiendi possessionem omnium & singulorum; ut statim dictum Castrum & tenimentum & Curtem & omnia supradicta possideas. Promittimus insuper per nos & nostros heredes dictum Castrum & feudi dationem semper firmum & firmam tenere, & contra aliquo tempore non venire: nam prædicti feudi Investiturâ a te fidelitatem recepimus.*

*Actum est hoc apud Grossetum in Palatio Comitis supradicti, coram Ranerio quondam Ugonis de Vallecuriali, Pannocchio & Mangiante fratribus, testibus ad hæc rogatis & vocatis.*

*Ego Simon Imperialis Aulæ Notarius supradictis præsens assistens de mandato jam dicti Domini Comitis, quod supra legitur scripsi.*

*Ego Lecchavius auctoritate Imperiali Notarius, hoc exemplum simul cum originali, & infrascriptis Notariis vidi & legi & adscultavi, & quidquid in originali continebatur in hoc exemplo fideliter scriptum inveni, nihil addito vel diminuto, & ideo me subscripsi, & meum signum apposui.*

*Ego Petrus filius Ildibrandi Salvi auctoritate Im-*


*Imperiali Notarius hoc exemplum cum originali simul cum suprascripto & infrascripto Notario vidi, legi &c.*

*Ego Christophorus de Turre Maritime, Imperialis Aulæ Notarius cum supradictis Notariis vidi & legi & abscultavi hoc exemplum cum originali continebatur Instrumento, nihil addito &c.*

Accedat & Diploma Friderici II. Augusti eidem *Hildebrando* concessum, ubi enumerantur præcipui ejusdem Comitis Vassalli. Eductum fuit ex Archivo nuper laudati Nosocomii Senensis.

## Fridericus II. Romanorum Imperator Hildebrando Comiti Palatino de Tuscia, omnia illius jura confirmat, Anno 1221.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Fridericus Secundus, divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Sicilie. Justis fidelium postulationibus Imperialis clementia benevolum debet assensum impendere, & illos favorabili debet affectu prosequi, quos fidei puritas & grata servitia nobis exhibita plurimum recommendent. Ea propter notum facimus universis Imperii fidelibus tam presentibus quam futuris, quod nos respicientes ad puram fidem & sinceram devotionem, quam dilectus fidelis noster* Ildibrandus Comes Palatinus de Tuscia *ad nostram excellentiam habet fideliter & constanter: considerantes quoque preclara obsequia, que nobis & Imperio incessanter exhibuit, & in antea devotius exhibebit; volentes eidem Comiti pro meritis respondere, Civitatem suam Grosseti, & universos Cives ejusdem cum omnibus bonis suis, quæ nunc possident, & in antea possidebunt, nec non infrascriptas personas, quas propriis nominibus duximus inferius denotandas: videlicet* Panogliam & Manglantem Comites, *cum illis de Domo sua, Ugonem de Valcortese & fratres suos, Ugotionem de Saxoforti & fratres ejus, Panfolliam de Collis, Gerardum de Vignali & Gualfredum fratrem ejus, Ranerium de Mendico & Guidonem fratrem ejus, Guidonem Vicecomitem de Montalto,* Mantum de Grosseto *& filios, Gerardum Bennardinum de Omazano,* Comites Gherardesco, *filios* Comitis Engerami de Biferno, *Ugolinum filium* Vicecomitis de Campilio, Bonifacium Comitem de Civitella *& illos de Domo sua, Gregorium de Sancto Geminiano, Cacciacomitem de Collis & fratres ejus, Ranaldum de Collis & illos de Domo sua, Pennatum & illos de Domo sua, Vicedominos de Massa, Manetum de Scolari & fratres ejus, Anricum de Aritio & fratres ejus, & Bernardinum de Malliano, fideles nostros & Comitis memorati, cum omnibus suis Feudis, que ipsi a predicto Comite possident & recognoscunt, & que predecessores eorum a predecessoribus ejusdem Comitis possederunt & tenuerunt; nec non & cum aliis bonis suis stabilibus & mobilibus, sub nostra protectione speciali & defensione Imperii suscepimus, & eos ac heredes eorum demanio nostro proprio & Imperii recepimus perpetuo retinendos. Concedentes eisdem, suisque heredibus, ac Imperiali auctoritate ex certa scientia confirmantes omnes terras, possessiones, tenimenta, & bona omnia stabilia & mobilia, que nunc possident, & in posterum dante Domino poterunt adipisci. Statuimus igitur, & Imperiali edicto firmiter sancimus, ut de cetero nulla Civitas, nullum Commune, nullus Comes, Vicecomes, & nulla unquam persona magna vel parva, Ecclesiastica vel Secularis, predictos fideles nostros & Comitis pretaxati, vel eorum heredes, Civitatem etiam prefatam, & Cives ejusdem, contra hujus nostre protectionis & confirmationis paginam audeant molestari vel modo aliquo ....... sed sub nostra protectione & defensione, & demanio nostro & Imperii, liberi & quieti consistant. Quicunque autem contra banc nostram protectionem & confirmationem venire presumpserit, indignationem nostram se noverit graviter incursurum, & pro pena centum Libras auri optimi compositurum, medietatem quidem Camere nostre, aliam medietatem injuriam passis. Ut autem hec nostra concessio & confirmatio robur obtineat perpetuum, & inviolabile firmamentum, presens Privilegium scribi, & Sigillo nostre Celsitudinis jussimus inferius roborari. Hujus rei testes sunt Gualterius Cataniensis Episcopus Regni Sicilie Cancellarius, Berardus Panormitanus Episcopus, Berardus Tarentinus Episcopus, Messanensis Archiepiscopus Nicholaus, Duipaldus Marchio de Hoburg, Ranaldus Dux Spoleti, Anselmus de Justigen Marescalchus, Conradus de Verda Camerarius, Fridigus de Stoph Pincerna.*

*Signum Domini Friderici*  *invictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti & Regis Sicilie.*

*Dat. apud Messanam, Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXI. mense Madii, Indictione IX. Regnante Domno Friderico Romanorum Imperatore glorioso semper Augusto & Rege Siciliæ, Anno Regni ejus in Germania IX. XXIII. Imperii verò ejus Anno Primo, feliciter. Amen.*

*Ego Christophorus de Turre Maritime Imperiali auctoritate Notarius, viso Instrumento originali, viso etiam exemplo presenti ex prædicto originali Instrumento extracto, ita quod nihil erat additum vel diminutum, unde verus sensus mutari possit, coram testibus infrascriptis tam originale predictum pendente Sigillo Domini Friderigi Serenissimi Imperatoris semper Augusti, quàm presens exemplum diligenter legi & abscultavi, ideoque meum signum apposui.*

*Ego Guilielmus de Adria Civis Grossetanus, Imperii Judex ordinarius, viso originali &c.*

*Ego Benectuccius de Grossetto, auctoritate Imperiali Notarius, viso originali Privilegio &c.*

*Ego Lotharius, auctoritate Imperiali Notarius hoc exemplum Privilegii, Sigillo pendente cere Domini nostri Serenissimi Friderici II. Romanorum Imperatoris roborati, scripsi & publicavi, ut in originali privilegio predicto inveni, legi, & abscultavi cum prædictis Domino Gui-*

*Guilielmo Judice, Christophoro, & Benetuccio Notariis coram testibus Domno Bonizzo & Compagno Presbiteris Canonicis Grosseti, & Presbitero Johanne filio Domini Albertesschi de Silvis, Dicetule quondam Domini Ranuccini Tiezi de Grosseto &c. ad hæc rogatis & vocatis, sub Anno Domini MCCXLIX. Indictione VII. octavo Kalend. Maji, Grosseti in Ecclesia Majori.*

Me autem monuit prælaudatus Benvoglientus, Hildebrandi hujus posteros subsequuto tempore sub Familiæ *Aldobrandeschæ* nomine in Tuscia claruisse, diuque potentiam suam servasse. Ab *Hildebrando* quippe, qui vulgi sermone *Aldobrandus* appellabatur, processit Familiæ ejusmodi cognomen, uti ab *Oberto Obertenghi*, ab *Opizone Opizinghi*, aliaque id genus Familiarum agnomina prodiere. Neque in Aldobrandesca solùm progenie conclusum Tuscia vidit illustrem titulum *Comitis Palatini*. Numeratæ sunt in illa Provincia & aliæ tres præclaræ Familiæ eâdem dignitate insignitæ, nempe *Comites Guidones* (*Guidi* sermone Italico), quorum mentionem habet Nicolaus Episcopus Botrontinus in Relat. de Reb. gest. Henrici VII. Fratres quatuor nominat ille in Tuscia repertos, *Comitis* titulo illustres. *Isti omnes*, inquit, *dicuntur de Comitibus Guidonibus, & sunt Comites Palatini.* Horum diu potentia stetit, ut ex Tuscorum Historiis patet. Ejusmodi quoque titulo, ac munere functi sunt *Comites de Romania*, subdit idem Botrontinus, sed legendum puto *de Romena*. Vide Tomum X. Rer. Italicar. ubi ejusdem Botrontini Relationem evulgavi. Palatini quoque Comites appellati fuere *Alberti Comites de Prata*, quorum nonnullas Chartas suo loco proferam, & *Comites Venerosi*. Ad postremos hosce quod attinet, Lectorum judicio subjicere nunc mihi placet Chartam, ex Archivo ejusdem Nosocomii Senensis Sanctæ Mariæ della Scala depromtam: cujus veritatis vadem me statuere nolim.

## Concessio diversorum jurium facta Veneroso de Venerosis Comiti Palatino ab Henrico VI. Imperatore, Anno 1195.

*HEinricus divina favente clementia Romanorum Imperator & semper Augustus & Rex Sicilie. Dignum est & Imperiali glorie decorum, ut nostra liberalis munificentia quosque fideles nostros preveniat, eosque ultro spontaneos ad nutum sue voluntatis efficiat. Ea propter cognoscat tam presens etas Imperii fidelium . . . . . . successura posteritas, quod nos discreta circumspectione considerantes fidem ac sinceram dilectionem fidelis nostri* Venerosi *filii* Brandalixi Comitis Palatini de Venerosis *de Ripa Insule Suzarie & Bardine, & quarte partis totius Civitatis Verone, propter preclara servitia, que nobis & Imperio . . . . . . intrepide exhibuit, & in posterum creditur exhibiturus: Imperiali munificentia concedimus & confirmamus ipsi* Veneroso Comiti Palatino *ad honorem Militiæ pro se suisque filiis & heredibus in perpetuum per totum Romanum Imperium jure honorabilis Feudi & Investiture facultatem ac liberam potestatem ordinandi & faciendi filios legiptimos qui non sunt legiptimi, & filios adoptivos & Judices ordinarios & Notarios, & etiam accipere & elicere & extrahere duos homines condemnatos in persona & in pecunia, de banno & carceribus cujuslibet Communis, Civitatis, vel Castri ad volun. . . . . . . . . sui sine contradictione, vel molestatione alicujus persone, ubicumque fuerint per totum Romanum Imperium sine nostra, nostrorumque successorum, & aliquarum personarum contradictione, vel molestatione, Lege aliqua non obstante, & iis precipue, que legiptimari spurios nisi ex certa scientia non permitto. Ita quod quoscunque . . . . . . . . fecerint, possint succedere hereditati Patris, omni alii suo juri, tamquam veri & legiptimi Cives Romani, & omnia officia & judicatus & acta publica Contractus conscribere atque conficere, & omnia facere & exercere, que ad ipsa Tabellionatus & Judicatus officia de jure pertinere noscuntur, in quacunque . . . . . . . . parte fuerint Imperii memorati, sicut a nobis nostra largitate dicta officia obtinerent, ut de penna & calamario & judicatu possint & valeant investire eosdem, & a nostra Curia, ubicunque fuerint, in victu & vestitu & nutrimento alimonias pro se suisque successoribus & equis, quando sibi placuerit, condignis & sufficientibus accipere, & quadraginta Marchas boni & fini argenti omni anno pro adjuncta Feudi suprascripti. Confirmamus etiam omnia Privilegia a nostris predecessoribus eidem & antecessoribus suis jamdudum indulta. Statuimus itaque Imperiali auctoritate . . . . . . amus, ut ulla omnino persona alta vel humilis, Ecclesiastica vel Secularis, nullumque Commune, hoc nostre Majestatis Privilegium audeat violare, nec aliquibus calumpniarum injuriis seu dampni occasione, Constituti vel consuetudinis Statutis Civitatis attemptare presumat. Quod qui fecerit . . . . . . . . one temeritatis sue componat mille ducentas quinquaginta Libras puri auri, medietatem Fisco applicari, reliquam partem injuriam passis. Ad cujus rei certam in posterum evidentiam, presentem exinde paginam conscribi, & Majestatis nostre Sigillo jussimus communiri. Qui Venerosus de Venerosis de Ripa Insule Suzarie, & Bardine, Palatinus Comes in Lombardia dicto Domino Heinrico VI. Imperatori juravit fidelitatem contra omnem hominem de Mundo, excepto Dominum Papam & Ecclesiam Romanam, secundùm quod in Capitulis fidelitatis in omnibus & per omnia continetur, corporaliter ab ipso prestito sacramento, eidem delato per me Conradum Imperialis Aulæ Cancellarium vice Domini Odulphii Coloniensis Archiepiscopi, totius Ytalie Archicancellarii infrascripti. Hujus rei testes sunt Guilielmus Ravennatis Ecclesie Archiepiscopus, Bernardus Faventinus Episcopus, Robertus Comes de Strigunt, Lombardus Comes, Azo Marchio Estensis, Ugo Comes Lavanie, Robertus de Urcia, Henricus Marescallus de . . . . . . Ald . . . . . . Ubertanus Episcopus, Golfredus Comes de Saraponte, & alii quamplures.*

*Ego Coradus Imperialis Aulæ Cancellarius vicedomini Odulphii Coloniensis Archiepiscopi totius Ytalie Archicancellarii.*

*Signum manus Heinrici VI. Imperatoris Romanorum invictissimi.*

*Acta sunt hec Anno Domini MCLXXXXV. Indictione XIII. Regnante Domino Heinrico VI. Ro-*

*Romanorum Imperatore gloriosissimo*, *Anno Regni ejus XXVI. Imperii vero V. & Regni Siciliæ I.*

*Datum Placentiæ IV. Kalendas Junii* .

Nonnulla heic se offerunt , quæ cauto judici negotium facessere posse videntur , qualia sunt appellatio illa , sive cognomentum tam affabre conceptum *Venerosi de Venerosis* : tum additamentum *de Ripa Insulæ Suzariæ & Bardinæ, & quartæ partis totius Civitatis Veronæ*; quæ verba , si fortè de jurisdictione sive dominatione in Civitatem Veronensem , amplissimam Venetiæ Urbem , agatur , cum fide Historiæ numquam concilies . Neque enim unquam Verona in feudum aut allodium cuiquam ab Augustis concessa fuit , ita ut more Castellorum ejus ditio inter filios divideretur; præterquamquod uni Comites de Sancto Bonifacio tunc de ejus Urbis Comitatu ab Augustis investiebantur, ut alibi ostendi, quamquam is titulus nudus foret , Veronensibus sua jam libertate potitis . Reliqua dimitto , quæ alicui fortasse suspicionem falsi ingerent, quamquam noverim, exstare Chartas , in quibus eadem res confirmari videtur . Una præter alias Ferrariæ adservatur data Anno MCCXC. in qua *nobilis*, *magnificus* , *& commendabilis vir Dominus Bartholotus de Venerosis*, *filius quondam Domini Petri Venerosi Comitis Palatini de Ripa* &c. Is ibi Notarium quemdam creat . Ex quo intelligis , quàm vetustum sit Privilegium illud . Et sane alios quoque antiquos Scriptores me videre memini, deferentes tam nobile jus Venerosæ genti . Verùm ne sic quidem dubitationi omni fundamenta subtrahuntur . Quod tamen heic præsertim animadvertas velim, Comiti huic Palatino conceditur facultas *faciendi filios legitimos* , *& filios adoptivos* , *& Judices ordinarios* , *& Notarios* . Nam quod est ad potestatem *extrahendi è banno*, *& carceribus cujuslibet Communis* , *Civitatis*, *vel Castri* , *duos homines condemnatos* , hæc sane incredibilia videantur . Superiora, inquam, verba tantummodo, etsi in monumento dubio , nobis describunt jus , quod posteriorum temporum Cæsares revera contulere *Comitibus Palatinis* , quorum numerum mira prodigalitate, cogendæ videlicet pecuniæ gratiâ , auxerunt , Romanis etiam Pontificibus in ejusmodi privilegiorum largitione certantibus cum Augustis, nisi quod discrimen statuendum est inter *Comites Palatii*, sive *Palatinos*, & *Comites sacri Lateranensis Palatii* . Gamurrinus in Histor. Genealog. Tusciæ ( Auctor alioqui nec satis emunctæ naris, nec satis certæ fidei, quales plerumque fuere, qui olim hisce studiis dediti, lucrum sibi & gratiam potius quàm celebritatem nominis conquirebant ) nonnulla id genus Privilegia refert , ac præsertim Tom. 2. pag. 330. concessum Anno MCCCLV. à Carolo IV. Imperatore , Francisco de Antelminellis Lucensi , quo illum ejusque heredes constituit *Comites sacri Palatii* , *& Imperialis Aulæ* , addita facultate legitimandi nothos ac spurios, & creandi Judices atque Notarios . Alterum simile refert Du-Cangius in Glossario Latino concessum ab eodem Carolo Augusto Anno MCCCLXX. Amizino de Bozullis . Quod etiam mirere , ejusmodi Comites vel in ipsorum Cæsarum Privilegiis hoc titulo ornantur *Sacri Lateranensis Palatii Comites* , aut *Sacri nostri Lateranensis Palatii* , *& Aulæ nostræ Romanæ Comites* . Sunt & Mutinæ apud quosdam Nobiles Cives ejusmodi Privilegia . Erunt , ut puto , in aliis quoque Urbibus . Sed præ cæteris in hoc dignitatis genere celebris est Castruccius de Antelminellis Dux Lucæ , quippe qui sine dubitatione Anno MCCCXXVIII. renuntiatus est Romæ à Ludovico Bavaro *Comes Palatii Lateranensis* , peculiari Privilegio , quod jam editum est, & cujus mentionem quoque fecit Johannes Villanius in Chronicis Italicis Lib. X. Cap. 56. Ceterum illi singulares quasdam prærogativas , diversas ab hactenus enumeratis , elargitus est Bavarus , puta adstandi Augustorum coronationi , ipsamque Imperialem Coronam in ejusmodi celebritate gestandi , atque alia id genus magnifica munera . Hæc autem de *Comitibus Palatii* edisseruisse sufficiat . Neque mihi ignotum , Thomæ Reinesii viri doctissimi Opusculum Anno 1679. prodiisse cum hocce titulo : *Commentatio de Palatio Lateranensi, ejusque Comitiva* . *Accedit Georgii Schubarti exercitatio Comitibus Palatinis Cæsareis* . Sed hunc Librum nondum legere mihi datum est , neque vacat altius inquirere in colluviem Comitum Palatinorum , quos postrema Sæcula sine delectu , ac tamdem sine honore , pepererunt .

DE

# DE COMITIBUS
ET
# VICECOMITIBUS.
## DISSERTATIO OCTAVA.

# DISSERTATIO OCTAVA.

DE illustri *Comitum* munere jam nonnulla disserui in Antiquitat. Estens. Par. I. Cap. V. ibique palam feci, post declinationem Romani Imperii ipsos fuisse Præsides sive Rectores Urbium. Ipso autem florente Romanorum Imperio titulus *Comitis* in usu frequentissimo fuerat, quo variæ Dignitates, & publica munia significabantur, uti palam fit apud non paucos veterum Sæculorum Scriptores, ac præcipue in Notitia utriusque Imperii, quam suis Commentariis illustravit vir celebris Guido Pancirolius. Et profecto vel tunc præclariores ipsæ Præfecturæ sub titulo *Comitis* gerebantur; nullum tamen, quod sciam, Urbium Præsidem Sæcula illa ejusmodi appellatione donarunt. Itaque ad verum propius accedat, qui illius usum sub hac significatione tribuat Germaniæ Populis, hoc est Gothis, & præsertim Francis, in Galliam & Italiam progressis; iis quippe familiare fuit Latina voce *Comites* appellare suis Civitatibus Præfectos, quos Teutonicâ linguâ utentes *Graviones*, sive *Grafiones* nuncupabant. Ita ad Latinorum usum ii se se per hanc vocem accommodarunt: quod Cluverius animadvertit Lib. I. Cap. 48. German. antiqu. Illud vero nomen inde primo natum videtur, quòd Proceres Regi aut Duci in bello Comites essent, & præstantioribus militiæ muneribus fungerentur. Quum vero singulis postea Civitatibus præficeretur militarium turmarum caput, *Comitibus* Regis aut Ducis ejusmodi munus committebatur, qui sensim etiam civile regimen suscepere. Et sane duo præcipue hujusmodi *Comitum* munera fuere: unum videlicet justitiæ Populis ministrandæ, alterum militiæ sibi subjectæ, quando in bellum eundum erat, educendæ atque regendæ. Ad primum quod attinet, erat Comitum dirimere lites & caussas Populi, quam ob caussam *Mallos* & *Placita* statis diebus identidem celebrabant, hoc est publica Judicia instituebant, queis præerant ipsi una cum *Scabinis*, seu reliquis minoribus Judicibus, & juris peritis, ut audirent, perpenderent, & decreto suo componerent civiles controversias; sicuti & ipsorum fuit in scelestos perditosque homines secundum leges animadvertere. Proinde *Judices* etiam nuncupatos invenias. Cassiodorius Variar. Lib. 7. prodit, suo quoque tempore apud Gothos Italiâ potitos ejusmodi fuisse Comitum munus. Ad hæc Gregorius Turonensis in Vita Sancti Nicetii Cap. 8. Vit. Patr. ita scribit: *Vidi ego Basilium Presbyterum missum ab eo ad Armentarium Comitem, qui Lugdunensem Urbem his diebus potestate Judiciaria gubernabat*. Rursus, uti narrat idem Scriptor Histor. Francor. Lib. 6. Cap. 8. quum ad aures Sancti Eparchii circiter Annum DLX. rumor pervenisset, quemdam latronem ad patibulum trahi, continuo pietate ductus Vir Sanctus, *misit Monachum suum ad deprecandum Judicem, ut scilicet culpabilis ille vitæ concederetur*. Sed Plebe contra clamante non licuit Judici sententiam mutare, quamquam postea furcifer ille postremo supplicio mirum in modum ereptus fuit. Tunc ergo Sanctus Eparchius *Comitem arcessiri jubet, dicens*: „ Cur hodie induratus hominem, „ pro cujus vita rogaveram, non laxasti? „ *At ille*: „ Insurgente vulgo aliud facere non „ potui, timens super me seditionem moveri. „ Quibus ex verbis aperte intelligimus, non solùm quæ forent munia, sed etiam quanta auctoritas *Comitum*, quando vitam reis mortis donare poterant, simulque discimus, *Judicis* quoque nomen *Comitibus* adhæsisse. Propterea in Ripuariis Legibus à Dagoberto Rege circiter Annum DCXXX. evulgatis, Cap. 53. apud Lindenbrogium & Baluzium, *Judices Fiscales* appellantur etiam Comites. *Si quis Judicem Fiscalem, quem Comitem vocant, interfecerit, sexcentis solidis multetur*. Eâdem ratione in Capitularibus Regum Francorum edicitur, ut *Comites* probe *Legem teneant*, quo secundùm ipsam judicare possint: ut *justitiam ament*, ac sine mora faciant: singulis idcirco mensibus *Placita peragant*, in quibus potissimum cordi habeant negotia Pauperum: & præ ceteris caussas expediant Pupillorum, Orphanorum, atque Viduarum. In habendis autem Placitis unicuique Comitum adstare debuit semper ejus Notarius, simulque assidere minores Judices, ut eorum consilio tutius decernerentur controversiæ. Addebatur etiam singularis, eaque lepida conditio illorum judiciis, nempe ut nonnisi à *jejunis* celebrari possent, quo præcaverentur ventris pleni, sive, ut rotunde loquar, ebrietatis malesana consilia in tractandis justitiæ lancibus. Nimirum vel tunc Populis, è Germania præcipue egressis, grandes cyathi in deliciis erant, & rara in potantibus temperantia. Nonnulla ex his Placitis, sive publicis Judiciis evulgata leguntur ab Eruditis; eaque inter veterum Chartas, quod plerumque eruditionem plus juvent, majori studio me conquisita fuerunt. Quamobrem quæcumque ego potui, congessi, eaque in hoc Opere producam. Unum interea exemplum accipiant Lectores, nempe Judicatum, quod olim Veronæ descripsi ex antiquo apographo existente apud Monachos Olivetanos Sanctæ Mariæ ad Organum.

## Placitum à Bonifacio Comite Veronæ habitum in Burgo Illæ, in quo Regium patrocinium conceditur rebus Monasterii Veronensis Sanctæ Mariæ ad Organum, Anno 1073.

D*Um in Dei nomine in Comitatu Veronense in Vico Illas, in Curte Prote propria Inverardo, per ejus data licentia in judicio resideret* Domnus Bonefacius Comes istius Comitatus Veronensis *ad singulorum hominum justicias faciendas ac deliberandas; adessent cum eo Gauselmo, & Dodo Judices, adque Johannes Grammatico & Juris prudens, Azo filio, seu Ticho, Lanzo, & Ozo, adque Thedaldo, seu Johannes Milites de suprascripto Comitatus, Martino, & Zeno, & Laurencio, & aliis plures. Ibique eorum bonorum hominum presencia venerunt Arichelmus Presbiter & Monachus, & Cresencio Clerico una cum Rustico Avocatus eorum, & Misi* Domno Martino Abbas da pars Monasterii Sancte Marie de Organo, *& retulit & cepit dicere*: Petimus ad vos, Domnus Bonefacius Comes, propter Deum & animæ Domni Imperatori, ac vestram mercedem, ut mittatis bannum super nos, & super omnibus cunctis casis & rebus, que suprascripto Domnus Martino Abbas habuit & tenuit da pars predicto Monasterio in suprascripto Comitatu, & in suprascripto Illas, & in eorum territoriis, per certis locis, ut nullus quislibet omo disvestire aut inquietare vel molestare audeat sine legali judicio. *Et cum ipse Arichelmus Monachus & Cresencio Clerico, una cum Rustico Avocatus eorum taliter retulisset, & ad hec recordatus est jam dictus Bonefacius Comes, per fuste, quas in manu sua tenebat, misit bannum super eumdem Arichelmum Monachum & Cresencio Clerico & Rustico Avocatus eorum, & super jam dictas casas & omnibus rebus, que suprascripto Monasterio habuit & tenuit in suprascripto Comitatu, servis & ancillis, & in eorum territoriis locis, in Mancosos aureos duo mille, nullus quislibet omo disvestire audeat sine legali judicio. Qui vero hoc fecerit, predicto duo mille Mancosos aureos se conpositurus agnoscat, medietatem parti Camere Domni Regi, & medietatem ad pars suprascripto Monasterio ad suprascriptus Domnus Martino Abbas & ad suis supcessoriis. Finita est causa, & hac noticia pro securitate predicto Monasterio fieri amonuerunt.*

*Quidem & ego Johannes Notarius ex jussione suprascripto Comitis, & Judicum amonicione scripsi, Anni ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MLXXIII. Decimo die mensis Octubris, Indicione Duodecima feliciter.*

Videsis imploratum heic à Monachis, sive à Missis Martini Abbatis, justitiæ præsidium *propter Deum, & animæ Domni Imperatoris*, quum tamen Henricus IV. Germaniæ ac Italiæ Rex nondum Imperialis dignitatis infulas & nomen assumsisset, immo quum in ipsa pergamena diserte mentio fiat *Cameræ Domni Regis*. Notariis parum delicatis, parumque accuratis id tribuendum, quibus veteres phrases sive formulæ vel nolentibus excidebant è calamo. Contra aliis in locis nobis occurrent inscripti tantùm Reges, qui tamen jam Imperatorio titulo fuerant aucti. Ceterum plura mihi persuadent, *Bonifacium* hunc *Veronæ Comitem* recensendum esse inter Majores egregiæ Familiæ Comitum Sancti Bonifacii, quæ proxime subsequutis Sæculis tum ex arcta animorum conjunctione cum Atestinis Principibus, tum ex rebus fortiter gestis, diuque servatâ potentiâ, magnum sibi nomen in Italico Regno peperit, uti per me quoque indicatum fuit in Par. I. Antiquit. Estens., & supra innui in Dissertat. VI. *de Marchionibus*. Atque heic petere quisquam posset, cur in Legibus Langobardorum Regum nusquam memoretur *Comes* aliquis, quum tamen toties mentio recurrat illic Ministrorum justitiæ. Eos ne ipse quidem Paullus Diaconus memorare consuevit in Historia sua. Nonne & sub Regibus Langobardis in usu fuit nomen ac dignitas *Comitum*? Responsum hoc habeant. Familiare fuit non secus Langobardis ac Francis *Comitum* munus; verùm apud illos plerumque appellare mos fuit *Judices*, non verò *Comites*. Est nobis vetustissimus in hanc rem testis & fide omnino dignus, quia Italus & Langobardorum æqualis, Gregorium Magnum intelligo Pontificem Maximum, qui Lib. 4. Ind. 12. in Epistola 47. edition. Benedictin. ad Sabinianum Diaconum Apocrisarium suum Constantinopoli celeberrima illa verba scribit: *Si ego in morte Langobardorum me miscere voluissem, hodie Langobardorum gens nec Reges, nec Duces, nec Comites haberet, atque esset in summa confusione divisa*. Paullus quoque Diaconus Lib. III. Cap. IX. *Comitem Langobardorum Anagnim* commemorat. Erant ergo & Langobardis sui *Comites*: immo eorum quoque mentionem fecere nonnulli ex ipsis Regibus Langobardis, uti varia illorum Diplomata ab Ughellio, Margarino, & Campio evulgata testantur, in quibus hæc formula occurrit: *Præcipientes omnibus Ducibus, Comitibus, Gastaldiis, vel Actionariis nostris &c.* Sive hæc altera: *Ut nullus Dux, Comes, Gastaldius, vel Actionarius noster &c.* Sub *Comitum* nomine Rectores Urbium significari prorsus credendum est. Nullum in iis formulis de *Judicibus* verbum, quandoquidem appellatione *Comitum* designabantur.

Alterum *Comitum* munus situm erat in Præfectura Militiæ, quam pro sua quisque regione, & belli necessitate regebat. In eo tamen officio pendebant ipsi à superiori imperio *Ducis* alicujus. Legatur Edictum Ludovici Pii Imperatoris datum Anno DCCCXV. apud Baluzium in Capitularib. Reg. Francor. Tom. I. pag. 549. Præcipit ille, ut Hispani, *sicut ceteri* liberi homines, cum *Comite* suo *in exercitum pergant*. In altero Capitulari Caroli Magni spectante ad Annum DCCCXII. mandatur, ut *Comites* ad exercitum proficiscentes neminem à militia immunem relinquant, duobus exceptis, aut quatuor; *Ceteros vero omnes secum pleniter habeant*. Atque hinc caussam intelligimus, quare Bonifacius II. uti videtur, Dux Tusciæ, & Corsicæ Præfectus, quum Anno DCCCXXVIII. expeditionem in Africam suscepit, *Tusciæ Comites* secum adduxerit. *Bonifacius Comes* (ita in Annalibus Eginharti) *assumto secum fratre Berethario, & aliis quibusdam Comitibus de Tuscia &c. in Aphricam trajecit*. Similia animadvertas in Lege LVI. inter Langobardicas Lotharii I. Imperatoris, ubi hæc verba: *Postquam*

*quam Comes, & pagenses, de qualibet expeditione hostili reversi fuerint, ex ea die per XL. noctes sit bannum rescissum.* Consulamus nunc Regum Langobardorum Leges. Inter eas Lex XXIX. Liutprandi Regis Lib. VI. præscribit *Judicibus*, quot homines & equos in servitium suum adducere debeant, *quando in exercitu ambulandi necessitas fuerit.* Nimirum licebat unicuique *Judici* sex homines dimittere domi, eorum vero equis ad sua commoda uti. *Et tollant ad saumas suas ipsos Caballos sex.* Italicæ vocis *Soma* originem heic intuere. De reliquis hominibus equo carentibus decem tantum immunes à militia dimitti poterant, qui *ad ipsum Judicem faciant per hebdomadam unam operas tres, usque dum ipse Judex de exercitu revertatur.* Lex ista alteri similis est, quam nuper memoravimus. Heic autem *Judex* idem sonat atque ibi *Comes*; utroque verò nomine indicabatur Civitatum Præses. Ex Comitibus hisce, eorumque ditione nata est vox *Comitatus*, nobis *Contado*, significans universum territorium, Villas, Castella, ac Oppida, Comitis regimini atque auctoritati subjecta; ac proinde ager Urbis cujuscumque appellatus est *Comitatus*, quod Comiti regenti Urbem obtemperaret. Neque enim ex *Comitatu* nomen suum accepere *Comites*, ut quidam opinantur; sed *Comites* agro, cui imperabant, nomen dedere. Ægidius Menagius in Origin. Linguæ Italicæ, hujus vocis Etymologiam investigans, hæc scribit: *Contado. Campagna intorno alla Città, nella qual si contengono i Villagi e le Possessioni. Da Contractus, sottintendendo Pagus, locus, o qualche cotal cosa. Contractus, Contratus, Contradus [onde Contrada] Contrado, Contado.* Mirum est, quei vir tantæ eruditionis, adeoque felix in perscrutandis aliis Etymologiis, rem ante oculos positam non viderit, atque alienam ejus loco elegerit. Non à *Contractus* originem ducit vox *Contado*, sed quidem, ut ajebam, à *Comitatu*, *Comitato*, *Contato*, *Contado*; uti ex *Comite* Italis efformata est vox *Conte*. Ratione simili ex *Computus* breviato, *Computo*, *Compto*, *Comto*, effluxit Italica vox *Conto*. Lubet autem adjicere Formulam, qua olim Comites, aliique Populorum Rectores à Francis Regibus creabantur, quando eam nobis servavit Marculfus Lib. I. Formularum apud Baluzium Cap. 8. Tom. 2. Capitular. Reg. Francor.

## Charta de Ducatu, Patritiatu, vel Comitatu.

*Præspicue Regalis in hoc perfecta conlaudatur clementia, ut inter cuncto Populo bonitas & vigilantia requiratur personarum; nec facile cuilibet Judiciariam convenit committere Dignitatem, nisi prius fides, seu strenuitas videatur esse probata. Ergo dum & fidem & utilitatem tuam videmur habere compertam, ideo tibi actionem* Comitatus, *Ducatus, ac Patritiatus in pago illo, quem antecessor tuus ille usque nunc visus est egisse, tibi ad agendum regendumque commisimus; ita ut semper erga regimine nostro fidem inlibatam custodias, & omnis Populus ibidem commanentes, tam Franci, Romani, Burgundiones, quàm reliquas nationes sub tuo regimine & gubernatione degant & moderentur, & eos recto tramite secundùm legem & consuetudinem eorum regas, viduis & pupillis maximus defensor appareas, latronum & malefactorum scelera a te severissime reprimantur, ut Populi bene viventes sub tuo regimine gaudentes debeant consistere quieti; & quicquid de ipsa actione in Fisci ditionibus speratur, per temetipsum annis singulis nostris ærariis inferatur.*

Insignem olim fuisse dignitatem *Comitum*, ipsosque inter *Principes* adnumeratos, jam ostendi Par. I. Antiquitat. Estens. Cap. V. Hincmarus Remensis Archiepiscopus in Epistol. de Ordin. Palatii Cap. 35. *Similiter*, inquit, *Comites, vel hujusmodi Principes honorificabiliter à cetera multitudine primo mane segregabantur, quousque sive præsente, sive absente Rege, occurrerent &c.* Atque id etiam inde argui potest, quod & ipsi ad electionem Regum convenirent, suisque suffragiis non secus ac Duces, Marchiones, & Episcopi, supremum Regni Dominum deligerent. Et quidem præesse ac imperare uni Urbi, ejusque agro (cui propterea nomen etiam inditum fuit *Districtus*, quod nempe *Comitis districtioni*, sive politico regimini ac punitioni suberat), & imperare auctoritate amplâ, longeque diversâ ab illâ, quam exercebant Judices pedanei: illustre Comitum decus fuit. Quod tamen eorum Dignitatem præclariorem effecit, quamquam *Comitis* munus antiquis temporibus non Beneficium foret, seu ut nunc dicimus Feudum, quo Comites fruerentur; sed quidem Præfectura à nutu Principis pendens: attamen Præfectura ejusmodi stabilis & tunc esse consuevit, & plerumque nonnisi cum vita ponebatur. Qui semel *Comes* constituebatur, fere semper Civitatem sibi commissam eo titulo regebat ad postremum usque anhelitum, nisi ad majores gradus proveheretur. Immo & sensim invecta est consuetudo, ut Filii quoque Patri Comiti in eodem munere succederent. Cujus rei exempla jam producta in memoratis Antiquitatibus Estensibus, auctoritatem ac potentiam Comitum eo magis spectabilem atque invidendam effecere. Si qui ergo Comites occurrunt è loco antiquitus dejecti, opinari non injuriâ licet, id muneris iis ereptum ob aliquod crimen, sive ob gravem quampiam caussam, quum nunc etiam Vassallum è Feudo cadere posse videamus, quamquam ex Feudorum legibus minora Vassallo pericula nunc immineant, quàm antiquis Magistratibus. Exemplum abrogati Comitatus dabo, quod mihi suppeditavit nobile Tabularium Archiepiscopii Lucensis, ubi vetustum apographum adservatur. Est autem hujusmodi.

Char-

## Charta Ambrosii Episcopi Lucensis, qua Agano olim Comiti, titulo emphiteusis concedit Ecclesiam S. Michaëlis, Anno 845.

*IN Dei nomine. Regnante Domno nostro Lothario Imperatore Augusto: Anno Christo propitio Imperii ejus, postquam in Italia ingressus est, Vigesimo Quarto, IV. Nonas Decembris, Indictione IX. Manifestus sum ego* Aganus olim Comes, *filius quondam Gunteram, quia tu* Ambrosius *gratia Dei* Episcopus *hujus Sanctæ* Lucane Ecclesie *per Cartulam usque in annos quinque expletos proximos venturos ad Censum persolvendum dedisti mihi, idest Ecclesia beati Michaëlis Arcangelis sita infra Civitate ista Lucense, ubi dicitur Foro, pertenens Episcopatui vestro Sancti Martini. Jam dicta Ecclesia Sancti Michaëlis una cum casis domnicatis, seu massariciis, cum terris &c. tali ordine, ut usque in suprascripti quinque anni expleti in mea & Teutberghe Uxori mee sint & permaneant potestatem abendi, possidendi, meliorandi, & usufructuandi, ita ut melioretur & non pejoretur. Officium Dei, & luminaria pro nostra dispositione in eadem Ecclesia fieri debeat recto moderamine. Et tibi & successoribus tuis exinde usque tunc per singulos annos in Mense Octuber hic Luca in domus Episcoporum per nos, aut per Misso nostro, pro omni censu & justitia reddere debeamus argentum solidos viginti bonos denarios bene expendibiles, duodecim denarios per singulos soledos rationatos. Licentiam abeatis in superscripta Ecclesia in festivitatibus ejus cum Sacerdotibus vestris venire, & ibi officium adimplere, sicut mos est, & mansiones faciendi, si utilitas fuerit, tam vos quam ex amicis vestris; sic tamen omines abitantes in casis eidem Ecclesie, si vobis fuerit utilitas, tunc nos vel Misso nostro ad mandato vestro venire faciamus hic Luca, legem & justitiam faciendum. Et si à nos vobis hec omnia superscripta capitula sic non fuerint adimpleta & conserbata, qualiter superius legitur, aut nos jam dicta Ecclesie & casis & rebus ejus, quam mihi dedisti, relaxare, vel pejorare quesierimus ante suprascripto constituto, promitto me ego que supra Agano componere tibi Ambrosio Episcopo, vel ad successoribus tuis penam argentum solidos mille: quia taliter inter nos convenit. Et duas inter nos Cartulas Petrum Clericum Notarium scribere rogavimus.*

*Actum Luca.*

*Signum manus Agani, qui hanc Cartula fieri rogavit.*

*Ego Sigifredus Episcopus in hoc libello rogatus ab Aganone subscripsi.*

*Ego Ansiprandus rogatus ab Hagano me teste subscripsi.*

*Ego Petrus Clericus Notarius post tradita complevi & dedi.*

Franciscus Maria Florentinius Vir doctissimus arbitratur, *Aganum* hunc non modò fuisse *Comitem Lucæ*, sed & *Marchionem Tusciæ*, atque in monument. Mathildæ Comitissæ Lib. 3. pag. 16. nonnulla de eo refert rudera antiquitatis, spectantia ad annum DCCCXXXVIII. & DCCCXL. Eidem se in ejusmodi sententia adjunxit Cosmus de Arena in Serie Ducum Tusciæ. Ego in ea opinione sum, ipsum tantummodo egisse Comitem Lucæ. *Per Aghanum Comitem ipsius Civitatis* habet Charta ab eodem Florentinio indicata. Neque verò quod iis temporibus *Comitem Lucæ* reperiamus, continuò inferre licet, eumdem quoque præfuisse Marchiæ Etruscæ. Ad Annum DCCCLVII. occurrit nobis *Hildeprandus Lucæ Comes*: & nihilo secius tunc Tusciam regebat *Adelbertus I. Marchio*. Atqui heic cernimus *Aganum olim Comitem* adhuc viventem: ergo aliquâ de caussâ ex ea dignitate aut sponte aut coactus recesserat. Id tamen raro factum: immo parentes Comites, uti supra monui, filios quoque in hujusmodi munere successores habere consueverunt: cujus moris illustre exemplum prostat in Majoribus celeberrimæ Comitissæ Mathildis. Ejusdem Proavus in Charta, quam evulgavit Bacchinius in Historia Monaster. Padolironens. pag. 12. Appendic. ita inscriptus fuit Anno DCCCCLXVII. *Adalbertus qui & Atto gratia Dei Comes Mutinensis*: quare intelligis, eidem Mutinensis Urbis regimen fuisse commissum. Immo eodem tempore, ac raro privilegio, Regiensi etiam Urbi titulo *Comitis* imperabat, uti exploratum habemus ex Tom. V. pag. 1582. Ital. Sacr. Ughellii, ubi exhibetur Diploma Ottonis I. Augusti, spectans ad Annum DCCCCLXIV. & concessum *interventu & petitione Adelberti incliti Comitis Regiensis sive Motinensis*. Adalberto sive Alberto Attoni Comiti, qui titulo quoque *Marchionis* ornatus deprehenditur in Chartis Tedaldi ejus filii, successor fuit idem *Tedaldus Marchio*, titulo *Comitis* ornatus, in regimine ac denominatione Civitatis *Regiensis*. Id nemo hucusque animadverterat. Sed nunc perspicient Lectores ex Placito, quod ille habuit in Castello Carpi, tunc ad Comitatum Regii spectante, assidentibus ei Totone Misso Ottonis III. Imperatoris, & Bonifacio ipsius Tedaldi filio, Mathildæ Comitissæ postea patre. En igitur pergamena hujus rei testis, educta ex Tabulario Monachorum Casinensium Sancti Petri Regiensis.

Pla-

# Placitum in Castro Carpi coram Teudaldo Marchione & Comite Regiensi habitum, in quo Berta Abbatissa Monasterii Brixiani Sancti Salvatoris & Sanctæ Juliæ evincit quosdam agros contra Farlindam, quæ & Berta, filiam quondam Bruningi, Anno 1001.

D*Um in Dei nomine*, *Comitatu Regense infra Castro*, *locus*, *qui Carpo dicitur*, *quod* Teudaldus Marchio & Comes istius Regensis Comitatus *detinet*, *in quadam mansione ipsius Castri*, *ubi ipse in judicio residebat*, *unicuique justicias faciendas & deliberandas*, *adesset ibi cum eo* Tuto Comes *Missus Domni Ottoni Imperatoris*, Bonefacius filio eidem Teudaldi Marchio, *Stabilis*, *Baterius*, *Petrus*, *Nozo*, *Teuzo*, *Judices sacri Palatii*, *Ragimundus filio quondam Giselberti*, *Sigefredus de Leviciano*, *Ugo de Modelena*, *Dodo de Comitatu Aucensis*, *Adebertus de Gurgo*, *Teuzo*, *& Elinardus de Comitatu Parmensis*, *Richelmus de Comitatu Brisiense*, *Wilimus de Comitatu Bergomense*, *& reliqui plures*: *Ibique eorum veniens presentia* Domna Berta Abbatissa Monasterio Domini Salvatoris & Sancte Julie, *que dicitur Novo*, *situs* infra Civitate Brisia, *una simul cum Adrevertus filius quondam Petri de loco*, *qui dicitur Miliarina*, *& est ipsius Monasterio Avocatus*, *& retulerunt*: „ Abemus & detinemus ad jure & „ proprietate ipsius Monesterii petia una de „ terra cum in parte Silva supra se, & runco„ ras se simul tenente, quibus esse videntur in „ loco & fundo Runcolo, non multum lon„ ge à Castro, & predicta Curte Miliarina, „ quod est pecia ipsa de terra cum predicta „ Silva & runcoras per mensura justa juges „ sexcenti undecim. Coëret ei da mane & de „ subtus terra & Silva predicti Monesterii, „ quod nos ante os dies & moderno tempore „ à parte ipsius Monesterii abemus & detine„ mus: da Meridie terra Farlinde, que & Ber„ ta, filia quondam Bruningi, que est per „ mensura juges octuaginta & novem, percur„ rente Fingadida & fossato, quod decernit „ inter fines de Campaniola, & predicta terra „ & Silva de Viniolo. Et si quislibet homo „ adversus nos exinde aliquit dicere vult, pa„ rati sumus cum eo exinde in racione stan„ dum, & legiptime finiendum. Et quod plus „ est, querimus ut dicat ista supradicta Farlin„ da una cum Ricardus Tutorem suum, qui „ per jussionem ipsius Marchioni Tutor efiste„ bat, qui hic à presens sunt, si jam dicta „ pecia de terra cum predicta Silva super aben„ te, & runcoras se simul tenente, nobis aut „ pars ipsius Monesterii contradicere querit, „ aut si propria ipsius Monesterii est aut esse „ debet cum Lege, an non? *Cum ipsa Domna Berta Abbatissa, & Adrevertus ejus & ipsius Monesterii Avocatus taliter retulisset*, *respondens ipsa Farlinda cum eumdem Richardus Actorem suum dixerunt & professi sunt*: „ Vere „ jam dicta pecia de terra cum predicta Silva „ super abente, & runcoras se simul tenente, „ quam vos ipsa Domna Berta & Adrevertus „ tuus, & ipsius Monesterio Avocatus hic de„ nominatis, vobis nec pars ipsius Monesterii „ non contradicimus, nec contradicere queri„ mus, quia cum Lege non possemus, ex quod „ ipsius Monesterii est & esse debet, & cum „ Lege; & nobis ad abendum, & requiren„ dum nichil pertinet, nec pertinere debet „ cum Lege, pro eo quod exinde nullum „ scriptum, nullam firmitatem, nullamque „ racione inde non abemus, nec abere possu„ mus, per quam vobis, nec pars ipsius Mo„ nesterii jam dicta pecia de terra cum predi„ cta Silva super abente, & runcoras se simul „ tenente contradicere possamus; set ut dixi„ mus, propria ipsius Monesterii est, & esse „ debet cum Lege. *Et spoponderunt sese ipsa Farlinda*, *& Richardus Tutorem suum*, *ut si umquam in tempore de jam dicta pecia de terra cum predicta Silva*, *& runcoras se simul tenente adversus Domna Berta Abbatissa*, *& Adrevertus ejus*, *& ipsius Monesterii Avocatus*, *seu pars ipsius Monesterii agere*, *aut causare*, *vel removere presumserint per se ipsi*, *aut eorum sumitantes personas*, *& taciti exinde omni tempore non permanserint*, *vel si aparuerit ullum datum aut factum*, *vel colibet scriptum*, *quod ipsi exinde in aliam partem fecissent*, *& claruerit*, *ut tunc componant ipsa Farlinda eidem Donni Bertani Abbatisse*, *aut pars ipsius Monesterii pena argentum per denarios bonos libras centum*. *His actis & manifestacio ut supra facta*, *rectum eorum judicium paruit esse*, *& judicaverunt*, *ut justa eorum altercapcione*, *& ipsorum Farlindi & Richardi Tutorem suum professione & manifestacione*, *ut ipsa Donna Berta Abbatissa jam dicta pecia de terra cum predicta Silva & runcora ad parte ipsius Monasterii proprietate abere & detinere deberet*, *& ipsa Farlinda cum eundem Richardus Tutorem suum manerent exinde taciti & cuntenti*. *Finita est causa*, *& hac noticia propter securitatem eidem Domne Berte Abbatisse*, *seu pars ipsius Monesterii fieri amonuerunt*.

*Quidem & ego Johannes Notarius Sacri Palacii ex jussionem suprascripto Teudaldi Marchio & Comes*, *seu Judicum amonicione scripsi Hanno Imperii Tercio Domni Ottoni Deo propicio Sesto*, *Pridie Kalendas Octubris*, *Indictione Quintadecima*.

TEUDALDUS MARCHIO SSI.
*Nozo Judex Sacri Palacii interfui*.
*Stabilis Judex Sacri Palacii interfuit*.
*Baterius Judex Sacri Palacii interfuit*.
*Petrus Judex Sacri Palacii interfuit*.
*Teuzo Judex Sacri Palacii interfuit*.

Reliquit post se *Tedaldus* heredem *Bonifacium* filium supra memoratum, qui postea nominis sui famam longe lateque propagavit, tum ob res magnifice gestas, tum ob adjectum antiquis titulis ac ditionibus Ducatum & Marchionatum Tusciæ. An & ipse Regii & Mutinæ Præfecturam tenuerit, ignotum est, nulla quippe ejus rei monumenta supersunt. Alterum exemplum præsto mihi est fortasse duplicis Civitatis uni Comiti commendatæ. Habetur in antiquo Regesto MSto nobilissimi Monasterii sacrarum Virginum Sancti Zachariæ Venetiis Charta hisce notis signata: *Domnus Henricus Imperator Augustus Anno Imperii ejus hic in Italia*, *Deo propitio*, *Secundo*, *Mense Martii*, *Indictione XIV.*, idest Anno MXVI. Donationem

nem continet, in qua commemoratur *Hugo* forsitan *Comes Vicentinus & Patavinus*. En verba: *Ego Ubertus Comes, & Manfredus germani filii quondam Ugonis de Comitatu Vicentino atque Patavino, qui professi sumus ex natione nostra Lege vivere Longobardorum, habitatores in Castro Novo* &c. Quare tempora fuerunt, quibus unus Comes non uni tantùm præfuit Civitati. Curabant autem Marchiones ipsi, ac Duces, ut *Comitis* titulo regendam Civitatem aliquam susciperent. Idque nedum in Italia, sed & in Gallia factum. In Charta Anni DCCCCXCVIII. penes Baluzium in Notis ad Capitularia Tom. 2. pag. 1259. legitur: *Ego in Dei nomine Guillelmus Comes, Marchio, atque Dux*. Ita Adalbertus I. Tusciæ Marchio, teste Florentinio in Vita Mathildis, modò *Dux*, modò *Marchio*, modò *Comes* appellatur, quod Lucensi Urbi *Comitis* titulo Præfectus esset. Amabant enim Marchiones ipsi Comitem agere illius præcipue Urbis, quæ suæ Provinciæ caput erat. Celebris quoque Estensis Familiæ Princeps *Albertus Atto II. Marchio*, uti proditum est in Par. I. Antiquitat. Estens. Cap. II. in Charta Anni ML. dicitur *Comes Lunensis Comitatus*; ejusque parens *Albertus Atto I.* pariter inscriptus reperitur *Marchio*, *itemque Comes*. Sed ut reliquis exemplis parcam, unus prodeat *Otto Comes Palatii*, qui quamquam adeo illustri munere frueretur, attamen Anno MXIV. *Comes* etiam *Ticini* sive *Papiæ* fuit. En illius Judicatum Archetypum, quod in eadem Urbe adservatum in Archivo Monachorum insignis Monasterii Sancti Salvatoris egomet vidi, ac descripsi. Et quoniam in præcedenti Dissertatione vidimus eumdem *Ottonem* nepotem fuisse *Petri Episcopi Comensis*, nunc palam fiet, *Aginulphum* ejus fratrem, eorumque communem parentem fuisse *Cunibertum olim Comitem*.

## Placitum coram Ottone Comite Palatii & Petro Episcopo habitum, in quo Monachi Sancti Salvatoris Ticinensis evincunt quosdam agros, Anno 1014.

Dum *in Dei nomine, Civitate Papia, in Curte* Aginulfi & Ottoni Comiti Palacii, *seu* Petri Episcopi, Jeronimus filius bone memorie Cuniberti qui fuit Comes, Pater suprascriptorum Aginulfi . . . . . . . . . *in judicio residentibus suprascriptus* Otto Comes Palacii, & Comes hujus Comitatu Ticinensis, *justicias faciendas ac deliberandas, residentibus cum eo* . . . . *item Teuzo, Richardus, Bonusfilius, item Sigefredus, Papius qui & Agirardus, Everardus, Ingelbertus, & Ardingus Judices Sacri Palacii, & reliqui plures. Ibique veniens Adam Avocatus Monasterio Domni Salvatoris, qui est constructum foris, in Campanea hujus Ticinensis Civitatis, ad bone memorie* Domne Adalehide, que fuit Imperatrix & . . . . . abeo & teneo à parte supradicto Monasterio Domini Salvatoris proprietatem pecia una de terra, quod est in parte prato & in parte jerbo, seu in parte silva cum area . . . . . . pertinente juris ipsius Monasterii Domni Salvatoris, que esse videtur in loco & fundo, ubi Pactozerione dicitur, & jacet à locus, ubi dicitur Vado Luxeiro. Quod est pecia ipsa de terram justa jugeras quatuordecim. Coëret ei de duabus partibus terra prefacto Monasterio Domini Salvatoris, de tercia parte percurret fluvio Pado, quod est . . . . . . ipsius Monasterii, sibe que aliis sunt coërentes. Et si vislibet homo adversus pars suprascripto Monasterio exinde aliquid dicere vult, paratus sum cum eo inde in racione standum & legitime finiendum. Et quod plus est, quero, ut dicat iste Aldo filius quondam Adelgisi, qui ic à presens est, si eadem pecia de terra, qualiter ic mensura & coerenciis de nominatis rebus ad pars predicto Monasterio Domini Salvatoris contradicere aut subtraere querat, aut si propria ejusdem Monasterii est, & esse debet cum Lege, an non. *Cum ipse Adam Avocatus taliter retulerit, ad hec respondens ipse Aldo dixit & professus est*: Vere eadem pecia de terra, quod est in parte prato, & in parte jerbo, seu in parte silva cum area, sive in eodem loco & fundo, ubi dicitur Sancto Zenone, sicut tu Adam Avocatus ic mensura & coerencias denominasti, pars suprascripto Monasterio Domini Salvatoris non contradico, neque contradicere quero, quia cum Lege non possum, eo quod propria ipsius Monasterii est, & esse debet cum Lege, & mihi ad abendum nec requirendum nichil pertinet, nec pertinere debet cum Lege, pro eo quod exinde nullum scriptum, nullam firmitatem, nullamque racione non abeo nec abere possum, per quam pars ejusdem Monasterii contradicere possam, set ut dixi, propria suprascripto Monasterii Domini Salvatoris est, & esse debet cum Lege. *Insuper ibi loeum spondit se ipse Aldo, ut si umquam in tempore ipse, seu filiis, filiabus, vel heredes, aut eorum submissa persona adversus pars suprascripto Monasterio Domini Salvatoris, aut cui pars ejusdem Monasterii dederit de infrascripta pecia de terra in eodem loco & fundo Sancto Zenone, qualiter superius legitur, abere aut causare, vel removere presumpserint, & taciti exinde omni tempore non permansernit, vel si apparuerit ullum dictum aut factum, vel quolibet scriptum, quod ipsi exinde in aliam partem fecissent, & clare factum fuerit, ut tunc componant ipse Aldo suisque filiis, filiabus, vel heredes, pars ipsius Monasterii Domini Salvatoris, aut cui pars ejusdem Monasterii dederit, dupla suprascripta pecia de terra, sicut pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit sub exstimatione in consimile loco, insuper pena argentum Denarios bonos Papienses Libras centum. His actis & manifestacio ut supra facta, rectum eorum judicium & auditoribus paruit esse, & judicaverunt, ut justa eorum altercatione, & eidem Aldoni professione & manifestacione, ut pars suprascripto Monasterio Domini Salvatoris, eadem pecia de terra sicut superius mensura & coerencias legitur, ad proprietatem abere & detinere deberet, & ipse Aldo maneret exinde tacitus & contemptus. Et finita est Causa, & anc noticia pro securitate pars suprascripto Monasterio Domini Salvatoris fieri amonuerunt.*

*Quidem & ego Giselbertus Notarius & Judex Sacri Palacii ex jussione suprascripto Comiti Palacii, & Judicum amunicione scripsi, Anno Imperii Domni Henrici, Deo propicio, Primo, IV. die Mensis Madii, Indictione XII.*


Otto

Otto Comes Palacii *interfui*.
*Lanfrancus Judex sacri Palacii interfui*.
*Sigefredus Judex sacri Palacii interfuit*.
CΥΓΗΦΡΗΔΧC.
*Walpertus Judex sacri Palacii interfui.*
*Papius Judex sacri Palacii interfui*.
*Ingelbertus Judex sacri Palacii interfui*.
*Bonusfilius Judex sacri Palacii interfui*
*Tenzo Judex sacri Palacii interfui*.
*Richardus Judex sacri Palacii interfui*.
*Everardus Judex sacri Palacii interfuit*.

Vide quæso repetitum literis Græcis a *Sigefredo* Judice suum nomen, & X adhibitum pro OΥ, eâdem nempe ratione, qua characteribus cursivis utentes pro OΥ scribunt ϗ. Alterum simile Placitum produxi Par. I. Cap. 14. pag. 113. Antiquitat. Estens. in quo idem Sigefredus & Latine & Græce sese subscribit. Adeo verò spectabilis habita est olim *Comitum* dignitas ac titulus, ut ne ipsi quidem Reges & Augusti dubitarent eisdem Comitibus jungere matrimonio filias suas atque consanguineas; cujus rei exempla complura ab Historicis & Archivis peti possunt. Præterea consuetudo invaluit, *Comitissas* nuncupandi vel ipsas Uxores Ducum atque Marchionum. In Archivo insignis Monasterii Sancti Sixti Placentini, quod primo Monialium fuit, deinde Monachis Benedictinis attributum, in eorum ditione adhuc perdurat, adservatur Diploma authenticum Hugonis Italiæ Regis, in quo is memorat *Ermengardim gloriosissimam Comitissam, karissimamque germanam nostram*. Chartam ipsam omnium oculis subjicere placet.

## Confirmatio Privilegiorum facta ab Hugone Italiæ Rege Monasterio Monialium Sancti Xysti in Urbe Placentina siti, Anno 926.

IN *nomine Domini Dei æterni. Hugo divina largiente clementia Rex. Si sacris ac venerabilibus locis temporalia atque transitoria concedimus, magnam apud Dominum remunerari in futuro nequaquam diffidimus. Quocirca noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet & futurorum industria*, Lampertum *sanctæ* Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopum, *nec non &* Adelbertum *sanctæ* Bergamensis Ecclesiæ Præsulem, *&* Ermengardim gloriosissimam Comitissam, karissimamque germanam nostram, *&* Giselbertum illustrem Comitem Palatii, *umiliter nostram exorasse celsitudinem, quatenus ob amore superne remunerationis per nostri præcepti paginam quoddam Monasterium infra Civitate Placentina, à Beatæ videlicet memoriæ* Angelberga Imperatrice *constructum, & in onore Sancti Sixti dedicatum*, Bertæ *gloriosissimæ* Abbatissæ, consanguineæ nostræ *cum omnibus suis pertinenciis confirmare dignaremur, simul quoque roborantes, & in perpetuum concedentes eidem Monasterio quasdam Cortes*, W*ardestallam scilicet, Campum Miliatio, Curtem Nova, Sexto, Luciariam, Littora Paludiana, Villole, Piguniarium, cum adjacentiis eorum, & omnia quæcumque memorata Imperatrix institutionis suæ pagina ubicumque eidem Cenobio diffinivit ad habendum. Quorum peticionibus tota devocione faventes id fieri annuimus, hoc nostrum Præceptum scribi jubentes, per quod prælibatæ Bertæ eundem Monasterium confirmamus, quatenus in sua sit potestate & dominio, eousque vixerit, & ibidem dominatrix & ordinatrix atque rectrix invigilet ac permaneat, donec ejus fuerit vita. Per quod etiam jam præscrito venerabili loco concedimus hac confirmamus omnes res & possessiones, mobiles ac immobiles, tam per Cartulas, quamque extra Cartulas, vel cujuscumque inscriptionis titulo ad partem ipsius Monasterii legibus adquisitas & adquirendas, seu quicquid per Regum vel Imperatorum antecessorum nostrorum Præcepta ad eundem sacrum locum collatum. Atque Cellulam quandam, quæ antiquitus Monasterium dicebatur, non procul à Placentina Urbe sitam, locum, qui Caput Trebiæ vocatur, in qua Ecclesia Apostolorum Principis onore dicata consistit, cum omnibus inibi, quemadmodum* Karlomanus serenissimus Rex *antiquitus eandem Cellulam cum universis suis appendiciis eidem Monasterio proprietario jure largitus est, prænominato venerabili loco per hoc nostræ regalis auctoritatis Præceptum ex integro perdonamus, largimur, confirmamus, modisque omnibus corroboramus. Familias quoque utriusque sexus & conditionis cum Curtibus & Capellis, eorumque appendiciis, cum omnibus Cassellis, Casis, vineis, campis, pascuis, pratis, silvis, salectis, facionibus, paludibus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, fluminibus, piscationibus, ripis, rupinis, montibus, collibus, vallibus, ac planiciebus, coltis & incoltis, divisis & indivisis, mercacionibus, vectigalibus, districtionibus, servis & ancillis, Aldiis & Aldianis, & omnibus quæ dici aut nominari possunt, ad eundem Monasterium juste & legaliter respicientibus, in integrum confirmamus. Ita videlicet, ut prælibata Abbatissa Berta quousque vixerit hac nostra auctoritate roborata de præscriptis rebus eidem Monasterio pertinentibus, tam per Præceptorum paginam, ut diximus, quamque aliarum Instrumenta cartarum, & adquisitas & adquirendas, potestative faciat, omnium magnarum parvarumque personarum molestacione remota. Si quis vero hac nostram auctoritatem violare temtaverit, centum quinquaginta Libras auri optimi componere cogatur, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem sæpefatæ Bertæ Abbatissæ. Quod ut verius credatur, diligenciusque ab omnibus observetur, manu propria roborantes de anulo nostro jussimus insigniri.*

*Signum Domni Hugonis*  *piissimi Regis*.

*Sigefredus Cancellarius ad vicem Beati Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi.*

Sigillum Cereum




*Data Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXVI. Tertio Nonas Septembris Indicione XV. Anno verò Domni Hugonis Primo.*

*Actum Papia, in Christi nomine feliciter. Amen.*

Fuit hæc *Ermengardis* filia *Adelberti II.* potentissimi Ducis & Marchionis Tusciæ, & Bertæ illius, quæ primò nupta Theobaldo Comiti Provinciæ sive Arelatensi, eumdem Hugonem pepererat postea Italiæ Regem. Juncta fuit matrimonio Ermengardis cum Adelberto Marchione Eporediensi; & nihilominus non alio quàm *Comitissæ* titulo appellari consuevit. Ita ejus mater *Berta*, quamquam Lotharii Regis filia, & conjux nuper laudati Adelberti II. Ducis ac Marchionis Tusciæ, eamdem tulit appellationem.

*Hoc tegitur tumulo Comitissæ corpus humatum*
*Inclyta progenies Berta benigna, pia, &c.*

Leguntur hæc verba in ejus Epitaphio, quod adhuc marmore inscriptum vidi Lucæ, atque à Florentinio evulgatum habemus. Alia exempla dimitto. Quod ita tamen dictum velim, non ut negem, illustres quandoque feminas titulo *Marchisiæ* & *Marchionissæ*, *Ducissæ*, & *Ducatricis* fuisse usas. Id potissimum deprehendimus in Beatrice uxore Bonifacii Ducis & Marchionis Tusciæ, & in magna Mathilde illius filia. Sane *Mathildis Comitissa*, familiaris fuit præclarissimæ hujus mulieris titulus; in nonnullis tamen Chartis atque Historiis speciosiori, quantum nobis videtur, appellatione donata occurrit, uti etiam constabit ex Pistoriensi pergamena, quam ex antiquissimo exemplo existente in Archivo Abbatiæ Pistoriensis Sancti Michaëlis in Furcule, Monachorum Vallis Umbrosæ; descripsi.

## Mathildis Comitissa & Ducissa Tusciæ una cum Petro Episcopo Pistoriense Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Piunte donat Monasterio Sancti Salvatoris de Fontana Taoni, Anno 1099.

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnacione ejus MXCIX. Regnante Imperatore Henricus, octavo Idus Septembris, Indictione VI.* Ego Domna Mathilda Ducatrice *propter Deum & remedium anime mee, vel abluentis peccatis meis, que commisi, & pro anime* Bonifacii Marchionis genitoris mei, *&* Beatricis matris mee, *do, & offero tibi Deo in Monasterio Sancti Salvatoris, & tibi* Johanni Abbati, *tuisque successoribus cum integra & bona voluntate* Domni Petri Pistoriensis Episcopi, *& Bonuti Archipresbiteri, Ecclesiam Sancte Marie de Piunte, cum omnibus rebus & possessionibus suis, quod ab hac hora in antea potestatem habeatis illam habendi, tenendi, gubernandi, possidendi, & omnibus modis inde agendi Presbiterum, & Clericum secundùm vestram voluntatem mittendi & trahendi. Que autem jam dictas res, qualiter supra legitur cum superioribus & inferioribus, & ingressibus suis in integrum, taliter a presenti die & ora per hanc paginam offertionis mee tibi Deo in Monasterio Sancti Salvatoris, & tibi Johanni Abbati, tuisque successoribus a parte nostra Ecclesiam Sancte Marie de Piunte maneat persistat potestatem ad habendum, tenendum, absque omni contradictione mea, meorumque successorum. Insuper spondemus atque promittimus ego predictus* Petrus Ecclesie *Sancti Zenonis Episcopus, meorumque successoribus, & Domna Matilda, tibi Deo, & Monasterio Sancti Salvatoris de Fontana Taoni, & tibi Johanni Abbati, tuisque successoribus, nostris rebus omni tempore ab omni homine defensare justa Legem* Damnalitis omnia sustinet. *Quod si ad defensandum minime fecero, aut contra hanc offertionem per quodcumque vis ingenium agere aut causare presumpsero, vel si agentibus consentientes fuero, tunc promittimus componere & dare penam Libras quinquaginta bonorum denariorum Lucensium, & post penam solutam hec paginam offertionis mee in sua maneat firmitate.*

*Hoc actum est in Prato Vescovi. Testes autem sunt* Comes Albertus de Sabluneta, Guido Comes de Mutilgnano, *Raimuldus de Bagise, Ugo de Nolaltula, Bernardus filius Imelde de Ferignano, Ubertus de Stagno, Guido de Pisa, Ugicione de Montalto, Bonectus Advocatus de Pistoria, rogati testes.*

✠ *Ego Petrus Episcopus subscripsi.*

MA TIL
DA DEI
GRA SI
QID EST

*Ego*

*Ego Alderieus Judex interfui & subscripsi.*
*Ego Gosberto Notarius subscripsi, post tradita complevit & dedit.*

Describenti mihi olim hanc membranam, adeo antiqui visi sunt characteres, adeo primigeniæ testium subscriptiones, ut quamquam subdubitans, pro archetypo acceperim. Verùm perpensis deinde notis Chronologicis, deprehensoque, non respondere Anno MXCIX. *Indictionem Sextam*, Chartam ad apographa amandavi, in quæ longe facilius quàm in autographa errores irrepsisse, ac irrepere novimus. Legebatur, ut opinor, in originali *Indict. III.* at parum attentus descriptor conjunctis incaute primis duabus numeralibus unitatibus, *Indictionem VI.* nobis obtrusit. Nunc me compellat argumenti ordo, ut edicam, vel ante Annum à Christo nato Millesimum decrescere cœpisse splendorem, auctoritatemque *Comitum*, atque id duabus de caussis. Prima fuit, quod insurgentibus sæpe ac sæpius ob jurisdictionem ac dominationem controversiis inter Episcopos & Civitatum Præsides sive Comites, rem tutiorem commodioremque sibi arbitrati sunt sacri Pastores, ipsum quoque temporale Populorum regimen ab Imperatoribus aut Regibus sibi conquirere. Neque multis difficile fuit voto potiri. Non raro Germanicis Regibus opus erat Episcoporum præsidium, sive ut Reges Italiæ eligerentur, sive ut electi Regnum adquisitum eorum ope deinde tuerentur. Opportunitatem adeo secundam amplificandæ potentiæ suæ non sinebant sacri Antistites sibi è manibus elabi. Quare nonnullis bene accidit, iidemque creati fuere Comites suarum Civitatum: quo exemplo permoti reliqui Episcopi (minus enim posse, minusque splendere non sustinebant) omnem curam industriamque in ejusmodi negotiis opportunam, non reliquere intentatam, quo & ipsi proprio Gregi in temporalibus etiam imperarent. De hoc fusius agam infra in Dissertat. LXXI. *de Episcopor. potentia*. Nunc id unum subdam, nonnullos ex Episcopis non Civitatem solum, sed & universum ejus Comitatum regenda sibi impetrasse. Ejusmodi donum Archiepiscopo Tarantasiensi conlatum à Rodulpho Burgundiæ Tranjuranæ Rege, docebit nos Charta, ex vetusto antigrapho hausta, quam mecum communem fecit Excellentiss. Taurinensis Senatus Præses Comes Ludovicus Caissottus.

## Rodulphi Burgundiæ Regis Diploma, per quod Amizoni Archiepiscopo Tarantasiensi Comitatum ejusdem Urbis donat. Anno Ch. 996.

In *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Rodulphus *eterni Judicis misericordia* Rex. *Dum in primordio Christianæ Religionis constituti sunt Reges, Ecclesiarum sollecitudinem, curamque Pontificum Deo famulantium considerantes, augmentando terrarum donis Pontificatus quamplures, ad summam duxerint dignitatem: Nos quidem exempla priorum perpendentes, ac molem nostrorum peccaminum, ne ira districti Judicis pavidi damnemur, Archiepiscopatum hybernis incursionibus penitus depopulatum, quem* Amizo, *prout vires appetunt, ordinatum vestit*, Comitatu *donamus, ac hujus auctoritate nostri præcepti, hunc autem juste & legaliter esse datum firmamus; ut sicut prædictorum malignæ incursionis sæpissimo decidit furore, ita nostri juvaminis sublevetur honore. Hoc autem omni consideratione cordi committimus, Dominumque Christum Jesum fixis genibus imploramus, quo his peractis ad Cœlestis Patriæ valeamus deportari Regnum, ac potestatem Sanctæ Dei Ecclesiæ Tarentasiæ integrum conferimus* Comitatum, *quo beatissimorum Apostolorum Principis jam dictum* Comitatum *Deo deferimus; ut in omnibus eandem ipse prædictus Archiepiscopus potestatem habeat regimen sive ordinationis suorum tantis temporibus Episcopo committere. Quicunque igitur istius nostræ Donationis seriem temerario ausu temerare præsumpserit, omnibus Dei maledictionibus subjaceat, Sanctorumque Apostolorum omnium nodis & inexibus irretitus, anathemate perpetuo damnetur. Et hæc nostra auctoritas firma, stabilis maneat semper; insuperque sentiat se compositurum centum libræ optimi auri, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem Archiepiscopo, vel Successoribus suis. Verùm, ut hoc credatis melius, præsens Præceptum firmavimus, nostroque sigillo insigniri jussimus.*

*Signum Domini Serenissimi Regis Rodulphi.*

*Anselmus Regis Cancellarius hoc scripsit Præceptum Anno Domini Incarnationis Nongentesimo Nonagesimo Sexto, Indictione verò Decima, Regni autem Regis Rodulpi Tertio.*

*Actum in Agauno feliciter.*

Pro *Indictione Decima* scriptum fuerit in autographo *Indict. VI.* Aliis vero Episcopis tota quidem Civitas commissa est; sed non ultra passuum tria, aut quatuor, aut quinque millia extra Urbem eorum ditio se protendit, reliquis Comitatus partibus parere pergentibus Comiti Sæculari: cujus moris documenta complura prostant. Cremonensi Episcopo, ut unum adferam exemplum, ab Augustis concessa est *Districtio Civitatis infra & extra quinque Milliariorum spatia*. Quod quamvis ex aliis Diplomatibus in hoc ipsum Opus inlatis constare possit, duobus tamen aliis nondum editis rem confirmabo. Ea descripsi ex Regesto MSto Archivi Episcopalis Cremonæ.

## Ottonis III. Imperatoris Diploma, quo Ecclesiæ Cremonensi, ejusque Episcopo Odelrico, omnia illius bona confirmat, Anno 996.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Otto divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si sancta ac venerabilia loca &c. Quocirca omnium Sancte Dei Ecclesie fidelium nostrorum presentium scilicet ac futurorum noverit Universitas*, Odelricum *venerabilem Sancte* Cremonensis Ecclesie Antistitem, *obtentu karissime* Sororis nostre Sophie, *celsitudinis nostre clementiam adiisse, humiliter postulans, quatenus pro Dei amore, nostrique Imperii salute, nostra Imperiali auctoritate Precepta a Decessoribus nostris sue Ecclesie concessa confirmaremus ac roboraremus. Cujus dignis petitionibus annuentes &c. corroboramus eidem Sancte Cremonensi Ecclesie quicquid Curature, Telonei, atque Portatici, aliquo ingenio de jam fata Cremonensi Civitate ad publicam functionem pertinuit, tam de parte ipsius Civitatis Comitatus, quàm de parte Cortis Sexpilas: necnon ripas & piscarias a Vulpariolo usque in Caput Abdue, cum molendinis & molatura eorum, & portubus, atque cum uniuscujuscunque navis solito censu, & palificture denarios quatuor, seu cum persolutione omnium navium Cremonam adeuntium tam Veneticorum, quàm ceterorum navium.* Districtionem verò Civitatis infra & extra quinque Miliariorum spatia, *seu & omnia, que a jam dictis antecessoribus nostris Ecclesie ipsius Episcopi Precepto donationis & confirmationis sunt concessa, condonantes corroboramus. Eo videlicet ordine, quo ipse Odelricus venerabilis Episcopus, suique successores &c.*

*Signum Domni Ottonis serenissimi Imperatoris Augusti.*

*Heribertus Cancellarius ad vicem Petri Cumani Episcopi & Archicancellarii recognovi.*

*Dat. VI. Kalendas Junii, Anno Dominice Incarnationis DCCCCXCVI. Indictione IX. Anno verò Tercii Ottonis Regnantis XIII. Imperii autem ejus Primo.*

*Actum Rome feliciter. Amen.*

## Conradus II. Rex, Imperator I. Hubaldo Cremonensi Episcopo, ejusque Ecclesiæ, omnia Privilegia & bona confirmat, Anno 1031.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Chuonradus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si sancta & venerabilia loca &c. Quocirca omnium Sancte Dei Ecclesie fidelium, nostrorumque presentium scilicet ac futurorum noverit universitas*, Hubaldum *venerabilem Sancte* Cremonensis Ecclesie Antistitem, *obtentu dilecte* Imperii nostri Consortis Gisle Imperatricis *gratissime, celsitudinis nostre clementiam obnixe humiliterque postulasse, quatinus pro Dei amore, nostrique Imperii salute, nostra Imperiali auctoritate Precepta a Decessoribus nostris Regibus, atque Imperatoribus, maxime* Berengario, Rodulpho, *necnon dive memorie* Ottonibus, *ac* Henrico, *magnificis Imperatoribus Augustis, sue Ecclesie concessa confirmaremus & roboraremus. Cujus dignis petitionibus annuentes, prout juste & legaliter &c. confirmamus & corroboramus eidem Sancte Cremonensi Ecclesie quidquid Curature, Telonei, atque Portatici, seu Ripatici, alico ingenio de jam fata Cremonensi Civitate ad publicam functionem pertinuit tam de parte ipsius Civitatis Comitatus, quàm de parte Cortis Sexpilas, necnon ripas & piscarias a Vulpariolo usque ad Caput Abdue cum molendinis & molatura eorum, scilicet per unumquemque molendinum grani modios Cremonenses quinque; atque cum uniuscujusque navis solito censu, per unamquamque navim videlicet salis orales quatuor, sicut continetur in Noticiis ante presentiam* Cessonis Diaconi, *&* Domni Ottonis Imperatoris Missi, *&* Heriberti Cancellarii, *Cremone in Placito residentium factis, & auctoritate ac jussione prelibati* Domni Ottonis Imperatoris *legaliter roboratis; & palificture denariis quatuor, seu cum persolutione omnium navium, & cum curatura omnium negotiorum, qui fiunt in predicta ripa tam ab incolis Civitatis, quàm ab aliis aliunde ad negotium venientibus; seu cum omnibus Ecclesie rectitudinibus ac consuetudinibus.* Districtionem verò Civitatis intus & extra per quinque Miliariorum spatia &c. *Si quis igitur &c.*

*Signum Domni Chuonradi serenissimi Imperatoris Augusti.*

*Bruno Cancellarius ad vicem Aribonis Magontini Archiepiscopi & Archicancellarii recognovi.*

*Datum III. Kalendas Martii, Anno Dominice Incarnationis MXXXI. Indictione XIV. Anno autem Domni Chuonradi II. Regnantis Sexto, Imperii verò IV.*

*Actum Goslare feliciter. Amen.*

Fuerunt etiam sacri Antistites, qui sibi non unius, sed complurium Civitatum regimen ac dominatum conquisiere, quod nomine *Comitatus* olim designatum est. Id in primis ab Archiepiscopis Ravennatibus factum est, uti ex Historia Hieronymi Rubei constat. Sed hæc missa faciamus. Altera caussa, quare cœpta est imminui potentia ac dignitas *Comitum*, ea fuit, quod à Civitatum ditione sensim Castella & Vici, & Allodia seu Feuda Procerum, auctoritate Regum divellerentur, constitutis ibi *Comitibus Ruralibus*, hoc est, ipsis Proceribus, Urbani Comitis imperio minime subjectis. Ita Civitatum ager, antea latissimus, in frusta variasque sectiones concisus est, & Castella præclariora suum peculiarem Comitem, propriumque agrum, sive districtum accepere, cui attributa sunt nomina ac jura *Comitatus*. Propterea vel antiquitus occurrunt in Litore Italico, sive in Orientali Genuensium regione *Comites Lavaniæ*, & vivente magnâ Comitissâ Mathilde *Comes Guido Guerra*, cui hic titulus datus, quod in Tuscia multis Castellis imperaret, & *Albertus Comes de Prata* in eadem Tuscia. In Mutinensium montibus vetustiores fuisse videntur *Comites Gommolæ*, in quorum hereditatem successit antiqua ac nobilis Cæsiorum Mutinensium Familia. Bullam Urbani III. Papæ adservant in Tabulario suo Monachi Benedictini Mutinenses, Cœnobium Sancti Petri incolentes, in qua notæ istæ leguntur: *Actum Veronæ per manum Alberti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii,* IV.

*IV. Idus Aprilis, Indictione III. Pontificatus verò Urbani Papæ Tertii Anno Primo*, ideſt Anno Chriſti MCLXXXV. in qua Pontifex inter alia Monachis eiſdem confirmat *nomina quæcumque habetis in Comitatu Gummulæ*. In Charta Lucenſi Anni MXCVIII. Rolandus quidam Monaſterio Sancti Salvatoris prope Arnum terras donat *pro remedio animæ bonæ memoriæ Ughicionis magni Comitis, & Ciliæ Comitiſſæ uxoris ſuæ*. Ruralis Comes & iſte fuiſſe videtur; ac ipſe in altera Charta appellatur *filius Bulgari itemque Comitis*. Altera pergamena ſcripta Anno MCVI. exhibuit mihi *Hugonem Comitem filium quondam Uguicionis magni Comitis*. Membranamque vidi Anno MLXXXVIII. ſcriptam, in qua idem Uguccio dicitur *filius quondam Bulgarelli Comitis*. Sed ut aliquo nondum edito monumento confirmemus, quæ de hiſce *Comitibus Ruralibus* ſive *Pagenſibus* nunc diſſerimus, prodeat Charta apud Monachos Benedictinos Sancti Petri Regienſis adſervata, ſpectans ad *Hugonem Comitem Sablonetæ*, quod Caſtellum ſitum eſt inter Padum & agrum Cremonenſem, noſtriſque temporibus Duci Guaſtallenſi ſubeſt. Is fortaſſe Pater *Alberti Comitis de Sabloneta*, qui in præcedenti Charta Comitiſſæ Mathildis nobis occurrit.

## Hugonis Comitis Sablonetæ Donatio facta Monaſterio Sancti Proſperi, nunc Sancti Petri Regienſis, Anno 1091.

*IN nomine Dei eterni. Anni ab Incarnacione Domini noſtri Jeſu Chriſti MXCI. Decimo die menſe December, Indicione XV. Eccleſia Moneſterii Sancti Proſperi, ſita eodem foris Civitate Regio, ubi prope non multum longe.* Ego Ucho Comes filius quondam Boſoni ſimiliter Comitis de loco, qui dicitur Sabloneda, *qui profeſſo ſum ex Nacione mea Lege vivere Alamannorum, aufertor & donator ego ipſius, qui ſupra preſens preſentibus dixi: Quiſquis in ſanctis ac venerabilibus locis ex ſuis aliquid contulerit rebus, juxta Octoris vocem in oc Seculo centuplum accipiet, & inſuper, quod melius eſt, vitam poſſidebit eternam. Ideoque ego qui prius* Ucho Comes *in eadem Eccleſia Monaſterii Sancti Proſperi dono & aufero ipſius Eccleſia Sorte una Maſſaricia cum area ubi eſtat juris meis, quam abere & poſidere viſo ſum in loco & fundo Caſtello* Walteri *: que eſt recta & laborata per Bonotempo Maſario, & eſt iſta Sorte Maſaricia inter ſediminis & vineis cum areis ſuarum ſeu terris arabilis & pratis, jugies quinque, & omnibus rebus terrectoriis in loco & fundo Campicino, in locis ubi dicitur ad Curte Gaſtaldu & alla Molla. Et eſt iſtis rebus omnibus terrectoriis inter ſediminis & vineis cum areis ſuarum ſeu terris arabilis & pratis jugies ſimiliter quinque. Et ſi amplius de meo jure in jam nominato loco & fundo Campicino inventum fuerit quam ut ſupra legitur, per anc Cartulam auferſionis a pars ipſius Eccleſie perſiſtat poteſtatem proprietario jure, ut dictum eſt, tum predicta Sorte & omnibus rebus terrectoriis cum ſediminis & vineis cum areis ſuarum ſeu terris arabilis adque gerbibus & buſcaleis, ſive ſilvis majoribus ac ſtclareis, ripis, rupinis ac paludibus, partibus coltis & incoltis, diviſis & indiviſis, una cum finibus, terminibus, acceſſionibus, & uſibus aquarum, aquarumque ductibus: cum omni jure, agecenciis & pertinenciis earum rerum per locas, ac vocabula ab ipſa Sorte, & omnibus rebus terrectoriis pertinenciis in integrum. Que autem iſta Sorte Maſaricia cum omnibus rebus terrectoriis juris mei, qui prius Ucho Comes ſuperius nominatis, una cum acceſſionibus & ingreſſores earum, ſeu cum ſuperioribus & inferioribus ſuis, qualiter ſuperius menſuratis, in integrum ab ac die in eadem Eccleſia Sancti Proſperi jam dicta Sorte & omnibus rebus terrectoriis juris ſupradicti, dono & aufero, & per preſentem Cartulam auferſionis ibidem pars ipſius Eccleſie confirmo, & ad me, qui prius Ucho Comes, per coltellum, feſtucum notatum,* wantonem, *& vaſonem terre, ſeu ramum arboris, & me exinde foris explevi, varpivi, & abſentem me fecit, & mea parte, quod dicta Eccleſia proprietatem abendum reliquit, faciendum exinde ab ac die pars ipſius Eccleſia proprietario nomine quidquid voluerit ſine omni mea heredum ac proheredumque meorum contradicione vel repeticione. Si quis vero, quod futurum eſſe non credo, ſi ego qui prius Ucho Comes, quod abſit, aut ullus de heredibus & ac proheredibus meis, ſeu quislibet ulla abpoſita perſona contra anc Cartulam uferſionis ire quandoque temtaverimus, aut eam per covis ingenium infrangere queſierimus, tunc inferamus ad illam partem, contra quem exinde litem intulerit, multa, quod eſt pena auro obtimo uncies trex, & arientum ponderas ſex: & quod repecierimus & vindicare non valemus; ſet preſens anc Cartulam auferſionis dioturnis temporibus firma & ſtabilis permaneat adque perſiſtat, & ad me qui prius Ucho Comes una cum meis heredibus a pars ſupraſcripta Eccleſia ſupraſcripta Sorte & omnibus rebus terrectoriis, quorum ſuperius in integrum ab omni omenem defenſare: quod ſi defenſare non potuerimus, aut ſi adverſus a pars ſupradicta Eccleſia exinde aliquod per covis ingenium ſubtragere queſierimus, tunc in duplum eandem donacionem & auferſionem a pars ipſius Eccleſia Moneſterii Sancti Proſperi reſtituamus, ſicut pro tempore fuerint meliorates, aut valuerint ſub eſtimatione in conſimilis locis inconvulſa cum ſtipulacione ſubnixa. Et bergamela cum atrementario de terra levavimus painam. Riboldus Notarius & Judex Sacri Palacii tradidit & ſcribere rogavi, in qua ſubtus confirmans teſtibuſque obtulit roborandam.*

*Actum in Caſtro Calviſiano feliciter.*

*Signum manum ſupradicto Ucho Comes, qui ante Cartulam auferſionis fieri rogavi, & ei relicta eſt ut ſupra.*

*Signum manibus Guiberti & Lanfranchi, ſeu ...... & alio Lanfranco Lege Alamannorum viventes.*

*Signum manibus Adoni, & Buchoni, ſeu alio* Wiberto *teſtibus.*

*Ego qui prius Riboldus Notarius & Judex Sacri Palatii rogatus perſcripſi ugius Cartule auferſionis, poſtradita complevit & dedit.*

In Bullario quoque Caſinenſi Tom. 2. Conſtitution. 145. exhibetur altera Donatio Anno MCXIX. facta ab *Uberto*, cui idem titulus *Comes de Sabloneta*. Mentio autem ſupra laudati Ugonis Comitis monet me, ut integram ex oblivione reſtituam alteram Chartam, ex eodem Tabulario Monachorum Regienſium depromtam, per quam nobilis Viri Familia luculentius illuſtretur.

# Boſo Archidiaconus Parmenſis, Albertus Comes, eorumque Conſanguinei & Affines, Monaſterio Regienſi Sancti Proſperi, nunc Sancti Petri, donant Capellam Sanctæ Mariæ in Caſtro Gualterii ſitam, circiter Annum 1098.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis.* Boſo Parmenſis *Archidiaconus*, Albertus Comes, *&* Ubertus *frater ejus*, Comes *quoque* Walfredus *&* Berta *uxor ejus*, *&* Ermengarda *Neptis eorum*, Matilda *etiam* Conjux *bone memorie* Ugonis Comitis, *& filii eorum*, *memoriale hoc ſuis, ſucceſſorumque temporibus. Quia preſentis vite curſus brevis eſt, & ſemper ambiguus, cunctiſque mortalibus, quis vel qualis ſit, incertus eſt exitus, oportet, dum ſupereſt, unumquemque provid. . . . . . ſideratione, quod utilius & ſalubrius hac & in futura vita ſit . . . . . . proſpicere, & ſana dum licet mente, omni ſine dilatione perficere. Plures enim agnovimus rebus preſentibus uſque adeo deditos & intentos, ut ad memoranda noviſſima ſua mentis oculos nullatenus aperirent, & que ſibi commoda ac neceſſaria viderentur, omnimodo preterirent. Unde nos qui ſupra horum omnium non immemores, noſtreque ſaluti conſulere cupientes tam futuris, quam preſentibus per hujus ſignificationis noſtre paginam manu noſtra roboratam notum fieri volumus, quod pro Dei reverentia & honore, & animarum noſtrarum futura remuneratione, quandam Capellam juris noſtri in Caſtello* Walterii *ad honorem Sancte Marie conſtructam atque dedicatam, cum omnibus ſuis pertinentiis & conditionibus & redditibus, Monaſterio Sancti Proſperi Regienſis Epiſcopi proprietario jure conceſſimus, & habendam Deo ibi ſervientibus ejuſdem Monaſterii Fratribus, remota omni tempore noſtra, heredumque noſtrorum repetitione & contradictione permiſimus. Cujus quidem Capelle gratuitam munificentiam noſtram ita liberam & abſolutam in perpetuum eſſe decrevimus, ut nullum nobis, noſtriſque deinceps in ea dominium exactionemque relinquamus, ſed auxilium noſtrum atque conſilium ad ejus protectionem & conſervationem, ubi opus fuerit, ei fideliter impendamus. Inſuper etiam huic noſtre benevolentie addimus, ut ſilvis, paſcuis & utilitatibus aquarum libere utantur. Manentes etiam ejuſdem Eccleſie, quibus in uſu eſt factionem Caſtri perſolvere, ita perficiant, ut ſi aliquid de factione Caſtri reliquerint, aut per furtum, vel per aliquod ſcandalum infra Caſtrum, vel de foris offenderint, Miſſis ipſius Eccleſie requiratur, & ipſi taliter emendent, ut noſtris caput mali vel damni emendetur, ipſi verò habeant legem. Ad cujus rei futuram notitiam atque memoriam, hanc paginam fieri juſſimus, & ut inviolabiliter ab omnibus obſervetur, manu propria roboravimus.*

✠ *Boſo Archidiaconus ſubſcripſit.*

✠ *Berta firmavit conjux Gualfredi.*

✠ *Albertus filius ejus firmavit, in preſentia hominum, quorum nomina hìc leguntur.*

*Guido filius Gosberti, Adecherus filius Ruſtici Regenſis, Rodulfus de Baruto, Lanfrancus Archipresbiter de Saliceto.*

*In preſentia bonorum hominum, quorum nomina ſubter leguntur, manu ſua firmavit Comes Albertus & Boſo Archidiaconus, ceterique ſui Parentes, hanc conceſſionem proprietatis Monaſterio Sancti Proſperi de Eccleſia Sanctæ Mariæ de Caſtro* Walterii, *cum omnibus ſuis pertinentiis.*

*Rodulfus de Birutto, Benno filius Bennonis, Wido de Montarune, Angelus de Parma, & alii plures interfuerunt.*

Reperimus heic *Mathildem Hugonis quondam Comitis Conjugem*, hoc eſt illius, ad quem præcedens Charta ſpectabat. Patrem hæc habuit *Rambaldum Comitem Tarviſii*, eademque nobis occurrit in altera pergamena ejuſdem Cœnobii Regienſis, jamdiu à Margarino publici juris facta in Bullario Caſinenſ. Tom. 2. Conſtitut. 122. ubi hæc verba animadvertenda ſunt: *Ego Matilda Comitiſſa, filia quondam Regibaldi Comitis de Comitatu Tarviſii, & Conjux Uchoni Comitis, quæ profeſſa ſum ego ipſa Matilda Comitiſſa ex Natione mea Lege vivere Langobardorum, ſed nunc pro ipſo Viro meo Lege vivere Alamannorum.* Nationem heic habes Hugonis Comitis Sablonetæ: habes & veterum Comitum Tarviſinorum. Et quoniam *Regibaldus* ille inſcribitur *Comes de Comitatu Triviſii*, nunc aditus mihi aperitur ad non contemnendam quæſtionem, nempe ad inquirendum, iſne Civitatem Tarviſii auctoritate Comitis rexerit, an portionem tantum ejus Comitatus, ſive Caſtrum aliquod in agro Tarviſino ſitum. Eoque magis intendenda conſideratio eſt in hanc dicendi formulam, quod in aliis monumentis occurrat, abſque illa voce *Comes*, nuda appellatio *de Comitatu*: cujus ſignificationem non ita perſpectam puto. Incertum quippe eſt, num ſignificaretur olim per ea verba *Comes de Comitatu* homo, qui Civitati æque ac ejus agro Præfectus titulo *Comitis* imperaret; an potius Vaſſus Auguſtorum, rurali Feudo ſive Caſtello aliquo cum titulo *Comitis* donatus, cujus ditio in agro ſeu Comitatu Urbis ſita foret. Ita in Charta apud amicum meum Joſeph Antenorem Scalabrinium, ſæpe mihi laudatum, ſcripta Anno MLXI. occurrit *Garardo filius Domni Garardo quondam Morando, qui fuit filius bone memorie Domni Garardi Comitis de Comitatu Imolenſis*. Refert Bacchinius in Appendic. Hiſtor. Monaſterii Padolironenſ. pag. 33. & 35. Chartam ſcriptam Anno MXCV. in qua Ubertus, *filius quondam Arduini Comitis Parmenſis*, nonnulla Caſtra donat Monachis Sancti Petri Cluniacenſis. Ipſamet verba habentur in altera ejus Donatione facta Monaſterio Sancti Benedicti Padolironenſis Anno MXC. Quare cenſendus hic Arduinus *Comes Parmenſis Urbis, ejuſque agri*. Cum hiſce Chartis nunc duæ aliæ conſerantur, quas ex laudato Archivo Regenſium Monachorum deſumtas evulgare nunc mihi placet. Sunt autem ejuſmodi.

## Donatio quatuor Prædiorum facta Monasterio Sancti Prosperi Regiensis ab Arduino Comite de Comitatu Parmense, Anno 1054.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno ab Incarnacione Dòmini nostri Jesu Christi MLIV. Anno Domni Enrici Imperatoris hic in Italia Hoctavo, XII. Kalendas Setember, Indicione VII. Sancta & venerabile Ecclesia Sancti Prosperi, ubi* Domnus Landulfo *vir venerabilis* Abas *preesse videtur, sito Regio. Ego quidem in Dei nomine* Arduinus Comes de Comitatu Parmense, *& filius Attoni, qui profeso sum ex Nacione mea Lege vivere Langobardorum, offertor & donator ipsius Monesterii, presens presentibus dixi:* Quisquis in sanctis *&c. Ideoque ego, qui supra Arduinus Comes dono & offero, & per presentem Cartulam offersionis à pars predicto Monesterio jure proprietario nomine abendum confirmo pro anime mee & quondam* Julite, *que fuit* Conjux mee, *mercede: he sunt Masaricie quatuor rebus territoriis juris mei, que sunt posite tres in loco Quingente, que recte & laborate fiunt per Andream de Casale, & Albertum Ferrarium, & nepotum suum Adelbertum, atque Martinum* Wilmarinum: *quarta in Arsinetico, que recta & laborata fit per Martinum Presbiterum, qui dicitur Musinus. Et sunt predicte Masaricie in jam dictis locis pro mensura justa, prima Masaricia in predicto loco Quingente &c. juges quinque & sestaria quatuor: secunda Masaricia in predicto loco Quingente, que recta & laborata fit per jam dictum Albertum Ferrarium & nepotum suum Madelbertum, est inter casalivo & areis, ubi vitis estant, terris arabilis jugies quinque & sestaria* A *septem: tertia Masaricia &c. jugies tres & modia duo: quarta Masaricia &c. juges duo & sestaria tredecim in integrum. Que autem suprascripte Masaricie rebus territoriis juris mei superius dictes una cum accessionibus & ingressoras earum rerum, seu cum superioribus & inferioribus suarum qualiter superius legitur, in integrum ab ac die in eodem Monesterio Sancti Prosperi donare & offerre videor, eo vero ordine, ut subtus legitur, ita ut faciant exinde Abates & Monachi, qui ibidem die noctuque Deo annuente servierint, ad eorum usum & sumtum ad communi mensa Fratrum Monachorum parti ipsius Monasterii quicquit voluerit, eo tinore, ut nullus Episcopus, nullus Abbas, nullus Monachus, neque alia magna parvaque persona de predictis Masariciis abead potestatem* B *commutandi, libellandi, precariandi, nec pro beneficio dandi, vel aliquovis titulo alienandi, nisi quod superius legitur. Et si, quod absit, ut Episcopus, aut Abas, aut Monachi, aut alia magna, parvaque persona predictas Masaricias à communi mensa, ut superius legitur, tollere voluerint, tunc volo & statuo, ut deveniant ipsas Masaricies in mea potestate, vel de propinquioribus parentibus meis, qui mihi superadvixerint: & tamdiu in mea vel meorum potestatem permaneant, quousque evenerint illa potestas, que hanc meam offersionis Cartulam adimplead & faciad exinde ......* (cetera desiderantur.)

## Ardoinus Comes de Comitatu Parmensi decem Massaritias donat Monasterio Sancti Prosperi, nunc Sancti Petri Regiensis, Anno 1062.

IN *nomine Domini Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejusdem MLXII. secunda die mensis Novembris, Indicione XV. Ego* Ardoinus Comes de Comitatu Parmensis, & filius quondam Attonis, qui professus sum ex Nacione mea Lege vivere Langobardorum, *ordinator & dispens ...... anime mee, presens presentibus dixi: Dum homo in oc Seculo vivit, semper debet cogitare, qualiter ..... ura adque mansura ...... vocare jusserit, non de neglegenciis judicetur, sed de bone dispositionis valeat accipere ....... metu mortis vivere, quàm spe vivendi morte subitanea perire. Igitur manifestum est mihi pa ...... olo ordinare & disponere aliquantis casis & rebus territoriis juris mei eo modo ut omni tempore sic firmum & stabile permaneat, qualiter ic subtus declaravero, ut mea decrevit volunt ..... mea, & quondam* Julitte, *que fuit* jugale mea, *seu filiis meis, mercede. Hoc sunt Masaricies decem de terra cum area, in qua est prima Masaricia, que esse videtur ad loca, que nominatur Cornitulo, & fuit recta & laborata per Petrus. Secunda & tertia Masaricia ..... posite ad loca, que vocatur Gajanese, & fuit recta & laborata per Johannes, seu Gandulfus, & sunt super tote tres insimul jugies vigintiquinque. Quarta vero & quinta Masaricia, que* C *esse videntur justa Flumen Trixinaria, & prope Castro Sablone, fiunt recte ..... Masarii, sunt ambe insimul jugies sedecim in loco, qui vocatur Magregnano in montaneis partibus. Sesta Masaricia, que fit recta & laborata per item Johannem, est per mensura justa inter casaliciis & areis, ubi vitis estant seu pratis, jugies due; terris arabilis ...... jerbidis & buscaleis simul jugies due. Septima namque Masaricia, que esse videtur in loco, qui dicitur Badregnano ..... recta & laborata per Martinum, & est per mensura justa inter sediminis & ortis, ubi vitis estant, seu terris arabilis, adque pratis, etiam silvis cum .... buscaleis, insimul jugies octo. Octava vero Masaricia, que esse videtur ad locum, qui vocatur Pristino & Casale Maurani ...... Cilianum, & Johannes Leoni, que est per mensura justa inter sediminis & areis, ubi vitis estant, seu terris arabilis, jugies septem. Nona vero* D *Masaricia, que est posita ad loca, que dicitur Gavassa, & fit rectum per Petrum & suis consortis, que est per mensura justa inter sediminis & areis, ubi vitis estant seu terris arabilis, adque pratis, jugies quatuor; de jerbidis & buscaleis jugies octo. Decima namque Masaricia, que est posita ad loco, qui dicitur Quingnentum Communis, & fit rectum per Ingelvertum,*

*&*

*& est per mensura justa inter sediminis & areis, ubi vitis estant, seu terris arabilis adque pratis; juges similiter octo. Et si amplius de meis juris rebus in suprascriptis locis inventum fuerit ad octo Masaricies pertinentes sine Masaricies de Sabloneo, jam in suprascripta presentem Cartulam permaneat proprietario jure omnia cum accessionibus & ingressibus suarum in integrum. In primis omnium volo & statuo seu judico, & per hunc meum judicatum confirmo, ut omnes suprascriptes Massaricies cum omnibus casis & rebus ad easdem pertinentibus sint in meam potestatem predicti Ardoini Comiti omnibus diebus vite mee vendendi, donandi, aliter judicandi, vel quicquit mihi placuerit faciendi. Et de quantum mihi à die obitus mei in datis remanserit de jam fates Masaricies, volo & judico, ut habeat ipsa venerabilis Ecclesia vel Monasterium jam fates Masaricies de quantum mihi indate remanserint, ubi corpus meum mortuum manere videtur, & faciant exinde Canonici, sive Monachi, qui in eadem Ecclesia ordinati fuerint, ubi volumptas Dei fuit, quod corpus meum mortuum & sepultum fuerit, ad eorum usu & sumptu pars suprascripte Ecclesie vel Monasterii proprietario nomine quicquit volverint; eo vero ordine, sicut hic subtus legitur, ut nullus Episcopus sive Abbas, vel aliquis magna parvaque persona predictes Masaricies totes vel ex parte vendere, donare, comutare, nec in beneficio sive per libellum, vel per colibet ingenio alicui dare non presumat sine mea meorumque heredum licenciam. Quod si evenerit, quod avertat divina potentia, ut si aliquis Pontifex, aut Abbas, sive aliquis magna parvaque persona de predictis Masaricies tote vel ex parte alicui omini sive Ecclesiæ per aliquovis titulum vel tenore dederit sine nostra licencia, tunc statim revertant suprascriptes Masaricies in mea meorumque heredum potestatem & districtionem, quousque venerit aliquis omo majoris sive minoris, qui hunc meum judicatum firmum & stabile permanere fecerit, sicut superius legitur. Si quis vero de nostris heredibus vel proheredibus, vel aliqua magna parvaque persona hunc meum judicatum revolvere vel infrangere temptaverit, nisi enim ego, cui concessum est, maledictionem Dei omnipotentis, Sanctorumque omnium habeat, & in die tremendi Judicii non eum Angelis Dei, sed cum Diabolis ad sinistram stent, & cum ipsis in perpetuo igne sine fine permaneat. Fiat, fiat. Hanc enim Cartulam judicati & ordinacionis me paginam Romanus Judex ad scribendum dedi adque rogavi, in qua subtus confirmans, testibusque obtuli roborandam. Unde due Cartule Judicati & ordinacionis uno tinore scripte sunt.*

*Actum Castro Luciaria, feliciter.*

*Signum manibus Ingezoni, & Liuboni, seu Azoni, Vassi suprascripti Comiti, Legem viventes Langobardorum, rogati testes.*

*Signum manibus Adammi & Anselmi, testes rogatis.*

*Scripsi ego qui supra Romanus Judex Sacri Palacii, postradita complevi & dedi.*

Vide etiam Dissertat. LVI. *de Religion. Christian.* ubi alias Chartas protuli spectantes ad eosdem hosce Comites. Nunc autem, ut vidimus, idem, qui supra *Comes Parmensis* appellabatur, heic inscribitur *Arduinus Comes de Comitatu Parmense*; ac propterea unum & idem significabatur per duas hasce formulas. Interim animadvertas, velim, *Ubertum* hujus Arduini filium, quamquam *Comitis* titulum in supra memorato monumento non gerat, *Comitem* nihilominus revera fuisse, uti constat ex Charta Anni MXCV. edita in Bullario Casinensi Tom. 2. Constitution. 119. in qua legitur: *Ubertus Comes, filius quondam Arduini itemque Comitis de Comitatu Parmensi*. Id etiam constat ex altera Anni MXC. apud Bacchinium, & ex aliis pergamenis: quod omissum nolui, ut novis exemplis luculentius appareat, titulos interdum à Notariis aut Historicis neglectos difficultatem ingerere nequaquam debere ad internoscendos homines jam aliunde notos. Rursus animadverte, iisdem fere temporibus ab Henrico II. Imperatore Parmensibus Episcopis concessum fuisse *Parmensem Comitatum tam infra Urbem quàm extra*, uti videre est apud Bordonium in Thesaur. Eccles. Parmens. Quid hoc rei est, quod adhuc *Comitem Parmensem* eâdem tempestate Laicum virum aspicimus? Sed fortasse diu non perstitere in ea Dignitate Præsules Parmenses; aut uni Titulus tantùm relictus, alteri verò res una cum Titulo. Chartam quoque evulgavi in Antiquitatib. Estensib. Par. I. Cap. 24. pag. 230. scriptam Anno MLV. ubi memoratur *Jolicta Comitissa filia Uberti Comitis de Comitatu Parmæ*. Sed & nunc alteram profero ex eodem Archivo Benedictinorum Regiensium, in qua laudatur *Adelaxe filia Ugoni Comes, qui professa sum Lege Alamanna vivere*; hoc est, ut opinor, filia Hugonis Comitis Sablonetæ, quem nuper vidimus. Dicitur etiam *Relicta quondam Widonis de Comitato Parmensis*. Comites *de Comitatu Parmensi* vix credas omnes Urbi illi præfuisse. Sed ecce Chartam ipsam.

Ade-

## Adelaidis filiæ Hugonis Comitis donatio facta Monasterio Sancti Prosperi, nunc Sancti Petri, Regiensis Urbis, Anno 1092.

*IN nomine Dei eterni. Anni ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo Nonagesimo Secundo, XI. die Aprilis, Indictione XV. Monesterio Sancti Prosperi Confessoris sito foris prope Regii, ubi nunc* Domnus Pacificus Abbas *preesse videtur. Nos in Dei nomine* Adelaxe filia Ugoni Comes, & relicta *quondam* Widonis de Comitato Parmensis, *&* Wido *filius Alberti; qui professa sum Lege Alamana vivere. Manifestum est vobis, quod . . . . . . &* Guilia *nurus mea per . . . . . . jure & proprietate suprascripti Monasterii, hoc est rebus & terris juris sui, que esse videntur in loco Gurgo, & est per mensura justa juges ses; & si ampliusque fuit, tenta & laborato per Alberto Scafo. Unde promittimus modo etiam nos, qui supra Adelaxe &* Wido*, ut nullum umquam in tempore abeamus licenciam & potestatem per ullumvis ingenium vel . . . . . . occasione quod fieri potest &c. agere vel causare per nos &c. Quod si aparuerit &c.*

*Actum in Castronqvo feliciter.*

*Signa manuum Adelaxe &* Wido*, qui hanc Cartulam promissionis rogaverunt fieri ut supra.*

*Signa manuum Bernardi, Widonis, Agiraldi, Odoni, Alberti, Opizonis, & item Alberti, rogati testes.*

*Ego qui supra Gerardus Notarius Sacri Palacii rogatus scripsi.*

Redeo ad formulam *de Comitatu* absque voce *Comitis* interdum usurpata, ut inquiratur, num forte sola *Comitem* significarit, an locum tantummodo designarit, ubi homo ille habitaret. Lectorem regredi mecum non pigeat ad laudatum Archivum Benedictinorum Regiensium, ubi latet Charta autographa, digna & ipsa, quæ proferatur in lucem.

## Donatio facta Monasterio Regiensi Sancti Prosperi à Berta vidua Walfredi Comitis, & ab Alberto ejus filio, Anno 1111.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCXI. Nono Kalendas Februarii, Indictione IV. Monasterio Sancti Prosperi sito loco suburbio Civitatis Regio, ubi nunc* Domnus Pacificus Abbas *preesse videtur. Nos* Berta *filia quondam Gerardi, &* relicta quondam Walfredi de Comitatu Trivixino, *& Albertus filius ejusdem* Walfredi *& meus, que supra Berta, qui professi sumus ego, que supra Berta ex Natione mea Lege vivere Salicha, & ego ipse Albertus Lege vivere Langobardorum, presentes presentibus diximus: quisquis in sanctis &c. Ideoque nos qui supra Berta & Albertus, mater & filius, donamus & offerimus in eodem venerabili Monasterio, idest medietatem de Massaricia una de terra juris nostri, qui supra mater & filii, quam habere & retinere visi sumus in eodem Comitatu Parmensi, in loco, ubi dicitur Casale Cavagnoli, & est de Curte, que vocatur Castrum* Walterii *: & dividitur cum alia medietate de Massaricia quadam, que olim fuit* Comitisse Donelle; *sed nunc esse videtur ejusdem Monasterii Sancti Prosperi, cum terris & vineis seu pratis, & cum omnibus jure adjacentiis &c. Etiam & donamus & offerimus nos, qui supra mater & filius, eidem venerabili Monasterio Sancti Prosperi, idest petiam unam de terra cum vitibus, què jacet in loco, ubi dicitur Roncore, in eadem Curte Castri* Walterii *prope silvam ejusdem Curtis &c. Et quidem spondimus atque promittimus nos, qui supra mater & filius, suprascriptam donationem, qualiter superius legitur &c. in integrum ab omni interdicente homine desensare &c. Et insuper ego, que supra, Berta obligo me sub pena, que est auri obrizi uncias decem, argento pondera viginti &c.*

*Actum Runcalie in casa domnicata ejusdem matris & filii, feliciter.*

*Signum manuum jam dicte Berte & Alberti, mater & filius, qui hanc Chartulam offersionis fieri rogaverunt ad omnia, ut supra.*

*Signum manuum Agicardi filii Gosberti, & Ugonis filius Alberti, & Beneincasa filii Johannis Decani, & Bulgarelli Maleassetati, nec non Alberti Pinzabona, atque Armani filii Taurelli testes.*

*Signum manuum Laurentii Vixoso, seu Uberti de Campigine, atque Viviani de Monticello, Lege Salicha viventes, testes.*

*Ego Johannes Palatinus Judex Scriptor hujus Chartule offersionis post traditam complevi & dedi.*

Supra in Charta Bosonis Archidiaconi Parmensis occurrit nobis *Comes* quoque W*alfredus* & *Berta uxor ejus*. Heic autem obviam rursus habemus *Bertam relictam quondam Walfredi de Comitatu Trivixino*. Nulla dubitatio, quin heic & illic idem sit Walfredus; ac proinde suspicio suboriri potest, formulam *de Comitatu* adhibitam olim fuisse in Regiensi Urbe, & locis conterminis, ad significandum *Comitem*. Inter hasce tenebras, quales & ego fateor, oculi convertantur ad Chartam Anno MXLV. scriptam, atque editam à Bacchinio in Appendice Historiæ Padolironensis, in qua memoratur *Gisla filia Arduini filium quondam Attonis de Comitatu Parmensi*. Hic Arduinus non alius fortassis est quàm supra laudatus *Arduinus Comes de Comitatu Parmensi*. Alteram membranam profert idem Bacchinius pertinentem ad Annum DCCCCLVIII. ubi spectandum se præbet *Atto filio quondam itemque Attoni de Comitatu Parmensi*, qui sexaginta denariorum libras se recepisse fatetur ab *Adalberto, qui & Atto, Consobrino meo, filio quondam Sigefredi de Comitatu Lucensi*. Sigefredus iste est omnium antiquissimus, quos hactenus noverimus, inter Majores celeberrimæ Comitissæ Mathildis; Atto verò heic memoratus ex fratre ejusdem Sigefredi natus est. Accedat nunc & Donizo, qui Lib. I. Cap. 2. sui Carminis de eodem Sigefredo verba faciens, hac ipsâ dicendi formulâ est usus.

*Atto fuit primus Princeps, astutus ut hidrus,*
*Nobiliter verò fuit ortus de Sigefredo*
*Principe præclaro Lucensi de Comitatu.*

An ergo Proceres isti, eâ formulâ descripti, *Comites Lucæ* ac *Parmæ* fuisse, censendi? Ego affirmare non ausim, quippe in Chartis Adalberti Attonis Sigefredum ejus parentem numquam deprehendi donatum titulo *Comitis*. Verùm exempla suppetunt Comitum & Marchionum, quorum Notarii prætermisso titulo mentionem faciunt. Præterea Donizo Sigefredum *Principem* appellat: quæ appellatio nescio an eo Sæculo aliis deferretur, quàm Episcopis, Ducibus, Marchionibus, & Comitibus. Attamen rem innuisse contentus, dubiam relinquo; occurrit quippe alibi hæc formula tantummodo designans Habitatorem, ut ajebant, alicujus Comitatus.

Ex diverticulo ad *Comites Pagenses* redeo, eorumque institutionem vel ante Annum à Christo nato Millesimum invenio. *Landenulphum Comitem Castelli Calinuli* exhibet nobis Charta Aloaræ Principis Capuanæ scripta Anno DCCCCLXXXVIII. & inserta in Chronico Sancti Vincentii ad Vulturnum Part. II. Tom. I. Rer. Italicar. ut alios dimittam ejusmodi Comites in Historia Langobardor. Princip. à Peregrinio recensitos. Neque eorum vestigia apud Insubres desunt, uti fidem faciet pergamena, quam olim mihi describendam curavit Lazarus Augustinus Cotta ex eruditione sua adhuc post mortem commendandus. Ibi vel Anno DCCCCXLV. *Gropardus Comes de Castro Fontaneto* nobis occurrit, uti ex ipsa Charta palam fiet, quæ descripta fuit ex archetypo adservato in Archivo Canonicorum Insulæ Sancti Julii Diœcesis Novariensis.

## Hugo & Lotharius Italiæ Reges Richardo homini Sæculari tres Mansos una cum Servis ibi morantibus donant, Anno 945.

*IN nomine Domini Dei eterni. Hugo & Lotharius divina providente clementia Reges. Regalem decet excellentiam subditis sibi fidelibus gratuiti muneris dona prebere. Quocirca omnium fidelium Sanctæ Dei Eklesiæ, nostrorumque presentium & futurorum devotio noverit, qualiter interventu ac petitione* Ingelberti Comitis, *dilectique fidelis nostri, per hoc nostrum Preceptum, prout juste & legaliter possumus, confirmamus, ac korroboramus, concedimus, donamus, atque largimur* Richardo *cuidam* nostro fideli *Mansos tres positos in Valle Sieida in Villa Aureliako, sicut quondam fuerunt possessi à* Gropardo Komite de Castro Fontaneto, *una cum servis ibi residentibus, quorum nomina sunt Custa, Hilarius, Dominicus, reliquisque servis & ankillis ad ipsas res & Massaritia pertinentibus: verum etiam kum terris, vineis, kampis, pratis, pascuis, silvis, molendinis, piscariis, kasis, montibus, vallibus, alpibus, planitiebus, aquis, aquarumque decursibus, & cum omnibus, que dici vel nominari possunt, ad ipsas res & Mansos aspicientibus in integrum, ut habeat, teneat, firmiterque possideat ipse, suique heredes, habeantque potestatem tenendi, donandi, vendendi, kommutandi, alienandi, pro anima judicandi, vel quidquid eorum decreverit animus faciendi, omnium hominum controversia remota. Si quis igitur hujus nostri Precepti confirmationem seu largitionem aliquando infringere konatus fuerit, sciat se kompositurum auroptimi libras quinquaginta, medietatem Kameiræ nostræ, & medietatem prefato Rikardo, suisque heredibus. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manibus propriis roborantes, anulo nostro insigniri jussimus.*

*Signa Serenissimorum*  *Hugonis & Lothaaii Regum.*

*Crodulfus Diaconus & Regius Capellanus Regio jussu recognovi.*

Locus Sigilli cerei.

*Data IV. Nonas Martii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLV. Regni vero Domni Hugonis XIX. Lotharii XIV. Indictione III.*


*Actum Papiæ feliciter. Amen.*

Facta est supra mentio *Comitum Tarvisinorum*. Ex iis originem ducit illustris & generosa propago Comitum de Collalto, inter quos præcipue splendet Antonius Rambaldus Collalti Comes, nunc intimus Consiliarius Augustissimi Cæsaris CAROLI VI. Ex ejusdem Comitis Tabulario desumtum Diploma producere nunc juvat, ad illustres ejus majores spectans, quod singulari erga me amori debeo Abbatis Henrici de Collalto.

Otto

## Otto III. Germaniæ & Italiæ Rex Rambaldo Comiti Tarvisino nova donat, & vetera confirmat, Anno 994.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Otto divina favente clementia Rex. Si fidelium nostrorum omnium digne perpendentes servitia, fidelitatem eorum æque recompensaverimus emolumentis, fideliores eos nobis per omnia esse imposterum nemo quis ambigit. Unde universis nostris fidelibus, presentibus scilicet & futuris notum facimus, quomodo nos interventu* Willigisi Maguntine Sedis Archiepiscopi *charissimi, ac ceterorum fidelium nostrorum, per hujus nostri Precepti paginam* Raymbaldo *nostro honorabili donavimus Massaricias Regales quinque in Vico Nervisia, juxta fluvium Plavim. In Vico autem, qui Moschalinus dicitur, Massaritios duos, juxta fluvium Glauram. Quod si in eadem Villa tantum non invenitur Regii juris, ut adimplere ipsos duos Massaritios non possimus, ubi plus secum præfatam Villam reponatur nostri juris, per hanc nostram concessionem tribuimus. In Vico autem, qui vocatur Silva Ellerossa, aut ubi propius habemus, Massaritios quatuor. Iterum in Vico, qui Videlacus vocatur, Mansum Regalem unum. Et idem in Vico, qui Casacurva vocatur, quam* Wangerius *edificavit, seu ubi propius nostri juris invenit, duos Mansos. In Villa vero, que Salla vocatur, duos Mansos similiter. Insuper etiam quicquid Regii juris infra muros Trivisanæ Civitatis invenitur, huic donationi largimur. Extra eandem Civitatem Mansum unum in Auroliaco: Mansum unum in Burgoliaco: Mansum unum in Villa Sala. Ad hec etiam dedimus ei Mansum Regalem inter Mestre & Pauteliano & Brentulo; & in Silva Gajo non longe Edrino Mansum unum cum silva & pascuis; & in Villa Sancti Andradi non longe Paulano Mansum unum; in fine Surmatie Mansum unum: & hoc scitote, quod ad nostrum hobum* (*) *pertinet, XC. jugera; & si ibi non inveniuntur, ubi propius habemus, adimpleatur. Qui simul viginti quatuor Regales Mansi in prenominatis locis rejacentes, sediminibus, campis &c. Insuper etiam forestum de Montecello, quod ad Curtem Luvadinam pertinere videtur; & si quid plus in eodem foresto, quam quod ad eamdem Curtem pertineat, nec non & universas alias Terras, quas supradictus* Comes, *aut* Genitor *ipsius a quibuscumque Imperatoribus vel Regibus precepturie nomine habuerunt, sub hac eadem confirmatione donamus ac percipimus, cum universis venationibus & piscationibus, seu quibuscumque aliis appendiciis, que dici possunt, que juste & legaliter de nostro jure impertiri possumus, que omnia in* Comitatu Tervisiano *rejacere videntur. Insuper etiam dedimus de nostro Regio jure in suum jus nostri juris servum unum . . . . . . . nomine, ut quod sibi libuerit de predicto servo faciat. Si quis autem quod minime credimus &c.*

*Signum Domni Ottonis*  *gloriosissimi Regis.*

*Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani Episcopi & Archicancellarii recognovi*

*Datum XIX. Kalendas Decembris, Anno Dominice Incarnationis DCCCCXCIV. Indictione VII. Anno autem Tertii Ottonis Regnantis X.*

*Actum in Duello, feliciter. Amen.*

Quod etiam considerandum est, etiamsi ex possessione Comitatus Tarvisii exciderint ejusmodi Comites, attamen perrexerunt Augusti impertiri eisdem Investituram ipsius Comitatus, uti constabit ex altera Charta in eodem Archivo adservata. Miraberis sane, quei post Paeem Constantiæ Anno MCLXXXIII. stabilitam, in qua Tarvisinæ Civitati, non secus ac aliis Lombardiæ Civitatibus, Libertas à Friderico I. Augusto, ejusque filio Henrico Rege concessa est, adhuc idem Henricus *Rambaldo Comiti Tarvisinæ Urbis* regimen, sive Comitis Tarvisini dignitatem confirmet. Id fortasse factum, quia, ut innui in Dissertat. VI. *de Marchionib.* etiam post arreptam à Civitatibus Italicis libertatem, eisque confirmatam ab Imperatoribus, nihilo tamen secius Marchiones & Comites dejecti non desierant Investituram petere ac impetrare jurium antiquorum ab Imperatoribus. Perfectum utique non est Diploma, quod nunc sum editurus; quale tamen mihi traditum fuit, Lector etiam accipiet.

(*) Du-Changius in Glossario Med. & Infim. Latinitatis pag. 802. *Huba, Hoba, Hova, Hobunna, &c. Modus agri cum habitatione coloni.*

## Investitura Comitatus Tarvisii data ab Henrico VI. Romanorum Rege Rambaldo Comiti, Anno 1191.

*Henricus divina favente clementia Romanorum Rex & semper Augustus. Regia consuevit liberalitas fidelia fidelium obsequia clementer respicere, eisque, qui per fidei sinceritatem & præclara meritorum obsequia magis se nobis acceptos reddiderunt, munificentiæ dexteram extendere, donisque amplioribus honorare. Eapropter ad notitiam universorum Imperii fidelium tam futurorum, quam presentium volumus pervenire, quod nos attendentes fidelitatem & honestatem* Comitis Rambaldi de Tarvisio, *recepimus ipsum in familiaritatem nostram fidelitate nobis jurata, & ipsum investivimus* de Comitatu Tarvisii, *sicut* Comes Schenella *Pater ejus, &* Comes Manfredus *Patruus ipsius, Comitatum illum integre ab Imperio tenere consueverunt. Hanc itaque concessionem ei damus & confirmamus, ita ut si qua alia concessio alicui personæ cujuscumque sexus contra jus prædicti Comitis Rambaldi à nostra Serenitate facta inveniatur, irrita habeatur. Nos enim non intelleximus, nec recognoscimus de jure Comitatus prædicti alicui personæ, nisi ipsi Rambaldo, quicquam nos concessisse. Ut igitur hæc nostra concessio firma perpetuo maneat & inconvulsa, præsentem inde paginam conscribi, & Sigilli nostri impressione jussimus communiri. Statuentes, & Edicto Regio sancientes, ut nulla omnino persona alta vel humilis, Ecclesiastica vel Secularis contra eam venire vel ausu temerario eam præsumat infringere. Quod qui fecerit, viginti libras auri pro pœna componat, medietatem Cameræ nostræ inferendam, reliquam partem injuriam passis persolvendam.*

*Datum in nemore juxta Cornazzanum, Anno Domini MCXCI. Indictione IX. Septimo Idus Aprilis.*

Quamobrem qui post Sæculum Christi Decimum Comites dicebantur, in ea dignitate parentibus & agnatis succedebant: quod olim minime stabile fuit. In Vita Sancti Nili Abbatis Calabri, edita Tom. VI. Veter. Scriptor. à PP. Martene & Durando, commemoratur *Regulus quidam, quem Comitem vocant in regionibus illis.* Verùm dimissis tamdem *Comitibus*, nunc restat, ut aliquid adferamus de *Vicecomitibus*, quorum pariter est perantiqua institutio, & magno olim in honore habita fuit Dignitas. An isti à *Vicariis* sæpe apud Veteres memoratis diversi plane fuerint, disputari posset. Nam quod in omnibus fere Officiis accidit contingebat etiam *Comitibus* Civitatum Rectoribus, nempe ut & ipsi ab usu muneris sui interdum feriari cogerentur, sive ob ægritudinem corporis, sive propter bellorum necessitatem, aut quod ad Imperatorum Regumque Palatium evocarentur, aut ob alias caussas: quo tempore, nisi eorum vices quisquam alius sustinuisset, Urbium tutelæ ac Populorum regimini male consultum fuisset. Quare mos invectus, ut & ipsis Comitibus *Vicarius* daretur, appellatus propterea *Vicecomes*: qui non solùm præpedito Comite publicis rebus præesset, vigilique curâ vacaret, sed etiam, ut conjecturæ ferunt, peculiari quapiam ordinariæ ditionis portione frueretur. Vel ipsis temporibus Sancti Gregorii Magni Papæ occurrit mentio *Vicecomitum*, quos deinde Italica Lingua appellare consuevit *Visconti*. Commendans enim Sanctus Pontifex in Epistola 18. Lib. 8. Indict. I. editionis Benedictin. Agnello Episcopo Terracinæ, ut quosdam superstitiosos mores à suo grege amoveat, hæc subdit: *Scripsimus autem & Mauro Vicecomiti, ut Fraternitati vestræ in hac re debeat adhibere solatia* &c. Quibus ex verbis aliquid Judiciariæ potestatis vel Sæculo illo commissum *Vicecomitibus* elucere videtur. Ita in corpore Legum Langobardicarum Lib. 2. Tit. 30. Lege 2. edition. Lindenbrogii & Goldasti, Carolus Magnus Imperator edicit, ne Servi venumdentur, nisi coram Episcopo, aut Comite, aut *Vicecomite*, aut aliis Reipublicæ Ministris. *De mancipiis*, inquit, *quæ venduntur, ut in præsentia Episcopi, vel Comitis sint vendita, aut Archidiaconi, & Centenarii, aut Vicedomini, aut Vicejudicis, vel Vicecomitis, aut ante bannum nota testimonia.* Baluzius Tom. I. pag. 861. Capitular. Reg. Francor. idem referens decretum, *Vicecomitis* vocabulum omittit, & legit *Vicedomini, aut Judicis Comitis.* Verùm & in Codice MSto Bibliothecæ Estensis, cujus ope Leges Langobardicas à me quoque editas Par. II. Tom. I. Rer. Italicar. emendavi, *Vicecomitis* vox occurrit. Et sane veri valde videtur simile, non prætermissam ibi *Vicecomitum* mentionem, qui Centenariis ac Judicibus ordinariis præibant. Porro hujusce muneris est aperta commemoratio in Capitulari Caroli Calvi Francorum Regis ad Annum DCCCLXIV. Illic enim *Vicecomites* Monetæ præficiuntur. Ita se habet Lex illa apud Baluzium Tom. II. pag. 179. *Habeat unusquisque Comes, in cujus Comitatu Monetam esse jussimus, Vicecomitem suum, qui cum duobus aliis hominibus* &c. Accedat nunc testis locupletissimus Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis, qui Ludovici Pii Augusti ætate floruit. Is in Tractatu de Insolen. Judæor. in hæc verba scribit: *Venientes Judæi dederunt mihi Indiculum ex nomine vestro, & alterum ei, qui Pagum Lugdunensem Vice Comitis regit* &c. Ubi animadvertendum, voce *Pagus* nequaquam significari Castellum quodpiam aut Villam, sed quidem *Regionem* universam, hoc est tam Civitatem quàm Comitatum Lugdunensem, sive totam ditionem non minus *Comitis*, quàm ei subnexi *Vicecomitis*. Sed longe antiquiorem *Vicecomitum* mentionem rursus nobis offeret Vita Sancti Mauri Abbatis, scripta, ut fertur, à Fausto ejus æquali apud Mabillonium in Actis Sanctor. Ordin. Sancti Benedicti Sæculo primo, pag. 291. ubi hæc verba: *Prædictus denique vir Florus, quum in omni Regno Theodeberti Regis summam obtineret potestatem, ac Vice Comitis in Andecavensi eo tempore fungeretur Pago.* An iis temporibus plures forent unius Comitis *Vicecomites*, & an Castellis seu Pagis præessent Ministri, titulo *Vicecomitis* usi, exploratum satis non habeo. Certum quidem est, *Vicarios* complures in agro Civitatum fuisse constitutos. Baluzius Tom. 2. Capitular. pag. 1464. Chartam Anno DCCCLV. exaratam profert, in qua locus commemoratur situs in *Pago Parisiaco* (sive in Comitatu aut Districtu Parisiorum) *in Vicaria Buciaxinse, in Villa Dubro.* Certum pariter futurum est,

*Vice-*

*Vicecomitibus*, quod sub Comite Urbem quampiam regerent, appellationem hanc datam fuisse. Et quidem opportune obtulit se mihi egregium monumentum, quod archetypum vidi inter Chartas antiquissimi Veronensis Monasterii Sancti Zenonis. Placitum nempe in ea Urbe habuit Anno Christi DCCCLXXX. *Adelardus Servus servorum Dei*, idemque *Veronensis Episcopus*, *&* *Missus* Caroli Crassi tunc Italiæ Regis: cui etiam interfuit *Audakari Vicecomes Civitatis Veronensis in vice Walifrit Comitis*. Tabulas accipe, atque ibi *Nothekarium virum illustrem* obvium habens, cum iis Monachis contendentem, liceat tibi suspicari, ex ipso prodiisse Nothekerium, qui subsequente Sæculo Decimo Veronensem Cathedram tenuit.

## Judicatum Adelardi Veronensis Episcopi & Missi Caroli Crassi Regis in Palatio Veronensi, super lite vertente inter Monasterium Sancti Zenonis & Nothecharium illustrem Virum, Anno 880.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi. Dum resedisset* Domnus Adellardus *reverentissimus* Episcopus *Sanctæ* Veronensis Ecclesiæ & Missus Domni Karoli *victoriosissimi* Regis, *considentibus una cum eo* Audakari Vicecomes Civitatis Veronensis in vice Walifrit Comitis, *&* *Marsicus*, *Judices Sacri Palatii*, *Natalis*, *&* *Martinus*, *seu Adelbertus*, *Peresbertus*, *Giselbertus*, *&* *Odelbertus*, *Fredibertus &c. nec non &* *Leo*, *Landebertus de Vico Sico*, *Frombertus &c. Grasulfus Notarii*, *&* *aliis pluribus*, *in Caminata majore in Palatio Regum*, *per jussionem memorati sacerrimi Episcopi*. *Conquestus est Teuderulfus Advocatus Monasterii beati Confessoris Christi Zenonis super* Notekarium Virum Illustrem, *eo quod paburasset Monte*, *qui vocatur Valle Struse*, *cum suis animalibus promiscui sexus*, *&* *secasset illic erbas cum suis liberis hominibus ac servis contra Legem*; *quia* Pipinus *quondam precellentissimus* Rex *ipsum Montem pro anime sue remedio cum aliis rebus in predictum Sancti Zenonis Cenobium contulisset atque delegasset*. *Ad hec Nothekarius iisdem Judicibus*, *si verum esset*, *quod Teuderulfus conquerebatur*, *respondit*: De illo Monte, unde mihi pro se querit, . . . . . . instrumenta Cartarum, & ideo ibi porcionem possideri. *Tunc judicaverunt predicti Judices*, *ut daret Nothekarius vadimonium de ducendis consortibus & Cartis ad Placitum*; *& posuit fidejussore* . . . . *Iterum in altero Placito in presencia prefati Domni reverentissimi Episcopi Adelardi, & prenominatorum Judicum*, *requisivit Teuderulfus Advocatus Monasterii Sancti Zenonis ab eodem Nothekario*, *dicens*: Dedisti nobis vadimonium pro aducendis consortibus & Cartis de Monte, qui dicitur Valle Strusa. Ecce in Placito astans volo, ut mihi ostendas. *Tunc ostendit Nothekarius Cartulam vendicionis*, *que necdum unius anni spacium expleverat*, *in qua continebatur inter cetera*, *quod quidam Odelbertus filius quondam Ragimpaldi* . . . . . . *vendidisset eidem Nothekario suam porcionem Silve in integrum*, *quam ipse habere visus fuit de quondam genitore suo in Monte*, *qui dicitur Valle Strusa*, *quomodo genitor ipsius possessus fuisset*: *& ipse Odelbertus* . . . . . *ipsi Nothekario die presenti & ora vendere visus fuisset tam capilo, pascuo, decima*, *& pensionem cum omnia & in omnibus ipsi Nothekario vendidisset atque tradidisset*, *& accepisset pro ipsa vendicione á jam dicto Nothekario solidos decem &c. Scripta autem atque completa erat ab Angelberto Scriba publico*, *Mense Marcio*, *Anno Primo ejusdem Domni precellentissimi Regis Karoli*, *Indictione Terciadecima* (*). *Perlecta eadem Carta*, *Teuderulfus Advocatus predicti Monasterii dixit*: Carta hec, quam ostendisti, nihil nostre partis adversa est, atque impedit; quia ecce pre manibus abeo Cartam manifestacionis & sponsionis atque promissionis, quam Genitor tuus pro ipso Monte in eodem Monasterio fecit. *Tunc predicti Judices eandem Cartam legere fecerunt*: *in qua videlicet Carta continebatur inter cetera*, *qualiter* Plagimbertus *pater ipsius Nothekario cum* Leone *quondam* Abbate *predicti* Monasterii Sancti Zenonis *altercacionem de Monte Valle Strusa abuerat*. *Et Leo Abbas una cum Suniberto Advocato suo testibus adprobare voluerant*, *quod ipse Mons Valle Strusa*, *qui prius fuerat* Pipini *gloriosissimi* Regis, *&* *ipse eumdem Montem cum aliis rebus Monasterio beati Zenonis contullerat*. *Ob hoc igitur concrediderat se Plagibertus*, *quod ipse Mons proprietas esset Sancti Zenonis &c. Et ipsa Carta repromissionis firmata erat per manu ipsius Plagiberti*, *&* *roborata à testibus idoneis rogatis ab ipso*: *scripta autem atque completa* . . . . . *tradiderat ipsa Cartula per manum Rodulfi Notarii publici*, *Anno divorum Imperatorum Hludowici Nonodecimo*, *&* *Klothari ejus filio Octavo*, *Indictione Decima* (**). *Qua Cartula perlecta*, *tunc interrogaverunt suprascripti Judices Nothekarium*, *si contenderet aliquit contra ipsam Cartam &c. Qui Nothekarius dixit & professus est*: Cartola ipsa, quam à parte Monasterii Sancti Zenonis ostendistis, bona & vera est *&c. Cum ipse Nothekarius taliter professus fuisset*, *tunc judicatum est à prefatis Judicibus*, *quod pars predicti Monasterii Sancti Zenonis eundem Montem Valle Strusa in integrum aberet*, *&* *ipse Nothekarius exinde esse contentus & tacitus*. *Et finita est inter eos ipsa contencio*. *Quapropter ex jussione Domni Sanctissimi Adelardi Episcopi & prenominatorum Judicum scripsi ego Grausulfus Notarius hanc noticiam*, *dictantibus eisdem Judicibus pro futura posteritatis memoria*, *seu firma stabilitate venerabilis loci*, *Anno salutifere ac perenniter adorande Incarnacionis Domini nostri Jesu Christi DCCCLXXX. Principatus autem Domni Serenissimi Karoli Regis hic in Italia Anno Secundo*, *die Vicesimo octavo Mensis Decembris*, *Indictione Quartadecima feliciter*.

Adelardus servus servorum Dei, Sanctæ Veronensis Ecclesiæ Episcopus ac Missus subscripsi.

*Natalis Judex Domni Regis interfui*.

*Martinus Judex Domni Regis interfui.*

*Ego Adelbertus Scavinus ibi fui.*

*Ego Gisalarius Scavinus ibi fui*, *&c.*

*Signum manus Framberto*, *qui interfuit*, *&* *manum suam posuit &c.*

In Dissertation. XLI. *de Nominib. & Agnominib.* ostendam, nutare Pagii sententiam contendentis, die Natali Domini Anni DCCCLXXX. peractam fuisse Romæ coronationem

Ca-


(*) i. Anno Christi DCCCLXXX.

(**) Hoc est Anno DCCCXXXII.

Caroli Crassi Augusti. Meam sententiam & ista Charta confirmat. En ut *Anno DCCCLXXX. die XXVIII. Mensis Decembris, Indictione XIV.* is Rex tantummodo appellatur, atque *Annus Secundus Regni* ejus decurrit, nulla Imperii commemoratione facta. Neque putes Annum hunc à Nativitate Domini exordium cepisse. Nam *Indictio XIV.* revera indicat *Annum* 880. quum Septembri Mense in cursu eadem cœperit esse. Præterea, ut alia Vicecomitum vestigia colligamus, membranam vidi in Mediolanensis Ambrosiani Cœnobii Archivo scriptam *Anno Hludowici Imperatoris Vigesimo . . . . . . Indictione III.* hoc est, quantum quidem arbitror, Anno Christi DCCCLXX. nisi referenda sit ad primos menses Anni DCCCXL. quo Ludovicus Pius Augustus è vivis excessit. *Noticiam firmitatis* Charta illa exhibet, in qua *Amalricus Vicecomes Civitatis Mediolanensis, filius quondam Walderici, qui fuit Vicecomes ipsius Civitatis, per pampanum vitis & . . . . .* (nihil aliud oculi mei mihi exhibuerunt nisi *concæll.* fortasse *cultellum*) *seo festugum nodatum, atque vasone terre* &c. Ergo is Salicæ seu Francicæ nationis fuit. Sub finem quoque Sæculi Christianæ salutis Noni occurrit mihi *Ingelbertus Vicecomes Parmensis* in Diplomate Lamberti Imperatoris. Ejus archetypum in suo Chartophylacio adservant Cathedralis Regiensis Ecclesiæ Canonici. Quo rariora sunt ejusmodi monumenta ad Seculares viros spectantia, eo libentius hoc proferam.

## Lantbertus Imperator Corticellam in Comitatu Regiensi positam donat Ingelberto Vicecomiti Parmensi, Anno 895.

*IN nomine Sancte & Individue Trinitatis. Lantbertus divina favente clementia Imperator Augustus. Si nostrorum fidelium petitionibus aures pietatis nostre accommodamus, eorumque vota ducimus ad perfectum, presentes atque futuros nostræ fidelitati reddimus promptiores. Ideoque omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ tam nostrorum presentium, quàm futurorum noverit sollertia, quia Domina & Genitrix nostra* Ageltruda *gloriosissima* Imperatrix Augusta *pariter cum Liutaldo fidelissimo Vasso nostro nostram Cesaream flagitavit clementiam, quatinus pro divino intuitu nostræque mercede animæ, & stabilimento Imperii nostri, cuidam fideli nostro Vasso scilicet* Radaldi Illustrissimi Comitis *atque summi Consiliarii nostri*, Ingelberto *nomine, seilicet* Vicecomiti Parmensi, *quandam Corticellam juris Imperii nostri hactenus pertinentem de Comitatu Regiensi, sitam in loco, qui dicitur Ripa Alta, cum decem sortibus, servis quoque & ancillis, seu ceteris diversis possessionibus tam mobilibus, quàm immobilibus ad eamdem Corticellam juste & legaliter pertinentibus seu aspicientibus in integrum jure proprietario per hoc nostræ Serenitatis Preceptum concedere dignaremur. Nos quoque ob amorem Omnipotentis Dei & intercessionem tantæ Genitricis ac Dominæ nostre, ejusque continuum famulatum, hoc nostræ pietatis Preceptum fieri jussimus, per quod eidem Ingelberto fideli nostro, suisque heredibus ac proheredibus in æternum predictam Corticellam positam in jamfato loco vocato Ripa Alta, cum omnibus pertinentiis & adjacentiis suis in integrum, ubicumque sunt positæ tam in Comitatu Regiensi quamque Parmensi, aliisque vocabulis, scilicet cum jam dictis decem sortibus, casis, edificiis, mansionibus, terris cultis & incultis, campis, vineis, pratis, pascuis, silvis, stalariis, virgariis, ripis, rupinis, arboribus pomiferis & impomiferis, aquis aquarumque decursibus, seu molendinis tam in montibus, quàm in planiciebus, omnia & ex omnibus in integrum, & quicquid dici vel nominari potest, ad eamdem Corticellam legaliter pertinere debere de nostro jure & potestate funditus concedimus & perdonamus, ut idem Ingelbertus fidelis noster, ejusque heredes ac proheredes ab hac die in æternum jure proprietario potestatem habeant eandem Corticellam sicut superius legitur, per hoc nostrum Imperiale Preceptum tenendi, possidendi, donandi, vendendi, commutandi, seu pro animabus suis dijudicandi, vel quicquid voluerint faciendi, remota totius personæ & publicæ potestatis inquietudine. Quicumque igitur temerator hoc nostræ donationis seu traditiouis Imperiale Preceptum aliquando infringere temptaverit, sciat se compositurum auri obrizi Libras triginta, medietatem Palatio nostro, & medietatem sæpedicto Ingelberto Vicecomiti, ejusque heredibus ac proheredibus, aut cui easdem res ordinaverint possidendas. Et ut ab omnibus verius credatur, diligentiusque per omnia tempora observetur, manu propria subter confirmavimus, & de anulo nostro jussimus insigniri.*

*Signum Domni*  *Lantberti Serenissimi Imperatoris Augusti.*

*Heimericus Notarius ad vicem Helbunci Archicancellarii recognovi.*

*Locus Sigilli cerei deperditi.*

*Data Anno Incarnationis Domini DCCCXCV. Domni quoque Lantberti piissimi Imperatoris V. Octavo Idus Decembris, Indictione XIII.*

*Actum Regiæ Civitatis, in Dei nomine feliciter. Amen.*

*Radaldi* nomen, qui in hac Imperiali largitione inscribitur, *Illustrissimus Comes atque summus Cancellarius noster*, alio in loco Operis hujus recurret, ubi titulo *Marchionis* insignitum deprehendemus. Tu interim, perlecto hoc Diplomate, tecum recogita, quis Supremus Princeps tunc foret Regiensis ac Parmensis Urbis, & an ejusmodi Urbes intra fines Exarchatus Ravennatis tunc concluderentur. Quod autem minime prætereundum, mihi describenti plane visum est authenticum sive originale hujusmodi Diploma. Et nihilominus dissimulare in præsentia nolo, suboriri heic posse non levem in re Chronologica ac Diplomatica controversiam. Supra in Dissertat. VI. de *Marchionib.* productum à me fuit alterum Diploma Anno DCCCXCII. à Guidone & Lamberto Augustis datum. Atqui Monogramma Lamberti illic non omnino convenit cum Monogrammate Diplomatis, quod nunc evulgavi. Est-ne hac de caussa alterutrum falsi arcessendum? Minime gentium, si quid mea valet sententia; sed putandum potius aut gemino Monogrammate usum fuisse Lambertum, aut subla to è vivis Guidone Augusto patre suo, immutatum nonnihil fuisse ab eo in usurpatâ illuc usque subscribendi formâ. Præterea apographo, non autem archetypo sum usus in describendo priori Diplomate; neque mirum foret, si Librarius cæspitasset in Monogrammate pingendo. Rursus heic animadvertas *Indictionem XIII.* conjunctam cum *die VIII. Idus Decembris Anni DCCCXCV.* Rarum id alicui videatur, quum à Kalendis Septembribus, aut serius, eodem tamen mense, nova Indictio adhiberi consuesceret, uti ex innumeris exemplis constat; Decembri autem Anni DCCCXCV. Indictio XIV. in usu futura erat. Verum complura etiam exempla suppetunt continuatæ Indictionis à Kalendis Januarii usque ad finem Anni, ita ut nihil opus sit heic verba profundere. Denique ex Diplomate nunc edito videtur Lambertus ad Imperiale solium Anno DCCCXCI. ante diem VI. Decembris ascendisse, quum contra Pagius vir magni nominis in Critica Baroniana contendat, Anno tantùm sequenti DCCCXCII. eumdem renuntiatum fuisse Augustum. Heic sane vereor, ne aliquis error subsit, & pro *Anno V. Imperii* scribendum sit *Anno VI.* Mihi enim Pagii hac de re sententia proculdubio videtur præferenda. Animadverte Diploma alterum in prælaudata Dissertatione *VI. de Marchion.* à me productum, ex quo Pagii opinio confirmari potest. Et ad ipsam quidem quæstionem pertinent Chartæ duæ, quarum unam servat Archivum Cathedralis Mutinensis, datam *Anno VII.* Imperii Lamberti, *Pridie Kalendas Octobris*, *Indictione II.* hoc est Anno DCCCXCVIII. alteram verò legebam Arretii in Tabulario Canonicorum ejus Urbis, scriptam *Anno VII. Tertio Nonas Septembris Indictione II.* hoc est eodem Anno DCCCXCVIII. Tria quoque vidi monumenta, ad hunc ipsum Annum spectantia in ditissimo Archivo Archiepiscopii Lucensis, scripta *Julio mense*, *Indictione I. Anno VII.* idest eodem Anno DCCCXCVIII. Sed quid tria dixi? Sunt ibi & alia eodem Anno data, & his notis signata: *Anno VI. Imperii Domini nostri Lantberti gratiâ Dei Imperatoris Augusti*, *XVII. Kalendas Majas*, *Indictione I.* hoc est Anno DCCCXCVIII. Sunt & alia data eodem Aprili: sunt & exarata Martio mense cum *Anno Sexto*. Ad hæc ibi occurrit permutatio prædiorum facta à Petro Lucensi Episcopo *Anno VII. Imperii Lantberti*, *Quinto Idus Majas*, *Indictione I.* videlicet sæpe dicto Anno DCCCXCVIII. ita ut sub finem Aprilis Anni DCCCXCII. Imperiali coronâ donatus videatur Lambertus. Consule etiam Dissertat. LXXIII. *de Monaster. in benefic. dat.*

Interea, tricis istis dimissis, quæ tolli tantummodo possint ab homine sub oculos habente, quotiescumque opus est, singula hæc, atque alia monumenta, ad *Vicecomites* redeamus. Spectasse ad *Comites* eligere sibi suum *Vicecomitem*, recte infert eruditissimus Baluzius ex Epistola Agobardi ad Matfredum, ubi sermo fit de Bertmundo Comite Lugdunensi, *qui bene satis habeat ordinatum de justitiis Comitatum suum; eo quod talem Virum Pro Se constituerit ad hæc peragenda, qui non solùm propter amorem & timorem Senioris sui id strenue gerat &c.* Porro quoties eveniebat, ut Comes abesset; tunc præcipue munus *Vicecomitis* erat, Placitis sive Judiciis publicis præesse, ac ministrare justitiam. Apud Du-Cangium in Glossario Latinit. ad vocem *Vicecomes* Placitum memoratur habitum Viennæ in Gallia Anno DCCCLXIII. ubi hæc verba: *Veniens Witfredus Ecclesiæ Sancti Mauricii Advocatus publice in Viennam Civitatem in presentia Domni Ardoini ejusdem Ecclesiæ venerabilis Archiepiscopi, & Erluini Vicecomitis Missi Illustris Bosonis Comitis, vel Judicum, qui ibi aderant.* Verùm quum *Missus* hic fuerit, non ordinaria, sed delegata censenda est illius auctoritas. Videtur autem jus iis tantummodo fuisse ad decernendas lites levis momenti: idque fortassis haurias ex Lege 69. Caroli Magni inter Langobardicas, quæ ita se habet: *Ut inte Vicarios nulla criminalis actio diffiniatur, nisi tantùm leviores Causæ, quæ facile possunt judicari.* Sunt quæ suadeant, sub nomine *Vicariorum* designari *Vicecomites Rurales*: quod tamen affirmare pro certo non ausim, quamquam occurrat & in aliis Legibus mentio *Vicariorum* sub eâdem semper significatione. Procedente deinde tempore variis mutationibus obnoxia fuit auctoritas ac dignitas *Vicecomitum*. Nam sublatis è medio *Comitibus* in quampluribus Italiæ Urbibus, ibi quoque evanuit *Vicecomitum* munus ac nomen. Contra sive quod adhuc pergerent non pauci è *Comitibus Ruralibus* suam tueri potentiam, & constituere *Vicecomites Pagenses* in Castellis & Pagis, sive quod veteres Vicecomites Pagum aut Castellum aliquod veluti suæ dignitatis patrimonium titulo stabili (forsitan etiam Feudi) possiderent: idcirco, amotis etiam Comitibus, audimus *Vicecomitum* nomen in veterum monumentis. Dimidium *Vicecomitatus de Valle Tellina* Anno MVI. Henricus inter Reges Sanctus Eberardo Comensi Episcopo dono dedit. Præterea alicubi *Vicecomites* Dignitatem suam ac Titulum ad filios ac posteros ex concessione Regum, aliorumve Seniorum, transmisere, quippe eorum locorum investiturâ per Feudum donati, ac si *Comites* forent. Propterea in Chronico Gaufredi Prioris Vosiensis, atque in aliis Aquitanicis Historiis à Labbeo in Nova Bibliothec. Tom. 2. pag. 280. & seqq. occurrunt *Vicecomes de Segur*: *Vicecomes de Albusson*: *Vicecomes de Comborn*, cum aliis ejus oræ quamplurimis. Et præcipue illic in æstimatione non vulgari fuerunt *Vicecomites de Tarre*, nunc *di Turena* appellati, & *de Ventadur*, & *Lemovicenses*, ut alios præteream, qui post

Sæ-

Sæculum à Christo nato Decimum inter Galliarum Principes numerabantur, hoc uno Titulo insigniti. Immo nostris etiam temporibus in illustribus quibusdam Galliæ & magnæ Britanniæ Familiis honorificum hoc nomen & munus perdurat.

Ad Italiam quod attinet, jamdiu evanuit *Vicecomitum* officium. Eos olim Langobardia novit, ac multo in honore habuit. Donizonem audi Lib. I. Cap. 13. Vitæ Mathildis, qui veluti rem memoriâ dignam narrat, *Albertum Vicecomitem* descendenti in Italiam Henrico inter Augustos secundo Anno MXLVI. obtulisse, seu dono dedisse centum equos & ducentos astures:

*Tunc Comes Albertus Vice, dives maxime, Servus*
*Prædictique Ducis, habitator & ipsius Urbis,*
*Cornipedes centum* ——————
—————— *simul obtulit ultro.*

Raptus in admirationem Henricus in hæc verba erupit:

*Quis Vir habet Servos, quales Bonifacius?* —

Quum ex his Donizonis verbis liqueat, Albertum hunc *Servum* fuisse Bonifacii Marchionis & Ducis, qui tunc Mantuæ imperabat, consequi videtur, ipsum fuisse ejusdem Bonifacii Vassallum, aut Ministrum, sive Curialem, & pro ipso *Vicecomitem* ejusdem Civitatis. Quod verò, uti jam præfati sumus, Titulum hunc nonnulli suos ad posteros, veniâ à Regibus, sive Imperatoribus factâ, transmittere cœperint, sensim in Familiæ Cognomen ejusmodi appellatio cessit. Placentiæ spectatissima olim fuit *Vicecomitum* propago, ex qua fluxit Beatus Gregorius X. Papa, Arretii Anno MCCLXXVI. justorum morte surreptus; eamque diversam plane à *Vicecomitum Mediolanensium* Familia fuisse, ostendendum sibi suscepit Petrus Maria Campius in Histor. Placentin. atque in Vita ejusdem Pontificis. *Mediolanensibus* autem *Vicecomitibus*, quorum potentiam Sæculo præsertim Quartodecimo tot Italiæ Urbes sensere, unde obvenerit hic Titulus (Cognomen postea genti factus) definire velle arduum negotium foret. Fortassis olim Vicarii fuerint Comitis Imperialis Mediolanensi in Urbe, aut in Verbano Lacu Pagum aliquem gubernarint, cujus esset Comes Archiepiscopus Mediolanensis. Georgius Merula, Tristanus Calchus, Paullus Jovius, aliique rerum Mediolanensium Scriptores memorant ad Annum MXXXVII. quemdam *Eriprandum Vicecomitem* Mediolani, uti & *Ottonem* pariter *Mediolanensem Vicecomitem*, qui Anno MXCIX. in expugnatione Hierosolymæ Stemma Anguiferum sua fortitudine sibi quæsivit. Horum quoque virorum mentionem habes apud Gualvaneum Flammam in Manipulo Florum, Tomo XI. Rer. Italicar. Immo ejusdem *Eriprandi Vicecomitis* meminit Landulphus etiam Senior in sua Historia, quam consulere potes in earumdem Rer. Italicar. Tomo IV. Ibi is appellatur *Miles Millenarius, è Regali prosapia oriundus*. Verùm quis vadem se statuat, spectasse hunc Eriprandum ad *Vicecomitum* Insubriæ postea Ducum Familiam? *Ottonem* etiam illum, ac Stemmatis originem à fabulis prorsus immunem ego præstare nolim. Quod usu venit in tot aliis rerum humanarum conversionibus, facile acciderit, ut aucta Vicecomitum Mediolanensium potentia sub *Ottone Vicecomite* Archiepiscopo Mediolanensi circiter Annum MCCLXIII. & subsequenti Sæculo mirum in modum propagata, speciosæ alicui fabellæ ansam dederit erumpendi, per quam non minus antiquitas & origo latæ regnantis Familiæ, quàm illius Insignia illustrarentur, neglectâ severiore Veritatis trutinâ. Ceterum vel Anno MCLV. imperante Friderico Ænobarbo Augusto occurrit nobis, teste Ottone Morena in Historia Laudensi ad eum Annum, *Hugo Vicecomes*, qui una cum Mediolanensibus ad opem ferendam Derthonæ obsessæ progressus est. Sed minime constat, cujus loci *Vicecomes* is foret, cujusve Familiæ. Ceterum, ut hoc etiam innuam, in quibusdam Italiæ locis, immo & extra Italiam, diu obtinuit mos appellandi *Vicecomites* quorumdam Castellorum Judices, quos nunc *Potestates* vocamus, eâ, ut puto, de caussa, quod ejusmodi Castella Domini possiderent titulo *Comitis*, nihilque illa ditio penderet ab imperio sive districtu Civitatis alicujus. Petronianum Castrum spectabat olim ad Episcopos Viterbienses, qui & Tuscanenses appellabantur à Civitate Tuscana, cui, longe antequam Viterbium nasceretur, aut caput attolleret, sui erant Episcopi. Qui Castrum pro Episcopo regebat, *Vicecomitis* titulo distinguebatur, uti fidem faciet Charta è Codice Cencii Camerarii depromta.

## De quadam Silva in territorio Reatino posita, locata ad viginti annos à Johanne Cardinali Episcopo Viterbiensi & Tuscanensi, Anno 1198.

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Anno ejusdem MCXCVIII. temporibus Domini Innocentii III. Papæ, mense Augusto, die XIV. intrante, Indictione I. Quoniam rerum gestarum memoria plerumque lapsu temporis perire dignoscitur, ideoque nostri Antecessores antiqui conventiones & pacta voluerint scripta mentibus solemniter retinere: unde ego* Johannes tituli Sancti Clementis Cardinalis, Viterbiensis Tuscanensis Episcopus, *concedo tibi Ricardo, tuisque Nepotibus, videlicet Machabæo & Johanni, unam Silvam, quæ rejacet à loco, qui dicitur Reatino, & habet fines & accessiones, à primo latere Silvam Poli Rainucini, à secundo Caput de Redera, à tertio Castanetum Besanii & Petri Miculi Fuscus, à quarto . . . . . . loco. Et concedo vobis prædictam Silvam, secundùm quod* Vicecomes Petronianus *vobis pede signabit, ad custodiendum & allevandum arbores usque ad viginti annos, tali inter nos existente pacto, quod usque ad viginti annos bene custodietis Silvam, & arbores allevabitis pro posse, & nullas arbores diminuctis, nec per venditionem, nec per alium modum, exceptis scopis, nochis, & carpinis, quæ liceat vobis habere, & quod vobis facere placuerit. Præterea ego Ricardus promitto per me & per nepotes meos tibi Domino Johanni titulo Sancti Clementis Cardinali, de lignis, quæ in Silva fuerint, vobis dare, si necesse fuerit, & similiter*

*liter hominibus de Petroniano circulos, si in Silva fuerint, & alia ligna, quæ necesse fuerint, præfatis hominibus pro suis utilitatibus, videlicet pro Porta, vel pro Ponte, vel pro munitione Castri ad præceptum* Vicecomitis, qui pro tempore fuerit in Castro. *Vicesimo Anno transacto ligna, quæ fuerint in Silva, pro medietate sint communia, ut medietatem habeatis potestatem habendi, tenendi, & judicandi, primò Domino Silvæ interpellato, si comparere voluerit. Et si comparere voluerit, dabimus decem Solidis minus quàm alteri personæ. Et si noluerit, faciatis exinde quicquid volueritis. Terra autem sine molestia ad Dominum Cardinalem in pace revertatur. Et si ego dictus Johannes titulo S. Clementis contra supradicta fecero, pœnam centum Librarum vobis componere promitto. Et si ego Ricardus per me & meos nepotes omnia supradicta attendere noluero, vobis vestrisque successoribus pœnam centum Librarum Denariorum Senatus componere promitto. Et si de Silva fuerit acessata, vobis promitto dare medietatem, & promitto singulis annis Guardianos Silvæ facere jurare Silvam allevare, & arbores custodire, & jus vestrum reddere, ut superius legitur. Et ut supradicta omnia omni tempore magis sint valitura, nos quidem Camageretlus, & Acbohenbaldi, & Tineosus, sumus fidejussores, quilibet in centum Libris in solidum tibi Domino Cardinali, ut quum Ricardus ad tempus Militiæ devenerit, eum facere jurare ad Sancta Dei Evangelia omnia supradicta bonâ fide observare. Insuper ego dictus Cardinalis promitto usque ad dictum tempus ab omni homine jure defendere.*

*Factum est hoc in Palatio memorati Cardinalis: unde ex parte Domini Cardinalis, Carsidonius, & Massararius, Paulus de Bona Petruccii, Johannes de Quilimanni, Angelus de Cittadino, Frorius, Ranucius, sunt vocati testes. Ex parte Ricardi Azo, Cheribaldi, Camageretus, Tineosus, Catalectus, Gimodus sunt vocati testes.*

*Ego Magister Albertus Judex & Notarius, hæc omnia ita scripsi, post traditam complevi & dedi.*

Adtexo alteram ejusdem moris testem Chartam, olim ex Archivo Monasterii Estensis ad Carceres descriptam, ubi memoratum videas Fulconem de Lendenaria *Vicecomitem Azonis Marchionis Estensis.*

## Donatio facta Monasterio Sanctæ Mariæ ad Carceres sito in agro Estensi ab Azone VII. Marchione Estensi cum consensu Adelicis, sive Adelasiæ Matris suæ, Anno 1235.

*Die Jovis XI. intrante Octubrio, in Dolone Estensi, in camera picta* Domini Azoni Estensis Marchionis, *in presentia Pelegrini de Caurola, Adelardini filii naturalis quondam* Domini Fulconi Grassi de Lendenaria, *tunc* Vicecomitis illius Marchionis, *Johannis Massarii de Guirizone Estensis, Vindemiæ de Gazolo villici* Dominæ Adelicis Comitissæ Estensis, *& aliorum rogatorum testium. Ibique dictus* Dominus Azo Estensis Marchio, *præsente & consentiente ipsa* Domina Adelice sua Matre, *& ejus verbo, pro remedio animarum suarum & suorum prædecessorum investivit Presbiterum Johannem Sancte Marie de Carceribus vice & nomine illius Ecclesie, de quatuor Campis & medio, qui jacent in Valtellæ; de una parte Dominus Marchio, de omnibus aliis partibus jura ipsius Ecclesiæ; & inde eum nomine donationis inter vivos, ut amplius revocare non possit, investivit, & promisit ei defendere & guarentare ab omni persona, casu, ratione. Et dedit ei parabolam intrandi in tenutam, dando ei ipsum Vendemiam, qui mittat ipsum Presbiterum in tenutam de ista terra.*

*Millesimo Ducentesimo Trigesimo Quinto, Indictione VIII.*

*Ego Crescentius de Contrata Crescentinorum, Imperialis Aulæ Notarius interfui, & rogatus scripsi.*

Alterum addo Instrumentum, cujus ad me exemplum misit nobilis vir Comes Brandolinus de Brandolinis, Patricius Forolivienfis, ex pergamena apud se adservata descriptum.

## Concordia inter Henricum Priorem Sancti Salvatoris de Ficherolo, & Eccelinum Vicecomitem Azonis VII. Marchionis Estensis & Anconitani, Anno 1252.

*In nomine Dei eterni. Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi MCCLII. Indictione X. die V. exeunte Septembri, in Comitatu Ficaroli, in loco qui dicitur Cruces Sancti Salvatoris, in Curia Salarie, presentibus Domino Justiliano Judice de Ferraria, Domino Antonio & Aldrevandino atque Zanibono de Zanibonis de Ficarolo, Domino Johanne Artusii, Zanetino & Dominico atque* Widone *fratribus de Guidebertis de Ficarolo, & stant in Villa Leonis, testibus rogatis, & aliis.* Dompnus Henricus Prior *Dei gratiâ* Ecclesie Sancti Salvatoris de Comitatu Ficaroli, *nomine & vice dicti loci, presentibus & consentientibus Dompno Amatore Canonico Sancti Fridiani de Luca, & Dompno Zenobono ejusdem Domus Sancti Salvatoris, taliter in concordia fuerunt cum* Domino Ecelino Vicecomite Domini Azonis Estensis & Anconitani Marchionis, *quod dictus Dominus Prior pro dicta Ecclesia Sancti Salvatoris debet habere medietatem pro indiviso totius Cadalti, & omnium ejus possessionum, que est posita in Policino Ficaroli, in Curia Salarie, liberam & expeditam ad suam voluntatem atque dominicatum, & aliam medietatem pro indiviso dictus Dominus Marchio Estensis Azo debet habere & tenere pro sua. Et de dicta medietate idem Dominus Marchio utatur & fruatur & apprehendat possessionem de ipsa medietate, sua auctoritate, de qua erat contencio inter eos. Eo salvo, quod si aliquis hostenderet jus habere in dictis seu in predictis, quod hostendat ipsi Domino Vicecomiti*

*miti vice & nomine ipsius Domini Marchionis ad hostendendum de jure suo. Et ita in tali concordia fuerunt, & in convencione de dicta parte Curie Salarie, omnibus salvis, que poterant ostendi in dictis partibus. Eodem Millesimo & Ducentesimo, & predicta Indictione, die eodem, in loco qui dicitur Cadaltus de Curia Salarie, presentibus Domino Justiliano Judice de Alexiis, & Domino Antonio & Aldrevandino de Zambonis, Domino Johanne Artusii, & aliis multis, predictus Dominus* Vicecomes *nomine & vice Domini Azonis Estensis Marchionis pro ipso Domino Marchione intravit possessionem animo possidendi de cetero de medietate pro indiviso totius Cadalti, & omnium ejus possessionum, posita in Curia Salarie, & ejus pertinentiis, secundum quod fuit in concordio cum dicto Domino Priore & ejus Fratribus, pro ut in Charta supradicta continetur de concordia inter eos habita: Accipiens de terra, & de ejus possessione in manibus suis de predicta medietate Cadalti de Curia Salarie, apprehendens dictam possessionem animo & corpore pro jam dicto Domino Marchione.*


*Ego Nicolaus Estensis filius olim Bonihominis Notarius de . . . . . . Imperialis Aule Notarius, ut in embriviaturis quondam patris mei supradicti inveni, mihi per Dominum Rambertinum de Thebaldis Judicem & Assessorem Domini Mathioli Gall. . . . . . . . . Potestatis Ferrarie, concessis; has Chartas suprascriptas scripsi & corroboravi atque relevavi, nihil de meis addens vel minuens, quod sensum vel sententiam mutet in aliquo propter literam vel silabam, currente Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo Quinto, Indictione XIII. de mense Marcii.*

Erant autem certi olim reditus constituti *Comitibus*, multique incerti ad eos deferebantur. Ut uno exemplo utar ex Lege CXXVII. Langobard. Caroli Magni, Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. sublucere videtur, tertiam saltem partem *Fredarum*, sive multarum pro criminibus debitarum, spectasse ad *Comitem*. Id sane ex subsequenti Lege CXXXVIII. constat factum de *Heribannis*, hoc est de pœnis pecuniariis, quæ à contemnentibus ire ad exercitum pendebantur. *Heribannum*, inquit Carolus Magnus, *Comes exactare non præsumat; nisi Missus noster prius Heribannum ad partem nostram recipiat, & ei* (ideft Comiti) *suam tertiam partem exinde per jussionem nostram donet*. In Lege quoque Salica Titul. LII. vel LIII. *tertiam partem in Frido* (hoc est de *Multa*) *Gravio* (ideft *Comes*) *ad se recolligere* dicitur. Sed & ex reliquis caussarum Multis tertiam partem percipiebat Comes, dum tamen ipse eam caussam egisset. Hæc statuit Pippinus Italiæ Rex Lege XX. Langobardor. *De Compositionibus, quæ ad Palatium nostrum pertinent, si Comites ipsas causas commoverint ad requirendum, illi tertiam partem ad eorum percipiant opus: duas vero ad Palatium*. Prædia quoque certa in usum Comitis constituta erant. Apud Campium Tom. I. Histor. Ecclef. Placent. pag. 489. in Diplomate Lotharii Italiæ Regis Anno DCCCCXLVIII. inter fines cujusdam terræ recensetur *ab Occidente possessio Comitatus Laudensis*. Et quidem diu quoque in Hungaria idem mos perduravit, ut Comites tertiam partem de tributis & vectigalibus consequerentur. Otto Frisingensis de Gestis Frideric. I. Lib. prim. Cap. 31. Hungariæ Regnum divisum esse scribit in septuaginta Comitatus, & *de omni justitia ad Fiscum Regium duas lucri partes cedere, tertiam tantum Comiti remanere*. Hoc apud eos *jus Comitatus* appellabatur. Erant & alia jura, quibus fruebantur Comites. In Statutis Veronensibus Anno MCCXXVIII. scriptis, atque à doctissimo Campagnola Amico meo editis, Cap. CXCIII. in quodam Decreto excipiuntur *illi, qui habent Gastaldias ab Imperio, vel à Comite*. Vide etiam quæ in Dissertat. superiori *de Marchionib.* dixi, laudans Diploma Friderici I. Augusti confirmantis Bonifacio Comiti Sancti Bonifacii Comitatum Veronensem cum suis juribus ac proventibus. In altero Diplomate eadem jura contulit idem Fridericus Sauro Comiti Sancti Bonifacii Anno MCLXXVIII. Denique hoc monendum puto, suos quoque *Vicecomitibus* fuisse publicos proventus: idque constat ex Diplomate Conradi I. Augusti, quo Ingoni Episcopo Mutinensi multa largitur, & præ reliquis, *omnia, quæ vocata sunt Publica, Fiscalia, Comitalia, aut Vicecomitalia*. Ex Archivo Capituli Canonicorum Mutinensium, ubi adservatur autographum, illud evulgavit Sillingardus in Catalogo Episcopor. Mutinens. tum Ughellius Tom. 2. Italiæ Sacræ. Sed quia neuter integrum monumentum descripsit, accipiant iterum Lectores, quale in membrana sincerius ac plenius legitur.

## Conradi I. Augusti Præceptum, quo Ingoni Episcopo Mutinensi Comitatum ejusdem Urbis & agri cum suis juribus largitur, Anno 1038.

*In nomine Sancte & individue Trinitatis. Chuonradus superna disponente clementia Imperator. Si . . . . . . retributionis . . . . . . . ditatur, quisquis locis Deo dicatis sua concesserit, aut inmerito prosperabitur, qui conlata ut sincere à cultoribus Ecclesiarum Dei sua auctoritate corroboraverit. Quapropter omnium Sancte Dei Ecclesie, nostrorumque presentium scilicet ac futurorum noverit solertia, quatenus* Wido *Sancte* Taurinensis Ecclesie Episcopus, *nosterque fidelis, nostram adiit celsitudinem flagitans, uti pro Dei amore, animeque nostre remedio omnia Sancte Mutinensis Ecclesie in honore Sancti Geminiani Confessoris Christi dicatæ, cui Dei auctoritate* Ingo *venerabilis* Episcopus *deservit, à predecessoribus nostris tam Regibus quam Imperatoribus, atque Religiosis viris conlata, nostrâ Imperiali censurâ confirmare & corroborare dignaremur. Cujus digne peticioni assensum prebentes, ejusdemque beatissimi Geminiani Episcopi & Christi Confessoris implorandam assidue opem considerantes, hoc Preceptum fieri jussimus: per quod tam cultis quam incultis seu in preinsertis locis* omne Comitatu ejusdem Civitatis *cum omnibus mobilibus & immobilibus ad se pertinentibus. Et concedimus quicquid ad nostrum jus pertinere videtur, terris scilicet, & omnem districtum, atque domos publicas, murumque ipsius Civitatis cum Fisco, & Teloneo integro, seu cum omni jure civili intus & extra per circuitum usque in omnibus finibus suis. Coherentiæ vero hujus Comitatus sunt.*

*sunt . Prima usque in finem . . . . . . Secunda usque in Bolonia . Tertia etiam usque . . . . . . tua . Quarta scilicet ad initium Comitatus Lucensis . Cortes etiam ipsius Comitatus & territoria , Castella , Villas , Mansos , necnon utriusque sexus familias , servos & ancillas , herimannos, & herimannas, domos quoque, possessiones, piscationes, foresti, pascua montibus seu planiciebus, aquationes, aquarumque cursus seu decursus, paludes, cuncta habita & tenta atque possessa ad partem ipsius . . . . . salis à predicto Ingoni Episcopo, vel à quolibet predecessore ejus; atque omnia aliquo inscriptionis titulo seu investiturâ actinus donata , collata , atque tradita predicte sancte Mutinensis Ecclesie à quibuscumque hominibus vel potestatibus , donamus , concedimus , confirmamus , modisque omnibus corroboramus , una cum campis , vineis , pratis , pascuis , jerbis , silvis , frascariis , buscariis , montibus , collibus , vallibus , planitiebus , ripis , rupinis , aquis , aquarumque decursibus , molendinis , piscationibus , omnia cum omnibus rebus , quæ dici vel nominari possunt , ad predictam Episcopii Sedem in integrum pertinentibus . Et per hoc nostre confirmationis Preceptum de nostro & Regni jure & dominio in prefate Sancte Mutinensis Ecclesie jus & dominium omnino transfudimus, ac delegamus predictum districtum prefati Comitatus & Teloneum , seu mercatum , cum omni functione Regali , seu domos , muros, terrasque , & utriusque sexus servos & ancillas , & omnia , quæ vocata sunt publica , Fiscalia , vel* Comitalia , *aut* Vice Comitalia , *quæ posita esse videntur & constructa in predicto Comitatu Mutinensi tam intus quam extra per circuitum usque in predictis finibus . Ea videlicet ratione, quatinus Dominus Ingo venerabilis Episcopus , qui eidem Ecclesiæ presidere videtur , suique successores , potestatem illic habeant per se aut per suos Missos judicandi , distringendi , Placitum . . . . . . . . tenendi , vel quicquid eorum utilitas decreverit , faciendi ad augmentum & honorem predicte Mutinensis Ecclesie , & ita faciendi , omnique modo judicandi & distringendi, veluti in nostram aut Marchionum vel Comitum fuisset præsentiam , ab hinc remota omni nostra , nostrorumque successorum , omniumque hominum contradictione , minoratione aut molestatione . Igitur quicumque infra prædictam Urbem , vel supradictum Comitatum, vel in ejus Provincia in integrum , seu in prefatis Cortibus & Castellis , habitator extiterit , aut castellaverit , nec non Vassalli ejusdem Comitatus non in præsentia alienorum Comitum , & Marchionum vel Missorum nostrorum , eorum lites aliter agere , vel ullo modo diffinire liceat, nisi ante Ingonem reverentissimum Præsulem , suosque successores , seu eorumque Legatos decrevimus , sicut supra concessum habemus . Et quidquid ante eorum præsentiam finitum atque judicatum fuerit , perpetua stabilitate permaneat . Precipientes itaque jubemus , ut deinceps nullus Dux, Marchio, Comes , Vicecomes , Sculdascio , Gastaldius , aut ullus Reipublice Procurator; seu alia quelibet magna parvaque persona nostrorum Regnorum predictam sanctam Dei Sedem , ejusque Vicarios disvestire , molestare , aut inquietare , mansionaticum facere , teloneum , districtum , Placitum , aut aliam quamlibet functionem exigere, seu de prædictis rebus facere violentiam audeat . Si quis igitur hoc nostræ corroborationis Preceptum infringere , aut quodam temerario ausu temptaverit aut attenuare , sciat se compositurum auri optimi Libras ducentum , centum medietatem Kameræ nostræ , & medietatem prætaxato Episcopo , suisque successoribus . Quod ut verius credatur , diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria roborantis anuli nostri impressione insigniri jussimus .*

*Signum Domni Chuonradi*  *invictissimi Imperatoris.*

*Kadelous Cancellarius vice Domni Herimanni Archicancellarii recognovit .*

Locus Sigilli cerei .

*Datum XVII. Kalendas Aprilis , Anno Dominicæ Incarnationis MXXXVIII. Indictione VII. Anno autem Domni Chuonradi Regni XIV. Imperii XII.*

*Actum Colonia , feliciter .*

Comitum auctoritas , uti jam monui , in regendis Urbibus Lombardicis eodem Sæculo Undecimo decrescere cœpit , ita ut tamdem Comites tantum rurales in hisce regionibus reliqui fuerint . Urbes enim sensim attollentes caput , ( sive per Privilegia Augustorum , sive per vim) munus & jura Comitum Sæcularium, aut Episcoporum , easdem titulo Comitis gubernantium , attriverunt , sese in libertatem denique vendicantes . Uti dicam in Dissertat. XLV. *de assumta a Civitat. Italic. libertate* non id ubique factum simul , eodemque tempore . Nam sub finem ipsius Undecimi Sæculi, etsi jam nonnullæ Urbes Comitum imperio se subtraxissent , aliæ tamen in eorumdem obsequio stabiles permanebant . Cujus rei multa possem afferre documenta , sed paucis rem expediam . Bergomatibus Anno MLXXIX. suus adhuc erat *Comes* . Accipe quid habeat Charta ex Cremonensium Canonicorum Archivo depromta , eodemque Anno scripta , *Mense Aprili , Indictione II.* Hæc ibi : *Dum in Dei nomine , Comitatu Pergomense , in loco Gabiano , non multum longe ab atrio Ecclesiæ , in judicio resideret Giselbertus Comes istius Comitatus , justitiam faciendam ac deliberandam : residentibus cum eo Walcausus Judex , & Arnulfus atque Lanfrancus Judices, seu Redulfus Legis Doctor , & Albertus Marchio , seu Albericus de Casale* &c. *Ibique in eorum presentiâ & judicio veniens Domnus Arnulfus sancte Cremonensis Ecclesie Antistes* &c. Accipe & alteram Chartam in ejusdem Capituli Cremonensis Tabulario adservatam , & scri-

ſcriptam *Anno ab Incarnatione Domni noſtri Jeſu Chriſti MLXVI. Septimo Kalendas Novembris, Indictione V.* Hæc inde excerpſi: *Dum in Dei nomine in Comitatu Bergomenſis, in via publica, in loco Grumello, in judicio reſidebat Dominus Harialdus Comes ujus Comitatu Bergomenſe, ad juſtitiam faciendam ac deliberandam* &c. *Ibi eorum veniens preſentia Domnus Hubaldus Dei gratia Epiſcopus Epiſcopio ſancte Cremonenſis Eccleſie* &c. In fine autem hæc ſubſcriptio legitur: *Signum manus ſupraſcripti Domni Harialdi Comite, qui hoc ſignum Crucis fecit.* Si heic agitur, ut veri ſimile eſt, de *Grumello* Vico, nunc Cremonenſis agri, à Sexto duobus tantum paſſuum millibus diſtante, & paucis ab ipſa Urbe Cremona: jam vides, admodum attritum temporibus iis fuiſſe Comitatum Civitatis Cremonenſis: quod & alibi monui, ac præcipue in Diſſertat. XXII. *de Legibus*; quum Epiſcopis Cremonenſibus conceſſus fuerit Comitatus & diſtrictus intra Civitatem & extra *per quinque milliariorum ſpatia*, ut elucet ex variis illius Eccleſiæ Diplomatis heic editis. Reliquam antiqui Comitatus Cremonenſis partem diſpertiti fuiſſe videntur Imperatores, atque unam tradidiſſe Comiti Bergomati, alteram Brixiano. Propterea tam longe olim excurrebat Comitatus Brixianus, uti jam monui in Antiquitat. Eſtenſ. Cap. VII.

DE

# DE MISSIS REGIIS,

SEU

# JUDICIBUS

EXTRAORDINARIIS.

# DISSERTATIO NONA.

# DISSERTATIO NONA.

Recte consultum olim fuerat Reipublicæ incolumitati, servandæque inter Populum justitiæ, constitutis tot Judicibus, nempe *Comite Sacri Palatii, Ducibus, Marchionibus*, *Comitibus*, aliisque ejusmodi Magistratibus. Immo, uti in Dissertat. XXXI. *de Placitis* ostendam, Reges ipsi atque Imperatores Judicem interdum agebant, & litigantium disceptationibus intererant. Sed præter ordinarios Populi Judices, subsidium alterum adinventum est. Nimirum ex Regum & Augustorum latere, nonnumquam etiam ex ipsis Provinciis, electi alii Judices extra ordinem, sive extraordinaria auctoritate præditi, in Provincias mittebantur, qui Populi querimonias audirent, & oppressam justitiam restaurarent, contributâ iis potissimum facultate, ipsos Comites, ceterosque Judices emendandi. *Missi Regii*, *Missi discurrentes*, *Missi Dominici*, *Regii Legati* (alia nomina prætermitto) ii appellabantur. Eorum auctor, aut certe amplificator, non alius fuisse videtur, quàm celeberrimus inter Francos Reges ac Imperatores Carolus Magnus, qui tot alios ritus, novasque Leges primus invexit, utilitate, sanctitate, ac prudentiâ summe commendandas, quippe quas nemo neget ad rectum Populi regimen excogitatas, & quidem maxime accommodatas. Missos profectò Regios in usu fuisse vel apud Reges Langobardos exploratum habeo. In Dissertatione LXXIV. *de Parochiis* egregium Placitum evulgabo, habitum Liutprando Rege regnante Anno DCCXV. in Tuscia, ubi quatuor Episcopi *una cum Misso excellentissimi Domni Liutprandi Regis nomine Gumeriano Notario*, controversiam cognoverunt agitatam inter Episcopos Arretinum atque Senensem. Verùm, si quidquam video, à Missis, de quibus mihi sermo nunc est, non leviter differebat Missus ille Langobardus. Is enim delegatus, ut ajunt, fuerat ad eam tantum controversiam perpendendam ac dijudicandam una cum finitimis Episcopis. Missi verò à Carolo Magno excogitati ad omnium hominum caussas audiendas atque absolvendas dirigebantur. Hujusmodi ritus instituendi, sive amplificandi hæc caussa fuit. Sapientissimo Regi Carolo sat perspectum erat, quot incommodis ac malis artibus obnoxium foret Populorum regimen. Nostris temporibus utique probi ac recti Judices Populi abundant; sed nullo umquam tempore desiderati sunt, & ne nunc quidem desiderantur, qui religioni sibi non vertunt, plus offerenti justitiam vendere, & commendationibus aliisque humanis affectibus finere se abripi, ac præterea controversiarum finem ultra æquum procrastinare. Interdum quoque intuemur, neque sine mœrore, viduarum, orphanorum, pauperumque jura pessumdari; minus potentibus etiam non raro insultare potentes; eosque, qui ad justitiam ministrandam adleguntur, in ipsam potissimum peccare justitiam. Fortassis etiam ejusmodi mala graviora ac plura fuere Caroli Magni temporibus, quàm nostris. Itaque is salubri consilio usus decrevit, Proceres quotannis deligere, eosque extraordinaria potestate munitos in Provincias mittere, ut quidquid depravati atque incompositi invenirent in Populo, in foro, & in reliquis Reipublicæ negotiis, suâ prudentiâ, atque auctoritate corrigerent ac tollerent. Id quoque interdum agere consueverunt Romani, quum eorum potentia florebat; similemque prope morem adhuc retinet prudentissima Venetorum Respublica. Et Missis quidem hujusmodi tanta tribuebatur potestas, ut à Ducibus, Marchionibus, & Comitibus, ordinariis videlicet, immo perpetuis Provinciarum ac Urbium Rectoribus, nullum impedimentum eorum auctoritati objiceretur. Primo id muneris demandatum Nobilibus Vassis atque Ministris, sed quibus angusta domi res erat. Verùm instigante hac eadem paupertate ad improbas actiones, factoque muneribus loco, experientia docuit, in Populi detrimentum converti, quod in illius utilitatem atque præsidium fuerat excogitatum. Proinde sapientissimus Imperator Anno DCCCII. (ut est in Annalibus Lambecianis Part. 2. Tom. II. Rer. Italicar. pag. 115.) *recordatus misericordiæ suæ de pauperibus, qui in Regno suo erant, & justitias suas pleniter habere non poterant, noluit de infra Palatio pauperiores Vassos suos transmittere ad justitias faciendum propter munera; sed elegit in Regno suo Archiepiscopos, & reliquos Episcopos & Abbates, cum Ducibus, & Comitibus, qui jam opus non habebant super innocentes munera accipere: & ipsos misit per universum Regnum suum, ut Ecclesiis, viduis, & orphanis, & pauperibus, & cuncto Populo justitiam facerent*. Ejusmodi verò Missis potestas plerumque tribuebatur in plures Pagos & Comitatus, & *Missaticum* appellari consuevit regio eorum curæ seu legationi commendata. Ut ergo illi in alicujus Urbis agrum adveniebant, Regiis literis explicatis, quosque invitabant ad exponendas, si quas habebant, conquerendi aut litigandi caussas. Hujus ritus adservatum nobis vestigium deprehendi in antiquo exemplo pergamenæ, quod mihi suppeditavit Archivum Capituli Canonicorum Cremonensium. Ita se habet monumentum illud.

## Andreas Laudensis Episcopus, & Rogerius filius Rumaldi, in Placito Laudensi coram Benzone Misso Ottonis III. Imperatoris litem inter se agitant, Anno Christi 1000.

DUm *in Dei nomine, Comitatu Laudense, in Villa, quæ noncupatur Tauriano, in via publica, in judicio resideret* Benzo & Missus Domni Tercius Ottoni Imperatori, *qui per Epistola, * si illum Missus*: „ Eidem Domini favente clementia Rex. Si „ nostrorum Fidelium mentes exultare fecerimus, nostra servicia exercere diligentius. „ Quapropter notum volumus cunctis in Laudensi Comitatu manentibus, majoribus seu „ minoribus, nostre auctoritatis pagina concessisse Benzone ipsius Comitatus Comiti habere potestatem & jura, sicuti & judicare „ potuerit, omni nostra, nostrorumque fidelium, remota contradictione. Quod ut verius credatur, diligentiusque observetur, nostro Sigillo jussimus annotari. *Justitias faciendas ac deliberandas; residentibus cum eo Teodaldus, Adelbertus &c. Ibique eorum veniens presentia Rogerius filius quondam Rumaldi de loco Bariano, nec non & ex alia parte* Domnus Andreas Episcopus *Sancte* Laudensis *Ecclesie, una cum Maurone ejus & ipsius Episcopo Avocatus; & retulerunt ipse Rogerius*: Abeo & teneo ad meam proprietatem Casis & Castris, seu rebus territoriis &c. quibus sunt positis tam infra Castro, qui nominatur Sancto Floriano &c. jugeras centum. Atque in loco, ubi dicitur Maleo, tam infra Castro &c. juges septicentum &c. *Anno Imperii Tercius Domni Ottoni Imperii Deo propicio Quinto, die mensis Augusti, Indictione XIII.*

*Benzo Missus Domni Imperatoris interfui.*

Ex vetusti, ut suspicor, amanuensis incuria heic occurrunt luxata quædam. Attamen satis elucet, Benzonem Missum, antequam ad judicandum accesserit, literas suæ auctoritatis ab Ottone III. Augusto acceptas promulgasse. *Tractoriæ* appellabantur ejusmodi Literæ, de quibus agam in Dissertat. XIX. *de Tributis*. Edicebant autem ejusmodi Judices extra ordinem adlecti, se missos à Regibus & Augustis *ad singulorum hominum lites* ac *intentiones*, hoc est contentiones, *audiendas ac deliberandas*. Et quandoquidem non uno in loco consistere solebant, sed per Provinciam, & Pagos vagabantur, in locis singulis disciplinam ac justitiam restauraturi: ideo *Missi discurrentes* appellabantur. Quamquam id ex plerisque Placitis factum appareat, attamen ingratum Lectori minime futurum puto, si exemplum adferam, petitum ex insigni Archivo Monachorum Cistercienfium Sancti Ambrosii Mediolanensis, ubi autographum, revera à voracitate temporis valde attritum, ego præ manibus habui atque descripsi.

## In Placito Mediolanensi coram Berengario Nepote & Misso Berengarii Imperatoris, Advocatus Monasterii Mediolanensis S. Ambrosii litem agit ac obtinet contra Adelardum quemdam, Anno 918.

DUm *in Dei nomine, Civitate Mediolani, Curte Ducati, in laubia ejusdem Curtis, in judicio resideret* Berengarius Nepus & Missus Domni *& gloriosissimi* Berengarii *serenissimi* Imperatoris, *Avio & Senior ejus, qui in Comitatu Mediolanense ab ipso Imperatore Missus esset constitutus tamquam Comes &* Missus discurrens, *sui presencia singul. . . . . . intenciones, eciam Epistola sigillata ab anulo idem Domni Imperatoris hic Mediolani in ipso Judicio ostensa fuit & relecta, in qua continebatur, ut . . . . . . Berengarius Nepus idem Domni Imperatoris Missus esset constitutus; residentibus cum eo* Rotgerius Vicecomes *ejusdem* Mediolanensis Civitatis, *Protasius qui & Atto, Rotfredus, Ragifredus, item Ragifredus, Lanfrancus, alio Rotfredus, & Bertericus Judices Domni Imperatoris, Lupus, Petrus, Johannes, Giselbertus, Jonam, item Johannes, Petrus . . . . . Mediolanenses, Gaidulfus, Dagibertus, & Anspertus Notariis, & reliqui. Ibique eorum venerunt presencia Giselbertus Judex de loco Aticiaco, Advocato ... beati Christi Confessoris Ambrosii, ubi ejus sanctum umatum quiescit Corpus, situm in suburbium Mediolanensis Civitatis, nec non Adelardus de L. . . . . filio quondam Anradi, intencionem habentes. Dicebat ipse Giselbertus Advocatus*: „ dudum in „ judicio malavi istum Adelardum, quod malo „ ordine detineret . . . . . . diceret aliquantis „ rebus territoriis, quibus essent positis in locis & fundis Mercai, & in Robereto finibus „ Valisteline, que legibus pertinere deberent „ ejusdem . . . . . Sancti Ambrosii, que essent rebus ipsis per nominative illis in Mercai. In primis campo & prado insimul tenente per mensura tabolarum quadraginta „ . . . . . . partes res Sancti Abundii, & de quarta Sancti Ambrosii, alio campo per „ mensura tabolarum quinquaginta, tercio „ campo per mensura tabolarum duodecim „ . . . . . . Sancti Abundii de alia Langobardorum Silva Castanalbi cum ipso campo „ tenente est juges duas de una parte Sancti „ Abundii, de alia Sancti . . . . . tercia Langobardorum, & in Roboreto prado uno per „ mensura juges duas & tabolarum quindecim „ &c. unde per wadiam firmati super hoc accessimus, & odie exinde hic in judicio inter „ nos . . . . . abemus Placitum ad racionem „ standum, responsum exinde dandum, aut „ legitime finiendum. *Ad hec respondit ipse Adelardus*: Vere sicut Augiselbertus Advoc. „ . . . . . . ita me malasti, & inter nos actum „ & wadiatum est, & super ipsis rebus accessimus, sicut asseruisti, & exinde odie hic „ in judicio inter nos . . . . . abemus Placitum „ ad racionem standum, aut legitime finiendum; sed concredo me quia de ipsa res, „ unde superius nominative per locas, & in „ ali-

„ alico . . . . . coërencias dixisti , nihil mihi „ pertinet ad abendum nec requirendum , ne- „ que pertinuit , & de cummunaliis in eodem „ denominato loco & fundo Mercai, sita Valis- „ teline supter , tam in montibus , quam in valis , seu in alpibus , adque in planicis in ipso a denominato loco & fundo Mercai , „ unde me superius malasti , & pertinet de jura ipsius Monasterii , nihil contradico, nec „ contradicere quero , quia nec legibus pos- „ sum , sed legibus propriis esse debent ejus- „ dem Monasterii Sancti Ambrosii .. *His peractis & manifestacione facta paruit supradictis Auditoribus esse recte , & judicaverunt , ut justa eorum intencione & professione seu manifestacione eidem Adelardi . . . . . . rebus ipsis , hunde ut supra egerunt , amodo & in antea pars ejusdem Monasterii Sancti Ambrosii abere debere , & finita est causa . Et qualiter hec causa acta est , notitiam ad futuram tenendam memoriam , & securitatem ejusdem Monasterii Sancti Ambrosii , ego Ingelbertus Notarius scripsi & interfui , Anno Imperii Domni Berengarii Imperatoris Tercio , mense Aprelis , Indictione VI.*

*Signum manus suprascripti Berengarii Nepus & Missus Domni Imperatoris , qui ut supra interfuit .*

*. . . . . bericus Vicecomes interfui .*

*Rotfredus Judex Domni Imperatoris interfui .*

*Giselbertus Judex interfui .*

*Aupaldus Judex Domni Imperatoris interfui .*

*Petrus Judex interfui .*

*Ragifredus Judex Domni Imperatoris interfui .*

*Petrus Judex interfui .*

*Rotfredus Judex Domni Imperatoris interfui .*

*Jonam Judex interfui .*

*Marinus Judex interfui .*

*Curtem Ducatus* , quam heic memoratam vides, testem habemus, olim Mediolanensi Urbi Præfectos , *Ducis* appellatione fuisse insignitos . Et quidem loci memoria ad nostra usque tempora servata creditur , ubi in media fere Urbe appellatur *il Cordușo* . Hac de re egi in Dissertat. V. *de Ducibus* . Qui vero hic vocatur *Berengarius Nepus & Missus Domni & gloriosissimi Berengarii serenissimi Imperatoris* , idem est ac Berengarius , qui post Hugonem & Lotharium Italiæ Reges Italicum Regnum Rex & ipse rexit , illudque Ottone Magno tamdem decertante amisit . Hæc de illo, ejusque patre Adelberto habet Liutprandus Historicus Lib. 2. Cap. 10. *Adelbertus Iporegiæ Marchio , cui Berengarius* ( scilicet Primus , qui Rex Italiæ , ac postmodum Imperator fuit ) *filiam suam nomine Gislam conjugio copulaverat , ex qua filium genuerat , cui & Avi sui vocabulum dederat* ; nempe Berengarium in Placito isto primas agentem , cujus propterea Berengarius I. Augustus dicitur *Avius & Senior* . Atque in hac etiam Charta animadverte , productam primo fuisse *Epistolam sigillatam ab anulo ejusdem Domni Imperatoris , in qua continebatur , ut idem Berengarius Nepus ipsius Domni Imperatoris Missus esset constitutus*. Comes autem Mediolanensis Urbis interfuisse Placito non legitur . Interfuit quidem *Rotgerius Vicecomes ejusdem Mediolanensis Civitatis* , fortasse quod mors Comitem sustulisset , aut is ab Urbe abesset. Fuit enim in more, ut Comites ejusmodi judiciis interessent , nescio num honoris , an necessitatis caussâ . Id palam fiet ex Placito Patavii habito , regnante Henrico inter Reges Quarto , inter Imperatores Tertio : quod expressum fuit ex antiquo exemplo , existente in Archivo nobilissimi Monasterii Benedictinorum Sanctæ Justinæ Patavii . Illic enim præter Missos Regios in judicio consedit *Albertus Comes hujus Civitatis* , uti & *Oldericus Episcopus Patavienssis* , quem *Uldaricum* Ughellius appellat ; nam & Episcopi hanc honorificentiam adhibebant Regiis Missis , ut eorum judiciis interessent . Immo , ut eorum præsentiâ justitiæ tutius consuleretur , ad Placita ipsa invitabantur .

## Refutatio Vallis de Mercato facta à Civibus Patavinis Johanni Abbati Sanctæ Justinæ in Placito habito Patavii à Missis Henrici IV. Regis, Anno 1077.

D*Um in Dei nomine, in Civitate Padue , in casa terrena* Domni Olderici Episcopi , *per data licentia in judicio residebat* Domnus Sigifredus & Miozo , Missi Domni Henrici Regis, *ad singulorum hominum justitias faciendas & deliberandas , & cum eis* Domnus Oldericus Episcopus, & Albertus Comes hujus Civitatis Pataviensis , *& Ogerius Advocatus &c. simulque cum eis alii boni viri, quorum nomina sunt hec &c. In istorum omnium , & aliorum hominum presentia veniens* Johannes Abbas de Monasterio Sancte Justine, *simul cum Uberto Advocato suo retulit , & cepit dicere , ac postulare mercedem , dicens* : „ Peto vos , Domini & Missi Domni mei Regis, ut faciatis nobis justitiam propter Deum „ & animam Domni mei Regis , & vestras „ animas : ut Vallis , que est foris hujus Ci- „ vitatis Patavi , que dicitur Vallis de Mer- „ cato , que simul se tenet Pratum & Zairo „ vocato , cum Valle , seu cum casis & ortis „ simul se tenentibus cum predicto Zairo , „ quod fuit antiquitus edificium magnum: que „ omnia proprium sunt de Sancta Justina &c. „ Similiter peto mercedem de aqua fluvii Ro- „ dolonis , ubi dicitur supra Ponte Vicentino „ ad molendinum in ipsa aqua tenendum & „ habendum. *Tunc predicti Missi Regis interrogavere Judices , quod exinde facere debuissent. Et inquisita a multis partibus , & non potuere cognoscere , quod illa Valle & illo Zairo pertinuisse nisi ad Monasterium Sancte Justine , & cognoscere quod non pertinebat in illa Valle , que dicitur Petra Mercato , & predicto Zairo ad Cives Padue , neque ad ullum alium , nisi ad predictum Monasterium Sancte Justine , sicut ipsi plures de Civibus dicunt . Tunc interrogaverunt omnes Cives , si quis ex eis ausi fuissent hanc veritatem jurare propter Deum . Et ecce tres viri de eisdem Civibus presentes , Azo Advocatus , Martinus de Juliana , & Donatus de Warangolo respondentes dixerunt* : Nos enim propter veritatem dicentes testificamus hanc rem , & juran-

rantes propter Deum. *Ad quod testimonium nullus de Civibus contradixit, sed omnes tacuere &c. Et dixere Missi Regis ad Judices, quod facere deberent. Et dixerunt sententiam Legis, & firmavere*: Venite vos omnes Cives, & refutate in manibus Domni Abbatis istam Vallem cum illo Zairo. *Accedentes quanti potuere tangere fustum, & refutaverunt in manu Domni Johannis Abbatis ex deliberatione Episcopi illam terram, sicut designatum est. Et post miserunt bannum ex parte Regis super illam totam terram, & super aquam de Rebolone, quam refutavit Ugo de &c. ut quicumque ab hac die in antea &c. In eodem loco dimisit Odelricus Episcopus magnam refutacionem in manu Johannis Abbatis dicens*: Et ego similiter predictam terram de Valle refuto in Monasterio Sancte Justine per me & meos Successores sub eodem banno, nisi tamen ut concedas mihi fodere de Zairo aliquas petras, ut possim persolvere debitum, quod habeo in ....... *Et preceperunt Missi Regis &c.*

*Et ego Stephanus Notarius de jussione predictorum Missorum & Judicum scripsi Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi MLXXVII. Quarto Kal. Martii, Indictione XV.*

✠ *Signum Sigifredi & Miozo Missi Regis Henrici, qui hoc signum Crucis fecerunt.*

*Ego Alencus Judex ibi fui.*

*Ego Gadulus Juris prudens ibi fui.*

*Ego Odelricus Dei gratia Episcopus interfui.*

Hinc autem, uti & ex reliquis Placitis intelligimus, una cum Missis Regiis, sive Comitibus, Marchionibus, ceterisque Placitum habentibus, consuevisse assidere *Judices*, sive *Juris peritos*, è quorum potissimum examine & consilio pendebat caussæ decisio. Id autem factum, quod Comites, Missi, & reliqui ad judicia facienda electi, non semper Legum studio multum operæ dederant, ac proinde alieno subsidio ad recte judicandum indigebant. Quod si quis querimonias deferebat adversùs ipsum Comitem, sive Præsidem Civitatis, à Regiis Missis continuo audiebatur; & ipse Comes ante eos in judicio se sistere, suasque deducere rationes cogebatur. Anno DCCCXXXIII. Veronensi-ne Urbi, an Mantuanæ præfuerit *Goradus Comes*, alii decernant. Ereptam sibi ab eo Silvam Hostiliam, cujus nunc Oppidum & ager Mantuanæ Civitati subest, conquerebatur Leo Abbas nobilissimi ac vetustissimi Monasterii Veronensis Sancti Zenonis. Veronam igitur progressis Missis Lotharii I. Augusti, ante eos de usurpatione querelam exposuit Veronensis Abbas, eademque caussa agitata est, sed minime tunc definita. Quare lis delata est ad ipsius Augusti tribunal. Qualis inde emerserit sententia, ex sequenti Charta Judicati habebis, quam ex antiquissimo exemplo adservato inter membranas Archivi ejusdem Cœnobii ego olim describebam.

## Lotharii I. Imperatoris Præceptum pro Monasterio Veronensi Sancti Zenonis contra occupatores jurium ejusdem, Anno 833.

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Hlotharius Augustus invictissimi Domni Imperatoris Hludowici filius. Quicquid enim in nostra vel Procerum nostrorum presentia recto tramite secundùm Legem diffinitum fuerit, oportet nostris confirmare oraculis, ut jure firmissimo maneat inconvulsum. Igitur notum sit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum sagacitati, quia cum* Missi nostri *in Piscaria ad universorum causas audiendas, ac recta judicia terminanda resedissent; ibique veniens* Leo Abbas, *& Advocatus Sancti Zenonis Garibaldus nomine, unde idem Leo per ordinatione* Rataldi *venerabilis* Episcopi *esse videbatur, interpellaverunt Ragileusum & Ragimpertum Advocatos* Goradi Comitis, *dicentes, quod pars prefati Goradi Silvam, que dicitur Hostilia, & pascua, pertinente ex jure Sancti Zenonis suo jure occupasset inlicite, & contra Legem. Quam rem dum prefati Missi nostri per se minime diffinire potuissent, in nostram hoc pleniter deliberanda jussimus venire presentiam. Qua de re dum diligenti adhibita investigatione rei veritatem perquireremus ....... predictus Abba optutibus nostris Præcepta antiquorum Regum, necnon & bone memorie* Avi nostri Domni Karoli *prestantissimi* Imperatoris, *verum etiam &* Avunculi nostri Pipini *quondam gloriosi* Regis, Domnique & genitoris nostri Hludowici *serenissimi* Augusti. *Que dum relegi fecissemus, comperimus juste & rationabiliter parti Monasterii Sancti Zenonis in omnibus pascuarum & capuli seu decime, & omnem exactionem pertinere absque qualibet in parte aliquid redibitionis debitum salvo suo jure in integrum territorio, ubi Hostilia nuncupatur, cujus fines sunt à Pado usque in Caput Turnioni, & à Fossa Lubia usque ad Fossam Regiam & Pollicinem juxta Castrum Reveri. Ideoque ad prefatum Sanctum ac venerabilem hos nostre auctoritatis apices fieri jussimus, per quos absque qualibet inquietudine ab hinc in futurum nostra auctoritate teneat, justeque fruendo possideat. Insuper retulit nobis* Rataldus Episcopus, *cui prefatum Monasterium nostra auctoritate ad regendum commissum erat, eo quod* Goradus Comes *aliquas ei inferat contra causationes de quibusdam rebus & mancipiis, que olim* predecessor *prefati Goradi* Vulvinus *nomine cum* Episcopo Brixianæ Ecclesiæ Chuniberto *nomine commutaverat, & econtra sibi placitam acceperat commutationem. Que dum utilia post aliquot dies idem Rataldus venerabilis Episcopus prefate Sancti Zenonis Ecclesie esse cognovisset, datis in recompensatione parti predicte Brexane Ecclesie congruentibus rebus & mancipiis à* Petro *quondam* ejusdem Ecclesiæ Episcopo *commutationis ordine parti prenominate Sancti Zenonis Ecclesie conquisivit ad habendum. Sed quia* Regiæ potestatis Missus *inter has defuerat commutationes, pro hujusmodi occasionibus adimendis, ne ideo ab eadem Ecclesia auferantur, quoniam legaliter absque* Regio Misso *non poterant commutari, hanc nostram auctoritatem super prefatas commutationes addere libuit, per quas jubemus, & mansurum sancimus, ut nullus fidelium Sancte Dei Ecclesie, nostrorumque ab hinc in antea inde aliquam parti sepe dicti Sancti Zenonis inferre presumat contrarietatem: sed liceat ei, ut justo tramite adquisivit, quiete Rectoribus ipsius Ecclesie ordinare atque disponere quicquid utilitas predicte dictaverit Ecclesie. Si vero, quod futurum non*

*cre-*

*credimus aliquis, Dux, Comes, aut cujuslibet amministrationis, aut privata persona contra omnia suprascripta moliri aliquid presumpserit, seu infrangere vel corrumpere ex parte, aut ex toto temptaverit, sciat se compositurum mille Mancosos auri obrizi, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem jam dicto Monasterio &c.*

*Ductemirus Subdiaconus atque Notarius ad vicem Hermenfredi scripsi.*

*Data XVIII. Kalendas Februarii, Anno Christo propitio Imperii Domni Hludowici Serenissimi Imperatoris XX. & Hlotharii XI. Indictione XI.*

*Actum Mantua Palatio Regio, in Dei nomine, feliciter. Amen.*

Heic dicitur *pars Goradi Comitis* Silvam illam occupasse inlicite, & contra Legem. Erant Comitibus Allodia, sed, uti in præcedenti Dissertatione monui, erant & sua jura, ac stati reditus ex officio Comitatus cujuscumque Urbis, diversi à tributis, ac reditibus Regio Fisco debitis. Incertum est, num is inter Allodia sua numeraret, an potius ad jus sui muneris spectare Silvam illam Goradus Comes contenderet. Prodit autem Charta ista, insigne Monasterium Sancti Zenonis in *Commendam*, ut nunc ajunt, fuisse concessum *Rataldo Episcopo Veronensi*, pro more illorum temporum, à Lothario I. Augusto; & quum satis aperte hinc deduci possit, ipsum Rataldum tunc in vivis fuisse, proinde emendanda videtur Chronologia Episcoporum Veronensium apud Ughellium Tomo V. Italiæ Sacræ. Ille enim statuere videtur Rataldi mortem, quem *Rotaldum* is appellat, citciter Annum DCCCXX. cui successisse ait *Audonem Episcopum*. Tum refert postremas tabulas ejusdem Audonis *Anno DCCCXXX. scriptas, imperante Ludovico Pio*; atque ad Annum DCCCXL. *alterum Rotaldum* in Catalogum Veronensium Antistitum infert. Verùm ex Diplomate nunc producto constare potest, Radaldum Episcopum adhuc floruisse Anno DCCCXXXIII. Neque ullus Rataldus Secundus excogitandus erat, quum unus ante Audonem Veronensem Ecclesiam rexerit, uti Panvinius egregie animadverterat. Fallitur autem Ughellius, testamentum Audonis referens ad tempora Ludovici Pii, quum scriptum fuerit *imperante Domino nostro Hludovico magno Imperatore, Anno XI. sub die XV. Augusti, Indictione VIII.* atque adeo illud spectet ad tempora Ludovici II. Imperatoris, scilicet ad Annum DCCCLX. ut propterea videas, post *Rataldum* præfuisse Veronensi Ecclesiæ *Aginum*, qui Anastasio Bibliothecario teste Anno DCCCXLIV. Romæ interfuit, quum in Regem Italiæ inunctus est idem Ludovicus II. Lotharii I. filius, postea Imperator. Post *Aginum* verò statuendus est *Audo Episcopus*. Et quum in Diplomate per eumdem Ughellium evulgato, ubi *Audo quondam Veronensis Episcopus* nominatur, revera legatur *Ludovicus Mundi Imperator Augustus*, Diploma illud suppositionis arguere unicuique fas est: sed fortassis aliter se Charta habeat, & germanum sit illud monumentum, quod emiserit Ludovicus II. Augustus post Audonis mortem. Ad rem nostram regrediamur. Silva Ostilia amplissimus ager fuit, neque integra ad Monasterium Veronense Sancti Zenonis pertinebat, quum Nonantulanum Mutinense Monasterium ibi quoque suam portionem possideret. Testes habeo alias tabulas, quas è Ferrariensibus pergamenis hausit singularis amicus meus, alibi laudatus, Joseph Antenor Scalabrinius Rector Ecclesiæ Ferrariensis Sanctæ Mariæ de Bucca. Ex iis intelligimus, ob istam quoque portionem ab *Hucpoldo Comite Veronensi* molestiam illatam fuisse Monachis Nonantulanis Anno DCCCXX. Verùm Rataldus idem Veronensis Episcopus, auctoritate à Ludovico Pio Augusto acceptâ, uti ejusdem Missus, Comitem ad Placitum adduxit, eumque silere jussit. Egregium est monumentum, quum superiori adnexum fortasse seriem aliquot Comitum Veronensium nobis exhibeat, ac præterea *Andream Vicentinum Episcopum*, ab Ughellio in Italia Sacra prætermissum, vitæ nominis restituat.

## Placitum Veronæ habitum à Rataldo Veronense Episcopo, Misso Ludovici Pii Augusti, in quo Nonantulani Monachi caussam obtinent contra Hucpoldum Comitem Veronensem, Anno 820.

*Dum in Dei nomine, Civitate Verona, in judicio ressedissemus nos* Retaldus Episcopus, Misso Domni Imperatoris *ad singulorum hominum deliverandas intentiones, ressedentes nobiscum* Hucpuldus Comis ipsius Civitatis, *Andreas Judex, & Bonifritus Notarius Regularis, Draco, & Raginpertus Scavinis ipsius Civitatis, vel reliquis; sic ipse Bonifritus Notarius, juxta ut nos illi comendavimus, cepit querere prefati Hucpuldi Comitis de parte Monachorum Nonantule & Silva, que nominatur Ostilia, que posita esse videtur in finibus ipsius Civitatis Veronensis, portionem illam, que fuit quondam* Anselmi Abbati, *& Aidini germani, quarum res que à prefato Monasterio devenerunt: hoc est quartam portionem desuper tota ex prefata Silva, & medietatem in aliis tribus portionibus, quam à parte Regia adquisiverunt; excepto forte una, que pertinet ad domum cultile Capelle Regalis, quod vocabulum est Sancto Laurentio, & alias Sorticella, que videtur esse de Curte Roverscelle* Anselmi Comitis. *Et dicebat, quod contra Legem ipse Hucpuldus eam habet. Hec nos audientes comendavimus ipsius Hucpuldi, ut inquireret de causa hec si cum Legibus haberet, veniret ad Plaido, & qua re melius poterit, eam defendat. Et cum nos illi hoc comendaremus de Domni Imperatoris jussu, sic ipse Hucpuldus comendavit prefato Raginperto Scavino & Advocatore suo, ut exinde inquirere, & ad Plaido plenam racionem exinde donared. Posito placito venientes nos statuto die in Corte Regi, que dicitur Pociolo, ripa fluvio Mencio, & cum ressedissemus inibi ad caussas audientes, ressedentes nobiscum* Andreas Episcopus Vicentinus, *& ipse* Hucpuldus Comis, Sevodo Comis de Mantua, *& suprascriptus Andreas Judex, & Bonifritus, Lupus, Bodonicus, & ipse Draco, & Raginpertus Scavinus, vel reliqui, sic ipse Bonifritus retulit nobis de hac causa, & dixit:* Ecce modo Plaido est. Volumus scire quid iste Hucpuld Comis de ipsa Silva, que nominatur Ostilia, que pertinet ad Monasterium Nonantule ostendere velt, aut

aut pro qua causa eam contradicit. *Qui & ipse Hucpuld Comis & suprascripto Raginpertus Advocatore ejus dixerunt, quod nullam racionem justiciam invenire potuissent, nec poterint, quomodo quartam partem & medietatem ex tribus portionibus de prefata Silva Ostilia exceptis duabus Sortibus, quas superius nominavimus à parte predicti Monasterii cum Lege poterit contradicere. Sic de presenti ipse Hucpold Comes per manicias suas de manu ejusdem Bonifritus à parte prefati Monasterii revestivit. Unde & pro securitate ejusdem Monasterii Nonantule, hanc noticiam facere commonuimus.*

*Ego Deusdedit Notarius Regularis scripsi, Anno Domni Ludoici Imperatoris Septimo, Pridie Kalendas Aprelis, Indictione Tertiadecima.*

Ego Rataldus Episcopus, Misso Domni Imperatoris manu mea subscripsi.

Ego Andreas Episcopus Vicentinus concordans subscripsi.

*Andreas Judex subscripsi.*

*Draco subscripsi.*

*Raginpertus Scavinus subscripsi.*

Ego Hucpuldus Comes subscripsi.

Ego *Bnifritus Notarius subscripsi*

Ego Odo Comes subscripsi.

*Lupus subscripsi.*

*Bodonicus subscripsi.*

*Brandolinus subscripsi.*

Animadverte in hoc Placito Italicæ, aut Francicæ Linguæ voces ac phrases, scilicet *Comendavimus*, hoc est *comandammo*, sive *commandâmes*: & *de parte Monachorum*, quod Italice diceres *da parte de' Monaci*, Gallice verò *de part des Moines*: & *veniret ad Plaido*: & *racionem exinde donared*: & *per manicias suas*. Uti in Dissertat. VII. *de Comit. Palat.* animadverti, Anno DCCCLIII. occurrit *Hucpoldus Comes Palatii*. Nescio fieri-ne potuerit, ut idem Veronensis Comes, qui in Charta hac memoratus, procedente tempore ampliori illo munere donatus & functus fuerit; an potius nepos illius, aut alter ab eo *Comes Palatii* dicendus sit. Sed quamquam tanta foret Comitibus, hoc est Judicibus Populi ordinariis, auctoritas, & amplior quoque Missis Regiis, idest Judicibus extraordinariis: adhuc tamen si quando Placitum habere, & judicium instituere volebant extra Palatium Regis, aut extra ædes eorum proprias, id eis interdictum fuit, neque facere licebat, nisi impetratâ veniâ à dominis ejus domus aut agri. Statutum id fuit Lege XXII. Ludovici Pii Augusti inter Langobardicas, Par. II. Tomi I. Rer. Italicar. ubi legimus: *Minora verò Placita Comes infra suam potestatem, vel ubi impetrare potuerit, habeat*. Quamobrem ubi in alienis ædibus aut agris (nam & in agro, & sub dio, & sub arboribus non nunquam id factum) Placita celebrabantur, consuevere Comites, & Missi exposcere à domino loci facultatem illic instituendi judicii. Impetrata quoque venia in ipsis Judiciorum Chartis exprimi consuevit iis verbis *per data licentia*: ne quidquam juris in eam domum aut agrum tribuere sibi Judicibus publicis in posterum fas esset. Id quidem notum: attamen exemplo manifestiorem efficere hunc ritum mihi placuit, evulgando Placitum, cujus exemplum Sæculo Christi Decimo scriptum desumsi ego olim ex Archivo Monachorum Casinensium Sancti Salvatoris Ticinensis.

## Placitum in Civitate Regii habitum ab Ildoino Misso Hugonis Regis, in quo Rodulfus filius quondam Unrochi Comitis evincit Ecclesiam Sancti Faustini de Herberia contra Aribaldum Episcopum Regiensem, Anno 945.

*Dum in Dei nomine, in Civitate Regio, infra claustra & domum Sancte Marie Mater Ecclesie, & Episcopio istius Regiensis, in Sala, quę est in latere ipsius Ecclesie, & in Laubia, que est ante Caminata Dormitorio ipsius Sale, in judicio resideret* Ildoinus Vassus Donni Aribaldi Episcopi *ipsius Sedis, per data licencia, &* Missus Domni Ugonis *gloriosissimi* Regis, *ex ac causa ab eo constitutus: residentibus cum eo Constabilis, Grimaldus Judices Donnorum Regum, Ingelranno Scavino istius Regiensis, Marinus, Ginpertus Notariis, Lanbertus de Marmoriolo, Restaldus filius quondam Martini de Civitate Parma, Gunbertus, Johannes, Petrus, & Petrus de Cinaclo, Rodulfus de Loco fredo, Matefredus, Restanus, Liuprandus Vassis ipsius Aribaldi Presuli, & reliqui plures. Ibique eorum presencia veniens* Rodulfus filius quondam Unrochi Comes, *nec non & ex alia parte ipse* Domnus Aribaldus Episcopus *una cum Gituiso Scavino ipsius Regiensis Avocato suo & ipsi Episcopio, altercacionem inter se habentes, & retulit ipse Rodulfus*: „ Dudum „ in judicio vestris, quibus supra, presencia „ mallaverunt me histi Domnus Aribaldus „ Episcopus & iste Gituiso Avocato suo & „ istius Episcopio, quod ego injuste & malo „ ordine introisset, vel detinuisset Cappella „ una, que est ad onorem Sancti Faustini „ Martiris Christi constructa in loco & fundo „ Erbaria cum casis & rebus domui Coltiles „ quamque & massariciis, seu & omnibus re„ bus territoriis atque familiis, vel mobilibus, „ sive & omnibus redicionibus cocumque or„ dine ad ipsam Ecclesiam pertinentibus & „ aspicientibus: quas dicebant parti jam dicto „ Episcopio ad habendum pertinere deberent. „ Sed ego exinde dedi eis responsum, quod „ Ecclesia ipsa cum omni sua integritate & „ pertinencia, & cum omni redicione, sicuti „ usque nunc ad ipsam Ecclesiam dare consue„ verat, ad meam haberet & detineret pro„ prietatem: sed non malo ordine, pro eo „ quod ego & quidem quondam *Unrocho Co„ mes genitor meus*, heas habuissemus & de„ tinuissemus ad nostram proprietatem per an„ nos triginta. Cum ergo taliter retulissem, „ interrogatus sum ab ipsis Judicibus & Audi„ tores, qui ibi aderant, si taliter per testes „ probare potuissem. Ego dedi eis exinde „ responsum; quod hoc taliter adprobare no„ lerem. Tunc interrogati sunt ipsi Aribal„ dus Episcopus, seu Gituiso Scavino ejus „ Avocato & ipsius Episcopio, si & ipsi ad„ probare potuissent per testes, aut per inqui„ sicionem, quomodo parti jam dicto Episco„ pio de jam dicta Ecclesia, & de ipsis rebus „ ad

„ ad eam pertinentibus infra istis triginta annos vestiti fuissent ad proprietatem, aut non. „ Ipsi dederunt responsum, quod taliter adprobare potuissent per testes, aut per inquisiciones, & per judicium Judicum mihi iste Gituiso Scavino & Avocato wadiam dedit „ de ipsas faciendas consignaciones. Et ego „ eis me exinde arimivi de Placito: & odie „ exinde est inter nos, ac vestris presencia „ constitutum Placitum inde finem percipiendum. Sed ecce me paratus ad ipsas recipiendas consignaciones, sicut iste Gituiso Scavino & Avocato wadiam dedit. *Cum ipse Rodulfus taliter retulisset, ad hec responderunt ipsis Aribaldus Presul & Gituiso Scavino & Avocato suo & ipsius Episcopio.* „ Verè veritas est, quia omnia inter nos de hac „ causa taliter actum & wadiatum est, sicut „ tu Rodulfus asseruisti: & odie inter nos constitutum Placitum missum est inde fine percipiendum. Sed testes ipsos non abemus, „ nec in antea abere possumus, per quam tibi „ resistere possimus ad probacionem vel inquisicionem, pro ęo quod inventum & inquisitum habemus, quod Ecclesia ipsa cum omni „ sua integritate & pertinencia, cum predicta „ redicione sicuti usque nunc ad ipsam Ecclesiam exire consueverat, tua Rodulfi propria „ legibus esse debet: & nobis nec parti ipsius „ Episcopio nichil pertinet ad abendum nec „ requirendum nec pertinere debet cum lege, „ nisi tantumodo Presbiteris & Diaconibus, „ qui ibi ad ipsam Ecclesiam ministrantibus à „ Presule istius Episcopio consecrantur, & „ Crismata benedicentur, quomodo ipsis Sacerdotibus inibi in ipsa Ecclesia Sancti Faustini illorum ministerium adimplere possunt; „ ita & ut pro tempore Sinodum nostre Ecclesie custodiant, quam nos propter triduum „ consuetudo vetare non possumus. Nam ut „ diximus, de aliut nihil parti jam dicto Episcopio pertinere debet cum lege, sed omne „ tuum Rodulfi legibus esse debet. *Is actis manifestacio ut supra fatum rectum omnibus eorum quorum supra Judicum & Audientibus paruit esse. Et judicaverunt suprascriptam eorum altercacionem vel professionem seu manifestacionem, & ut postquam ipsis Aribaldus Episcopus & Gituiso Scavino & Avocato de eodem ceciderint testimonio vel inquisiciones, ut amodo in antea ipse Rodulfus jam dicta Ecclesia cum omni sua integritate & pertinencia aberet & detineret ad suam proprietatem, & ipsis Aribaldus Episcopus & Gituiso Scavino Avocato suo manerent inde sibi taciti & contenti. Et in eo modo finite sunt causa, & ad noticiam pro securitate eidem Rodulfi fieri ammonuerunt.*

*Quidem & ego Marinus Notarius ex jussione isti Ildoini Vassus, & Judicum admonicionem scripsi Anno Domnorum Regum Ugonis & Lotharii filio gratia Dei Regibus, Deo propicio Regni idem Ugonis XIX. Donni Lotharii XIV. sextodecimo Kalendas Aprelis Indictione III.*

*Signum suprascripti Ildoini Missus, qui ut supra interfuit.*

*Constabilis Judex Domnorum Regum interfuit.*

*Ego Grimaldus Judex ibi fui.*

*Ingelramo ibi fui.*

*Ego Restaldo ibi fui.*

*Signum suprascriptorum Lanberti, Johannis, & Gunperti, seu Petroni, & item Petroni, atque Rodulfi, eciam Matefredi, & Restani, Liuprandi, qui interfuerunt.*

Qui heic memoratur *Rodulfus filius quondam Unrochi Comitis*, non alium patrem habuisse videtur, quam Unrochum Comitem filium *Supponis* clarissimi Spoletani Marchionis, illum videlicet, de quo mentionem habes in Dissertat. VI. *de Marchionibus. Italiæ*. Alterum exemplum hujus *licentiæ datæ* accipiat Lector ex membranis prælaudati antiquissimi Monasterii Veronensis Sancti Zenonis. Ibi Charta, Anno Decimo Henrici I. Imperatoris, hoc est Anno Christi MXXIII. exarata, Placitum Veronæ habitum hisce verbis describit: *Dum in Dei nomine, Civitate Verona in Domo Episcopii sancte Sedis Veronensis Ecclesie, in laubia majore, que estat super flumen Athesi, per data licentia Domni Johanni Episcopi ipsius sancte Veronensis Ecclesie, in judicio resideret Domnus Tado Comes istius Comitatus Veronensis ad justitias faciendas hac deliberandas, residentibus cum eo Amelgauso, Gausfredo* &c. In eo Placito *Michaël Abbas Sancti Zenonis* terram evincit contra Zenonem & Walpertum germanos. *Idem & ego Ingelbertus Notarius ex jussione suprascripti Comitis, & judicum amonicione scripsi Anno verò Domni Henrici Imperatoris hic in Italia Anno Decimo, Pridie Kalendas Septembris, Indictione VI. Ego Johannes gratia Dei Veronensis Episcopus subscripsi. Tado Comes subscripsi. Amelgauso Judex Sacri Palatii interfuit.* Neque putes, petitam dumtaxat fuisse veniam Placiti, quum in Magnatum ædibus aut fundis celebrandum illud fuit. Omnia privatorum loca Lex eadem complectebatur. Atque heic mihi commemorandum est Placitum, cujus Chartam vidi in Tabulario Monachorum Cisterciensium Sancti Ambrosii Mediolani, unde hæc pauca excerpsi: *Dum in Dei nomine, Civitate Mediolani, in mansione Petri Negotiatoris, filii quondam Johanni, per ejus data licentia, in judicio adesset Arioaldus Judex & Missus Domni Chunradi Imperatoris ex ac causa ab eo constitutus; adessent cum eo Traso qui & Amizo, Petrus &c. Ibique eorum veniens presentia Domnus Landulfus venerabilis Abbas Monasterio beati Confessoris Ambroxii &c. Ego Petrus Notarius sacri Palatii scripsi & interfui Anno Imperii Domni Chunradi Imperatoris, Deo propitio, IX., mense Julio, Indictione III.* idest Anno Christi MXXXV. Illud etiam animadvertendum est, licuisse Missis Regiis subdelegare Judices alios ad Placita instituenda, litesque dirimendas. Testem ritus in calce Dissertationis hujusce dabo Placitum Taurinense. Colligere id ipsum interea possumus ex Placito Mediolanensi, ubi Anno DCCCXLIV. *Johannes Comes Sepriensis*, sub cujus Præfectura tunc erat Oppidum Locarni, *per admonitionem Domni Angelberti Archiepiscopi Mediolanensis* Missi Lotharii Imperatoris, prope mœnia Civitatis Mediolanensis caussam quamdam cognoscit, atque decernit. Pergamenam autographam exhibuit mihi prælaudatum Archivum insigne Monachorum Cisterciensium Sancti Ambrosii majoris Mediolanensis: cujus hæc sunt verba.

In Placito Mediolanensi coram Johanne Comite Sepriensi & Gunzone Vicedomino, Advocatus Monasterii Ambrosiani litem agitat de quibusdam casis & rebus contra Teutpertum, Anno 844.

*Dum in Dei nomine per admonicionem Domni Angelberti Archiepiscopo & Misso Domni Imperatoris . . . . . cum resedisemus nos* Johannes Comis, *Gunzo Vicedomino in clausura Sancti Ambrosii foris Civitate Mediolani, residentibus nobiscum Paulus, Stabelis Jucidibus Walchario Gastaldio, Leo, item Leo, & . . . . . . Scavinis, Adelbertus, Abollenaris, Ambrosius, Jonam Notariis, & reliqui plures. Ibique venerunt in nostri presencia idest Theutpaldus de Vico Lugarno . . . . . . Teutpertus . . . . . . intencionem habentes. Dicebat ipse Teutpaldo Avocato :* „ Malavi ipsum „ Teutpertus & Adalberto filio ejus, quod „ contra Lege deerint casis & rebus illis, seo „ familias in loco & fundum Balerna, presencia Isengàri Sculdascio & Ansulfi Scavino & „ relicorum; & ibi in judicio ostensi Cartulam, qualiter casas & res seo familiis ipsis „ in Balerna inter reliquis rebus Bruningus de „ Maliasi venundaverat à parte ipsius Monasterii Sancti Ambrosii Deusdedi Abbati ejusdem Monasterii. Et iste Teutpertus cum „ Adelberto filio suo à Comiti . . . . . . quod „ casas, res, seo familias ipsas aberent, sed „ non contra Lege, & Cartulam ostendit, „ qualiter ipsas . . . . . . casas & res ipsas in „ Balerna dederat Walperge filie sue, conjuge ipsius Adalberti. Relecta predicta „ nostra Cartula da parte Monasterii erat anterior. Judicatum est inter nos, ut iste „ Teutpertus, qui causa eidem filio & Norace sue peragebat, daret mihi vadiam de „ auctorem ipso Bruningo, qui vigorem Cartula ipsa in eadem filia sua emiserat; sicut „ & dedit mihi vadia de ipso auctorem. Et „ ibi professi sunt ipse Teutperto & filio ejus „ Adelberto, quod nullo alio monimine inde „ aberet. Et ego dedit ei wadiam de Placitum & in Placitum, quod inter nobis positum est ad Oratorio Sancte Marie in Lacurno. Venimus ambas partes presentia ipsius „ Isengari Sculdascio & Ansulfi Scavino & „ relicorum. Et ibi ostenderunt ipsum „ Bruningo, unde mihi wadia de auctorem „ dedit; & quesivimus ipsas res sicut primitus. Interrogato ipso Bruningo ab ipsis „ Auditoribus, si auctor ipsum exifteret de „ ipsis casis & rebus vel familiis, an non, „ & ipse Bruningo dixit, quod de ipsas casas „ & res vel familia auctor non esset, nisi tantum de fruges earum rerum. Et ibi ceciderunt de auctorem, & judicatum est eis, „ ut mihi à parte ipsius Monasterii, postquam „ de auctorem ceciderunt, casas & res ipsas „ seo familia relaxarent, sed noluerunt redere. Posthac venit presentia ejusdem *Domni Angelberti Archiepiscopi, & Leodoini Comiti Missi Imperialis* „ in eadem Civitate Mediolani iste Bonifrit Avocatus ipsius Monasterii, „ & quesivit eidem Teutperti exinde justiciam. „ Et ipsi Missi comandaverunt istius Gunzoni „ Vicedomino, & Johanni, seo Rotperti Scavinis, & relicorum, ut casam ista deliberarent, & conjunxerunt se eorum presencia „ & ceterorum. Et ipse Bonifrit illis hac „ causa qualiter inter nos acta est, nota faceret, & ipse Teutpert diceret, quod verum „ non erat, ut de auctorem cecidimus. Judicatum est eis, ut ego qui primis exinde „ avocatus fui, & causa ipsa postquam veniret „ una insimul cum eumdem Ansulfo Scavino, „ & ceteri homines, qui se exinde recordarent. Et taliter wadiaverunt. Et odie . . . . „ missum est. Ecce me Teutpaldus paratus „ cum isto Ansulfo Scavino interrogavit eum, „ qui exinde recordant, aut qualiter in ejus „ presencia actum est.

*Cum ipse Teutpaldo Avocato taliter omnia in nostris presencia retulisset, sic nos, qui supra Auditoribus interrogavimus eumdem Teutpert, quit adversus hec dicere voleret. Qui dixit & professus est :* „ Veritas; quia nos malasti de „ casas & res ipsas seo familia in Balerna; & „ ambas partes Cartulas ostendimus. Et sicut „ ipse Teutpaldo dicit, wadia dedi de ipso „ Bruningo auctorem, & nobis exinde auctor „ fuit; & non decatevimus de auctorem. „ *Dum taliter agerentur, interrogavimus ipso Ansulfo Scavino, qui ibi à presens, quis de hac causa recordaret, nobis certam diceret veritatem. Qui dixit :* „ Bene recordo, quia venerunt in judicio mei presencia & Isencarii Sculdascio & relicorum. Et causa ipsa, qualiter „ iste Teutpaldo Avocatus retulit, sic factum „ est. Et venit ipse Bruningus in eodem Placitum, & dixit : Non sum amplius auctor „ nec de casis, nec de res, nec familia, nisi „ tantum de fruges de ipsas res. Et decaterunt de auctorem iste Teutperto cum filio „ suo Adalberto. Et postquam de ipso auctorem, sicut wadia dedit recideret, judicavimus, ut rederent & relaxarent ipsas casas „ & res seo familia à parte Monasterii, sed noluerunt. Eciam iste *Johannes Comis, qui* „ *tunc Comitatum Sepriense abebat,* in cujus „ ministerio res ipsas erat, mihi comandavit, „ ut eum disricxissem, sed menime potui. „ *Deinde Adelchis da ipso loco Locurno, & Petrus da Lucernate, seo Wilielmo Sculdascio, & Ansulfo de eodem loco Lucernate recordati sunt, dicentes, quod ibi fuissent, & omnia sic essent veritas, sicut ipse Ansulfo Scavino recordavit. Et pro eo quod ipse Adelbertus filio ejusdem Teutperti nostris presencia non venit, ideo suspensimus causam ipsa, ut veniret ipse Adelbertus filio ejusdem Teutperti, causa ipsa sicut acta & inventa est inter eos finiendum. Et taliter dedit wadia ipse Teutpertus eidem Teutpaldi Avocato cum eodem filio suo à Placitum veniendum & definiendum. Et ex hac noticia, qualiter actum est, ne in posterum in alio modis revolvantur causacio, pro securitate ipsius Monasterii facere comonuimus.*

*Quidem & ego Ursus Notarius scripsi Anno Imperii Domni Hlotharii XXV. Mense Aprilis, Indictione VII.*

Ego Johannes Comis interfui ut supra.

*Gunzo Diaconus interfui.*

*Paulus Notarius Domni Imperatoris ut supra ibi fui.*

*Stabelis Notarius interfui ut supra.*

*Ego Walcharius Gastaldius interfui ut supra.*

*Leo Notarius in parte interfui*

*Leo Notarius interfui ut supra*

*Alo Notarius interfui ut supra*

*Offa-*

*Offarode Scavino interfui, & recordabi ut subra subscripsi.*

*Ego Ambrosius Notarius interfuit.*

*Atto filius bone memorie Ausemundi interfui.*

Ceterum eos *Missos* seligere in usu fuit, qui non solum amore justitiæ ac veritatis reliquis antecellerent, & sine ullo hominum respectu justitiam ministraturi crederentur, sed etiam, uti supra dixi, atque Annales Lambeciani nos edocuerunt, facultatibus abundarent, ne eorum paupertas quibuscumque donis advenientibus apertum ostium relinqueret. Propterea opulenti Comites, & Proceres, & Episcopi, aut Abbates ditissimi, ad id muneris evehebantur: quod & in Chronico Moissiacensi apud Du-Chesnium Tom. 3. Scriptor. Francic. ad Annum DCCCII. repetitum videas. Eis tamen alimenta, & equi ad iter opportuni, à Provincialibus ministrabantur ad eam mensuram, quæ præscribebatur à Rege, aut à publicis Legibus (ex quibus unam habemus Ludovici Pii) aut in Literis Tractoriis. *Conjectum* ejusmodi sumtibus nomen erat, & singuli Provinciales pro sua virili conferre cogebantur. *Conjectum* tamen Missis exigere nefas erat, si intra suum Comitatum aut Diœcesim, aut *prope suum beneficium consistebant*; sed tunc dumtaxat, quum longe à suis ditionibus judicia exercebant, ut habetur in Lege LIV. inter Langobardicas Ludovici Pii. Sed quale quantumque onus Populis adferret Missorum ejusmodi expeditio, dicam in Dissertat. XIX. *de Tributis*. Attamen utilitas, quæ ex generosis probisque Missis in Populum manabat, ejusmodi onus, ut conjicio, leve efficiebat. Illud tantummodo curandum erat, ut Missi revera probi, docti, & incorrupti ad id muneris adhiberentur. Propterea Episcopi Anno DCCCLVIII. congregati in Carisiaco Palatio, scribentes ad Ludovicum Regem, quales ab eo Missi forent seligendi, hisce verbis Cap. 14. Epistolæ suæ indicabant: *Missos etiam tales per Regnum constituite, qui sciant, qualiter Comites & ceteri Ministri justitiam & judicium Populo faciant: qui sicut Comitibus præponuntur, ita scientiâ, justitiâ ac veritate eis præemineant*. En quanta Regalium Missorum dignitas & auctoritas foret. Præcipuum verò hujusmodi Missorum munus fuit operam dare, *ut Ecclesiarum Dei justitias, viduarum quoque & orphanorum, sed & ceterorum hominum inquirerent & perficerent, & quodcumque emendandum esset, emendare studerent, in quantum melius possent: & quod emendare per se nequivissent, in præsentia Imperatoris adduci facerent*. Hæc Flodoardus Lib. 2. Histor. Remensis Cap. 18. Quibus consonant, quæ Ludovicus II. Augustus statuit in Capitulari Ticinensi, quod editum habes Part. II. Tomi I. Rerum Italicar. pag. 159. ubi hæc Missis sive Legatis Regiis facienda indicuntur: *Ecclesiarum Dei justitia inquiratur* &c. *Pupillorum & Viduarum causa investigetur* &c. *Totius Populi querimonia generaliter audiatur* &c. *Pontes* quoque publico usui necessarios restaurandos curabant ex Lege Langobard. XXXVI. Ludovici Pii; uti & *Regia Palatia*, quibus decenter Augusti, quotiescumque opus foret, reciperentur. Malos autem *Scabinos*, improbosque *Judices* dejicere jubebantur, & bonos substituere. Quod si quis, eis urgentibus, justitiam facere recusabat, in ejus ædibus consistebant, & ex ejus facultatibus victum sibi parabant. Præterea salubri consilio Ludovicus Pius constituit in Lege L. Langobard. *ut in illius Comitis ministerio, qui bene justitias factas habet, Missi nostri diutius non morentur; sed ibi moras faciant, ubi justitias vel minus, vel negligenter factas invenerint*.

De *Moneta* quoque, sive de *Pecunia*, an alicubi falsa in commercio adhiberetur: de *Latronibus* puniendis, de *privatorum* simultatibus, de injustis *Vectigalibus*, & iniquis *Consuetudinibus*, ac *Tributis* nuper institutis, aliisque hujusmodi Reipublicæ incommodis è medio tollendis, atque emendandis, multiplex eis cura futura erat. Quod verò *per se facere non possunt, nobis notum faciant*, ajebat idem Ludovicus Pius, cujus monita sive Constitutiones ad Missos ab ipso electos habemus in Lege XXXVI. Langobard. & pluribus aliis subsequentibus. Sed potissimum in hanc rem legenda, quæ de ipso Augusto, ejusque Missis refert Ermoldus Nigellus in Carmine de Reb. gest. Ludovici ejusdem à me edito Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. ubi quanto studio summe pius Augustus felicitatem Populi sui procuraret, & quanta ab ipsis Missis ille exigeret, multis versibus refert: Neque in Sæcularium tantum negotiis sese exercere consuerunt ejusmodi Legati, sed & in Ecclesiasticorum. Nimirum sedulo investigabant, num suo muneri deessent *Episcopi* & *Abbates*; num aliquâ impotentiâ gregem suum regerent; an quisquam è sacris viris Xenodochia, Monasteria, Ædes sacras, & Ecclesiarum bona dilapidaret, aut in emphyteusim inique concederet. Num *Canonici*, iis temporibus instituti, Regulam Canonicorum rite observarent, & uno sub tecto inclusi vitam communem cum piis moribus, & fraterna concordia ducerent. *Monasteria quoque Monachorum & Puellarum, & Senodochia circumeant, si unde administrentur, debita obsequia habeant, & concorditer degant, inquirant. Quidquid inordinatum repererint, regulariter corrigant*: ita Anno DCCCLV. constituebat Ludovicus II. Augustus in suo Capitulari, quod evulgavi Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 159. Proinde familiare fuit Francis Augustis Episcopos & Abbates deligere ad hoc munus, quod ii aptiores quam Sæculares homines forent ad dignoscendas sacrorum locorum, & Cleri utriusque, & sacrarum Virginum necessitates, eorumque mores componendos. Pippinus Italiæ Rex in Lege XXI. Langobard. testatur se direxisse Missos, *unum Monachum & alium Capellanum infra Regnum nostrum, providendum vel inquirendum per Monasteria Virorum ac Puellarum, quomodo est eorum habitatio, aut conversatio eorum, & quomodo quodque Monasterium debeat habere, unde vivere possit*. Eâ etiam de caussâ Episcopus Civitatis iisdem Missis adesse, & una cum iis Cleri utilitatem ac emendationem procurare jubebatur. Quamdiu mos iste mittendi extraordinarios Judices, sive Missos in Provincias perduraverit, si quis petat, respondeo, mihi quidem videri, rarum fuisse Sæculo Christi Undecimo; ineunte tamen subsequenti Duodecimo adhuc illum viguisse, ac deinde sensim exspirasse, donec temporibus Friderici I. prorsus evanuit. Ea enim tempestate, quum inter Fridericum Augustum & Civitates plerasque Langobardiæ atrox invaluerit bellum, illis pro Libertate & Republicâ jam constitutâ pugnantibus, Cæsare pro restituendis jam antiquatis Imperatorum juribus, eò tamdem res devenit, ut concordiâ per pacem Constantiæ initâ, ejusmodi Missorum usus omnino desierit. Certe Sæculo Chri-

Christi Undecimo, ut dixi, adhuc vigebat ista consuetudo, uti exemplis bene multis ostendere possem, è quibus hæc pauca proferam: Primum ministrabit nobis Charta, quam authenticam olim vidi & descripsi ex Archivo Monachorum Montis Oliveti degentium Lucæ in Monasterio Sanctorum Bartholomæi & Pontiani. Similem autem Chartam memorat Florentinius Lib. I. pag. 29. Vitæ Comitissæ Mathildis; neque tamen illa eadem videtur, quæ heic evulgatur.

## Placitum in Urbe Lucensi habitum coram Cadaloo Cancellario Imperatoris, in quo Canonici Ecclesiæ Sancti Martini caussam obtinent contra Sigefredum & Landulphum, Anno 1038.

D*Um in Dei nomine, infra Comitato Lucense, in loco qui dicitur Via Vinaria, intus Curte* Donni Bonifatii Marchio Dux, *in judicio sedisset* Donnus Kadolohus Kancellarius, Missus Domni Imperatoris, *&* Bertaldo Comes, *per data licentia Domni Imperatoris ad justitia facienda, hac deliberanda, residentibus cum eis* A . . . . . . . . Episcopus Bononiensis Ecclesie, *&* Adalberto Comes, *& Adalberto Judex & Avocato, Flaipertus Judex & Avocato Domni Bonifatii Marchioni, Johanni, Radilandi, Gherardi, Waldi, Adalberti Judicibus Sacri Palatii, Bernardi Notarius, Petrus filio bone memorie Pauli, Teuderichi filio bone memorie Ildebrandi, Petri filio bone memorie Warneri, Gherardi filio bone memorie Christofani, & reliquis: ibique eorum veniens presentiis Leo Presbytero & Stefano Presbytero, & Lanberto Clerico & Ateghino Clerico, Kanonici & Ordinarii de Ecclesia Kanonicha Sancti Martini Lucensis, una cum Bacaru Avocato eorum. Et ceperunt dicere ac reclamare ad suprascripto Cancellarius:* „ Jam „ plures vices reclamavimus ad vos Domno „ Cancellarius de Sighifredi & Landolfo germanis filii bone memorie Enrichi, quod nobis & aliis Kanonici confratribus nostris de „ pars Ecclesie & Kanonice Sancti Martini „ malo ordinem contendunt & contradicunt „ medietate de res & casis & rebus illis massariciis, que esse videntur in loco & finibus „ Oneta prope Mozano, que una ex ipse casa „ & res regere videtur per filio quondam „ Martini: secunda detinetur per &c. *Tunc recordatus ipse Domnus Kadolohus Kancellarius, quod ita verum esse, quod ipsis Kanonicis & Avocato dicebant, & per fuste, quas in suorum detinebat manibus; investivit predicti Kanonicis cum predicto Avocato &c. Unde banc notitia pro futtura ostensionem ostendendo fieri jussimus.*

*Quidem & ego Rodulfus Notarius Domni Imperatoris ex jussione predicto Kadolohus Cancellarius & Missus Domni Imperatoris amonitione Judicum scripsi, Anni Domini nostri Jesu Christi Dei eterni ab Incarnationis ejus Millesimo Trigesimo Octavo, Conradus gratia Dei Imperator Augusto, Anno Imperii ejus in Italia Undecimo, VIII. Kalendas Martii, Indictione VI.*

*Kadelohus Cancellarius & Missus Sacri Palacii subscripsi*

*Adelbertus Judex Sacri Palacii, interfui.*
*Ego Girardus Judex Sacri Palacii interfui, &c.*

Episcopus Bononiensis heic memoratus, *Adelfredus* fuit: attamen in ea Charta non satis perspicue visus sum mihi eus nomen legere. *Kadelohus* autem, qui Placito huic præfuit, idem ille est, uti meritò conjicere licet, qui Anno MLXI. ad Pontificatum Romanum inhiavit, & in Antipapam se se erexit; sed brevi temeritatis suæ pœnas subivit. Quod heic potissimum animadvertas velim, Placitum celebratum est *intus Curte Donni Bonifatii Marchio Dux*; & res poscebat, ut eo sinente illic judicium institueretur. Attamen heic legitur: *per data licentia Domni Imperatoris*: quod idem habet Charta à Florentinio laudata. Ideo hoc factum, ut alibi jam monui, quod eo ipso tempore, Anno videlicet MXXXVIII. Februario mense Conradus I. Imperator in Tuscia versaretur, Wippone etiam teste in ejus Vita. Præsente autem Imperatore, ob ejus dignitatem, quum ad ipsum spectet supremum dominium in omnia Vassallorum ac subjectorum bona, ejus fuit, non verò Bonifacii Marchionis, veniam dare Kadeloho & Bertaldo Comiti, instituendi in eadem Curte judicii. Addo alteram Chartam, descriptam ex authentica membrana, existente in ædibus Patrum Eremitarum Sancti Augustini Senensis.

Pla-

# Placitum à Guntherio Cancellario & Misso Henrici II. Imperaroris, habitum in Comitatu Florentino: in quo Advocatus Monasterii Sancti Bartholomæi Curtis Mainberti res quasdam ejusdem Cœnobii tuetur contra nonnullos earum usurpatores, Anno 1055.

D*Um in Dei nomine, in Comitatu Florentino, prope fluvium Arnii, in loco qui nominatur Omiclo, in judicio residebat* Domnus Gunterius Cancellarius & Missus Domni Imperatoris, *justicias faciendas ac deliberandas: adessent cum eo Bonusfilius, Otto, Atzo, Wibertus, Burgundius, Wolcausus, Tolbertus Judices Sacri Palatii, & reliqui plures: ibique eorum veniens presentie Lanfrancus Avocatus Monesterii Sancti Bartholomei, sito loco, qui vocatur Curtis Mainberti, & cepit dicere:*
„ Jam plures vice me reclamavi ad vos Donnus Gunterius Cancellarius & Missus super „ Bonifacium & Eponem, & supra Rainerium „ filium Wille, qui parti predicti Monesterii „ malo ordine & contra Legem detinent omne, quod abemus in Alma, & contradicent „ nominative medietatem de Curte una, que „ noncupatur Sestinga, cum casis & Capellis, „ seu territoriis, omnibusque rebus, que ad „ ipsam medietatem de jam dicta Curte & „ Capella pertinente. Nam aliam medietatem „ de jam dicta Curte & Capella, sive rebus „ omnibus suprascripti Monesterii ad proprietatem pertinet. Et sive medietatem de „ Curte una, que noncupatur Columnata, cum „ Ecclesiis, casis, territoriis, & omnibus rebus, que ad ipsa medietatem de predicta „ Curte & Ecclesiis pertinet; reliqua namque „ medietas ipsius Curtis ad proprietatem ipsius „ Monesterii detinet * Et sive medietatem de Curte, que nuncupatur Valle „ cum Turre & Castello & Ecclesia ibi consistente, & cum casis, territoriis, & omnibus rebus, que ad ipsam medietatem de „ jam dicto Castello & Turre & Curte pertinent; aliam namque medietatem ipsius Cortis ad proprietatem ipse Monesterium detinet. Et sive medietatem de Corte, que „ nominatur Portilione, cum casis, Capellis, „ seu territoriis, & lacu & piscaria & portu, „ omnibusque ad ipsam medietatem de predicta Corte tam in terris, quàm in aquis pertinere videntur: reliqua verò pars media „ ipsius Cortis ad proprietate ipsum Monesterium detinet. Sed & de Castello Casalappi, „ septem Merli de predicto Castello, cum suis „ pertinentiis, que detinet Tedici, & Pojo „ qui vocatur Capanna murata, totum in integrum cum suis pertinentiis. Et alia Corte „ Aslaito, cum medietate de Ecclesia Sancti „ Michaëlis, que vocatur in Nottula cum „ septem Mase. Sed & alia Corte, que nominatur Serignano, cum sua pertinentia, & „ Ecclesia Sancti Andree cum sua pertinentia. „ * Unde quero ad vos, Domnus Cancellarius & Missus, ut vos propter Deum, & „ anime Domni Imperatoris, ac vestre mercedis, ut investiatis me, & parti predicti Monesterii de iis omnibus rebus ad salva querela, quousque ipsi Bonifacius & Eppo & „ Rainerius ad vestrum Placito veniant, & „ ad predictum Monesterium justiciam faciant. *Cum ipse Lanfrancus Avocatus taliter retulissent, tunc Domnus Gunterius & Missus per fuste, quam sua tenebat manu, investivit predictum Lanfrancum Avocatum & predictum Monesterium de suprascriptis Cortibus & rebus omnibus, sicut supra denominavit, ad salva querela, quoadusque predictus Bonefacius & Eppo & Rainerius ad Placitum veniant, & predicti Monesterii justicias faciant. Et insuper misit bannum ex parte Domni Imperatoris, ut nullus quislibet eumdem Lanfrancum parte predicti Monesterii de is omnibus rebus devestire, molestare, vel inquietare adeat, sine legale judicio. Qui verò fecerit, centum Libras auri se compositurus agnoscat ad medietatem Camere Domni Imperatoris, medietatem parti predicti Monesterii. Et ac noticia, qualiter acta est causa fieri amonuerunt.*

*Quidem & ego Aldo Notarius Sacri Palaci & jussione suprascripto Căcellarii & Misso, seu Judicum amonicione scripsi, in Anno ab Incarnacione Domini nostri Jesu Christi MLV. Imperii vero Domni Secundi Einrigi, Deo propicio IX. Quartodecimo mensis Junii, Indicione VIII.*

*Ego Guntherius Cancellarius confirmavi.*
*Atzo Judex & Missus Domni Imperatoris interfuit.*
*Ego Otto Judex Sacri Palatii interfui.*
*Ego Wibertus Judex Sacri Palacii interfui.*
*Walcausus Judex Sacri Palacii interfui.*
*Ego Burgundius Judex Sacri Palacii interfui.*

Neque omissum volo Placitum hoc, uti & alterum ejusdem exemplum, ipso die ac anno celebratum, missum ad me fuisse à Clariss. Benvogliento, excerptum ex antiquo Chartario existente apud nobilem Virum Dominum Franciscum filium quondam Domini Johannis Baptistæ Piccolominei. Ibi vero præter bona recensita in Charta nuper edita, alia adduntur, quæ inter duos asteriscos clausa, huic Placito interserui. Discrimen hoc inter Authenticum & exemplum unde processerit, investigandum aliis relinquo. Anno etiam MC. Missos Imperiales Italia vidit. Id constabit ex subsequente Charta, quam descripsi ex Regesto Sanctimonialium nobilissimi Asceterii Veneti Sancti Zachariæ.

## Sententia Warnerii Missi Imperialis in Placito habito in Montesilice pro Monialibus Sancti Zachariæ Venetiarum contra Monasterium Pàtavinum Sanctæ Justinæ, Anno 1100.

*IN nomine Dei eterni. Anno ab Incarnationis Domini nostri Jesu Christi Millesimo Centesimo, Indictione VIII. Octavo Kalendas Junias. Cum in Dei omnipotentis nomine* Warnerius Missus Domni Imperatoris, *atque* Delegatus ab ipso Principe *in judicio Judiciarie Montis Silicis resideret ad justiciam deliberandam ac faciendam: adessent cum eo Gumbertus, & Almericus Judices &c. Ibique in eorum veniens presentia Prior Sancte Justine Patavensis Ecclesie, venit & reclamare cepit de quadam Capella, Sancti Thomæ Apostoli dedicata nomine, & Cartulam inanem nullo jure munitam, nulloque Tabellione conscriptam ibi ostendit, quam Draco Presbiter jam dudum fecerat. Sicque cum hac Cartula contra Cenobium Sancti Zacharie in Regno Venecie site agere volebat, possessionem ac dominium ipsius Capelle acquirere. Quam vero possessionem supradictum Sancti Zacharie Cenobium jam per centum annos & ultra jure quieto possederat. Tunc ibi loci Plebanus Sancti Zacharie, qui ibi aderat, Privilegium ab Imperatore factum, sigillo ipsius Imperatoris impressum, a Judicibus quampluribus firmatum, a Cancellario scriptum, omnique solempnitate juris corroboratum ibi ostendit; & cum hoc aliisque rationibus juris supradictum Sancti Zacharie Cenobium legaliter defendit. Tunc Judices ac Juris periti, qui ibi aderant, certantes, discutientes, & equa lance trutinantes supradictam Cartulam, quam Prior . . . . . ac judicium enucleatim Sancte Justine ostendatur, inanem & vacuam esse laudaverunt, & supradictum Sancti Zacharie Cenobium habere & possidere supradictam Capellam, sicuti jam dudum habuerat.*

*Ego Albertus Judex interfui & scripsi.*

Regnante autem Friderico I. quo tempore Mediolanensis Urbs per eum attrita fuit, & reliqua ferme Italia ob metum ad ejus pedes prolapsa, Judices illius reperio discurrentes per Langobardicas Civitates, abrogato tamen *Missorum* titulo, aliis appellationibus utentes, nempe *Vicarii Imperialis*, aut *Imperialis Aule Comitis*, aut *Legati*, & similibus. Id ex sequentibus monumentis palam fiet: quorum primum ex authentico descripsi, adservato in Tabulario antiquissimi Monasterii Sancti Zenonis Veronensis.

## Garsendonius Episcopus Mantuanus & Imperialis Aulæ Comes, decretum profert in lite agitata inter Abbatem Monasterii Veronensis Sancti Zenonis, & Blandinum ac Adelardum fratres, Anno 1163.

*DIe Veneris, qui fuit undecimus dies exeunte mense Julii, in Sala* Domni Garsendonii, *Dei gratia Sancte* Mantuanensis Ecclesie Presulis *mirifici, &* Imperialis Aule Comitis, *in presentia bonorum hominum; hi sunt, Jacobus Alberti de Amica, Albertus Azonis de Enrico, Agnellus, & Conradus de Curiana Causidici, Morandus Medicus, Petrus Prepositus Mantuanensis Ecclesie, Marchisinus Ministerialis Civitatis Mantue; nec non & in presentia Veronensium, quorum nomina inferius sunt, Bonus, Zeno de Lamberto &c. Causidici, Carlasarius Advocatus Sancti Zenonis Cenobii, Ardicio de Scala, Dentellus Nogarie, Bonus Presbiter ejusdem Monasterii, Johannes de Bevilaqua, Bonacausa &c. Ibique in eorum presentia Domnus* Garsendonius *Dei gratia Sancte* Mantuanensis Ecclesie Episcopus *&* Imperialis Aule Comes, *presentibus Odone & Rodulfo suis Assessoribus, dedit Albertonum de Vico Athesi* Domno Nobili Abbati Monasterii Sancti Zenonis, *& Carlasario ejus Advocato, ut daret possessionem illarum terrarum seu vinearum seu nemorum, prout noviter fuerant facte consignationes a parte Monasterii Sancti Zenonis illis hominibus Blandini & Athelardi fratrum &c. De quibus hominibus supradictus Abbas præfato Presuli querimoniam deposuerat, quod ipsi injuste habuissent & possedissent ipsas res &c.*

*Factum est Mantue in suprascripto loco, Anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi MCLXIII. Indictione XI. Imperante Domno Frederico Dei gratia Romanorum Imperatore gloriosissimo & semper Augusto, Anno Regni ejus XII. Imperii verò ejus IX. feliciter.*

*Ego Vitalis Notarius Sacri Palatii rogatus suprascriptis actibus interfui, & hoc breve scripsi.*

*Garsendonius* Mantuanus Præsul heic memoratus idem est, qui corrupte ab Ughellio appellatur *Garsiodorus*, sive *Geridonius*, & à Jacobo Chiffletio *Grisandinus*. Ejus germanum nomen fuit *Garsendonius*, ut ex aliis monumentis constat. Archivum Sanctimonialium Regiensium Sancti Thomæ, ubi authentica membrana adservatur, alterum hoc monumentum mihi suppeditavit.

D

## Decretum Hermanni Verdenſis Epiſcopi, & Imperialis Legati in controverſia vertente inter Monaſterium Monialium Sancti Thomæ Regienſis, & Conradum filium quondam Henrici Regis, Anno 1163.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis , & glorioſæ Mariæ ſemper Virginis , quæ augeat vitam Frederici glorioſi Imperatoris, Anno Domini MCLXIII. Indictione XI. Quinto Idus Martii die Lunæ . Cum apud* Dominum Hermannum Verdenſem Epiſcopum , & Imperatoris Vicarium & Legatum *querimonia facta fuiſſet ex parte Monaſterii Sancti Thomæ Apoſtoli per Adelaſiam Monacham ejuſdem Monaſterii ſuper* Conradum olim Regis H. filium , *& Ubertum Curatorem , de quadam poſſeſſione , quæ quondam fuit prædicti Uberti , quam prædictus Conradus ſupraſcripto Monaſterio moleſtabat , nec ſinebat quiete poſſidere , & eam nomine Uberti intromiſerat : prædicto Domino Hermanno Epiſcopo ſedente pro tribunali , Dominus Ugo Iperanus ; & Guibertus de Boniado, & Albertus , Imperialis Aulæ Judices præceperunt prædicto Conrado , ut prædictum Monaſterium de prædicta poſſeſſione , ut in Inſtrumento continetur prædicti Monaſterii , de cetero ſine legitima interpellatione non inquietaret, & prædictum Monaſterium quiete poſſidere permitteret .*

*Actum eſt hoc in Palacio Mutinenſi , in præſentia* Domini Henrici Mutinenſis Eccleſiæ Epiſcopi , *& Domini Ugonis ejuſdem Archipresbiteri , Marchiſii de Monzambano , & Domini Ugonis Cauſidici , & Girardi de Cornazano , & Bernardi de Curviaco , & Garzioli de Tizano , & Gumbizonis de Sciſſia , & Widonis de Gomola , & Marcelli , & aliorum quamplurium .*

*Ego Blaſius Imperatoris Friderici Notarius juſſu Domini Hermanni Epiſcopi , & ſupradictorum Judicum ſcripſi .*

Quod heic potiſſimum animadvertas, lis erat Sanctimonialibus Regienſibus *ſuper Conradum olim Regis H.* ( hoc eſt Henrici ) *filium* , qui in *Palacio Mutinenſi*, ubi Hermannus Verdenſis Epiſcopus , uti Imperatoris Vicarius & Legatus , in judicio præerat , quæſtioni huic interfuiſſe dignoſcitur . Sed quinam , rogo , fuit iſte *Conradus*? Num Henrici inter Reges Quincti , & Imperatoris Quarti , Anno MCXXV. vitâ functi filius ? Sed cur idem Henricus tantummodo Rex appellatur ? Nullum mihi hominis hujus veſtigium occurrit , & ſuſpicari quis poſſit, eum ex illegitimo concubitu genitum. Aliorum erit rem accuratius inveſtigare, eorum quippe examini intactam relinquo . Hiſce adjungere juvat Chartam ex antiquiſſimo Regeſto Communis Mutinæ excerptam , cujus hæc ſunt verba .

## Gerardus Rangonus Imperialis Legatus, & Conſules Mutinæ Maſſario Eccleſiæ Cathedralis Sancti Geminiani facultatem concedunt fodiendi ubique lapides tam in Civitate quàm extra, Anno 1167.

IN *Chriſti nomine . Anno ejuſdem MCLXVII. Indictione XV. Regnante invictiſſimo Imperatore Friderico , IV. Idus Maji , die Veneris* , Domnus Girardus Rangonus Imperatorie Majeſtatis per Mutine Epiſcopatum & Comitatum Legatus , & Conſules Mutinæ , *videlicet Guidotus , Rolandinus , Albertus Pildeguerre , Gibertus de Bajoaria , & Albertus Graſulfi , Guilielmus Zacius , & Arlotus, habito Mutine Conſilio , & poſtea Concione , decreverunt , & firmiter ſtatuerunt , ut Maſſarius Sancti Geminiani preſentes & futuri habeant licentiam & liberam poteſtatem ſua auctoritate fodendi lapides per ſtratas & plateas Civitatis , abſque incommoditate intus habitantium . Extra vero Civitatem ſimiliter per ſtratas & vias & paludes , Communia & foſſata , ubicumque voluerint , & juxta ſtratas & vias infra campos per quatuor brachia libere ſimiliter fodiant . Ita tamen quod ſtrate & vie & platee , ubi foderint , per eoſdem abſque fraude meliorentur ; & quod nullus homo ſua auctoritate in ſupradictis Communibus , abſque licencia & parabola & voluntate Maſſariorum domus laborerii Sancti Geminiani , lapides fodere ullo modo preſumat . Et ſi foderint , vel Maſſariis in fodendo lapides rebelles exiſtere , vel eos infeſtare aliquo modo preſumpſerint , viginti Solidos Imperiales nomine pene dictis Maſſariis ſolvant . Et quoties quilibet ſupradictos Maſſarios in fodendo lapides infeſtaverit , toties decem pena viginti Solidos Imperiales ſupradictis Maſſariis integraliter ſolvat . Et ſoluta pena iterum Maſſarii libere & quiete abſque alicujus contradictione fodiant , & lapides , quas Deus eis dederit , accipiant ; & que ſuperius ſcripta ſunt , ut dictum eſt , rata & firma perpetuo habeantur .*

*Actum Mutine juxta Eccleſiam Sancti Geminiani , feliciter . Teſtes interfuerunt Albertus Godi , Ugo de Solaria , Buccabadata & frater ejus Guido, & filius ejus Rainerius, Calcagnus, & Guido Adigerii , Boſchetus , Ugo de Gorzano , Guidonus Judex , Ubertus Perzenarii , Ubertus de Balugola , & alii quamplures Nobiles & Sapientes, qui hoc totum, quod ſuperius legitur , unanimiter autorizaverunt , & in pleno Conſilio , & poſtea in plena Concione univerſaliter firmaverunt .*

*Ego Blaxius Imperialis Sacri Palatii Notarius interfui, & juſſu ſupradicti Domni Gerardi Rangoni & Conſulum ſupradictorum ſcripſi .*

Ideo tot marmorum facta eſt inquiſitio à Mutinenſibus , ut maximum Urbis ſuæ Templum abſolverent , quod adhuc viſitur integrum intus & foris ex marmore confectum . Et ſane Civitatis antiquitatem prodebant tot lapides in ruderibus terræ conſepulti , & ea occaſione defoſſi . Nempe vetus Mutina jamdiu corruerat , atque ineunte Sæculo Decimo illuſtria ejus ruinæ monumenta in oculos incurrebant : quod teſtatur eorum temporum Scriptor Vero-

nensis Auctor Vitæ Sancti Geminiani, cujus particulam evulgavi Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 691. Eâ occasione par est credere, Marmora complura, vetustis Literis, sive Inscriptionibus ornata, ad magnifici Templi constructionem adhibita, tumulum perpetuum sortita fuisse. Ceterum quum Anno MCLXVII. Mediolanensium Urbs ac potentia resurrexerit, & adversus Fridericum I. Augustum pleræque Langobardorum Civitates arma arripuerint, & hisce controversiis Anno demum MCLXXXIII. Pax Constantiæ inita finem dederit, uti supra monui: exinde omnino Imperialium Missorum expeditio in Italia desiit, & in aliquibus tantummodo locis Imperiales Appellationum Judices successere, de quibus infra mihi erit sermo in Dissertat. XLVIII. *de Civitat. Italicar. Libertate*. Neque prætermittam, morem complurium Principum ac Magnatum, qui literis majusculis sese subscribunt, ab antiquis temporibus descendere. Idque alibi etiam animadverti; nam sæpe mihi in veterum monumentis occurrerunt *Episcopi*, *Duces*, *Marchiones*, & *Comites*, qui tunc Ordinem Principum constituebant, distinguentes sese à reliquis subscribentibus, characteribus majusculis nomen suum consignando. Idque insuper à *Missis Regiis* illis factum, qui ex Principum Ordine seligebantur. Cujus rei unum proferam exemplum. In Lucensis Archiepiscopii Chartario Placitum archetypum vidi, scriptum Anno Christi MLV. ex quo hæc excerpsi: *Dum in Dei nomine, in Palatio Domini Imperatoris, qui est prope muris de Civitate Luca, in judicio resedisse Domnus Ebherardus Episcopus, Missus Domni Imperatoris ad causas audiendas; resedentibus cum eo Hubaldo Comes de Parma, Oppitio de Pisa* &c. *ibique eorum presentiis Johannes Dei gratia Episcopus Lucensis una cum Morecito Avocato suo ceperunt dicere adversus Ebherardus Episcopus & Missus Domini Imperatoris: Abeo & teneo ad jure proprietario ad pars Ecclesie Episcopatui nostro Sancti Martini Curte illa, que est in loco & finibus Marlia, cum Ecclesia illa, cui vocabulum beati Sancti Terenti, infra ipsa Curte consistentem, seu cum Castello & Carbon....* (fortasse *Carbonaria*, de qua voce egi in Differt. XXVI. *de Militia*) *& mura in circuitum ipsius Castelli* &c. & bannum super eam petiit. Tunc Domnus Ebherardus *misit bamnum Domini Imperatoris super eodem Johannes Episcopus in duo milia Mancosos auri*. Chartæ ita subscripsit Episcopus: *EGO EBERHARDVS EPS MISSVS INPERATORIS SVBSCRIPSI*. Ceterum præter Comites, aliosque ordinarios Justitiæ Ministros, & præter sublimis Ordinis *Missos* hactenus memoratos, qui jus Populis reddebant, interdum à Regibus & Augustis *Missorum* munus deferebatur minoris dignitatis hominibus, hoc est Judicibus, Diaconis &c. qui propterea controversias aut omnes sibi oblatas, aut singulares, ad quas cognoscendas delegati erant, dirimebant. In Chartophylacio Capituli Canonicorum Cremonensium Placitum vidi, habitum *Hanno Imperii Domni Hottoni, Deo propicio, IX. Quinto die Mensis Septembris, Indictione IV.* idest Anno Christi DCCCCLXXV. ex quo hæc pauca delibavi: *Dum in Dei nomine, Civitate Papia, in Curte propria Domni Adami, qui & Amizo Judex, per data licentia, in judicio resideret Waltarius Judex & Missus Domni Imperatoris, justitias faciendas ac deliberandas* &c. *Eorum veniens presentia Rotgerius filius quondam Romaldi, & Ermengarda filia quondam Gaidulfi jugalibus* &c. Alterum item vidi habitum à *Cessone Diacono* in Comitatu Bergomi, quod jam attuli in præcedenti Dissertatione *de Comitibus*.

Ceterum facile Lectori fuerit ex compluribus hactenus allatis exemplis perspicere, quanta solemnitate Placita olim haberentur à Missis Regiis. Iis quippe de more, nisi justa caussa intercederet, jubebantur *Episcopi*, & *Comites* adesse. Ad ea quoque ex Legum præscripto advocabantur *Judices*, & *Scavini*. Intererant etiam multi testes, & honoris causâ Magnates alii. Quali vero ordine assiderent isti, ex nobili Placito Taurinensi patebit, cujus exemplum debeo benefico erga me ac Literas meliores studio præclarissimi Comitis Ludovici Caissotti, Primi Præsidis Taurinensis Senatus. Præstantiorem videlicet in eo locum obtinet *Boso Comes & Missus* Ludovici Pii, aut Lotharii I. Imperatoris. Tum sedet *Claudius Episcopus Taurinensis*, ille idem, qui ex indicto sacris Imaginibus bello famosus evasit, & Catholicæ Ecclesiæ odium in se derivavit. Succedit *Ratpertus Comes*, hoc est Gubernator & Præses Civitatis Taurinensis. Post illum recensentur *Vassi Imperatoris*; deinde *Judices Imperatoris*. Accedunt *Scavini* prælaudati *Comitis Bosonis*: quod uti res rara animadvertendum est. Post eos sequuntur *Scavini Civitatis Taurinensis*. Denique *Vassi* ejusdem *Ratperti Comitis*. Parem ferme ordinem observatum videas in altero Placito, quod tamquam Delegatus subinde celebravit idem *Comes Ratpertus*. Si in authentico revera legitur commissa caussa eidem Comiti, *ut diligenter inquireret, & ea secondo Leggi vel Justiza liberare fecisset*: habes heic formulam vulgari Italicâ Linguâ expressam. Neque omittendum, mentionem quoque hujusce Placiti factam fuisse ab Auctore Chronici Novaliciensis, à me editi Par. II. Tomi II. Rer. Italic. pag. 721., sed non sine Chronologicis erroribus, & Frodoino Abbate illuc perperam intruso. Atque ex his emendandus Ughellius in Italiæ Sacræ Tomo IV., qui ab ejusdem Chronici Auctore deceptus, alterum *Claudium* Seniorem *Episcopum Taurinensem*, ante Annum Ch. DCCLXXIV., ut is opinatur, electum, nobis obtrusit. Unus *Claudius* famosus, uti ajebam, Taurinensis Antistes, & à Ludovico Pio Augusto ad eam Sedem incaute promotus, Primus fuit, non Secundus, hujus nominis Episcopus Taurinensis. Sed jam tandem Chartam ejusdem Placiti, sive geminorum Placitorum, accipe.

# Judicatum Bosonis Comitis & Missi Domini Imperatoris, emissum Taurini in Curte Ducatus, quo decernitur, quosdam homines Servos esse Monasterii Novaliciensis, causam agente Elderado ejusdem Monasterii Abbate, Anno Ch. 827.

IN *Dei nomine. Notitia Judicati, qualiter acta, vel definita est causa, dum* Boso Comes, *vel* Misso Domni Imperatoris, *resedisset infra Civitate Taurinensi Curtis Ducati, in Placito publico, ad singulorum hominum causas audiendo vel deliberandum, ibidem cum eo aderant* Claudius Episcopus *Sanctæ* Taurinensis Ecclesiæ, Ratperto Comes, *Walfertus, Sertpaldo, Eldefre, Teudelo, Australdo, Vasis Domni Imperatoris, Bomperto, & Mauro, Sunifrit, Judicibus Domini Imperatoris, Ansulfo, & Leo, Grauso, Scavinis, Bosoni Comitis, Joanne, & Ugherado, Autelino Scavinis Taurinensis, Turengo, Beto, Betilo, Vasis eidem Ratperto Comitis, vel ceterorum infrascriptorum præsentia venerunt reclamandum, idest Sighiberto Tatoni, Bertaldo, Sighibrando, Luberto, Ghisemare, Ghisulfo, Bertelaigo, Ghisemondo, Anseberto, Gariando, Ghiso, Alulfo, Stavari, Landeverto, Ghaiperto, Gonduni, commanentes in Villa Auciatis. Et dicebant, quod Pars Ecclesiæ Sancti Petri Monasterio Novalicio, ubi* Elderado Abba *esse videtur, qui citra leggi pigneratos habebat, vel injuste eos in servitio replegare volebant: Tunc ipse Boso Comes vel Misso Domini Imperatoris in suis præsentiis vel suprascriptis hominibus fecit venire* Ghiseberto de Felecto, *qui est* Avogado de præfato Monasterio Novalicio, *quod exinde responsum daret. Quidem ipse Ghisberto dixerat, ut nihil exinde sciret, nec inquireret. Tunc fecerunt de utriusque partes, tam ipse Ghisberto, vel suprascriptis hominibus, qui se reclamandum venerant, inter eos invadiare, ut ipse Ghiseberto inquisisset ipsa causa, & venissent in Plaito Ratperto Comiti inter se judicium habendum. Et insuper amonuit ipse Boso Comes vel Misso Domini Imperatoris, Ratperto Comite, ut ipsa causa diligenter inquireret, & ea* secondo leggi vel justiza *liberare fecisset, & posito inter eis constituto inconstituda. Verùm dum ipse Ratperto in loco Comes resedisset in Curte Contenasco in Plaito publico ad singulorum hominum causas audiendo vel deliberando, ibidem aderant cum eo* Claudius Episcopus Sanctæ Taurinensis Ecclesiæ, *Valfritus Vasso Domini Imperatoris, Isemberto Capellanus Domini Imperatoris, Sunifrit, Johanne, & Ugherado Scavinis, Grasemar, & Grodevertogio de Toresana, Madalgaud, Agustaldo, & Cultasio, Torengo, Betilo, Berto, Gundacharus Vasis eidem Ratperto Comitis, Aredo de Vigo, Guduni, Raidulfo de Cantanasco, Ghisemondo de Ubariis, vel ceteris. In suprascriptorum præsentia venerunt suprascriptis homines commanentes in Villa Auciatis, seu & Ghiseberto Avogado de præfato Monasterio Novalicii, una cum Ricario, & Alliramo Præpositis, vel Monachos de ipso Monasterio Sancti Petri Novaliso. Et dicebant & reclamabant ipsis prænominatis homines de Villa Auciatis, quod pars ipsius Monasterii eos citra leggi pigneratos habebat, & injuste eos in servitio ad præfato Monasterio replegare voluerint; pro eo quod a liberis legibus esse deberent. Ad hæc respondebat ipse Ghiseberto:* Non est veritas, ut dicitis, ut pars Monasterii Novaliso vos citra leggi pigneratos deteneant, aut injuste inservire voluerint, pro eo quia Aviones, vel Patres, vel parentibus vestris pertinentes fuerint Unnoni, qui fuit filius Dionisius, qui omnibus rebus suis donavit in præfato Monasterio Sancti Petri. Et etiam Judicatos habemus, quomodo parentibus vestris in causationem fuerunt cum ipso Unnone, vel pars suprascripto Monasterio: & apud judicio ipsi convicti fuerunt. *Et ipsos Judicatos præ manibus ostendebat, quod Unno quondam, & Dondone Monachos de præfato Monasterio judicium habuerunt cum Antolino, Tantoni, Radoaldo, Gaiperto, Gondo, Audoaldo, Fortemondo, Faroaldo, Valperto, Valcauso, Teodbaldo, Leodebaldo, Donadi, & Ridoaldo, præsentiâ* Vibertus, *&* Ardioni Missis Domini Caroli Regis, *&* Dominus Andreas Episcopus, *etiam Scavinis eorum Ardengo, Tricone, Arderigo, Viniperto, Retelino, & Ghisfre. Et ibidem ostenderunt prænominatis homines Cartola Libertatis, quam Dominus eorum Dionisius, qui fuit genitor Unnoni, in eos emisisset. Et ipse Unno cum ipsos Monacos ipsa Cartola per testimonia de triginta annorum tacita fuisset; & ipsi pro triginta annis eidem Dionisius, vel eidem Unnoni servitio fuissent sub conditione. In ipso alio Judicato continebat, quod Gondo, Fortemondo, Bertemondo, Badoaldo, Liudualdo, Ridualdo, Joannes, Imperto, Valcauso, Ermerigo, cum alios suos consortes, cum* Frodoino Abba *intentionem habuissent ad Palatium in Papia Civitate, presentia Amalric, Ariberto, & Valperto Scavinis, & ibidem ipsi priori Judicato habuit. Et cum relecto fuisset, & etiam manus ejus laudationem de ipso Judicato, seu & Rotelino Scavino, qui ibidem ipso Judicato defensavat; quod veracem fuisset. Dum suprascriptis Scavinis hæc omnia taliter agnoscerent, interrogaverunt suprascriptos homines de Villa Auciatis, ut si de ipsa jura hominum fuissent, quas in ipsos amborum Judicatos continebat, aut ipsos Judicatos veraces fuissent, quid ipsi suprascripti homines de Villa Auciatis fuerunt professi. Et dixerunt, ut ipsos Judicatos veraces fuissent, & ipsos homines, quos in eos continebat, eorum Aviones, aut Patres, vel Parentes fuissent, & pertinentes fuissent Dionisius, qui fuit genitor Unnoni, & sub conditione ipso servitio fecissent secondum ipso Judicato, & ipsi in antea omnia sic facere voluerint, quia de ipsa jura hominum, qui in ipsos Judicatos continent, fuerunt, & ipso servitio fecissent tam de res, vel personas eorum. Dum ipsis suprascriptis Scavinis hæc omnia taliter audissent vel cognovissent, rectum appàruit eorum esse, & judicaverunt, ut ipsis prænominatis homines de Villa Auciatis in antea faciant ipso servitio juxta ipso Judicato, vel eorum manifestatione, qualiter se concrederent, vel professi fuerunt. Et finita est causa.*

*In Annis Regnis* Dominorum nostrorum Lu-

Ludovicus, & Lottarius filio *ejus*, *viris excellentissimis* Imperatoribus, *Anno Quartodecimo*, *& Octabo*, *mense Madio*, *Indictione Quinta*, *Regni illorum*.

*Ego Sunifre in hiis actis interfui Escavino*.

✠ *Signum manus suprascripto Joannis Scavino, qui in actis interfui*.

*Ego Ugherardo Scavino in hiis actis interfui*.

✠ *Signo manus Ratperto Comiti, qui in iis actis interfui*.

*Ego Teutmarus Nottario in hiis actis interfui, & hanc Notitiam Judicati subscripsi*.

DE

# DE MINORIBUS JUSTITIÆ MINISTRIS,

HOC EST,

DE JUDICIBUS, SCABINIS, SCULDASCIIS, CASTALDIIS, DECANIS, SILVANIS &c.

## DISSERTATIO DECIMA.

# DISSERTATIO DECIMA

IN Dissertatione VIII. jam palam factum est, *Comites* fuisse Judices præcipuos atque ordinarios Urbium ac Oppidorum, quibus præerant. Nomen autem *Judicis Comitibus* ipsis tributum vidimus in Langobardorum Legibus. Sed quum *Comitis* munus fere semper illi tantum gererent, qui sanguinis splendorem fortunis multis adjungerent, atque ii insuper Militiæ potius quàm Literis studerent: facile conjicere possumus, non eam fuisse Magnatibus ejusmodi peritiam Legum ac scientiam, quam exigit ardua criminalium & forensium judiciorum provincia. Male ergo fuerit, inquies, homini caussam suam acturo apud Judices adeo imbecilles. Verùm & huic discrimini consuluere antiqui Reges; quippe *Comitibus*, quoties agitandæ ac dirimendæ lites erant, ad consilium & opem adjunxere minores alios *Judices*, Juris nempe peritos eorum temporum, quos æque atque Comites, *Graphiones* Teutonica voce veteres appellabant: Salici verò etiam *Rachimburgios* & *Tunginos*. Hincmarus Remensis Archiepiscopus in Opuscul. de Ord. Palat. Cap. X. hæc scribit: *Tales etiam Comites, & sub se Judices constituere debet, qui avaritiam oderint, & justitiam diligant.* Et revera istorum Judicum scientia supplebat quod Comitibus deerat. Ipsi processum & examen facti & juris instituebant ea solicitudine ac celeritate, quæ olim tanta cum laude in usu fuit, nostris vero temporibus tam rara deprehenditur. Demum ubi sententia erat pronuntianda, nihil agebat Comes absque consilio & consensu eorumdem, ut ex Placitis, sive Judiciis publicis constat, in quibus aut Comiti, aut Marchioni, aut Missis Regiis iidem semper adsunt, & cum eo consident, Notario testante quidquid illic decernitur, *rectum & secundùm Legem supra memoratis Judicibus & Auditoribus paruit esse, & judicaverunt.* Charta quoque Judicati scribebatur *ex jussione Comitis*, seu *Marchionis*, seu *Judicum admonitione*. Rem duobus exemplis sub oculos legentium ponam. In ditissimo Archivo Archiepiscopii Lucensis archetypam pergamenam vidi, dignam plane, quæ tenebris eripiatur.

## Judicatum Odelrici Missi Berengarii I. Regis in controversia de Sacra Æde inter Episcopum Lucensem ac Laudensem, Anno 915.

DUm Domnus Berengarius *Serenissimus* Rex *pro timore Dei & statum, omniumque sanctarum Dei Ecclesiarum electorum Populo hic Italicis abitantibus, animeque sue mercedem justitiam adinplendam partibus Romam iret: cumque pervenisset infra Tuscia, foris hanc Urbem Luca, intus mansionem Ideberti, premisit suum Legatum Lex faciendum, idest* Odelricus suoque Vassus & Missus *constitutus; sicutque & ipse* Aldericus Missus Domni Regis *in judicio resideret intus Ecclesia Sancti Fridiani, per data licentia* Domni Petri Episcopo *ipsius Sancte* Lucensis Ecclesie, *unicuique justitiam faciendum & deliberandum: resedentibus cum eo* Adelbertus *sancte* Bergomensis Ecclesie Episcopus, *Walpertus, Farimundus &c., &* Walfredus Judices Domni Regis, *Benedictus, Adelbertus, &....* Scavinis *ipsius Comitatu Lucense, Isembaldus Notario, Cunimundus &c. & reliqui plures. Ibique eorum veniens presentia* Petrus *sancte* Lucensis Ecclesie Episcopus *una cum item Petrus Scavino hujus Comitatu, & Advocato ipsius Episcopio, & Ecclesie Sancti Silvestri sita subhurbium hujus Civitatis Lucense, que Ecclesia ipsa cum sua pertinentia pertinere videtur de sub regimine & potestate ipsius, necnon* Eldegarius *sancte* Laudensis Ecclesie, *una cum Adelbertus filius bone memorie* Walperti *de Civitate Laude, & Advocatus ipsius Episcopio, & Abate qui nominatur Savinioni, que Abatia ipsa cum sua pertinentia pertinere videtur de sub regimine & potestate ipsius Episcopii sancte Laudensis Ecclesie, altercationem inter se habentes. Dicebat ipse Petrus Scavino & Advocatus*: „ Dudum in „ judicio vestri presentia malavit me iste Adel- „ bertus Advocatus, quod pars Episcopio „ sancte Laudensis Ecclesie & Sancti Silvestri „ introissent in Ecclesia una, que est edificata „ in onore Sancti Handrei in loco & fundo „ Apiniano, & rebus ad eadem Ecclesia per- „ tinentibus; & exinde fruges tulissent valen- „ tes solidos trescentos contra Lege, & pars „ ipsius Abatie Savinioni desvestissent malo „ ordine & contra Lege. Et ego dedit ei „ responsum, quod pars ipsius Episcopio & „ Sancti Silvestri Ecclesia ipsa Sancti Handrei „ cum omnibus rebus ad se pertinentibus pars „ Sancti Silvestri habet & detinet: set inqui- „ rere volerem, quid pars ujus Episcopio & „ Sancti Martini pertinet. Et ita inquiren- „ dum wadiam dedit. Et iste Adeldertus de- „ dit michi wadiam de Placito. Et die exin- „ de inter nos unitum Placitum missum est „ ipsum dandum responsum. *Cum ipse Petrus Scavinus & Advocatus taliter retulisset, ad ec respondens ipse Eldegarius Episcopus, & Adelbertus Advocato ......* „ omnia taliter inter „ nos actum & wadiatum est, sicut adseruisti; „ & odie inter nos ic vestri presentia Placitum „ missum est. Querimus ut det nobis respon- „ sum. *Tunc dixit ipse Petrus*: Jam ...... „ tempore bone memorie Domnus Widonem „ Imperatoris reclamavit quondam Gerardus „ Episcopus istius Lucensis, quod pars sancte „ Laudensis Ecclesie, & Abate Savinionis „ contra Lege ipsa Ecclesia Sancti Handrei „ cum omnibus rebus ad se pertinentibus de- „ tineret injuste, & pars ipsius Episcopio „ sancte Laudensis Ecclesie minime in ratione „ exinde stare voleret. Et quondam item „ Garardus Episcopus Laudensis se inde dile- „ taret, ut minime inde justitiam facere no- „ luisset; & per plures Placitas ipse Garardus „ Episcopus Laudensis diletavit justitiam fa- „ ciendum. Tunc ipse Domnus Wido Impe- „ rator pars hujus Episcopio Lucensis de ipsa „ Ecclesia Sancti Handrei cum rebus ad se „ pertinentibus, salva querela, investivit, „ sicut hactenus investitus fuit. *Tunc tractantes Auditores, ut vestituram ipsam ipse Petrus redere debuisset, & pars ipsius ......*

*Ecclesie, & Abatia Scavinionis investitam esse deberet, sicut & ibi presentem, ipse Petrus vestituram ipsam rededit. Et hanc notitia inde fieri jussimus.*

*Quidem & ego Ermaldus Notarius Domni Regis ex jussione supra scripto Misso, & amonitionem predictorum Judicum scripsi, Anno Regni Domni Berengarii Regis, Deo propitio, XXVIII. Decimo die mensis November, Indictione Quarta.*

*Signum manus suprascripti Odelrici Vassus & Missus Domni Regis, qui ut supra interfuit.*

*Walpertus Judex Domni Regis interfui.*


*Farimundus Judex Domni Regis interfui &c.*

Annalium Ecclesiasticorum magnus parens Baronius in ea fuerat sententia, Berengarium I. Imperialem coronam suscepisse Romæ, Septembri mense Anni DCCCCXV. Pagius in Critica Baron. eamdem coronationem retulit ad Annum subsequentem DCCCCXVI. Et rectius sine dubitatione. Nam ex hac ipsa Charta intelligimus, eum ne Novembri quidem mense Anni DCCCCXV. (quo à Septembri mense cœperat in cursu esse *Indictio Quarta*) Romam fuisse progressum, sed tunc egisse in Civitate Lucensi, ubi adhuc Regium tantummodo titulum præferebat. Ceterum jam tunc in itineris procinctu is erat Romam versùs, Coronæ suscipiendæ caussâ. *Dum partibus Romam iret*, membrana ipsa habet. Et quoniam notum est, ab ejus Encomiaste Poëta Anonymo Part. I. Tomi II. Rer. Italic. coronationem tradi, peractam fuisse sacro Die Paschatis, consequens est, eam esse tribuendam diei XXIV. Martii Anni DCCCCXVI. *Garardus Laudensis Episcopus* heic memoratus, Ugellio est *Gerardus*. Alterum Placitum, quod nunc exerere statui, autographum adservatur apud Sanctimoniales nobilis Monasterii Sanctæ Justinæ in eadem Urbe Lucensi,

## Decretum Mathildis Comitissæ & Ducissæ Tusciæ pronuntiatum pro Eritha Abbatissa Parthenonis Lucensis Sanctæ Justinæ, Anno 1073.

D*Um in Dei nomine estra muras Lucensis Civitatis, in Burgo qui vocatur Sancti Fridiani, in casa solariata Pandolfi filius bone memoriæ Hugheri, per illius datam licentiam, in judicio resedisset* Domna Mactilda Marchionissa, hac Ducatrix, filia bone memorie Bonefatii Marchionis, *una cum* Flaiperto Judice & Missus Domni Imperatoris, *ad causas audiendas hac deliberandas; residentibus cum illis Gerardus, Gottefredus* Judicibus, *Guinitho, Cono &c.* Causidicis, *Glandulfo, Rolando, Toccacoscia &c. & reliquis plures: ibique eorum veniens presentiis* Eritha Abatissa de Ecclesia & Monasterio Domini & Sancti Salvatoris, & Sancte Justine, que dicitur Brisciani, *sita in Lucensi Civitate juxta muros ejusdem Civitatis, una cum Gerardo Scario Avocatus ejusdem Monasterii: ceperunt dicere adversus eadem Domnam Mactildam:* „ Abet & „ detinet pars Ecclesie & Monasterii jam dicti „ Domini & Sancti Salvatoris, Sanctèque Ju„ stine, ad suam proprietatem duo petiis de „ terris, que una ex ipsis cum casa solariata „ se abente à petre & à calcina seu à rena „ constructa, ellevata esse videtur: que esse „ videtur in predicta Lucensi Civitate juxta „ prelibatam Ecclesiam Sancte Justine, tenen„ tes uno capo in via publica, atque cum uno „ lato, & alio capo tenent in terra & dimidia „ sepe & dimidie colunne de Casa Benenati „ Clerici, & alio lato tenet in terra & dimi„ dia sepe & dimidie colunne de casa Bonithi; „ & illa secunda, que est campo, que esse „ videtur in loco & finibus Villanova, tenen„ tes uno capo in terra Lamberti, & in terra „ Bonioli, & alio capo tenet in fluvio Serclo „ lato uno, & tenet in terra Sancti Pantaleo„ nis, & alio lato tenet in terra suprascripti „ Sancti Pantaleonis & predicta Boniza. Et „ si est ullus homo, qui exinde agere „ aut causare vult, parati sumus cum illo in „ ratione standum ex parte jannominati Mo„ nasterii & legipti finiendum. *Et cum neme ibi se apresentasset, qui exinde contra predictum Monasterium agisset vel causasset; tunc jannominata Eritha Abatissa una cum predicto Gerardo ejus Avocatus, petierunt ad jannominatam Domnam Mactildam & ad predictum Flaipertum Judicem & Missus Domni Imperatoris, ut propter Deum, & anime Domni Imperatoris, sueque mercedis, misissent bannum Domni Imperatoris super ipsos, & super jandictas res ut nullus quilibet homo magna vel parva persona pars jannominati Monasterii sine legale judicio divestire presumat. Et cum jannominata Eritha Abatissa una cum predicto ejus Avocato taliter postulassent, tunc jannominata Domna Mactilda una cum prefato Flaiperto Judice & Missus Domni Imperatoris, per fustem, in qua suis detinebant manibus, miserunt bannum Domni Imperatoris super eadem Eritham Abatissam & super predictum ejus Avocatum, & super ipsas res in Mancusos aureos mille; ut nullus quilibet homo magna vel parva persona pars predicte Ecclesie sine legali judicio devistire presumat. Quis vero fecerit, se agnoscat compositurus predicti mille Mancusos aureos, medietatem parti Camere Domni Imperatoris, & medietatem pars predicti Monasterii eidem Erithe Abatisse vel posterioribus Supcessatricibus suis. Unde hanc notitiam pro securitate & fuctura ostemsione eidem Erithe Abatisse posterisque Supcessatricibus suis ad partem jannominati Monasterii ostendenda fieri jussimus.*

*Quidem ego Gherardus Notarius Domni Imperatoris, ex jussione suprascripte Domne Mactilde & predicti Flaiperti Judicis & Missus Domni Imperatoris, seu Judicum amonitione scripsi, Anno Dominice Incarnationis ejus Millesimo Septuagesimo Tertio, VI. Idus Februarii, Indictione XI.*



*Flaipertus Judex & Missus Domni Imperatoris subscripsi.*

Winizo *Causidicus causam plena inquisitione orando discutiens interfui.*

Subscripsi dictis presens Wisredus in istis.

Legum Sismundus supripsi docmate fultus.

*Gubtefredus Judex Sacri Palatii interfui & subscripsi.*

*Glamdulfus Notarius Domni Imperatoris ibi fui & subscripsi.*

Animad-

Animadverte rem raro obviam; ſcilicet duos ex hiſce *Judicibus* ac *Juriſconſultis*, Poëticâ ſubſcriptione, hoc eſt uno hexametro verſiculo ſuum prodere nomen, dum ſubſcribunt. Heic autem, ut opinor, feroces inſurgent Critici, & adverſus Chartam hanc non unam accuſationem inſtituent: videlicet Flaipertum Judicem, ſimul appellari *Miſſum Domni Imperatoris*, idque non ſemel repeti; *bannum* quoque *Domni Imperatoris* promulgatum fuiſſe: uti & *Cameram Domni Imperatoris* memoratam; quum tamen Anno MLXXIII. quo ſcripta dicitur Charta, citra omnem dubitationem liqueat, Henricum IV. Germaniæ, ac Italiæ Regem, nondum Romæ coronatum, nondum propterea nomen Imperatoris aſſumſiſſe. Ad hæc in vivis erant eo adhuc Anno *Beatrix Duciſſa Tuſciæ*, Mathildis mater, quæ regere Marchiam ſolebat; uti & *Godefridus Dux* Mathildis maritus. Cur ergo heic, neutro ex iis memorato, una Mathildis denominatur? Sed nos in cenſuras nonnunquam nimia facilitate erumpimus, quod ritus & mores veterum parum perſpectos habeamus. Alia monumenta Florentinius in Vita Mathildis protulit, quæ hujus quoque ingenuitatem tuentur. Illic in Appendice pag. 127. Charta legitur ſcripta Anno MLXII. & ad hanc ipſam *Eritham Abbatiſſam* ſpectans. In duabus Chartis Anni MLXVIII. occurrit idem *Flaipertus Miſſus Domni Imperatoris*; qui etiam infra appellatur *Miſſus Regis*: ibique pariter mentio eſt *Cameræ Domni Imperatoris*; quum tamen Regio dumtaxat titulo tunc frueretur Henricus IV. & jamdiu vivere deſiiſſet Henricus III. Auguſtus ejus pater. Ego Placitum Lucenſe dabo à *Godefrido Duce* habitum Anno MLVIII. Ibi *cum eo reſidebat Flaipertus Judex & Miſſus Domni Imperatoris* jam è vivis erepti. Aut ergo Flaipertus ab Henrico inter Auguſtos Secundo Miſſus fuerat conſtitutus: quod munus abrogatum ei nondum fuerat; aut aliis liceat dicere, à Notariis indoctis haſce umbras ex oſcitantia fuiſſe creatas. Nam quod eſt ad Mathildem, poſt mortem patris, in ipſam quoque tranſiit auctoritas Ducis; ita ut interdum, matre abſente, acta faceret ſuæ conſona dignitati. Sed repetamus iter.

In ambobus hiſce Placitis jam animadvertere potuit Lector, quæ partes *Judicum* forent. Eos etiam viderit ibi diſtinctos à *Cauſidicis*, hoc eſt à cauſſarum patronis, quales habemus & nos. Quum igitur rei publicæ plurimum intereſſet & juſtitiam recte miniſtrari, & aptiſſimos ad id muneris viros conſtitui, Italicis Regibus curæ erat deligere, quos meliores putabant. Nobiles potiſſimum præferebant, quibus & honeſtatis major cura, & minor ſordidæ avaritiæ ſecreta perſuaſio, quàm humili loco natis, eſſe conſuevit. At quoniam origo Nobilis ad recta judicia ferenda non ſufficit, Scientiam præterea, Sapientiam, atque ipſius Sapientiæ initium ſive fundamentum, timorem Dei, exigebant in iiſdem Judicibus. Sacramento quoque illos obligabant, ut à muneribus ac perverſis affectibus ſibi caverent, & à procraſtinanda juſtitia abſtinerent. Sunt in hanc rem ſalutares plane & optimæ Leges à Francis Imperatoribus in Italia conſtitutæ, atque inter Langobardicas editæ. Hæc habet Carolus Magnus in Lege XXII. Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. *Judices, Advocati, Præpoſiti, Centenarii, Scabini, quales meliores inveniri poſſunt, & Deum timentes, conſtituantur ad ſua miniſteria exercenda*. Audi & Ludovicum Pium, cujus hæc ſunt verba in Lege Langobardica LVI. *De Judicibus autem, vel Centenariis, atque Tribunis, vel Vicariis, dignum eſſe cenſuimus, ut ſi mali fuerint reperti, de miniſterio ſuo abjiciantur*. Plenius etiam curavit Lotharius I. ut quantum fieri poſſet incommodis & malis proſpiceretur, quæ ex ineptis aut improbis Judicibus redundant, promulgatâ Lege Langobardicâ XCIV. quam integram accipere neminem pigebit: *De Judicibus*, ait, *inquiratur, ſi Nobiles, & Sapientes, & Deum timentes conſtituti ſint. Et jurent, ut juxta eorum intelligentiam rectum judicent; & pro muneribus vel humana gratia, juſtitiam non pervertant nec differant: & quod judicaverint, ſua ſubſcriptione confirmare non diſſimulent. Ubi autem tales non ſunt, à Miſſis noſtris conſtituantur, & idem ſacramentum facere cogantur. Quod ſi viles perſonæ, & minus idoneæ ad hoc conſtitutæ ſunt, ejiciantur*. Hæc illi, & perquam ſapientiſſime: quæ an opere deinde completa fuerint, fruſtra quiſquam à me reſcire velit. Abundant & tempora noſtra Legibus ſapienti conſilio conſtitutis: quo poſtea ſucceſſu? cernimus. Fas eſt opinari, minime feliciora noſtris fuiſſe tempora illa. Erat autem multo in honore tunc Bacchus, quod Numen præcipue Populi in Arctois regionibus ſiti nunc etiam intime diligunt, & religioſe colunt. Inde Langobardi, inde Franci profecti, ſedes in Italia fixerant; ac proinde nil mirum, ſi poculis frequentibus olim inter eos ipſi etiam Judices indulgerent. At Carolus Magnus provide conſpicatus, quot inde pericula imminerent lances juſtitiæ pertractantibus, Lege Langobardica XLII. ſtatuit: *Ut Judices jejuni cauſſas audirent & diſcernerent*. Erant & alii Judices, qui nihil ſibi religioni ducebant, unam rationem & intelligentiam ſuam, neglecto Legum ſtudio & ductu, conſulere in reddendis judiciis: hoc eſt, ut vulgo dicimus, jure tantùm *cervellotico* cauſſas dirimebant. Ut occurreret pravæ hujuſmodi conſuetudini Ludovicus II. Auguſtus Legem protulit, quam ex Codice MSto Eſtenſi hauſtam dedi pag. 156. Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. Ejus verba repetere heic mihi liceat: *De judicio autem Judicis tam frequenter rememoramus, quia omnino conſuetudinem judicandi injuſte auferre volumus. Sed tantum ſecundùm ſcripturam judicent, & nullatenus ſecundùm arbitrium ſuum. Sed diſcant pleniter Legem ſcriptam. De quo autem non eſt ſcripta, hoc noſtrum conſilium habeatur in quibuſdam*. Neque ſatis hoc fuit Principibus publicæ utilitatis & æquitatis amantibus. Ipſi eoſdem Judices interdum ad ſe advocabant, & paterna ſimul & imperioſa adhortatione eos de officio debito coram admonebant. En quid Lotharius I. Auguſtus, dum in Urbe verſaretur, erga Romanorum Judices ſibi agendum propoſuerit, ut eſt in ejus Lege XXXIX. inter Langobardicas: *Placuit nobis, ut cuncti Judices, ſive hi, qui cunctis præeſſe debent, per quos Judicialis poteſtas in hac Urbe Roma agi debet, in præſentiam noſtram veniant, volentes numerum & nomina eorum ſcire, & ſingulis de miniſterio ſibi credito admonitionem facere*. Ita Majores noſtri. Neque omittendi mihi ſunt *Judices Dativi*, quorum præcipue mentio eſt in Chartis antiquis Romanis, ac Ravennatibus. Quos nunc *Delegatos*, ſive peculiari auctoritate in cauſsâ aliquâ datos appellamus, ii fortaſſe non

alii à *Dativis* fuere. Et eorum quidem munus & nomen diu perdurarunt, uti etiam constabit è subsequenti Charta, quam mihi suppeditavit Codex MStus Cencii Camerarii.

## Instrumentum de renuntiatione & refutatione cujusdam debiti, quam fecit Jacoba uxor quondam Gratiani Frajapani, quod debitum habuit idem Gratianus in Castro Nymphæ, Anno 1217.

IN *nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis MCCXVII. Indictione V. mense Madii die XIII. Ego quidem* Jacoba uxor quondam Domini Gratiani Frangipani, *mater & tutrix* Johannis & Gratiani *filiorum meorum, hac præsenti die, propria, spontaneaque mea bona voluntate, in præsentia* Domini Petri Stephani Ciceronis, Dativi Judicis, *& subscriptorum testium ad hoc specialiter rogatorum, pro ipsis Minoribus renuntio & refuto tibi* Domino Sinibaldo Domini Papæ Honorii Camerario, *ad opus & utilitatem præfati Domini Papæ, suisque successoribus, & Romanæ Ecclesiæ in perpetuum, idest omnem litem & petitionem, quam Domino Papæ feci, vel facere potui ac possem, videlicet de toto debito, quod Dominus Gratianus vir meus in Castro Nymphæ habuit. Et renuntio usuras, fructus, accessiones, & pœnas, & generaliter quidquid undecumque & quomodocumque nomine dicti debiti a Domino Papa tacite vel expressim, specialiter & generaliter agere & petere possem quoquo modo & amodo: nec a me, neque ab aliqua persona à me summissa, vel summittenda aliquam aliquando exinde habebo quæstionem vel litis calumniam, sed semper quietus, pacificus, securus persistas in perpetuum. Hanc autem refutationem, ut superius dictum est, tibi facio, pro eo quod in presentia supradicti Judicis, & ejus decreto & auctoritate, das & solvis mihi dictum debitum; de quo me bene quietam voco, exceptioni non soluti & recepti debiti renuntians. De quo debito, decreto & auctoritate præfati Judicis, ducentas Libras pro* Johanne Scriniario Domini Papæ Nepote *solvo, pro quibus quarta pars Molendini de Septemsoliis fuerat ei obligata, & quinquaginta Libras* Johanni Cinthii pro se & *pro* Benincasa fratre suo Domini Papæ Nepotibus *solvo, pro quibus dictum Molendinum fuerat ei obligatum. Quam refutationem promitto pro me meisque heredibus ac successoribus tibi, ad opus & utilitatem Domini Papæ & Ecclesiæ Romanæ, firmam & ratam semper habere, & contra non venire, sed defendere contra omnes homines nomine bonæ fidejussionis, si opus & necesse fuerit, sub pœna dupli: & pœnâ solutâ hæc Chartula nihilominus firma existat. Quam scribere rogavi Nicolaum Imperialis Aulæ Scriniarium in mense & Indictione suprascripta V.*

*Angelus Romani de Sposa testis.*
*Cinthius Coni testis.*
*Petrus Alberti testis.*
*Stephanus Angeli testis.*
*Presbyter Petrus Sanctæ Luciæ testis.*
*Ego Nicolaus Imperialis Aulæ Scriniarius complevi & absolvi.*

Quare, etiamsi interdum nuda vox *Dativus* in Chartis antiquis occurrat, continuo intelligas per eam designari *Judicem Dativum*. Hujus rei testem dabo Chartam, cujus antiquissimum apographum in Estensi Tabulario vidi.

## Placitum Forocorneliense, sive Incolense, in quo Monachi Monasterii Sanctæ Mariæ in Palatiolo quosdam fundos evincunt coram Olderico Misso Ottonis III. Augusti, Anno 998.

IN *nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno, Deo propitio, Pontificatus Domni nostri Gregorii summi Pontificis & universalis Papæ in Apostolica sanctissimi beati Petri Apostoli Domini Sede Tertio, sicque imperante verò Domino nostro piissimo semper Augusto Ottone a Deo coronato pacifico magno Imperatore in Italia verò Anno Tertio, die XVI. mensis Septembris, Indictione XII.* Civitate Corneliense juxta Monasterium Sancte Marie, quod vocatur in Regula. *Ea enim, que gesta esse videntur, ne prolixis temporibus memoriter retinere non possimus, ideo scripture vinculis annotari equum est. Igitur cum Christi auxilio dum resideret in Judicio & in generali Placito* Domnus Oldaricus Subdiaconus & Missus Domni Ottonis Imperatoris, *& cum eo* Domnus Erardus Comes, *ac singulis hominibus justicias faciendas & altercationes deliberandas; & cum eis residentibus quamque adstantibus fide data pollentibus, nec non bone opinionis & laudabilis fame Viris, quorum nomina hec sunt: idest in primis* Petrus *Deo annuente* Dativus, *&* Andreas Dativus, *qui vocatur de Sivero, Paulus & Hubertus atque Almenfredo germani, filii quondam Romanus Consul*, Joannes Consul, *qui vocatur Batus de Guandillo, Teofilarius filius Petrus Consul, qui vocatur de Acio, Joannes filius quondam Liucio Consul, qui vocatur Batus de Anestasio, Petrus filius quondam Gregorio, &* Lazarus Tabellio: *hi sunt omnes de Civitate Ravena. Imolensis Erandus, qui vocacur Fiantolino, Albertus filius quondam Benno, Petrus filius quondam Salterno, Hubertus qui vocatur de Monte Cellari, Joannes qui vocatur de Engizo, Teucio qui vocatur de Monte Russi, Alberto qui vocatur de Arialdo, Joannes qui vocatur de Ursa, Eldeprandus de Guillerio*, Joannes Tabellio *qui vocatur de Sclustra*, Petrus Tabellio *qui vocatur de Corvaria*, Joannes Cancellario *qui vocatur de Bonio*, Hymari Cancellario, *& Mozreriis, & Dominicus qui vocatur Teucio, Dei nutu, Tabellio, de Civitate Ravena, & alii plures, quod longum est ad scribendum. In nostrorum predictorum omnium presentia qualiter adprehenderunt Gerardus & Racco atque Guido germani, filii quondam Guidoni, virgam in manibus illorum, & miserunt in manum* Ursus Presbiter & Monachus adque Prepositus Monasterii Sancte Marie, quod vocatur in Palatiolo, *& in manum meam predicto Dominicus, qui vocor Teucio, Tabellio, Avocator ejusdem Monasterii. Et dixerunt:* „ Ecce refutamus vobis medie-

„ tatem

„ tatem de Fundum infrascriptum , qui voca-
„ tur Armentaria, cum terris & vineis & cum
„ omnibus eorum pertinentiis , constitutum
„ territorio Faventino atque Corneliense, Ple-
„ be Sancti Stephani , que vocatur a Catena :
„ sic exinde ipso Monasterio Sancte Marie ,
„ quod vocatur in Palatiolo , securo & quieto
„ da nos , vel de nostris filiis & heredibus in
„ perpetuum . Et insuper spopondimus nos ,
„ si unquam in tempore nos aut nostris filiis &
„ heredibus de ipsas res per superlatam ali-
„ quam molestiam , vel contrarietatem , vel
„ nostram summissam personam in contrascri-
„ pto ac ubi ubilibet loco fecerit , compofituri
„ nos esse promittimus nos predicti Gerardus
„ & Racco atque Guido germani , una cum
„ nostris filiis & heredibus, ac ipso Abbate de
„ ipsius Monasterii, suisque successoribus de de-
„ narios bonos Libras triginta : & hanc spon-
„ sionem in sua permaneat firmitate . *Et ipse Ursus Presbyter & Monachus atque Prepositus pariter mecum predicto Dominicus Tabellio ejus Advocator diximus :* „ Et nos eam sic recipi-
„ mus & deprecamur vos omnes , qui hoc
„ videtis ad profuturum testimonium . *Cum hoc factum est , tunc misit Domnus Oldericus Subdiaconus & Missus Domni Imperatoris cum predicto Domnus Erardus Comes bandum super caput ipsius Ursus Presbiter & Monachus cum predicto Advocatore , ut nullus homo sit ausus ipsas res introire aut invadire , vel ipsum Monasterium disvestire , aut nostrum bandum confrangere sine legali judicio . Et qui hoc fecerit , sciat se compofiturum Bizanteos aureos centum, medietatem Camere nostre, & medietatem habeat predictum Monasterium in perpetuum . Hoc factum est sub die & mense & Indictione predicta duodecima , Civitate Corneliensi , juxta Monasterium Sancte Marie, quod vocatur in Regula.*

*Odalricus Subdiaconus & Missus Domni Ottonis Imperatoris hac refutatione interfui & subscripsi .*

✠ *Signum magnus predicti Domni Erardus Comes .*

Sed præter hactenus commemoratos, propriâ appellatione *Judices* appellatos , fuit alterum Judicum genus , qui & ipsi Placitis , sive Judiciis intererant , & potestate judicandi in Civitatibus fruebantur. *Scabini* seu *Scavini*, & *Scabinei* appellati sunt , eorumque nomen & munus adhuc perdurat in Gallia, Germania , aliisque Europæ regionibus , sed minori quàm olim auctoritate , ut infra constabit . Sub Langobardorum Regibus in Italia nullum mihi hactenus occurrit eorum vestigium , ita ut veri videatur simile , à Francorum gente ac Regibus invectum fuisse in Italicas Urbes ejusmodi nomen ac ministerium. *Judices, quos Scabinos vocant* , legitur in Charta Anni DCCCXVI. à Bignonio edita in Notis ad Appendic. Marculfi . Nominis autem origo , inter Eruditos disputata, adhuc est sub judice. Præfertur à nonnullis sententia Lipsii & Vossii deducentium hanc vocem à Germanico *Schepen* , *Judex*. Et illorum quidem frequens mentio occurrit in Capitularibus Regum Francorum , Legibusque per eos additis Langobardorum Edicto. Carolus Magnus in Lege XLV. inter Langobardicas, agens de iis hominibus, *qui propter eorum culpam ad mortem fuerint judicati , & postea vita eis concessa fuerit* , hæc habet : *Sed in testimonium non recipiantur , nec inter Scabinos ad Legem judicandum locum teneant* . Subsequens Lex XLVI. exordium hoc præfert . *Si alicui homini post judicium Scabinorum fuerit vita concessa* &c. Habemus ergo Scabinos olim ad judicia Populi adscitos , & tantâ quidem facultate , ut ex eorum judicio mors interdum ac vita hominum penderet. Sed quodnam quæso discrimen intercedebat inter hosce ac supra memoratos *Judices* ? Si doctissimos viros Vossium , Du-Cangium , Bignonium , Eccardum , aliosque audimus , Scabini *Assessores Comitum* , *Auditores Comitum* fuere , ac propterea iidem qui nuper laudati Judices . In Chartulario Besuensis Monasterii , teste Pithœo in Glofs. ad Capitular. legitur : *Ante illustrem virum Hildegarium Comitem , seu Judices, quos Scabineos vocant* . Et profecto secundùm Legem Langobard. Caroli Magni CXVI. nullus ad Placitum acciri jubetur , nisi qui *caussam suam quærit , exceptis Scabinis septem , qui ad omnia Placita esse debent* . Attamen statuendum contra mihi videtur, alios à *Judicibus* supra descriptis fuisse *Scabinos*; idque elucere potest tum ex Chartis infra producendis , tum ex una authentica , quam è Tabulario Archiepiscopii Lucensis olim descripsi .

## Judicatum Petri Episcopi Arretini, aliorumque Missorum Imperialium, Lucæ emissum pro Gariperto Custode Ecclesiæ Sancti Cassiani Anno 865.

DUm Domnus Hludowicus *serenissimus* Augustus *partibus Tuscie Missi directi fuissemus nos* Petrus *venerabilis* Episcopus *sancte* Aretine Eclesie , *seu* Johannes Sacri Palacii . . . . . *& Angelarius , &* Winigisum Comes , *singulorum hominum justitias faciendas & deliberandas ; & cum venissemus Civitatem Lucam, ressedente ego Petrus Episcopus in judicio in domo ipsius Episcopii in caminata una simul cum* Geremia Episcopus ipsius Civitatis, *ressedentibus nobiscum* Ademarius *&* Eriprandus Vassos Domni Imperatoris ; Alpertus *&c.* Judicibus Sacri Palatii ; Filoardus & Teofredus Scavinis Lucensis ; Conradus Vassus Imperialis ; *& reliqui . Ibique in nostra venerunt presencia , idest Guripertus Diaconus Custodem Ecclesie Sancti Cassiani una cum Rumoaldo Advocato ipsius Ecclisie , nec non & Audiprando de Vico , qui dicitur Basilica , altergacionem inter se abentes . Dicebat ipse Garipertus Diaconus & Rumoaldi Advocato ejus :* Iste Audiprando malo ordine & contra Lege abet & detinet casas & res in eodem loco Basilica , ubi ipse inhabitat, que legibus parti ipsius Ecclesie pertinet abendum . Unde petimus ab eo justitiam . *Respondebat ipse Audiprando :* Veritas est , quia abeo & teneo casas & rebus illis in predicto loco Basilica , sed non contra Lege , eo quod ecce Cartula ic presenti abeo , qualiter mihi quondam Eriprandi casas & res ipsas dedit . *Et cum ea relegi fecissemus &c. Cartula ipsa relecta , dixerunt ipsi Garipertus Diaconus & Rumoaldus Advocato :* Vere casas & rebus ipsi abere non debes , quia tue proprie numquam fuerunt , nec tu ipsis jam dicto Eriprandi nullo modo venundare potuisti , & per conlu-

ludium ipse Eriprandus tibi ista Cartula emisit: ideo tu Legibus cur abesse non debes? *Hoc dicto, tunc nos* Auditores *interrogavimus eum, si potuisset adprobare, quod casa & res ipsas per treginta annos quid ipse, quid genitor ejus, quid Eriprandus abuissent & possedissent ad proprietatem. Qui dixit & professus est, quod non posset. Cum ipse Audiprando ita pro si testatus, iterum interrogavimus ibsum Guribertus Diaconus & Rumoaldus Advocato ejus, si potuissent adprobare per testimonia, aut per inquisitionem, quod de ipsa casa & res infra istos treginta annos ipsa Ecclesia vestituram abuisset aut possedisset. Qui dixerunt, quod sic potuissent. Et statim dedit wadia ipse Rumoaldus ita ad probandum. Et statim in nostris presentiis presentavit testes da parte jam dicte Ecclesie; id sunt Eudo, Fredulfo, & Johannes; & dum cos boni & receptibiles invenissemus, per Sesemundus & Gelmannus & Petronem suorum abentem* Widrigildum; *& dum eos jurare facere debuissemus, cecidit ad pedes ipsius Geremie Episcopus, & dixit:* Vere concredo me Audiprando, quia casa & res ipsas proprie sunt ipsius Ecclesie Sancti Cassiani, & mihi, nec ipsius quondam genitori meo, nec ipsius quondam Eriprandi, nihilque pertinuerunt, nec pertinet, & nullatenus ipsis defendere possum. *Cum ita semel & bis profiteretur, paruit nobis esse recte, & judicavimus, ut abere deberet pars ipsius Ecclesie Sancti Cassiani casa & res ipsas, unde agebantur. Et anc noticia pro securitate predicte Ecclesie facere admonuimus*

*Quidem & ego Poto Notarius scripsi, Anno Imperii Domni Hludowici Quintodecimo, Mense Aprelis, Indictione XIII.*

*Ego Petrus Episcopus & Missus ibi fui.*

*Ego Hieremias Episcopus ibi fui.*

*Alpertus Notarius Domni Imperatoris interfui.*

*Thomas Notarius Domni Imperatoris interfui.*

*Ego Telmundus Scavinus Domni Imperatoris interfui.*

Heic habes primo *Judices Sacri Palatii*, tum *Scabinos*. Idem quoque animadvertere potuisti in altera Charta Lucensi Anno DCCCCXV. exarata, quam supra evulgavi. Eâ ergo ratione diversos fuisse *Judices* illos à *Scabinis* ad credendum ducor, quod primi à Rege seu Augusto constituerentur; secundi à Populo cujuscumque Civitatis eligerentur: quem morem adhuc ultra montes servatum video. Propterea illi præstantiores, ac primo loco in Actis publicis memorati. Placitis nonnullis Chronici Vulturnensis Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 443. & seq. interfuisse videas *Ansaricum Sclabum*, *Josephum Sclabum* &c. Ne puta illic memorari *Servos*, quos à multis Sæculis *Schiavi* appellamus, voce acceptâ nescio num ex Populis *Slavis* in captivitatem deductis, an ab alio fonte. Nihil aliud ibi *Sclabi* sunt, nisi *Scabini* hactenus memorati. Adtexo alteram Chartam, cujus archetypum in eodem Lucensi Tabulario vidi.

## Sententia Amedei Comitis Palatii in Placito Florentiæ habito adversus nonnullos usurpatores bonorum Lucensis Ecclesie, Anno 897.

D*Um ad preclaram potestatem* Domni Lamberti *piissimi* Imperatoris *Missus directus fuisset in finibus Tuscie* Amedeus Comes Palatii, *& cum venisset Civitate Florentia in domum Episcopii ipsius Civitatis, in atrio ante Basilica Sancti Johannis Baptiste, inivi resideret una simul cum* Adelbertus Marchio, *singulorum hominum justitias faciendas ac deliberandas, residentibus cum eis* Helbingus *sancte* Parmensis, Lupus *sancte* Senensis, Hedelbertus *sancte* Lunensis, Geosulfus ipsius Civitatis, *venerabilibus* Episcopus, Johannes, Eriteu, Adelbertus Judices Domni Imperatoris, Winicheldus *filio bone memorie Feruli*, Rodelandus, Sichelmus & Gisilbertus Vassalli *suprascripto Adelberti Marchioni*, Teudifrasiu Comes *ipsius Civitatis*, Rotari & Petrus Scavinis ipsius Civitatis, *& reliqui multis. Ibique in eorum venerunt presentia* Petrus Episcopus Lucensis *una cum Teupertus Advocato suo, retullentes hac* . . . . . . „ seo quondam Sisomundi & Offo germanis detinent res Sancti Martini Ecclesie nostre in Valiano: Adelfridus detinet Ecclesia Sancte Marie in Feroniano &c. Fraolmo cum suis consortis detinet res Sancti Martini prope Civitatem Luca: Filii Autberti detinent &c. Filii Petri detinet res Sancti Martini in Garfaniana &c. Isti omnes omines detinent jam dictas res per denominatas locas, qui pertinent de Episcopio nostro. Nescimus per qua causam . . . . sicut audivimus, vellent dicere, quod exinde libellos aberent. Quero ut veniant, & dicant pro qua causa ipsas res detinent, & mihi exinde justitiam faciatis, ego Petrus Episcopus cum meum Advocatorem jam per multis Placitis presentia Missi Imperialis, seu Comitum, & modo per tres vices nostri presencia adessent, klamavimus; set umquam minime eos ad Placitum abere potui cum eis standum in racionem. *Cum ipse Petrus Episcopus una cum Teuperto Advocato ejus taliter reclamassent, tunc ipse Amedeus Comes Palacio & Missus, & Adelbertus Marchio & Comes, direxerunt Missum de eorum presentia ad ipsis ominibus, interesse fieri eodem Placito perquirere; set eos minime invenerunt, vel ad Placitum habere potuerunt justitiam faciendam. Et cum eis non invenissent, tunc ipse Amedeus Comes Palacio & Missus, & Adelbertus Marchio & Comes, per fuste, quas in suas tenebant manibus, ipsi Domnus Petrus Episcopus & Teupert Advocatore ejus de predictis casis & rebus & Ecclesias, seu* . . . . . *ipsius Episcopii Sancti Martini investiverunt ad detinendum, salva querimonia eorum ominibus. Insuper & ipsi Amedeus Comes Palacio & Missus, & Adelbertus Marchio, miserunt bannum Domni Imperatoris in Mancosos aureos duo milia super ipsis casis & rebus, Ecclesias &c. ut nullus ipsius Episcopii Sancti Martini sine legali judicio exinde disvestire, aut ullam invasionem facere presumat &c. predictos duo milia Mancosos se esse composituros, medietatem Camere Regis, & medietatem parti ipsius Ecclesie &c.*

*Quidem & ego Leo Notario & Judex Domni Imperatoris ex Judicum admonitione scripsi . . . Domni Lamberti, Deo propicio, Sexto, IV. die Mensis Marci, Indictione XV.*

*Signum manus Amedei Comitis Palacio & Missi*

*Missi, qui ut supra interfuit.*

*Signum manus Adelberti Comiti & Marchio, qui ut supra interfuit.*

*Johannes Judex Domni Imperatoris interfui.*

*Adelbertus Judex Domni Imperatoris interfui.*

Italiam Sacram Ughellii tantisper adeamus, ut nomina Episcoporum, qui huic Placito interfuere, illic agnoscamus. Parmensis ab eo appellatur *Elburgus* aut *Helbringus*: in Charta nostra *Helbingus* ei nomen est. Lunensis Episcopus apud eumdem Ughellium vocatur *Odelbertus*: heic *Hedelbertus*. Præsulem Florentinum ille nuncupat *Grasolfum*: Charta hæc *Geosulfum*. Denique ad ea tempora, hoc est ad Annum DCCCXCVII. nullum Ughellius *Lupum Senensem Episcopum* recenset, quem tamen Documentum hoc nobis disertissime indicat. Is quidem ad Annum DCLXXXIX. *Lupum Episcopum* Senæ statuit; sed vereor, ne extra chorum, hoc est, ne Lupus ille idem sit, qui nunc nobis ad Annum DCCCXCVII. occurrit. Interea vidimus *Rotari & Petrum Scavinos* Florentinæ *Civitatis*, & sane distinctos à *Judicibus Domni Imperatoris*: quod satis monitos nos facit, fuisse *Scabinos* Magistratum peculiarem cujuscumque Civitatis. Et revera ad eorum electionem universi etiam Populi consensus exigebatur. Præsto heic nobis est Lex XLVIII. Lotharii I. Augusti inter Langobardicas, his verbis concepta: *Ut Missi nostri, ubicumque malos Scabinos invenerint, ejiciant; & cum totius Populi consensu in eorum loco bonos eligant. Et quum electi fuerint, jurare faciant, ut scienter injuste judicare non habeant.* Qui contra *Judices Sacri Palatii* appellabantur, ii electionem atque auctoritatem suam uni Regi sive Imperatori acceptam referebant. Propterea se pariter inscribere consueverunt *Judices Domni Regis*, aut *Domni Imperatoris*. Interdum quoque memorantur *Judices Palatini*. Vide infra in Dissertat. LXX. *de Cleri immunitate*. Hos doctissimus Du-Cangius verbo *Judices* eos fuisse arbitratur, qui judiciis aderant habitis à *Comite Palatii*. Sed nihil ejusmodi distinctione opus fuit; judiciis enim intererant, prout occasio ferebat, tam *Palatini*, sive, quod idem est, *Judices Sacri Palatii*, uti & *Judices Domni Regis*: uti constabit ex altero Placito, quod autographum servatur in Tabulario sæpe laudati Archiepiscopii Lucensis.

## Placitum Lucæ habitum ab Huberto Marchione Tusciæ & Comite Palatii, ubi sententia fertur pro Conrado Episcopo Lucensi, Anno 941.

*Dum in Dei nomine, Civitate Luca, ad Curte Domni Hugoni Regis, in solario ipsius Curtis, ubi* Domnus Hugo *&* Lotharius *filio ejus, gloriosissimis* Regibus *præessent, in capite laubie longane . . . . . locui prope Ecclesiam Sancti Benedicti, & prope Capella ipsius solari, que vocatur Sancti Stefani, in judicio resideret* Hubertus Marchio & Comes Palati, *singulorum hominum justitiam faciendam ac deliberandam, sedentibus cum eo* Adelbertus Lunensis *Sancte Dei* Ecclesie *venerabilis* Episcopus; Walpertus, Duranti, Johannes *&c.* Judices Domnorum Regum; Gumpertus *&c.* Vassalli *Adelberti Episcopus, & reliqui plures. Ibique eorum veniens presentia* Cunradus Episcopus Sancte Lucensis Ecclesie, *una cum* Johannes Judex Domnorum Regum, *ejus & ipsius Episcopio Advocatus, & retulerunt*: „ Jam plures vices nos, & meo Conradi Episcopo anticessor cum suo Advocatore reclamavimus ad Comes istius Comitatus Pisensi, „ & ad Domnum Ugonem & Lotharium gloriosissimi Regibus, seu ad vos Ubertus „ Marchio & Comes Palati, ut nobis justitiam fecissetis de Johannes filio quondam „ Roselmi Clericus de Civitate Pisa, qui Rabia vocatur, quod parti nostro Episcopio „ malo ordine & contra Lege detinet casis „ & rebus illis tam infra eamdem Civitatem „ Pisa, quamque & foris in locas & fundas „ *&c.* de fluvio Arno, quas condam Adelbertus Scavino de loco Capelle tenuit: unde ei injussum fuit, ut a Palatium venisset „ nobis justitiam faciendam; set eum minime „ umquam a Palatium abere non potuimus. „ Unde querimus, ut vos Ubertus Marchio „ & Comes Palati nos a parte ipsius Episcopio Sancte Lucensis Ecclesie de ipsis casis & „ rebus *&c.* salva custodia investiatis, cousque ipse Johannes a Palatium venerit, & „ nobis justitiam fecerit. *Cum ipsi Cunradus Episcopus & Johannes Judex, ejus & ipsius Episcopio Advocatus taliter retulissent, recordatus est ipse Ubertus Marchio & Comes Palatii, quod ita eos reclamare vidisset; set eumdem Johannem per ipsum Placitum in . . . . . seu vociferare; & cum eo non invenisset, tunc per fustem, quem suis tenebat manibus, eosdem Cunradum Episcopum & Johannes Judex Advocato ejus & ipsius Episcopio Sancte Lucensis Ecclesie de ipsis casis & rebus, unde se clamabant, salva querela, investivit eo usque ipse Johannes ad Placitum venerit, & eorum justitiam fecerit. Insuper misit bannum Domnorum Regum super ipsis casis & rebus in Mancosos mille, ut nullus quislibet magna parvaque persona predicto Episcopio Sancte Lucensis Ecclesie desvestiad sine legali judicio. Qui vero fecerit, predictos mille Mancosos auri se cognoscat esse compositurus, medietatem parti Camere nostre, & medietatem predicto Episcopio Sancte Lucensis Ecclesie, & anc notitia pro securitate ipsius Episcopio fieri jussimus.*

*Quidem & ego Adelbertus Notarius Domnorum Regum, ex jussione suprascripto Uberto Marchio & Comes Palatio, & Judicum amonicione scripsi Anno Regni Domni Hugoni, Domnorum Hugoni & Lotharii filio ejus, gratia Dei Reges, Deo propitio, Domni Ugoni XV., Domni Lotharii vero X. Hoctavo Kalendas Aprilis, Indictione XIV.*

*Signum manus suprascripto Uberti Marchio & Comes Palati, qui ut supra interfui.*

*Walpertus Judex Domnorum Regum interfui.*

*Johannes Judex Domnorum Regum interfui.*

*Angelbertus Judex Domnorum Regum interfui.*

*Teupertus Judex Domnorum Regum interfui*

Huic judicio præest *Hubertus Tusciæ Marchio*,

chio, & *Sacri Palatii Comes*; qui tamen cum eo ad judicandum consident, non *Judices Palatini*, sed quidem *Judices Domnorum Regum* appellantur. Alia Placita à Comitibus Palatii habita produxi tum in Antiquitatibus Estensibus, tum in Dissertat. VII. & alibi; singula autem fidem faciunt, promiscue *Judices* iis assidentes, modò *Sacri Palatii*, modò *Domni Imperatoris Judices* nuncupari. Itaque in eam potius opinionem feror, alios creatos fuisse *Judices* à Comitibus, & præcipue à Comite Palatii, qui *Judices Palatini*, sive *Sacri Palatii* sunt appellati. Alii verò à Rege aut Imperatore *Judices* creabantur, qui propterea *Judices Domni Regis*, aut *Domni Imperatoris* vocari consueverunt. Vide in Dissertat. LXX. *de Cleri immunitate*. Placitum Anno Christi DCCCLXXX. Novocomi habitum, cui subscribunt tres isti Judicum Ordines. Occurrunt aliquando in antiquis tabulis & *Judices publici*. Hos Clariss. Bignonius in Notis ad Marculfum Tom. 2. pag. 878. Capitular. *Judices Sæculares* fuisse scribit, laudans Capitulare Caroli Magni, ubi *Ecclesiasticis* ii opponuntur. *Ut omnes justitias faciant tam Publici, quàm Ecclesiastici*. Hæc ille, ejusque sententiæ subscribendum; non autem Du-Cangio scribenti, ideo *Publicos* fuisse appellatos, quod Judices *constituerentur per conventionem publicam*, ut habet una ex Alamannicis Legibus. Secundùm morem Francorum, à quibus Juri Langobardico multæ accessiones factæ fuerunt, immo & secundùm Romanos, idem erat olim *Judex Publicus* ac *Judex Regis*, sive *Imperatoris*, quod infra in Dissertat. XVIII. *de Republica* animadvertam, quærens quid nomine *Reipublicæ* olim significaretur. Redeo ad *Scabinos*, quos Lotharius I. Augustus in Lege XLIX. eligendos jubet *adjutores Comitum, qui meliores & veraciores inveniri possunt*. In subsequenti Lege etiam statuitur, ut *quicumque de Scabinis deprehensus fuerit propter munera, aut propter amicitiam injuste judicasse*, ad Regem rationem redditurus mittatur; reliquis vero Scabinis denuntietur, ut ab iniqua hujusmodi nundinatione abstineant. Præterea decrevit idem Imperator Lege XII. ut *Cancellarii*, sive *Notarii*, ad majorem Actorum suorum fidem Chartas publice conscribant *ante Comitem, & Scabinos, & Vicarios ejus*. Quod si quis liberis carens extraneum facere heredem cupiebat, secundùm Legem XCIV. Caroli Magni *coram Rege, vel Comite, vel Scabino, vel Misso Dominico* postremam hanc suam voluntatem exponere jubebatur. Complures Chartas vidi Contractuum inter privatos homines celebratorum, quibus tamen interest aliquis Scabinus, perinde quasi ii tunc illo munere fungerentur, quo electi à Republica Mutinensi nunc appellantur *Giudici di Autorità*. Unam tantummodo commemorabo, quæ mihi olim videndam se præbuit in Tabulario Monasterii Veronensis Sancti Zenonis. Scripta fuit *Regnantes DNN* (idest *Domni nostri*, vel *Domnis Nostris*) *Carolo & Pippino filio ejus, viris excellentissimis Regibus Langobardorum in Italia, Anno eorum XXXIII. & XXV. die quintodecimo intrante mense Januario, Indictione XIV.* hoc est, Anno Christi DCCCVI. Duo heic animadverte. Primum, quam nempe antiqua sit formula *intrante mense*. Alterum, unico *Langobardorum Regis* titulo heic donari Carolum Magnum, quamquam is ab aliquot annis *Imperatoris* nomine ac dignitate fulgeret. Mutinensem Chartam infra in hac ipsa Dissertatione evulgabo, in qua eamdem omissionem deprehendes. Quare non tam cito à Criticis intentanda lis Chartis, quod in aliquo à ceterorum Notariorum consuetudine discedant. Erant in eodem Archivo aliæ similes Chartæ. Unam vidi exaratam *Regnantes Domnis nostris Karolo & filiom ejus Pipinom Reges in Italia Trigessimo & Vigesimo secondo mense Magii, per Indictione X.* idest Anno Christi DCCCII. Alteram similem commemoravi in Dissertat. LXVII. *de mod. acquirendi*. Addo & tertiam, cujus archetypum se se mihi obtulit in Tabulario Canonicorum Regularium Pistoriensium, Monasterium Sancti Bartholomæi incolentium. Scripsit eam Notarius *Regnante Domno nostro Carolus vir excellentissimo Rege Francorum, & Romanorum, adque Langobardorum, Annus Regni ejus in Dei nomine in Italia, postquam Papia Civitate ingressus est, Trigesimo primo; & filius ejus Domnus noster Pippinus gratia Dei Rex Langobardorum, Annus Regni ejus Vigisimo quarto, per Indictione XII. feliciter. Constat me Durduno Presbiter filius quondam Basili Custodes Ecclesie beatissimi Sancti Petri intra hanc Pistoriu Civitatem &c.* Notæ istæ Annum Christi DCCCIV. produnt, quo Carolus Magnus à quatuor annis Imperator erat. Hisce accedat Charta, quam in Archivo insigni Monachorum Cistercensium Sancti Ambrosii Majoris Mediolani vidi scriptam *Regnantes Domni nostri vere excellentissimi Carolo & Pippino Regibus in Italia, Anno XXIX. & XXII. mense Abrilis, Indictione XI.* hoc est Anno DCCCIII. Hæ omnes pergamenæ exaratæ, postquam Carolus Magnus ad Imperialem dignitatem fuerat evectus. Redeo nunc ad Chartam Anno DCCCVI. conscriptam. Complectebatur illa contractum venditionis, cui interfuit *Lopo Scavinus Civitatis Brixianæ*. En ut etiam privatorum actibus Scabini intererant. Fortuito-ne id factum fuerit, an ex imperio Legis alicujus, decernere non ausim. Supra innui, statutum fuisse, ut singulis Placitis *septem Scabini* interessent. Immo Ludovicus Pius in uno è suis Capitularibus *duodecim Scabinos* Placito cuidam affuturos constituit, dum tot Comes in Civitate numeraret; alioqui numerum hunc implendum vult à melioribus illius Comitatus. Verùm sive Leges istæ parum exactæ observarentur, sive Scabinos identidem caussæ nonnullæ impedirent: raro *Septem* ex iis intererant, & nullus interdum adfuisse invenitur. Cujus rei, utut multa exempla sparsa hoc Opus exhibeat, duo tamen in præsentia exerere placet, è supra laudati Archivi Lucensis Tabulario deprompta, ubi ea archetypa vidi,

Judi-

## Judicatum Rodingi Episcopi Lucensis & Maurini Comitis Palatii Missorum Imperialium occasione permutationis agrorum, Anno 840.

DUm in Dei nomine, Civitate Luca in Curte, que dicitur Regine, in judicio resederimus nos Rodingus Episcopus, & Maurinus Comes Palatii, Missi Domni Hlotharii perpetui Augusti, cum Agano Comite, residentibus nobiscum Paulo, Martino Judicibus, & Prando, Guniperto, Asprando, & Teutperto Vassis Domni Imperatoris, Johannes, & Adelbero Scavinis, Widoald Presbiter, Auderamnus Archediaconus, Gautpert Notarius, Wichelmus, Ildepertus, & reliqui plures. Venerunt ibi in nostris presentiis Giselmarius Vassus Domni Imperatoris, qui Ecclesie Sancti Silvestri foris Porta ujus Civitatis, que dicitur Sancti Petri, præesse videbatur, una cum Fraimanno Advocato ipsius Ecclesie, nec non & Andreas Advocatus Monasterii Sancti Jacobi, a quondam Jagobo Episcopo fundati, altergationem habentes. Dicebat ipse Fraimannus: „ Solarium illum cum area, in qua extat orto, insimul se tenet ibi ad Monasterium Sancti Jagobi, fuit area & ortum ipsum Ecclesie nostre Sancti Silvestri, unde jamdudum contencio facta fuerat ad jam nominato Jagobo, dum esset di. . . . . . . . Set Domnus Imperator commendavit, ut ipsa comutacio rumperetur. Ideo querimus solarium ipsum & ortum recollegere ad parte Sancti Silvestri, super qua contencionem jam tribus vicibus super accessimus. Respondebat ipse Andreas: „ Certe de comutacione, quam dicis, Domnus Imperator frangere comendasse nescio. Set dico, quod verum est, vos ad partem Sancti Silvestri tenetis utrumque illut, quod Jacobus ibi dedit, & campum illut, qui se cum ipso solario tenere videtur, quam reciperat ad vicem, quod rectum esse non videtur; set solarium & ortum insimul se tenente, quod queritis, non fuit de eadem comutacione, set semper probrietas fuit jam nominati Jacobi, qui ipsum construxerat Monasterium. Cum taliter agerent, fecimus nobis comutacionem ipsam relegi, & contenebatur, ultra quadraginta annorum emissa fuisset. Hac relecta, dum ambe partes nullum testem propter longin- A quitatem inde dare professi sunt, judicatum est ad nostris Scavinis, ut ipse Andreas Advocatus predicte Ecclesie Sancti Jacobi, qui ipsam habebat vestituram, diceret juratus a Dei Evvangelia cum sagramentalibus suis juxta Legem, qualiter area illa, ubi ipse solarius edificatus est cum orto, unde agebatur, non fuisset de ipsa comutacione, sed probrietas fuisset predicti Jagobi, & per quadraginta annos pars Monasterii Sancti Jagobi possedisset ad probrietatem, & plus Legibus pertinere ad ipsum Monasterium ad abendum, quam parti Sancti Silvestri ad redendum. Et taliter eidem Fraimanno wadiam dedit. Posito constituto in statuta die venerunt ambe partes denuo nostri presencia, & B aducta sancta Dei Evvangelia fecit ipse Andreas Advocatus sacramentum ipsum, sicut wadiam dederat, cum sacramentalibus suis juxta Legem. Dato sic sacramento judicatum est, ut juxta eorum altergationem pars predicti Monasterii Sancti Jacobi eundem solarium & area &c. & hanc nunc usque habuit, in antea habere & possidere deberet. Et finita est causa. Et hanc noticiam pro securitatem predicti Monasterii facere commonuimus.

Quidem & ego Gaidus Notarius ex dictato supradicti Martini scripsi, Anno Imperii Dominorum nostrorum Hludovvici & Hlotharii Imperatorum in Dei nomine Vigisimo Septimo, & Vigisimo Primo, mense Februario, Indi- C ctione III.

Ego Hrodingus Episcopus interfui.

Signum manus Maurini Comitis Palacii, qui in his actis interfui.

Martinus Notarius Domni Imperatoris interfui.

Ego Johannis Clericus Scavinu ivi fui, &c.

Duo tantum Scabini in hoc Placito numerantur: & ex iis Johannes Clericus infra appellatur; quod sine animadversione dimittendum non est. Alios tamen Scabinos Clericos alibi inveniemus, & præcipue in Dissertat. XXXVI. de Precariis. Heic præterea animadverte, Aganum Comitem Lucensem actis iis pro more interesse, & Scabinos eosdem recenseri post Judices. Accedat nunc alterum monumentum.

## Charta Placiti Lucensis habiti ab Adelberro Duce Tusciæ pro controversia bonorum inter Episcopatum Lucensem, & Firmum Gamperti filium, Anno 873.

IN nomine Domini. Dum Adalbertus Dux resedisset in judicio hic Civitate Luca, incaminata de Curte Ducalis una cum Ghiselfri & Johannes Schabinis ad singulorum hominum causas audiendum & deliberandum, ubi nobiscum aderant Chunerado, & Sisemundo, seo Fraiperto Vassi Domni Imperatoris, Fraolmi, Flaiperto Clerico, Auberto, Auderamo, Adalvaldo, Ardolfo, Anfridi, Hilmerando, Aliprando, & Filippo germanis, & Alateo, Ato Petrus de Wamo, Adalfridi, Georgius, & Atalpertus Notarius, Rapprando qui & vocatur Teuperto, Teupaldo, Lucifridi, Ostrifuso, & reliqui plures. Ibique eorum D presentia veniebat Firmo filio bone memorie Gamperti, & ex alia parte Eriteo Advocatus Episcopatui Sancti Martini. Cepit ipse Firmo dicere: Volo justitiam accipere ab isto Eriteo Advocatus, eo quot parte Ecclesie Sancti Martini domus Epischopatui & detinet case & rebus illis in loco & finibus Turingo, quas mihi pertinere debunt per istas Cartulas, quas hic pre manibus abeo. Faciatis eas relegi. Et cum eas legi fecissemus, contenebatur in unam ex ipse Cartule inter reliquas, qualiter quondam Uppertus Diaconus filio quondam Frazelli per Cartulam venumdaverat ac tradiderat Chuniperti & Ghisulfi Diacono germanis filii bone me-

*memorie Romualdi, idest casa & Curte sua dommicata, quas abuit in loco & finibus Turingo cum fundamentis & universis fabricis suis seo Curtis, artis, terris, vineis, silvis, virgareis, pratis, pascuis, cultum vel incultum &c. pretium recepisset argentum Solidos mille in prefinito &c. Scripta fuerat de manibus quondam Rachifonsi Notarii* Anno Imperii Domni nostri Hlotharii magni Imperatoris, Deo propitio, Imperii ejus, postquam in Italia ingressus est, Vigensimo Quarto, Tertium Nonas Magii, Indictione Nona (*a*) *&c. In alia vero Judicati Cartula contenebatur inter ceteras, qualiter suprascripto Ghisulfo Diacono pro anime sue remedium judicaverat adque confirmaverat in potestate suprascripti Firmi, idest portionem...... de casa domnicata in prenominato loco & finibus Turingo &c. Et Cartula ipsa judicati rescripta fuerat &c.* Anno Domni nostri Hludowici magni Imperatoris Vigesimo Secundo, Kalendas Magias, Indictione IV. (*b*) *&c. Interrogavimus ipso Eriteo Advocatus, quit ex hoc dicere voluisset, quibus ipse dixit:* Nescio casis & rebus, de quas dicis. *Cum hoc dixisset, tunc per uostrum judicium.... Firmo Eriteo Advocatus* wadiam *decasis & rebus ipsis mustrandi, & Eriteo dedit* wadiam *paratus esset, res ipsa videndum, & remeare ad Placito &c. In constituto vero die utraque parte reversi sunt ante nos. In judicio cepit ipse Firmo dicere:* Ecce me paratus..... vocatus, ut ponas mihi rationem de casis & rebus ipsis, quas ei mustravi, & super accessimus. *Ad hec dicebat ipse Eriteo Advocatus:* Vere casis & rebus ipsis, quas..... detinet parte Episcopatui Sancti Martini. Set volo inquire re pars ipsius Episcopatui, si per possessione aut per monimen, aut pro qua rationem eas detenere........ *Et dum taliter dixisset, tunc per nostrum Judicium dati at ipso Eriteo Avocati una de eidem Firmi inquirendum parte ipsius Episcupatui Sancti Martini &c. Igitur in in constituta die......... ipsius Episcopatui Sancti Mrtini presentia* Gherardi *hujus sancte* Lucane Ecclesie *humilis* Episcopus, *seo ante nos qui supra* Schabinis, *ubi nobiscum aderant suprascripto Chunerado &c. & reliqui, cepit ipse Firmo dicere:* Ecce me paratus ab isto Eriteo Advocato...... de casis & rebus illis in loco ac finibus Turingo, sicut mihi wadia dedi & mihi pertinet, quod obvinet per istas Cartulas; faciatis eas iterum legi. *Et cum eas iterum legi fecissemus, contenebatur &c. Professio hec facta, rectum paruit nobis qui supra Judicibus, una cum reliquis nobiscum adessentibus. Ita Judicavimus ut liceat parti...... sine contradictione suprascripti Firmi justa suam professionem & manifestationem, permaneat exinde contestos seu remotos. Unde unc.... Anno Imperii Domni nostri Hiudowici magni Imperatoris, Deo propitio, Imperii ejus, Vigesimo Quarto, V. Kalendas Julias, Indictione VI.*

*Ego Johannes Scavino in is hactis interfui.*
*Sesemundo ibi fui.*
*Ego Teupertus ibi fui.*
*Ego Ermiteo ibi fui.*
*Ego Fraolmi ibi fui.*
*Ego Eriprandus ibi fui. &c.*

Heic interseritur altera Charta scripta *Anno Imperii Domni nostri Hlotharii magni Imperatoris, postquam in Italia ingressus est, XXIV. Tertio Nonas Maji, Indictione IX.* idest Anno 846. Cur hoc adnotatum velim, infra edisseram. Interea ex his Chartis, uti ex aliis, certiores facti sumus, non ejus necessitatis fuisse *Septem Scalinorum* præsentiam ad Placita, ut minori cum numero celebrare hæc minime liceret. Sed quod ejusmodi Magistratuum auctoritatem luculentius prodere potest, fuit ipsis tribunal proprium cum facultate dirimendi aliquas causarum species. In Lege LXIV. Langobard. Lotharii I. Imperatoris agitur de *Causidicis, qui uec ad judicium Scabinorum acquiescere, nec blasphemare volunt*, hoc est appellare, uti Du-Cangius interpretatur. Itidem in Lege XCII. Caroli magni: *Si quis caussam judicatam repetere in mallo præsumserit, duodecim ictus à Scabinis, qui caussam ipsam prius judicaverint, accipiat.* Ergo in prima instantia lis ad *Scabinos* deferebatur; tum ad *Mallum*, sive ad publica solenniaque judicia, à Comite sive à Missis Regiis celebrata, Immo & ipsis licuit habere Placita: quod eorum dignitatem illustriorem etiam exhibere nobis potest. Deo consuetudinis hujus exempla mihi fortè oblata, ut ego lubenter amplexus sum, ita non ingrata Lectori futura spero. Prioris archetypum in sæpe laudato Archivo Lucensis Archiepiscopii mihi exhibitum est, ubi tres *Scabini* una cum Ambrosio Lucensi Episcopo Placitum habent.

## Charta Placiti Lucensis coram Scabinis, in quo controversia dirimitur de portione rerum Racchisi Presbyteri, Anno 847.

D*Um nos, in Dei nomine*, Ardo, Adelperto, *&* Gherimundo Scabini *adresedentes in lucho hic Civitate Lucana, cum viro venerabilis* Ambrosis Episcopus dicte Civitatis, *resedentibus nobiscum Heriprandus, Hildiperto, Ostiperto, Teudimundo, Ardimanno &c. & reliquos plures. Venitque ibi ante nos Wittingo Advocatus Ecclesie Sancte Marie, sito loco Campulo, pertinens Episcopatui Sancti Martini istius Civitatis Lucensis, & alia parte Rachiprando Presbitero & Andreas germanis, simul Toto Advocatus eidem Rachiprandi Presbiteri, abendum inter se altercationem, dicendum nobis Wittingo Advocatus suprascripte Ecclesie Sancte Marie:* „ Iste Rachiprando „ Presbitero & Andreas germanis abent inju„ ste portio rebus, qui fuit quondam Racchisi „ Presbiteri filio quondam Cosperti Presbiteri, „ quas Legibus pertenens Ecclesie Sancte Ma„ rie sita Campulo, unde sum Advocatus. „ Unde quero haccipere justitiam. *Respondebat ipse Toto Advocatus suprascripti Rachiprandi Presbiteri, simul & ipse Andreas:* „ Abet „ iste Rachiprando Presbitero & ego Andrea, „ portio rebus, qui fuit eidem Racchisi Presbitero, eo quod ipse Rrcchisi Presbitero „ noster fuit propinqui & parentes: & Legi„ bus subcessionem omnes res nobis pertinet „ ad hereditandum. *Dicebat ipse Wittingo*: „ Vos de rebus, qui fuit eidem Racchisi Pres„ bi-

(*a*) Hoc est, Anno 846.

(*b*) Hoc est, Anno 871.

„ biteri, nulla abere debetis, eo quod ipse „ Racchisi Presbiteri suam portionem offeruit „ eidem Ecclesie Sancte Marie per Cartula. „ Et ecce Cartula ipsa pre manibus abeo. „ Faciatis ejus relegi. *Nos ita audientes, facimus nobis Cartula ipsa relegere. Contenebatur, qualiter ipse Racchisi Presbitero pro anime sue remedium, offersuerat Deo & ipsis Ecclesiis & Sancte Marie portione sua de res illa, qui fuit de jura parentorum suorum omnia & in omnibus, terris, vineis, silvis, &c. Et post tradita completa Cartula ipsa relecta, interrogavimus nos Judices & Auditores ipse Toto Advocatus suprascripti Rachiprandi Presbiteri & Andreas germanus ejus:* Abetis aliquid factionem de parte eidem Racchisi Presbiteri, qualiter rebus ejus vobis aliquid Legibus pertineat, ad non? *Qui dixerunt ipse Toto Advocato eidem Rachiprandi Presbiteri & Andreas germanus ejus:* Nullam factionem, nec ostensio de parte eidem Racchisi Presbiteri de rebus ejus non abemus, nec ostendere non possumus; nec de rebus, qui fuit eidem Racchisi Presbiteri, contra .... non contendimus, eo quod nulla exinde abemus, quod dicere vel contendere possamus. *Professio hac facta, justum nobis paruit esse, reliquis nobiscum adessentibus, judicavimus, ut liceat pars suprascripte Ecclesie Sancte Marie portio rebus, qui fuerat eidem Racchisi Presbiteri abere sine ..... Presbiteri & Andrea germanis contradictione. Unde qualiter ante nos acta est causa, & hanc notitia pro securitate suprascripte Ecclesie Sancte Marie etmitti previdimus, ut in eadem permaneat deliberationem. Quam Adalfridi Notario scribere admonuimus ........ magni Imperatoris, postquam in Italia ingressus est, Vigesimo Sexto, VII. Idus Augusti, Indictione X.*

*Ego Ardo Schavinu, sicud legitur, interfui.*
*Ego Gerimundo Scavino in is actis interfui.*
*Ego Adelpertus Scavinus in is actis interfui.*

Epocha Imperii Lotharii I. in Charta hac minime dissimilis est à præcedente, deducta videlicet ab Anno DCCCXXIII. quo is Romanam coronam è manu Summi Pontificis Paschalis accepit. Alterum monumentum, nunc mihi edendum, archetypum vidi in Tabulario præclarissimi Cœnobii Brixiani Sanctæ Juliæ, in quo multa deprehendas, unde judicia illorum temporum lucem uberiorem accipiant.

## Placita duo, in quibus Gisulfus Scavinus, & Bernardus Comes Veronensis litem dirimunt inter Elimberi & alios, Anno 856.

IN *nomine Domini. Dum resedisset* Gisulfus Scavinus *de Vico Laceses, per jussionem* Bernardi Comiti *ad Ecclesiam Sancti Marii in Vico Gussilingi, ubi cum ipso aderat* Ansprand & Audibert Scavinis, *Garibert, Mauraces, Ansevert, Notariis, Racpert &c. & aliis plures ad singulorum hominum causas audiendum ac deliberandum. Ibique veniens ad eorum presentiam Elimberi & Beluari, & cepere dicendum & interpellandum adversus Bernardo idem qui Alemanno, & Mere Vassi Domni* Otingo Episcopo: *Quatenus* Bernardus retines res, que mihi pertinet de Adelburga conjunge mea, & eidem da bone memorie Ulsegausus, qui fuit jugales ipsi Adelburgi per Morgincap advenit. *Ad hec respondebat ipse Bernardus:* Nescio ... hic dicis. *Dum ipsis antedictis* Scavinis *taliter audissemus ipsum Bernardum dicentem, quod nescisset, & de qua re eum mallasset ...... ut darent eidem Elimberi de ipsas res monstrandas, & dedit. Et Bernardus dedit de constituto. In posito autem constituto conjungentes eos ambe partis presentia* Bernardi Inlustri Comiti *ad Monasterio Sancti Zenonis foris muro Civitatis Veronensium, ubi cum eo aderat* Hodelard, Hiso, Upert Sculdasii ...... Gauso Judices, Martinus Scavinis *&c. hic cepit antedictus Elimberi adversus predicto Bernardo querere justitiam:* Emitte mihi rationem de ipsas res, unde tertio jam antea mallavi. *Sic dedit Bernardus Inluster Comis Missos suos de suis .. .... Hodelardo Sculdasio, & Gisulfo Scavino, qualiter inter eos ipsa intencionem deliberaret. Et fecimus ipsi Bernardo dare Hodelardo Sculdascio trevvas, ut venisset die Jovi, quod est secundo die mense Julio, ad Ecclesiam Sancti Andrei in Umerio, in Placito ad justicia faciendo, conjungente se antedicto Hodelardo Sculdascio & Gisulfo &* Audiverto Scavinis, *ubi cum eis aderat Garibert, Autbert Notarii, Audelbert Diaconus Vicedominus, Teupald, Wilivert &c. Alemanni, Giselbert de Brescia &c. ad singulorum causas audiendum vel finiendum. Ibique veniens ad eorum presentiam Elimberi, & ex alia parte predicto Bernardo, ibidem ostendebat antedictus Elimberi Cartulam suam, Cartulam vinditionis, vel breve tradicionis, quem bone memorie Erchenpald, qui fuit genitor ipsio &c. Et ipsa Cartula scripta erat per Scriva publico, & testes idoneis rovorata in Annis* Domni Lotharii magni Imperatoris, Anno Imperii ejus in Dei nomine XXII. & Domni Ludovvhici filio ejus Regem in Italia Anno II. mense Augusto, Indictione III. *Et in ipsa breve tradicionis interfuerunt Garibald de genere Francorum, Erimbertus Alemannus, Upert Langobardus, Gerìald Langobardus, Adelgausus Langobardus &c. Sic dixit ipse Elimberi:* Vere ista Cartula vindicionis, vel breve tradicionis mihi nulla non impedit, pro eo quod falsa sit, quia ipse Erchenpald ipsa Cartula vel breve tradicionis, quam tu Bernard ostendis ...... me scrivere rogavi. *Sic interrogaverunt Hodelardus Sculdascius, una cum jam dictis Scavinis ipso predicto Elimberio, si potuisset talem signacionem facere, quomodo Addelburga post disceßo Vulseganzo de ipsas res justa suo Morgincap ad proprio investita fuisset, aut ipsa Cartula vel breve tradicionis falsas comprobare potuisset, an non. Quia ita dixit & manifestavit se ipse antedictus Elimberi, quod talem consignationem facere non potuisset, nec ipsa Cartula vel breve tradicionis falsas comprobare menime potuisset. Dum nos antedictis Hodelardo Sculdascio, & jam dictis Gisulfus & Audivert Scavinis taliter audiverimus, ipso Elimberio loquente, & se manifestante, quod tale probacione facere non potuisset, sic nobis, vel qui nobiscum aderant, recte paruit, ut haberet ipse Bernardus ipsas res, unde inter se intencionem habuere ad proprio justa sua Cartula vel tradicio, ut postea inter eos exinde nullam oriatur intencio, set in eadem deliberacione vel finicione debeat permanere.*

*nere. Et finitum est inter eos ipsa intencio. Unde ac noticia Judicati qualiter deliberatum est, scripsi Ego Gasbertus Notarius ex jussione de supradicto Sculdascio vel ex dictato de suprascriptis Scavinis, temporibus Domni Lodovvhici magni Imperatoris, Anni Imperii ejus, in Dei nomine, Anno Septimo, mense Julio, Indictione IV. feliciter.*

*Signum manus Hodelardo Sculdascio, qui interfui, & judicium dedi, manum suam posui.*

*Ego Gisulfus Scavinus interfui, manu mea subscripsi.*

*Ego Audibert Notarius adque Scavinus interfui, manu mea subscripsi.*

*Ego Ausbertus Notarius interfui, manu mea subscripsi.*

*Signum manus Sigifredo, qui interfui.*

*Signum manus Hodelgerio Alemanno, qui interfui, &c.*

*Ego Gasbertus Notarius interfui, & hunc Judicatum scripsi & complevi.*

Antequam progrediamur, heic se offert nodus, Lectorum profecto consideratione dignus. Nimirum in textu Judicati hujus mentio fit Chartæ scriptæ, Lothario I. Augusto regnante, atque his notis signatæ: *Anno Imperii ejus in Dei nomine Vigesimo secundo, & Domni Ludovvhici filio ejus Regem in Italia Anno Secundo, mense Augusto, Indictione Tertia.* Dum deceptus non fuerit Gasbertus Notarius, à quo ea Charta laudatur, in describendis notis illius Chronologicis, aliqua inter hoc monumentum, & Epochas Lotharii I. & Ludovici II. jam notas, discordia exsurgit. *Indictio Tertia* certos nos facit, Contractum illum spectare ad Annum DCCCXL. Sed quum Anno DCCCXXIII. die V. Aprilis Lotharius Romanam Coronam, & Augustale nomen susceperit, vulgaris ejus Imperii Epocha ab eo Anno deducta, locum heic minime invenire potest: quippe Augusto mense Anni DCCCXL. non *Annus Vigesimus secundus* in Charta signatus decurrisset, sed quidem *Annus Decimus octavus*. Neque Chartæ hujus Epocha ab Anno DCCCXVII. initium capit, quo secundùm Annales Bertinianos Ludovicus Pius *filium suum primogenitum Hlotharium coronavit, & nominis atque Imperii socium sibi constituit*. Nam Anno DCCCXL. in cursu fuisset Annus ejus Imperii *Vigesimus quartus*. Ergo inter hasce duas Epochas media est locanda, quam in usu habuere quædam ex Italicis Urbibus, à Pagio quoque ad Annum DCCCXXI. recte animadversa, atque appellata *Epocha Italici Regni*. Nimirum, ut is ait, Anno DCCCXX. Lotharius Langobardico Regno præfectus est, atque inde alicubi factum est exordium Epochæ novæ. Pagii sententiam amplector, ac duo tantum addo. Primum est, Epocham illam non fuisse dumtaxat *Italici Regni*, sed & *Imperii* in quibusdam Italiæ Civitatibus. Illæ siquidem minime coronationem Romanam exspectarunt, ut eum Imperatorem agnoscerent; sed statim ac Lotharius Rex Italiæ à Ludovico Patre constitutus est, ipsum quoque uti Imperatorem susceperunt, quum nossent eum antea, hoc est Anno DCCCXVII. consortem Imperii ab eodem parente fuisse renuntiatum. Exempla ipsa à Pagio allata id ostendunt, quibus ego alia subtexam. Alterum est, ex Notis Chronologicis Chartæ in Placito nuper à me edito memoratæ, videri, Epocham illam Lotharii non ab *Anno DCCCXX.* ut Pagius censuit, sed quidem ab *Anno DCCCXIX.* inchoandam esse; quum Anno DCCCXL. Augusto mense illic dicatur in cursu fuisse ejus Imperii *Annus XXII.* Sed heic subsisto, ut rem cum aliis exemplis conferam. Pistorii in Archivo vetustissimi Monasterii Sancti Bartholomæi pergamenam legi spectantem ad Gausprandum Abbatem Cœnobii illius, & scriptam *Imperantibus Dominis nostris Hludwichus, & Lutharius dilectissimo filio ejus Imperatoribus, Anno eorum Imperii Octavo-decimo, & Duodecimo, IX. Kalendas Aprilis, Indictione IX.* Is Annus est DCCCXXXI. Finitima Urbs Luca in usu habuit Epocham Lotharii I. deductam ab Anno DCCCXXIII. quo is Romæ inunctus est: quod exprimere interdum solebant Notarii his verbis: *Postquam in Italiam ingressus est.* At Pistorii adhibitam vides Epocham anteriorem, quam nuper describebam. Eodem ipso Anno DCCCXXXI. scripta fuit altera Charta Veronæ in Monasterio Sanctæ Mariæ ad Organum, mihi visa cum his Notis: *Imperantibus Domnis nostris Hloduvic, & Hlothario magnis Imperatoribus, Annis Imperii eorum Octavo-decimo, & Duodecimo, Indictione IX.* Ibi mentio est *Audiberti Abbatis Monasterii Sanctæ Mariæ, sito ad Organo*. Itidem in Ambrosiano Mediolanensi Cœnobio Charta adservatur exarata *Hludoovicus, & Lutharium divina ordinante providentia magni Imperatoris Augusto, Anni Imperii eorum Tertio-decimo, & Septimo, XII. die mense Magii, Indictione IV.* Heic habes Annum DCCCXXVI. & Epocham Imperii ab assumto Regno Italico. Rursus Veronæ in Tabulario præclarissimi Cœnobii Sancti Zenonis Charta existit scripta *Annis Imperii eorum Nonodecimo, & Tertiodecimo, sub die V. mense Octubrio, Indictione XI.* Priora exempla Epocham Italicam simul & Cæsaream Lotharii Anno DCCCXX. inchoatam produnt. Postremum quoque, si Indictionem à Septembri inceptam statuas, Annum DCCCXXXII. designans Epochæ ejusdem exordium refert ad Annum DCCCXX. Quare mihi videtur Pagius rationes recte iniisse; Charta verò à me nuper edita in Notis Chronologicis aliquantulum deficere. Ibi quoque scriptum vidimus *Anno Domini Ludowichi filio ejus Regem in Italia Anno Secundo.* Secundùm Francorum Annales Ludovicus II. Anno tantùm DCCCXLIV. coronatus fuit Italiæ Rex. Et ab Anno quidem illo Regia ejus Epocha initium sumsit. Si spectare Chartam illam dicimus, ad Annum DCCCXL. quomodo *Annus Secundus* Regni Ludovici II. tunc decurrere potuit? Itaque excogitandum est, Anno DCCCXXXVIII. aut DCCCXXXIX. à Lothario I. (consentiente ejus patre Ludovico Pio) Regnum Italiæ collatum fuisse Ludovico II. post mortem nempe Pippini Aquitaniæ Regis, quo tempore Ludovicus Pius inter filios Regna divisit. Vide Dissertat. XXXI. *de Placitis*, ubi tabulas indicavi veritatis hujus antea incompertæ testes, nisi quod ibi Regni Italici exordium desumtum videtur ab Anno DCCCXL. heic autem ab Anno saltem præcedenti. Sed quoniam de Epochis Lotharii I. ejusque filii Ludovici II. Augustorum ante paucos annos erudite disputarunt editis Libris Clarissimi Monachi Benedictini Itali Berettus, & Astezatus: uberiora ab iis Lector, si volet, accipiet.

Repeto nunc Placita à Scabinis habita, quorum alterum ii celebrarunt tamquam Delegati, ut ajunt, idest *per jussionem Bernardi Comitis*: primum verò auctoritate propria. Neque sane du-

dubitandum est, quin ejusmodi jus illis fuerit. Idque luculentius etiam alia Charta mihi indicavit in toties laudati Lucensis Archiepiscopii Tabulario adservata, quam breviatam dabo. Ibi sic legitur: *Dum in Christi nomine residentes nos* Taito & Donusdei Scabinis *in judicio ad singulorum hominum causas deliverandum, adessent ibidem Teutpertus Gastaldius, Jacobus Clericus &c. Ibique venit ante nos Guntelmus Clericus Rector Ecclesie beate Sancte Marie de Monte, & ex alia parte Natali & Auriperto germani, altercationem inter se abentes. Dicebat ipse Guntelmus Clericus: Audire me dignetis, quia iste Natali & Auriperto contra ratione habent res illa in loco Bulficiano prope Monticelo, qui est pertinens Ecclesiæ Sancte Marie &c.* Natalis & Auripertus Chartam subinde pro se exerunt, ex qua apparebat, quod *Ghisiprandus Presbiter filio quondam Ghisperti affeduciaverat predicta res Alperti genitori ipsis Natali & Auriperti. Affiduciare* est pignori obligare, uti in subsequenti Dissertatione XI. dicam. Regerebat Guntelmus: *Chartula ista affeduciati, quas ostendistis, nihil impedit &c.* Subsequuntur acta coram *Petro reverentissimo Episcopo*, post quæ adjudicata est caussa Guntelmo. In fine legitur: *Facta notitia Judicati in Regno Domno nostro Hludowic magni Imperatoris, Anno Imperii ejus Nono, mense Aprile, Indictione XV.* (idest Anno DCCCXXII.) *Ego Taito Schavino in anc Judicatu à nos factu manu mea subscripsi. Ego Donusdeu Scavinu in quantum à me factum est, interfui.* Alteram quoque authenticam Chartam in eodem Lucensis Archiepiscopii Archivo legi, scriptam *Anno XXIX. Lotharii* Imperatoris, & *Secundo Ludovici* ejus filii, hoc est Anno DCCCLI. qui fuit Secundus Imperii; cujus prima verba tenebris sunt eruenda: *Dum in Dei nomine Civitate Luca in domo Episcoporum Ecclesie beati Sancti Martini una cum Domno & vir beatissimo Ambrosio Episcopo, seu Eribrando & Cuniperto Vassi Domni Imperatori, resedissemus nos* Ardo & Andreas Schavinis *ad singulorum hominum causas audiendas, vel deliverandas, uti nobiscum aderant Balderichó &c.* In eodem Placito producitur Charta exarata *Regnante Domno nostro Bernardus gratia Dei Rex Langhubardorum, Anno Regni ejus Sexto, mense Octuber, Indictione XI.* hoc est Anno DCCCXVII. Liceat mihi, Lectore veniam faciente, Epocham quoque Bernardi Italiæ Regis, filii scilicet Pippini Regis heic illustrare: quippe illam claudicare video apud Baroninm & Pagium. Nititur uterque sepulcrali Epigraphe Bernardo positâ Mediolani in æde Sancti Ambrosii, cujus hæc sunt verba à Tristano Calcho & à Sigonio evulgata: BERNARDVS CIVILITATE MIRABILIS, CETERISQVE PIIS VIRTVTIBVS INCLYTVS REX HIC REQVIESCIT. REGNAVIT ANNOS QVATVOR, MENSES QVINQVE, OBIIT XV. KAL. MAJI, INDICT. XI. FILIVS PIÆ MEMORIÆ PIPINI. Bernardum è vita cessisse Anno DCCCXVIII. Aprili mense, Anno IV. Regni, Inscriptio hæc prodit. Verùm aut in ea Epigraphe error cubat, aut duplex Bernardi Regis Epocha est admittenda. Veronæ apud Monachos Olivetanos Sanctæ Mariæ ad Organum membranam archetypam vidi, scriptam *Imperante Domno nostro Hlodovvico magno imperatore Anno Tercio, & Regnante Domno Bernardo glorioso Rege Anno Quarto, Indictione IX.* hoc est Anno Christi DCCCXVI. Ergo Anno DCCCXVIII. decurrere non potuit Annus Regni illius *Quinctus*, ut est in Epigraphe Mediolanensi. Idem confirmant Chartæ plures, quas Lucensi in Urbe legi. Ibi una scripta est Anno XL. *Caroli serenissimi Augusti, & Anno Primo Domni nostri Bernardi Regis, XI. Kalendas Augusti, Indictione VI.* hoc est Anno Christi DCCCXIII. Altera has notas præfert: *Regnante Domno nostro Hludovvichus serenissimus Augustus &c. Anno Secundo, & Domno nostro Bernardus Rex Langobardorum in Dei nomine, postquam in Italia reversus est, Anno Regni ejus Tertio, XVI. Kalendas Magias, Indictione VIII.* hoc est Anno DCCCXVI. Exarata est alia *Anno Secundo Bernardi Regis Langobardorum, XII. Kalendas Majas, Indictione VII.* idest Anno DCCCXIV. Eodem pede procedunt & aliæ Chartæ, in quibus interdum additur formula illa: *postquam in Italia reversus est*, ut indicetur, non à morte Pippini patris Regnum Bernardi exordium sumsisse, sed quidem ab Anno, quo illum Carolus Magnus Regem dixit, & in Italiam misit. Alteram Chartam Anno DCCCXV. scriptam infra evulgabo. Cum his compone nunc Inscriptionem Mediolani Bernardo positam, quæ eum exhibet sublatum *Indictione XI.* idest Anno Christi DCCCXVIII. postquam *Annos IV. & Menses V.* regnasset: atque intelliges, aut illam ab imperito olim scriptam, aut suppositiciam, aut non unam Epocham Bernardi statuendam esse.

Neque alia ratio computandi Annos Bernardi Regis apud Mutinenses fuit. In Charta Capituli Canonicorum Mutinensium pergamenam legi, in prima linea corrosam, è qua tamen hæc pauca satis futura nobis expressi ...... *Magno Imperatore ...... Bernard ....... extellentissimis Regibus hic in Italia Anni pietatis Regni eorum in Dei nomine Tertio, & Quarto, die X. Mensis Aprilis, Indictione IX.* (hoc est Anno DCCCXVI.) *Placuit adque convinet inter Domno Deusdedit gratia Dei Episcopus Sancte Ecclesie Motinensis* &c. Altera præfert easdem Notas, quippe scripta *Regnante Domno nostro Bernardus viro excellentissimo Rege, Regni ejus in Dei nomine hic in Italia Quarto, VI. Kalendas Martii, Indictione IX.* idest eodem Anno DCCCXVI. Tertia exarata fuit *Anno Quinto Ludovici Imperatoris, & Quarto Bernardi Regis, III. Nonas Decembris, Indictione X.* hoc est eodem Anno DCCCXVI. Dixi autem, Chartam Lucensem mihi supra memoratam & scriptam *Anno Regni Bernardi Sexto, Mense Octobri, Indictione XI.* spectare ad Annum DCCCXVII. quum apud Lucenses altera Charta ejusdem Bernardi tempore exarata indicet, Indictionem novam decurrere cœpisse Septembri Mense, quum ibi notæ istæ legantur: *Anno Primo Ludovici Imperatoris, & Tertio Bernardi Regis Langobardorum, Octobri Mense, Indictione Octava*: quæ quidem nobis produnt Annum DCCCXIV. Alia tamen oritur difficultas: hoc est, si *Annus Sextus* Bernardi Regis numerabatur Octobri Mense Anni DCCCXVII. ergo falsum erit, quod Pagius statuit, eum scilicet Anno DCCCXIII. renuntiatum fuisse Italiæ Regem; quum tamen id Eginhardus ac Annales Francorum tradant. Nodum video, ac respondeo, à vero non abhorrere, Epocham illam inchoandam esse ab Octobri Mense Anni DCCCXII. quum Chartæ hactenus memoratæ ab hisce calculis minime dis-


dissentiant. Et ipso quidem Eginhardo teste, eodem Anno DCCCXII. cadente, Carolus Magnus *Bernhardum Nepotem suum in Italiam misit propter famam classis, quæ de Africa & Hispania ad vastandam Italiam venit*. Certe huc ille venerit ornatus potestate Regia, etsi nondum titulo Regis, quem aliquot postea menses est consequutus. Supra animadvertimus, Epocham Bernardi his verbis designatam fuisse: *postquam in Italiam reversus est*. Non frustra hæc addita. Quare, dum meliora doceat, fas mihi sit credere, initium Epochæ Bernardi Regis pertinere ad primos dies Octobris Anni Christi DCCCXII. Alii interea videant, quei Inscriptionem positam Mediolani præstare possint ab omni errore immunem. Nam, ut ut id eis bene cedat, quod est ad hactenus animadversa, altera adhuc difficultas superanda restabit. Videlicet quamquam Sigonius & Baronius scribant, signatam in ea Epigraphe *Indictionem Undecimam*, Calchus tamen *Indictionem Decimam* illic tantùm legit; atque ita pro rei veritate in marmore illo exculptum se vidisse testatur Puricellius in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ. Hoc est secundùm illam Inscriptionem Bernardus Rex Aprili mense *Anni DCCCXVII.* è vivis abierit. Atqui teste Eginhardo, testibus reliquis Francorum Annalibus, Bernardus dumtaxat post Pascha *Anni DCCCXVIII.* subsequenti *evulsis oculis* ob mœrorem vivere desiit. Ergo non video, quei sustineri possit Mediolanensis Inscriptio, nisi sententiam amplectamur Clarissimi Saxii Bibliothecæ Ambrosianæ Præfecti, qui in Notis ad Sigonium de Regno Italiæ pag. 271. quæstionem hanc versans, contendit, admittendas esse tres diversas Epochas Regni Bernardi, quarum ope sustineri possit laudata nuper Inscriptio. Quei vero Francici Scriptores ad Annum Ch. DCCCXVIII. referant Bernardi mortem Inscriptio verò ad *Indictionem Decimam*, quæ cum Anno dumtaxat DCCCXVII. conjuncta procedit, nescio an satis dilucide hactenus demonstratum fuerit. Quod certum est, miserrime diem suum Bernardus Italiæ Rex obiit, relicto post se *Pippino* filio. Sammarthani in Histor. Genealogic. Regiæ Familiæ Francicæ Lib. IV. Cap. XIII. in ancipiti reliquerunt, num è legitimo thoro, an extra matrimonium *Pippinus* iste Bernardo Regi natus fuerit. At nobis nulla dubitatio futura est legitimæ illius originis, postquam Clarifs. Mabillonius in Appendice ad Tom II. Annal. Benedictin. num. 58. Chartam Parmensem produxit, scriptam Anno Christi DCCCXXXV. in qua *Cunicunda relicta quondam Bernardi incliti Regis pro mercedem & remedium anime Seniori meo Bernardi, vel mea, seu filio meo Pippino*, Parthenonem fundat & ditat Sancti Alexandri Parmensis. Sed jam tamdem progrediamur.

*Scabinis* hactenus descriptis *Sculdascios* nunc adjungamus, quorum celebre pariter est nomen ac munus in Langobardorum Legibus, & in antiquis Chartis. Supra vidimus Placito Brixiano Anni DCCCLVI. non unum Sculdascium interfuisse. Nunc autem dicendum est, id hominum genus fuisse *Judices Pagorum*, *Judices Castellorum*. Nos appellamus Prætores Rurales. Germanica vox significat debitorum exactorem, teste Vossio. A Paulo Warnefridi Lib. VI. Cap. 24. de Gestis Langobardor. memoratur *Rector loci illius, quem Sculdahis linguâ propriâ dicunt*. Apud alios invenias *Scultahis*, *Sculdaiz*, *Sculdahis*, *Scultetus* &c. nomina varia, à Langobardis adhibita: quæ tamen idem sonant *Pedaneus Judex* appellatur *Sculdascius* in Glossis antiquis Codicis Estensis, ad significandum Sculdascios infra Comites fuisse, ac Judices, ut ajunt in prima instantia. Dixi rurales Judices, & inferiores Judicibus sive Comitibus. Liutprandus Rex in Lege VIII. Lib. IV. hæc habet: *Si homines de sub uno Judice, de duobus tamen Sculdais, causam habuerint, ille qui pulsat, vadat cum Misso, aut Epistola de suo Sculdascio ad illum alium Sculdaën, sub quo ipse est, cum quo caussam habet*. Ergo sub uno *Comite*, sive *Judice* erant plures Sculdascii. Nam ex subsequenti Lege Judices Civitatibus præfuisse dignoscuntur. *Si quis* ait idem Rex, *in alia caussam habuerit similiter vadat cum Misso aut Epistola de Judice suo ad Judicem, qui in loco est*. A Sculdasciis autem appellatio deferebatur ad *Judicem*, hoc est ad *Comitem*, in Legibus iisdem Langobardicis. Idem Liutprandus in Lege VII. Lib. IV. Sculdascios, qui *justitiam intra quatuor dies facere neglexerint*, duodecim Solidorum pœna multavit. Postea hæc subjunxit: *Si vero talis caussa fuerit, quòd ipse Sculdascius deliberare minime possit, dirigat ambas partes ad Judicem suum*, hoc est ad Præsidem Urbis, quem postea *Comitem* appellare consueverunt. Tria ergo Tribunalia saltem erant, ad quæ lites & caussæ dirimendæ deducebantur. Primo ad *Scabinos* in Civitatibus, aut ad *Sculdascios* in Castellis sive Pagis. Deinde ab his poterant deferri ad *Judicem* sive *Comitem* Civitatis. Tamdem hinc ad *Sacrum Palatium*, hoc est ad Curiam Regis, cui præerat *Comes Palatii*. Ad *Missos* etiam Regios à *Comitum* sententiâ appellabatur. Ratherius Veronensis Episcopus in Opuscul. cui titulus *Qualitatis conjectura*, hæc scribit: *Quærerem quoque, ut quod antecessores illius* (Imperatoris) *præceptis suis Ecclesiæ nostræ contulerunt vel firmaverunt, defendere nobis contra Comites, Vicecomites, Scoldascios* dignaretur. Clarissimus Dacherius, cui editionem Operum Ratherii in Spicilegio debemus, vitiatam arbitratus est eam vocem *Scoldascios*, conjiciens, ibi legendum esse *Soldarios*. Uti jam nemo non videt, nullus emendationi locus erat, rectissime quippe se habet vox illa. Quum ergo ad Sculdascios quoque justitiæ & fori cura spectaret, hinc est quod Pippinus Italiæ Rex in Lege VIII. inter Langobardicas eos pœnis propositis ad suum munus implendum solicitat, volens ut *Populus justitiam suscipiat tam à Comitibus suis, quàm etiam à Gastaldiis, seu Sculdasciis, vel loci Præpositis*. Infra addit: *Et si Gastaldius, aut Sculdais, vel loci Præpositus de qualibet Judiciaria tam ad suos Pagenses, quàm ad alios, qui justitiam quæsierint, non fecerit, componat, sicut Lex ipsorum est*. Heic *Pagenses* pro Pagi incolis seu districtualibus accipio. *Paesani* nunc appellamus. Animadverteris voces illas *de qualibet Judiciaria*. Ejusmodi vocabulo totus ille ager designabatur, in quam se se extendebat jus & auctoritas *Sculdascii*. Id etiam infra constabit ex Lege XV. Lib. V. Liutprandi Regis. Neque tantum *Judiciaria* appellatum est territorium curæ Sculdascii commissum, sed etiam *Sculdascia*. Certos rei nos faciet Diploma, quod sæpe laudati Monachi Montis Oliveti Veronæ in Cœnobio Sanctæ Mariæ ad Organum adservant.

Do-

## Donatio prati, facta à Berengario I. Augusto Johanni Episcopo, ut videtur, Cremonensi, Cancellario suo, Anno 918.

IN *nomine Domini Dei æterni*. Berengarius *divina favente clementia* Imperator Augustus. *Noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque præsentium scilicet ac futurorum industria*, Grimaldum gloriosum Comitem, *&* Odelricum inclitum Marchionem, *karissimos fideles nostros, humiliter nostram adiisse clementiam, quatenus quoddam pratum juris Imperii nostri pertinens de Comitatu Veronensi*, de Sculdascia *videlicet*, que Fluvium dicitur, Johanni *venerabili* Episcopo, *&* *fidelissimo* Cancellario nostro, *proprietario nomine concedere dignaremur, sicut hic inferius mensure & coherentie juste & legaliter manifestant. Cui ab uno capite jura Monasterii Sancte Marie adjacent, ab alio latere plures homines habent, alio capite Ecclesia Sancti Justi posidet, ab altero latere decurrit Rivus, qui Altanellus vocatur. Abet ipsum pratum in longitudine perticas legitimas nonaginta octo, pedes legitimos sex, ab alio latere in longitudine perticas legitimas nonaginta quatuor; ab uno capite ex transversum perticas legitimas quinquaginta & unam, ab alio capite perticas legitimas duas. Quorum precibus acclinati predictum pratum de prenominato Comitatu, &* Sculdascia Fluvio *pertinens, sicut hic superius coherentie & mensure declarant, & ad nostrum Regnum usque ad hos dies pertinuit, Johanni venerabili Episcopo & Cancellario nostro jure perpetuo per hoc nostrum Imperiale Preceptum concedimus & largimur, ac de nostro jure & dominio in ejus jus & dominium omnino transfundimus ac delegamus, ad habendum, tenendum, vendendum, commutandum, alienandum, pro anima judicandum, & quicquid voluert faciendum, totius potestatis contradictione remota. Si quis igitur &c.*

*Siguum Domni*  *Berengarii serenissimi Imperatoris.*

*Hermenfredus Domni Imperatoris Cancellarius ipsius Imperialis jussione recognovi & subscripsi.*

*Locus Sigilli cerei deperditi.*

*Data XV. Kalendas Januarii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXV. Domni verò Berengarii serenissimi Regis XXVIII. Imperii autem sui III. Indictione VI.*

*Actum Veronæ in Christi nomine feliciter. Amen.*

Privilegium hoc à me inspectum & contrectatum Notas omnes archetypi præferre mihi visum est, nisi quod Sigillum ibi desiderabatur, scissurâ tantum pergamenæ apparente, in quam figi & firmari cera Sigilli consuevit. Nihilo tamen secius non uno vitio Notas Chronologicas Diplomatis hujus laborare è vestigio intellexi. Fieri non potuit, ut *Anno DCCCCXV.* decurreret *Annus III. Imperii* Berengarii. Illic scribendum potius fuit *Anno DCCCCXVIII.* quo revera in cursu erat *Annus Tertii Imperii*, & quocum *Indictio VI.* convenire potuit. Verùm ubi hanc emendationem adhibeas, altera discordia insurgit. Nempe *Annus XXVIII. Regni* concors quidem est cum *Anno DCCCCXV.* non autem cum *Anno DCCCCXVIII.* Accedit quod quum *Indictio VI.* cadat in Decembrem, atque in aliis Berengarii I. Privilegiis Indictio nova Septembri mense fluere, inceperit, heic potius illa referenda est ad *Annum DCCCCXVII.* quàm ad *DCCCCXVIII.* quod restituendum videbatur. Itaque aut ad imitationem autographi serò descriptum fuerit Diploma hoc, sed non satis bene perspectis Notis archetypi, ut in Disertat. XXXIV. *de Diplomat.* monebo, aut de ipsius Privilegii legitima origine dubitandum est. Ex ejus tamen contextu nihil fraudis colligitur, & monumentum antiquitate minime caret. Interea heic se nobis obtulit *Sculdascia, que Fluvium dicitur*, sita in *Comitatu Veronensi*. Situm loci eruditis Veronensibus designandum relinquo. *Sculdasciam* quoque *Bellunii* exhibet nobis alterum Berengarii Diploma apud Ughellium Tomo V. Italiæ Sacræ in Catalog. Episcoporum Bellunensium. Sed satis de Sculdasciis. Sub iis olim fuere *Decani* atque *Saltarii*: quod ex Lege XV. Lib. V. Liutprandi intelligimus. Ibi hæc statuuntur: *De Servo fugace & advena homine, si in alia Judiciaria inventus fuerit, tunc Decanus, aut Saltarius, qui in loco ordinatus fuerit, comprehendere eum debeat, & ad Sculdasium suum perducat. Et ipse Sculdasius Judici suo consignet*. Hic ergo Præsidum ordo fuit. Primo *Judex*, hoc est Civitati Præfectus, quem postea Franci appellare *Comitem* in more habuerunt. Deinde *Sculdascii* præfecti Castellis seu Pagis Comitatus. Tum *Decani* & *Saltarii* sub Sculdasciis. Subjungo alteram Liutprandi Legem, trigesimam scilicet Libri Sexti, ubi hæc verba: *Si quis Judex, aut Sculdais, aut Saltarius, vel Decanus, de loco, ubi Ariolæ fuerint, neglexerit amodo intra tres menses eos inquirere & invenire, componat unusquisque de loco suo medietatem pretii sui.* Quid ergo fuit altera hæc Magistratuum species? Ad *Saltarios* quod attinet, eorum nomen officium quoque designare videtur. Nempe Saltuum sive Silvarum ac nemorum custodes primo fuere; tum eorum cura ad custodiam finium Villæ aut Pagi propagata est. In Chronico Fontanellensi Cap. I. memoratur *Teugislus Custos saltuum*, Villarumque Regalium. Ita *Massarios* Villarum in Mutinensi, aliisque Comitatibus, constitu-

ſtitutos nunc videmus. Apud Ferrarienſes erant, & adhuc ſunt, in uſu *Cavarzellani Villarum* præter Maſſarios: eorumque multa eſt mentio in Statutis illius Civitatis præcipue antiquis. Rubricam profero è Libro II. Statuti MSti Anno MCCLXIV. concinnati: *Statuimus, quod Maſſarii contractum, & Cavarzellani Villarum teneantur & debeant recipere in eorum cuſtodiam bona, quæ fuerunt ſequeſtrata, aut intromiſſa* &c. Item in Lib. I. *Quod ſi Maſſarii Contratæ, ſeu Cavargellani Villæ vel Burgi, in qua reperietur perſona bannita, ipſam non denuntiaverit Domino Marchioni, condemnetur Maſſarius Contratæ in CCC. Libris, & Cavarzellani Ville in CC. Libris Ferrarienſium*. Apud eosdem Ferrarienſes adhuc uſitati ſunt *Saltarii*, non tamen publicæ, ſed privatæ perſonæ, atque hæ quidem humillimæ conditionis, cuſtodes nempe agris Magnatum præfecti. Olim tamen Magiſtratus etiam publici ibi fuiſſe videntur, quum in Lib. II. Rubrica CV. ejusdem Statuti Ferrarienſis legatur: *Item ſtatuimus, quod homines habitantes extra Civitatem Ferrariæ, & qui ſunt in cuſtodia Saltariorum Civitatis Ferrariæ, dividantur per contratas* &c. Itaque *Saltarios* antiquitus fuiſſe opinor, qui cum jurisdictione aliqua præeſſent cuſtodiæ agrorum & finium in ſingulis Villis ſeu Pagis. *Guarda-campagne* nunc appellaremus, ſive Maſſarios à Principe, aut à Populo cujuſcumque Pagi conſtitutos. Neque contemnenda erat eorum auctoritas, quum in Lege XXIX. Lib. VI. Liutprandi Regis poſt *Judices*, ſeu Comites, & *Sculdaſcios*, *Saltarii* quoque honore & privilegio donandi dicantur, *quando in exercitum ambulare neceſſe fuerit*. Occurrunt & apud Romanos in antiquis lapidibus *Saltuarii*, agrorum videlicet & Saltuum cuſtodes. Eorum quoque mentio eſt in l. 16. ff. *de uſu & habitatione*. Erant & *Silvani*, quibus præcipue demandabatur cura & cuſtodia Silvarum ad Regem ſpectantium (*Gajum*, & *Gagium* quoque olim appellabatur *Silva Regis*); tunc enim longe amplius quam noſtris temporibus Italia ac Germania nemoribus ac Silvis abundabant, uti infra oſtendam in Diſſertat. XXI. *de antiquo Italiæ ſtatu*. Diverſos eos à *Saltariis* fuiſſe puto, eorumque nomen adhuc in aliquibus Italiæ locis perdurat. *Sylvarios*, non autem *Silvanos* memorat Du-Cangius in Gloſſario. At eorum mentionem certam habeo in Decreto magni faciendo Rachiſii Langobardorum Regis, cujus antiquiſſimum apographum, ſemilacerum tamen, vidi in Tabulario celeberrimi Monaſterii Sancti Columbani Bobienſis. Ibi quoque eorum temporum ritum animadvertes, deſignandi, ſcilicet fines agrorum aut Crucibus, aut Clavis in arbore confixis.

## Decretum Rachiſii Langobardorum Regis, per quod fines decernit aliquot prædiorum ad Monaſterium Bobienſe ſpectantium, Anno 747.

FLavius Rachis viro excellentiſſimo Rege *Monaſterio beatiſſimi* . . . . . . . . *Petri, & Chriſti Confeſſoris Columbani, ſito in Bobio, & venerabili viro Anaſtaſio* . . . . . . *congregationi ipſius Monaſterii. Manifeſtum eſt, quod ante hos annos tempore* . . . . . . . Domni Liutprandi Regis *vobis ſubtractum eſt in aliquod fine noſtro turi* . . . . . *per* Hilpranda *in ſupraſcriptum Cænubium relaxatum eſt, & in aliquo in ipſo* . . . . . . . *a* Medianenſi *in loco, qui dicitur Nocicla. Ideo accedentes inibi Miſſi noſtri* . . . . . . . . *cum Giſilpert* Waldeman *inquirentes per* Silvanos noſtros, *ideſt* Otonem & Rach . . . . . *veritatem, & renovantes ſigna & Cruces cum Clavos ferreos adfigentes ſimul, & ti* . . . . ., *ipſos Medianenſes: ideſt prima Cruce in ripa de fluvio Nure in Fao, deinde in ſe* . . . . . . *qui ſtat in vrato uſque in terminum, qui inibi fixum eſt a Nocicla, & deinde uſque in aliu* . . . . . . . *ſemitam, quod fixerunt* Rachis & Oto Silvani *in preſentia ipſius Gumpert; deinde per* . . . . . . *in via publica, & per ipſam viam aſcendente* in fuſo: *deinde ex tranſverſum deſcendente in* . . . . . . . . *Gambaro, & Molino ipſorum; & deinde iterum aſcendente ipſa fine uſque in Cruce, que fixerunt in* . . . . . . . *rano ſupraſcripti* Silvani noſtri Oto, Rachis, & Paſcaſius *in via publica inter fine Turio & Alpe noſtra Carebalo per juſſionem de ipſis Miſſis noſtris; & iterum de alio latere per fluvium ipſum Nure aſcendente per aquam & loca deſignata inter duas mojolaſcas exeunte ad Lacoraria & capanna Gajaria uſque in Faa ſignato & fine iſta, & qualiter ſuperius legitur, Silvani noſtri, ideſt Oto & Rachis, per Evangelia firmaverunt in ſupraſcriptorum preſentia. Unde inquiſitio per ſupraſcriptos Miſſos, ideſt Gumpert, Giſilpert, atque Gaideris Notarium facta eſt. Propterea ſperaſtis ab excell. Regni noſtri, quatinus hæc omnia ſuperius dicta, qualiter fine deliberata eſt, adſignata vobis per noſtrum Præceptum judicata firmare deberemus. Nos vero ob Dei intuitu hec Serenitatis noſtræ Præceptum vobis emitti præcepimus, firmantes in vos omnia, qualiter ſuperius legitur, aut qualiter ipſi Miſſi noſtri inquiſierunt, & ſigna ponere fecerunt: quatinus ab odierna die ſecuri poſſideatis. Et nullus Dux, Comes, Gaſtaldius, vel Accionarius noſter, contra hunc noſtrum Judicati & firmitatis munimen audeat ire in quandoque, ſed omni in tempore firmum permaneat.*

*Ex dicto Domni Regis per Siſinnium Notarium ſcripſi ego Gauſpert.*

*Datum in Curte Carbonaria, V. die menſis Auguſti, Anno feliciſſimi Regis noſtri Tertio decimo, Indictione XV.*

Qui vetuſtum autographum deſcripſit, notas Chronologicas ex oſcitantia vitiavit, ſcribens: *Anno feliciſſimi Regis* (pro *Regni*) *noſtri Tertio decimo, Indictione XV.* Non *Tertio decimo*, ſed tantùm *Tertio* primigenia membrana prætulerit. Et revera Anno DCCXLVII. decurrebat *Annus III.* Rachiſii, ut ex aliis ejus Chartis didici, & recte ſtatuit Pagius in Critic. Baron. Anno DCCXLIV. Piſtorii Chartam vidi ſcriptam *die VIII. Septembrio, Regnante Domno Rachis vir excellentiſſimus Regem, Anno Quarto per Indictione II.* hoc eſt Anno Chriſti DCCXLVIII. inchoatâ, ut credere juvat, Indictione novâ eo ipſo menſe. Ad eumdem Annum DCCXLVIII. ſpectat altera in Archivo Monaſterii Mediolanenſis Ambroſiani, quam ſcriptam inſpexi *Regnante Dom-*

*Domno nostro Ratchis viro excellentissimo Rege, Anno Quarto sub die V. Iduum Aprilis, Indictione Prima*. Præterea duas similes Chartas sub eadem *Indictione I. & Anno IV.* mense Augusto exaratas legi in Archivo Lucensis Archiepiscopii; uti & alteram signatam *Regnante Domno nostro Ratchis vir excellentissimo Rege, Anno Regni ejus Tertio, mense Octobrio, Indictione Quintadecima*. Aliam quoque vidi scriptam *Regnante Domno nostro Ratchis Rege, Anno Tertio, in medio mense Decembriu, per Indictione Quintadecima*. Alia se se mihi obtulit inscripta *Regnante Domno nostro Ratchis Rege Anno Regni ejus Tertio, sub die VIII. Kalendas Magias, per Indictione Quintadecima*: hoc est Anno DCCXLVII. quo ipso Anno emissum profectò fuit Bobiense Diploma nuper editum, ubi de *Silvanis Regiis* mentio occurrit. Ex his autem minime mutata videtur tunc apud Lucenses Indictio Septembri mense. Sed quid de *Decanis* supra non semel memoratis dicendum? Iis addo etiam *Centenarios*, quorum munus itidem familiare olim fuit. Du-Cangius in Glossario Latino *Decanos* à Græcis appellatos ostendit, *qui decem militibus præessent*. Decuriones apud Latinos ii dicebantur. *Centenarios* verò, qui centuriæ militum Præfecti erant. Tum addit, apposite ad rem nostram, utrumque hominum genus sub Langobardis & Francis fuisse *Judices minores*. Hoc est, *Decani* per Decanias, sive decem familiis jus dicebant: *Centenarii* verò per Centurias, sive centum familiis. Animadverterunt eruditi Viri, ab Eccardo quoque laudati in Notis ad Legem Salicam, quod Walafridus Strabo in Tractat. de Reb. Ecclesiæ Cap. 31. habet. *Decuriones, vel Decani, qui sub ipsis Vicariis* (Pagorum) *quædam minora judicia exercent, minoribus Presbyteris titulorum possunt comparari*: hoc est, Presbyteris, qui alicui Oratorio, sive Ecclesiæ non Baptismali præerant. *Centenarii*, inquit idem Walafridus, *qui & Centuriones* (legunt alii *Centenariones*) *& Vicarii, qui per Pagos statuti sunt, Presbyteris Plebium*, (nobis Piovani) *qui baptismales Ecclesias tenent, & minoribus Presbyteris præsunt, conferri queunt*. Quibus ex verbis inferri posse videtur, Populum in agro, sive in Castellis ac Pagis habitantem, divisum olim fuisse in *Centenas*, sive *Centurias* familiarum; has autem rursus divisas in *Decenas*, sive *Decurias*, aut *Decanias*. Illis Centenarii, istis Decani præerant; utrique jus Populo suo in minoribus caussis dicebant. Hæc quoque sententia est Wendelini in Notis ad Legem Salicam, immo & Johannis Jacobi Chiffletii in Glossario Salico, qui hæc fusius illustravit. Quod enim Spelmannus, eumque sequuti scribunt, *Centenam* Pagum, seu regionem fuisse, quæ centum Vicis, seu Villis constabat; *Centenarium* verò, qui ejusmodi Centenæ præfectus erat, durum mihi videtur. In Vita Sancti Hugonis Rotomagensis, Ludovico Pio imperante scriptâ, invenio *in Pago Osismensi Centenam Alancionensem, & Centenam Sagiensem*. Quod certum puto, à Decanis ad Centenarios appellabatur: ab his ad Comitem, sive Judicem Civitati Præfectum. In formulis Bignonianis mansus venumdatur *in Pago illo in Centena illa*. Pagus multa Castella, ac Villas complectebatur. Centena Villas aliquot complexa videtur. In formulis verò ab Eccardo editis legitur in *Comitia illa, in Centuria illa, pro Centena*. Et ab ipsis quidem Cornelii Taciti temporibus ritum hunc observasse Germani videntur. *Eliguntur*, ita ille scribit in Lib. de Morib. Germanor. *in iisdem conciliis & principes, qui jura per Pagos, Vicosque reddunt. Centeni singulis ex Plebe comites, consilium simul & auctoritas adsunt*. Centeni isti comites è Plebe, Judicibus iis assessores dati, ægre à me fidem impetrant, ita ut de integritate textus quasi dubitem. Hæc autem à Lipsio illustrantur priscæ Alamannorum Legis verbis: *Conventus autem fiat in omni Centena, coram Comite, aut suo Misso, & coram Centenario ipsum Placitum fiat. De Centenis*, hoc est de Centum, ut multi putant, familiarum corpore in Pagis multa habet Du-Cangius. Primus autem, qui regionem Civitati subjectam in Centenas & Decanias divisisse creditur, fuit Chlotharius II. Rex Francorum circiter Annum Ch. DXCV. Vide Capitularia Baluzii. Ita & corpus Decem familiarum *Decena* appellata creditur, & locus, in quo istæ habitabant, *Decania*. Præsto mihi est ad ministrandam heic lucem aliquam Charta vetustissima, quæ authentica adservatur in Tabulario Canonicorum Mutinensium, unde eam descripsi.

## Charta emphyteusis seu locationis quarumdam terrarum facta à Deusdedit Episcopo Mutinensi Dominico Montanario libero homini, Anno 813.

*In nomine Domini. Regnante* Domno Karolo & Bernardo, *viris excellentissimis* Regibus in Italia, *Anno pietatis Regni eorum in Dei nomine Quadragesimo & Primo, die X. Mense Augusto, Indictione Sexta. Placuit adque cunvenit inter* Domnus Deusdedit Episcopo *sancte* Motine Eclesie, *set etiam & inter Dominico Montanario libero homine, ut in Dei nomine ego qui supra Dominico, seo filiis meis, resedere & laborare debeamus in terra vel casa Sancti Vincentii, loco qui dicitur Colegaria in medietate de omnes res illas, quas ante hos dies per livello* de quondam Marino Episcopo *ad manutenere visus fui, & ipsas res obvinet in suprascripte Ecclesie Sancti Vincentii de Ursune & Marione & da Miniano & da Marine, nec non & Ermoaldo filiis quondam Dominici: & subtus Strada ad modia duodice. In* Decania *quondam* Rusticiani, *quod in casa Sancti Vincentii obvinet de Teodeperto & Rodeni de Campolongo, & in suprascripta Colegaria. In* Decania Gausperti *modia duo, sextaria sex. In* Decania Lupuni *modia duo terrola seminature. In* Decania Lumper *modia treu terrola seminature. In* Decania *quondam* Rusticiani *modia duo terrola seminature. Et in* Decania *suprascripti* Lupuni *modia quatuor terrola seminature. Et in suprascripta* Decania Gausperti *modia duo, semodio uno terrola seminature. In* Decania Staveli *semodia treu terrola seminature. Quod ego ipse Dominico in casa Sancti Vincentii emisi. Set ut diximus, hec omnia suprascrip-*

*scriptas res medietatem habeamus. In eo vero tinore, ut supra ipsas res resedere & laborare, seo casas & canales edificare, vinea pastenandum, propaginandum, & in omnibus meliorandi usque ad annis venientibus viginti & nove. Et exinde per omnem anno circoli, & per tempus tributum persolvere debeamus vobis Deusdedit Episcopo, vel ad successores vestros, & omni genere, grano modia quarto, milica, panico, milio modia quincto, lino manna quart, vino anfora tertia, exenias vero per omnem anno. In festa Sancti Petri berbice uno, valiente tremisse medio: pullo par uno: ovas dece; operas vero per omnem anno octo, quatuor cum boves, & quatuor manualis ad anona domnica. Et vestrum omnem redditum & operas, vel exenias ad casa Sancti Vincentii facere, & consignare debeamus vobis, vel ad Missis vestris, & Misso Domni super area. Et canales suscipere debeamus cum omni onore. Prado abeatis licentia ad modia duo. Et si hec omnia non conpleverimus, qualiter superius legitur, licentia sit vobis Deusdedit Episcopo, vel vestros successores, per vos ipsis, vel vestris Missis distringere & pignerare debeatis. Pena vero ambas partis inter nos posuimus, ut quisquas pars tam vos, quam successoribus, aut heredibus nostris ante suprascriptis annis viginti & nove de ipsa terrola vel casa foris exire, aut menare volueritis, nec lem, aut fraudem fecerimus, aut aliqua super positione facere quesierimus, & non conpleverimus hec omnia, sicut superius legitur, tunc conponat pars partis, cui culpa inventa fuerit, pene nomine in argento solidos treginta. Et post pena conposita hos livello in sua permaneat firmitate. Unde duos livello conventione uno tinore conscripti sunt.*

*Acto Motina feliciter.*

*Signum ✠ manus Dominici Montanarii, qui hunc livellum fieri rogavit.*

*Signum ✠ manus Gaidaldi de Sorba de Vico de Colecaria, exercitalis, teste.*

*Signum ✠ manus Hingeperto filio Giseperti de Colecaria, exercitalis, teste.*

*Signum ✠ manus Sigeperti de Vico Colecaria, exercitalis, teste.*

*✠ Ego Ratpertus Presbiter & Notarius sancte Motinensis Ecclesie, scriptor istius Cartule livelli conventione, quam post tradita complevit & dedit.*

Hic Episcopus, cui *Deusdedit* nomen fuit, idem est ac qui à Sillingardo & Ughellio appellatur *Adeodatus*. Ab iisdem editum est Diploma Ludovici Pii, sed prætermisso ejus nomine, quod tamen in autographo legitur: nempe *vir venerabilis Deusdedit Ecclesie Mutinensis Episcopus*. In calce hæc etiam ita sunt restituenda: *Durandus Diaconus ad vicem Fridugisi recognovi. Data VI. Idus Februarias, Anno Christo propitio IX. Imperii Domni Hluduvici piissimi Augusti, Indictione XV.* Memoratum in Charta hac videas *quondam Marinum Episcopum*. Et hic fuisse videtur Episcopus Mutinensis, cujus nulla alia mentio est in Chartis, neque apud eosdem Scriptores. Atque hinc etiam habes, *Bernardum Italiæ Regem* fuisse renuntiatum aut hoc Anno DCCCXIII. aut proxime præcedenti, post diem X. Augusti: qua de re supra mihi sermo fuit. Animadverte insuper verba illa: *nec Lem aut fraudem fecerimus*. Du-Cangius è Charta Bavarica ad vocem *Arata* deduxit vim hujus vocis, quum ibi scriptum sit: *perpetuam læsionem, quæ vulgo Lem dicitur, non inserant*. Sed in Charta Mutinensi supra *Lem* linea ducitur, ita ut vox illa completa minime videatur, & *Læsionem* breviatam complecti. Quod nostrum est, plures *Decanias* heic recensitas intuemur. Omnes autem fuisse videntur *in loco Colegaria*, nunc *Colegara*, & vulgo *Colgara*. Tunc autem Colegaria fuerit oportet Pagus major, sub quo *Decaniæ* sex vel plures numerarentur. Ceterum adhuc in agro Mutinensi, Ferrariensi, & Mantuano superest multis in locis vocabulum *Degagna*, quod nonnulli in *Tegagna* immutarunt. Numquid è nomine *Decaniæ* istud profectum fuit?

Equidem nullus dubito, quin hasce Populi rustici divisiones antiqui Principes invexerint, uti & Mutinensi in Urbe olim factum fuit de *Cinquantinis*. In eam tamen sententiam inclino, idem olim fuisse *Centenarios* atque *Sculdascios* supra memoratos, & sub hisce diversis nominibus eosdem Magistratus fuisse designatos. Ii scilicet *Sculdascii* plerumque vocabantur à Langobardis, qui *Centenarii* sæpius appellabantur à Francis. Nusquam enim reperio ambo hæc nomina adhibita simul, perinde quasi officia diversa. Diximus, *Sculdascios*, præfectos fuisse majoribus Pagis, sive Castellis aut Oppidis. *Decani* fortasse præfuerint locis minoribus, hoc est Villis. Sculdascii, ut opinor, *Centenarii* appellati, non quod centum dumtaxat familiis redderent jura, sed quod jus haberent in Pagum & agrum, centum saltem familiis habitatum; uti & *Decani* appellati, quod præessent Villæ, quæ saltem ex decem familiis constaret. In Chronico Fontanellensi legitur *Villa sita in Pago Oximensi, in Centena Noviacense, in Centena Alancionense*, hoc est in districtu & territorio Centenariorum eorumdem locorum. In militia Decuriam aut Centuriam statuere facillimum est, Non ita in Pagis, quæ modò plus modò minus incolarum continent. Ad hæc supra vidimus, Walafridum Strabonem æquasse *Centenariis* Presbyteros Plebibus præfectos, *Decanis* Presbyteros minores. Reliqua apud eum si legas, nullum alium inter *Comites* & *Centenarios* interpositum Magistratum invenies. Quid ergo factum fuisset de *Sculdasciis*, quibus post Comites locum fuisse supra ostendimus? Atque heic mihi commemoranda est Charta Lucensis Anno DCCXLVI. scripta, quam proferam in Dissertat. LXXIV. *de Parochiis*. Ibi Lucerius Presbyter fatetur, se à Walprando Episcopo præfectum fuisse *Ecclesiæ Sancti Petri in loco Mosciano*: atque inter cetera ait: *& in omnem vis Ecclesie cunfirmasti cum consenso Ratperti & Barbula Centinariis, vel de tota Plevem congrecata me in ipsa sancta Dei Ecclesia*. Hinc habes, præfuisse Plebi Moscianensi non unum, sed duos Centenarios Laicos, videlicet loci, ut ita dicam, Prætores, adeo ut quodammodo appareat, Plebem illam in duas Centenas fuisse divisam. Scilicet Plebs non unam Villam complectebatur, ac propterea à duobus Centenariis, seu Vicariis, sive Prætoribus minoribus regebatur. Fuerunt aliquando & duo Comites in una Urbe, ut alibi ostendi. Quod extra dubitationem est, Centenarii Populo suo jus dicebant, ac placita celebrabant, non secus atque Sculdascii. Carolus Magnus in Lege XXXVI. Langobard. *Ut nullus homo in Placito Centenarii neque ad mortem, neque ad libertatem suam amittendam, aut res reddendas, vel mancipia judicetur. Sed ea omnia in præsentia Comitum, vel Missorum nostrorum*

judi-

judicentur. En quæ caussæ Centenariorum auctoritatem excederent, & Comiti aut Misso Regio dirimendæ servarentur. Memorantur etiam in Lege XLI. Ludovici Pii *Placita, quæ Centenarii tenent*. In subsequentibus ejusdem Augusti Legibus statuitur, *ut Vicarii & Centenarii, qui furones vel latrones celaverint, judicentur. Ut Comites, Vicarii, & Centenarii de constitutione Legis ammoneantur, qua jubetur, ut propter justitiam pervertendam munera nullus accipiat*. *Vicarii*, ut supra opinabar in Dissertat. VIII. *de Comitib.* fuisse videntur *Vicecomites* Rurales. *Centenarii*, ut hinc etiam colligere possumus, iidem ac *Sculdascii*, Prætores scilicet Pagorum, sive Castellorum. Edicitur etiam in Lege CLXV. Caroli Magni, ut incantatores *nullatenus per aliqua præmia à Comitibus, vel Centenariis absque districta examinatione remittantur*. Vide & ejusdem Augusti Leges LV. & LXXII. ubi *Centenarii* quidem memorantur, non autem *Sculdascii*, qui tamen certe omittendi non erant, si à Centenariis diversi fuissent, quum & ipsi Pagis & Castellis præessent, ac Placita haberent. Addo Legem LX. Lotharii I. *Volumus, ut Comites nostri licentiam habeant inquisitionem facere de Vicariis* (idest *Vicecomitibus* Ruralibus, qui ad Pagos à Comite mittebantur interdum, cognituri, num recte à Centenariis justitia ministraretur) *& Centenariis, qui magis propter cupiditatem, quàm propter justitiam faciendam sæpissime Placita tenent, & exinde Populum affligunt minorem*. Neque secus egisse in suis Villis *Decanos*, nos docet Hincmarus Epistolâ IV. scribens: *Comites, & Vicarii, vel etiam Decani plurima Placita constituant*: Attamen hic Scriptor tum heic, tum loco supra laudato *Vicariorum* nomine significare videtur ipsos *Centenarios*, qui vices Comitis gerebant in Pagis. Quod ubi statuas, ita explicandæ erunt Leges supra memoratæ, agentes *de Vicariis* & *Centenariis*, ut illud *Et* loco *Aut* usurpatum fuerit: cujus rei exempla alibi complura habemus.

Venio ad *Gastaldios*, quos etiam *Castaldios* seu *Gastaldiones*, interdum veteres appellarunt. Quale fuerit sub Langobardis Regibus eorum munus, sine ullo negotio ex ipsis Legibus intelligimus. Scilicet Ministri, Procuratores, & Oeconomi Regis fuere, præfecti eorum Curtibus sive prædiis, Silvis, & aliis patrimonii, aut Fisci Regii reditibus. Liutprandus Rex in Lege VI. Lib. VI. hæc habet: *Si quis Gastaldius aut Actor Regis* (*Actor Publicus* est in Codice Estensi, quod idem significat) *Curtem Regiam habens ad gubernandum, & ex ipsa Curte alicui sine jussione Regis, casam tributariam vel terram, silveta, vel prata ausus fuerit donare* &c. *in duplum componat*. Paria discas è Lege CCCLXXVIII. Rotharis Regis, cujus hæc sunt verba: *Si quis Gastaldius, aut quislibet Actor Regis, post susceptas & commissas sibi ad gubernandum Curtes, aut casas Regias, aliquid per donationem ab alio quocumque factam conquisierit, sit illi stabile*, dum accedat Regis scientia & consensus. Ita & in Lege LXXIII. Lotharii I. *Concedimus Gastaldiis nostris, Curtes nostras providentibus &c.* Quibus ex verbis elucet, quid olim curæ Gastaldiorum commendaretur, ut propterea assentiri Vossio nequeam, scribenti Lib. 2. Cap. 8. de Vitiis Sermonis: *Gastaldius fuerit, qui Regi, vel Principi inservit in curandis hospitibus. Ac hujusmodi propria est significatio: ut idem fuerit ac Architriclinus vel Oeconomus, & in Palatio Occidentalis Imperatoris, jam ab Othonis Magni temporibus, Dapifer*. Hæc omnia nullo fundamento constant, immo sponte ruunt, collata cum Legibus supra memoratis. Neque inde nominis Etymologia deducenda est, unde Spelmannus, Amerbachius, & idem Vossius censuerunt; sed potius à *gestellen*, hoc est *præponere, constituere*, ut Eccardus opinatur in Notis ad Legem Salicam. Adhuc autem in aliquibus Italiæ locis & nomen & munus idem *Gastaldiorum* viget, non apud Principes, sed apud Magnates, qui Oeconomos suis prædiis præfectos appellant *Castaldi* & *Gastaldi*. Hi à Mutinensibus, aliisque Populis nunc *Fattori* nuncupantur. In multis Rotharis Legibus *Curtis Regiæ* mentio occurrit, ut in CLIII. CLIX. CLX. &c. eoque nomine Palatium Regium, & Fiscus Regius designatur, uti recte animadvertit Du-Changius in Glossario Latino. Atqui in ejusdem Regis Lege CCXXII. statutum videas, ut quoties consanguinei vindictam non sumant de femina libera nubente Servo, *tunc liceat Gastaldio Regis, aut Actori, aut Sculdascio, ipsam in Curtem Regis ducere, & intra pensiles ancillas constituere*. Hinc habes, non modicam Gastaldiis auctoritatem traditam, simulque Fiscalium rerum aliquam curam fuisse commissam. Sed parum hoc fuit. Jus etiam dicebant, & lites Populi dirimebant. Elucere id videtur è supra laudata Pippini Regis Italiæ Lege VIII. ubi Populus justitiam habere jubetur *tam à Comitibus suis, quàm etiam à Gastaldiis, seu Sculdasciis. Et si Gastaldius, aut Sculdais* &c. *non fecerit, mulctetur*. Proinde qui in Capitularibus Regum Francorum appellantur *Judices Villarum Regiarum*, sive *Provisores*, non alii fuere à *Gastaldiis*. Si quid tamen conjicere licet, non de omnibus caussis judicandi facultas eis data est, sed tantùm de litibus ad Fiscum & patrimonium sibi commendatum pertinentibus, uti adhuc præstatur à Camerariis, Quæstoribus, aliisve tum privatarum, tum sacrarum largitionum Comitibus, aliisve minoribus Fisci ministris. Alibi vidimus *Comites* minime ab onere militiæ fuisse immunes, immo eos in primis adactos ad deducendum Populum suum ad exercitum, quoties id aut tutela finium, aut expeditio aliqua poscebat. *Sculdascii* quoque & *Saltarii* idem præstitisse videntur in Lege XXIX. Lib. VI. Liutprandi Regis. Sed & *Gastaldios* convolasse illuc, & cohortibus suis præfuisse, hoc est, ut opinor, hominibus eductis è Curtibus Regiis, intelligere possumus ex Lege XXIV. Rotharis Regis, ubi hæc leguntur: *Si Gastaldius exercitalem suum contra rationem molestaverit, Dux eum solatiet*. Ludovicus quoque II. Imperator in Constitutione promotionis exercitus apud Camillum Peregrinium Tom. 2. pag. 264. Rer. Italicar. imperat, *ut nullum ab expeditione aut Comes, aut Gastald, vel ministri eorum excusatum habeant*. Audin *ministros eorum*? Ergo & sub *Gastaldiis* ministri minores fuere, quos supra invenimus appellatos *Actores Regis*. Langobardis quoque regnantibus exstitisse *Gastaldios Reginarum*, indicabit nobis antiquissima Charta, cujus apographum vidi (ex authentico desumtum & signatum coram Brixianis Judicibus Anno MCCXCIX.) in Tabulario eximii Monasterii sacrarum Virginum Sanctæ Juliæ Brixiæ. Nimirum suum quoque fuit patrimonium Uxoribus Regum, idest Curtes,

tes, Silvæ, Prædia, &c. Placitum Lucæ habitum *in Curte, quæ dicitur Reginæ*, produxi nuper in hac ipsa Dissertatione. Sed ibi Palatium, non Villam, indicari, res ipsa monet. Villas contra & Castella possedisse Reginæ atque Imperatrices in aliis hujus Operis Chartis deprehenduntur. En Brixianæ pergamenæ verba.

## Natalia filia Gisulfi Anselbergæ Abbatissæ Monasterii Brixiani Sanctæ Juliæ vendit portionem suam in Curte Alphiani, Anno 769.

R*Egnante* Domno Desiderio *&* Adelchis *viri excellentissimi* Reges, *Anno pietatis Regni eorum in Dei nomine Tertio decimo, & Undecimo, sub die IV. Kalendarum Aprilium, Indictione VII. Constat me Natalia filia Domni Gisulfi Roratoris & Conjux Adelberti, ipso tamen Adelberto jugale meo consentiente, & subter confirmante, nec non etiam & parentibus meis, sicut Edictus contenit, Aurichis, qui fuit* Gastaldus in Bergamo, *& Gisilbert, filius quondam Gisilini, in quorum presentia professa sum, seu & testium, qui & subter signa futuri sunt, nulla me violentia pati, sed bona & spontanea mea voluntate nullatenus cogentis, accepissem sicuti in presentia testium accepi à te* Anselperga *dicata Deo* Abbatissa Monasterii Domni Salvatoris *situm intra Civitatem Brixianam, & fundatum à* Domno Desiderio *piissimo* Rege, *& ab* Ansa *gloriosa* Regina genitoribus tuis, *per Missum tuum auri solidos nobis secentos, atque protestatos accoloratos nomero mille, finito precio, pro terra juris mei juges plus menus nomero centum viginti ad justam mensuram, quam habere visa sum in fundo Alphiano, qualiter usque nunc pro deinde ..... cum germanis & nepotibus suis in concambio ab Alelcis quondam jugale meo habuerint in integrum; seu & ipsa casa juris mei massaricias numero duas, que sunt posite in fundo Sualbo atque Perisico, habentes ambe insimul terram per mensuram justam juges quadraginta. Una ex ipsis casis regitur per Galoald liberum hominem, & alteram, que fuit recta per quondam Orsonem Massarium; atque pro portione ex familia mea, que mihi Legibus pertinere videntur, & pertineat de portione illa in fundo Alfiano. Unde cum suprascripto Monasterio tuo ante hos annos commutacionem feci, & predictam portionem ex familia in mea reservavi potestate, quando ipsam commutationem feci, & mihi ex jussione parentum à quondam Gisulfo genitore meo advenerunt, excepto Orsonem, Petrum, & Anselinda, que in mea reservo potestate. Que vero denique terra in suprascripto fundo Alphiano, sicut supra legitur, & casas massaritias duas in fundo Persico vel Sualcho, & predicta familia in integrum preter duo nomina, quod mihi superius reservavi cum omni jure, pertinentia, & accedentia sua in integrum ab hodierna die vobis, quorum supra Anselberga, vel Monasterio vestro vendo, trado, & mancepo, nulli alii venditas, donatas, alienatas, aut traditas, & ad res quia nihil michi in suprascripto fundo Alfiano, neque de rebus prenominatis, neque de familiis, preter ut supra Vesonem & Anselenda, meo juri aliquid reservare professa sum, neque de suprascriptis casis massarioiis me omnes exinde à presenti die surrexissent. Et si in suprascriptis duabus casis menus de quadraginta juges fuerint, debeam vobis illas supplere in quantum menus fuerint, in Vico Bolesingo in optimo loco. Quidem & spondeo ego qui supra Natalia vel mei heredes tibi prenominate Abbatisse Anselberge, vel successoribus in prefato Monasterio tuo duplas res sub estimatione &c.*

*Acto Tizco feliciter.*

*Signum manus Natalie, que hanc Cartulam vendicionis fieri rogavit.*

*Ego Adelpert ...... Domne Regine, in ac Cartula venditionis ad me, vel ad Conjuge mea Natalia facta, ad omnia suprascripta, & per mea largitate acta, testis & consentiens subscripsi.*

*Signa manus Arigis de Bergamo filius quondam Luponi &c.*

*Ego* Alperto Gastaldio Domne Regine *in anc Cartulam venditionis rogatus ad Natalia testes subscripsi, que ipsa me presente signum fecit.*

*Signum* Arioald Gastaldus Domni Regis, *qui nomen suum scripsit, filius bone memorie Arioaldi testis &c.*

*Ego Gonpert Notarius Regis huic Cartule &c.*

*Ego Martinus Clericus & Notarius Scriptor hujus Cartule, quam post tradita complevi & dedi.*

Habemus heic *Arioaldum Gastaldium Domni Regis*, ideft Desiderii, itemque *Alpertum Gastaldium Domnæ Reginæ*, ideft Ansæ ejus uxoris, genitorum videlicet Anselpergæ Abbatissæ. Dignitatem quoque *Gastaldiorum* id confirmare poterit, quod interdum præivisse Scabinis in antiquis Placitis reperiantur. Testis erit nobis hujusce ritus Charta, quam ex Archivo Archiepiscopii Lucensis depromsi, ubi illius autographum adservatur.

Judi-

# Judicatum Adelberti I. Tusciæ Ducis, & Ambrosii Episcopi Lucensis in Placito Lucæ habito, Anno 847.

IN *nomine Domini. Dum* Adelbertus *Inlustrissimo* Dux, *una cum* Ambrosio *venerabili* Episcopo *istius* Civitati Lucensi, *residentibus in Civitate Luca, Curte de dicte Docalis in judicio cum ipsis* Aron Gastaldio, *Ardo, Petro, Andreas, & Gherimundo Scabinis, ad relicorum hominum causas deliberandas: essentque nobiscum Cuniperto Vassu Domni Imperatoris,* Wichelmo, *Hildiperto, Teudimundo, Rodilando, Hildiprando, Sichiprando germanis, Aroghisi, Angalperto germanis, Fridiano Clerico, Toto, Cunrado, Gastaldulo, Albolfo, Gausprando, Adelperto, Adelghisi, & reliquos plures: veneruntque ante nos Andreas Advocatus Ecclesie Sancte Julie, que est Plebs baptismalis, sita loco Controne, necnon & Draco & Valperto germanis, altercationem inter se abendum, dicendum nobis Andreas Advocatus*: Suprascriptis Draco & Valperto germanis abere videtur injuste rebus & Ecclesiis Sancte Julie, & locus, sum Advocatus, que esse videtur in loco Filectulo prope loco Granariolo. Unde quero, ut de eis inter nos judicio. *Respondebant ipsis Draco & Valperto germanis*: Nescimus . . . . . de quod dicis. *Dictum hoc . . . . . . Andreas per nostrum judicium dedit* wadia: Sepius dictis germanis fecimus quod vero vadia essent parati aput locum; ostensio ipsa recipere abeo & remitto ad judicium ponendi; *exinde rationem posuerunt inter se fidejussores. Et statuimus inter eis constituto. Constituimus, quod iterum ante nos in judicio reversi. Dixit nobis ipse Andreas*: Ostensi huic Drachi & Valperti germanis antedict . . . . . . in loco Filectulo volo; ut ponantur hic ante vos rationem: Cartas habere videntur injuste. *Respondebant ipsis Draco & Valperto*: Abemus res ipsa, sed non in Curte, eo quod comparavimus eas da Flaiperto filio quondam Pini . . . . . . manibus habemus *&c.* fecimus vobis cartula ipsa relegi; *ubi inter reliqua contenebatur &c. Unde qualiter inter nos acta & deliverata est causam presentem notitia Judicati à parte suprascripte Ecclesie Sancte Julie. Et Petrum Clericum scribere admonuimus Anno Imperii Domni nostri Hlotharii magni Imperatoris, postquam in Italia ingressus est Vigesimo . . . . . . VII. Kalendas Julias Indictione X.*

*Signum manus Petri Scabino, qui ut supra interfuit.*

*Ego Andreas Judex & Scabinus interfui.*

*Ego Gerimundo Scabinu interfui &c.*

Sed præter œconomicum munus, quo Gastaldii consuevere frui, interdum etiam politicum regimen Civitatum ipsis commendatum reperimus, ita ut nomine quidem, sed minime re, à Comitibus distinguerentur. In Dissertat. LXXIV. *de Parochiis*, regnante Liutprando Rege, sæpe nominatum videbimus *Warnefridum Judicem Senæ*. At is in iisdem Chartis appellatur etiam *Gastaldius Senæ*. Ita apud Anastasium in Vita Zachariæ Romani Pontificis legimus, ab eodem Liutprando Rege missos fuisse obviam advenienti Papæ *Agiprandum Ducem Clusinum Nepotem suum, seu Tacipertum Castaldium in ejus obsequium, & Ramingum Castaldium Tuscanensem*. Quæ res non solùm prodit illustrem Gastaldiorum dignitatem, sed etiam significare videtur, *Gastaldii* titulo in quibusdam Civitatibus aut Oppidis nonnullos fuisse Rectores constitutos. Quod si quis contendat, in unaquaque Civitate præter *Comitem* fuisse etiam *Castaldium* ad colligendos Fisci reditus; ego, ejus opinione minime discussa, respondebo nihil obstare, quo minus interdum ambobus hisce muneribus unus fungeretur; idque præcipue animadverti posse in Beneventano Ducatu, ubi *Gastaldius* & *Comes* sub duobus diversis nominibus idem fuere. Auctor est Paullus Diaconus, Alzeconi Bulgarorum Duci, in Italiam multas adducenti copias, à Grimoaldo Langobardorum Duce tradita fuisse *ad habitandum* deserta quædam loca circa Beneventum, idest *Sepianum, Bovianum, & Iserniam, & alias cum suis territoriis Civitates; ipsumque Alzeconem, mutato dignitatis nomine, de Ducè Gastaldium vocari præcepit*. Multa sane, multumque *Dignitatis* Bulgaro illi concessa vides; nomen verò immutatum est, ne Beneventano Duci injuria aut incommodum crearetur, qui unus titulo *Ducis* vastissimo illi Ducatui tunc dominabatur, subjectumque sibi habiturus erat Bulgarum ipsum. Adeo verò in iis regionibus invaluit *Gastaldii* appellatio, Præfecturam Urbium aut Oppidorum significans, ut complura loca non alio titulo regerentur illic; & quod alibi *Comitatus* seu *Districtus* dicebatur, ibi *Gastaldatus* sive *Gastaldata* nuncuparentur. In Chronico Beneventani Monasterii Charta Sicardi Principis Beneventani commemorat *Judiciariam Petri Gastaldi nostri*. Ita in Charta divisionis Anno DCCCLI. celebratæ inter Siconulfum Salerni Principem, & Radelchim Principem Beneventi, Tomo II. Rer. Italicar. pag. 260. occurrunt *integra Gastaldata, seu Ministeria, Tarantum, Latinianum, Cusentia, Lucania, Salernum, Capua*, aliaque permulta. Eadem quoque non semel videas apud Leonem Marsicanum in Chronic. Casinens. uti & in Chronicis Vulturnensi & Farfensi, jam editis inter Italicarum Rerum Scriptores, ut alia omittam. Et quandoquidem *Comitum* munus non ita stabile olim fuit, ut auferri à Principe numquam posset (quod in Dissertat. VIII. *de Comitibus* animadverti) propterea iisdem Legibus ac fortunæ casibus obnoxium fuit *Gastaldiorum* ministerium. In Placito Lucensi obvium se nobis faciet Wichelmus quidam vivens, *olim Gastaldius*. Charta in Tabulario Archiepiscopii sæpe laudati ejusdem Urbis mihi visa, digna est, quæ luce donetur.

## Judicatum Ambrosii Episcopi Lucensis in controversia de Ecclesia Sancti Gregorii, sita in Piscia majori, Anno 844.

*Dum orta fuisset intentio, & diu protageretur litigium inter* Wichelmo olim Gastaldio *filio quondam Raghinarii, necnon & Aufrido Presbitero Rectorem atque custodem Ecclesie Sancti Salvatoris sita infra Civitate ista Lucense ante Ecclesiam Sancti Martini Domus Episcoporum, de Ecclesia Sancti Grecorii sita locus Piscia Majore, ubi dicitur Bobulo . . . . . de casis & omnibus rebus ad eadem Ecclesia pertinentes, quam ipse* Wichelmo *aliquotiens sibi, suisque juris habere contradicebatur; unde & ipse Aufridi . . . . . ostendentes monuminas duas una ex his qualiter Teutperto Presbitero & Rigniperto Clerico offeruerunt Domini & Salvatoris infra Civitate ista Lucense . . . . . . ante Ecclesiam Sancti Martini inter dicta Ecclesia Sancti Grecorii cum rebus suis: alia autem Cartula, quomodo Alaperto Presbitero contulit Ecclesia ipsa Sancti Grecorii cum casis & omnibus rebus ad ipsum Monasterium pertinentes eidem Ecclesie Domini Salvatoris; quadam die ipse Wichelmo simul & Aufrido Presbitero, una cum Teufrido Notario Advocato iisdem Ecclesie Sancti Salvatoris in judicio pariter unianimo conjuncti presentiam nostram* Ambrosio Episcopo *predicte* Civitatis Lucense . . . . . . *Riprando, Gottefrido, Grauso, Cuniperto Vassi Domni Imperatoris*, Ardo, Adelperto, & Petro Schabinis, Hieronimo Scabino Florentine Urbis, *adessentibus . . . . . . bisconi, Hildeperto, Ardimanno, Rodelando &c. & reliquos plures. Dum exu . . . . . . parte causam anhc relatam ac cognitam fuisset, & inter se utramque* Wichelmo *& Teufrido Advocato diversas mitt . . . hec & alia . . . . ipse* Wichelmo *professus est nobis dicens*: Portio illa de suprascripta Ecclesia Sancti Grecorii, & de casis & rebus ejus, qui fuit quondam Teutperti Presbiteri, ego non contendo, simul & de illa portio, quam quondam Alaperto Presbitero per Cartulam isdem Ecclesia Domini Salvatoris contulit duas exinde partis ego non contendo, nec contra pars eisdem Ecclesia Domini Salvatoris non contradico, sed magis eas reddere volo. *Tunc ipse* Wichelmo *per fustem de manus sponte sua eumdem Teufrido Avocato à parte suprascripte Ecclesie Domini Salvatoris reddedit & revestivit de antedicta portio ipsa Ecclesia Sancti Grecorii, atque rebus ejus, qui fuerat ipsius Teutperti Presbiteri, & de illa quam exinde ipse Alaperto Presbitero in eadem Ecclesia contulit, duas partis reddedit & restituit. Et fenita est causam hanc notitia Judicati pro securitate a parte eidem Ecclesie Domini Salvatoris, & ita previdimus, ut in eadem permaneat deliberationem. Et Petrum Clericum Notarium scribere admonuimus, Anno Imperii Domni nostri Klotharii magni Imperatoris, postquam in Italia ingressus est, Vigesimo Secundo, Indictione VII. Mense Januario.*

*Ego Ambrosius Episcopus subscripsi.*

*Ego Adelpertus Scavinu interfui.*

*Signum manus Petroni Schabini, qui his actis interfui.*

*Ego Ardo Schavinu interfui.*

*Ego Iebronimo Scavino interfui &c.*

Epocha Lotharii I. heic, sicuti & in altero supra descripto Adelberti I. Tusciæ Ducis Placito, adhibita, desumta est ab Anno coronationis Romanæ, hoc est ab Anno Christi DCCCXXIII. Additur autem, *postquam in Italia ingressus est*, ut distinguatur à præcedente altera, quæ, uti supra vidimus, in usu apud Italiæ Populos fuit. Interea minime omittendum puto, inter eos, quibus olim justitiæ ministrandæ jus fuit, videri *Vassos* quoque, sive *Vassallos Regios*, de quibus in Dissertatione subsequenti agetur, recensendos. Audi Legem XVIII. Langobardicam Caroli Magni: *Si Vassus noster*, inquit, *justitiam non fecerit, tunc Comes & Missus noster ad ipsius casam sedeant, & de suo vivant, quousque justitiam faciant*. Infra verò additur: *Si Comes in suo ministerio justitias non fecerit, Missus noster hac de causa sonniare faciat* (idest curam habeat hujus rei) *usque dum justitiæ ibidem factæ fuerint*. Ergo hinc aliquis sibi persuadeat, *Vassos* quoque *Regios*, sive *Imperatoris*, olim jurisdictione præditos, hoc est auctoritate juris dicundi saltem in civilibus controversiis: quod ubi statueretur, agnosceremus etiam antiquitatem Beneficiorum, sive Feudorum nobilium cum superioritate territorii, ac jure in incolarum personas. Et sane exploratum est, longe ante Caroli Magni tempora invectum fuisse morem Beneficiorum, de quibus infra agendum erit, atque inde *Vassos, Vassallos, Leudes* &c. iisdem fruentes fuisse appellatos. Num ergo Nobilibus ejusmodi viris jam tum tradebatur aliqua jurisdictio & potestas in homines, Castellum aut Villam beneficiariam inhabitantes, ita ut non liceret solùm, sed oporteret iis dicere jus, eorumque controversias decernere, uti Comitibus mos erat inter Urbis sibi creditæ & agri, sive districtus aut Comitatus incolas? Sed verum amo. Heic nihil certum habemus. *Facere justitiam*, formula est non uni interpretationi obnoxia. Heic autem nihil aliud significare videtur, nisi juste agere erga alios homines, & illata eis damna sarcire, & inique ablata restituere, uti etiam in Dissertat. IV. *de Officiis Domus Regiæ* dixi: non autem jus dicere, sive ministrare justitiam in civilibus aut criminalibus caussis. *Justitiam habere, justitiam accipere*, ut est in lege XI. Pippini Italiæ Regis, de iis vicissim dicebatur, quibus emendandum aut restituendum erat quidquid justitiæ leges poscebant. Tam Comites quam Vassi aliena interdum jura aut bona usurpabant, onera ac tributa indebita Populo imponebant, eorumque pecuniam multis extorquebant modis: numquam verò adducebantur ad emendationem injustitiæ ac impotentiæ suæ, nisi quum vis superior altioris ministerii, aut ipsius Regis, eos in tramitem justitiæ revocabat. Quare nihil certi inde haurias ad stabiliendam jurisdictionem in Vassis illorum temporum.

Verùm etsi ejusmodi prærogativam in Vassis iis affirmare non audeo, perspectum tamen habeo, non defuisse illam viris iis, quos antiquitas appellare consuevit *Loci Servatores*. Sed quodnam hoc munus fuit? Equidem minime decernam, fuerint-ne illi, Magistratus è Civium numero delecti, atque ordinarii, an potius Vicarii *Comitis*, aut *Ducis*; atque ita appellati, quod locum illius tenerent, quasi nulla fuerit differentia inter ipsos, & *Loco positos*,

*ſitos*, quorum non rarò occurrit mentio in antiquorum Chartis. Quæ pauca in hanc remſe mihi obtulerint, adferam. Huc ſpectat Caroli Magni Lex Langobard. LXXXVIII. his verbis concepta: *Si quis furem vel latronem comprehenderit, & eum indemnem dimiſerit, neque illum ad preſentiam Ducis, aut Comitis, qui in loco præeſt, vel Loci Servatoris, qui Miſſus Comitis eſt, adduxerit* &c. *damni æſtimationem componere ad Publicum cogatur*. Hæc ſane controverſiam omnem tollere videntur, quum intelligamus, *Servatores Loci* nihil aliud fuiſſe niſi *Miſſos Comitis*, ac propterea nomine illo donatos, non quòd (uti nunc fit alicubi, & præſertim Mutinæ) ii *Conſervatores Urbis* eſſent, ſed quòd tenerent *ſervarentque locum* Præſidis Urbis in regimine Populi; ita ut ſive Comes, aut Dux abeſſet, ſive adverſa valetudine, aliiſve negotiis impeditus juſtitiam Populo miniſtrare non poſſet, tunc ejus vices agerent *Loci Servatores*. Sed quid, inquies, ab hiſce *Servatoribus* differebant *Vicarii* in multis Legibus memorati, & *Vicecomites*, de quibus egi in Diſſertat. VIII. *de Comitibus*? Suſpicari forte aliquis poſſit, ſub diverſis nominibus ſignificari conſueviſſe unum idemque munus. Et ſane tam *Loci Servatoribus* quam *Vicariis Comitum* auctoritas judicandi conferebatur. In Lege LXIX. Langobardicâ Caroli Magni ſtatuitur, *ut ante Vicarios nulla criminalis actio difiniatur; niſi tantùm leviores cauſſæ, quæ facile poſſunt judicari*. Lotharius quoque I. Auguſtus Lege LX. decernit, *ut Comites noſtri licentiam habeant inquiſitionem facere de Vicariis & Centenariis, qui magis per cupiditatem, quàm propter juſtitiam faciendam ſæpiſſime Placita tenent* &c. Sunt & aliæ Leges, ubi de Vicariis fit mentio. *Servatores* autem *Loci* & ipſos jura Populo dixiſſe, infra oſtendam. Verùm animadvertas velim, haberi in Chronico Vulturnenſi pag. 446. ad Annum DCCCCXLVIII. Præceptum Marini Ducis Neapolitani, in quo à *Loci Servatoribus* diſtingui videntur *Vicarii*. Ibi enim ſancit, ut à nullis *Exactoribus noſtris, ideſt Loci Servatoribus, Tribunis, Vicariis* &c. Ad hæc veri etiam ſimile videatur, *Vicecomites* eoſdem fuiſſe ac *Servatores Loci*, tum quod utrique vices Comitis agerent, tum etiam quod utriſque Placita habere, ac dirimere lites familiare foret. Sed huic ſententiæ obſtat, me nuſquam reperiſſe plures ſimul Vicecomites ſub uno Comite, quum tamen non unum Servatorem Loci eodem tempore, atque in eadem Urbe deprehenderim, ut infra oſtendam. Quod certum eſt, illuſtris fuit dignitas ejuſmodi Magiſtratuum. Paullus Warnefridi Lib. 6. Cap. 3. de Geſt. Langobardor. hæc ſcribit: *Forojulianorum Ducatum* (Anſfrido in exilium acto) *poſt hæc Ado frater Rodoaldi* (antea Ducis), *Loci Servatoris nomine per annum & menſes ſeptem gubernavit*: hoc eſt non *Ducis*, ſed *Vicarii* titulo rexit. Tum Cap. 24. addit *Mortuo quoque apud Forum Julii Adone, quem dixeramus Loci Servatorem fuiſſe, Ferdulfus Ducatum ſuſcepit*. Quibus ex verbis intelligis, *Servatorem Loci* appellatum fuiſſe, qui pro *Comite* aut *Duce* Populum regebat, eique juſtitiam miniſtrabat. Non poterat interdum Comes Civitati Præfectus ſufficere tot litibus audiendis, tot negotiis expediendis. Interdum quoque ad exercitum, ad Palatium, atque aliò proficiſci ſibi opus erat. Proinde unus ſive plures Juris periti aut à Rege, aut ab ipſo Comite delecti & conſtituti erant, qui in minoribus ſaltem cauſſis jus redderent, & Comite impedito aut abſente Populum gubernarent. Eos etiam nonnumquam mittebat Comes ad Pagos, ut perſpicerent, an *Centenarii*, *Sculdaſcii*, aliique extra Urbem minores Judices ſuo officio recte fungerentur. Immo eorum etiam fuit, non tantùm in Pagis, ſed & in Urbibus Placita celebrare, ac audire & dirimere Populorum controverſias. *Loci Servator* propterea, ut ſupra vidimus, appellatus eſt *Miſſus Comitis*: quo etiam nomine eumdem donat Walafridus Strabo in Libro de Reb. Eccleſ. Dixi delectos ab ipſo Comite ejuſmodi Miſſos ſive Vicarios ſuos; idque ex conjectura tantùm; quum illos conſtituere æquius ad Regis poteſtatem pertineret, & fortaſſis ita ſe res habuerit. Ex antiquis monumentis nunc aliquid lucis huic argumento accedat. E Tabulario Lucenſis Archiepiſcopii Chartam archetypam deſcripſi; ubi *Loci Servatores* quidam memorantur, in quorum munus & auctoritatem Lector mecum inquirat oportet.

## Judicatum duorum Loci Servatorum in controverſia de Eccleſia Sancti Angeli inter Patronum & Rectorem, coram Johanne Epiſcopo Lucenſi, Anno 786.

IN *Dei nomine. Regnante Domno noſtro* Carulo Rege Francorum & Langobardorum, *quo Langobardiam cepit, Anno Regni ejus Tertiodecimo, & filio ejus* Domno noſtro Pipino Rege, *Anno Regni ejus Sexto, VII. Kalendas Novembris, Indictione X. Notitia Judicati qualiter dum in Jeſu Chriſti nomine adſtante nos* Jacobo Diacono, *&* Auſtrifonſo Loci Serbatoribus *in Domo Sancte Eccleſie ante venerabile* Domnus Johanne Epiſcopo, *ubi nobiſcum aderant Sacerdotes &* Aremannos hujus Lucane Civitatis, *ideſt* Auſtripertus Loci Servator, *Rachiprandus Presbiter, Arachis, Georgius, Ghiſpertus, Richidomnus Haolmi, Sichualdus Clericus, Andreas filius bone memorie Rigiperti, Alpertus Clericus filius bone memorie Lucii. Ibique venerunt ante nos Deuſdedit Presbiter filius bone memorie Baroncii, & Deusdona Presbiter Rectorem Eccleſie Sancti Angeli de Saragio, altercationem inter ſe habentes. Dicebat ipſe Deuſdedit Presbiter*: Domine, audeat me pietas veſtra, quia iſte Deuſdona Presbiter me Rectorem & ordinatorem ordinavit, & per Cartulam in me confirmavit Eccleſia Sancti Angeli ad Sgragium, ubi iſte Deusdona Presbiter modo eſſe videtur; ut omnia in mea eſſet poteſtate juxta textum de dotem illam, qualiter in iſto Deusdona Presbitero & Clerico, & res ipſa confirmata fuit. Poſtea inimicum eum ſuaduit, & involavit mihi ipſam Cartulam, & querit mihi contrare ipſam Eccleſiam. *Reſpondebat ipſe Deusdona Presbiter*: Certe veritas, quia, ſicuti dicis, per Cartulam confirmavi inde ipſam Eccleſiam Sancti Angeli, & res ad ea pertinentes jam in tempore *Deſiderii Regis*: & qualiter in te con-

confirmavi, nullam tibi exinde contra num cartulam ipsam numquam involavi, nec aput me unquam revenit. *Et dum ante ipsum Domnus Johannes Episcopum & nos, ipse Deusdona Presbiter taliter vetare cepisset, sic ipse Domnus Johannes Episcopus ante se Evangelia venire fecit, ut quem ipse Deusdona Presbiter exinde sciret omnia, ei certam diceret veritatem. Et dum ei Evangelia ipsa in ante poneret, presenti ipse Deusdona Presbiter ante nos professus est:* „ Certam vobis dico veritatem, quia Cartulam ipsam nec furavi, nec aput me revenit, „ nisi dixi Alperti Clerici, qui erat obsequialis ejus Deusdedi Presbiter. Vade, si potest; tolle Cartulam illam, quam ego feci „ Deusdedi Presbiter de Ecclesia mea Sancti „ Angeli, & res ad eam pertenent, & didi „ ea, & ego confirmo, & in ipsam Ecclesiam „ Sancti Angeli, sicut & ipsum habeo confirmatum. Sic postea ipse Alpertus Clericus, „ dum in ejus obsequium esset, furavit ei ipsam Cartulam, & adduxit eam mihi, & „ dixit mihi: Ecce Cartulam illam, que mihi „ tollere dixisset, tantum confirma me in ipsam Ecclesiam. Set ego dixi ei: si non „ delis Cartulam istam, ibidem te confirmare „ non possit. Et dum taliter dixissem, ipse „ Alpertus Clericus presenti ante me dedit „ Cartulam illam ad unum Brettonem peregrino, qui ibidem venerat; presenti ante „ nos ipse Britto misit ea in focum, & ibi „ arsit. *Et dum taliter professus fuisset sic ipse Domnus Johannes Episcopus ante se venire fecit ipsum Albertum Clericum, ubi & nos insimul eravamus, interrogavit eum, si veritatem tulisset Cartulam illam Deusdedi Presbiteri, sicut ipse Deusdona Presbiter dicebat, & presenti ante nos dixit ei:* „ Veritas est, quia „ dixit mihi iste Deusdona Presbiter tollere „ ipsam Cartulam. Et dum ego in obsequium „ ipsius Deusdedi Presbiteri fuissem, & ego „ claves ejus haberem potestatem, tuli & „ ipsam Cartulam, per quem Deusdona Presbiter eum confirmaverat in Ecclesia Sancti „ Angeli, & res ad ea pertinente, & adduxi „ ea ad istum Deusdona Presbiterum, Et sic „ ea fecimus incendere ipsum Brettonem, sicut „ iste Deusdona Presbiter justitiam; quia postquam in me per Cartulam confirmavit „ ipsam Ecclesiam Sancti Angeli, & res ei „ dem pertinente; & oblicavit mihi quod ea „ in alio homine, vel in Ecclesia dare non „ poteret per nullum ingenio. Postea exinde „ misit Cartulam in Ecclesia Sancti Silvestri. *Set ipse Deusdona Presbiter statim dixit.* „ Veritas, quia postea exinde feci Cartulam „ in Ecclesia Sancti Silvestri, & aliam Cartulam exinde feci Rapprandi & Aliperturli „ Clerico.

*Et dum taliter professus fuisset, & sic ipse Domnus Johanne Episcopo ore proprio suo dixit Deusdedi Arcidiaconi Rectori suprascripte Ecclesie Sancti Silvestri, si veritatem ipse Deusdona Presbyter fecit Cartulam ipsam de jam dicto Monasterio Sancti Angeli in Ecclesia Sancti Silvestri, sicut ipse Deusdona Presbyter dicit, ut ante nos ea adducere deberet, ut exinde certam possemus conjungere veritatem. Set ipse Deusdedit Arcidiaconus dixit:* Postquam iste Deusdona Presbyter dicit, quod Cartulam ipsam fecisset, sit facta, nam ego eam adducere non possum, & nullam rationem exinde pono absque Filichisi, qui est Procurator de ipsa Ecclesia. *Et dum omnia hec factum fuisset, sic ipse*

A *Domnus Johannes Episcopus noster ore proprio suo nobis præcepit, & conjurando nobis dixit, ut nos una cum ipso* Austriperto Loci Servatore *secundùm Deum per veram Legem & justitiam causam ipsam inter eos judicare & deliberare deberimus. Nos vero qui supra* Jacobus & Austrifonsus Loci Serbatoribus *secundùm ejus preceptione ipsum* Austripertum Loci Servatorem *& Sacerdotes & Aremannos, quorum nomina super leguntur, judicavimus, ut ipse Alpertus Clericus & Deusdona Presbyter per Evangelia juratim dicerent, quia qualiter de caussa ista professi sumus, omnia sic fuit veritatem, & qualiter judicavimus ante nos, exinde juraverunt. Similiter & judicavimus, & wadia dare fecimus ipsum Deusdedit Presbyter jam dicti Deusdona Presbyteri, ut consignaret per testimonia, qui Cartulam ipsam vidissent, & Notarium qui eam scripsisset, ut nos certam poterimus conjungere veritatem, quali tempore Cartulam ipsam scriptam fuisset, aut si fuisset veritate, sicut & ipse Deusdedit Presbyter querebat, & ipse Deusdona Presbyter & Alpertus Clericus professi sunt. Et dum wadiam eum taliter dare fecimus, dixit ipse Deusdedit Presbyter:* Sicut wadiam dedi, testes illos habeo, & Notarium, qui eam scripsit; set tantùm jubeatis coram scedem Dominorum nostrorum Regum inquirere. *Sic nobis ostendit testimonia, idest Adelchari Clericum, Amicus Presbyter, Inso, Andreas Clericus, Virbonus Presbyter, & Ratfonso Notario, quem nos separati diligenti inquesivimus. Unianimiter ante nos dixerunt:* Vidi Cartulam, per quam Deusdona Presbyter firmaverat Deusdedi Presbytero in Monasterio Sancti Angeli, & res ad ipsum Monasterium pertinentes. Et erat scripta tempore *Desiderii Regis*, & à testibus roborata. *Et ipse Ratfonsus Notarius dixit:* Recordo de Cartula illa, quam Deusdona Presbyter fecit, & de Monasterio Sancti Angeli, & res ad ipsum Monasterium pertinente Deusdedi Presbyteri; quia ego ea scripsi per rogitum ipsius Deusdone Presbyteri tempore Desiderii Regis, & ante me eam firmavit, & tradidit ipsius Deusdedi Presbyteri. *Et dum testimonia ipsa & ipsum Notarium taliter testimonium reddidissent, interrogavimus ipsum Deusdona Presbyterum, si testimonia ipsa reprovare poterent, aut aliquid haberet, quod exinde adversus eos diceret. Set presenti ante nos dixit:* Nec testimonia ista reprovare possum, nec nulla habeo, quod exinde contra eos dicam, quia omnia veritatem dixerunt. *Set quamvis ipse Deusdona Presbyter testimonia ipsa justificaret, presenti Evangelia Dei ante nos adduci fecimus, & tum ipsa testimonia una singolarum, quam & ipse Notarius jurando ante nos testimonium suum confirmaverunt. Insuper ipse Deusdedit Presbyter ante nos per Evangelia dixit cum sagramentales suos secundùm legem, sicut nos judicavimus, quia qualiter testimonia ista de hac causa testimonium reddiderunt, omnia veritatem dixerunt. Et dum testimonia & Notario ipsum per Evangelia testimonium suum confirmaverunt, & ipse Deusdedit Presbyter juravit, sicut supra judicavimus, & wadia dare fecimus jam nominatum Alpertum Clericum supradicti Deusdedi Presbyteri, ut ei componeret de ipsam Cartulam, quam ei furavit, & incendere fecit, secundùm eorum Legem. Et dum hec facta fuissent, justum nobis paruit esse una cum suprascripto Austriperto Loci Servatore, seu Sacerdotes & Aremannos ita judicavimus, ut ipse Deusdedit Presbyter*

*byter haberet in suo dominio ipso Monasterio Sancti Angeli una cum omnia res ad ea pertinente, sicut per jam memoratam Cartulam in eum confirmatum fuit, & partem ipsorum, cui exinde postea ipse Deusdona Presbyter Cartulam emisit, sint exinde contenti. Et fenita est inter eos causatio. Unde hanc notitia Judicati nostri tibi, qui supra Deusdedit Presbyter emittere previdimus, & pro confirmatione Filippum Presbyterum scribere communuimus, ut modernis & futuris temporibus in eadem maneat deliberatione.*

*Actum* Luca.

*Ego Jacobus Diaconus in hunc Judicatum à nobis factum manu mea subscripsit.*

*Ego Austrifusus Diaconus in hunc Judicatum à nobis factum manu mea subscripsit.*

*. Signum manus Austriperti Loci Servatori, qui in his actis interfuit.*

*Ego Ghispert in his actis interfui.*

*Ego Georgius in is actis interfuit.*

*Ego Rachiprandus Presbiter in his actis interfui &c.*

Heic nobis occurrunt *Jacobus* & *Austrifonsus Diaconi*, ambo *Loci Servatores*. Adest tertius *Loci Servator Austripertus*, quem Sæcularis vitæ virum opinari licet. Ergo plures eodem tempore, eodemque in loco reperiuntur Loci Servatores. Sed quei ad gerendas Comitis, seu Præsidis Sæcularis vices adsumebantur viri Clero addicti? Deinde hujus caussæ Judices quidem ii sunt: sed judicio præest *Johannes Episcopus Lucensis*, & caussa hæc Beneficialis est, ac proinde ad unius Episcopi tribunal spectat. Mihi nata dubitatio, num duo illi Diaconi, non Comitis, sed Episcopi essent Vicarii, ac locum Episcopi tenerent in judicandis caussis Ecclesiasticis. Iis enim *præcepit* idem Præsul, *ut una cum ipso Austriperto Loci Servatore* Laico, secundùm Deum, *per veram Legem, & justitiam* caussam ipsam *judicare & deliberare deberent*. Sed in hac sententia perstare non ausim, conferens ista cum aliis monumentis nunc mihi evulgandis. In eodem Lucensi Archivo se mihi obtulit idem *Austrifonsus Diaconus*, adhuc *Loci Servator* cum duobus suis Collegis Anno DCCCII. qui Placitum Lucæ habuit. Ego hæc pauca decerpsi è lacera pergamena: *In nomine* &c. *Carolus serenissimus Augustus, magnus, pacificus Imperator, gubernans . . . . . . . Francorum & Langobardorum, Anno Regni ejus, quo Langobardiam cepit, Vigesimo octavo, & filio ejus Domino nostro Pippino Rex, Anno Regni ejus Vigesimo primo, mense . . . . . . . . In nomine Domini notitia Judicati. Resedentes nos Raspertus Presbiter, Agiprandus, & Ostrofonso Diacono, Loci Servatores, in Domo Sancte Ecclesie una cum viro . . . . . Ghisprando & Causeramo Scafinis, singulorum hominum causas audiendas & deliverandas; & postquam per* Widbodum *Missum Domni nostri Caroli . . . . . Ecclesie Sancti Silvestri de Monasterio Sancti Andree de loco Apuniano . . . . . . . . nos Saripertus Presbiter Advocatus Sancte Ecclesie Sancti Silvestri . . . . . . cum Agiprando Presbitero fecimus ipsum in Placito* &c. *Actum in Domo Sancte Lucane Ecclesie. Ego* Raspertus Presbiter Loci Servator *in hunc Judicato à nobis facto manu mea subscripsi. Ego* Agiprandus *Archidiaconus & Loci Servator &c.* Servatores isti, ut quisque intelligit, Placitum habent publicum, hoc est universi Populi caussas judicandas sibi proponunt. Ergo Regis sive Imperatoris auctoritate agunt, ac Judicem pro Principe, non pro Episcopo agunt. Memoratur etiam ibi *Widbodus Missus Caroli* Magni. Attamen tres isti non Laici, sed Ecclesiastici viri sunt. Sed rursus in scenam prodeat idem *Austrifonsus Diaconus Servator Loci* ad Annum DCCCVII. quo scripta fuit Charta Judicati, quæ in supra laudato Archivo authentica exstat.

## Placitum Lucense ab Austrifonso Diacono, Loci Servatore habitum, in controversia de Ecclesia Sancti Angeli inter Theosprandum Rectorem Ecclesiæ Sancti Martini & Alprandum Clericum, Anno 807.

I*N nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Carolus serenissimus Augustus, *a Deo coronatus, magnus & pacificus Imperator, Romanum guvernans Imperium: qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Langobardorum. Anno Regni ejus, quo Langobardiam cepit, Trigisimo Tertio. Et filius ejus* Domnus noster Pippinus Rex, *Anno Regni ejus Vigisimo Sexto, mense Januario, Indictione XV. In nomine Domini. Notitia Judicati. Resedentes nos* Austrifonsus Diaconus, Loci Servator *in Domo Sancte Ecclesie ad singulorum hominum causas audiendum vel deliverandas, ubi nobiscum aderant Suripertus Presbiter, Filippus Presbiter &c. Sicheradus Clericus &c. & alii plures. Ibique in nostris presentiis veniens Teosprandus Clericus Rector Ecclesie S. Martini Baptisimalis, sita in loco Colline, causam avendo cum Alprando Clerico filio quondam Lupualdi de ipso loco Colline, cepit dicere ipse Teosprandus Clericus*: Si placet vobis, faciat mihi justitiam iste Alprand Clericus. Pro qua causa abes res Homuli Clerici Avii tui, & Basilica Sancti Angeli, que est pertinente suprascripte Ecclesie Sancti Martini? *Respondebat ipse Alprandus Clericus*: Veritas est, quia abeo res ipsa, que dicis, & Ecclesia Sancti Angeli, eo quod fuit ipsius Homuli Clerici Avii mei, & ipsius Patris mei. *Respondebat Teosprandus Clericus dicens*: Tu res ipsa, nec Ecclesiam avere non debes: quia ecce Cartula pre manibus abeo, quomodo Ecclesia Sancti Martini pertinere debet. *Nos autem fecimus Cartula ipsa ante nos relegi. Continebatur in ea, quomodo iste Homulus Clericus filio quondam Causeradi avitatori prope Ecclesia Sancti Martini de Colline manifestaverat, ut per triginta annos parentes ejus, & ipse volumtate & inperationem fecissent de Presbiteris suprascripte Dei Ecclesie: & hic Luca propter Crismum eos mittebant ad tollendum, & cavallicaturas cum ipsis Presbiteris fecissent, & in predicta Dei Ecclesia per Cartulam offersionis omnem rem suam, & Ecclesie Sancti Angeli, que a Genitore suo constructa est, offeruit & confirmavit &c. Et ipsa Cartula deperiisset; proinde ite-*

*iterum per Cartulam offeruit Deo & sepe dicte Ecclesie Sancti Martini, ubi tunc Gaudiosus Presbiter Rector esse videbatur, jam dictam Ecclesiam Sancti Angeli tali ordine confirmavit, ut tam ipse, quam & heredes ejus ipsam rem usufructuare & regere deberent, & volumtate & inperationem de Presbitero, qui ibi ordinatus fuerit pro re ipsa facere, & non haberent potestatem venundare &c. Et Cartula ipsa scripta erat per quondam Austripertum Clericum* in Anno Desiderii & Adelchis Regum Quartodecimo & Duodecimo, Quarto Kalendas Octobris, per Indictionem Nonam, (*) *& a testibus erat roborata. Relecta Cartula ipsa, audiente ipso Alprando Clerico, ante nos interrogavimus eum, si rem ipsa & Ecclesia Sancti Angeli contendere aut contra ipsam Cartulam & Testamentum Avi sui averet, quod dicere. Ipse Alprandus Clericus respondit atque manifestavit, dicens*: Jam postquam Cartulam istam vidi, sicut ab ipso Avio meo factum, nec res ipsa, nec Ecclesia Sancti Angeli contendo, nec contra ipsa Cartula nullum abeo que dicam, nisi qualiter parentes mei pro ipsa re & Ecclesia fecerint volumtate de Rectoribus Ecclesie Sancti Martini pro ipsa re, ita & ego facere volo. *Postquam autem ipse Alprand Clericus in nostro judicio taliter renunciavit, & manifestavit, consideravimus una cum suprascriptis nobiscum residentibus, & recte nobis paruit esse. Et ita judicavimus, ut secundùm textum jam memorate Cartule ipsas res & Ecclesia Sancti Angeli esse in potestate suprascripte Ecclesie Sancti Martini, sicut ab ipso Homulo Clerico Avio ipsius Alprandi Clerici manifestatum & datum fuerat; & eidem Alprandi Clerici renuntiavimus, ut volumtatem & inperationem de Rectoribus ipsius Ecclesie Sancti Martini, atque Officium faceret, sicut parentes ejus consueti fuerunt de ipsa re faciendum. Et si ipsum Officium ipsius Ecclesie & inperationem & voluntate de Rectoribus prefate Ecclesie Sancti Martini facere nolere ipse Alprandus Clericus, sicut ipsi parentes ejus fecerunt . . . . . . Et ita judicavimus, ut ab ipsa predicta Ecclesia Santi Angeli, & omnem rem, que fiet ipsius Homuli Clerici Avii ejus, contentus & re . . . . . . deberet. Et finita est inter eos intentio. Unde hanc notitia Judicati tibi, qui supra, Teusprando Clerico ad partem prefate Ecclesie . . . . . . emitti providimus, ut nulla contra te neque successores tuos iterum de hac causa oriatur intentio, sed semper . . . . . deliveratione firmiter persistat. Et pro confirmatione Richiprandum Subdiaconum Notarium scrivere comunimus.*

*Actum Luca.*

*Ego Strifusus Diaconus Loci Servator in hac Judicatu à me factu manu mea subscripsi.*

*Ego Filippus Presbiter interfui.*

*Ego Albertus Presbiter ibi fui &c.*

Habemus & heic eumdem, qui supra, *Loci Servatorem* Ecclesiasticum, qui litem ad Ecclesiam quidem spectantem cognoscit, sed simul Sæculari auctoritate, ut verba illa *singulorum hominum causas audiendum vel deliverandas* indicare videntur. Neque is quidquam adfert, ut intelligamus, num ex ordinaria, an ex delegata potestate, ab eo hæc fierent. Hisce denique accedat Judicatum, ex ipso Lucensi Tabulario per me excerptum, quo prælucente rectius fortasse ad hæc intelligenda perducemur.

## Sententia in Placito Lucensi pronuntiata à duobus Loci Servatoribus in controversia inter Ecclesiam Cathedralem Sancti Martini & quemdam Suavem, Anno 815.

*In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Regnante* Domno nostro Hludowicus *serenissimus* Augustus, *à Deo coronatus, magnus, & pacificus* Imperator, *Anno Secundo, &* Domno nostro Bernardus Rege Langobardorum, *Anno Regni ejus, postquam in Dei nomine in Italia reversus est, Quarto, Mense November Indictione IX. Dum in Christi nomine residentes nos* Taito *&* Aipo, Loci Servatores *in judicio ad singulas causas audiendum & deliverandum, ubi nobiscum aderant* Aremannos *hujus Lucane Civitatis, idest Ilmerando de Wamo, Petrus Teudici Clericus, Gherimundo, Andrea, seo Frotpaldo, & Baso homines Franciscos, & alii plures. Ibique venit ante nos Benedictus Advocato Ecclesie Sancti Martini, ubi est Domus Episcoporum, & ex alia parte Suave, altercationem inter se abentes. Dicebat ipse Benedictus*: Audire me digneris, quia iste Suave contra rationem abet quatuor petie de vinea ipsius Ecclesie Sancti Martini in loco Balsiniana prope Ecclesiam Sancti Georgii. *Respondebat ipse Suave*: Nescio, vinie ille, unde tu dicis. *Et dum inter eos talis verteretur causatio, judicavimus, & wadia dare fecimus ipso Benedictus eidem Suavi, ut munstraret ei ille quatuor petie de vinea, unde eum querebat. Et ipso Suave fecimus ei dare wadia, ut esset parato videndum ipsa vinea, & venire in Plaito ponere ei exinde rationem. Postea dum in constituto ambas partes ante nos reversi fuisserunt, in judicio adessent ibidem suprascripti Arimannis, tunc ipse Benedictus dicebat eidem Suavi*: Ecce parati sumus. Pone mihi rationem de ille quatuor petie de vinea Sancti Martini in Bulsiniana, quas tibi consignavi, pro quid eas abere vobis? *Respondebat ipse Suave*: Ipse quatuor petie de vinea, unde tu dicis, quas mihi munstrasti, eas mihi dedit ad lavorandum quondam Ghisprando negutiante. Et ecce Livello pre manibus abeo, quomodo ipse mihi dedit ad lavorandum omnia res sua illa in ipso loco Bulsiniana, quam ei ex comparationem obvenit de Tachiperto. Et ipse quatuor petie de vinea de sua res fuerunt, quam ipse Ghisprando per isto livello mihi ad lavorandum dedit. *Et dum livello ipso legi fecissemus, dicebat ipse Benedictus*: Livello isto, quas tu ostendis, ad partem Sancti Martini nulla impedit, quia vinie ille, quas tibi munstravi, ipsius Ghisprandi nulla pertenuerunt: nec non fuerunt de res ipsa, quas tibi ipse per isto livello ad lavorandum dedit. *Nos vero ita audientes interrogavimus ipso Suave, si aberet autore de vinie ille, quas ei ipse Benedictus da parte Sancti Martini contendebat, an non. Sed ipse Suave istatim ante nos professus est, dicens*: Ipse Ghisprando autore meo mortuus est, & exinde autore menime dare possum, nisi consegnare possum, quomodo ipse vinie, quas mihi consignasti, ipse

(*) Idest Anno Christi DCCLXXI.

ipſe Ghiſprando per iſto livello mihi dedit. *Et dum ipſe Suave talis nobis faceret proclamationem, judicavimus & wadia dare fecimus ipſo Suave eidem Benedicti, ut ſicut adſerebat, taliter conſignaret, & ipſo Benedicto fecimus ei dare wadia, ut eſſet parato recipiendum ab eo ipſa conſignationem. Et dum in conſtituto ambas partes ante nos reverſi fuiſſerunt in judicio: tunc ipſe Benedictus dicebat eidem Suavi*: Ecce parato ſum conſignatione ipſa da te recipiendum, ſicut mihi per judicio iſtius *Taiti & Aipi Loci Servatores* wadia dediſſet de ille quatuor petie de vinea in Bulſiniana, quas tibi munſtravi, quomodo ipſe Giſprandus per illo livello, quam in judicio oſtendiſti tibi dediſſe. Dic mihi; ſi poti, conſignatione ipſa facere an non? *Tunc nos, qui ſupra Auditores, interrogavimus ipſos Suave, ſi poteret conſignatione ipſa facere an non, aut aliquid aberet, quot de ipſe quatuor petie de vinea ad parte Sancti Martini dicere vel contendere poteret. Set ipſe Suave preſenti ante nos profeſſus eſt dicens*: Conſignatione ipſa, qualiter iſtius Benedicti wadia dedi, menime facere poſſum, nec de ipſe quatuor petie de vinea nulla abeo, quot contra parte Sancti Martini dicere aut contendere poſſum. *Et dum ipſe Suave taliter ante nos renuntiatum fuiſſet, tunc recte nobis paruit eſſe una cum ſupraſcriptos Aremannos, Ita judicavimus, ut ipſe quatuor petie de vinea haberet parte jam dicte Eccleſie Sancti Martini, ubi eſt Domus Epiſcoporum, & ipſe Suave eſſe exinde contemptos & remotos; & fenita eſt inter eos cauſatio: unde qualiter ante nos acta & deliverata eſt cauſa tibi, qui ſupra Benedicto ad parte memorate Eccleſie Sancti Martini hoc noſtrum emiſimus judicatum, ut modernis & futuris temporibus in eadem permaneat deliverationem, & Ghiſelpert Notarius ſcribere commonuimus. Actum Luce.*

*Ego Taito Loci Servator in anc judicata ad nos facta manus mea ſubſcripſi.*

*Ego Aipo Loci Servator in unc judicato ad nos facta manus mea ſubſcripſi.*

*Signum manus Petri ibidem fuit.*

*Signum manus Ilmerandi ibidem fuit.*

*Ego Adelmanus ividem fui,*

Supra vidimus, quid de Epocha Bernardi Regis ſentiendum ſit. Heic autem perſpicue cernimus, duos *Loci Servatores Taitonem & Aiponem*, viros utique Sæculares, & in Placito Sæculari conſidentes, jus dicere Populo univerſo. Nullus verò ex iis ſe ſe *Comitis Miſſum* profitetur; ut proinde ſublucere videatur, judicandi auctoritatem iis à Palatio fuiſſe traditam, atque ordinariam fuiſſe, in ſubſidium nempe Comitis & commodum Civitatis. Quod si Clerici ad idem munus adhibebantur, nil mirum eſt, quum toties Miſſos Regios è Clero delectos viderimus Placita indixiſſe, & juſtitiam Populo miniſtraſſe. Poſtremo tamdem loco animadvertas, primores Presbyteros Eccleſiæ Romanæ, ſcilicet Archipresbyterum, Diaconum, & Primicerium, Sede vacante, olim appellatos fuiſſe *Servantes locum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ*. Id conſtat ex Literis Cleri Romani Anno Chriſti DCXXXIX. vel DCXL. ſcriptis ad Epiſcopos Scotiæ apud Bedam Lib. 2. Cap. 19. Hiſtor. Eccleſiaſt. Quare intelligas, quondam *Loci Servatores* idem quodammodo fuiſſe, atque nobis ſint *i Luogotenenti*. Et quoniam in præcedentibus Chartis hiſce Lucenſibus *Aremannorum*, qui Placitis aderant, mentio habetur, de iis vide, quæ infra congeram in Diſertat. XIII. *de Hominibus Liberis*.

# DE ALLODIIS,
## VASSIS, VASSALLIS, BENEFICIIS, FEUDIS, CASTELLANIS &c.
## DISSERTATIO UNDECIMA.

# DISSERTATIO UNDECIMA.

ANtiquo Romanorum jure erant, uti & nunc sunt, Bona proprietaria sive Patrimonialia, quæ quisque possidebat tamquam propria & acquisita sive titulo hereditatis, sive emtione, donatione, aliisque ejusmodi contractibus, quos jus gentium invexerat. Neque tantùm privatis personis suum erat Patrimonium, sed & ipsis Imperatoribus, qui & prædia & bona propria possidebant, eaque *Procuratoribus rei privatæ*, sive *proprii Patrimonii* gubernanda tradebant. Bona verò *Fiscalia*, quæ è tributis, vectigalibus, aut etiam fundis ad Rempublicam spectantibus constituebantur, per alios Procuratores administrari consueverunt. Excolebant autem Romani agrum sui juris aut per Servos suos, quos propterea *Servos glebæ* appellatos novimus, aut per Liberos homines. Familiaris quoque fuit vetustis Sæculis *Locationum* usus, pretio nempe statuto, quod quotannis Conductor pro re locata ad persolvendum sese obligabat. In ea sententia fuere Salmasius ad Solinum, & Du-Cangius in Glossario Latino, Italicam vocem *Fitto*, inde derivatam fuisse, quod prædiorum Conductores, sive *Coloni* censum certum singulis annis domino fundi se exsoluturos pollicerentur. Scilicet *Fictum* pro *Fixum censum* barbarica Sæcula dixere à *Figo*, cujus supinum effecere *Fictum*, non *Fixum*. Ejusmodi opinionem, uti solidis fundamentis nixam, non solùm amplector, nam adhuc Italicæ Linguæ est *Fitto* pro *Fixus*; *Confitto*, *Trafitto* pro *Confixus*, *Transfixus*; sed & ipsam confirmatum eo, Chartam videlicet exerendo, quam è Chartophylacio Sacrarum Virginum Ferrariensium Sancti Silvestri descriptam ad me misit amicus vir, Joseph Antenor Scalabrinius in eadem Civitate Sanctæ Mariæ in Bucca Rector, ubi *Fixa Pensio* idem est, atque *Fictus Census*.

## Charta emphyteusis facta a Clarissa Abbatissa Monasterii Sancti Silvestri Ferrariensis, Saino & Bono-Petro germanis, Anno Christi 1085.

*IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXV. Regnante Heinrico Heinrici Imperatoris filio, Anno Viesimo Sexto, die XI. mensis Decembris, Indicione VIII. in inferiori Burgo Ferrarie, in Claustrum Sancti Silvestri. Ego quidem in Dei nomine Sainus & Bonus-Petrus germani ad invicem, & Perbello & Guilla similiter germani nostri ad petere videmur à te* Domna Clariza, *Deo annuente*, Abbatissa Monasterii Sancti Silvestri, *ab hoc die per hanc enfiteosis paginam concedisti nobis rem vestri Monasterii, seu filiis & nepotibus nostris, vel duobus successoribus nostris, qui post nostrum hobitum habeant rem, que hic inferius legitur. Hoc est totam & integram ipsas res immobiles, quas per libelli* atfictus *paginam habuimus vestro jure: que fuit de Paulo Martinello in fundo, qui dicitur Corigius Maurus, & in Casaliculo, cum terris, vineis, casalibus, campis, & cum omnibus prescripte res pertinentibus. Ad habendum, tenendum, possidendum, laborandum, defensandum, meliorandum, ex nostris propriis expensis seu laboribus, nichil aliud pro* Fixa Pensione *alico modo reputemus, seu ut inferamus cum nostris filiis & nepotibus vel duobus successoribus tibi predicte conceditrici annualiter omni mense Marcii pensionis nomine Denario vestro tres; tantum ista pensionem persolvamus. Post diem autem nostrum, nostrùmque filiorum & nepotum, vel duorum successorum, sicut supra legitur, supra scriptam rem revertatur in jure predicte Ecclesie vestre. Promittimus pro nobis & à dictis petitore cum nostris filiis & nepotibus vel duobus successoribus hanc peticionem inviolabiliter modis omnibus conservare & adimplere tibi supradicta conceditrice, sub pene nomine auri uncia tres. Et soluta pena stet in sua firmitate. Quam scribere rogavimus Bonum Vicinum Ferrariensem Tabellionem, & manibus nostris firmavimus, testesque firmare rogavimus, sub die & mense & Indicione suprascripta.*

*Signa manum predictorum petitorum ad firmanda omnia, sicut supra legitur.*

*Signum manus Gulfi, Johannis, Ugolini, Petri, teste in omnibus, sicut supra legitur.*

Ceterum *Ficti* nomen eâ etiam de caussâ in Emphyteusi adhibitum videas, quòd Emphyteutæ certum quotannis censum penderent domino fundi. In Antiquitat. Estens. Par. I. Cap. 7. pag. 47. evulgavi Investituram *Curtis* Lusiæ Anno MLXXIX, datam Hugoni & Fulconi filiis Azonis Marchionis Estensis *ad Fictum censum reddendum Ficti nomine usque ad annos viginti & octo expletos*. Quare quod veteres dicerent, tradere seu dare aliquid *ad Fictum* (supple *Censum*) reddendum, hinc ortum habuit Italica vox *Affitto*. Antiquissimus quoque est usus *Emphyteuseon*, de quibus erit infra sermo in Dissertatione XXXVI. Nunc mihi, levi tamen brachio, excutiendum est argumentum de *Beneficiis*, *Feudis*, & *Allodiis* eaque occasione de *Vassis* & *Vassallis*: quorum frequens mentio est in monumentis ac Historiis barbarici ævi. Qui *Beneficium* ac *Feudum* pro una eademque re apud veteres sumunt (& quidem non pauci, neque sine caussa, in eam opinionem descenderunt) usque à Romanorum dominantium ævo originem *Feudorum* arcessunt. Scilicet cœperunt Imperatores, & fortassis antea ipsi quoque Romani rerum domini, prædia aut ad Fiscum devoluta, aut parta in bello militibus aliisque suis fidelibus elargiri, ut eorum fidei ac laboribus suum esset præmium ac merces. Atque ad eum morem alludere censetur Hyginus, qui sub Trajano floruit, in Libro de Limitibus constituendis, ubi ait: *Si qua Beneficio concessa aut assignata Coloniæ fuerint, in loco Beneficiorum adscribemus.*

*mus*. Dolabella quoque Auctor Gramaticus apud Goësium inter rei Agrariæ Scriptores hæc ait: *Quæris, si in Libro Beneficiorum regionis illius Beneficium alicui Augustus dederit*. Ad hæc in aula Principis Libri seu Commentarii exstabant, in quibus descripta erant singula Beneficia, & cui collata fuerant. Legitur apud Gruterum pag. 1078. num. 1 Inscriptio posita *M. Ulpio Augusti Liberto Phædimo*, qui nuper laudato Trajano Imperatori fuerat A. COMMENT. BENEFICIORUM. Quid plura? Cicero ipse videtur ejusmodi *Beneficia* memorasse in Oratione pro Archia. Quod si hæc adhuc obscura reputas, accipe quæ Lampridius scripserit de Alexandro Severo Augusto: *Sola, quæ de hostibus capta sunt, limitaneis Ducibus & militibus donavit, ita ut eorum ista essent, si heredes illorum militarent*. Præterea de Probo Augusto hæc idem Scriptor narrat: *Veteranis omnia illa, quæ anguste adeuntur Isauriæ loca, privatis donavit: addens, ut eorum filii ab Anno octavodecimo, mares dumtaxat, ad militiam mitterentur*. Hæc revera speciem *Feudorum* præferunt, quum sub ea conditione loca illa militibus concederentur, ut eorum postea filii *militarent*, ubi congruam ætatem attingerent. Nemo autem ignorat, simili fere pacto *Feuda* olim, & nunc, contributa, ut Vassalli, quum res poscit, domino Feudi militent, eumque fide, armis, atque consiliis tueantur. Attamen ne sic quidem justam tenemus *Feudorum* imaginem. Romanorum quippe *Beneficia* fuere aut agri *dono* dati militibus, directo dominii jure minime reservato. Aperte Lampridius ait *Donavit*. Aut etiam Præfecturæ fuerunt, quamdiu sinebat Princeps, duraturæ. Idem Lampridius in Alexandro: *Dabat hæc in Beneficiis, quæ famam ejus non læderent. Bona privatorum* &c. *Præposituras locorum civilium* &c. *Administrationes* &c. Denique Romanorum Beneficia conjunctam minime habuerunt Jurisdictionem, qua revera donati sunt posteriorum Sæculorum Vassalli. Quum verò inter tot Leges Theodosiani & Justinianei Codicis nihil occurrat, quod *Feudorum* naturam redoleat, quei rite statuas, eorum temporum *Beneficia* cum subsequentium Sæculorum *Beneficiis* seu *Feudis* meritò posse componi? Quid verò fuerint *Scrinia Beneficiorum*, quid *Beneficia* in Aquæductibus, edocet tibi Gothofredus in Notis ad Lib. XI. Tit. XX. Legem IV. & ad Lib. XV. Tit. II. Legem VI. Codicis Theodosiani.

Ea igitur sententia præferenda omnino mihi creditur, quæ à Germaniæ Populis *Feudorum* originem arcessit. Atque hæc innumeros Germanicæ gentis Eruditos pro se numerat, è quibus ne unum quidem nominare in re tam patenti est opus. Subscribo & ego, non tantam tamen antiquitatem germanæ Feudorum institutioni tribuens, quantam nonnulli sibi persuasere. Scilicet sunt qui è Langobardis Germaniæ Populis Feudorum usum derivant, quibus assentiri nequeas, quum neque in Langobardorum Regum Legibus, neque in vetustis gentis illius monumentis quidquam occurrat, unde eluceat, apud eos Populos Feuda in usu fuisse. Plerique verò ex Eruditis censent, Francorum gentem, quæ & ipsa Germaniam matrem habuit, originem dedisse Feudis, & quidem ante Langobardorum tempora. Nimirum Sæculo ipso Christianæ Æræ Quinto Clodovæus Rex (Aimoino, ut ajunt, teste Lib. I. Cap. 14. de Gestis Francorum) *Milidunum Castrum eidem Aureliano, cum totius Ducatu regionis, jure Beneficii concessit*. Carolus autem Molinæus scribit, se vidisse *antiqua instrumenta donationis antiquorum Feudorum, factæ per Childebertum Primum Clodovei Primi filium Francorum Regem Monasterio Sancti Germani Pratensis*. Bignonius quoque vir doctissimus, quotiescumque offendit in Formulis Marculfi, aut in Capitularibus Regum Francorum nomen *Vassorum*, aut *Beneficii Regalis*, ibi continuo scripsit agi de *Beneficiis*, quæ nunc *Feuda* appellamus. Vide præ ceteris Itterum Cap. I. de Feudis Imperii, ut alios omittam. Verùm mihi nondum satis persuasum est, *Feudorum* indolem, qualem nunc habemus, reperiri apud veteres Francos: quamquam non negem, eos posuisse fundamenta ejusdem institutionis, & quamquam norim, *Feuda* quoque *Beneficii* nomine Sæculis posterioribus designata fuisse. Sed quum Beneficia omnia non ejusdem speciei sint, propterea nominis communio nequaquam evincit, veterum *Beneficia* ne hilum quidem à *Feudis* diversa fuisse. Quas habeam adhuc suspensæ opinionis rationes, accipe. Hactenus existimatum est, nihil aliud fuisse Francorum *Vassos*, nisi qui sibi collatis *jure Beneficiario* prædiis, Seniori concedenti fidem ac servitium suum obligabant. Mihi contra suspicio gravissima insedit, nihil opus fuisse *Beneficio* apud Francos, ut quisquam *Vassus* constitueretur. *Vassi* nomen, uti Du-Cangius, Boxhornius, Eccardus, aliique docti Viri animadverterunt, non aliunde natum videtur, nisi è Cambrica voce *Gwas*, significante *Famulum*, *Ministrum*. Olim ergo nobiles viri, seu militari cingulo insigniti, non secus ac nostris temporibus, ad Regum famulicium inhiabant: tum ut patrocinio Principis, aliisque Aulæ Regiæ privilegiis fruerentur, tum etiam ut Regum liberalitatem in se derivarent (quod plerumque accidebat) atque ab iis *Beneficia*, hoc est usumfructum prædiorum Regalium, dum vita comes esset, consequerentur. Quicumque nobilis ad famulicium Principis adsciscebatur, eidem juramento suam fidelitatem obligabat, atque exinde *Vassus* appellabatur. *Vassalli* verò (si tamen fuit, quod non credo, inter *Vassos* & *Vassallos* discrimen) ii nuncupati videntur, qui inferioris ordinis erant, & æque tamen atque *Vassi* Regi famulabantur. *Vassi* & *Vassalli Regis* occurrunt in Capitulari Anni DCCCXXIII. sub Ludovico Pio. Ac propterea id genus non ignobiles famuli, atque ingenui viri, Episcopis, Comitibus, atque Abbatibus inservientes, etsi interdum *Vassi* quoque dicantur, sæpius tamen *Vassallorum* nomine donati visuntur. Fuerunt enim Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Episcopis, & demum Abbatibus, *Vassalli*, idest nobiles Famuli, *Ministeriales* etiam appellati, qui *Senioribus* hisce obsequium ac servitium præstabant, sive ad augendum splendorem domesticum, sive ad subeundos pro eis militiæ labores. Atque inde ortum habuit Italica vox *Signore*, quæ tamen communis est Gallis & Hispanis. In Italia tamen non solùm à Vassis, sed à *Colonis liberis* appellati sunt *Seniores* Domini, uti videre potes in Chartis Monasterii Vulturnensis Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. Altera verò vox *Padrone* nata est è *Patronus*, quo nomine Liberti, Aldii, atque alii, ut ajebant, *Pertinentes*, suos Dominos distinguebant, quum adhuc ab eorum jure penderent: de qua re in Dissertatione XV. *de Manumiss.* sermo erit. Ceterum, ut dixi,

dixi, necesse minime fuisse videtur ad *Vassos* constituendos, ut *Beneficii* cujuspiam collatio præcederet. Interdum in ipso famulicii, seu *Vassatici* exordio se liberalem Senior præbebat; interdum post probatam Vassi diuturnam fidem, præmii loco eis è proprio, sive Regali patrimonio fundum aliquem largiebatur, aut ex Ecclesiarum spoliis, prout iniquitas eorum temporum ferebat: de qua re infra agetur in Dissertat. LXXIII. *de Monaster. in Benefic. datis*.

Et primò nihil ad rem facit Aimoini Floriacensis Monachi auctoritas, qui Sæculo tantùm X. seu potius XI. Francorum Historiam conscripsit. Quicumque vetustissimi Annalium Francorum Historici apud Du-Chesnium Tomo I. tradunt *Melidunum* à Clodoveo Rege una cum Ducatu traditum *Aureliano*, nihil *de jure Beneficii* habent; ac præterea quid importet hoc nomen, infra constabit. Ruit autem ad ipsum primum aspectum Molinæi sententia, ubi donationem memorat *antiquorum Feudorum*, *factam Monasterio Sancti Germani Pratensis*. Ecquando enim dona à Regibus effusa in Monachos, *Feudi* nomen retulere? Ipsum Diploma jam editum vide: nihil tale inde exculpas. Deinde olim *Vassus* sive *Vassallus* evadebat, quisquis Regi, aut Potentibus, *Commendare* se poterat. *Commendatio* ista *Vassaticum* quoque appellata. *Ut se in Vassaticum Comitibus nostris more solito commendent.*, concessum legitur in Privilegio Hispanis dato à Ludovico Pio Augusto apud Baluzium Anno DCCCXV. Lege ibi sequentia: *Et si Beneficium aliquod quisquam eorum ab eo, cui se commendaverit, fuerit consequutus: sciat se de illo tale obsequium Seniori suo exhibere debere, quale nostrates homines de simili Beneficio Senioribus suis exhibere solent*. Ita in Annalibus Francor. ad Annum DCCCLVII. *Tassilo Dux Bajoariorum in Vassatico se commendavit* Pippino Regi. Nithardum quoque audi Lib. 3. Histor. *Si Honores, quos idem in Burgundia habuit, eidem donare vellet, ut se illi commendaret, præcepit*. Heic manu tangis, *Vassos* antea creatos, quàm *Beneficium* consequerentur; neque Seniores ulla obligatione adactos fuisse ad ejusmodi Beneficia Vassis tribuenda. Hisce adde Caroli Magni Capitulare Anni DCCCXVII. pag. 495. Baluzianæ editionis, ubi ista occurrunt: *De Vassis Dominicis, qui adhuc intra casam serviunt, & tamen Beneficia habere noscuntur, statutum est, ut quicumque ex eis cum Domno Imperatore domi remanserint, Vassallos suos Casatos secum non retineant, sed cum Comite, cujus pagenses sunt, ire permittant*. En veram *Vassorum* ideam, qualem antea mihi effinxeram. Famuli erant honoris caussâ adhibiti in Aula sua à Regibus, & *intra casam serviebant*; hoc est *in Palatio*, ut habet titulus, Regi inserviebant. Secundò necesse minime fuit, ut iis traderetur *Beneficium* quodpiam. Satis verba prælaudatæ Legis produnt, fuisse ex iis complures Beneficio donatos, alios verò ejusmodi donis caruisse. Tertiò Vassis ipsis, qui *Vassi Regii*, & *Vassi Dominici* appellabantur, erant *Vassalli* subjecti, idest ingenui homines, qui ideo *Casati* nuncupantur, quòd *in Casa*, hoc est in domo Comitum, Episcoporum, & Abbatum, famulicii, simulque honoris caussâ, residebant; ideoque diminutivo nomine *Vassalli* vocati videntur, quasi Famuli minores, quod *Vassis* sive *Famulis Regiis*, & ipsi famularentur. Quæ quum dico, negare rursus nolo, quin & *Vassi* appellati fuerint ii etiam, qui Primatibus inserviebant; neque enim hujus rei desiderantur exempla. Titul. 79. Ribuariæ Legis Cap. 3. *Si alicujus Seniscalcus, qui servus est, & Dominus duodecim Vassos infra domum habet, occisus fuerit* &c. Ita in Lege 121. Langobardica Caroli Magni memorantur *Vassi fortiores Comitum*. Quæ omnia eò nos deducunt, ut intelligamus, non dissimiles fuisse *Vassos* & *Vassallos* ab honorariis Famulis, sive nobilibus sive ingenuis, quos nunc *Cortigiani*, *Uomini di Corte*, *Familiari*, appellamus. Neque iis caruere Episcopi, uti ex innumeris exemplis liquere potest. Unum instar omnium proferre juvat, Chartam videlicet, quam ex Archivo Capituli Canonicorum Patavii olim descripsi.

## Confirmatio jurium & bonorum facta in Synodo Patavina a Gauslino illius Civitatis Episcopo Canonicis suæ Chathedralis Ecclesiæ, Anno 978.

R*Egnante in perpetuum Domino nostro Jesu Christo, Anno Incarnationis ejus DCCCCLXXVIII. Anno Imperii Domni Ottoni invictissimi semper Augusti Decimo; per Indicione V. feliciter*. *Dum* Domnus Gauslinus *sancte* Patavensis Ecclesie *reverendus* Pontifex *resedisset in cathedra sui Episcopii in Domo Sancte Marie matris Ecclesie, convocata Sacerdotum, Levitarum, reliquorumque caterva tam* ex Cardine Urbis *ejusdem*, *quamque* ex singulis Plebibus, vel Oraculis *in Synodali conventu, & solerti previdentia mentes cunctorum divini verbi epulis reficeret, & spiritali ammonicione juxta Sanctorum statuta Patrum singulos quosque instrueret, & que regulariter in Synodo peragenda ac deliberanda sunt, Deo suffragante saluhriter perficeret: Tunc universo Clero ipsius Sancte Sedis cum ceteris Sacerdotibus & Levitis, reliquorumque gradu, Ordinibus Sancte Pataviensis Ecclesie, ante pretaxatum Domnum Gauslinum Episcopum venientes presentiam, quatinus ob anime sue remedium seu & predecessorum suorum, quamque etiam pro statu successorum suorum eis misericorditer subvenire dignaretur. Petentes & misericordiam postulantes, quatenus sue scriptioni ac concessioni de territoriis & vineis sacre ipsius Canonice, quem ipsi per datum atque concessum predecessorum suorum Episcoporum ad possessionem sacre ipsius Canonice habebant & detinebant, concedere dignaretur, quoniam antiqua munimina Cartarum propter rabiem Paganorum igne cremate & consumate atque perdite habebant. Tunc Sanctissimus & Reverentissimus per omnia Pontifex zelo Dei eos compatiens, & eorumdem petitiones in antro pectoris rimatim pertractans, & considerans illud veracissime dictum, que in Lege Dei continere dignoscitur, ut qui Altario deserviunt, cum Altario participentur, & qui Evangelio annuntiant, de Evangelio debent vivere, quatenus suam habentes justiciam securi possint in sancta Dei Ecclesia militare. His igitur motus tradicionibus una per consensu, voluntatemque ipsorum Sacerdotum, cunctorumque Ecclesiastici ordinis*

*dinis tradidit eis jam dictus* Domnus Gauslinus Episcopus *per ferulam pastoralem indagatricem sui Episcopii, quam in manu sua tenebat, & per hanc concessionis Cartulam in integrum omnibus rebus illis, quas hactenus tenuerunt, tempore videlicet* Domni Adelberti *bone recordationis* Episcopi, *ceterorumque antecessorum Episcoporum, & nunc ad partem ipsius Canonice detinent. Idest in primis Oratorium Sancte Lucie cum omnibus pertinentiis suis in integrum, seu & terris casalivis & sediminas earum, cum Curtis, ortis, areis, & terris cum vineis quamque & aratoriis, cultis & incultis infra eandem Civitate, sicut hactenus tenuerunt in confinio, ubi dicitur Burciniga minore. Concessit etiam eisdem Sacerdotibus terris cum vineis extra eadem Civitate, ubi dicitur Pontecurvum, que ab antiquitus Vinea Celle Canonice dicebatur. Iterumque concessit supradictorum Canonicorum aliquantulum terris aratoriis in locum, qui dicitur Lavezolo, quantum potest esse per estimacionem inter cultum & incultum jugias viginti. Decimis vero ejusdem Civitatis vel vicos ad eandem Civitatem antiquitus pertinentibus, vel aspicientibus, que á fideli Populo dantur in integrum, concessit atque largivit, tam de fructibus terræ, quam de animalibus per omnia in integrum. Donationes verò vel offersiones à quocumque antecessoribus suis Episcopis date vel concesse fuerunt, si aliquo casu perdite sunt, per hac concessionis Cartula concessit, confirmavit, & corroboravit in integrum. Hæc autem omnia superius comprehensa dedit, cedit, & confirmavit saprascriptis filiis ac Sacerdotibus Canonice ordinis ipsius sancte matris Ecclesie, tam eis qui moderno tempore sunt vel posteris eorum usque in perpetuum, ut habeant, teneant, firmiterque in perpetuum possideant, & inter se dividant, pro ut melius videtur illis, qui moderno tempore sunt, vel successoribus eorum, secundùm qualitatem uniuscujusque ordinis, absque ulla sua vel successoribus suis diminutione. Si quis autem hujus concessionis ac ordinationis, quæ per consensum Sacerdotum, Levitarum, ceterorumque Ordinibus graduum tam ex Cardine ipsius Ecclesie, quam ex singulis Plebibus vel Oraculis sacro Sinodi, quas ipse Domnus Gauslinus ordinavit, corrumpere aut infringere vel molestare presumserit ex successoribus suis, mereat pro peccatis suis à limitibus Ecclesie esse extraneus, & veniat super eum omnes ille maledictiones, quas Dominus percussit Egiptum, & in secundo adventu Christi cum Juda traditore accipiat damnationem in perpetuam perdicionem. Et ut neque ab eo, neque à successoribus suis á proprio statu removeri possit, manu propria roboravit.*

✠ Ego Gauslinus Patavensis Episcopus *ad omnia suprascripta manu mea subscripsi.*

Gandulfus Comes Veronensis, *rogatus à Gauslino Episcopo manu mea subscripsi.*

*Ego Martinus Archipresbyter Sancte Patavensis Ecclesie, huic descriptioni ac concessioni consensi & subscripsi.*

*Ego Arledeo Archidiaconus Sancte Patavensis Ecclesie, huic descriptioni ac concessioni consensi & subscripsi.*

*Ego Anselmus Presbiter Sancte Patavensis Ecclesie, huic descriptioni ac concessioni consensi & subscripsi.*

*Ego Rodivertus Presbiter Sancte Patavensis Ecclesie, huic descriptioni &c.*

*Ego Grimaldus Presbyter Sancte Patavensis Ecclesie, huic descriptioni &c.*

*Ego Dominicus Presbyter Sancte Patavensis Ecclesie, huic descriptioni &c.*

*Ego Gumpertus Diaconus huic concessioni consensi & subscripsi.*

*Ego Sigibertus Diaconus huic descriptioni ac &c.*

*Idemmo Judex Domni Imperatoris rogatus subscripsi.*

*Signum manibus* Raineri, *&* Natikeri, *&* Giselberti, Vassi ejusdem Domni Gauslini Episcopi *rogati à Domno Gauslino Episcopo, huic descriptioni manus suas posuerunt.*

*Signum manibus* Miloni, *&* Lanzoni, *&* Ingoni, Vassi eidem Domni Gauslini Episcopi, *rogati &c.*

*Signum manibus* Johannis Calvo, & Wigelmo, *&* Ingo de Runco Liutari, Vassi eidem Domni Gauslini Episcopi, *rogati &c.*

*Ego Ingelbertus Presbyter atque Cancellarius Sancte Patavensis Ecclesie ex jussione ejusdem Domni Gauslini Episcopi, consensu cunctorum Sacerdotum, & Levitarum, hanc concessionis Cartulam rogatus scripsi, atque post tradita complevi.*

Parem concessionem ab *Adelberto Episcopo Patavino*, Gauslini prædecessore factam produxit Ughellius Tomo V. Ital. Sacr. sed erroribus undique scatentem; quam itidem in sua Historia Patavina; parum tamen castigatam, rursus exhibuit Sertorius Ursatus. Heic autem animadverte, tabulis Gauslini Episcopi, non solùm *Gandulfum Comitem Veronensem* subscribere, cui nescio cur locus fuerit in eo Concilio; sed & Sacerdotes & Diaconos *ex Cardine Urbis*, ideft Cardinales Canonicos, seu Parochos Patavinæ Civitatis; non enim subscribunt Parochi suburbani ac rustici *ex singulis Plebibus*, vel Rectores *ex Oraculis*, ideft qui *Capellani* tunc appellabantur, præfecti Oratoriis, seu Ecclesiis ruralibus, Plebi subjectis, quamquam universi eidem Synodo interessent. Ad hæc subscribunt nonnulli *Vassi ejusdem Gauslini Episcopi*, nobiles nempe Viri, famulatui Præsulis addicti, qui eâ de caussâ solemnioribus sui Senioris actibus interesse consueverunt. Itaque jam primum, ni fallor, discrimen perspeximus, quod inter veterum Francorum *Vassos sive Vassallos*, & eos quos nunc *Vassallos Feudatarios* appellamus, intercedebat. Nunc, atque à multis Sæculis, nemo *Vassallus* constituitur, nisi ratione *Beneficii* sive *Feudi* collati; olim vero nihil opus fuit *Beneficio*, ut quisquam *Vassi* honore donaretur, quum id munus in eo dumtaxat situm foret, ut ad famulicium Regis, aut Ducum, Comitum, &c. adscisceretur. Quod etiam apertius intelligas è verbis Monachi Sangallensis Lib. I. Cap. 22. de Gest. Caroli Magni, ubi de quodam Episcopo ait: *Hic habuit unum Vassallum non ignobilem civium suorum, valde strenuum & industrium: cui tamen ille, ne dicam BENEFICIUM aliquod, sed ne ullum quidem aliquando blandum sermonem impendit.* Illud quoque familiare fuit, ut Seniores Vassis suis Beneficium aliquod largirentur, quo gratos se eorum servitio præberent, eorumque præsidio in rebus potissimum bellicis uterentur. Verùm nullo adhuc certo teste didici, tunc ob Beneficia collata *Vassos Seniori* fidelitatem jurasse: quum contra certum mihi sit, ob *Vassaticum*, sive Famulatum, Seniori præstitum fuisse ejusdem fidelitatis sacramentum. Annales Francorum ad Annum DCCLVII. de supradicto Tassilone Duce, qui se *in Vassatico* com-

commendavit Pippino Regi, hæc habent: *Sacramenta juravit multa & innumerabilia, Reliquiis Sanctorum Martyrum manus imponens. Et fidelitatem promisit Regi Pippino, sicut VASSUS rectâ mente, & firmâ devotione, per justitiam VASSUS DOMINO suo esse deberet.* De eodem Duce ad Annum DCCLXXXVII. addunt Annales Francici: *Contristatus Tassilo venit per semetipsum, tradens se manibus Domni Regis Caroli in Vassaticum, & reddens Ducatum sibi commissum à Domno Pippino Rege.* En ut idem ob *Vassaticum* jusjurandum præstitit; ob Ducatum verò nihil, immo ipsum Carolo Regi dimisit. Propterea *Vassi* conjunguntur cum *Drudibus*, idest *Fidelibus*. Eos etiam *Fideles* appellatos interdum invenias, uti & Sæculis antiquioribus vocabulo Salicorum, *Leudes*, hoc est, qui fidem Principi obligabant & subjectionem. Atqui non desiderabantur *Leudes*, quibus nullum adhuc Beneficium à Rege traditum fuerat, ut patet ex Lib. 4. Cap. 5. Legis Wisigothorum, ubi hæc habentur: *Quod si inter Leudes quicumque nec Regis Beneficiis aliquid consequutus, sed in expeditionibus constitutus, de labore suo aliquid acquisierit: tertia pars ad patrem perveniat: duas autem filius, qui laboravit, obtineat.* Neque à *Vassis* diversi fuere *Antrustiones*, in Lege Salica memorati. Marculfus Lib. I. Formula 18. *de Regis Antrustione* in hæc verba loquitur. *Rectum est, ut qui nobis fidem pollicentur inlæsam, nostro tueantur auxilio. Et quia ille Fidelis Deo propitio noster veniens ibi in Palatio nostro una cum Arimania sua in manu nostra Trustem & fidelitatem nobis visus est conjurasse: propterea per præsentem præceptum decernimus ac jubemus, ut deinceps memoratus ille in numero Antrustionum computetur. Et si quis fortasse eum interficere præsumserit, noverit se wirgildo suo solidis sexcentis esse culpabilem.* Hoc est pœnam triplo majorem, quàm occidens hominem ingenuum, persolvat.

Ad *Beneficia* venio sub vetustis Francorum Regibus usitata. Hæc etiam *Honorum* nomine donata, Du-Cangius animadvertit. Neque exempla desunt, quæ idem persuadere videntur. Attamen plerumque *Honorum* voce designatas reor Dignitates & Officia honorifica, puta Marchionis, Comitis, Castaldii, Judicis &c. In Ludovici Pii Lege Langobard. XXIV. *Si liber homo aut Ministerialis Comitis hoc fecerit, Honorem qualemcumque habuerit, sive Beneficium amittat.* Ita Carolus Magnus in Lege Langobard. IX. de Judicibus & Advocatis, non adducentibus *de infra immunitatem* latrones, ait: *Et qui hoc non fecerint, Beneficium & Honorem perdant. Similiter & si Bassi* (idest Vassi) *nostri hoc non adimpleverint, Beneficium & Honorem perdant. Et qui Beneficium nostrum non habuerit, bannum nostrum solvat.* Quæ postrema verba idem, quod antea proposui, non obscure confirmant: scilicet Vassos non defuisse, honore *Vassatici* fruentes, & Regis famulos, nondum tamen ullo Beneficio donatos. Nunc ergo doctissimum Bignonium audiamus, qui in Notis ad nuper laudatum Marculfum scribit *Beneficii nomine ea prædia dicta, quæ pro servitio militari à Rege, sive etiam ab aliis, concedebantur, quæ Feuda posteritas dixit.* Contra mihi latius excurrisse creditur vox *Beneficium* sub Carolinæ gentis imperio. Hoc est, eo nomine tunc distinctos fuisse fundos, quorum usufructu ex concessione Domini quisquam dum viveret, perfruiturus erat, præcipue ob servitium honorificum, aut oeconomicum, aut militare, domino fundi præstitum, sive præstandum. Itaque prima notio veterum *Beneficiorum* hæc fuit, videlicet jus in acquirentem translatum perfruendi prædio tradito, dum vita comes esset. Atque hæc ipsa notio in *Beneficiis Ecclesiasticis* Clero collatis perdurat; nam ex quo Beneficia sunt, secundùm leges ususfructus eorum à Clerico, dum is vivit, auferri non potest, nisi in crimen incurrat, propter quod Beneficio spoliandus veniat. Clarissimi Monachi Benedictini è Congregatione Sancti Mauri, Martene & Durand Tom. I. veter. Scriptor. pag. 115. Præceptum Lotharii I. Augusti proferunt, Anno DCCCXLVII. scriptum, in quo is Rotgario cuidam Laico, *Ministeriali Matfridi illustris Comitis*, concedit *in Pago Riboriense, in Comitatu Juliacensi, Capellam juris nostri* &c. *quatenus eam cum omnibus ad eam pertinentibus, diebus Vitæ suæ teneat.* Addit etiam: *concedentes tribuimus, & de jure nostro in jus & dominationem ipsius cunctis Vitæ suæ diebus absque alicujus inquietudine transfundimus.* En ut concessio tamdiu duratura fuit, quamdiu in vivis futurus erat Rotgarius. Beneficium hisce verbis designatum est. Ita in Spicilegii Dacheriani Tomo tertio novissimæ Editionis pag. 390. Viennenses Monachi Anno MXXV. *Wagoni & uxori ejus Eldelæ* terras quasdam concedunt, *quamdiu Eldela vixerit*, ut ejus vir & ipsa *nomine Beneficii serviant Deo, Sanctoque Andreæ & Monachis.* Ibidem quoque pag. 363. Viennensis Episcopus Anno DCCCLXXXVII. Teutberto Comiti Mantulam Villam *jure Beneficiario* concedit, *ut quamdiu ipse Comes, & uxor ejus carne vixerint, eamdem Villam lege Beneficiaria, usuque fructuario teneant.* Secundo *Beneficia* temporis illius cum *Precariis*, sive *Præstariis* confundebantur, eo tantum titulo ab ipsis distincta, quod *Emphyteuses* aut ad annos XXIX. aut ad tertiam usque generationem, aut ad alios temporis limites protendebantur, easque renovare quinto quoque anno, aut serius erat opus; *Beneficia* verò ad vitam usque accipientis conferebantur, neque renovanda concessio fuit. Vide Marculfum Lib. 2. Formulâ V. *Precaria de Villa* facta viro & uxori. Ibi hæc lego: *Ut ipsa Villa, dum advivimus, aut qui pari suo ex nobis suppreslis* (pro superstes) *fuerit, dum advivit, nobis ad BENEFICIUM usufructuario ordine excolendum tenere permisistis.* Ita in Appendice Baluziana ad eumdem Marculfum Cap. 28. *Præstaria ad Ecclesia.* Ibi hæc animadvertenda: *Postea ad petitionem tuam non denegavimus, nisi ut ipsas res ad præstitum BENEFICIUM tibi præstare deberemus. Quod ita & fecimus, sic taliter, ut tempore vitæ tuæ ipsas res pro nostro BENEFICIO habere debeas.* Sunt & alia ejusmodi exempla. Tertio *Beneficia* quoque feminis olim concedebantur: ex quo intelligas, non eadem plane fuisse, ac *Feuda* subsequentium Sæculorum, quæ viris tantummodo, & quidem propter militare servitium, largiri mos fuit. Duo exempla nuper attuli. Tertium addo. In Formulis à Lindenbrogio editis Cap. 22. *Precaria ad casam Dei* habetur, in qua mulier ait: *Expetii à vobis, ut ipsas res, quamdiu advivo, sub usu BENEFICII vestri tenere & usuare debeam &c.* Quarto *Beneficia*, quæ Sæculares viri de rebus Ecclesiarum consequebantur, censum annuum, aut Decimas & No-

Nonas, reddere consuerunt: quod à Feudorum natura aliquantum dissentit. Apud Baluzium Tom. 3. pag. 156. Miscellaneor. Diploma Ludovici Pii legitur, in quo ait: *Baro Vassallus noster nobis innotuit, quod quamdam Villam sitam in pago Cenomanico, nomine Tridentem, de jure Cenomanicæ matris Ecclesiæ per nostrum BENEFICIUM possideret, de qua per singulos annos Nonas & Decimas, & legitimos census præfatæ matris Ecclesiæ Rectoribus persolveret*. Alterum ejusdem Augusti Diploma vide pag. 104. huic simile. Tertium quoque pag. 171. Ibi quoque pag. 158. Charta occurrit, in qua notum fit, Villas quasdam à Pippino Francorum Rege Anno Christi DCCLII. Cenomanensi Ecclesiæ fuisse restitutas. Vulfingus verò eas petens, inquit: *Dum ego advivo, pro vestro BENEFICIO mihi ipsa loca liceat tenere & dominare. Et spondimus vobis annis singulis hibernaticam argento Libra una ad parte Sancto Gervasio &c.* Alia exempla prætermitto, unum hoc tantummodo additurus, nempe occurrere Mancipia *Beneficii* titulo alicui donata, hoc est eâ conditione, ut post accipientis mortem in plenam Domini directi possessionem redirent.

Equidem optassem, ut luculentius constaret, quibus ritibus, quibusve verbis, pactis, & tabulis ante Annum à Christo nato Millesimum *Vassi* constituerentur, eisque *Beneficia* traderentur; inde enim certiorem hauriremus lucem ad dignoscendum, an idem plane fuerint antiquorum *Beneficia*, & subsequentium temporum *Feuda*. Verum heic Chartæ nos deficiunt, fortasse quod Ecclesiæ & Monasteria, è quarum unis ferme Archivis Chartarum supellex superstes petenda est, concessiones Beneficiorum præsertim Laicorum negligerent: sublato enim è vivis Beneficii possessore, fundum Senior recipiebat, nisi ex indulgentia sua eumdem elargiretur defuncti viri heredibus. Attamen quæ pauca innui, ejus mihi videntur roboris, ut continuo antiquorum *Beneficia* tam facile accipienda non sint pro iisdem ex omni parte *Feudis*, quæ posterior ætas usurpavit; neque *Vassi* & *Vassalli* ante Annum à Christo nato Millesimum iidem judicandi plane sint, atque *Vassalli* subsequentis ævi. Ceterum Vassis Imperatorum aut Regum accedebat multum honoris ac privilegii. Quippe animadvertere in eos, eorumque personas ad judicium suum trahere, Comiti, aliisque Reipublicæ Ministris minime licuit: sed eorum caussæ atque personæ uni Imperatoris, aut Regis, aut Comitis Palatii judicio suberant. Immo quum Carolus M. in Lege 43. Langobardica edixerit, *ut Comes Palatii nostri potentiorum caussas sine nostra jussione finire non præsumat*: sub nomine *potentiorum* Vassos ipsos comprehensos opinari fas est. At quia nonnulli ex iis pertinaces interdum erant in criminibus, & quamquam moniti à Comite, immo & quandoque anathemate ab Episcopo perculsi, utriusque Præsidis vocem contemnebant, Lotharius I. Augustus Lege XV. inter Langobardicas facultatem Comitibus contulit, ut in ejusmodi contumaces, minas & arma justitiæ exererent, certiore tamen prius Principe facto, quàm in vincula eos conjicerent. *Si pro quibuslibet caussis, culpis, atque criminibus* (ita ille statuit) *quæcumque persona totiens correpta fuerit, ut etiam excommunicatione Episcopali pro contemptu digna habeatur: Comitem suum Episcopus sibi societ, & per amborum consensum hujusmodi distringatur contemtor, ut jussioni Episcopi sui obediens existat.* Infra addit: *Si autem Vassus noster in hac culpa fuerit lapsus, sicut supra, à Comite distringatur. Quod si eum non audierit, nobis nuntietur, antequam in vinculis mittatur*. Hæc autem illud etiam indicant, non in Aula tantùm Regia, sed per universas Regni Provincias, fuisse Regibus atque Imperatoribus Vassos, hoc est honorarios Famulos, iisdem fruentes Privilegiis, eodemque Regum patrocinio, quo ceteri ad Palatii servitium constanti ordine adhibiti. Propterea in antiquis monumentis occurrunt *Vassi Regii* extra Aulam Principis, qui præcipue honoris gratiâ Comitum Placitis interesse consuerunt. In ipsis etiam Placitis eos conspicias præcessisse *Scabinis* Civitatum, quorum tamen valde honorificum fuit munus, ut in præcedenti Dissertatione dixi. Illius etiam dignitatis reperias Vassos Dominicos, ut interdum splendido *Missorum Regalium* officio fungerentur, & per Provincias profecti abusus tollerent, & suum cuique jus reddendum auctoritate amplissima curarent. Ludovici Pii Legem Langobardicam 54. habeo, in qua statuitur, ut *Missi Dominici*, extra suam Judiciariam *conjectum*, hoc est contributionem necessariam ad suum victum ac iter, à Populo non accipiant. Tum ibi additur: *Vassi verò nostri & Ministri alii, qui Missi sunt, ubicumque venerint, inde conjectum accipiant*. Quam rem ut sub oculos Lectorum sistam, producere juvat Placitum, cujus archetypum vidi in insigni Tabulario Lucensis Archiepiscopii.

Johan-

## Johannes & Heriprandus Vassi Imperiales & Missi Ludovici II. Augusti, in Placito Lucensi litem dirimunt de Ecclesia Sancti Quirici, Anno 857.

*Dum ad potestate Domni Hludowici perpetui Augusti partibus Tusciae Missi directi fuissemus nos* Johannes *&* Heribrandus Vassi Imperiales, *singulorum hominum justitiam faciendam, cum venissemus Civitate Luca, resedentes nos injuditio Curte Ducale cum* Jeremiam Episcopum, *&* Hildebrandum Comitem, *Adelbertum, Ratfredum, & Ratpaldum Judices Sacri Palatii; erantque nobiscum* Ademarius, Teodemundus Vassi idem Augusti, *Ardo, Cunimundus Scavinis: erantque nobiscum Osso, Minto, Liutperto, Rumaldo, Gisperto, Audo ...... Johannes, & reliqui multis. Ibique in nostri venerunt presentia, idest Gisulfus Advocatus Episcopii Civitatis ipsius Lucensis, nec non & Andreas Scavinus Advocatus Monasterii Domini Salvatoris, situm Sextum, altercationem habentes. Dicebat ipse Gisulfus Advocatus jam dicti Episcopii*: pars Monasterii Domini Salvatoris ...... malo ordine, & devestivit jam dictum Episcopium de Ecclesia Sancti Quirici in loco Arme, cum res ad eas pertinentes: unde querimus habere justitiam ...... *Advocatus*: scio Basilicam ipsam in honore Sancti Quirici in eodem loco Arme, sed nescio, si pars Monasterii Sexto Basilicam ipsam habead: volo inde habere ...... da parte Monasterii. Et postea inde mittendum rationem. *Qualiter sicut ipse Andreas dixerat, wadiam dedit inde inquirendum, & rationem mit ...... Ipse Gisulfus Advocatus dedit wadia de plaido in constituta die in eadem Curte Ducale, ubi in judicio residebamus presentia nostra, quorum ...... traque pariter venerunt. Et cepit ipse Gisulfus querere, sicut dudum, quod Basilicam ipsam injuste pars Monasterii Sexto detineret. Respon ...... se Andreas Advocatus*: de Basilicam ipsam edificatam in honore Sancti Quirici in loco Armae inquisivi pars Monasterii Sexto, sed Basilicam ipsam sicut ...... sam & quo operta est, cum portico de ante se habente, à parte Episcopii hujus Lucensis pars Monasterii Sexto non contradicit, quia n .... parti ejusdem Monasterii pertinet, & de res ad ipsa Basilica pertinente, de quibus me mallasti, quod pars predicti Monasterii parti predicti Episcopii contradiceret; verum non est, quia nichil de rebus pertinentem ad ipsam Basilicam pars Monasterii Sexto habet, nec nullam de ejusdem ...... Basilice pertinentia pars Monasterii Sexto pertinet. *Profecto ac facta rectum nobis paruit esse, & judicavimus, ut pars ...... Lucensis juxta eidem Andream professione jam dictam Basilicam, porticale ante se, atque cum rebus ad eam pertinentes habere ...... deberet absque ulla contradictione de parte Monasterii Sexto. Et hanc notitiam, qualiter actum est, pro securitate jam dicti Episcopii Lucensis facere commonuimus.*

*Quidem & ego Apollinaris Notarius ex mandato & admonitionem scripsi Anno Imperii Domni Hluduvici Hoctabo, Mense Decembrium, Indictione Sexta.*

Ego Johannes Missus Domni Imperatoris subscripsi

Ego Eriprandus Missus Domni Imperatoris subscripsi.

*Adelpertus Missus Domni Imperatoris interfui.*

*Ratfredus Notarius Domni Imperatoris interfui.*

*Ego Teopaldo ibi fui.*

*Signum manus Hermenfredi, qui in his actis interfuit.*


En ut Vassi isti duo Imperiales, Missi à Ludovico II. Imperatore, muneris sui caussâ praecedunt *Hieremiae Episcopo Lucensi*, & *Hildebrando Comiti* ejusdem Civitatis. *Comiti*, inquam, dumtaxat; nam quod Cosmus de Arena in seriem Ducum Tusciae hunc ipsum Hildebrandum intulisse videatur, hujus ipsius Placiti mentione injectâ, invitis certe Superis ac hominibus id fecisse mihi creditur, quum temporibus iis universae Tusciae praeesset *Adelbertus I. Dux & Marchio*, ac propterea nullus in catalogo Ducum Tusciae locus Hildebrando relinquatur. Quum verò & Comites & Duces & Episcopi olim *Vassos*, idest famulos, familiares, domesticos nobiles sibi adsciscerent, eosque per jurisjurandi obligationem *Fideles* sibi facerent: contingebat, ut hi servitium illud pertaesi, aut spe lucri majoris ducti, priore Domino contemto, ad alium avolarent: quae res non paucas olim excitavit turbas atque querimonias inter Italiae Magnates. Itaque Pippinus Italiae Rex Lege 47. antidotum istud morbo gliscenti adhibuit. En ejus verba: *Stetit nobis de illis hominibus, qui heic infra Italiam eorum Seniores dimittunt, ut nullus eos recipere debeat in Vassaticum, sine commeatu* (Italice *commiato*, *licenza*) *Senioris sui, antequam sciat veraciter, pro qua caussa ipse suum Seniorem dimisit. Et ille homo, qui eum recipere voluerit, debeat eum in nostra praesentia praesentare* &c. Quod si Du-Cangius dubitat, an *Vassi Comitum* à *Vassis Dominicis* distinguerentur, profectò nulla mihi dubitandi caussa occurrit: certissimum quippe puto, nihil aliud fuisse *Vassos Comitum*, nisi Familiares nobiles ad servitium Comitis, non verò Regis adscitos; Vassos verò *Dominicos* à Domino, hoc est à Rege, ita appellatos. Quod etiam animadvertas velim: si quis Vassallus Comitum, Antistitum, Abbatum, aut Abbatissarum (nam & istis olim fuere Vassi) in Regem delinquebat, ab eo *Beneficium* auferebatur. In Constitutione Ludovici II. Augusti pro expeditione Beneventana Tomo II. Rer. Italicarum pag. 265. haec habemus: *Quod si Comes aut Bassi nostri* (nisi) *aliqua infirmitate* (detenti) *remanserint, aut aliquem excusatum retinuerint; aut Abbates vel Abbatissae, si plenissime homines suos non direxerint, ipsi suos Honores perdant* (heic etiam vide *Honorum* nomine Dignitates significari) *& eorum Bassalli & Proprium & Beneficium amittant. De Episcopis autem cujuscumque Bassallus remanserit, & Proprium & Beneficium perdant.*

Videmus heic & *Proprii* & *Beneficii* mentionem factam: quae bonorum differentia nos nunc ad se compellat. Et profectò praeter *Beneficia* & *Emphyteuses*, olim quoque, non secus atque nostris temporibus, numerabantur bona *Patrimonialia* ac *Propria*. Hinc *Allodii* vox


vox processit, efformata, ut creditur, à Saxonico *Al*, sive *All*, significante *possessionem* aut *plenitudinem*, quæ conversa est in *Alode* & *Alodium*; sive ut Hichesius opinatur, è Scando-Gothico *Lod* vel *Lood*, quod *fructum* seu *proventum fundi* significat; Aut ex *All*, *Omnis*, & *Od*, quæ duæ voces conjunctæ *Omnimodam proprietatem*, vel *propriam possessionem* indicant, uti alii censuerunt. Præstare nolim certitudinem hujusmodi originum. Quod nostra refert, hanc vocem Glossæ veteres apud Lindenbrogium ita explicant: *Allodium dicitur hereditas, quam vendere vel donare possum, ut mea propria*. Vide Martinium, Du-Cangium, Bignonium, ac præsertim Eccardum in Notis ad Legem Salicam Tit. 62. *Allodialia bona* nunc etiam passim dicimus, quæ ita in nostro jure sunt, & *Propria*, nulliusque privatæ personæ juri obnoxia, ut ea pro lubitu ad heredes transmittere, vendere, commutare, aut donare nobis liceat, non interdicente Principe, aliisve dominis inrequisitis. *Allodiis* opponuntur *Beneficia*, seu *Feuda*, *Emphyteuses*, aliaque bona, quorum usum aut usumfructum quisquam possidet, penes alium remanente dominio. Hujusmodi bonorum differentiam sentias velim in Diplomatis duobus, quæ ex insigni Archivo Monachorum Casinensium Sancti Sixti Placentini depromta fuere En primum

## Caroli Crassi Italiæ Regis Privilegium concessum Angelbergæ Imperatrici viduæ, quo omnia illius bona & jura confirmantur, Anno 880.

*IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Karolus divinâ favente clementiâ Rex. Noverit igitur omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria*, Angilbergam *dignæ recordationis* Hludowici *excellentissimi* Imperatoris Consobrini nostri Conjugem Augustam, *dilectam* Sororem nostram, *mansuetudinis nostræ petiisse censuram, ut qualiter idem Augustus Domnus & vir suus per suorum præceptorum paginas contulit, concessit atque donavit, qualiterque noster Genitor divæ memoriæ clementissimus Rex, sui erga Nepotem instinctu amoris, suam adjungens auctoritatem simili, ut ille, modo confirmavit ei universa, quæ* Karlomannus Frater noster *gloriosus Rex per auctoritatis suæ præcepta eidem contulerat; taliter etiam nos piam eorumdem imitantes munificentiam erga præfatam Augustam agere debeamus, ea, quæ sibi ex dono & largitate tam Patris & Consobrini, quamque & Fratris nostri competunt, nostrâ auctoritate roborantes & solidantes pariter, scilicet cum his omnibus, quæ à reliquis Progenitoribus & propinquis nostris propriæ virtutis à Deo censura sibi quoquo modo videntur concessa vel confirmata. Nos igitur ejus precibus, quia non injustæ visæ sunt, adsensum dedimus, decernentes clementer, & per hoc nostræ sublimitatis præceptum omnimodis santientes, ut universa, quæ ille magnificus quondam Hludowicus sæpenominatus Imperator Consobrinus noster, Senior & Vir ejus, ipsi qualicumque modo contulisse atque concessisse probatur, eodem ordine atque tenore, irrefragabiliter* habeat, retineat, atque dominetur, quædam *videlicet*, quoad vixerit, usufruendo, & potestative ordinando; quædam verò perpetualiter possidendo, & cui voluerit dimittendo *absque ullius contradictione vel diminoratione, seu injusta molestatione. Non solùm autem de his, quæ à suo Viro carissimo Consobrino nostro, atque Fratre optinuit, de quibus illa juxta quod constitutum est, atque per omnia volumus, atque concedimus, verum etiam & de illis, quæ ipsa sibi quocumque ingenio juste ac legaliter, ut prætulimus, undecumque, vel à quibuscumque adquisivit, liberam ei in cunctis tribuimus facultatem, tam pro sua & Senioris sui anima per loca venerabilia donandi, quàm & quibuscumque aut qualitercumque distribuendi, quemadmodum, ut præfati sumus, sanctæ memoriæ Genitor noster per sui præcepti formulam confirmasse illi & decrevisse dinoscitur. Quicumque vero hæc Patris & Consobrini ac Fratris nostri, nostraque statuta violaverit, aut immutaverit, &, quod non putamus, supradictam Augustam amabilem Sororem nostram de his, quæ sibi tam ab ipsis, quàm à nobis concessa & confirmata sunt, juxta votum proprium agere non permiserit, aut ejus factum in aliquo irritum fecerit, sciat se in futuro æterni Judicii sententia puniendum, & in præsenti per hanc nostram auctoritatem centum Libras auri probati pœna mulctandum: quarum medietas Fisco nostro exigetur, & medietas ei, cui injusta molestia fuerit facta, persolvetur. Et ut hæc nostræ largitatis concessio pleniorem in Dei nomine optineat firmitatem, hoc nostræ auctoritatis præceptum inde conscribi mandavimus, propriaque manu confirmavimus, & anuli nostri impressione adsignari præcepimus.*

*Signum*  *Karoli serenissimi Regis.*

*Hernustus Subdiaconus ad vicem Liuthwardi recognovi & subscripsi.*





*Data*

*Data X. Kalend. Aprilis Anno Incarnationis Domini DCCCLXXX. Indictione XIII. Anno Regni Regis Karoli in Italia Primo.*

Bouchetus in Libro de vera origine Francorum Regum *Angelbergam* ( *Engelbergam*, & *Ingelbergam* alii appellant ) Ludovici II. Augusti conjugem, tamquam *Spoletani Ducis* filiam nobis exhibet. Sammarthani verò fratres in Histor. Genealog. Reg. Francor. Lib. 3. scribunt, ab Historicis germanis tradi, patrem illustri huic mulieri fuisse *Ethiconem Welphum* filium Ethiconis Ducis, ut ajunt, Sueviæ. Contra Campius in Histor. Placentinæ Ecclesiæ ad Annum DCCCLXXIV. & alibi tradit, Angelbergam *Filiam* fuisse *Ludovici I. Germaniæ Regis*, ac propterea *Sororem Ludovici II.* itidem Germaniæ Regis, & *Carlomanni* Italiæ Regis, & *Caroli Crassi Imperatoris*, ad quem spectat Diploma nuper editum. Et reapse monumenta, quæ adservantur in prælaudato Benedictinorum Monasterio Placentino, id persuadere videntur. Infra in Dissertatione XVII. *de Fisco*, & in Dissertatione LXXI. *de Episcopor. potentia*, Diplomata duo proferam, in quibus iidem Carlomannus & Carolus Crassus eam viventem Anno DCCCLXXVIII. & DCCCLXXXII. disertis itidem verbis *Sororem nostram* appellant. Nunc autem ad uberiorem hujus rei lucem Præceptum Conradi I. Augusti Lectori offero, eductum ex ipsius Placentini Cœnobii Cartophylacio, ubi eadem Angelberga *Karlomanni Soror* aperte dicitur.

## Conradi I. Imperatoris Diploma, quo Parthenoni Sancti Xysti in Urbe Placentina posito omnia Privilegia illius & jura confirmat, Anno 1038.

*IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Chuonradus divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Cunctorum liquido fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet ac futurorum noverit industria, quod nos ob interventum ac petitionem* Gislæ Imperatricis, nostræ *scilicet dilectæ* Contectalis, *nostrique Imperii consortis, &* Heinrici Regis nostræ *amantissimæ* prolis, *& nostri fidelis* Episcopi & Cancellarii, *per hanc præceptalem paginam Abbatiæ Sancti Sixti, cui præest* Adeleida *venerabilis* Abbatissa, *concedimus, confirmamus, & corroboramus illa omnia, quæ habentur, & scripta sunt in illo Præcepto, quod nostri antecessores Imperatores, videlicet* Karlomannus *&* Ludovicus *precibus & interventu* Angilbergæ *ejusdem* Karlomanni Sororis *&* Ludovici Uxoris *eidem Placentino Cœnobio fecerunt & confirmaverunt, scilicet* liberam & privatam potestatem agricolis & pinsionariis prælibati Monasterii concesserunt, & sicut intra Urbem Placentinam, vel circum vias publicas ad ipsius Monasterii fines dilatandos, vel quandoque muniendos dederunt, & veluti universos aquæductus in ipso Comitatu Placentino ad profectum jam dicti Monasterii adjecerunt, ita concedimus, confirmamus, & corroboramus, eo scilicet ordine, ut prædictum Monasterium habeat, teneat, atque dominetur; & nullus ejusdem loci agricolas & pinsionarios inquietare præsumat. Cui insuper nostra præceptaria auctoritate liceat, cum voluerit, sicut supradictum est, ad profectum Monasterii stratas Placentinæ Urbis perfodere intus & foris, & aquæductus aut veteres reformare, aut novellos instituere, aut quos voluerit in alteram partem transmutare sine omni publicæ partis contradictione; sed ita scilicet pontibus aut aliis instrumentis ipsæ viæ parentur, ut euntes & redeuntes transire possint. Si quis igitur huic nostro præcepto contraire aut obviare voluerit, sciat se compositurum auri probati Libras centum, medietatem Kameræ nostræ, & medietatem præfato Monasterio. Quod ut verius credatur & diligentius ab omnibus observetur, manu propria roborantes, præsentem paginam Sigilli nostri impressione jussimus insigniri.*

*Signum Domni Chuonradi*  *Romanorum Imperatoris Augusti.*

*Kadelous Cancellarius vice Herimanni Archiepiscopi & Archicancellarii recognovit.*

Locus ✠ Sigilli.

*Datum XIII. Kalend. Aprilis, Anno Dominicæ Incarnationis MXXXVIII. Indictione Sexta, Anno Domni Chuonradi Regni XIV. Imperii XIII.*

*Actum juxta Perusium in Monasterio Sancti Petri, feliciter. Amen.*

Verùm quia Conradus à Carlomanno nimium ætate remotus fuit, parum usui nobis futura videantur illius verba. Proinde præferendas reor Chartas Carlomanni ejusdem, uti & Caroli Crassi, quas nuper memoratus Campius protulit in Appendice ad Tom. I. Histor. Eccles. Placentin. ubi eadem *Sororis* appellatio occurrit. Itaque ista ante oculos habens, [illegible] mihi & ego persuasi, stare inconcussam Campii sententiam, neque alium *Angelbergæ* patrem [illegible], nisi *Ludovicum I. Bajoariæ*, sive Germaniæ Regem, Ludovici Pii Augusti filium. Attamen re diligentius [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Diploma [illegible] ejusdem Ludovici I. [illegible] in eadem [illegible] [illegible] itque [illegible] DCC[illegible] [illegible] [illegible] ac [illegible] nostra [illegible]. Ejusmodi verba

verba significant, non naturâ quidem, sed spiritali adoptione Filiam Ludovici ejusdem Regis fuisse Angelbergam : hoc est ab eo de sacro Fonte susceptam. *Filioli*, & *Filiolæ*, & *Filii Baptismatis*, & *Filii spiritales* olim dicebantur Infantes à Patrinis suis de Baptismo sublati. Nobis nunc *Figliocci* dicuntur. Quare quum *Sororem nostram* à Carlomanno Rege, & à Carolo Crasso Augusto fratribus Angelbergam Imperatricem inscribi audimus, dubitare licet, eâdem significatione usurpatam hanc vocem, ita ut *Soror spiritalis*, non verò uterina, neque naturalis, eorumdem Regum fuerit. Atque in eam sententiam proniùs feror, quod iis Sæculis, rigidiùs etiam quàm nostris, inire conjugia inter Consanguineos nefas esset. Et nondum mos invectus fuerat, ut Romani Pontifices *dispensatione* adhibitâ impedimentum Canonicum tollerent. Juveninus in Comment. de Sacrament. Dissert. X. de Matrimon. auctor est, *Paschalem Papam II. Sæculo XII. primum fuisse Pontificem, qui dispensarit in gradibus consanguinitatis*. An stabilis sit illius sententia, non est hujus loci inquirere. Illud nobis in præsentia sufficiat, tunc abhorruisse Ecclesiam à Matrimoniis inter Conjunctos & Affines usque ad certos gradus, neque disciplinam hac in re laxari tunc consuevisse. Atqui, si vera esset Campii opinio, nimis arctum sanguinis vinculum intercessisset inter Ludovicum II. Imperatorem, atque Angelbergam, quam tamen nemine contradicente, aut *dispensante*, ei sacro fœdere conjunctam novimus, uti è sequenti schemate patebit.

Ludovicus Pius Imperator.

| Lotharius I. Augustus. | Ludovicus I. Germaniæ Rex |
|---|---|
| Ludovicus II. Augustus. | Angelberga, ut Campius putat, ab eo genita. |


Ad hæc, uti Du-Cangius animadvertit, Reginæ & Augustæ à Regibus exteris *Sororis* appellatione, honoris & amoris causâ interdum donabantur : qua ratione nostris etiam temporibus Galliæ Reges *Fratris* aut *Consobrini* titulum deferunt Principibus exteris, si quando ad eos scribunt. Quæ omnia eò nos ducunt, ut Campii sententiæ diffisi, dubitare possimus, num alius à Ludovico Germaniæ Rege parens Angelbergæ contigerit. Quisnam verò ille fuerit, is mihi & aliis prodat, qui majore otio quàm ego ad rem altius investigandam abundet. Attamen vide infra in Dissert. XVII. *de Fisco* Diploma prælaudati Caroli Crassi, ubi is *Hermingardim*, ipsius Angelbergæ filiam, *Neptem suam* appellat. Eo sane vocabulo Campii opinio non parum juvatur.

Diploma Caroli Crassi Regis nuper à me evulgatum resumo ; neque enim dissimulandum reor, occurrere in eo aliqua fictionis aut interpolationis signa. Ut mittam, locum dati Diplomatis ibi desiderari : quod tamen apponi consuevit ; mihi fidem Chartæ ipsius elevare, immo prorsus atterere videtur, appositum ibi sigillum, *Carolum Imperatorem*, nobis exhibens quum certe is Anno DCCCLXXX. decimo Kalendas Aprilis nondum Imperiales titulos assumserit, ac diserte in ipso Diplomate *Regem* dumtaxat inscriptum videamus. Plura non addo ; neque enim mihi habere sub oculis licuit pergamenam illam, ut certius in eam judicii aciem intenderem. Verùm nequaquam inutilis censenda est hujusmodi aut interpolatorum aut dubiorum monumentorum cognitio, quum & ipsa collata cum aliis, ad veritatem Historiæ melius constabiliendam, & ad antiquorum industriam deprehendendam, imitatione tamen indignam, conducant. Ceterum ejusdem quoque Caroli Crassi nondum Imperatoris Diploma habes apud supra memoratum Du-Cangium in Appendice Tomi I. pag. 467. Datum dicitur *V. Kalendas Januarii, Anno Incarnat. Dominicæ DCCCLXXXI. Indictione XIV. Anno Regni Domni Karoli Regis in Francia V. in Italia II. Actum Placentiæ*. Heic Annus DCCCLXXXI. exordium cepit à præcedenti Natali Domini, atque adeo datum Diploma fuit Anno vulgari nostro DCCCLXXX. Alterum itidem Campius ipse adfert pag. 465. *Datum XII. Kalendas Junii, Anno ab Incarnat. Domini DCCCLXXX. Indictione XIV. Anno Domni Karoli piissimi Regis in Francia V. in Italia II.* At heic vitium latet, quum *Anno DCCCLXXX. Duodecimo Kalendas Junii decurreret Indictio XIII.* non verò *XIV.* Ita apud Puricellium in Monument. Basilicæ Ambrosianæ, Diploma ejusdem Caroli Crassi Regis legitur, *datum Papiæ XII. Kalendas Aprilis, Anno ab Incarnatione DCCCLXXX. Anno Regni in Francia IV. in Italia I.* De cujus tamen Diplomatis fide dubitavi ego alibi. Verùm hæc ipsa, quæcumque sint documenta, illud saltem persuadere videntur, scilicet inaugurationem Caroli Crassi in Regem Italiæ recte ab Annalium Ecclesiasticorum parente Baronio consignatam fuisse Anno DCCCLXXIX. quod nempe Carlomannus ejus frater, antea Rex Italiæ constitutus, cum variis morbis colluctaretur, atque imparem se præberet ad Regale onus ultra sustinendum. Et ad eum quidem Annum DCCCLXXIX. in hæc verba loquuntur Annales Bertiniani : *Karolus Ludovici quondam Germaniæ Regis filius in Longobardia perrexit, & ipsum Regnum obtinuit*. Sed jam tamdem succedat alterum ejusdem Caroli Crassi Diploma, quod nuper fueram pollicitus, atque argumentum nostrum repetamus.

Con-

## Confirmatio omnium bonorum & jurium spectantium ad Angilbergam Imperatricem Viduam a Carolo Crasso Imperatore, Anno 887.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus divinâ favente clementiâ Imperator Augustus. Oportet Imperialem dignitatem curam omnium gerere subjectorum, maxime verò secundùm Apostolum, domesticorum atque propinquorum. Idcirco cunctorum fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque tam præsentium, quam & futurorum noverit solertia, quia cum dilectissima & amantissima* Soror nostra Angilberga Imperatrix quondam Augusta, Gisulfum *venerabilem* Abbatem & Medicum *ad nostram direxisset perspicuitatem, & per eum nobis significasset, quod quidam homines illi adhuc contradicerent partem ex rebus suis, quas a suo* Domno & Conjuge *divæ memoriæ* Hludowico Consobrino nostro *adquisivit, nec non & a Genitore, Patruo quoque, & a* germano nostro Karlomanno *gloriosissimo* Rege, *& a nobis illi concessa & confirmata sunt, & etiam ex his, quæ per instrumenta Cartarum adquisierat. Ideoque nostræ complacuit benignitati, secundùm quod illi concessa & confirmata sunt, inrefragabiliter redintegrando, hoc nostro præcepto rursum confirmare: eo videlicet ordine, quæ* proprietario jure *illi corroborata sunt, perpetualiter possideat, faciatque ex ipsis libere quidquid elegerit tam in divinis cultibus, quàm in humanis commoditatibus. Et quæ ei* jure beneficiario *collata sunt, secundùm suorum seriem Præceptorum, absque alicujus refragatione, vel diminoratione quiete possideat. Et si quis ulterius quolibet argumento contra hoc nostræ confirmationis Edictum agere temptaverit; scilicet invadendo aut retinendo absque ejusdem permissione quicquam ex prædictis rebus, ducentas Libras auri optimi cogatur persolvere, medietatem Palatio nostro, & medietatem eidem dilectæ Sorori nostræ. Et ut hæc certius veriusque credatur, ac ab omnibus diligenter observetur, manu propria ea subter firmavimus, & Bullæ nostræ impressione insigniri jussimus.*

*Signum Domni Karoli*  *Imperatoris Augusti.*

*Fredeboldus Cancellarius ad vicem Liutberti Archicancellarii recognovi & subscripsi.*

Deest Sigillum, quod erat appensum.

*Data III. Idus Augusti Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXVII. Indictione V. Anno Regni ejus XII. Imperii autem VI.*

*Actum Lustunoa Curte Regia in Dei nomine feliciter. Amen.*

Vide in Dissertatione XVII. *de Fisco* alterum simile Diploma. In utroque habemus numeratum *Annum VI.* Imperii Caroli Crassi; an vero vitiose, consule quæ in Dissertatione XLI. *de Nominibus* attuli de Coronatione Romana ejusdem Caroli. Sed hisce dimissis, uti vidimus in præcedenti Diplomate à me edito, spectante ad Annum DCCCLXXX. Carolus Crassus Angilbergæ Augustæ se ita confirmare scribit ejus bona, *ut retineat quædam; quoad vixerit, usufruendo & potestative ordinando* (en quæ *Beneficiario* jure eadem Augusta possidebat) *quædam verò perpetualiter possidendo, & cui voluerit dimittendo* (en *Allodialia*). At in Diplomate Anni DCCCLXXXVII. quod nunc protuli, ejusmodi bonorum distinctio in majori lumine collocatur. Scilicet inquit Augustus: *quæ Proprietario jure illi corroborata sunt, perpetualiter possideat, faciatque ex ipsis libere quidquid elegerit. Et quæ ei jure Beneficiario collata sunt, quietè possideat.* Heic etiam animadverte, æque feminis ac viris collata olim fuisse *Beneficia*, ac propterea non eo solùm nomine distincta fuisse prædia, ob militare servitium viris, dum viverent, collata. Proinde in Regum, aliorumque donationibus animadvertendum est, num *Proprietatis* aut ad *Proprium*, mentio fiat, atque an concedens omnem in res datas sibi competentem ditionem in alterum transtulerit. Quod quoties occurrit ea bona in *Allodium*, non verò in *Beneficium* aut *Feudum* concessa fuisse patebit. Illud insuper præcipua observatione dignum est, non prædia tantùm, sed Curtes etiam, & Castella, atque Oppida jure olim *Allodii* possessa fuisse, ut Chartæ ipsæ indicant. Hanc rem uno Diplomate confirmatum nunc eo, quod ex antiquo exemplo descripsi, existente in Archivo Canonicorum Cremonensium. Palam inde fiet, quot Castella & prædia unus Rogerius nobilis vir Ottonis III. Augusti ætate possideret, eaque sub *Allodii* titulo; ita enim illa confirmat Imperator, *ut Rogerius, ejusque heredes faciant exinde quicquid eorum animus decreverit.* Hæc certa *Allodii* indicia.

# Otto III. Imperator Rogerio Fideli suo Castella & Villas ejus in Italico Regno positas per suum Privilegium confirmat, Anno 997.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Otto divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Si dignis nostrorum fidelium peticionibus aures nostre majestatis accomodaverimus, justum atque ratum veritatis seriem firmissime censemus. Quocirca noverit omnium presentium scilicet & futurorum fidelium nostrorum universitas, Eribertum nostrum dilectum Cancellarium nostram suppliciter adiisse presentiam, petens & obsecrans, ut Rogerio Fideli nostro, suisque successoribus confirmationem & corroborationem tam eorum prediorum, que nunc in Italico Regno habere videtur, quamque in futuro adquisiturus est, facere dignaremur. Unde per hoc nostri Pragmatici pagina ....... auctoritatem confirmamus & corroboramus eidem Rogerio, suisque heredibus, omnia Predia sive Castella cum Villis & pertinentiis suis, que hic nominative posita esse videntur: Malleum, Sarraum, Cortelariam, Cavacurtam, Casale de Mari, Bevurcum, Campum Vaccarum, Brattum majorem, & Brattum minorem, Picinasco, Melade, Raginaria, Solirialo, Codugno, Sancto Petro ..... delmarii, Businadurio, Ranairo, Marargo, Achazola, Altinasco, Ledosa, Nespolo, Solairo, Braida Aribaldi, Glariolam majorem & Glariolam minorem, Campo Androni, Sancto Marcellino, Gatairo, Campovacairo, Casale Sichonis, Sancto Floriano, Campo Boaro, Isola Pertegida, Casale Lellandi, Telpida, Novelida, Castellum Aribaldi, Cuchuzo, Barriano, Sanctam Mariam, Casaliclo Muziani, Chaluro, Montecellum, Bucionem, Pratum Alonis, Baldisicum, & in Vallem Camonicam omnia, quæ ad Barrianum sive ad Monticellum, seu ad Bergiem pertinere videntur. Insuper si quid inter hec omnia ad nostram partem respicit, aut interjacet; eidem Rogerio, suisque heredibus, concedimus atque largimur, ut faciant exinde quicquid eorum animus decreverit, remota omnium hominum contradictione. Si quis autem hujus nostri Precepti auctoritatem, quod non credimus, infringere temptaverit, sciat se compositurum centum Libras auri optimi, medietatem Kamere nostre, & medietatem eidem Rogerio, suisque heredibus. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, sigilli nostri impressione hanc paginam nostre auctoritatis & confirmationis subterius insigniri precepimus.

Signum Domni Ottonis serenissimi Imperatoris.

Eripertus Cancellarius ad vicem Petri Cumani Episcopi & Archicancellarii recognovit.

Data Kalendis Madii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVII. Domni autem Ottonis Regnantis XV. Imperantis verò II. Indictione X.

Actum Romæ feliciter.

*Curtes* autem, sive, ut sæpe ajebant, *Cortes*, ex plurimis prædiis constabant, atque, uti in Antiquitatib. Estens. animadverti, atque infra in Dissert. XIX. *de Tributis* ostendam, pleræque vetustis temporibus Villam integram complectebantur cum Ecclesia, in qua Populo Sacramenta ministrabantur, sive Plebs esset, sive subjecta Plebi, hoc est Baptismali Ecclesiæ. Flodoardo teste, *quidam Presbyter de Bovonis Curte* fuit: *sic enim Villa vocatur*. Sæpe etiam Castrum ibi situm erat, ac inde suum nomen Curtis ipsa mutuabatur. Ughellius Tom. V. Italiæ Sacr. in Episcop. Veronens. adfert Præceptum Karlomanni Regis donantis Monasterio Sancti Zenonis *Curtem nostram nomine Desentianum juxta ripam Lacus*, scilicet Benaci. Infra repetit, se elargiri *Castrum cum Curte & Plebe, Desentianum nomine*: qui locus adhuc incolarum & ædificiorum frequentiâ splendet. Monendus tamen Lector, Diploma illud aut commentum esse veterum Sæculorum, aut saltem interpolatum putide ab aliquo sciolo, sive corruptum fuisse: quod perpendenti Notas Chronologicas, ac præcipue illa verba *pro anima Pipini avi, & Karoli Martelli patris mei*, è vestigio pateat. Inepte agit, quicumque Karlomannum Pippini Regis fratrem Italiæ imperasse opinatur. Refert Florentinius in Monumentis Comitissæ Mathildis ex Archivo Ecclesiæ Pisanæ tabulas ejusdem Comitissæ Anno MLXXVIII. scriptas, per quas confirmat eidem Ecclesiæ nonnullas *Curtes cum Castrorum & Capellis inibi habentes*. Ibi non semel *Curites* scriptum. Sed in membrana authentica fuerit *Curtes*, uti & *domos coltiles*, non *domus colcoles*: quod imperitus Librarius nobis propinavit. *Cortes* autem omnes Sirmondus, vir singularis judicii atque eruditionis, censuit fuisse *Alodes*. Non repugno; sed ne subscribere quidem audeo sententiæ excludenti à tanta agrorum portione titulos *Beneficii* atque *Emphyteusis*. Temporibus autem Ludovici II. Augusti Rutcherus quidam, qui *Vassus ac Ministerialis* ipsius Augusti appellabatur, *Curtem* eo titulo, quod suæ proprietatis esset, pro remedio animæ suæ Ecclesiæ Cremonensi largitus est, eamque donationem Imperator ipse confirmandam duxit per Diploma, quod ex prælaudato Regesto Episcopii Cremonensis descriptum publicæ luci reddo

## Ludovicus II. Imperator Curtem Ruberinum Ecclesiæ Cremonensi à Rutchero Vasso Imperiali donatam eidem Ecclesiæ per suum Diploma confirmat, Anno 861.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Hludovicus gratiâ Dei Imperator Augustus. Omnium fidelium Sancte Dei Ecclesie, ac nostrorum presentium scilicet ac futurorum comperiet industria, quod* Rutcherus *quondam fidelis* Vassus & Ministerialis noster, *de hac luce discedens, quandam* Curtem sue proprietatis, *nomine* Ruberino, *in Comitatu scilicet Bergamense prope Plebem, que dicitur Forumnovum, ad partem Ecclesie Cremonensis obtulisset, ac* jure proprietario *pro anime sue remedio per rogatores suos, Guntheri videlicet, Gyroldum, atque Hillonem per conscriptionis paginam tradidit: & per fideles nostros in nostra presentia eandem traditionis paginam, quam predictus ille Vassus noster, rogatorque ipsius rei fecerat, undique roborari jussimus. Set pro ampliori firmitate ac tocius securitatis augmento placuit nobis id ipsum nostra ac Imperiali auctoritate muniri: & ideo hanc nostre auctoritatis roborationem superaddere & fieri jussimus, per quam omnino sancimus, firmumque mansurum constituimus, ut nullus Comes, neque ullus Reipublice Minister, nec quispiam heredum vel proheredum predicti Rutcheri, atque ulla intercidens & opposita persona, quippiam retractationis aut invasionis inquietudinem in his rebus ullo umquam tempore contra præfatam Ecclesiam, aut Rectores ejus inferre presumat, nec quisquam inde causare conetur: sed* A *sicut in nostra presentia tradite, & a nostris fidelibus fuerunt roborate, ita a nostris & a futuris temporibus nostra ac Imperiali auctoritate corroborate ad partem predicte Cremonensis Ecclesie* jure proprietario *maneant inconvulse cum omnibus integritatibus, veluti in brevi testato continetur. Si quis autem contra hanc nostram auctoritatem ire temptaverit, ac de prescriptis rebus partem prefate Ecclesie inquietare quesierit, penam immunitatis nostre, sicut de rebus ceterarum Ecclesiarum, hoc est triginta Libras argenti ipsi componet Ecclesie. Et ut hoc cercius crederetur, ac diligentius observaretur, de anulo nostro subter jussimus sigillari.*

B Deest subscriptio Imperatoris.

*Pu. . . . . . . . Notarius ad vicem Ductemiri recognovi.*

*Data V. Idus Martias, Anno Imperii Domni Ludovici Pii Imperatoris in Italia VIII. Indictione IX.*

*Actum Mantua Civitate, & Palatio Regis feliciter in Domino. Amen.*

Quibus autem formulis Reges non *Beneficii*, *sed Allodii* nomine aliquid suis Fidelibus conferrent, ex sequenti Diplomate liquebit, quod ex insigni Archivo Capituli Canonicorum Regiensium depromsi.

## Donatio Felinæ & Malliaci facta per Ludovicum II. Imperatorem Supponi Vasso & Consiliario suo, Anno 863.

IN *nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovvicus divina ordinante providentiâ Imperator Augustus. Si piorum petitionibus aures nostræ pietatis accommodaverimus, id nobis ad eorum fidelitatem augendam prodesse cupimus, insuper ac æternæ remunerationis præmia sine fine mansura nos percipere credimus. Igitur omnium Fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet ac futurorum nosse cupimus sagacitatis industriam, qualiter* Andelberga *dilectissima* Coniunx & Consors Imperii nostri *expetivit clementiam nostram, quatinus per nostræ largitionis Præceptum jure proprio concederemus* Supponi *strenuo* Vasso, *dilectoque* Consiliario nostro *quasdam Cortes juris Regni nostri, sitas in Comitatu Parmense, in Gastaldatu Bismantino, quarum una vocatur* Fellina, *cum Capella & omni domo coltile & mansis atque familiis utriusque sexus, omnibusque rebus ad eam pertinentibus tam mobilibus, quam immobilibus; & alteram quæ nominatur* Malliaco *similiter cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus tam domocoltilibus, quam massaritiis, servisque & ancillis, Silvaque & Gajo in Monte Cervario. Cujus* C *precibus libenter annuentes, jam fato Supponi inclito Vasso nostro prænominatas Cortes Fellinam & Malliacum cum Capella & omnibus rebus mobilibus & immobilibus, sesesque moventibus, cunctisque mansis, Silvaque & Gajo in Monte Cervario, seu & familiis utriusque sexus & universis pertinentiis & adjacentiis suis in integrum, sicut hactenus ad partem Regni nostri pertinuerunt, per hoc nostræ Donationis Præceptum* ad proprietatem *concedimus*, suisque heredibus ac proheredibus in perpetuum habendas & possidendas *cum omnibus, que dici aut nominari possunt tam in montibus, quam in planitiebus, remotâ totius Reipublicæ, vel alicujus Potestatis inquietudine. Si quis autem hoc nostræ largitatis Præceptum quandoque* D *violare aut irrumpere conatus fuerit, sciat se compositurum centum Libras auri obrizi, medietatem Palatio nostro, & medietatem sæpe nominato Supponi, ejusque heredibus ac proheredibus. Et ut hoc nostræ Donationis Præceptum futuris temporibus firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria subter confirmavimus, & anuli nostri impressione insigniri jussimus.*

*Signum Domni*  *Hludowici serenissimi Imperatoris Augusti.*




*Gauginus Notarius jussu Imperiali recognovi.*
*Dat. III. Nonas Aprilis, Anno Christo propitio, Imperii Domni Hludowici piissimi Augusti X. Indictione XI.*
*Actum Venusiæ, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Occurrit heic *Cortis*, ideſt Vicus, ſeu Villa *Malliacus*, cujus ſitum ignorare me fateor. *Felina* quidem adhuc nomen ſervat in Regienſium montibus, ibique Caſtellum cum ſuo diſtrictu & Eccleſia Parochiali. Donizo Cap. penult. Vitæ Comitiſſæ Mathildis narrat, quæ poſtremis vitæ ſuæ annis eadem Principiſſa Eccleſiæ Canoſſinæ contulerit, inquiens:

*Ejus quocirca tribuit ſub jure Felinam*
*Egregiam Curtem, dantem fruges ſat abunde.*

*Suppo* autem heic memoratus non alius mihi fuiſſe creditur, quàm qui circiter Annum Chriſti DCCCLXXI. ab eodem Ludovico Auguſto conſtitutus fuit *Comes & Dux Piceni*. Plura ego de eo commentatus ſum in ſuperiori Diſſertatione VI. *de Marchionibus*. Quum ergo habeamus, haſce *Curtes* Supponi conceſſas fuiſſe *jure proprio*, neque eidem tantummodo, ſed *& heredibus ac proheredibus ſuis in perpetuum habendas & poſſidendas*: nihil aliud expoſcitur, ut intelligatur, *Allodii* titulo, atque ab omni vinculo *Beneficii* immunia, tradita eadem loca Supponi fuiſſe. Et ſane animadvertere heic juvat alteram morum noſtri temporis differentiam ab antiquis. Nunc enim aut pleraque, aut cuncta, quæ à Nobilibus viris Caſtella poſſidentur, *Beneficiario* ſeu *Feudali* dumtaxat titulo in eorum ditione eſſe ſolent. Contra exploratum eſt, antiquis Sæculis complura Caſtella, Villas, Vicos &c. inter *Allodialia* fuiſſe computata, hoc eſt, ita ſtabili ac proprio jure poſſeſſa, ut ſine nova Principum venia, non ſecus ac prædia, ad heredes tranſmitterentur. Quare quum ſecundùm Leges Langobardicas filii & filiæ omnes legitimæ patri ſuccederent, ſæpe accidebat, ut res individuæ, quales erant Caſtella & Eccleſiæ, immo & ipſæ Curtes, domus, ſylvæ &c. non unum agnoſcerent dominum. Portionem quippe ſuam unuſquiſque è filiis poſſidebat. Tum filiis filiorum eamdem rem dividentibus, tot partes unius fundi aut Caſtelli fiebant, ut nonnumquam *vigeſima* atque *trigeſima* portio conſobrinis ac nepotibus, eorumque filiis atque deſcendentibus obtingeret. Quod nunc in jure patronatus, aut in Feudis Langobardico more conceſſis factum quandoque videmus, tunc ſæpe in Allodiis, rebus nempe dividuis, accidebat. Alibi hujus conſuetudinis exempla attuli: nunc uno rem conficiam, hoc eſt Chartam producendo, quæ in Tabulario eximii Monaſterii Cavenſis legitur.

## Donatio cum quibusdam conditionibus facta Monaſterio Cavenſi Sanctæ Trinitatis à Giſolfo filio Johannis Comitis, Anno 1094.

IN *nomine Domini Dei æterni & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Anno ab Incarnatione ejus MXCIV. temporibus* Domini noſtri Rogerii *glorioſi* Ducis, *Menſe Octobris, Tertiâ Indictione. Dum coram præſentia* Domni Petri *gratiâ Dei* Abbatis Monaſterii Sanctæ & individuæ Trinitatis, *quod conſtructum eſt* foris hanc Salernitanam Civitatem, *in loco Mitiliano eſſem ego Petrus Judex, tunc in mea præſentia* Giſolfus filius quondam Joannis Comitis, qui Clericus & Abbas fuit, *divinâ ſibi inſpiratione compulſus pro amore omnipotentis Dei, & ſalute ſuæ animæ ſicut ei congruum fuit, ſua voluntate per hanc Chartulam coram me, dum idonei intereſſent homines, optulit in prædicto Monaſterio ſanctæ & individuæ Trinitatis, de* duodecim partibus *integras duas partes, quas ei à ſupraſcripto Genitore & Genitrice ſua habere pertinuit & pertinet, & totum & integrum, quantum ei alia ſua ratione habere pertinuit & pertinet de portionem, quam quondam* Guaimario, qui patruelis frater *ſupraſcripti* Joannis Comitis fuit, *de tota Eccleſia Sanctæ Dei Genitricis & ſemper Virginis Mariæ, quam* Domina Sichelgaita Princeps Proabia ſua, quæ Uxor fuit quondam Domini Johannis Principis Proabii ſui *à nobo fundamine conſtruere fecit intra hanc prædictam Civitatem inter muro & muricino; & de omnibus rebus movilibus & immovilibus ejuſdem Eccleſiæ intra hanc Civitatem & foris ubique pertinentibus, cum omnibus, quæ intra hoc, quod ut dictum eſt, optulit, ſunt, cunctiſque ſuis pertinentiis, & cum vice de plateis, & anditis, & viis ſuis, & cum ſimili portione de omnibus muniminibus ex ipſis Eccleſia & rebus continentibus. Ea ratione, ut totum & integrum hoc, quod ipſe Giſolfus, ut ſupraſcriptum eſt, optulit, ſemper ſit in poteſtate*

*state ipsius Domni Abbatis & successorum ejus & partium suprascripti Monasterii; & ipse Domnus Abbas & successores ejus, & pars suprascripti Monasterii licentiam habeant de eo facere quod voluerint. Tantum omni Anno, & dum ipse Gisolfus vixerit, in Nativitate suprascripti Domini nostri Jesu Christi, & in Pascha Resurrectionis ejus, & in Assumptione Sanctæ Mariæ, ipse Domnus Abbas, ejusque successores, & pars suprascripti Monasterii per unamquamque ex ipsis Festivitatibus dirigant ipso Gisolfo unum porium de oblatis ad faciendum ex eis, quod voluerit. Et omni tempore à modo & semper, quando voluerint, potestatem habeant ipse Gisolfus & homines, quos voluerint, ad ipsam Ecclesiam pergere vel dirigere, & Sepulturam fabricatam, quam ipse Genitor ipsius Gisolfi in atrio ipsius Ecclesiæ habet, aperire & mundare, & foras ejicere, & conciare, qualiter voluerint, & justum fuerit, & cadavera virorum seu mulierum in eadem Sepultura ponere, & quod exinde ejectum fuerit, ibidem reducere, & ipsam Sepulturam restaurare, qualiter meruerit justa ratione absque omni datione. Et nullo tempore ipse Domnus Abbas, ejusque successores, & pars supradicti Monasterii non faciant, vel facere faciant in ipsam Sepulturam aliquam contrarietatem, set semper ipsam Sepulturam cum vice de via sua maneat in dominio & potestate ipsius Gisolfi & heredum ejus ad faciendum de ea quod voluerint. Et per convenientiam ipse Gisolfus jussu suprascripti Domni Abbatis guadiam Mirando Monacho pro parte suprascripti Monasterii dedit, & fidejussorem ei pro ejusdem Monasterii parte posuit Ligorium Cognatum suum filium quondam Mauri, qui Butrumile dictus est, & pro ipsa guadia obligavit se & suos heredes semper defendere ipsi Domno Abbati, ejusque Successoribus & partibus suprascripti Monasterii integrum illud, quod in ipso Monasterio optulit, sicut suprascriptum est, in omni ordine & tenore, qualiter prælegitur, ab omnibus hominibus. Et ipse Gisolfus licentiam tribuit, ut quando ipse Domnus Abbas, & ejus successores, & pars suprascripti Monasterii voluerint, potestatem habeant, illud per se defendere, qualiter voluerint, cum omnibus munimibus & rationibus, quas de eo ostenderint. Et si, sicut superius scriptum est, ipse Gisolfus & ejus heredes non adimpleverint, & suprascripta, vel ex eis cuiquam removere aut contradicere præsumserint, per ipsam guadiam obligavit se & suos heredes componere ipsi Domno Abbati ejusque successoribus, & partibus suprascripti Monasterii quingentos auri Solidos Constantin. & sicut superius scriptum est adimplere. Verumtamen quoniam ex ipsis duodecim partibus de tota suprascripta Ecclesia, & de omnibus suprascriptis rebus ejus duas partes pertinent partibus suprascripti Monasterii, per datum* Guaimarii, qui fuit filius Domini Guidonis Ducis, filii Domini Guaimarii Principis.

*Et duas Chartulas unius tenoris, hanc pro parte suprascripti Monasterii, & alteram pro parte suprascripti Gisolfi tibi Johanni Notario scribere præcepi.*

✠ *Ego qui supra Petrus Judex.*

✠ *Ego Romoaldus Notarius me subscripsi.*

*Ego Joannes Notarius me subscripsi.*

Eo etiam nomine lubenter Chartam istam produco, quòd ad Genealogiam veterum Principum Salernitanorum illustrandam aliquid lucis suppeditare possit. Et hujus quidem *Gisolfi*, cui pater fuit *Johannes Comes*, & Proavus *Johannes Princeps*, meminit etiam Camillus Peregrinius in serie Principum Salerni. Quod ergo animadvertendum, antiqui Reges, & Augusti nequaquam in unis *Beneficiis* liberalitatem suam erga Fideles & caros suos constringebant, sed sæpissime pleno jure in illos dona sua transferre consueverunt. Neque prædia tantùm, sed & Castella eis munificentissime elargiebantur. Quam in rem omnium examini subjicere heic statui aliquot Diplomata, ad antiquos *Tarvisii Comites* spectantia, qualia ad me misit nobilis vir Henricus Comes de Collalto, Abbas Commendatarius Sancti Salvatoris, cujus præclarissimam Familiam monumenta, ut alibi testatus sum, satis indicant, originem duxisse ex ipsis vetustis Comitibus Tarvisinis.

## Otto II. Imperator Byanzeno, Rambaldo, & Gaiberto fratribus omnia illorum jura confirmat, Anno 980.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divinâ favente clementiâ . . . . . . fidelium aures inclinamus dev. . . . . . . . fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet ac futurorum noverit solertia, qualiter interventu & petitione* Petri Papiensis Episcopi, *nostrique dilecti Fidelis, per hanc nostri Præcepti paginam, prout juste & legaliter possumus, confirmamus & corroboramus* Byanzeno, Raimbaldo, Gaiberto fratribus, quondam Raimbaldi bonæ memoriæ filiis, *omnes res* & proprietates *suas a paterno & materno jure, seu per Præcepta nostri Patris ac prædecessorum nostrorum Regum & Imperatorum, vel per aliquas scriptiones Cartarum ab aliquibus hominibus juste & legaliter tenent, vel tenere debent in Comitatu Tervisiano. Cortem videlicet unam Lovadinam nomine vocatam, cum omnibus pertinentiis suis; item Monticellos, in quibus Sancti . . . . . est constructa Ecclesia cum omnibus nostri Regni jure pertinentibus ad eosdem Monticellos infra Fluvium, quod dicitur Plavis, aliud Flumen, quod Brenta nominatur, simul cum Alpibus, quæ Maidre appellantur. Insuper etiam Corticellam unam Eterse nominatam, cum ejus in integrum pertinentiis. Et quicquid visi habere sunt infra confines aquarum . . . . . . . & in Comitatu Cenetense quicquid habere videntur in Castroforte, & in Comitatu ejus inter Solicum & Rabosum flumina, tam mortuorum, quàm publice . . . . . ac etiam omnium rerum in omnibus . . . . . . . vallibus, planiciebus, aquaticis, fossatis, molendinis, piscationibus, servis & ancillis, vineis . . . . . mobilibus & immobilibus ad jam dictas Cortes & loca pertinentibus . . . . . aut nostræ tenere, & . . . . . . . . concedimus, donamus, & hujus nostræ auctoritatis . . . . . . . . ut habeant, teneant, firmiterque possideant, omnium hominum contradictione remota tam ipsi, quàm sui heredes. Insuper etiam concedimus & perdonamus eisdem . . . . . . . & quicquid publice & etiam pertinet, omnium hominum . . . . . . . . & proprietates eorum residentium, ut habeant ipsi & eorum heredes, hujus nostræ auctoritatis pagina . . . . . . . . Insuper omnes in suis hereditatibus residentes placitu trahendi, leges faciendi, lites ac contentiones finiendi, & quicquid publice . .*

*ce . . . . . . . hactenus ab eis exigendi , Ducum , Marchionum . . . . . . . . majorum & minorum contradictione submota . Si quis autem , quod minime credimus , hoc nostrum donationis atque confirmationis Præceptum confringere præsumpserit , cognoscat . . . . . . . . Libras centum medietatem Cameræ nostræ , & medietatem prænominatis Fratribus , suisque heredibus , vel quibus ipsi habendum decreverint . Quod . . . . . . . . . . . . . .*

*Signum Domni Ottonis* (monogram) *serenissimi Imperatoris, invictissimi Augusti.*

*Data XVI. Calend. Julii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXX. Indictione V. Regni Domni & piissimi Ottonis XXV. Imperii verò XIII.*

*Actum in Palacio . . . . . . . . . . .*

## Ottonis III. Imperatoris Diploma , quo confirmat Rambaldo Comiti Tarvisiensi illius Castra & Terras, Anno 996.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis . Otto divina favente clementia Imperator Augustus . Omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ , nostrisque fidelibus præsentibus & futuris notum esse volumus , qualiter interventu ac petitione* Herimani Ducis , *& ob juge obsequium* Raimbaldi Comitis , *nostrique fidelis , cuncta prædia , & quæ a nostro bonæ memoriæ Patre, vel a nobis per præcepta eidem Raimbaldo concessa sunt , scilicet Castrum unum in Ruvigo , cum omnibus suis pertinentiis, & Nervesia, & Glavera , & Vedelagus , & infra Civitate Tervisii Casacurva , & Silva Illerosa, Burgulagus, & Aurilagus, donamus & firmiter per hanc paginam nostræ jussionis corroboramus , prout juste & legaliter possumus . Idcirco jubentes præcipimus , ut nullus Dux , Marchio , Comes , nec aliqua persona degens in finibus nostri Regni , prælibato Raimbaldo aliquod impedimentum exinde facere præsumat &c.*

*Signum Domni Ottonis* (monogram) *invictissimi Imperatoris Augusti.*

*Heribertus Cancellarius vice Petri Episcopi . . . . . . . . .*

*Datum Pridie Idus Junii , Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVI. Indictione IX. Anno autem Tertii Ottonis Regnantis XIII. Imperii Primo.*

*Actum in Fuligno feliciter. Amen.*

## Otto III. Augustus Rambaldo Comiti Tarvisii Castrum de Valle & alia donat , circiter Annum 996.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis . Otto . . . . . . . Romanorum . . . . . . . Imperator Augustus . . . . . . . . noscat omnium fidelium nostrorum , præsentium scilicet ac futurorum universitas , qualiter* Raimbaldus Tarvisiensis Comes , *nosterque dilectus & fidelis noster humiliter adiit exorando celsitudinem , quatenus sui servitii memores existeremus . Cujus itaque petitioni* Leonis Episcopi *. . . . . . . . de Castro de Valle vocatur in Ystria sui Comitatus eidem Raymbaldo cum omni censu addatur , sive mercato . . . . . . & cum campis , pratis , pascuis , silvis , paludibus , piscationibus , venationibus , cum omnibus sibi pertinentibus . . . . . . . . potest missi in præsenti largimur pagina . . . . . . & Ystria . . . . . dedimus , sive . . . . . mandavimus , prout juste & legaliter . . . . . . . Quicquid vero eidem Raymbaldo Comiti, nostroque dilecto & fideli facere placuerit, libereque faciendi , vendendi , donandi licentiam , & suâ animâ judicandi , damus . Quin etiam ea, quæ Raymbaldo . . . . . . . vocatur , eidem Raymbaldo Comiti prædicto . . . . . . . & omnes massaritias . . . . . . . Silva Torrunda dicitur , quam Constantius . . . . . . sive cum omnibus pertinentiis suis , vel quicquid ipsi Massarii . . . . . . . sedeat . . . . . . jubemus , ut nullus Dux, Marchiò , Comes , Vicecomes , vel aliqua Imperii nostri persona eum inde inquietare vel molestare audeat . Si quis autem hujus nostri præcepti contradictor extiterit , sciat se compositurum auri optimi Libras mille , medietatem Cameræ nostræ , & medietatem præfato Raymbaldo dilecto & fideli nostro . Quod ut verius credatur , diligentiusque a cunctis observetur , manu propria corroborantes , & sigillo nostro subtus jussimus insigniri .*

*Signum Domni Ottonis* (monogram) *serenissimi & invictissimi . . . . . . . .*

## Otto III. Rambaldo Comiti Tarvisino nonnulla donat, Anno 1000.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Tertius Otto, Dei gratiâ Romanorum Imperator Augustus. Noscat omnium nostrorum fidelium industria, præsentium scilicet & futurorum, qualiter* Heribertus Coloniensis Archiepiscopus noster dilectissimus fidelis *nostram humiliter exorando aggressus est clementiam, quatenus prædia & terram sive demortivam, sive nostro pertinentem Imperio*, Raimbaldo nostro amabiliter fideli, Tarvisiensi videlicet Comiti, *ea quæ videntur sita, sicuti Postuima firmat in Plave, & de altera parte usque in Via Asolina, & inde firmantem in Musano, & de Musano usque in Capite Montis Belluni, & de Monte Belluni per viam de Ruvigo firmantem in Plave, & iterum sicut currit Plavis in Postuima, Imperiali largiri dignaremur Præcepto. Cujus itaque petitioni nostræ benignitatis animum præbentes, totam terram & prædia, seu demortiva, quæ videntur in jam prænominatis locis & finibus, ac terminibus habere, vel quicquid inde in antea Raimbaldus Comes poterit aquirere, ei, prout juste & legaliter possumus, Imperiali concedimus pagina. Insuper verò de Montecello quicquid antea per præceptum habuit, confirmamus. Si quid inde remansit, aut inveniri potest inde, eidem jam præfato Raimbaldo simile præbemus pagina. Præcipientes verò jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Vicecomes, Sculdassio, vel aliqua summissa persona, hujus nostræ auctoritatis præceptum inquietare seu molestare præsumat. Si quis igitur &c.*


*Signum Domni Ottonis*  *invictissimi Regis.*

*Heribertus Cancellarius in vice Petri Cumani Episcopi & Archicancellarii recognovi.*
*Dat. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo, Indictione XIII. Anno Tertii Ottonis Regni XVII. Imperii verò V.*
*Actum ad Sanctum Donninum.*

Inter Chartas nobilissimi Asceterii sacrarum Virginum Sancti Zachariæ Venetiis, donationem vidi factam eisdem Sanctimonialibus ab ipso *Rambaldo Comite Tarvisino* Anno MX. Ibidem quoque legebatur altera donatio Anno MXI. facta eidem Cœnobio à *Rodoalda conjuge quondam Wangerii Comitis Tarvisini*, consentientibus *Johanne, & Germanico ejus filiis*, & *Almerico Episcopo*, idest Tarvisino. Scrutare nunc diligenter ejusmodi Chartas. Cunctæ *Allodium* sive *Proprietatem* præferunt, nullumque in eis vestigium occurrit *Beneficii*. Neque dispar alterum Diploma, quod in Tabulario eorumdem Comitum Collaltinorum adservatur.

## Ottonis III. Imperatoris Diploma, quo Dominico Candiano omnia illius bona & jura confirmat, Anno 998.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Tertius Otto divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Nostris fidelibus notum sit, quod nos* Dominico Candiano filio Vitalis Candiani, *ob servitium & jugem fidelitatem ipsius, omnem hereditatem vel possessionem paterno vel materno jure sibi pertinentem, seu quecumque de suo conquisita habet, vel habere poterit, nec non & terram de Ystria, unde sibi Ravenne dedimus Investituram, & omnia que habet, vel habere poterit cum terris, vinetis, pratis, pascuis, aquis, servis & ancillis, navibus, omnibusque rebus mobilibus & immobilibus, per hoc nostrum Præceptum confirmamus & penitus corroboramus. Eo videlicet ordine, ut ipse suique heredes habeant, teneant, firmiterque possideant, habeantque potestatem tenendi, donandi, vendendi, cum eis Cartarum muniminibus, quibus ille comparavit vel acquisivit, vel quicquid eorum animus decreverit faciendi, nostra nostrorumque Successorum, & omnium hominum contradictione, molestatione, & diminoratione penitus remotâ. Præcipientes denique jubemus, ut nullus Dux, Archiepiscopus, Episcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdasius, Gastaldio, nullaque nostri Regni &c.*

*Signum Domni Ottonis*  *invictissimi Imperatoris Augusti.*

*Dat. III. Kalend. Junii Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVIII. Indictione XI. Anno Tertii Ottonis Regis XV. Imperii III.*
*Actum Romæ feliciter. Deo gratias.*

Antiquiores etiam tabulas dabo testes ejusdem moris, quas acceptas refero insigni Chartophylacio Monasterii Placentini Benedictinorum Sancti Sixti.

Lo-

## Lotharius I. Imperator Eremberto ex Comitatu Astensi donat Curtem Eburlas, Anno 839.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Hlotharius divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Dignum est, ut Imperialis dignitas his, qui se tota fidelitate suis obsequiis submittunt, condignis beneficiis sublimentur. Quapropter cunctorum fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque cognoscat solertia, quia nos cuidam* Fideli nostro Eremberto *nomine* ex Comitatu Hastense *quemdam Curtem nostram Eburlas cum omnibus mancipiis, pertinentiis, & adjacentiis ad se pertinentibus vel aspicientibus*, proprietario jure *contulimus*, hac de nostro in suo, suorumque heredum dominio libere transtulimus possidendo. *Unde pro firmitatis gratia ei hanc nostram auctoritatem fieri jussimus, per quam præcipimus, ut ab hinc & deinceps per hanc nostram auctoritatem eamdem Curtem cum omnibus mancipiis, pertinentiis, & adjacentiis suis, judiciariaque ditione*, proprietario jure teneat atque possideat, *absque cujuspiam contrarietate vel repetitione*, seu faciat exinde quicquid voluerit tam ipse quamque heredes ipsius. *Ut quoque hæc nostra auctoritas pleniorem in Dei nomine habeat vigorem, & per futura tempora inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione assignari jussimus.*

*Signum* HLOTARIUS *Hlotharii serenissimi Augusti.*

*Ductemirus Subdiaconus atque Notarius ad vicem Agilmari recognovi & subscripsi.*

Locus ✠ Sigilli

*Data IV. Nonas Maji, Anno Christo propitio, Imperii Domni Hlotharii Pii Imperatoris XIX. Indictione II.*


*Actum Papiæ Civitate Palatio*

In hisce Diplomatis jam deprehendisti notas apertissimas non *Beneficii*, sed *Allodii*, ab Augustis concessi. Hoc enim indicant illa verba *Proprietario jure*; quemadmodum & alia: *ac de nostro in suo, suorumque heredum dominio libere transtulimus possidendo*: nec non & ea; ut *proprietario jure teneat atque possideat; seu faciat exinde quicquid voluerit tam ipse, quamque heredes ipsius*. Neque tantùm *Allodia* Fidelibus suis contribuebant olim Augusti, sed ipsa *Beneficia* à potestate ac jure suo dimittentes, perpetua donatione in aliorum jus transferebant. Plura autem Diplomata supersunt, in quibus Imperatores & Reges alicui bona, *quæ ipse ordine possidet Beneficiario, ad Proprium* concedunt: *datâ licentiâ, ut quicquid elegerit, vel voluerit, sicut & de reliquis Proprietatis suæ rebus, absque alicujus potestatis contradictione faciat*. Hisce, aliisque ejusmodi verbis, quod antea *Beneficii* titulo possidebatur, *Proprietatis* deinde, seu *Allodii* nomine possessum, ad quoscumque heredes deferre licebat. Quod etiam animadvertas velim, si quis Vassallus Beneficio aliquo ab Ecclesiis dato fruens, in Regem delinquebat, Beneficium ipsum devolvebatur ad Regium Fiscum; neque illud recipere poterat Ecclesia, nisi per novam Principis largitionem. Vide Chartam à Baluzio editam Tomo II. Capitular. pag. 1500. ubi Anno DCCCLXXVII. *quidam noster fidelis* (idest Vassus) *Adelbertus nomine Alodium suum* &c. *Cœnobio* (Sancti Germani Autissiodorensis) *liberalitatis munificentiâ per Chartarum instrumenta contulit. Abbas verò memorati Cœnobii & reliqui Fratres ipsum Allodium jure Beneficiario & usufructuario eidem Adelberto denuo conferre studuerunt. Sed post hæc ob illius negligentiam in Fiscum nostrum legaliter devenit. Et quia præfato Cœnobio non aliter legitime, postquam in Fiscum nostrum deciderat, reddi poterat, nisi per præceptum nostræ auctoritatis* &c. Hæc sunt verba Caroli Calvi Imperatoris in Diplomate per Baluzium evulgato. Idem verò ritus adhuc perdurat inter Imperii Leges. Neque id mirum. Nam vel si quando Reges ipsi Monasteria Monachis per iniquam consuetudinem eripiebant, ut ea Beneficii titulo suis Vassis elargirentur, de qua re infra mihi erit sermo in Dissertatione LXXXIII. *de Monaster. in Benefic. dat.* novâ concessione opus erat, ut sacris Locis eadem restituerentur. Testis hujus moris, ut reliqua monumenta prætercam, erit nobis ejusdem Caroli Calvi Diploma, cujus elegans archetypum, quamquam alicubi corrosum, vidi in Tabulario Capituli Canonicorum Arretinorum. Ibi Carolus, nondum Imperator inunctus, dum Romam pergeret, Arretinæ Ecclesiæ Monasteriolum donat, & cuncta ad illud spectantia, sicut *ea Berulfus Imperialis Vassus Beneficiario ordine visus est habuisse*. Sed juvat ipsum Diploma producere, utpote hactenus luce carens:

Ca-

## Caroli Calvi Franciæ ac Italiæ Regis Diploma, quo Ecclesiæ Arretinæ ad luminaria concinnanda concedit Monasterium S. Angeli, & Fiscum Ajalta, Anno 875.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus gratiâ Dei Rex. Si Loca Deo dicata seu procerum hominum insidiis, seu neglectu quolibet adnihilata restauramus, & ad pristinum statum reducimus, procul dubio à Domino nostro Jesu Christo id nobis recompensari non dubitamus. Quapropter omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium ac futurorum noverit industria, quia sicut* Johanne *venerabili* Aretino Episcopo *suggerente didicimus, Monasteriolum Sancti Angeli honore constructum, Monachorumque usibus collatum quondam exstitit, sed nunc non solùm Monachis caret, verùm etiam omni neglectu fatiscit. Unde nos considerantes ejus misericordiam, qui nos ad hoc culmen provexit, ut & destituta restauremus & neglecta, eo favente, ob cujus amorem constructa sunt, recuperemus: concedimus præfatum Monasteriolum cum omnibus ad se pertinentibus rebus ac familiis, & offerimus Ecclesiæ beati Donati, ubi ejus sanctissimum Corpus humatum est, ad luminaria concinnanda, & ibidem Deo famulantium st . . . . . . providenda & ministranda, in integrum & ubi aliquid ad id pertinere dinoscitur, cum Ecclesiis ac domibus domnicatis & colonitiis, servis & aldionibus utriusque sexus: idest Colonariam & reliqua,* quæ sicut ea Berulfus Imperialis Vassus Beneficiario ordine visus est habuisse . . . . . . *cum vineis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, cultis & incultis, præfato beato Donato ob remedium animæ meæ, carissimæque conjugis, & amantissimæ prolis hereditario jure in perpetuum offero possidenda. Simulque concedimus ei Fiscum nostrum, quod dicitur Ajalta, cum omnibus ad se pertinentibus de Turri in integrum, & in locis Spungiano, Materno, Curreco, vel ubicumque infra Comitatum Aretinum præsens Fiscus aliquid habet, cum Ecclesiis, domibus . . . . . . pratis, pascuis, silvis . . . . . . jam dicto beato Donato trado & in perpetuum Ecclesiæ suæ habendum concedimus, eo videlicet ordine, ut quicquid Episcopus, qui pro tempore fuerit, ad utilitatem ipsius prospexerit, exinde liberam habeat potestatem, ceu de reliquis rebus longevis retro temporibus possessis. Ut verò hoc nostrum munus per cuncta Deo favente tempora inviolatum permaneat, manu propria subter firmavimus, & anulo nostro sigillari jussimus.*

*Signum Karoli*  *gloriosissimi Regis*

*Audacher Notarius ad vicem Gozlani recognovit & subscripsit.*

Locus ✠ Sigilli cerei deperditi.

*Datum III. Kalend. Octobris, Indictione IX. Anno XXXVI. regnante Karolo Rege, & in successione Hlotharii VI. & successionis Hluduvici I.*

*Actum Papia Civitate.*

Habemus heic Carolum Calvum Franciæ Occidentalis Regem, & recèns Italico Regno potitum, qui Annum Primum hujus Regni dinumerare incipit sub titulo *Successionis Hludowici*, hoc est, Ludovici II. Augusti, proxime præterito Mense Augusto vitâ functi. Iter in Italiam Kalendis Septembribus Anni 875. Calvus susceperat. En ipsum ejusdem Mensis die 29. jam ab Italis Regem consalutatum. Dixi non semel, eam fuisse *Allodiorum* naturam, ut liberum Domino foret quemcumque de iis contractum inire, veluti de re propria, neque Regum investiturâ aut concessione novâ opus fuisse. Verùm en tibi Diploma Ludovici III. Italiæ Regis, Johanni Presbytero *concedentis & confirmantis jure Proprietario Cortem Mercoriatico in territorio Regiensi, quam ipse ab antecessoribus nostris per Præceptum juste & legaliter obtinuit.* Ergo, inquies, Allodia quoque Beneficiorum legibus obnoxia fuere, quando à novis Regibus eorum Investitura & confirmatio petenda erat. Sed præstat ipsum Diploma integrum proferre, cujus archetypum vidi in Chartario Capituli Canonicorum Regiensium.

## Confirmatio Curtis Mercoratici facta Johanni Presbytero à Ludovico III. Italiæ Rege, postea Imperatore, Anno 900.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Hludovicus divinâ favente clementiâ Rex. Si necessitatibus atque utilitatibus fidelium nostrorum, divini cultus amore faventes, subvenire curamus, procul dubio fructum divini muneris à Domino consequi non dubitamus, imitantes vestigia predecessorum Patrum nostrorum Regum piorum. Quapropter notum esse volumus omnibus Sancte Dei Ecclesie fidelibus & nostris tam presentibus quam & futuris, quia quidam fideles nostri* Adelelmus *inclitus* Comes *strenuusque* Consiliarius noster, *nec non &* Raterius *noster dilectus* Comes, *nostram adeuntes serenitatem, enixius postulaverunt, quatinus cuidam Fideli nostro* Johanni Presbitero *Cortem quandam nostram, que dicitur Mercoriatico, in territorio Regiensi, que hactenus pertinuit ad eundem Comitatum, & ipse ab antecessoribus*

*bus nostris per preceptum juste & legaliter obtinuit; Nos iterum ei Precepto auctoritatis nostre* jure Proprietario *concederemus, & confirmaremus. Quorum precibus assensum prebentes, hoc serenitatis nostre Preceptum conscribi decrevimus, per quod predictus Presbiter Johannes, suique heredes, vel cuicumque dederint eamdem Cortem Mercoriaticum consistentem, ut jam dictum est, in Comitatu Regensi, cum omnibus rebus inibi pertinentibus vel aspicientibus, tam mansis, quàm casis, massaritiis, diversisque territoriis, pratis, pascuis, vineis, campis, cultis & incultis, silvis, arboribus pomiferis & inpomiferis, montibus, planitiebus, ripis, rupinis, aquis, aquarumque decursibus, postis seu & molendinis, atque piscationibus & familiis utriusque sexus, de nostro jure & dominio in ejus jus & potestatem modis omnibus* jure Proprietario, quæ ab antecessoribus nostris juste & legaliter obtinuit, nos ei concedimus, & confirmamus, ut habeat, teneat, atque possideat, faciatque exinde quicquid ejus decreverit animus. *Et volumus, potestatemque habeat donandi, vendendi, commutandi, seu pro anima judicandi, vel quicquid voluerit faciendi, remota totius potestatis inquietudine. Si quis autem contra hoc nostre Institutionis Preceptum in aliquo violare presumpserit, sciat se compositurum auri optimi Libras triginta, medietatem Palatio nostro, & medietatem prefato Johanni Presbitero, suisque heredibus ac proheredibus. Et ut hec nostre preceptionis auctoritas nostris, futurisque temporibus inconvulsam atque inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter roborantes, anuli nostri impressione insigniri jussimus.*

*Signum Domni* HLUDOVICUS *Hludovici gloriosissimi Regis.*

***Arnulfus Notarius ad vicem Liutuardi Episcopi recognovi.***

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

***Datum Pridie Idus Octobris, Anno Incarnationis Dominice DCCCC. Indictione IV. Anno verò Domni Hludovici gloriosissimi Regis in Italia Primo.***

***Actum Olonne feliciter.***

Affine huic accipe alterum Diploma, ad Berengarium I. Augustum spectans, cujus auto graphum adservatum in Archivo celeberrimi Monasterii Sancti Zenonis Veronensis ego præ oculis habui.

## Concessio sive Confirmatio Curtis Breoni facta Berctelo filio Teutelmi à Berengario I. Imperatore, Anno 920.

*IN nomine Domini Dei æterni. Berengarius divinâ favente clementiâ Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumq; presentium scilicet & futurorum industria,* Odelricum *gloriosum* Marchionem, *dilectumque* Fidelem nostrum, *humiliter nostram exorasse clementiam, quatenus quandam Curtem, que Breoni dicitur, & nominatur Senevelio, suisque appendiciis, Vaone videlicet & Vigolongo, cuidam* Fideli nostro Berctelo *in integrum, sicut* pater suus Teutelmus *eandem Curtem detinuit, concedere* jure Proprietario *dignaremur. Cujus precibus acclinati, eandem Curtem, que nominatur Senevello, suisque* appenditiis, *Vaone videlicet & Vigolongo prenominato fideli nostro Berctelo in integrum, sicut suus pater Teutelmus prelibatam Curtem detinuit,* perhenni jure, Proprietario nomine concedimus & largimur, ac de nostro jure & dominio in ejus jus & dominium omnino transfundimus ac delegamus, *una cum casis, terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, sacionibus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, montibus, vallibus, planiciebus, paludibus, pensionibus, cerretis, olivetis, rovoretis, castanetis, servis & ancillis, aldionibus & aldianas, omnibusque ad se juste & legaliter pertinentibus: ad habendum, tenendum, vendendum, commutandum, alienandum, pro anima judicandum, & quicquid voluerit faciendum, totius potestatis contradictione remota. Si quis igitur hoc nostre auctoritatis & concessionis Preceptum infringere vel violare aliquando temptaverit, sciat se compositurum auri optimi Libras septuaginta, medietatem Camere nostre, & medietatem jam prenominato Berctelo, suisque heredibus &c.*

*Signum Domni* BERENGARIUS *Berengarii Serenissimi Imperatoris Augusti.*

*Johannes Episcopus & Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Data


*Data VIII. Idus Septembris, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXX. Domni verò Berengarii serenissimi Regi XXXIII. Imperii autem sui V. Indictione VIII.*

*Actum Papiæ, in Christi nomine feliciter. Amen.*

Uti quisque videre potest, Curtem hanc in Allodium, sive *perenni jure*, & *Proprietario nomine*, *Berctilus Fidelis*, hoc est Vassus, ab Imperatore impetrat. Atqui eadem illa est, quam illius *pater Teutelmus jure* eodem *Proprietario* possederat. Quidnam liberius, quàm quod Proprium est? Et nihilo secius nova ejusdem Curtis concessio seu confirmatio à filio impetranda fuit. Et quidem Augustus ille ait: *Concedimus & largimur, ac de nostro jure & dominio in ejus jus & dominium omnino transfundimus* &c. Sed animadvertendum est, quæsita hujusmodi Diplomata fuisse à plerisque etiam Allodiorum dominis, ut major exinde quies & tutela accederet antiquo suo juri & possessioni per novam concessionem seu confirmationem novi Principis, supremi terrarum illarum domini. Potissimum verò id sibi procurandum censebant, quibus erant prædia, à Regibus aut donationis, aut alio titulo ad ipsos translata. Verebatur enim quisque, ne Fiscus veterem possessionem repetens, molestiam sub novo Principe sibi crearet. Præterea supremum Dominum ejusmodi ratione agnoscentes, ejusque Privilegio muniti, immunitatem majorem à potentium vexatione consequebantur. Quam rem altero exemplo confirmatam volo. Lotharius I. Augustus Monasterio Ticinensi Sanctæ Mariæ Theodatæ, nunc *della Posterla*, quamdam muri publici partem concesserat. Attamen *Caila* sacri loci Abbatissa, ac si de Beneficiaria re ageretur, ad Ludovicum II. Imperatorem Lotharii filium suas preces detulit, ut idem donum Asceterio suo nova concessione firmaretur: quod & factum fuit. Ita *Deodata* altera Parthenonis illius Abbatissa, idem postulandum arbitrata est à Berengario I. Italiæ Rege, quum tamen *Allodii*, non *Beneficii*, titulo facta fuerit prima donatio. Utrumque Diploma ex Tabulario Cœnobii illius descripsi. In primo faciem quidem archetypi vidi; sed nullum ibi, si bene memini, erat vestigium Sigilli antea appositi.

## Diploma Ludovici II. Imperatoris, quo Cailæ Abbatissæ Monasterii Sanctæ Mariæ Theodatæ Ticinensis confirmat donationem muri publici ejusdem Urbis, Anno 871.

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Hludovvicus gratiâ Dei Imperator Augustus. Si circa &c. Igitur omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque noverit industria, qualiter quædam Dei ancilla* Asia quondam Abbatissa Monasterii sanctæ Dei Genitricis Mariæ *pro diversis utilitatibus ejusdem Monasterii expetiit præcepta à Domino ac Genitore nostro Hlothario Imperatore de quadam terra muroque juxta Monasterium ipsum &c. Nos autem precibus* Cailæ ipsius Monasterii *religiosæ* Abbatissæ, *atque Congregationis ejus stimulati, ob animæ nostræ mercedem pie considerantes hæc omnia, sicut à Domino ac Genitore nostro concessa sunt, inconvulse concedimus ac firmamus &c. Precipientes ergo jubemus, ut nemo fidelium nostrorum parti predicti Monasterii de his omnibus, quæ supra à nobis concessa sunt, quolibet tempore ullam præsumat inferre molestiam aut contrarietatem, sed sub omni integritate, sicut à nobis concessa sunt, & hac nostra auctoritate condonata sunt, perenniter ad utilitatem Monasterii sine diminutione permaneant &c.*

*Signum*  *Domni Hludowici serenissimi Augusti.*


*Et ego Gauginus Sacerdos atque Cappellanus jussu ipsius Serenissimi Augusti scripsi & . . . . . .*

*Acta Beneventi.*

*Data XVIII. Kalend. Majas, Anno Christo propitio Imperii Serenissimi Augusti Domni Hludowici XXII. Indictione IV. feliciter in Domino. Amen.*

# Berengarius I. Italiæ Rex Monasterio Sanctæ Mariæ Theodatæ Ticinensis donat quamdam partem muri publici ejusdem Civitatis, Anno 913.

*IN nomine Domini Dei æterni. Berengarius Rex. Si sanctis ac venerabilibus locis temporalis subsidii opem impendimus, ad cumulum divinæ remunerationis id nobis pertinere confidimus. Proinde noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque presentium scilicet ac futurorum industria; quoniam* Risinda *religiosissima* Monasterii Deodatæ Abbatissa, *per* Johannem *reverentissimum sanctæ* Ticinensis Ecclesiæ Episcopum, *devota supplicatione nostram exoravit clementiam, quatenus eidem sancto & venerabili Monasterio quandam partem muri publici Civitatis Papie, habentem in longitudine pedes legitimos nonaginta unum,* jure proprietario *pro utilitate atque opportunitate prefati Monasterii usque in perpetuum concedere dignaremur. Cui à Septentrionali parte infra murum ipsius Civitatis adjacet hereditas Gotfredi, ab Oriente verò, & Occidente, atque Meridie circum cingitur possessionibus jam dicti Monasterii. Cujus precibus acclinati, & amo re Dei, Sanctæque semper Virginis Mariæ succensi, eundem murum prefato Monasterio perpetualiter concedimus & largimur, ac* de nostro jure & dominio in ejus jus & dominium transfundimus ac delegamus, *sicut pretaxata declarant confinia; hoc in mandatis dantes, ut eundem murum pars prefati Monasterii frangat, & portas ad utilitatem ipsius sancti loci faciat; & quodcumque voluerit ædificium potestative inibi construat nostrâ magnificâ & Regali auctoritate, sopitâ omni publicâ repetitione. Si quis igitur hoc nostræ concessionis preceptum infringere vel violare temptaverit, sciat se compositurum auri optimi Libras centum, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem predictæ Risindæ venerabili Abbatissæ, ejusque successoribus. Quod ut verius credatur, & diligentius observetur, manu propria roborantes, de anulo nostro subter insigniri jussimus.*

*Signum Domn.*  *Berengarii serenissimi Regis.*

*Johannes Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

*Data IV. Idus Augusti, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXIII. Domni verò Berengarii piissimi Regis XXVI. Indictione Prima.*

*Actum Papiæ in Christi nomine feliciter. Amen.*

Ad *Feuda*, sive *Feoda*, quod attinet, quoniam de iis integra volumina in Jurisperitorum pluteis prostant, paucis rem expediam. Hujus vocis fortassis adhuc parum comperta est origo. Alii à *Fœdere*, alii à *Fidelitate* vel *Fide*, alii à Germanicis vel Danicis vocibus illam deduxere. Seldenus, Cantarellus, Vossius, & alii opinionem hanc præferunt, ut *Feodum* significet *mercedem* sive *stipendium*, illudque definiunt, nempe *Jus prædio alieno semper utendi & fruendi, eâ datum lege, ut qui Beneficium hoc accepit, obstrictus sit ad militiam pro Domino, vel aliquid servitium bona fide præstandum*. Nuper etiam Clariss. Vir Marchio Scipio Maffejus, quum in Papyro vetustissima venditionis offendisset *sex uncias fundi nulli antea donatas, commutatas, infeduciatas* &c. hanc conjecturam proposuit. *Forse dal verbo Infeduciare non più scopertosi, ch'io sappia, provenne quello d'Infeudare, e così il nome di Feudo, del quale originazioni sono state speculate Daniche e Sassoniche.* An primùm prodierit verbum *Infeduciare*, quum idem sit atque *Infiduciare*, Du-Cangius in Glossar. Latin. ad vocem *Fiducia* ostendere poterit. In præcedenti quoque Dissertat. X. de *Minor. Just. Ministris*, Charta Lucensis Anni DCCCXXII. *Infeduciare* habet. At quod est ad originem *Feudi*, vereor ut quisquam ejusmodi conjecturæ subscribat. Nihil aliud antiquis fuit *Fiduciare*, sive *Infiduciare*, quum de fundis agebatur, nisi *pignori dare* sive *oppignerare*, quamquam censuerit Isidorus, exiguum aliquod discrimen intercedere inter *Fiduciam*, & *Pignus*. Liutprandus Langobardorum Rex in Lege V. Lib. 6. Anno DCCXXIV. promulgata (ut habetur Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum) agit de *Infante, qui res suas cuicumque vendiderit, aut Infiduciaverit*. At aliud est *Pignus*, aliud *Feudum*, uti etiam aliud *Emphyteusis*, & *Pignus*. Quare etiam post invectum nomen *Feudi*, antiquo eodem sensu perrexerunt Itali adhibere vocem *Infiduciare*. In Charta Anni MLIII. apud Puricellium in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ, *Alicui dare, vel commutare, vel libellare, vel venumdare, aut in Beneficium dare, sive per Pignus Infiduciare*. Ubi vides, diversa duo fuisse, in *Beneficium*, sive *Feudum dare*, & *per Pignus Infiduciare*.

Liceat præterea mihi Chartam producere, quam acceptam refero singulari erga me humanitati celeberrimi Viri D. Guidonis Grandii Abbatis Camaldulensis, & publici in Licæo Pisano Mathematicæ Professoris. Eam ille rescripsit ex authentico existente in Archivo Archiepiscopii Pisani. Ibi agitur de vendendis *Prædiis tam Commendatis, quam Infiduciatis*, hoc est de Allodiis: nam Feudalium rerum interdicta erat alienatio.

Con-

## Concordia inter Bonifacium Marchionem, postea Tusciæ Ducem, & Magefredum Ubaldi filium, de permutandis variis Castris & prædiis, Anno 1034.

IN *Christi nomine &c. Die Sexto Calendas Aprilis, in loco, que vocatur Mantua, in presentia bonorum ominum, corum nomina subter leguntur: stetit atque convenit inter* Bonefacius Marchio, filius quondam Teudaldi itemque Marchio, *necnon inter Magefredus filius quondam Ubaldi, ut ab hodie usque ad terminum VII. Calendas Madii debent se conjungere ambes partes ad locum, que vocatur Masima....as, in presentia* Ugoni Comitis, *& quale ejus ante alterum ibi venerit, expectet alterum usque ad occasum Solis. Et cum ibi conjuncti fuerint, tunc predictus Magefredus debet facere Cartula venditionis, & Conjuge sua debet facere Cartulam de sua portione, quam sibi pertinet de illa hereditate in domo sua in Misso predicti Bonefacii, & ibi in judicio laudare. Insuper predictus Bonefacius, aut in quale persona ipse Bonefacius elierit, nominative de sua portione, que est medietas de Castro uno, quod nominatur Scanellum, & in circuitu ejusdem Castri cum duocentis tornaturis, simul & medietatem de sua portione de casis & omnibus rebus ad eodem Castro & Curte pertinentibus, verum etiam & medietatem de omnibus Castris, & Cappellis, sive casis domnicatis, & massariciis, & rebus domui coltile, atque universisque rebus territoriisque, condam Ademarius Avius suorum ab uno anno in retro detinuit, antequam mortuus fuit: sed & nunc Magefredus detinet tam de propriis, quamque* Comendaticiis *vel* Infiduciatis *rebus in montaneis locis à Monte Maurisini, & à Salterno, & ad ipso Monte usque ad Reno in sursum, medietatem; in planiciebus vero locis, sicut idem cernitur à Monte Maurisini subterius usque à paludibus, & ad ipso Monte usque ad Savi, & à palude usque ad Alpem, tertiam partem; de Servis vero & Ancillis, Aldiones & Aldiane in montaneis locis in predictis rebus abitantibus, de sua portione similiter medietatem: in planiciebus vero habitantibus, eseptis illis, qui asidue de domnicata stipendia vivunt. Eo die in presentia suprascripti Ugoni Comiti predictus Magifredus sine Dei impedimento debent ipsa Cartula judicio laudare & exspendere si....... Judices predicti* Bonefacii *judicaverint, & quantum predictus Magefredus ab illa die in antea de predictis rebus, que condam Admarius detinuit, adquesierit tam in montibus quam in planiciis, predictus Bonefacius debet abere medietatem tam de prediis, quàm de* Comendatis, *&* Infiduciatis *rebus. Et insuper promisit ipse Mangefredus predicti Bonefacii facere securitatem sacramenti per suum Nuncium in illa die de ipsis rebus, unde ipse & Conjuge sua, Carta fecerit, & de omnibus aliis rebus, que ipse nunc detinent, aut ei evenerit de rebus communis acquisitis, ut ipsa ei tollere non debent, nec fecerit tollere, nec ejus jura, vel membra, neque ullam apprensionem ad suum damnum. Et taliter obligavit se ipse Magefredus, ut si hec omnia, que supra legitur, taliter non adimpleverit, qualiter supra legitur, & suam portionem de Castro & Curte, que dicitur Renzuli, deveniant in potestate predicti Bonefacii proprietario jure, & faciad ipse & suos heredes quicquit voluerit, sine omni contradictione predicti Magifredi, suorumque heredibus. Et ipse Bonifacio Marchio una cum* Richilda Conjuge sua *debent facere in predicto Magesfredo, seu in suo Misso Cartula vendictionis, seu oblicacionis de illa medietatem, que predictus Magefredus nunc detinet de sua portione debet dare Bonifacio Marchioni de illis rebus, que Admarius detinebat ab uno anno, antequam mortuus fuisset, medietatem à Monte Mauresini, & à Salterno in sursum usque ad Alpe: in planiciebus verò..... ipso Monte Mauresini subterius usque ad Savis, à palude usque ad Alpe, due portiones debet abere predictus Magefredus...... de omnibus rebus, que quondam Admarius detinuit, & ipse Magefredus nunc detinent. Et ipse Bonefacius debet facere Cartam, & predictus Magefredus de duocentis tornaturis infra Plebem Sancti Petri, que vocatur in Barbarorum, de similiter bonis rebus, que quondam Admarius detinuit, deinceps adquesierint tam in montibus quam in planiciis, ipse Mangefredus debet abere medietatem de prediis, & porcariis, quamque de* Comendatis *vel* Infiduciatis *rebus. Et insuper promisit ipse Bonefacius facere securitatem sacramenti ad suum Nuncium de ipsis rebus, unde ipse Bonefacius Cartam fecerit, & de omnibus aliis, quem ipse detinent, aut tenere evenerit de rebus universis adquisitis, ut ipse & tollere non debent, nec fecerit tollere nec jura nec membra, neque ullam apensionem ad suum damnum. Et ipse Bonefacius debet cum Conjuge sua laudare & expendere, sicuti Judices predicti Magefredi judicaverint. Et taliter spopondit & oblicavit se predictus Bonefacius: ut si predictus Magefredus & omnia, que supra legitur, adimplere voluerit, & ipse Bonefacius se subtraxerit, aut amplius deacquisierit, tam predictus Magefredus abead predicta Corte & Castro de Monte Renzoli proprietario jure, & faciad quicquit voluerit, sine contradictione predicti Bonefacii, suisque heredibus. Et in eo tinore, ut supra legitur, Bonefacius filius quondam Enrici de sua portione de omnibus rebus, seu Servos & Ancillas, quas de quondam Admarius fuit, & ipse Bonefacius Enrici filius nunc detinet, excepto illis omnibus rebus, seu Servos & Ancillas, que sunt...... simulque de predicto Castro & Curte que nominatur Monte Renzuli, ublicavit adversum predictum Bonifacium, quemadmodum fecit Magefredus, ut supra legitur; & Bonefacius Marchio similiter promisit facere Bonifacio Enrici filio, sicuti debet facere predicto Mangefredo.*

*Factum est hoc tempore Domni Curradi Imperatori Augusti, Anno Imperii ejus Septimo, suprascripto die, Mense Martii, Indictione Secunda.*

*Atto, Benno, Arduinus, Ubaldus, Tenzo, Marchesello, Sigefredus, Pachanellus, Bernardus, Geremia, Azo, interfuerunt.*

✠ *Signum Johanne Notario ibi fuit, & unc breve scripsi.*

An ante Sæculum XI. invectum revera fuerit nomen *Feudi*, ego nondum è probatis tabulis didici. Quod certum est, *Feudum* appellari cœptum

cœptum est Castellum, prædium, & si quæ sunt alia tradita ad usumfructum alicui, dum vita accipientis perduraret, qui propterea pollicebatur fidelitatem & servitium Domino, illiusque exinde *Vassallus* constituebatur. Ejusmodi *Feuda* diu etiam perrexere appellari *Beneficia*, quod nempe ad morem veterum Beneficiorum traderentur, & dominium directum Castelli aut fundi, Domino stabile permaneret. Verùm, ut vidimus, Vassi olim, seu Vassalli creabantur, quamquam nullum eis conferretur Beneficium; neque ex vi *Beneficii*, sed tantummodo ex munere *Vassatici*, præstari consuevit Seniori Fidelitatis juramentum. Contra Sæculis posterioribus ratione tantum *Feudi Vassallus* quisque efficiebatur; & Feudi concessio obligationem *Fidei*, ac tutelam Domini directi, sive Senioris conjunctam habebat. Præterea veterum *Beneficia* ad vitam dumtaxat accipientis protendebantur. *Feuda* verò etiam ad filios ac nepotes transferebantur, uti infra ex Lege Conradi I. Augusti intelliges. Mihi Sæculo tantùm vulgaris Æræ XI. Chartæ occurrere incipiunt, in quibus expressum *Feudi* nomen legitur; & siquidem Scriptores *Beneficii* vocabulo utuntur, per illud significant, quod nunc *Feudum* appellamus. Præter alia exempla in hoc Opere legenda, unum profero, desumtum ex autographo existente in Archivo supra laudati Monasterii Veronensis Sancti Zenonis, in quo Beatrix Ducissa Tusciæ, & Mathildis Comitissa ejus filia, eidem Monasterio bona restituunt, eâ conditione adjectâ, ne alicui deinceps *per Libellum*; aut *in Beneficium* tradantur.

## Beatrix Comitissa Ducissa Tusciæ cum filia sua Mathilde, refutationem quarumdam terrarum facit Monasterio Veronensi Sancti Zenonis, Anno 1073.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Ego Beatrix Comitissa, *& gloriosa* filia mea Mathildis, *omnibus fidelibus Christi notum esse volumus, quod ego Beatrix Comitissa cum preclara filia mea Mathilde, amore Dei, & sanctissimi Confessoris Christi Zenonis instinctæ, per lignum, quod in nostris tenebamus manibus, in presentia Fratrum Monasterii ipsius Sancti Zenonis, & aliorum bonorum hominum, quorum nomina subtus leguntur, refutavimus in manu* Domni Werinheri Abbatis *illas res ipsius Monasterii, quas nos habere visæ sumus, idest Vouferrario, & Voupigozzo, & Runco Cavelo, & Fatuledo, cum omni jure & reditu & districtu, & porcis & multonibus; & res illas Monasterii in loco, qui dicitur Barche, sito in confinio Trebunciolo, & Runco Hostilienses, cum omni jure & reditu pro remedio animæ nostræ, seu* Gotefridi Ducis & Bonefacii Marchionis, *vel ceterorum parentum nostrorum, ea videlicet ratione, ut Monachi ibidem Domino servientes illa bona ad victum suum omni tempore habeant pro sempiterna nostrarum animarum recordatione. Et Abbas, qui modò est, vel sui successores, non habeant licentiam alicui personæ per Libellum, aut in Beneficium dare. Si autem iste Abbas, vel aliquis suus successor illa bona, quæ supra leguntur, per aliquod ingenium abstraxerit à victu Fratrum, aut alicui per Libellum, aut in Beneficium dederit, ad manus nostras, aut nostrorum heredum reverti debeant; insuper centum Libras Denariorum Veronensium nobis debeat componere.*

*Actum est hoc in Monasterio Sancti Zenonis in Refectorio Fratrum, Anno ab Incarnatione Domini MLXXIII. Indictione XI. in die Sabbati, quod est quarta Idus Augusti, in Festivitate Sancti Laurentii Martyris Christi feliciter. Et ut hoc à nobis factum esse cercius credatur, Sigilli nostri impressione confirmatum manifestetur.*



*Anselmus Episcopus Lucensis huic facto interfuit.*
*Bulgaro interfuit.*
*Mainfredus interfuit.*
*Rogo Judex interfuit.*

Sigillum cereum.




Con;

Consule interea Chronicon Farfense à me editum Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. Ibi pag. 616. *filii Crescentii Comitis*, *accepto Castello Tribuco* à Berardo Abbate Farfensi circiter Annum MLXXXIII. *obligaverunt se & heredes suos, ut non facerent, nec consiliarentur, ut Domnus Berardus Abbas vitam perderet, aut membra, aut malampresam haberet, & contra omnem hominem adjuvarent illud tenere & defendere bonâ fide* &c. En certa *Feudi* indicia, appositumque ejus causâ sacramentum. Beatricis quoque imitatrix Mathildis Comitissa illius filia, ut habet Donizo in ejus Vita Lib. 2. Cap. 2. quoscumque poterat sibi devinciebat,

*Multos cum Feudo, multos munus tribuendo.*

Sed ut habeas non rem tantùm, sed & nomen *Feudi* Sæculo Christi XI. accipe, quæ Landulfus Senior Mediolanensis Historicus Anno MLXXXV. scribebat in Historia à me edita Tomo IV. Rerum Italicarum. Agens ille de Landulpho Archiepiscopo Mediolanensi, qui Anno DCCCCXCVI. florebat, in hæc verba loquitur: *Propinquis, quos in Carcanensi Oppido habebat, de beati Ambrosii Archiepiscopatus bonis quadraginta millia modios terræ fructuum, ut illos omnes ditaret vicinos, per Feudum dedit.* Præterea *Feudi*, sive *Feodi*, expressa mentio habetur in Charta Ferrariensi, eodem Sæculo, scriptâ, nobisque servatâ in Collectaneis suis MStis à Peregrino Prisciano Ferrariensi: ex qua intelligas, *Servitii* tantummodo, non verò *Census* fuisse impositam Vassallo obligationem, quamquam verum sit non defuisse Feuda, quæ Censum quoque quotannis redderent.

## Landulfus Episcopus Ferrariensis investituram nonnullarum rerum concedit Nordilo de Castello Veteri, cum conditionibus quibusdam, Anno 1091.

A*Nno ab Incarnatione Domini Millesimo Nonagesimo Primo, die... Mensis Madii, Indictione XII. Cum esset* Domna Matilda, *gratiâ Dei* Ducatrix & Comitissa, Marchionis Bonifatii filia, *in loco Sancti Cexarii, ibique* Bernardum Vicarium Romane Ecclesie, *&* Parmensis Episcopus *cum ea, &* Ugo Mantuanum Episcopum, *& Ubaldum Judicem, & Gandulfum Judicem de Arcelada, & Gulielmum de Ferrara, & Petrum Taurellum, & Ubertum Pre-Fantini, atque Uguidonem Azonis, Azo de Sala, Rainerium filium Bulgarelli, Albericum de Nonantula, Ribaldum de Vignola, & plures alii. In eorum presentia investivit* Domnus Landulfus Episcopus Sancti Georgii de Ferrara *Nordilum de Castello Veteri, & ejus filios, qui de eo extiterint, de omnes res illas juris Sancti Georgii, sicuti Conon de Calaone dedit infra Plebibus Sancti Martini, & Plebe Sancti Donati, & Plebe Sancti Georgii ad Ecclesiam Sancti Georgii de Ferrara, ut prefatum Nordilum, & ejus filiis habeant & teneant ex parte memorate Ecclesie* nomine Feodi *sine omni contradictione suprascripti Episcopi, & ejus successoribus. Ita tamen ut serviat Domne Matilde diebus vite sue, & post ejus decessum serviant Episcopo & sui successores, sine omni contradictione Domne Matilde & ejus heredibus. Pena verò inter eos posita fuit, quod si suprascriptus Episcopus, vel suus successor tulerit prefatum* Feodum *predicto Nordilo, vel suis filiis, sine convicta culpa Feodum perdendi obligavit se, suos successores esse . . . . . . nomine pene Libram unam auri optimi. In presentia suprascriptorum testium predicta Domna Matilda fecit finem de prenominatis rebus in manu Domni Landulfi Episcopi, quod amplius non agerent, neque causarent, neque ipsa, neque sui heredes adversus Ecclesiam, neque Pastorem Ecclesie, vel cui ipsi dederint, pro timore Dei, & anime sue remedium.*

*Ego Dominicus Sacri Palatii Notarius scripsi, & subscribendo complevi & interfui.*

*In Dei nomine, Anno Christi MCLXXVIII. temporibus Alexandri Papæ, & Federici Imperatoris, die X. exeunte Mensis Junii, Indictione XI. Ferrarie in domo Episcopi, ego Horrisius Dei gratia sancte Ferrariensis Ecclesie Notarius hoc Instrumentum autenticum de veteri in novo transcribo, nec plus minusve in hac Carta novationis designo; quod reperi apud Albertum quondam fratrem Mangini filium Guizardi de Nordilio.*

Frequentiores deinde in Archivis offerre se incipiunt tabulæ, formulis bene conceptis *Feudum* exprimentes, è quibus unam ex Estensis Chartophylacii apographo dabo, scriptam Anno Christi MCXXX. in Dissertatione XXXIII. *de Origin. Vocum Italicarum*. Dixi, nondum mihi oblatum fuisse vocabulum *Feudi* in minime dubiis monumentis ante Sæculum XI. Qui secus putant, videant, num legitimis tabulis nitantur. Goldastus quidem Caroli Crassi Constitutionem edidit *de Expeditione Romana* Anno DCCCXC. in qua *Feodi* mentio. Ast illam, ut alibi ajebam, inter figmenta amandandam, Notæ ipsæ Chronologicæ, ac potissimum Historica documenta evincunt. Frustra quoque agat, quisquis Diploma Bobiense ejusdem Caroli Crassi Augusti, Anno Christi DCCCLXXXIII. ut fertur, datum, editumque ab Ughellio Tom. 4. Italiæ Sacræ, & in Bullarii Casinens. Tom. 2. à suspicione falsi vindicare conetur. Utinam possem & ego idem præstare, gratumque animum meum erga humanissimos Bobienses Monachos, sanctumque illum locum hac etiam occasione testari. Sed nobis continuò reponent Eruditi emunctæ naris, tunc inauditum fuisse investire aliquem *jure honorabilis Feudi*, uti & titulum *Consiliarii nostræ Signaturæ*, ut reliqua omittam, quæ non Caroli Crassi, sed posterioris ævi ritum olent. Eâ etiam de causâ alterum Diploma, Lotharii videlicet Primi inter Augustos, à Margarino evulgatum pag. 27. nuper memorati Tomi 2. Bullarii Casinens. exploserunt Eruditi, datum, ut dicitur, Anno Christi DCCCXLVI. quum in eo Imperator Hilduinum Abbatem *jure honorabilis Feudi* investiat de Comitatu Bobiensi. Ad me quod attinet, seriùs *Feudi* vocabulum, eique adnexas obligationes, invaluisse reor. Neque prædia tantùm, sed & ipsi Comitatus, Marchiæ, & Ducatus, sensim titulo Feudali cœpta sunt tradi. Regum quoque ad exemplum Duces, Marchiones, Comites, pariterque Episcopi & Abbates, sibi *Vassallos* comparare *Feudis*, hoc est prædiis, sive Castellis conlatis non destiterunt. *Homo* & *Miles* alicujus, idem significabat, at-

que

que *Vassallus*. A Senioribus autem, si tanta eis erat potestas, sæpe jus sanguinis in Vassallos deferebatur. In hanc rem animadvertere juvat, quæ Gualvaneus de la Flamma in Manipulo Flor. Cap. 201. Tomi XI. Rer. Italicar. habet de reædificatione Mediolani Anno MCLXVII. peractâ, & restauratâ nobilissimæ Urbis dignitate atque potentiâ. Tunc, ait, *privatur suis juribus pars Capitaneorum & Vassallorum, jam tribus vicibus per Populum exclusa, quæ totis viribus Civitatem istam infestaverat. Civitatis Mediolanensis facti sunt novi habitatores. Nulli parentelæ licitum fuit dicere deinceps se habere sanguinis judicium super Vassallum, unde Vassalli se Valvassores esse confinxerunt. Sola Domus Vicecomitum hanc nobilitatem retinuit, & Vassallos habere potuit propter fidelitatem, quam habuit ad Civitatem Mediolanensem*. Ad hæc Vassallorum præcipuum munus fuit pro Domino Feudi insurgere ad arma, aut ipsum Feudum pro directo Domino contra quemcumque tueri. Multi sane fuere ex hisce Vassallis insigni Monasterio Ticinensi *Sancti Augustini in Cœlo Aureo*, quod alicubi etiam appellatum vidi *Cellæ Aureæ*, ubi Sancti Augustini Episcopi atque incomparabilis Ecclesiæ Doctoris ossa conduntur. Vidi ego in Tabulario ejusdem Cœnobii, atque descripsi Diploma autographum Conradi I. Augusti, confirmantis Alpiso sacri ejus loci Abbati inter cetera *omnes illas Cortes, quas quisque usque modo Beneficiali ordine detinuit, & quæ Vassallorum dicebantur*. En ut *Cortes* non *Allodii* dumtaxat titulo, quod supra censuit Sirmondus, sed & *Beneficii* olim possidebantur. Ut autem pateat, quanta tunc foret Cœnobii illius dignitas atque potentia, Præceptum ipsum educere præstat.


## Conradi I. Imperatoris Privilegium confirmatorium omnium jurium Monasterii Ticinensis Sancti Petri, quod appellatur in Cœlo Aureo. Anno 1033.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Chuonradus divinâ favente clementiâ Imperator Augustus. Si circa loca Deo dicata munificentiam nostræ benignitatis largimur, credimus hoc ad Regnorum statum nostrorum, nostreque anime salutem proficere. Idcirco noverit omnium fidelium Sancte Dei Ecclesie tam presentium quam futurorum universitas*, Gislam nostram *carissimam* Conjugem, *nostram adiisse Imperialem clementiam, quatinus pro Dei amore, nostreque anime remedio, Cenobio Sancti Petri, quod dicitur Cœlum Aureum, subvenire, & nostra preceptali auctoritate confirmare & corroborare omnes Cortes & proprietates, quas pridem per quodvis ingenium dinoscitur possedisse*, terras & Cortes, que usque modo Vassallorum dicebantur, *Munesengo & Villa atque Castellum, quod Sancti Petri dicitur, &* Abbatem *nomine* Alpisum, *qui modo ei preest, ex omnibus investire dignaremur. Cujus petitionibus aures libentissime accommodantes, nostreque anime consulentes, pro Dei amore predicto venerabili loco atque Abbati concedimus, donamus, modisque omnibus corroboramus* omnes res & proprietates, possessiones, omnesque illas Cortes, quas quisque usque modo Beneficiali ordine detinuit, & que Vassallorum dicebantur, *& quascumque idem Cenobium longo tempore dinoscitur possedisse*, à Liudprando *ipsius loci fundatore concessas. Ideft inter ceteras res Cortem illam, que Alpe Plana dicitur, cunctasque res ad eandem Cortem pertinentes, vel aspicientes in quibuscumque locis, cum territoriis & finibus per Preceptum* Liudprandi *Regis, per singula loca denunciatis, vel earundem rerum Decimas, que quocumque modo inibi laborate fiunt: & Ecclesiam, que in honore Sancti Augustini non longe à Januensi Civitate constructa est ab ipso* Liudprando predicti Cenobii fundatore; *alias quoque Cortes, que Lardiriacus & Villarasca dicuntur, & mansa, que in Rovorri jacent, & Corte Cressiani, Turine, Gerentiano, & in Cartiano Ecclesiam unam Sancte Juliane cum omni honore. Possessiones etiam, quas habere videtur in Laudensi Comitatu & Pergamensi, videlicet Amsenengo cum Corte, que Flumbo dicitur, cum omnibus ad eam pertinentibus, & Casale Sancti Petri, & Casale Aribaldi, & Castellum Aichardi in Comitatu Parmensi, & quod Casale Sindesi dicitur, cum omnibus rebus, vel earum pertinentiis. Illas etiam terras, que in Luciano & Spariano, & in Rosioni possidet, cum omnibus circumquaque adjacentibus, & ad eadem loca respicientibus. Confirmamus insuper prelibato Cœnobio atque Abbati Cortem Pavonem, nec non & illam, que in Roboreto dicitur Corte Regia, & Ecclesiam Sancte Marie de Tergui, cum omnibus pertinentiis & adjacentiis suis, molendinis, piscationibus suis, aquis, aquarumque decursibus, cultis & incultis rebus, ubicumque locorum ad easdem Cortes pertinentibus: & omnia, que in Monte Farrato, & que in Comitatu Vercellensi & Yporegiensi, & que in Novariensi ad eundem locum pertinent, & que in Caselle & in Ponte Corioni, & in Solariolo idem Cœnobium possidere visum est. Cortem etiam, que Diane dicitur, in Comitatu Albinganensi, & ea omnia, que infra ipsam Civitatem & extra ad ipsum Monasterium pertinere videntur. Portum etiam Rosariolum longo tempore ab ipso Monasterio tentum, omnemque terram in campania Papiensis Urbis jacentem, justeque inibi pertinentem, & Decimas. Donamus etiam & corroboramus eidem venerabili loco terras, quas in partibus Tuscie videtur habere per diversos Comitatus & loca. Duas etiam Corticellas, Maliacem scilicet & Calavadum cum Suffello, & Leuco, atque Capella, que est in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, que dicitur Primasca, que constructa est in Valle Belizona; & illas terras, que habere visum est in Belingno & in Liventina, cum omnibus suis pertinentiis. Cortem insuper, que Vergonto dicitur, & Piscariam, que est in Tauxa.*

*Statuimus insuper, & modis omnibus censemus, precipimus ac jubemus, & juxta nostrorum Antecessorum Regum, vel Imperatorum auctoritate firmiter edicimus, ut nullus Archiepiscopus, nullus Episcopus, nullus Marchio, vel Comes, aut Vicecomes, aut Gastaldio, sive cujuscumque Ministerialis, nullaque judiciaria potestas, vel Reipublicæ Minister, in predictis Cortibus, prediis, possessionibus, seu in aliquibus locis prefato venerabili loco pertinentibus, placitum tenere, vel districtum facere, sive fodrum, aut aliquam functionem publicam, vel redditum, à supradictorum locorum habitatoribus,*

*bus, vel pertinentibus exigere vel tollere, remota omni occasione, presumat. Inter cetera tamen hoc specialiter statuendum censuimus, ut Cortem predictam, que Maliace dicitur, vel quicquid sepe dictum Monasterium in Valle Luvana, & in Valle Agno habere videtur, precipue tueamur, quoniam hec loca inter cetera, majora, & fortiora infortunia atque molestias sustinuerunt. Ideoque precipimus & quibuscumque interminationibus valemus, jubere decernimus, ut nullus umquam Potestas, Minister, vel Missus, aut Famulus, predictorum locorum habitatoribus seu pertinentibus aliquam deinceps molestiam inferre presumat, nullam districtionem eis facere, vel fodrum ab eis tollere, aut eorum arbores succidere, vel aliquod eorum suppellectilis vel peculii invadere, aut de eorum possessionibus aliquid potestative rapere aliqua temeraria præsumptione audeat. Si quis vero aliquam querelam super aliquem eorum habet, non per se vindicare, aut per aliquem legem requirere, nisi per nos aut Abbatem ipsius Monasterii, presumat, vel per nostrum aut ipsius Abbatis Missum. Hac igitur nostra preceptali auctoritate omnes predictas Cortes & loca, cum rebus & familiis, portibus, & mercato, districtionibus, molendinis & piscationibus, aquis, aquarumque decursibus, cunctisque rebus mobilibus & immobilibus ad jam scriptas Cortes & loca in integrum aspicientibus, divinorum memores preceptorum, jam dicto Cœnobio, ejusdemque loci Abbati, vel cuicumque pro tempore inibi presidenti, confirmamus & corroboramus. Omnes insuper illos Carpentarios, quos ipse sanctus Locus per Precepti possidet paginam tempore antecessoris nostri Liudprandi Regis in Valle, que dicitur Antelamo, vel eos, qui sunt in Besozolo, cum filiis filiabusque, agnationeque cuncta eorum, ut tempore opportuno inibi deserviant ipsi & posteri eorum absque ulla retractatione perpetualiter; & vada ad piscandum, que sunt in Ticino, in Rivo Poloni, Morasca, seu vadum, quod dicitur Landemarii, Costam, Teveredum, & aliud, quod dicitur Sextemaseum, cum illo medio, quod ad Sepem dicitur, & illud, quod Aunella dicitur, seu etiam illa vada, quæ sunt in Pado habentia priorem terminum à loco, qui nominatur Popula Pagana, & pertingentia usque ad locum, qui dicitur Caput Asi, ex utraque parte Padi, cum insulis positis juxta predictam piscationem, vel quicquid ab antiquo tempore per antiquorum Regum seu Imperatorum donationem obtinuit, vel Padus invasit, aut in futurum irruperit, eidem sancto Loco contradimus.*

*Volumus etiam & concedimus, ut molendina, quæ in Caterona, seu in aliquibus fluminibus predictum Monasterium possidet, habeat tam Abbas, quamque & Monachi potestatem levandi atque deponendi, quousque vel quoquo modo eorum decreverit voluntas, & aquæductus, qui Bauga Liudprandi dicebatur, in eorum sit potestate ad irrigandos ortos ipsius Monasterii. Sintque omnes res ipsius Monasterii, Abbas quoque & Monachi, hominesque libellarii & servi sub nostra Imperiali defensione munitæ atque defensæ. Et si necessitas fuerit de rebus ipsius Monasterii per inquisitionem circumquaque manentium bonorum hominum, sicut de nostris Imperialibus rebus rei veritas approbetur; & juxta definitionem antecessoris nostri Liudprandi Regis liceat Cœnobio de propria Congregatione Abbatem eligere, ita ut super eos nulla umquam introducatur persona. Statuimus etiam, ut nullus Reipublicæ Minister, necque aliquis ex Judiciaria potestate in cunctis predicti Monasterii Cortibus, vel vicis, liberos ac servos deinceps inquietare, aut ad Placitum trahere, aut in aliquibus finibus ejus Placitum tenere, aut aliquem pignorare vel detrahere presumat. Et quicquid pars publica sperare poterit, eidem Monasterio sancto secundùm concessionem & confirmationem Liudprandi Regis, aliorumque Regum vel Imperatorum, solempni & perpetua stabilitate firmamus. Et quandocumque necessitas imminet, naves ipsius Monasterii per Ticini & Padi portum, quamque per quodlibet aliud discurrant absque alicujus impedimento, vel tolonei exactione. Secundùm hec etiam Regalia scripta sancimus, & modis omnibus interdicimus cunctis sub nostra potestate degentibus, ut nullam potestatem deinceps exerceant in prædictis locis ad nostram mercedem Monachis delegatis, vel Abbatem in aliquo conturbent, sed liceat ipsi Abbati, suisque successoribus sub regula Sancti Benedicti degere, & quotidie Deo laudes pro animæ nostræ remedio, Regnique nostri statu inibi offerre, & omnem Congregationem sibi commissam, assiduis alimentis pascere & enutrire perpetualiter. Volumus etiam, modisque omnibus interdicimus, ut nulla præpotens, parvaque persona predictum Cœnobium proprietario jure, aut beneficiali ordine, aut preceptali auctoritate nitatur invadere. Precipientes itaque jubemus tam presentibus quam & futuris, & parti predicti Cœnobii, que supra à nobis concessa & confirmata sunt, quolibet tempore nullus presumat inferre molestiam aut contrarietatem, sed sub omni integritate, sicuti à nobis concessa sunt ad utilitatem ipsius Monasterii sine aliqua diminoratione permaneant. Si quis igitur aliquando diabolica fraude deceptus contra ditam auctoritatem, & hanc nostram concessionem & confirmationem aliquid agere temptaverit, & jam dictum sanctum Locum ex predictis rebus fatigare conatus fuerit, sciat se compositurum auri puri Libras mille, medietatem Cameræ nostræ & medietatem predicti Monasterii vel ejus Abbati. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus custodiatur, manu propria roborantes, Sigilli nostri impressione inferius jussimus insigniri.*

*Signum Domni Chuonradi*  *Romanorum invictissimi Imperatoris Augusti.*

*Bruno Cancellarius ad vicem Piiecrimi Archiepiscopi & Archicancellarii recognovi.*

Locus ✠ Sigilli.

*Datum IX. Kal. Februarii, Anno Incarnationis Dominicæ MXXXIII. Anno verò Domni Chuonradi Imper. IX. Regnante, Imperante autem VII. Indictione I.*

*Actum Basileæ feliciter.*

Sed & antiquiora monumenta produnt, Ticinense Cœnobium Sancti Augustini abundasse *Vassallis*. Est enim ibi alterum, sed nimis conrosum, attritumque, Diploma: quod tamen, qualecumque sit, tenebris ereptum volo. Nimirum in eo præcipitur, *ut qui aliquam partem ipsius Cœnobii in Beneficium habuerit, nullam contrarietatem inferre nitatur.*

## Otto I. Imperator duas Curtes Monasterio Sancti Petri in Cœlo aureo Ticinensis concedit circiter Annum 963.

*IN nomine Domini Dei æterni. Otto divinâ favente gratiâ Imperator Augustus. Si venerabilibus ........ æternæ retributionis largimur, credimus ad Imperii nostri, Regnorumque nostrorum statum omnimodo proficere. Quapropter noverit..... omnium..... ac futurorum industria ac devotio,* Landoardum Præsulem, *nostrumque dilectissimum fidelem, nostram adiisse Imperialem .:...... nostræque animæ remedio Cœnobio Sancti Petri, quod Cœlum aureum dicitur, ac ejus* Abbati Johanni, *cunctæque suæ Congregationi mis...... subven..... recordabilix nostræ largitionis beneficia impertiri dignaremur. Nos verò in ultima hujus auctoritate constituti plusque vicini......bationis inspicientes, quam per nostros prædecessores, prædictique Landoardi Præsulis, nostrique dilectissimi fidelis peticionibus libentissime ...... & corroboramus jam dicto sancto ac venerabili Cœnobio, ejusque Vicario Johanni Abbati, suæque Congregationi, duas Cortes, unam quæ Villa Ra... nominatur, cum omnibus earum pertinentiis, ac utriusque sexus familiis, omnibusque rebus, quæ dici vel nominari possunt, ac Molendinum unum in flumine......nec non & omnem terram, quæ rejacet in..... hujus Ticinensis Civitatis..... in subsidium & sustentationem ...... præceptali auctoritate confirmamus,* ut qui aliquam partem ipsius Cœnobii in Beneficium habuerit, nullam contrarietatem ....... *terris omnibus, quæ dici vel nominari possunt, pertinentibus inferre nitatur prædicto venerabili Loco aut Monachis, vel aliquod...... suæque Congregationi de prædictis Cortibus, Molendinis, & terris agere, quemadmodum & de aliis eorum propriis rebus. Concedimus, confirmamus ...... Imperiali auctoritate corroboramus etiam venerabili Loco, ut nullus Dux, Marchio, Comes ac Vicecomes, aut Episcopus Placitum in prædictis Cortibus tenere audeat, aut ....... aliquas publicas functiones recipere omni nostra nostrorumque successorum contradictione, vel omnium hominum molestatione remotâ. Si quis igitur nostræ largitionis ac confirmationis ........ sciat se compositurum auri optimi Libras mille, medietatem Kameræ nostræ, ac medietatem prædicto venerabili Cœnobio. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria inferius roborantes, Anuli nostri impressione subter jussimus insigniri.*

*Signum Domni Hottonis* (monogram) *augustissimi Imperatoris.*

*Liggerius Cancellarius ad vicem* Widonis *Episcopi Arthicancellarii recognovi & subscripsi*

Locus ✠ Sigilli cerei deperditi.

*Da* ..................................................

Quod Ticini factum vides, id noris à reliquis tam Ecclesiæ quàm Sæculi Primoribus factum. Neque tantùm Senioribus militare servitium debebant Vassalli isti nobiles, sed & iis adstare atque adhærere statis temporibus honoris caussâ. Nunc appellamus *fare la Corte*. Et potissimum quum Seniores Placita celebrabant, aut ad Regiam Aulam pergebant. Antiquissima tamen Ferrariensis Populi Statuta, Anno MCCLXXXVIII. scripta, decernunt, *quod Vassalli non teneantur facere Curiam Dominis suis in Paschate & Nativitate.* Conventus enim tot hominum ad Primatum Ferrariensium ædes, *Opizoni Marchioni Estensi* ibi dominanti, minime arridebat, Sæculisque adeo perturbatis periculosum censebatur. In plerisque inclytæ Comitissæ Mathildis actibus ejusmodi nobiles Viros videas, Chartis subscribentes, quippe qui ut Vassalli Dominæ suæ obsequium præstabant. Atque inter eos memorantur *Conradi de Gonzaga*, qui Anno tamdem MCCCXXVIII. Mantuæ dominationem arripuerunt, *de Bibianello*, *de Baiso*, & *de Palude* Regienses: & *de Nonantula*, *de Vineola*, *de Castro Vetere*, *de Gommola*, *de Saviniano* &c.) Mutinenses. Quare statim atque Henricus inter Imperatores Quartus in Italiam advenit, ut hereditatem ejusdem Comitissæ Mathildis apprehenderet, quam sibi debitam contendebat, segnes iidem Vassalli minime fuere in officio erga novum Seniorem.

Hoc

Hoc disces è Charta, quam mihi suppeditavit celebre Mantuanum Padolironense Monasterium, utique rarâ: quippe Henricus idem, non uti Imperator, sed uti personâ privata, atque heres ejusdem Mathildis, multa prælaudato Cœnobio largitur, utens propterea formulis privatarum donationum. Testis etiam erit Charta hæc, Henricum ipsum Augustum Anno MCXVI. regressum in Italiam fuisse.

## Henricus Rex V. Imperator IV. Monasterio Padolironensi Sancti Benedicti, & Ecclesiæ Sancti Benedicti de Gunzaga nonnullas terras donat, Anno 1116.

*Anno ab Incarnatione Domini Millesimo Centesimo Sextodecimo, duodecimo die ingrediente Mense Maji, Indictione IX. Sancto Monasterio juxta Larione in honorem Sancti Benedicti consecrato, cui Ubertus Prior adesse videtur, ego quidem in Dei nomine* Henricus Quartus *Dei gratiâ* Romanorum Imperator Augustus, *dono & offero eidem Monasterio ad ejus jus & proprietatem, scilicet Silva una, quæ nominatur de Solamine, & una parte juxta eam, quæ dicitur Silva de Carpeneta, finesque scilicet ei à mane Sancti Benedicti, ab aliis lateribus sicut vadit strada de Murio, sicut vadunt campi de Sergnano & argenem, sicut vadit Regisa, quæ exit de Solame, & intrat in Petrosam, & intrat in Vallem Prediosam, & intrat in Vallem Rotaldi, & intrat in Vallem Sameleda, & intrat in Risinam de nido aquit .... & à Risina in Riolum. Ut jam dictum Monasterium ab hac die in antea faciat proprietarii jure in usum & sumptum Monachorum, qui in eadem Ecclesia militant, & qui militaturi sint usque in perpetuum, quicquid voluerit, sine omni mea & heredum meorum contradictione. Quisquis in sanctis ac venerabilibus Locis in suis aliquid contulerit rebus, juxta Auctoris vocem in hoc Seculo centuplum accipiet, & insuper, quod melius est, vitam possidebit æternam. Ideoque ego infrascriptus Imperator similiter dono & offero Ecclesiæ Sancti Benedicti de Gonzaga, Braida una juris mei posita in eodem loco Gunzachia, cum casa campani super eam habente; & hoc, quod tenet ex mea parte, finesque scilicet à mane Tenquemilo filius Adam Gunti, à meridie Petrus Cottus, à sero tenet Rutecherius de Gonzaga; de subto Albricus Cottus, hocque in hos fines inventum fuerit, in hanc Cartulam permaneat. Ut jam dictæ Ecclesiæ faciant cum superioribus & inferioribus, cum finibus & acceptionibus suarum in integrum quicquid voluerint proprietarii jure sine omni mea & heredum meorum contradictione pro mercede & remedio animæ meæ & Comitissæ Matildis; & insuper comprehensum est, ab omni contradicente homine defendere, & si defendere non potuerimus, aut si nobis exinde aliquid per quodlibet ingenium subtrahere quæsierimus; tunc in duplum suprascriptas res, ut supra legitur, eidem Ecclesiæ restituere, sicut pro tempore fuerint melioratæ, aut valuerint sub æstimatione in consimilibus locis.*

*Actum in loco Gubernulæ feliciter. Hujus Cartulæ offertionis fuerunt testes Conradus Comes, & Albertus Comes de Saploneta, Ardoinus de Palude, Arnaldus Aquensis Propositus,* Warnerius *Judex, & Ubaldus Judex, Amedeus, Opizo de Gunzaga, Gerardus & Rolandus Massarius, atque Paganus, Ugo & Ludovicus de Gubernula, & plures alii.*

*Ego* Warnerius *Judex affui & subscripsi.*

*Ego Ubaldus Judex affui & subscripsi.*

*Ego Dominicus Sacri Palatii Notarius scripsi, & subscribendo complevi ex jussione suprascripti Imperatoris.*

Atque heic subit in mentem, eisdem ipsis diebus concessum fuisse Populo Bononiensi Privilegium ab eodem Augusto. Ejus meminit Sigonius Lib. 2. Histor. Bononiens. atque illius compendium exhibet. Sigonium heic Ghirardaccius exscripsit in Histor. Bononiens. ad Annum MCXVI. Diploma ipsum, ex pervetusto Regesto Reipublicæ Bononiensis descriptum, exerere juvat.

## Henrici inter Augustos Quarti Diploma, per quod Populo Bononiensi omnes Consuetudines, jura, ac Privilegia confirmat, Anno 1116.

*In nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno Domini Millesimo Centesimo Sextodecimo, Idus Madii, Indictione IX.* Hensicus *Dei gratiâ* Romanorum Imperator Quartus, Cæsar Augustus. *Imperialis proprium est clementie, fidelium nostrorum precibus pro merito sue devotionis in beneficiis largiendis annuere. Proinde amicorum* Civium Bononiensium *personas, set & res eorum mobiles vel immobiles, tam acquisitas quam acquirendas, in nostra temporali tuitione seu defensione recepimus, ubicunque contingat eos degere vel conversari; ita ut ne quis hominum presumat eos injuste molestare, vel eorum personas seu res aliquibus injuriis afficere, omnes publicas vias tam in terris, quam in aquis, & nominatim navigium Padi, & deorsum in Venetiam, & sursum in Longobardiam, ita libere concedimus eis, & ne quis omnium prorsus audeat eos in iisdem viis & itineribus aliquatenus impedire, vel quibusdam molestiis implicare. Nemo eos umquam constringat, nullam prestationem quisquam ab eis exigat, occasione banni vel ripatici, vel alicujus talis cause nomine, & hoc nominatim in Ferraria, ejusque territorio vetamus, exceptis nostris Legatis, qui per loca solent ea, que juris & consuetudinis sunt facere & exigere. Antiquas etiam Consuetudines intactas & illesas perpetuo precipimus observari, & pabulum Silve à Plebe Biuda usque ad Paludes, ejusque adjacentias in toto Rheni alveo nihil fiat operis, quo pejus navigetur. Negotiatores de Tuscia subter stratam negotiandi causâ non transeant, nisi duabus per annum vicibus. idest ad Mercatum Olivarum, & Sancti Martini. Pro parata seu fodero ultra centum Libras denariorum Veronensium non exigantur. Et nullus Comes eorum Colonos seu Inquilinos pro allogariis, quod Mansionaticum dicitur, molestare audeat. Quo tempore in nostra erunt expeditione, nulla de re judicium eis pati volumus, nisi quid ibi-*

*dem commiserint. Hec omnia pro tenore supra descripto in perpetuum custodiri demandamus. Si quis verò contra prefatum nostre clementie beneficium venerit, vel hoc in aliquo violaverit, centum Librarum auri purissimi pœnæ subjaceat, cujus dimidium nostris scriniis, dimidium jam dictis persolvat Concivibus. Quod ut verius credatur & appareat, Sigilli nostri imagine presens scriptum precipimus insigniri.*

*Actum in loco, qui Gubernolo nuncupatur, Indictione suprascripta.*

*Ego . . . . Dei gratiâ Cancellarius subscripsi.*
*Ego Guarnerius Judex affui.*

Præcedens Charta Henrici IV. Augusti huic alteri fidem augere potest. Attamen heic senonnulla offerunt, quæ suspicionem ingerant commenticii Diplomatis. Neque enim mos Imperatorum fuit in suis Diplomatis præmittere Notas Chronologicas. Alia ratio est Chartæ præcedentis, in qua Imperator uti persona privata donavit. Neque titulus ille *Cæsar Augustus* Cancellariam olet Augustorum illius ævi. Neque *Amicos* appellasset Henricus Cives Bononienses, qui eum ut Dominum venerabantur. A vero non abhorret, aut interpolatum fuisse Diploma, aut confictum seriùs, ut res tamen vera memoriæ proderetur. Nam in eodem Regesto alterum hoc monumentum succedit, quod vera ac certa legitimitatis signa complecti mihi creditur.

## De offensionibus Communis Bononiæ remissis ab Imperatore Henrico IV. Anno 1116.

*IDem ipse Imperator remisit* Bononiensi Populo *omnem offensionem, quam ipse Populus aliquo modo sibi commisit: & præcipue Roccam, quæ ab ipso Populo destructa fuerat, tam ipsi Populo quàm omnibus, qui auxilium præbuerant. Hæc omnia impetrata sunt ab Alberto Grasso, & Ugone de Ansaldo. Et ad hujus Præcepti receptionem cum prædictis adfuit Azo filius Azonis, & Ubertinus filius Carbonis, & Rolandus nepos ejus, & Bonus de Teseno, & Donusdeus filius ejus, & Guido de Beatric, & Petrus de Leone, & Petrus Clericus de Seralio. Hæc omnia facta sunt in præsentia Arduini filii Guidonis, & Conradi Comitis, & Comitis Alberti filii Bosii, & Pelavicini, & Cavalcabovis Mirchionis, & Bernardi & Alberti Geronimi filii Manfredi, & Ubaldi nepotis eorum, & Guidonis filii Manfredi, & Uberti Comitis Bononiæ, & Ducis filii Dindonis, & Nordilli de Castroveteri, & Galielmi filii Henrici de Verona, & Opizi de Gonzaga, & Tassoni de Bibianello, & Ubaldi Causidici de Carpeneta, & Gandulfi Judicis de Argelata, & Gerardi de Plazia, & Bruni de Monte, & Henrici de Verona.*

Hæc fingi non possunt. Qui heic recenentur, aderantque Henrico Augusto Gubernuli, plerique fuere Comitissæ Mathildis Vassalli, neque eorum nomina posterior ætas exhibere potuisset. Atque hæc obiter. Quum verò Feuda Comitissæ Mathildis in alios postea Proceres divisa fuissent, iidem perrexerunt appellari *Fideles*, sive *Vassalli de Domo Comitissæ Mathildis*, uti constabit ex altera Charta autographa prælaudati Monasterii Padolironensis, in qua nonnulli ex hisce Vassallis commemorantur, atque inter eos *Gerardus Rangonus*, cujus posteros insigni nobilitate spectabiles adhuc Mutina inter Primores suos enumerat.

## Concordia inter Monachos Monasterii Mantuani Padolironensis Sancti Benedicti, & quosdam Vassallos Domus Comitissæ Mathildis, confirmata à Friderico I. Augusto, Anno 1178.

*FRidericus Romanorum Imperator semper Augustus. Nostre Imperialis celsitudinis decet majestatem, amicorum atque Fidelium nostrorum preces admittere, atque in his, que cum honore nostro possumus, clementer exaudire. Quapropter notum facimus universis nostri Imperii fidelibus tam futuris quam presentibus apud nos, causâ Dei & intercessione beati Benedicti, ad cujus honorem Monasterium nostrum Sancti Benedicti de Padolirone dedicatum est, nec non etiam precibus atque consilio dilectissimi Principis nostri* P. Mantuani Episcopi, *atque Gerardi de Carpeneta, &* Gerardi Rangoni, *Guilielmi de Baëse, Gerardi de Camino, & Gerardi de Cornazano, Guidonis Malerbe, Rodolfini de Panzano, & aliorum multorum* Fidelium nostrorum de Domo Comitissæ Matildis, *transactione facta inter Monachos Sancti Benedicti & Homines de Pigognaga à prefato Episcopo, & Conrado de Babalxare, & Guilelmo de Baëse secundùm quod continetur in publico Instrumento à Johane Bono Notario facto, nostra Imperiali auctoritate confirmamus, atque omnia firma & inviolata semper ab utraque parte teneri, secundùm quod in prædicto Instrumento continetur, sub pena viginti Librarum auri percipimus, medietatem Camere nostre, & medietatem parti, cui damnum evenerit. Ad majorem autem hujus rei firmitatem presentem paginam nostre majestatis Sigillo insigniri jussimus.*

*Datum est hoc in Castro Casalis Sancti Vasii, Anno MCLXXVIII. Indictione XI. die Lune XV. intrante Madio.*

Quod hactenus vidimus à Mathilde Comitissa peractum, id quoque in more fuit antiquissimæ ac nobilissimæ Atestinorum Principum Familiæ. Uti non uno in loco Antiquitat. Estens. ostendi, olim *Marchionibus Estensibus* fuere *Vassalli* complures, inter quos *Oddo Blancus de Moregnano*, cujus Acta protuli Cap. 18. pag. 169. earumdem Antiquitatum. Quum verò *Fulco Marchio* Estensis Anno MXCVII. ad Conradum Romanorum Regem profectus esset, ut Charta à me ibidem promulgata fidem facit, sese pro suo munere eidem comites addidere nonnulli ex iis Vassallis, inter quos *Odo de Morignano*: quòd nunc solum animadverti, & luculentius confirmat tum veritatem illorum Actuum, tum consuetudinem Vassallorum in obsequio sui Senioris. Addere nunc juvat Investituram Feudi ab *Opizone Marchione Estensi*, ejusdem *Fulconis Marchionis* filio factam, cujus antiquissimum autographum adservatur in Archivo Serenissimi Domini mei Ducis Mutinensis

In-

## Investitura nonnullorum bonorum data cuidam Grego ab Opizone Marchione Estensi, Anno 1189.

ANno Domini Millesimo Centesimo Octuagesimo Nono, tempore Clementis Pape & Federici Imperatoris, die XIII. exeunte Mense Madii, Indicione VII. Ferrarie. Ego Dominus Opizo Estensis Marchio *investio te* Gregum *nomine Feudi ad usum Regni de illo toto, quod habebam à fossatis tuis inferius, sicuti tenet Restaria tua, sicuti est mea terra, usque dum vadit mea terra. Ita volo, ut per me habeas; & quando fecero tibi instantiam in sensu unius mei Vassalli, debes mihi fidelitatem facere; & inde do tibi Bonumfilium Tabelionem investitorem, qui te de predicta re possessionem tradat ad habendum, tenendum, ut dictum est supra. Testes fuerunt Presbiter Nier, Jacobus Fontane, Pecorarius, Girardinus de Rivarolo, Bonusfilius Tabellio investitor. Et latitudo feudi est ad perticas duodecim, pedes viginti & octo: & tantum ab uno capite, & tantum ab alio.*

*Die XII. introeunte Mense Madii, sub Millesimo Centesimo Nonagesimo, Indicione VIII. in presencia Guidonis de Blanco, Girardini de Rivarolo, Arduini Gabiane, Johannis Calauroni*; Dominus Opizo Hestensis Marchio *investivit* Gregum *nomine Feudi ad usum Regni de illo toto, quod est ad Fossatum Tolomei inferius sicut vadit. Et ita volo, ut de cetero habeas & teneas atque possideas, sicut habes altera, sicut vadit usque ad Est, & longitudo est centum pertice.*

*Et ego Guido Borarius gratiâ Dei Ferrariensis Notarius presens rogatus manu propria scripsi.*

Dixi, paullatim invaluisse, ut Comitatus, sive Urbes, Castella, aliæque Præfecturæ in Feudum ab Augustis concederentur. Magnates verò ac Principes suis Fidelibus fundos & prædia elargiebantur. Quæ quicumque acquirebat, jurejurando interposito se se obstringebat, fidemque pollicebatur directo Domino Feudi, uti heic etiam memoratur. Quum verò ad eumdem *Marchionem Opizonem*, sive ad ejus filium *Azonem V.* amplissima hereditas Guilielmi de Marchesella, opulentissimi, & inter Ferrarienses principis viri, delata fuisset, uti ostendi in Antiquitatibus Estensibus, simulque testatur Ricobaldus in Chronico, Tomo IX. Rer. Italicar. *Marchiones* ipsi, utpote Principes liberalitatis gloriâ illustres, simulque ut sibi in Populo Ferrariensi multorum fidem ac præsidium compararent, immanem ejusmodi bonorum copiam titulo *Feudi* iisdem Ferrariensibus sunt elargiti. Anonymus Auctor Chronici parvi Ferrariensis pag. 482. Tomi VIII. Rer. Italicarum idem testatur de iis Marchionibus scribens: *Plurimam partem possessionum, quæ fuerat de patrimonio Marchesellæ, cui successerant, jure Feudi in clientes suos distraxerunt.* Alia quoque ejusdem generis Feuda dare consueverunt iidem Atestini Marchiones in Comitatu Rhodigii, & Marchia Estensi, antiquissimâ videlicet eorum ditione. Hujusmodi verò Feudorum possessoribus obligatio injuncta est, offerendi quotannis directo Domino aliquid, ad recognoscendam illius superioritatem. Et quoniam uti Emphyteutica bona, ita Feudalia minime licebat transferre ad manus mortuas, scilicet Ecclesias, Collegia, Universitates &c. vide quid egerit *Azo VI. Estensis Marchio* in donatione facta Monasterio Atestino ad Carceres. Scilicet præcipit, ut *si hæc terra fuerit Feudum Domini Marchionis, Prior Sanctæ Mariæ debeat pro jam dicta terra ponere unam unciam de incenso super Altare jam dictæ Ecclesiæ pro remedio animæ Domini Marchionis, & ejus Majorum. Et hæc facere debeat omni anno.* Charta ex Archivo ejusdem Cœnobii, nunc ad nihilum redacti, ita se habet.

## Donatio facta ab Azone VI. Marchione Estensi Monasterio Sanctæ Mariæ de Carceribus, Anno 1204.

IN nomine Dei æterni. Anno Domini Millesimo Ducentesimo Quarto, Indictione VII. die V. exeunte Julio, in præsentia Domini Jacobi Sacerdotis, Magistri Dominici, Olderici, Punzii, & aliorum.* Dominus Azo Estensis Marchio *in remissione suorum peccatorum dedit, & investivit Domnum Livaldum Priorem Sanctæ Mariæ de Carceribus pro ipsa Ecclesia recipientem de decem Campis Paduanis de terra positis in confinio Pausi de terra nova, in loco, qui dicitur Petresina, ubi designatum est vel fuerit per Ortolinum Villicum* Domini Marchionis, *ita tamen quod præfata Ecclesia Sanctæ Mariæ & ejus interesse ammodo debeant habere & tenere dictam terram, & totam suam voluntatem de ea facere.* Et si hæc terra fuerit Feudum Domini Marchionis, statuit atque præcepit Dominus Marchio, quod Prior Sanctæ Mariæ, *qui modo est, vel pro tempore erit,* debeat pro jam dicta terra ponere unam unciam de incenso super Altare jam dictæ Ecclesiæ pro remedio animæ Domini Marchionis, & ejus Majorum. Et hoc facere debeat omni anno.

*Actum est in Dolione de Este.*

*Ego Clomerus Henrici Imperatoris Notarius interfui & scripsi.*

Ingentem dixi copiam ejusmodi Vassallorum fuisse Marchionibus Estensibus. Proinde statis temporibus Principes iidem aut Ferrariæ, aut Rhodigii, *Curiam Vassallorum* habere soliti sunt; atque ibi qui Feudis Estensis Familiæ donati fuerant, Feudum rursus agnoscebant, & fidelitatis juramentum præstabant. Sunt adhuc in Estensi Archivo antiquissima Regesta Feudorum, & sacramenta emissa ab innumeris *in plena Curia Vassallorum* Marchionum Estensium. Ex iis Actis duo excerpere juvat exempli gratiâ, ut quæ forma jurisjurandi foret, quive ritus intercederent, Lector intelligat.

In-

## Inveſtitura Feudi data Jacobino de Bruxatis ab Azone Eſtenſi & Anconitano Marchione, Anno 1252.

IN *Chriſti nomine. Anno Milleſimo Ducenteſimo Quinquageſimo Secundo, Indictione X. tempore Innocentii Papæ, die VII. intrante Aprili, in Epiſcopatu Ferrariæ, præſentibus* Domino Stephano Duce *Dei gratiâ* Sclavaniæ, Domino Marco Ziano Comite Arbenſe, Domino Iſnardo Domini Opizonis Malaſpinæ filio, *Domino Melliorino Juriſperito de Padua, Domino Bonmatthæo Legum Doctore & aliis. Ibique* Dominus Azo *Dei gratiâ* Eſtenſis & Anconitanus Marchio *inveſtivit Jacobinum de Bruxatis, Dionyſium Notarium ejus Nepotem pro ſe, & Domino Guidone de Bruxatis. Et hoc* in plena Curia Vaſſallorum *de ſuo recto Feudo, & eorum ratione. Qui Jacobinus & Dionyſius juraverunt fidelitatem eidem Domino Marchioni contra omnem hominem. Tenor cujus ſacramenti talis eſt.* „ Ego juro ad ſancta Dei Evangelia, & promitto, quod ab hac hora in antea fidelis ero Domino Marchioni. Nec ero in conſilio nec tractatu vel facto, ut vitam perdat aut membrum, vel mala captione capiatur, vel injuriam aliquam patiatur, vel detrimentum ſive damnum aliquod in perſona vel rebus ſubſtineat, vel diminutionem ſtatus ſeu honoris incurrat. Imo bona fide operam dabo, ut ipſius ſtatus & honor augeatur; & ipſum ad manutenendum & conſervandum ſtatum ſuum & honorem, pro viribus adjuvabo. Secretum, quod mihi commiſerit per ſe, vel per literas ſuas, aut Nuntium, nulli pandam. Quod erit ei facile vel poſſibile ad ſuum honorem & ſtatum perficere, ſive ad effectum perducere, non faciam ei difficile & impoſſibile. Imo ut id perficiat, ſive ad effectum perducat, bonâ fide operam dabo. Et Feudum, quod à dicto Domino Marchione teneo, in totum vel in partem, vel ipſius Feudi conditionem, ab eo vel ipſius Nuntio requiſitus non celabo: imo expreſſe id quod in Feudum teneo, & ipſius Feudi conditionem manifeſtabo. Et ſi contigerit (quod Deus avertat) quod rumor aliquis ſonuerit in Civitate Ferrariæ vel diſtrictu, occaſione alicujus rixæ ſeu diſcordiæ motæ vel movende, vel quod aliqua rixa fuerit in Civitate Ferrarie vel diſtrictu, ad dictum Dominum Marchionem, vel ejus Nuntium traham cum armis & ſine armis, nulla exſpectata requiſitione. Et ad voluntatem Domini Marchionis vel ſui Nuntii ibo & ſtabo cum armis & ſine armis. Nec ad aliquam partem cum armis vel ſine armis traham, ſine licentia Domini Marchionis vel ſui Nuntii. Et ſi quem ſcivero contra prædicta vel aliquod prædictorum facere, eidem Domino Marchioni vel ſuo Nuntio, quamcitius potero, manifeſtabo. Et ſi contra prædicta vel aliquod prædictorum fecero, ex nunc ſpontanea & libera voluntate me amiſſioni Feudi ſubjicio, & juri, quod in dicto Feudo habeo, ex nunc renuncio: ita quod Dominus Marchio auctoritate propria mihi illud auferre poſſit, & ipſius ingredi poſſeſſionem, non exſpectatâ Parium Curiæ ſententiâ. Et liberam licentiam & poteſtatem do ex nunc iis, qui electi erunt ad cognoſcendum inter Dominum Marchionem & Vaſſallos, confirmandi quod per Dominum Marchionem factum fuerit in auferendo Feuda, & ingrediendo poſſeſſionem eorum juxta formam prædictam. *Et ita Dominus & Vaſſalli ad invicem oſculati fuerunt.*

*Et ego Flornovellus Dei gratiâ Imperialis Aulæ Notarius, ad hæc omnia præſens, ut audivi & intellexi, ita rogatus ſcribere ſubſcripſi.*

## Inveſtitura Feudi data Dayneſio filio quondam Zeni ab Azone Marchione Eſtenſi & Anconitano, Anno 1252.

IN *Chriſti nomine. Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Quinquageſimo Secundo, Indictione X. tempore Innocentii Papæ, die VII. intrante Aprili, in Epiſcopatu Ferrariæ: præſentibus* Domino Stephano *Dei gratiâ* Duce Sclavaniæ, Domino Marco Ziano Comite Arbenſe, Domino Iſnardo Domini Opizonis Marchione Malaſpinæ filio, *Domino Meliorino Juriſperito de Padua, Domino Bonmatthæo Legum Doctore, & aliis.* Dominus Azo, *Dei gratiâ* Eſtenſis & Anconitanus Marchio, in plena Curia Vaſſallorum, *inveſtivit Dayneſium filium quondam Zeni, ad uſum Regni de ſuo recto Feudo, & ejus ratione. Qui juravit fidelitatem eidem Domino Marchioni contra omnem perſonam. Tenor cujus ſacramenti talis eſt:* Ego juro ad ſancta Dei Evangelia & promitto *&c. (uti in ſuperius deſcripta juriſjurandi formula.) Et ita Dominus & Vaſſallus ad invicem oſculati fuerunt, & ſuo ſacramento firmaverunt, nihil aliud tenere nec poſſidere de juribus Domini Marchionis, nec alias rationes habere.*

*Ego Flornovellus Dei gratia Imperialis Aulæ Notarius, ad hæc omnia præſens, ut audivi & intellexi, ita rogatus ſcribere ſubſcripſi.*

Tanta bonorum Allodialium copia Eſtenſibus fuit, ut vidimus, antea etiam quàm Ferrariæ dominationem inirent, atque in eorum poſſeſſione per ſuos Vaſſallos eſſe perrexerunt, donec Anno MDXCVIII. Pontificiis armis, neutiquam verò juribus, cedentes, *poſſeſſionem Ferrariæ* Romanæ Eccleſiæ dimiſerunt, ſervatis ſibi quibuſcumque Allodiis. Per annos ſubinde plurimos in Romana Curia agitata eſt lis, contendentibus Eſtenſibus, Feuda illa ſibi deberi; Romanis verò, Feuda illa à Principatu Ferrarienſi pendere. Compulſoriis, Allegationibus, examinibus, actiſque aliis innumeris fatigatum diu eſt Cameræ Apoſtolicæ tribunal, & jura Eſtenſium luculenter expreſſa. Quis exitus litis fuerit, non eſt hujus loci enarrare. Et ſatius quidem erit animadvertere, quibus olim conditionibus, & quo ſacramenti genere Guido & fratres de Canoſſa in Feudum receperint à Friderico I. Imperatore Caſtrum Canuſii, ſive *Canoſſæ*, inclytam videlicet illam atque olim inexpugnabilem Regienſis Comitatus Arcem, cui tantam famam peperere acta Comitiſſæ Mathildis, ejuſque Majorum. Adſervatur authentica pergamena Privilegii hujus apud nobilem virum Marchionem de Canoſſa Patricium Regienſem, cujus celebrem Familiam Canoſſæ olim dominatam fuiſſe, atque inde

de cognomen traxisse, hinc plane constat. Neque verò iis tantum fratribus Canossa in Feudum tradita est à Friderico I. sed etiam illorum *Pater & Avus* eodem titulo ( ut heic diserte proditur ) ipsam tenuerant. Veri enim videtur simile, vix sublatâ è vivis Comitissâ Mathilde Anno MCXV. Henricum V. inter Imperatores Quartum, ex Germania paucos post menses progressum, ejusque hereditate potitum, Avo Guidonis de Canossa eam Arcem in Feudum contulisse. En ergo ipsam Chartam.

## Fridericus I. Imperator Investituram Canossæ, Bibianelli, & Gipsi in Comitatu Regiensi concedit Guidoni, Rolandino & Albertino de Canossa, Anno 1185.

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi, Anno ab Incarnatione ejusdem Millesimo Centesimo Octuagesimo Quinto, de Mense Februarii, Indictione III. præsentibus pluribus nobilibus hominibus infrascriptis; Investivit* Dominus Federicus Imperator Guidonem filium quondam Rolandini de Canusio *suo nomine, Fratrumque ejus, videlicet* Rolandini *&* Albertini *de omni eorum honorabili Feudo Et jam dictus Guido juravit ei fidelitatem & ejus Filio, videlicet* Regi Henrico, *veluti* Vassallus Domino, *& firmavit sacramento tenere* Bibianellum, Gipsum, & Canusium *ad honorem jam dicti Imperatoris & Regis Henrici, veluti ejus* Pater & Avus *tenuerunt. Et quod dabit, quandocunque fuerit necesse, jam dictis Dominis vel eorum Nuntiis ad offensionem & defensionem contra omnes homines prædictas Arces. Et quod non erit in consilio vel adjutorio, quod Dominus Imperator vel ejus filius Rex Henricus amiserit honorem vel possessionem. Et si amiserit, quod bona fide dabit operam ad recuperandum, & tenere adjuvabit. Et si sciverit, aliquem ad hoc dare operam, quamçitius poterit, eis vel eorum Nuntiis manifestabit. Et jam dictus Imperator eum investivit, ut dictum est, de omni suo honorabili Feudo, & de Canusio, Bibianello, & Gipso, & paterno, ita ut ipse ac ejus fratres habeant & teneant eodem modo, quo ejus Pater vel Avus habuerunt & tenuerunt, secundùm quod supra scriptum est, prædictas Arces ad honorem jam dictorum Dominorum, ut supra scriptum est.*

*Actum Regii in Palatio Domini Federici Imperatoris, in colloquio ab eo ibi habito, præsente Corrado Magontino Archiepiscopo, & . . . . . . . Episcopo Mares . . . . . . ac Regino, & Parmensi Episcopo, & aliis Clericis, & Alberto de Baysio, & Rodulfo de Bazzano, Jacobo de Saviola, Guido de Foliano, & etiam multis aliis Militibus.*

*Ego Gherardus Sacri Palatii Notarius interfui & scripsi.*

Feudorum verò Leges suum præcipue incrementum, ne dicam exordium, debent Conrado I. Imperatori, cujus Edictum retuli pag. 177. Part. II. Tomi I. Rer. Italicar.: quod argumento esse potest, inter veterum *Beneficia*, & recentiorum *Beneficia*, *Feudi* nomine donata, non parum discriminis intercessisse. Sed quoniam non satis expurgato exemplo ad illud evulgandum antea sum usus, atque illic notæ Chronologicæ desiderantur, non ingratum Lectoribus futurum puto, si rursus illud ipsum Decretum omnium oculis subjiciam, quale ego descripsi ex pervetusta membrana existente in Archivo Capituli Canonicorum Cremonensium.

## Leges Conradi I. Imperatoris de Feudis majoribus & minoribus Italici Regni, de caussis excidendi ex illis, de forma judiciorum, quum lis oritur de illis, & de modo successionis in ipsis, Anno 1037.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Chuonradus gloriosissimus Imperator Augustus. Omnibus Sancte Dei Ecclesie fidelibus, nostrisque, presentibus scilicet & futuris notum esse volumus, quod nos ad reconciliandos animos* Seniorum & Militum, *ut ad invicem inveniantur concordes, & ut fideliter & perseveranter nobis & suis Senioribus serviant devote: precipimus & firmiter statuimus, ut nullus* Miles *Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, aut Marchionum vel Comitum, vel omnium, qui* Beneficium *de nostris publicis bonis, aut de Ecclesiarum prediis tenet nunc, aut tenuerit, vel hactenus injuste perdidit, tam de nostris majoribus* Walvasoribus *quam & eorum* Militibus, *sine certa & convicta culpa suum* Beneficium *perdat, nisi secundùm constitutionem Antecessorum nostrorum & judicium Parium* suorum. *Si contentio fuerit inter* Seniores *&* Milites, *quamvis* Pares *adjudicaverint illum suo* Beneficio *carere debere, si ille dixerit, id injuste vel odio factum esse, ipse suum* Beneficium *teneat, donec Senior & ille, quem culpat, cum Paribus suis ante presentiam nostram veniant, & ibi causa justè finiatur. Si autem Pares culpati in judicio Senioribus defecerint, ille, qui culpatur, suum Beneficium teneat, donec ipse cum suo Seniore & Paribus ante nostram presentiam veniant. Senior autem, aut Miles, qui culpatur, qui ad nos venire decreverit, sex hebdomadas, antequam iter incipiat, ei cum quo litigaverit, innotescat. Hoc autem de majoribus* Walvasoribus *observetur. De minoribus verò, in Regno, aut ante Seniores, aut ante nostrum Missum, eorum causa finiatur. Precipimus etiam, ut cum aliquis Miles sive de majoribus sive de minoribus de hoc Seculo migraverit, filius ejus Beneficium habeat. Si verò filium non habuerit, & Abiaticum ex masculo filio reliquerit, pari modo Beneficium habeat, servato usu majorum* Walvasorum *in dandis equis & armis suis Senioribus. Si fortè Abiaticum ex filio non reliquerit, & fratrem legitimum ex parte Patris habuerit, si Seniorem offensum habuit, & sibi vult satisfacere, & Miles ejus effici, Beneficium, quod Patris sui fuit, habeat. Insuper etiam omnibus modis prohibemus, ut nullus Senior de Beneficio suorum Militum Cambium aut Precariam aut Libellum sine eorum consensu facere presumat. Illa verò bona,*

*bona, que tenent proprietario jure, aut per precepta, aut per rectum Libellum, sive per Precariam, nemo injuste eos disvestire audeat. Fodrum de Castellis, quod nostri Antecessores habuerunt, habere volumus: illud verò, quod non habuerunt, nullo modo exigimus. Si quis hanc jussionem infregerit, auri Libras centum componat, medietatem Camere nostre, & medietatem illi, cui dampnum illatum est.*

*Signum Domni Chuonradi serenissimi Romanorum Imperatoris Augusti.*

*Kadolohus Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognovi.*

*Datum V. Kalendas Junii, Indictione V. Anno Dominice Incarnationis MXXXVIII. Anno autem Domni Chuonradi Regis XIII. Imperantis XI.*

*Actum in obsidione Mediolani feliciter. Amen.*

Locum promulgati Edicti satis perquam illustrem præferunt Chronologicæ notæ, nempe *in obsidione Mediolani*, quam Wippo in Vita ipsius Conradi, Landulphus, & Arnulphus Mediolanenses Historici Tomo IV. Rer. Italic. describunt. Verùm in Chartam hanc fluxisse videtur ex antiqui Amanuensis incuria error. Non enim ibi scribendum opinor *MXXXVIII.* sed quidem *MXXXVII.* quo Anno revera decurrebat *Indictio V.* & Mediolanensis Civitas frustra obsidione ab ejus copiis tentata est: nisi alius à vulgari usu Annus ab Incarnatione adhibitus ibi fuerit. Quod ut evidentius constet, & quis ordo Annorum Regni ac Imperii foret, alterum Diploma subdo, eodem Anno MXXXVII. datum, quod ex Collectaneis MStis Peregrini Prisciani Ferrariensis in Estensi Bibliotheca adservatis delibavi.

## Confirmatio omnium jurium ac Privilegiorum facta à Conrado Imperatore Ecclesiæ Mantuanæ, Anno 1037.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Conradus divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Si in sacratis omnipotenti Deo locis à quibuslibet desolatis augmentum recuperationis pio favore largimur, id nobis & ad Imperii nostri stabilimentum, atque ad æternæ remunerationis emolumentum credimus absque dubio profuturum. Quapropter agnoscat omnis Christianitas, quod* Bruno *venerabilis* Præsul, *atque* Cadelous *dilectus noster* Episcopus, *& fidelis* Cancellarius, *nostræ magnitudini significarunt, quod pro peccatis Mantuanæ Sedis Ecclesiæ cum Præceptis & Cartarum firmitatibus, quarum scriptionibus res & familias sibi collatas hactenus meruit obtinere, combusta videatur, flagitans, ut ad restaurationem hoc nostræ miserationis Præceptum* Hitulfo Episcopo *ejusdem* Mantuanæ Ecclesiæ *concedere dignaremur. Cujus precibus libenter adquiescentes, & quoniam dignum est, ne res Ecclesiarum Dei à quibuslibet deprædentur, aut ab earum ditione contra legem auferantur decrevimus ita fieri. Concedentes igitur confirmamus Mantuano Episcopatui omnes res, quas sine lege potestative vel cum virtute perditas habere videtur, seu quas usque modo de donis Regum seu Imperatorum prædecessorum nostrorum habuit: videlicet Monasterium, quod factum est in honore Sanctorum Memoris, Probi, & Ruffini, ubi* Reginzo *venerabilis* Abbas *præesse dignoscitur, cum omnibus adjacentiis, cum aqua, quæ dicitur Mulenellos, cum suis decursibus de loco illo, onde aqua originem sumit, ipsum fontem usque in Mincii amnem ex utraque lectuli parte duodecim pedes, sicut Monasterium semper tenuit, cum omnibus pertinentiis ejusdem Monasterii: cum Curtibus etiam in Veronensi, Vicentino, Mantuano, Brixiano, Placentino, Mutinensi, atque Cremonensi Comitatibus sitis, quæ ita nominantur, Bagniolo, Colonia, & in circuitu fluminis, quod nominatur Caput Alponis, Puliana, Alonte, Lonigo, atque Sablone, seu in Gardinensi Judiciaria, cum servis & ancillis, atque cum omnibus ibidem pertinentibus; & omnes alias res ejusdem Monasterioli, quæ sunt in prædictis Comitatibus, vel infra nostrum Italicum Regnum, seu ceterorum hominum concessionibus &c.* (ut in altero Diplomate Henrici III. Anno MXLV.) *Concedimus autem eidem Hitulfo Episcopo Advocatos quoscumque elegerit tam de suis quam de alienis liberis hominibus, qui ejusdem rerum utilitates Episcopii exerceant; ita ut ab omni Reipublicæ functione sint absoluti: nil ab eis quisquam publicus Minister exigere præsumat, ut securius ac diligentius causas ipsius Ecclesiæ perficere possint, sive per pugnam, sive per legale judicium. Stabilimus etiam, ut de omnibus rebus & prædiis ipsius Ecclesiæ, sicut de nostris domnicatis, per vicinos inquisitio fiat &c.* ut in supradicto Diplomate.

*Signum Domni Cuonradi invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.*

*Chadelous Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognovi.*

*Dat. pridie Kalendas Aprilis, Anno Dominicæ Incarnationis MXXXVII. Indictione V. Anno autem Domni Cuonradi Secundi Regni XIII. Imperii X.*

*Actum in Canedulo juxta flumen Padi feliciter. Amen.*

Hunc *Hitulfum Episcopum* Mantuanum Ughellius Tom. I. Ital. Sacræ in *Isolphum* corrupto nomine convertit. Quibus ergo legibus Vassalli in posterum & Seniores obnoxii futuri essent, ex Edicto Conradi Augusti intelleximus. Accipe nunc, quid in controversia de Feudo inter Nonantulanum Abbatem, & quosdam nobiles Cives Regienses, decretum fuerit coram Richenza Imperatrice Lotharii II. Augusti uxore in Placito Regiensi. Descripsi ego ex antiqua membrana in Tabulario Capituli Regiensium Canonicorum adservata.

## Placitum in Civitate Regii coram Regenza, sive Richenza Imperatrice habitum, in quo Hildebrandus Abbas Nonantulanus terram Cellæ evincit contra quosdam contradicentes, Anno 1136.

C*Um resideret* Domna Regenza Imperatrix, uxor *serenissimi* Imperatoris Lotharii *in Civitate Regio ad justitiam faciendam*, *& cum ea* Domnus Anselmus Avelbergensis Episcopus, *&* Adelmus Regensis Episcopus, *&* Domnus Bruno Episcopus, Federicus *quoque &* Garnerius Marchiones, *Odolricus Crassus*, Comes Otto, Comes Robertus de Gravin, *Theodoricus de Dura, Theodoricus de Storite*, Artemsius Comes, *Tigrinus de Immola*, *Bernardus & Guido filii Manfredi*, *Gerardus de Plaza, Rainerius & Guizardus de Balugula*, *Cazaguerra, Oliverius de Taculis*, *Rainerius de Gumula*, *Gandulfus & Ubaldus de Castellarano*, *& alii quamplures*: *Conquestus est* Ildevrandus Abbas Monasterii Sancti Silvestri de Nonantula, *una cum Adegerio Advocato Ecclesie de terra*, *que dicitur Cella*, *quam olim* Ubertus *filius* Ardicionis Comitis *in Feudo habuit*, *& post eum* Conradus Marchio; *quo mortuo sine heredibus terram devenisse in Ecclesiam predictus Abbas firmiter asserebat. Sed fuerunt quidam, qui jam dictam terram Celle tenere visi sunt*, *dicentes*, *sese eam pro sua pecunia loco pignoris à Conrado accepisse; quidam verò pro Feudo eam se habere dicebant; & hæc nomina eorum: Arduinus & Guidotto de Palude*, *Bernardus & frater ejus filii Maleadobati, Menaboves & frater ejus, Gerardus & Ingezo filii Rainerii de Corviago*, *Guibertus filius Domni Gerardi filii Rogerii de Regio*, *& quidam alii. De istis autem supranominatus conquestus est Abbas Nonantulanus*, *& cum eo Adegerius ejus Advocatus*, *suppliciter exorans Domnam Imperatricem, ut justitiam consequeretur. Tunc Domna Imperatrix à supradictis & Teutonicis & Latinis, quibus interrant etiam* Paganellus *de Corlena*, *Cordalius*, *petiit, quod illi faciendum esset super hanc querimoniam. At illi omnes communiter consilio habito*, *unanimiter dixerunt*: secundùm usum Regni Abbas Nonantulanus in jam dictam terram Ecclesie per Missum Domne Imperatricis, collaudatione totius Curie, ex integro debet restitui. *Quod valde placuit Imperatrici*; *& dedit Abbati Conradum Teutonicum*, *qui eum in Celle possessionem restituit. Laudaverunt insuper supradicti Teutonici & Latini, ut quicunque supradictorum hominum*, *qui jam dictam terram tenere videbantur*, *super quibus sententia data est*, *jam non amplius habendi quod pecuniam dedit*, *& terram pro pignore accepit*, *pecuniam & terram perderet*: *qui verò pro Feudo aliquid inde quereret*, *ad Curiam Abbatis veniret*, *& ipse congregatis Ecclesie fidelibus*, *eorum & Advocati consilio*, *justitiam petentibus faceret. His omnibus sollempniter ordinatis & judicatis*, *Domna Imperatrix suum bannum patenter coram omnibus edidit*, *ut quicunque contra hanc Laudem & Juditium tantorum Virorum*, *& ejus confirmationem agere presumpserit*, *& Abbatem vel Ecclesiam molestare vel inquietare temptaverit, ejus malam voluntatem incurrat*, *& penam quinquaginta Librarum auri sustineat*, *medietatem Curti Regie, & medietatem Nonantule Ecclesie. Et hec Cartula perpetuis temporibus in sua permaneat firmitate.*

*Actum in Civitate Regio feliciter*, *Anno ab Incarnatione Domini MCXXXVI. Septima die intrante Mense Novembri*, *Indicione XIV.*

*Ego Martinus Sacri Palatii Notarius rogatus hunc Cartam scripsi*, *complevi & tradidi*.

Porro Investituræ ac traditiones Feudorum non tantùm viva voce & elogio Tabellionis, sed etiam symbolo aliquo peragi consueverunt, hoc est aliquid tradendo manibus Vassalli in signum datæ possessionis Feudi. Multa de hisce Symbolis habet eruditissimus Du-Cangius in Glossar. Latin. ad vocem *Investitura*: quæ Lector consulere poterit, si libuerit. Ego ad ritum hunc satis exploratum duo tantùm exempla conferam Investituræ datæ *per cuppam argenteam*, & altera duo Investituræ factæ *per ferulam*, sive *per baculum*. Ex vetustissimo Regesto MSto Cencii Camerarii ego priores duas Chartas descripsi.

## Instrumentum de homagio facto à Comite Ildebrandino Domino Papæ Innocentio III. Anno 1207.

I*N nomine Domini. Anno Incarnationis ejusdem Millesimo Ducentesimo Septimo*, *Pontificatus verò Domini Innocentii III. Papæ Anno X. Indictione X. Mense Julii die ultimo. Acta publica si literarum memoriæ tradita fuerint*, *nube oblivionis remotâ*, *prosperâ inspectione clarescent. Quapropter ego Johannes de Sancto Laurentio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarius*, *mandato & præcepto* Domini Innocentii III. Papæ, *ligium homagium nunc factum eidem Domino Papæ in* Palatio *Montis Flasconis à* Comite Ildebrandino, *sicut vidi, audivi, & interfui*, *& fidelitatem olim exhibitam eidem Domino Papæ à prædicto Comite*, *sicut inferius continetur*, *publicis literis scribere curavi. Comes Ildebrandinus confessus fuit in Palatio Montis Flasconis coram præscripto Domino Papa*, *præsentibus Episcopis*, *Cardinalibus*, *Præfecto Urbis*, *& multis Clericis & Laicis*, *se jurasse fidelitatem eidem Domino Papæ*, *successoribus suis*, *& Ecclesiæ Romanæ coram dicto Præfecto Petro Sarraceno*, *dicti Domini Papæ Senescalco, & Donnico ejusdem Domini Subdiacono*, *& eo tempore Castellano Montis Flasconis. Et ipse Comes Mense & die supradicto fecit ligium homagium dicto Domino Papæ Innocentio coram Episcopis*, *Cardinalibus*, *Præfecto Urbis*, *& multis aliis tam Clericis, quàm Laicis in eodem Palatio pro Castro Montis Alti, Comitatu de Rosellis*, *& aliis Terris*, *quas tenet ab eo, sicut apparet per Privilegia Romanæ Ecclesiæ. Et idem Dominus Papa investivit dictum Comitem de dictis Castris*, *Comitatu*, *& Terris*, *coram omnibus* per cuppam argenteam. *Et inter omnes hi interfuerunt Dominus Theobaldus de Præfecto*, *Dominus Petrus de Columna*,

*na, Dominus Stephanus de Romano Carzoli, Dominus Oddo Infans de Columna, Dominus Thomas de Supino, Dominus Guido de Colle de Mendi, Transmundus Rubeus Domini Papæ Ostiarius, Borgognonus de Viterbo, Capitione filius Johannis de Tineos, Oddo de Græco de Urbeveto, Guido de Prudezo, Berardus de Walmarzo, Bulgarellus de Conversano. Johannes de Conversano, Petrus de Olivero, Winezellus de Monteflascone, Bonaccursus, Bonafidanza, Bartholomæus de Donadeis.*

*Ego Johannes de Sancto Laurentio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarius, sicut vidi, audivi, & interfui, scripsi, complevi, & absolvi.*

## Juramentum fidelitatis Domini Bonifacii Comitis Palatini, & nobilium virorum Raynaldi & Gentilis filii ejus de Ancaya, Anno 1225.

*IN nomine Domini, amen. Anno ejus Millesimo Ducentesimo Vigesimo Quinto, Indictione XIII. septimá die intrante Mense Augusti, temporibus Domini Honorii Papæ III. & Domini Friderici II. Romanorum Imperatoris. Clareat omnibus & singulis manifeste præsentem paginam inspecturis, quod* Dominus Bonifacius, *Dei gratiá* Comes Palatinus, filius olim Comitis Ildebrandini, *in manibus Domini Hiacynthi Domni Papæ Capellani, ad hoc specialiter missi, tactis sacrosanctis Evangeliis, juravit ab illa hora in antea fidelem esse Beato Petro, & Domino Honorio Summo Pontifici, ejusque successoribus canonice intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ. Et quod non erit in facto neque in consilio, aut in consensu, ut vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium, quod per se vel per suum Nuntium, aut per suas literas sibi manifestaverint, ad eorum damnum se sciente nulli pandet. Si eorum certum damnum sciverit, si posset, remanere faciet, sin autem, per se, aut per suum Nuntium, vel per talem personam, quam pro certo credat eis dicturam, significabit. Papatum Romanum & Regalia beati Petri, quæ Romana Ecclesia habet, & specialiter Civitatem & Comitatum Suganum cum Castellis & Villis, & omnibus suis pertinentiis, Civitatem & Comitatum Rosellensem, & Crossetanum cum Villis & Castellis & pertinentiis suis, districto, placito, & cum omni datione & reditu suo, & cum omnibus aliis terris, quas frater & pater suus Comes Ildebrandinus à Romana Curia tenuerunt, adjutor erit ad defendendum & retinendum: quæ verò non habet, ad recuperandum, & recuperata ad retinendum & defendendum contra omnes homines. Præterea Feudum prædictum non dividet, nec pro suo posse dividi permittet, salvis in omnibus justitiis & juribus Episcopatuum & aliarum Ecclesiarum infra fines dictarum Terrarum consistentium. Et hæc omnia bona fide, & sine fraude, & malo ingenio juravit in manibus dicti Domini Hiacynthi, nomine Romanæ Ecclesiæ recipientis, attendere & observare. His peractis Dominus Hiacynthus auctoritate & nomine Domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ, quá fungitur in hac parte, dictum Bonifacium Comitem Palatinum de prædicto Feudo & terris & rebus jam dictis* per coppam argenteam *investivit, præcipiens eidem, ut se coram Domino Papa & suis Fratribus ad præstandum homagium repræsentet, excepto tamen Castro Montis Alti, de quo eum non investivit.*

*Acta sunt hæc in Civitate Suanensi, in Platea Episcopii, coram Domino Ugolino de Græca Urbevetano Cive, & Domino Donadeo Macarii Narniensi Cive, Judicibus ordinariis; & eorum auxilio, auctoritate, atque consensu. Præsentibus his, Ansaldo Præposito, Presbytero* Petro, *Presbytero Benencasa, Domino Savino, Canonicis Suanensibus, Plebano de Malglano Comitissæ Capellano, Domino Ranaldo Moscetta Urbevetano Cive, Guidone de Porro de Aquapendente, Ranaldo Johannis Romani de Reato, Domino Cazaconte de Colle, Domino Umberto, Domino Comite de Montorio, Rainerio, Domino Bernardino de Panoclis, Domino Soguarzo de Rocchetta, & Domino Uguicione de Vicecomitissa de Grosseto, testibus ad hoc rogatis & vocatis, & aliis multis ibidem existentibus.*

*Et ego Ugolinus Guillielmi Larii, sacri Lateranensis Palatii Notarius constitutus interfui rogatus & subscripsi, & superius aliquantulum adjunxi & emendavi.*

Alterius ritus exemplum excerpsi è pergamena existente in Archivo Estensi

## Investitura multorum bonorum data à Pelegrino Patriarcha Aquilejense Guecelloni, Gabrieli, & Biaquino fratribus de Camino, Anno 1195.

*IN nomine Christi. Anno Domini Millesimo Centesimo Nonagesimo Quinto, Indictione XIII. die VIII. intrante Februario, presentia* Domini Comitis Manardi de Goricia, *Domini Federici de Cauriago, Domini Wernerii de Pulcinico, Domini Conradi de Sacilo, Domini Ardemani ejusdem loci, Domini Gabrielis de Prata, Domini Alberti Buche de Coneclano, & aliorum. Cum* Domini Wezello, *&* Gabrielus, *&* Biaquinus fratres de Camino, nepotes Domini Wezelonis quondam de Camino *venissent coram Domino* Pelegrino *Dei gratiá* Aquilegiensis Ecclesie Patriarcha, *& peterent ab ipso Domino Patriarcha Investituram Feudi de tali Feudo, quale dictus* Dominus Wezelo Avus ipsorum *quondam habuit à predicta Ecclesia Aquilegiense, & à suis Predecessoribus: Unde dictus Dominus Patriarcha* cum baculo, *quem tenebat in manu, investivit predictos Fratres Dominos Wecelonem & Gabrielem & Biaquinum de Camino, ad rectum & liale Feudum, de Castris & Curiis Camini, & Mote, & Cessalti, & de universo illo Feudo, quod predictus Dominus Wezelus quondam Avus predictorum Fratrum habuit ab ipso Domino Patriarcha & à suis Predecessoribus, & à predicta Ecclesia Aquilegiense in Episcopatu Cenete, & Episcopatu Belluni & Feltri, in Cadubrio, & in toto Patriarchatu Aquilegiensi ubique, secundum quod predictus Dominus Wecelus quondam de Camino Avus ipsorum habuit ad Feudum à dicta Ecclesia Aquilegiense & à suis Predecessoribus. Et Fratres juraverunt ipsi Domino Patriarche Fidelitatem pro predicto Feudo, & pro suis Vassallis contra omnes homines, salva Fidelitate suorum anteriorum Domi-*

*minorum, si habent. Et isdem dictus Dominus Patriarcha ipsos Fratres Vassallos suos osculatus fuit.*

*Actum Sacili in Ecclesia Sancti Nicolai.*

*Ego Johannes . . . . . . Imperatoris Notarius interfui & scripsi.*

Accedant & alia duo exempla, è quibus primum legitur in antiquo Chartario (*Pelavisinum* appellant) quod mihi suppeditavit Capitulum Canonicorum Sarzanensis sive Lunensis Ecclesiæ. Alia est à celebri Mathildâ Bonifacii Marchionis filiâ altera Mathildis heic memorata.

## Investitura quorumdam Castrorum facta Nicolao de Flisco Comiti Lavaniæ à Gotifredo Episcopo Lunensi, sive Sarzanensi, confirmata ab Innocentio IV. summo Pontifice patruo ejusdem Comitis, Anno 1254.

„ INnocentius Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro *Nicolao de Flisco Comiti Lavaniæ*, *nepoti nostro*, salutem & Apostolicam benedictionem. Peticio tua nobis exhibita continebat, quod Presbyter Jacobus Canonicus Plebis Sancti Stephani Lunensis Diœcesis, Nuntius & Procurator venerabilis fratris nostri *Gotifredi Lunensis Episcopi*, & Episcopatus Lunensis, tibi tuisque heredibus, nomine recti & honorifici Feudi, tamquam paterni, aviti, & antiqui, Tivegne, Castellioni, & Bracelli Castra, & Burgum Padulualini, ad ipsum Episcopatum Lunensem spectantia, cum omnibus juribus, honoribus & pertinenciis suis, dedit & propriâ auctoritate concessit. Dictus quoque Procurator procuratorio nomine dicti Episcopi & Episcopatus Lunensis, totum, quod nobis mulier *Matilda* in Feudum ab Ecclesia Lunensi tenere consuevit vel debuit, vel quilibet alius pro ea vel ab ea tenebat, vel tenere debebat in Carpena, Vesigna, Folo, & Vallerano, sive in Vezano, vel ubicumque de ipso Feudo in Lunensi, vel Januensi Diœcesi poterit reperiri, tibi similiter dedit ac concessit. Et de his omnibus te *per quendam baculum* investivit: ita tamen quod tu & heredes tui, deinde Episcopus & successores ejus cum suis successoribus, qui non sint inimici tui, vel heredum tuorum, teneantur recipere in locis ad faciendam guerram inimicis Lunensis Ecclesiæ, ac ipsius Ecclesiæ bona defendere ac tueri. Pro cujus Feudi concessione ac Investitura idem Procurator pro parte ipsius Episcopi confessus fuit, se à te quadraginta Libras bonorum Denariorum argent. recepisse, renuntiando exceptioni non numeratæ pecunie habite ac recepte, & omni juris auxilio: & constituens se nomine ipsius Episcopi dictam pecuniam in utilitatem Lunensis Episcopatus fideliter conver . . . . . . . . vos dicto Procuratori recipienti nomine dicti Episcopi pro hiis omnibus tibi datis atque concessis fidelitatem jurasti, sicut erat in capitulo in forma fidelitatis expressum. Et si te vel tuos heredes promissa vel aliquid promissorum non observare contingeret, propter hoc à jure Feudi *non* cadatis, sed nihilominus teneantur ad observationem omnium predictorum, pro ut in Instrumento predicto jam confecto plenius continetur. Nos itaque tuis precibus inclinati, donationem, concessionem, & Investituram bonorum, quas nobis constitit provide factas, ratas habentes & gratas, & volentes, ne in posterum allegatione lesionis ipsius Ecclesie, vel quavis aliâ possint ab aliquo impugnari, ipsius auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus, defectum, si quis exstitit in promissis ex eo maxime, quod Lunense Capitulum hiis non consensit, ad presens, aut occasione Procuratoris ipsorum Canonicorum, vel quecumque alia supplentes de plenitudine potestatis. Tenorem autem Instrumenti predicti de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus ad cautelam: qui talis est.

„ In nomine Domini. Amen. Anno à Nativitate ipsius MCCLIV. Indictione XIII. Nono Kalendas Novembris, in Civitate Capuana, in Domo Presbyteri Georgii, presentibus venerabile patre *Domino Ottobono Sancti Adriani Diacono Cardinali*, nobili viro *Domino Alberto de Flisco*, *Lavaniæ Comite*, Domino Simone de Camilla Cive Januense, Domino Alberto Aczarii de Parma, Francisco Notario de Clavaro, & Guidone dicto Septem, Clerico predicti Domini Cardinalis, testibus ad omnia ista vocatis. Presbyter Jacobus Canonicus Plebis de Sancto Stephano Lunensis Diœcesis, Nuntius & Procurator venerabilis Patris *Domini Gotifredi Lunensis Episcopi*, habens ad hoc speciale mandatum, sicut constat in Instrumento facto per Adjutum Notarium, & ipsius Episcopi sigillo munito, cujus tenor inferius est insertus; procuratorio nomine dicti Episcopi & Episcopatus Lunensis, nomine recti & honorifici Feudi, tamquam paterni, aviti, & antiqui, dedit, tradidit & concessit nobili viro *Domino Nickolao de Flisco Comiti Lavanie* in se ac suos heredes masculos & feminas, Tivegne, Castellioni, & Bracelli Castra, & Burgum Padulualini, ad ipsum Episcopum & Episcopatum Lunensem spectancia cum toto eo, quod idem Episcopatus & Ecclesia Lunensis habet & tenet, vel habebat & tenebat, vel pro ipso Episcopo seu ipsâ Ecclesiâ habebatur & tenebatur, vel tenetur vel habetur, vel debet teneri & haberi in Castris & Burgo predictis, & eorum pertinenciis & districtu, in Curtibus, domibus, jurisdictionibus, Vassallis, Villanis, redditibus, annuis prestationibus, piscationibus, venationibus, molendinis, aquis, nemoribus, pascuis, possessionibus, & quibuslibet aliis rebus quocumque nomine nuncupentur. Similiter dedit, tradidit, & concessit dictus Procurator procuratorio nomine ipsius Episcopi & Episcopatus Lunensis eidem Comiti totum id, quod nobilis mulier *Donna Matilda* in Feudum ab Episcopo & Ecclesia Lunensi tenebat, seu tenere consuevit vel debuit in Carpena, Vesigna, Folo, & Vallerano, sive Vezano, vel ubicumque de dicto Feudo Lunensi vel Januensi poterit reperiri. Et ipsum Comitem

„ in se & suos heredes masculos & feminas „ procuratorio nomine dicti Episcopi & Episcopatus Lunensis de suprascriptis omnibus „ *per quendam baculum* corporaliter & presentialiter investivit : ita tamen quod dictus „ Comes , & ejus heredes , sive succedentes „ ipsi Comiti, vel ejus heredibus in dicto Feudo ipsum Dominum Episcopum & ejus successores cum suis sequacibus , qui non sint „ inimici ipsius Comitis , vel heredum ejus , „ seu succedentium ejus , vel suis heredibus in „ dicto Feudo , recipere ad faciendum guerram cum hominibus in locis predictis ab eodem Procuratore concessis , inimicis Lunensis Ecclesie , ac juvare , recuperare jura & „ bona Lunensis Episcopatus , & ea que possidet vel recuperabit , defendere & manutenere , & guerram & devetum propriis expensis ipsorum hominum per totum Episcopatum „ Lunensem persecutoribus Lunensis Ecclesie facere ; nec non eidem Domino Episcopo , „ qui nunc est, & ei , qui pro tempore fuerit, „ & exercitum fecerit pro Romana Ecclesia , „ vel pro Imperatore , vel suos milites aut pedites miserit , predictis exercitibus faciendis „ auxilium impendere teneantur . Pro cujus „ Feudi datione , concessione , & Investitura „ predictus Procurator procuratorio nomine dicti Episcopi & Episcopatus Lunensis confessus fuit se habuisse & recepisse à predicto „ Comite Libras XL. bonorum argent. Imperial. renunciando exceptioni non numerate , „ habite , & recepte pecunie , & omni alii, & „ legali auxilio , & nomine ipsius Episcopi „ promittendo dictam pecuniam in utilitatem „ Lunensis Episcopatus fideliter exhibere . Qui „ Dominus Nicholaus Comes Lavaniæ supradicto Procuratori recipienti nomine dicti „ Episcopi & Episcopatus Lunensis pro omnibus sibi concessis & datis fidelitatem juravit „ tactis sacrosanctis Evangeliis , pro ut in fidelitatis Capitulo continetur . Hoc acto expresse, quod si dictum Comitem vel ejus heredes seu succedentes ei vel suis heredibus in „ dicto Feudo predicta vel aliquid predictorum aliquando non observare contingeret , „ propter hoc non cadant à jure Feudi istius , „ sed nichilominus teneantur ad observationem „ omnium promissorum . Tenor Instrumenti „ procuratoris dicti Presbyteri talis est :

„ In Dei nomine . Amen . Anno à Nativitate ejusdem MCCLIV. Indictione XII. Quarto Octubris. Venerabilis Pater *Dominus Gotifredus* Dei gratiâ *Lunensis Episcopus* fecit „ & constituit suum & Episcopatus Lunensis „ Actorem , Procuratorem , & certum Nuntium, Presbyterum Jacobum Canonicum Plebis Sancti Stephani , ad concedendum pleno „ ac perpetuo Feudi jure *Domino Nicholao de Flisco Comiti Lavanie , Domini Pape Nepoti,* „ ac suis heredibus , Tivegne , Castellioni , & „ Bracelli Castra, & Burgum de Paduluarino, „ cum eorum Curtis & pertinenciis, quæ olim „ pro parte Nobiles Aldeberti , & pro parte altera quidam alii ab Ecclesia Lunensi tenebant in Feudum , & redditus , Vassallos , „ Villanos , Jurisdictiones , & jura , & cetera „ omnia, que in demanium seu &c. salvo quod „ ipse Nobilis & ejus heredes teneantur ipsum „ Dominum Episcopum & ejus successores recipere cum suis sequacibus, qui non sint inimici ipsius Nobilis , & ejus heredes ad faciendam guerram cum hominibus dictorum „ locorum inimicis Lunensis Ecclesie & Curie. Et quod ipse Nobilis & sui heredes cum hominibus dictorum locorum teneantur juvare ipsum Dominum Episcopum & ejus „ successores , recuperare jura & bona Lunensis Episcopatus , & ea que possidet &c. Et „ ad investiendum ipsos Nobiles de toto eo Podere , quod olim *Nobilis Donna Matilda* „ à Lunensi Curia tenebat in Feudo sive in „ Carpena , sive in Vezano , vel in quocumque loco Episcopatus Lunensis &c. Et ad recipiendum fidelitatis juramentum &c. Presentibus &c.

„ Ego Gisfredinus de Vezano Imperiali auctoritate Notarius predictis omnibus suprascriptis interfui , & rogatus scripsi duo Instrumenta uno tenore confecta .

„ Nulli ergo hominum liceat hanc paginam „ nostræ Confirmationis &c. Si quis autem hoc „ attemptare presumserit , indignationem &c.

„ Datum Neapoli XV. Kalendas Decembris, „ Pontificatus nostri Anno XII.

Alterum exemplum depromsi è MSto Cencii Camerarii .

## Excerptum ex Regesto Paschalis II. super receptione Castrorum Pontiæ & Efides, & eorumdem concessione facta Johanni Sublacensi Abbati, Anno 1109.

„ SEptimo Kalendas Septembris, *Donnus Papa Paschalis* , factâ obsidione recepit in „ Campania Castellum Pontiæ & Efides . Septimo autem Idus Septembris quum esset in „ territorio Sabinensi juxta Castellum Taranum , commisit eadem Oppida Pontiæ & „ Efides *Johanni Sublacensi Abbati*, sicut commiserat alias Terras Campaniæ : ita ut hereditas Monasterii Sublacensis, quæ ibidem est, „ Monasterio salva permaneret ; cetera custodirentur ad jus beati Petri . Et *per ferulam* „ investivit eum , quod non auferret ei in vita „ ipsius , nisi ipse aliquid tale delinqueret .

„ Actum est Indictione II. Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Centesimo Nono : „ Pontificatus supradicti Papæ Decimo. Testes „ affuerunt *Cintius Sabinensis Episcopus* : *Leo Villitrinus* . . . . . . *Tiburtinus* : *Anastasius Cardinalis titulo Pammachii* : *Johannes de Diaconia Cosmidin* : Berardus de Pisciola : „ Rainaldus Sinebaldi : Octavianus : Oddo filius Johannis de Oddone : Petrus de Rofrido : Rofridus de Ceperano , & alii plures : „ Romanus Albo : Romanus Scotta : Huguizon filius Petri de Leone : Cintius Johannis „ de Crescentio .

Quum verò agebatur de Feudis majoribus , tunc splendidiori solemnitate utebantur Imperatores & Reges , Investituræ actum præsertim peragentes *per Lanceam & Confanonum* . Accipe ejusdem ritus exemplum , quod hausi è Regesto existente in Tabulario Reipublicæ Cremonensis .

Hen-

## Henricus VI. inter Reges, V. Inter Imperatores, Cremonensibus Investituram actualem confert cum Lancea & Confanono de his, quæ in eorum Privilegio habentur, Anno 1195.

A *Nno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Nonagesimo Quinto, die Martis qui fuit sextus dies intrante mense Junii, Indictione XIII. In multorum hominum presentia, nomina quorumdam inferius scribebuntur* Dominus Henricus, *Dei gratiâ* Romanorum Imperator invictissimus, & semper Augustus, & Rex Siciliæ, cum Lancea & Confanono, *quam in sua manu tenebat, investivit honorifice Girardum de Zanibonis, & Tatamanzium de Gaidaldis, & Odonem de Medolate*, Consules Communis Civitatis Cremone *nomine ipsius Communis de hoc, quod in Privilegio ipsius Communis Cremone continetur. Et hanc Investituram fecit ipse Dominus Imperator in platea, que est ante Portam Cumane Civitatis, que vocatur Porta Turris*. Confanonus *verò cum quo eos investivit, erat* rubeus, *habens Crucem albam intus. Huic Investiture interfuerunt* Dominus Bonifacius Marchio Montisferrati; *& de Cumis Dominus Jordanus Vicedominus, & Dominus Arialdus frater ejus, Albertus de Carcano, Marchisius de Mandrisio, Jacobus de Turri, Aliprandus filius Domini Pocobelli quondam de Vico, Johannes de Papa, Arialdus de Dritio, Vallesicca, Girardus Belenzonus, Guido de Bulgari. De Laude Durus de Cavazo, & Presbiter de Saleriano. De Papia Gaiferius Isembardi, & Buca de Osa, Gualfredus de Turricella. De Cremona Albericus Comes, Bellotus Bonserius, Anzelerius de Burgo, Pettacius Manera, Presbyter Vegius, & Albertus Strussius, Leonardus de Babo, Comes Egidius, Johannes de Perengo. De Bergamo Bruniolus Advocatus de Bergamo, Guielmus de Mapello, & multi alii Longobardi & Teutonici, & Dominus Syrus Salimbenus de Papia similiter interfuit.*

*Ego Ospinellus Judex, qui dicor de Lomacio, interfui & scripsi.*

*Ego Guido Judex Scriba Consulum Cumanorum interfui & scripsi.*

Qui verò *Feudum* recipiebant, suamque fidem sacramento præstito danti obligabant ( ut alios veterum ritus taceam ), ipsi quoque & verbis & manuum contactu jusjurandum emittere consueverunt. Quale hoc fuerit, altera duo Instrumenta prodent, ex eodem Cencii Camerarii Codice desumta, quæ apponenda heic censui.

## Juramentum fidelitatis, quod fecit Johannes de Ceccano Romanæ Ecclesiæ, pro tuendis & conservandis Regalibus Sancti Petri, Anno 1201.

A *Nno Quarto Pontificatus Domni Innocentii Papæ III. nobilis vir* Johannes de Ceccano *juravit fidelitatem ipsi* Domno Papæ Innocentio, *de Ceccano & tota terra, quam tenet in Palatio Anagnino, coram Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Cardinalibus, adstantibus multis Clericis & Nobilibus Anagninis, & extraneis etiam, & Militibus ipsius Johannis de Ceccano. Et recognovit Ceccanum, & totam aliam terram suam se ab Ecclesia Romana tenere. Forma verò fidelitatis hæc fuit.*
„ Ego Johannes de Ceccano ab hac hora in antea fidelis ero beato Petro & Ecclesiæ Romanæ, & Domino meo Papæ Innocentio, & successoribus ejus canonice intrantibus. Non ero in facto neque dicto, neque in consilio, aut in consensu, ut vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium, quod per se vel per Nuntium, aut literas mihi crediderint, ad eorum damnum me sciente nulli pandam. Si eorum certum damnum scivero, si possum, remanere faciam: si non possum, significabo eis per me vel per meas literas aut Nuntium, vel dicam tali personæ, quam eis credam pro certo dicturam. Ceccanum & totam aliam terram meam, quam habeo, & alia Regalia beati Petri, que habet, adjutor eis ero ad defendendum: que non habet, ad recuperandum, & recuperata ad retinendum & defendendum contra omnes homines. Hæc omnia observabo bonâ fide, sine fraude, & malo ingenio. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Euangelia. *Post hæc mittens* manus suas *inter manus ipsius Domni Papæ, fecit ei ligium hominium. Domnus autem Papa investivit eum de gratia sua cum* cuppa argentea deaurata. *Postmodum verò eodem Anno idem Domnus Papa fidelitatem & servitium ipsius Johannis de Ceccano & progenitorum ejus attendens, ei Castrum Sitense in Beneficium assignavit.*

# De fidelitate & hominio Romanæ Ecclesiæ præstitis ab Andrea de Calviniaco, & custodiâ Burgi Dolensis commissâ eidem, Anno 1202.

*ANno Quinto Domni Innocentii III. Papæ, nobilis vir* Andreas de Calviniaco *fecit fidelitatem* Domno Papæ Innocentio, *de custodia Burgi Dolensis, hoc modo, in Lateranensi Palatio coram Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus Cardinalibus, adstantibus Militibus & Clericis ipsius Nobilis, Abbate Dolensi, & duobus Monachis suis, & multis aliis tam Clericis quam Laicis*. In nomine Domini. Amen. Ego Andreas de Calviniaco, Dominus Castri Radulfi, ab hac hora in antea fidelis ero beato Petro & Ecclesiæ Romanæ, & Domino meo Papæ Innocentio, & successoribus &c. ( *ut supra* ) Burgùm Dolense, cujus custodiam ab Ecclesia Romana teneo, & alia Regalia beati Petri, quæ habet, adjutor eis ero ad defendendum; quæ non habet ad recuperandum: recuperata ad retinendum & defendendum contra omnes homines. Legatos & Nuntios Ecclesiæ Romanæ honorifice suscipiam, & benigne tractabo; & per totam terram meam securum eis pro posse meo præstabo conductum. Hæc omnia observabo sine fraude & malo ingenio, bonâ fide. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. *Post hæc mittens* manus suas *inter manus Domini Papæ, fecit ei ligium hominium. Dominus autem Papa investivit eumdem gratiâ suâ de custodia Burgi Dolensis*.

Præter Imperatores, Reges, Duces, Marchiones, Episcopos, Comites &c. qui collatione Feudorum sibi efficiebant Vassos sive Vassallos, ipsi quoque Vassi portionem eorumdem Feudorum in alios interdum transferentes, sibi Milites, sive adhærentes procurabant, quos propterea *Vavassores minores* appellavit antiqua ætas. Vassi autem Regii sive Imperiales, ratione sui Feudi, nemini alii suberant, nisi Imperatori seu Regi, eorumque Beneficia sejuncta atque avulsa erant à jure sive potestate Civitatum, in quarum Comitatu sive Districtu antea sita fuerant. Ejusmodi Vassi Imperiales, nisi forte Ducis, Marchionis, aut Comitis titulo fruebantur, *Capitanei* consuevere appellari, sive *Cattanei*, quum idem nomen fuerit *Capitaneus*, *Captaneus*, & *Cattaneus*. *Castellani* quoque nuncupati sunt, quod *Castello* alicui dominarentur. In Vocabulario suo Academici *della Crusca*, & ante eos Pergaminus in Memor. Linguæ Italic. scripsere, vocem *Castellano* adhibitam quoque fuisse ad significandum *habitatorem Castelli*, adductis Boccaccii verbis in Fabula VII. Diei II. *non essendo la sua sventura contenta d'averla di Moglie d'un Re fatta divenire Amica d'un Castellano*. Inficias non ierim, quin & incolæ Castrorum *Castellani* ab aliquibus potuerint appellari. Verùm Boccaccius iis verbis Dominum potius Castelli quàm Incolam nobis exhibuit, quum ipsum antea dixisset *Gentile uomo con più suoi famigli a cavallo*. Ita *Castellani* in ForoJulii perquam multi nobiles numerabantur olim, & adhuc exsistunt. In Charta tamen Mutinensis Populi, ex ejus antiquo Regesto depromtâ, *Capitanei de Fregnano* subdentes sese Reipublicæ Mutinensi, excipiunt ab onere *Boatiæ illos Castellanos, qui semper quotidiano usu habitant per Castella*; atque eadem formula occurrit in aliis Chartis producendis in Dissertatione XLVII. *de amplificat. Civitat. Italicar. potentiâ*. An Castellorum habitatores ibi privatos homines significent, alii decernant.

Certe maternus Avus Manfredi Siciliæ Regis, è Friderico II. nati, *Castellanus* appellatur in Historia MSta Mediolanensi, cujus utilem partem dedi Tom. XVI. Rer. Italicar. ac revera nobilis Toparcha is fuit. Ejus Chronici verba accipe, quæ tamquam memoriâ digna, superfluis prætermissis, excerpsi, quum affinitates Manfredi Regis satis accurate descriptæ illic videantur. „ Fridericus II. fuit Imperator „ Romanus per electionem, Dux Siciliæ per „ maternalem successionem, & acceptâ Isabellâ filiâ Johannis Regis Hierusalem in uxorem, successit in Regno Hierusalem ratione „ dotis uxoris. De ista Regina Isabella genuit „ Conradum. Conradus genuit Conradinum. „ Item habuit aliam uxorem, quæ dicta fuit „ Beatrix, de qua genuit Henricum: & ista „ fuit prima uxor, & filia Regis Aragonum. „ Item superinduxit quamdam filiam Bonifacii „ Castellani. Ubi est sciendum, quod juxta „ Civitatem Astensem per tria milliaria est „ quoddam Castrum dictum Algan, cujus Castellanus dictus Comes Bonifacius satis nobilis genuit tres filias pulcherrimas. Inter quas „ una erat virgo pulcherrima nimis. Hanc Imperator adamavit, & fingens, quod Isabella „ ejus uxor esset defuncta, hanc in uxorem „ desponsavit, & solemnes nuptias celebravit. „ De qua genuit Regem Manfredum. Rex „ Manfredus genuit duas filias. Una dicta est „ Constantia, quæ fuit uxor Petri Regis Aragonum. Alia tradita fuit Manfredo Marchioni Salutiarum. Supradictus Castellanus socer „ Imperatoris factus fuit per Imperatorem „ Comes. Reliquas filias suas tradidit in matrimonium, unam videlicet uni de Torniellis, de qua nati sunt quatuor filii, scilicet „ Comes Gualvagnus, Comes Lanza, Comes „ Frerinus, & Torellus vir fortissimus, qui „ genuit Gualvagnum de Torniellis. Tertiam „ filiam tradidit Uberto de Andito, sive de „ Lando Placentino, de quo natus est Comes „ Gualvagnus, de quo natus est Ubertinus, & „ Manfredus. „ Qui in Lombardia *Castellani* appellati sunt, *Barones* Romæ & in Regno Neapolitano nuncupabantur olim, idemque adhuc nomen retinent, uti & in Germania, Anglia, Hispania &c. De cujus nominis origine multa Eruditi disseruerunt, uti & de Baronum dignitate, speciebus, ac privilegiis. *Barones Romanos* memorat Falco Beneventanus in Historia; *Apulos* & *Siculos* complures alii. At ejusmodi appellatione nequaquam uti consuevit Gallia Cisalpina ad designandos Magnates suos. Ii semper fere nuncupati *Capitanei*, sive *Cattanei*, *Castellani*, *Vassi* nobiles, ac nostris temporibus *Comites*, *Marchiones*, quorum nominum adeo apud nos copia crevit, uti & in Regno Neapolitano, & Siculo, ac ditione Pontificia, *Principum* & *Ducum*, ut jam quid olim forent *Comites*, *Marchiones*, *Duces*, & *Principes*, justa idea exciderit. Plures autem

ex iis Castellanis, Capitaneis, & Vassis nobilibus alebat olim Provincia Garfagnanæ ultra Apenninum sita, ac finitima Lucensi Comitatui, quæ nunc fere tota jacet sub dominatione Serenissimæ Familiæ Estensis. Sed omnes hosce Vassos bellorum perturbatio, ac præcipue Castruccii olim Lucensibus dominantis sævitia, absumsit. Quibus verbis olim eos Fridericus II. Augustus investierit, subsequens Diploma ostendet, cujus antiquissimum exemplum in pergamena scriptum vidi in Archivii Estensi.

## Investitura Feudorum variis Nobilibus Garfagnanæ concessa à Friderico II. Imperatore, Anno 1242.

*In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex. Tunc extollitur thronus Imperii, & ampliatur gloria sedis ejus, cum Imperialis gratia digne remuneratur, quos devotio fidei & servitiorum exhibitio suo conspectui gratos & benemeritos repræsentant. Eapropter per præsens Privilegium noscant tam præsens ætas, quàm successura posteritas, quod nos attendentes debitam fidem & devotionem sinceram, nec non grata & accepta servitia fidelium nostrorum Dominorum de Sirano, Dominorum de Griniano, Dominorum de Verucola Gherardenga, Dominorum filiorum Guidi de Villa, Dominorum de Bacciano & de Careggine, Hominum de Castilione & de Fosciana, Dominorum de Clebarica, Hominum de Ceserana, Hominum de Barga, Dominorum de Casa Roledenga, Dominorum de Casa Suffredinga, Dominorum de Casa Porcaria, & omnium* Valvassorum de *Garfagnana, Dominorum de Monte Magno, Dominorum filiorum Ubaldi, Dominorum de Vallecchia, Dominorum de Corvaria, Dominorum de Castello Aghinolfi, & omnium Valvassorum de Versilia, & de Camajore, Hominum de Ghivizano; ipsos omnes, & omnia bona eorum mobilia & immobilia, quæ nunc tenent & possident, & in antea legitime ad ipsos spectare poterunt, sub Majestatis nostræ, & Imperii protectione recipimus speciali. Et concedimus, ac Imperiali auctoritate confirmamus eisdem, quod nulli Civitati neque Communi, nec alicui Potestati ipsos, nec possessiones, nec homines eorum supponere, nisi nobis & heredibus nostris, qui nobis in Imperio succedent, sed ad manus nostras, & specialium Nuntiorum nostrorum, quos ibi pro tempore statuemus, quos etiam ibi tales statuere disponimus, quos Excellentiæ nostræ fideles, & eis utiles agnoscemus; retinentes semper ipsos cum omnibus bonis suis exemptos, & liberos, & eximimus eos & liberamus ab omni onere & jurisdictione omnis Civitatis...... ut nec ipsi, nec res, nec homines eorum tam in Castellis quàm in Villis habitantes, aliquem respectum subjectionis habeant, nisi tantùm ad dominationem Majestatis nostræ, & prædictorum heredum nostrorum. Inhibentes, & eis firmiter præcipientes, ut nec placitis nec jurisdictioni dictarum Civitatum se aliquatenus obligent, nec aliquo modo submittant. Ad hæc Imperiali auctoritate cassamus, & irritas vocamus omnes tenutas à Consulibus cujuscumque Civitatis contra eos & homines eorum datas, propterea quod noluerunt se, nec homines suos, nec terram suam subjicere judicio Civitatum. Decernentes, ut ipsæ tenutæ ad legitimos priores Dominos absolute absque contradictione qualibet revertantur: videlicet Corvaria, Calavorna, Sarciabolchi, Montegragnum, Calauna, Cesano. Imperiali quoque auctoritate præcipimus, à Lucensibus reædificari Castra, scilicet Bozanum, Anclanum, & Lacunam, quæ in damnum fidelium nostrorum prædictorum destruxerunt, & nihilominus illa ab eis destrui præcipimus, quæ in damnum eorundem fidelium nostrorum erexerunt, videlicet Urbizzanum, Sclaccanum, & Albianum.*

*Quæcumque verò Civitas vel Commune, quæ præscriptas datas seu tenutas ad præscriptos fideles nostros redire non permiserit vel impediverit, aut si Lucana Civitas destructa Castra eis non reædificaverit, & constructa non detraxerit, sicut superius est expressum, vel propter hoc eos, vel homines eorum, sive terram ipsorum offendere, sive lædere attentaverit, à Majestate nostra, vel à certo Nuntio nostro citabitur. Quod si non venerit, nec satisfacere voluerit, Imperiali banno cum omnibus bonis suis deinde subjacebit. Suprascripti propterea fideles nostri quoddam Privilegium Divi Augusti Imperatoris Friderici Avi nostri recolendæ memoriæ, aureâ bullâ datum, dudum prædecessoribus eorum liberaliter indultum, fereque omnia continens eadem, quæ superius dicta sunt, per Rubertum Marchionem Pelavicinum Sacri Imperii in Lunigiana, Versilia, Garfagnana, & partibus convicinis Vicarium Generalem, fidelem nostrum, nostro culmini præsentarunt, supplicantes per eundem Marchionem fideliter & devote, ut Privilegium ipsum eis confirmare dictâ nostrâ gratiâ dignaremur. Nos autem supplicationibus eorumdem nostrorum fidelium inclinati idem Privilegium Divi Augusti Avi nostri prædicti dictæ Imperialis præeminentiæ gratiâ confirmamus. Statuimus itaque, & Imperiali sancimus edicto, firmiter injungentes, quatenus nullus Dux, nullus Marchio, nullus* Capitaneus, *nullus Archiepiscopus vel Episcopus, nullus Comes aut Vicecomes, nulla Potestas, nullus Consultor vel Rector, nulla Civitas, nullum Commune, nulla Universitas, nulla denique persona alta vel humilis, Ecclesiastica vel secularis, prædictos prænominatos fideles nostros contra præsens Privilegium nostrum ausu temerario inquietare, molestare, seu perturbare præsumat. Quod qui præsumpserit, indignationem culminis nostri se noverit incursurum, & quinquaginta Libras auri probi & optimi pro pena compositurum, quarum medietas Fisco nostro, & reliqua medietas passis injuriam applicetur. Ad hujus autem protestationis, concessionis, & confirmationis nostræ memoriam & robur perpetuò valiturum præsens Privilegium fieri, & bullâ aureâ typario nostræ Majestatis impressione jussimus communiri. Hujus rei verò testes sunt Bernardus Panormitanus Archiepiscopus, Generalis Bambergensis, Odericus Marsicanus Episcopus, Uguccio Treveriensis Episcopus, Thomasius de Marcerio sacri Imperii in Romandiola Vicarius Generalis, Magister Petrus de Vinea, & Magister Tadeus de Iiuven magnæ Curiæ nostræ Judex, & alii quamplures. Et Coraliam eâdem protectione suscipimus.*

*Signum Domni* *Romanorum* *Hierusalem*  *Friderici Secundi invictissimi* *Imperatoris semper Augusti,* *& Siciliæ Regis*


*Acta fuerunt hæc omnia Anno Dominicæ Incarnationis MCCXLII. die XII. mensis Januarii, I. Indictione, Imperante Domino nostro Friderico Secundo, Dei gratiâ invictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto, Hierusalem & Siciliæ Rege, Imperii ejusdem Anno XXIII. Regni Hierusalem XIX. Regni verò Siciliæ XLV. feliciter. Amen.*

*Datum Petræ Sanctæ, Anno, Die, Mense, & Indictione prædictis.*

Eorumdem Nobilium descendentibus & successoribus renovata fuit hæc ipsa Investitura à Carolo IV. Augusto, dum esset in Petrasancta III. Idus Junii Anno MCCCLV. Tabulæ adservantur in Archivo Estensi. Vide etiam in Tomo V. Rer. Italicar. memoratos *Equites Carfanienses* ad versum 215. & 1849. Poëmatis *de Bello & excidio Urbis Comensis*. Sub eo nomine Clariss. Vir Joseph Stampa, Clericus Regularis Somaschensis, censet designatos fuisse incolas ejusdem Provinciæ Garfagnanæ, qui Anno MCXIX. & MCXXVII. Mediolanensibus præsidio fuere contra Comenses. Nomen autem *Garfagnanæ* in memoriam mihi revocat, quæ Guilielmus Ventura Cap. 38. Chronici Astensis Tomo XI. Rer. Italicar. scripsit, scilicet, Astenses societatem iniisse *cum parte Facini de Tilio, & Garfagna totius Montisferrati*. Ita verò appellata factio potentissima in regione Montisferrati. Quo autem tempore inditum *Garfagnanæ* nomen fuerit provinciæ nuper memoratæ, ignotum prorsus est. Ego illius mentionem offendi in Chartis Sæculi Noni. Hisce accedat altera Investitura, Raimbaldo Tarvisino Comiti, de quo supra mentio facta est, olim concessa ab Ottone III. Augusto, per quam non Comitatum ejus Civitatis ille recepit, sed Castra quædam, quæ titulo singulari ab Augustis acceperant illius majores. Diplomatis exemplum debeo doctissimo Viro Henrico de Collato Abbati Sancti Salvatoris.

## Otto III. Imperator Rambaldo Comiti Tarvisino omnia illius jura ac Privilegia confirmat, Anno 1000.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divinâ favente clementiâ Imperator Augustus Romanorum. Noscat omnium fidelium nostrorum industria, præsentium scilicet & futurorum, qualiter* Heribertus *sanctæ* Coloniensis Sedis Archiepiscopus *nostram humiliter exorando adiit clementiam, quatenus* Raimbaldo nostro fideli, Tarvisiensi *videlicet* Comiti, *suarum instrumentum Cartarum & confirmationem concedere dignaremur. Cujus itaque petitioni justæ animum præbentes præfato Raimbaldo instrumentum suarum Cartarum confirmationemque corroborantes firmiter facimus, & omnia sua Præcepta simili confirmamus stilo. Quod si accidente, quod absit, casu aliquod scriptum suum perditum habeat, vel perdiderit igne aut hostium incursione, furtove, tunc tribus bonis hominibus inventis jusjurandum faciat, quod scripta sua pro hiis tribus prælibatis causis perdita habeat, & sicuti eadem adscripta teneat, ac habeat, postea proprio utatur jure, Imperiali largimus auctoritate. Insuper vero sexaginta Jugera, quæ in circuitu Tarvisiensis Civitatis sita esse videntur, vel propinquiora, sibi concedimus, Transitum vero sui Castelli, & toloneum de Ponte licentiam ut habeat Imperiali auctoritate accipiendi jubemus. Quin etiam ut forum, sive mercatum, ac ædificandi in Valle Sanctæ Felicitatis consensum damus cum banno & destrictu, legali querelâ. Igitur homines sui residentes & usuales ad nullum Ducis placitum, vel Marchionis vel Comitis, seu Schuldasi veniant, vel ab ipsis constringantur; & nec fodrum nec collectam faciant, nostrâ prohibemus dictione. Hæc autem omnia prælibata, prout juste & legaliter possumus, Imperiali præbemus Præcepto, & quicquid inde facere voluerit, potestatem habeat. Præcipientes vero jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, seu Schuldasio, aut aliqua summissa persona hanc nostræ auctoritatis paginam inquietare vel molestare audeat. Si quis itaque hujus Præcepti violator extiterit, sciat se compositurum auri optimi Libras mille, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem præfato Raimbaldo. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu nostra corroborantes, & sigillo nostro subtus insigniri jussimus.*

*Signum Domni Ottonis*  *Regis invictissimi.*

*Heribertus Cancellarius in vice Petri Cumani Episcopi & Archicancellarii.*

*Datum Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo, Indictione XIII. Anno Tertii Ottonis Regni XVII. Imperii V.*

*Actum ad Sanctum Donninum.*

Quod Principes Sæculares fecere, mos quoque fuit, ut & Ecclesiastici facerent. Nam quum tempora illa frequentibus bellis ferverent, unusquisque potens ex Clero per eorum Beneficiorum collationem è re sua putabat sibi comparare quotquot poterat Nobiles Viros, quorum armis ac fide, quum occasio ferebat, ditionem suam tueri ac servare posset. Erant ergo Romanis Pontificibus, & quamplurimis Episcopis, & Abbatibus temporalia imperia, quibus quotidie insidiabantur potentes Sæculi; ac proinde & ipsi quæsivere sibi aliorum patrocinium, Feudis in eos collatis. Prostant passim exempla. Ad hæc interdum Ecclesiasticæ ditiones à Sæcularibus viris usurpabantur, atque ad eas recipiendas sacris Pastoribus vires deerant. Tunc ergo satius videbatur, easdem illis dimittere, dum tamen ipsas Beneficii titulo ab Ecclesia agnoscerent, quo fiebat, ut & illi juste ea in posterum possiderent, & Ecclesiæ jura aliqua ex parte restaurarentur. Exero in hanc rem duo Instrumenta ex supra laudato Regesto MSto Cencii Camerarii descripta.

## Instrumentum, quo Adinulfus & Landulfus filii Gregorii renuntiaverunt omni juri, quod habebant in Castro Falbateriæ, illudque in Feudum recipiunt ab Alexandro III. Papa, Anno 1178.

*In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno Incarnationis ejus MCLXXVIII. Pontificatus Domini Alexandri III. Papæ Anno XIX. Indictione XI. Mensis Januarii die XI.* Adinulfus *&* Landulfus filii Gregorii Pagani, *non vi coacti nec dolo inducti, sed libero arbitrio & voluntate propria renuntiaverunt juri, si quod habebant in Castro Falbateriæ quocumque jure, sive hereditario, ex successione videlicet patris seu matris vel aliorum, seu jure acquisitionis, & omni omnino juri proprietatis & possessionis, pignoris seu hypothecæ. Et remiserunt hoc* Domino Papæ Alexandro, *& Romanæ Ecclesiæ, in præsentia Dominorum Cardinalium* Johannis Presbyteri Cardinalis Sancti Marci, & Petri Presbyteri Cardinalis Sanctæ Susannæ, & Hiacynthi Diaconi Cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmidin, & Centii Diaconi Cardinalis Sancti Adriani: *præsente etiam Francone Domni Papæ Camerario. Et Dominus Papa pro se & successoribus suis concessit prædictis fratribus jam dictum Castrum Falbateriæ in Feodum usque ad vigintinovem annos. Quo tempore transacto Castrum illud omnimodo liberum ad Ecclesiam redeat. Et prædicti fratres, vel eorum successores de eodem Castro sint ad mandatum Summi Pontificis, qui eo tempore fuerit: ita quod in potestate Summi Pontificis sit vel eis concedere vel auferre. Et prædicti fratres se de cetero Castrum idem nomine Ecclesiæ possidere promiserunt, & pro hac concessione trecentas Libras Provesinorum præscripto Domino Papæ persolverunt: & insuper servitium, quod pro eodem Castro Romanæ Ecclesiæ exhibere consueverunt, reddere promiserunt. Promiserunt etiam, quod si quas possessiones de tenimento Ceperani tenerent, super quibus inquietarentur, si clarum esset eis quod injuste tenerent, sine controversia redderent: si verò non esset eis clarum, justitiam ad mandatum Domini Papæ facient. Omnia autem supradicta ab eis promissa, juramento corporaliter præstito firmaverunt. Præterea obligaverunt se iidem Fratres in pœna quadringentarum Librarum Provesinorum Fratri Franconi legitime stipulanti, si omnia, quæ promiserunt, non observarent. His interfuerunt Petrus & Fortunatus Domini Papæ Ostiarii, Centius Gregorii, Jacobus Condomi, Guido Incisor, qui rogati sunt testes. Postea verò XXVII. die prædicti Mensis venit Stultus, frater prædictorum duorum, & in præsentia prædicti* Domni Centii Cardinalis, *&* Domni Hugutionis Diaconi Cardinalis Sancti Angeli, *& Fratris Franconis Camerarii, renuntiavit, promisit, juravit per omnia, sicut Adinulfus & Landulfus fratres fecerunt; cui sicut & prioribus, à Domno Papa concessum est Castrum. Juramento hujus hi interfuerunt, Leo de Signino, Petrus Gregorii, Oddo Benedicti de Bona, Rainaldus de Pophe, Petrus Ostiarius, qui omnes rogati sunt testes.*

*Et ego Ilditius Judex & Scriniarius rogatus hoc Instrumentum manu propria scripsi*

## Instrumentum de renuntiatione, quam fecit Willelmus Paganus de jure, si quod habet in Castro Falbateriæ, Anno 1208.

*In nomine Domini. Anno Incarnationis ejusdem MCCVIII. Pontificatus verò Domini Innocentii III. Papæ Anno XI. Indictione XI. mense Martii die VI.* Willelmus Paganus, filius quondam Adenulfi Pagani, *non coactus nec dolo inductus, sed libero arbitrio & spontanea voluntate renuntiavit tam per se, quam procuratorio nomine pro nepotibus suis, filiis quondam Stulti Pagani, omni juri, si quod habebat, vel habere se credebat in Castro Falbateriæ, quocumque jure sive hereditario, ex successione videlicet patris vel matris seu alterius conjunctæ sibi personæ, sive jure cujuscumque acquisitionis, & omni omnino juri proprietatis, possessionis, pignoris seu ypothecæ, usufructus, conductionis vel cujuslibet alterius obligationis seu conditionis. Et remisit & renuntiavit & resignavit hoc* Domino Papæ Innocentio III. *& sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in præsentia Domini Stephani ejusdem Domini Papæ Camerarii, Magistri Philippi Notarii, & multorum aliorum Clericorum, Militum, & Laicorum. Et idem Dominus Papa pro se ac successoribus suis prædicto* Willelmo *Pagano & nepotibus suis, filiis quondam Stulti Pagani, jam dictum Castrum Falbateriæ concessit in Feudum usque ad triginta novem annos. Quo tempore transacto Castrum illud omnimodo liberum ad Ecclesiam Romanam redeat. Idem quoque* Willelmus, *vel successores ipsius de eodem Castro sint ad mandatum summi Pontificis, qui eo tempore fuerit, ita quod in potestate summi Pontificis sit finito tempore prætaxato eis concedere vel auferre; & idem* Willelmus *se Castrum*

*strum ipsum Ecclesiæ nomine de cetero possidere promisit. Et pro hac concessione quadringentas Libras parvorum Senatus Domino Papæ persolvens, servitium, quod pro eodem Castro Romanæ Ecclesiæ exhibere consuevit, reddere repromisit. Promisit insuper, quod si quas possessiones de tenimento Ceperani, vel aliarum possessionum ad Ecclesiam Romanam spectantium, retineret, super quibus inquietaretur, imo conveniretur, si clarum esset ei, quod injuste teneret, sine controversia redderet; si verò non esset ei clarum, justitiam ad mandatum Domini Papæ faciet vel coram eo, vel coram alio, cui Dominus Papa vices suas committeret in hac parte. Omnia vero supradicta ab eodem Willelmo promissa, præstito juramento firmavit, & fidelitatem & ligium homagium Domino Papæ, successoribus suis, & Ecclesiæ Romanæ juravit, & fecit, omni beneficio juris & omni exceptioni ratione rei vel personæ sibi competenti renuntiando. Præterea promisit & obligavit se in pœnam quadringentarum Librarum parvorum Domino Stephano ejusdem Domini Papæ Camerario legitime stipulanti, si omnia, quæ promisit, & quæ præmissa sunt, non observaret. Hi interfuerunt Dominus Riccardus Rebeus de Ceperano testis, Dominus Matthæus de Morrejo testis, Dominus Willelmus de Sora testis, Dominus Petrus Mancinus testis, Dominus Petrus de Sancto Germano testis, Dominus Adenulfus Judex testis, Dominus Andreas de Caselverio testis,*

*Ego Johannes de Sancto Laurentio, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarius, scripsi, complevi, & absolvi.*

Quandocumque verò de Ecclesiæ Romanæ locis sive juste, sive injuste possessis, quisquam investiendus erat, præcedere consuevit eorum dimissio saltem apparens, fatentibus possessoribus, loca eadem spectasse & spectare ad jus Romani Pontificis. Subinde investitura dabatur. Cujus rei exemplum adtexo, quod ex eodem Cencii Regesto excerpsi.

## Chartula, quam Comites Aldebrandinus & Bernardinus de tota Terra sua Beato Petro & Domino Papæ fecerunt, Anno 1157.

*IN nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis MCLVII. &c. Nos* Aldebrandinus *&* Bernardinus *à præsenti die donamus & concedimus, & per hoc Instrumentum tradimus tibi* Domino Adriano *à Deo decreto* Papæ IV. *vestrisque catholicis successoribus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in perpetuum: idest, totam Terram nostram, videlicet Fractam filii Azonis: Curiam de Marisano: medietatem Orzoli: Collem Longum: Getonam: Sanctam Crucem: Sanctam Luciam: Roccam Sancti Stephani: Ripesenam: medietatem Perceni: quartam partem Biceni; & generaliter ubicumque lege & ratione nobis aliquo modo aliquid competit vel competere poterit. qualiter nobis pertinent jure hereditario, vel aliquo modo, taliter eas vobis concedimus pro multis & gravibus offensis, quas vobis Domno Papæ, vestrisque prædecessoribus & Curiæ Romanæ sæpe fecimus. Et quia easdem prænominatas Terras de jure & dominio beati Petri Apostoli fuisse comperimus, ideoque eas vobis libere restituimus, tradimus, concedimus, & largimur, atque sponte offerimus pro redemtione animarum nostrarum & parentum nostrorum: ut ab hodierna itaque die licentiam & potestatem habeatis intrandi, tenendi, utendi, fruendi, vendendi, donandi, commutandi, & quidquid volueritis ad utilitatem & usum beati Petri & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ perpetuò placuerit, faciendi. Nos autem & nostri heredes defendere promittimus ab omni homine, si necesse fuerit &c. pœnâ centum auri Librarum.*

*Johannes Bonus Domni Papæ Marescallus testis, &c.*

## Altera Chartula Domini Papæ de eadem Terra, quam eisdem Comitibus in beneficium concessit, Anno 1157.

*IN nomine Domini &c. Ego* Adrianus Sanctæ Sedis Apostolicæ Papa IV. *consensu & voluntate fratrum meorum, videlicet* Ubaldi Presbyteri Cardinalis *titulo* Sanctæ Praxedis, Ubaldi *titulo* Sanctæ Crucis, Julii *titulo* Sancti Marcelli, Henrici *titulo* Sanctorum Nerei & Achillei, Bosonis Diaconi Cardinalis Sanctorum Cosmæ & Damiani, *Camerarii nostri, &* Alberti Diaconi Cardinalis Sancti Adriani; *concedimus vobis* Aldebrandino *&* Bernardino *filiis quondam Ubolini Comitis de Calmajare, vestrisque legitimis filiis & filiabus vestris; si autem sine legitimis filiis & filiabus decesseritis, infra nominatæ Terræ, quas vobis concedimus, in jure & dominio beati Petri libere remaneant: idest Fractam filii Adzonis &c.* ut supra. *Positæ sunt autem prædictæ Terræ in Episcopatibus Suanensi, Urbevetano, Tudertino, Clusino, juris beati Petri & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Ad tenendum, utendum, fruendum, meliorandum, & sicut dictum est, tenendum, possidendum, pro eo quod hominium nobis fecistis, & fidelitatem nobis nostrisque Catholicis successoribus & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ jurastis, & stratam omni tempore & omnibus personis servare, exceptis publicis latronibus, & inimicis Ecclesiæ Romanæ & vestris. Ita tamen si formam peregrinorum non portaverint. Et treguam jurare & observare promisistis, si alii compares vestri juraverint & observaverint. Roccam Sancti Stephani custodiendam damus Scarlatano de Radicofano & Orlandino fratri suo, & filiis Belizi. Et si fidelitatem nobis fecerint, cum expensis vestris per quinque continuos annos. Tali conditione, quod si aliquâ causâ in strata offenderitis, & infra octo dies requisiti non emendaveritis, tunc prænominata Rocca Sancti Stephani in jure & dominio beati Petri absolute remaneat. Si vero in tregua vel contra Hospitales, Templares, Clericos, Monachos offenderitis, & infra quindecim dies requisiti non emendaveritis, tunc prænominata Rocca Sancti Stephani in jure & dominio beati Petri remaneat. Ecclesias, Clericos, Monachos de Terra vestra ita fovebitis & servabitis, sicut alii nostri Fideles suas Ecclesias, Clericosque suos & Monachos servant. Nulli alii pio Loco concessionem istam in partem vel in totum dabitis vel alienabitis, nec alicui personæ vendetis seu alienabitis, prinsquam Domno Papæ, qui pro tempore fuerit, & Sanctæ*

*ctæ Romanæ Ecclesiæ, justo videlicet pretio minuendo in duodecim denariis pro unaquaque Libra. Quod si emere & alienationem ipsam recipere noluerit, dabitis ei suprascriptum commodum, & vendetis seu alienabitis tali personæ, quæ nobis placeat, sine malitia; salvo semper jure & dominio beati Petri & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Guerram & pacem per personas vestras & prædictas Terras ad mandatum Romani Pontificis & Romanæ Ecclesiæ facietis vos & filii vestri. Filii vero & generi vestri, qui Terras ipsas, partemve earum tenebunt, nobis, nostrisque catholicis Successoribus fidelitatem & hominium, guerram & pacem ad mandatum nostrum, nostrorumque Successorum facient; treguam, stratam, Ecclesias, Hospitales, Templares, Clericos, & Monachos se non offendere jurabunt. Alioquin si qui ita non fecerint, sive quid adversùs ea fecerint, à jure nostræ concessionis expertes remanebunt. Nos autem & nostri Successores defendere promittimus ab omni homine, si necesse fuerit, secundùm officium nostrum.*

A *Britonorii Castrum*, nunc Episcopali Cathedra ornatum, spectabat olim ad Ravennatem Ecclesiam. Verùm vel ipsis antiquis temporibus *Comites* habuit, quibus investituram Ravennates Archiepiscopi tradebant, ut constat ex postremis tabulis *Hugonis Comitis Castri Britonorii*, script s Anno 1029. quas evulgavit Rubeus in Historia Ravenn. Perrexerunt Comites illic dominari; quibus verò conditionibus collatum fuerit ejusmodi Feudum, non ingratum Lectori erit ediscere è Charta, cujus Rubeus ipse mentionem fecit, & quam ex Chartophylacio Ravennatis Archiepiscopii descriptam mihi obtulit amicissimus Gherardius meus. Atque ex his lucem accipient, quæ B Boncompagnus tradit in Libro *de Obsidione Anconæ*, Tomo VI. Rer. Italicar. de *Comitissa de Bretenorio*, ejusque unico Filio, ac dissidia, quæ ob hoc idem Castrum oborta sunt inter Alexandrum III. Papam & Fridericum I. Augustum post pacem Venetam. En verò Chartam ipsam.

## Investitura Castri Britonorii concessa Cavalcaconti Comiti à Gualterio Archiepiscopo Ravennate, Anno 1130.

*IN Dei nomine. Anno Dominice Incarnationis Millesimo Centesimo Tricesimo, VII. mensis Julii, Indictione VIII. Constat me* Donnum Gualterium, *quamvis indignus sancte* Ravennatis Ecclesie Archiepiscopus, *locasse & concessisse tibi* Cavalcaconte Illustrissimo Comiti Castri Brittonorio, *tuisque filiis legitimis tantùm, hoc est Castrum Brittonori cum toto suo tenimento, cum montibus & collibus, cum plogetis & pascuis, viis & semitis, cum angariis & perangariis suis, cum villis & villanis, sicu videris nunc detinere in manibus, aut etiam aliquis vobis tenet. Quod si filios masculos non habueris, in nostro Archiepiscopatu redeat. Mortuis itaque predictis personis, si nepotes masculos habueritis, iterum cum suprascripta & subscripta conditione eis locetur. Pro eo quod centum Libras bonorum Denariorum Lucensium nobis tribuis coram subscriptis personis. Et quando at Curiam Domini Papæ ego aut successores mei ire voluerimus, nobiscum venies cum expendio, quantùm in victualibus. Et quando super inimicos nostros ostem facere voluerimus in partibus Romanie, cum centum militibus in nostro servitio venietis & cum trecentis peditibus. Si citra Padum exercitum fecero, cum viginti militibus ad nostrum servitium venietis. Et quando placuerit Deo, ut alium Archiepiscopum eligatur, infra triginta dies fidelitatem ei facietis, & cum ipso ad ejus expendium, quantùm in victualibus, ad consecrationem illius ibitis. Secretum, quod tibi patefaciemus nulli notificetis ad nostram dannietatem. Et si audieritis de nostro danno, aut de amissione vite, aut de persona nostra, quamcitius poteris per tuum Nuntium nobis notificare studebis. In morte vero tua equos tuos & omnia tua arma mihi, vel successoribus meis per tuum Nuntium mittatur. Et pro eo quod multum mihi & successoribus meis servire promittis, & precibus tuorum Militum, & nostrorum Fidelium, remittimus tibi tertiam partem de pensione, quam antecessores tui nostro Archiepiscopatui reddere solent, & in festivitate San-*C *cti Apollinaris octo Marabotinos dare pro pensione nobis promittis. Et si per biennium vestrâ culpâ steterit quod pensionem non solvatis, cadatis a suprascripta locatione. Et obligamus nos ad invicem suprascripti, videlicet ego Archiepiscopus Gualterius, & ego Cavalcacontes, omnia suprascripta inter nos firma & rata tenere omni tempore ab omni persona legaliter, & contra non venire, & omnia adimplere. Quod si hoc distulerimus vel agere, vel causare, vel contendere, vel minuere presumserimus, tunc dare & componere promittit pars parti servanti fidem legitime centum boni auri Libras; & post penam solutam hec Carthula firma permaneat.*

D *Actum in Sarsena feliciter.*

*Signo manuum suprascripti Archiepiscopi & Comitis, qui hanc Carthulam fieri rogaverunt.*

*Signo manuum Rodulfi de Pontemarino, Petro de Peratissi, Maibrani de Vessa, Petrus de Monte de Petra, & Rodulfinus de Ponte, & Landulfus Bulgarus, & Pastalca, qui rogati sunt testes.*

*Ego Berardus Judex & Notarius ex mea parte recognovi & complevi.*

Dixi, Marchionibus quoque, Comitibus, ipsisque Vassis Regiis in more fuisse minoribus conferre Feuda, quibus augebant sibi Fidelium & commilitonum numerum, quum suscipiendum E erat bellum. Id supra ostendi factum à *Marchionibus Estensibus*. Paria fecisse *Marchiones* quoque *Malaspinas* nunc ostendam, productâ divisione ditionum inter eos facta, in qua eorum Vassalli memorantur. Informe sane exemplum hujus Chartæ accepi: attamen satis erit ad dignoscendum, quam late olim Nobilis ea gens dominaretur, de cujus vetusta gloria mihi sermo fuit in Par. I. Antiquitat. Estens. & plura aliquando dabit nobis nobilis vir Joseph Marchio Malaspina, Abbas Commendatarius Sancti Marciani Derthonensis, & Consiliarius Augustissimi Cæsaris.

## Divisio bonorum inter Conradum & Opicinum Marchiones Malaspinas, Anno 1221.

*IN nomine Domini. Amen. Anno à Nativitate ejusdem MCCXXI. die Martis VIII. exeuntis Augusti, Indictione V. in præsentia infrascriptorum testium.* Dominus Conradus filius quondam Domini Opizonis Marchionis Malaspinæ *ex una parte, nec non* Dominus Opicinus filius quondam Domini Juliani Marchionis Malaspinæ *ex alia parte, divisiones inter se volentes facere de eorum Podere de eo toto, quod habebant ac tenebant, ac pro eis habebant & tenebant in Archiepiscopatu Januensi, & seu in Episcopatu Lunensi, & in Episcopatu Brugnatensi, tales partes fecit dictus Dominus Conradus, ut hìc inferius scriptum est, ex quibus dicto Opicino electam dedit, ut, quam vellet, acciperet, & aliam sibi dimitteret. In prima vero parte pòsuit totum illud, quod est; sicut flumen Macræ exit de Monte, usquequo intrat in Mare, & Mulatium cum illud toto, quod èst ab alia parte Mulatii, & Villamfrancam cum eo toto pasco ac usibus & conditionibus & tenutis; quos tenuerunt, & possident a X. citra illi de Villafranca, & cum Juxtamontem & Guardavilla filii Gnozini, & cum omnibus Vassallis de Pontremulo, & cum Vassallis de Vezano, & cum eo toto, quod ipsi Vassalli tenent ab ipsis Marchionibus ab utraque parte Macræ, & omnes Vassallos, qui de Arcula sunt, & Vassallos de Ponzano & Lagnito cum eo toto, quod tenent extendendo confines prædictæ partis ab illa parte, ubi situm est Mulatium usque ad Insula Sestri, & ab Alpibus usque ad Mare: cum omnibus rationibus & honoribus ad ipsos Marchiones eisdem finibus pertinentibus, & Orlandum de Buzano cum eo toto, quod habet & tenet. In secunda vero parte posuit illud totum, quod est ab alia parte Macræ, scilicet illud in totum, sicut tenet & vadit usque ad Macram a loco; de quo exit Macra, ac confinat usque ad Lavenzam, extendendo confines usque ad Castrum Vetulum in Garfagnana, cum omnibus Vassallis, quos ipsi Marchiones habent in Garfagnana, & cum Dominis Garfagnanæ, & cum illis de Dallo, & Valvesneria, & cum Blancis, & cum omnibus aliis Vassallis ac rationibus, qui & quæ sunt infra dictos confines, & Verugulam cum omnibus suis rationibus, & Avulam, & Jacobum, & Gulierminum conjunctos. Salvo eo expresso acto, quod scilicet, si hæc pars devenerit ad Dominum Conradum, quod Dominus Opicinus teneatur expedire Domino Conrado Verugulam a Rubeo, & ab omni homine & persona, ac obligatione, nec habere possit Dominus Opicinus, ut supra, aliquid in Villafranca, donec Verugula foret ab eo expedita. Et ita quod pedagia omnes debeant communes esse, quæ sunt in Episcopatu Lunensi a quacumque parte Macræ, seu colligerentur, & illi, qui hanc partem habebat, licentiam & potestatem dicta pedagia colligendo in Villafranca, vel alibi, uti voluerit, intra quam per jurisdictionem, quæ sunt in parte unicuique sint in illius parte, cujus devenerit. Ita tamen quod terræ & possessiones remaneant in Vassallos, & Vassalli recognoscant & teneant Feudum ab eo, in cujus erunt vel venerint, quis jurisdictio esset alterius. Et si Dominus Opizinus, aut Pater, plus in Feudum dedit vel obligavit, aut alienavit, intrata debeat dictum plus Domino Conrado adeguare. Et si Dominus Conradus plus in Feudum dedit vel alienavit seu obligavit, debeat Dominus Opicinus de plus adeguare. Alii vero Vassallos de strata sive pedagio communes sint, & in communi remaneant tantum, quantum est pro facto pedagii de Sermii; & ita tum quod nullis, & ipsis Marchionibus debent, & jurare seu societatem facere cum aliquo loco vel Terra, seu Civitate aut hominibus vel personis. Et salvo quod Dominus Conradus possit Feudum a Lunensi Episcopo Patri recipere, & ejus Vassallus esse, sicut Dominus Opicinus habet, vel Pater habuerit & fuerit sub aliquo ingenio vel modo aut conditione aliqua, quæ posset cogitari vel dici: aut quod deberet esse Civem aut Burgensem aut Habitatorem alicujus Terræ; etiam ac nullis ex ipsis Marchionibus debent aquisitum aut ajutum facere in parte aut Terra seu Podere alicujus, vel ex suis hominibus seu habitatoribus in sua Terra recipere, tenere vel manutenere contra aliquem per se vel per suos heredes, aut Terra aliquam aliam personam sub aliquo modo vel ingenio, nec ab eo vel illis. Qui autem fecerint, & id fecissent ex eo Podere vel rebus, vel facere audeat ab aliquo, qui confiniat cum parte alicujus, vel aliquibus, qui cum eo vel eis constaret. Et Massa in communi remaneat, & commune sit illud totum, quod ibi habent vel habuissent, quocumque modo haberent vel habere possent, & in ajuta, quæ fecerint vel facere possent inter flumen Arculæ & flumen Macræ, sicut Arcula venit & intrat in Macram, & usque ad Portam Bertatiam, in commune restituendo expensas unus alii, & unus debeat alium appellare, cum venerit ad ajuta faciendo. Et si in ajuto stare voluerit, debeant concordes esse. Et si unus recusaverit, alius possit agere, & unus alium teneatur adjuvare.*

Illud denique in Feudorum argumento animadvertendum est, *Vassos*, ut antea monui, vetustis Sæculis fuisse non paucos, qui non tantum *Militiæ* causâ a Senioribus in *Vassaticum* recipiebantur, sed etiam aliud quodpiam Servitium, sive Honorificum, sive Oeconomicum, præstarent. Id quoque observatum perspexi vel post Feudorum institutionem. Nam in Aula Regum, aut in domibus Episcoporum, Marchionum, Comitum &c. unaquæque Dignitas ac munus, etiam infimum, suum peculiare Feudum adnexum quandoque habebat, quo fruebatur quisquis ad illud munus delectus erat, & fortasse quousque eodem fungebatur. Itaque Regum & Principum bona non pauca sive in Feudum concedebantur, ut inde Militiæ, aut Honoris, aut Ministerii alicujus servitium Vassi redderent. Sive in Emphyteusim dabantur, atque inde certi reditus aut pecuniæ, aut frugum percipiebantur. Dignum est, quod ab omnibus legatur alterum fragmentum Chronici Mediolanensis ab Anonymo conscripti, quod paullo ante commemoravi. Inter ea, quæ ex eodem Chronico tamquam superflua omisi, hoc etiam ad posteros transmittendum servavi. Idem igitur Auctor ad Annum MCCX. de Ottone IV. Romanorum Rege Mediolanum profecto agens, hæc habet: *Concessit in Feudum illustri Militi illu-*

*Guliermo de Pusterla Civitatem Astensem , & suum Vexillum , in quo est Aquila nigra in campo glauco . Iste Guliermus fuit vir tantæ prudentiæ , ut cum esset ignarus literarum , omnes Legistas disputando superaret . Ubertum de la Cruce fecit Comitem de Benaf . Similiter & Leonardum fratrem suum virum prudentissimum . Hic Otto , quum vellet Padum transire , Comites Sanctæ Floris , quorum Oppidum principale erat Basilianum in ripa Ticini , Imperatorem conducere ex Feudo debito tenebantur ultra Padum . Comes autem Sanctæ Floris videns Padum congelatum , terrâ & paleis vadum Padi cooperuit , & Imperatorem cum toto exercitu ultra Padum transduxit: quo comperto Imperator intelligens , quod malitiose fecisset , ut ipsum cum suo exercitu suffocaret , eum decapitavit , ejus prolem exbannivit , qui iverunt in Tusciam. Tunc Imperator dotavit Monasterium de Morimondo magnis possessionibus & Privilegiis , & instituit Abbatem Comitem de Basiliagiano in Ducatu Burgariæ . Et tenetur ille Abbas Imperatori omni anno in uno Floreno auri ratione Feudi . Isto Anno Ubertus Archiepiscopus mandavit Algisio Camerario , Lanfranco & Arialdo de Badagio, quod inquirerent sub sacramento à Nigro Pusca , Anrico Facionis , & à Terragalo , de omnibus , quæ spectant ad Archiepiscopum Mediolani . Et confectus est unus Liber , sive Chronica , vel Commentarium , in quo continetur , quot Albergarias habet Archiepiscopus in Comitatu Mediolani : & quantum debet recipere de blado , vel quantam pecuniam , aut quot capones , aut quot piscarias , vel ligna . Et ibi sunt scripta nomina locorum & personarum , quæ tenentur hoc facere . Et sunt ibi scripta multa , quæ sibi debentur ultra Padum , & Bergolio . Et qui sunt illi , qui debent eum associare usque Romam . Et de Officialibus ejus , & Portenariis domus Archiepiscopi , sive Ostiariis , qui sunt quatuor , qui dicuntur Valvasores : Pistores sex : Marescalchi septem . Item ibi fit mentio de Architectore Archiepiscopi , & Lavanderiis, Ambasciatoribus , Sartoribus , Infertoriis, Clavicularriis , Portenariis , Sutriis , Giugiariis , Boliariis . Et de Monacha , quæ debet scopare Ecclesiam ; Piscatoribus , Pecorariis , Releporiis , Pictore , Curvatore .*

Viden , quot famulis tum nobilibus , tum ignobilibus tunc abundarent Archiepiscopi Mediolanenses , quorum singuli decentia Feuda pro ministerii sui aut sublimi , aut inferiore gradu à Domino suo recipiebant . Neque aliter factum puto à celeberrima Comitissa Mathilda. Evulgavit Bacchinius in Appendice ad Histor. Monasterii Padolironensis pag. 104. ejus tabulas , sub finem vitæ scriptas die 4. Maji Anno MCXV. in quibus eidem Cœnobio se elargiri dicit *omnia , quæcumque habeo in Pigognaga , mobilia & immobilia , & omnes Vassallos meos, videlicet Fabros , Canevarios , Brentarios , & illos de Pado , & omnes alios, cujuscumque servitii sint , præter Capitaneos & Vavassores de prædicto loco Pigognaghæ* . Qui fuerint Vassalli *Fabri* , nemo non intelligit . *Canevarii* mihi sunt, qui Cellæ Vinariæ curam habebant : hanc enim *Canevam* & *Canavam* antiqui Auctores Du-Cangio teste appellarunt . Eam Tusci ignorare videntur , at nos Lombardi retinemus. Du-Cangius idem in Glossar. Latin. *Feudum Canevæ* idem fuisse censet , atque *Feudum Cameræ* . Cur hæc ille scripserit , nondum intelligere potui . *Brentariorum* nomine Bacchinius significari censuit *Brennarios* , quo nomine olim designati , quibus canum venaticorum pascendorum cura fuit . Ego *Brentarios* eosdem puto , ac qui Mutinæ & alibi adhuc appellantur *Brentadori*, qui nempe deferunt *la Brenta*, sive amplum vas ligneum , in quo de uno in alterum locum suis humeris Vinum transferunt. Vicina vox *Canevarios* hanc ipsam explicare videtur . *Capitanei* & *Vavassores* , in Charta Mathildis memorati , nobiles Vassallos designant . Reliqui fuere quidem Vassalli , sed ignobiles . Eorum propterea Feuda non ejusdem speciei fuere , ac Feuda Nobilium : qua de re videndi Jurisconsulti in Feudorum argumento versati . Illud satis sit nobis animadvertisse , præter Servitium Militare , Servitia alia fuisse , propter quæ etiam Feuda tradebantur , & Vassalli constituebantur . Sed qui forent olim hac in re Italicorum mores , nusquam luculentius appareat , quàm inspectis officiis domus Patriarcharum Aquilejensium . Ii sane , si Romanum Pontificem excipias , reliquos in Italia Principes Ecclesiasticos post se relinquebant amplitudine temporalis imperii , eamque illi usque ad Sæculum XV. continuarunt . Innumera pæne dixi , erant , ac multiplicis generis Feuda ab ipsis Patriarchis profecta , quæ nosse Eruditæ gentis minime pœnitebit. Habeo in hanc rem Commentariolum adhuc, ut reor, luce carentem , quem mihi Bibliotheca Estensis suppeditavit : ego verò cunctis communem heic volo .

TRA-

# TRACTATULUS DE FEUDIS OLIM PER PATRIARCAM AQUILEJENSEM CONCESSIS

*De triplici genere Feudorum Patriæ.*

„ TRiplex in Foro Julii Feudum esse dignoscitur: Rectum & Legale, Habitantiæ, & Ministeriale, non à Patriarchis solùm, sed ab Oppidanis quoque conferri solitum. Vassallos Patriarcha scribens appellabat pro qualitate Feudorum, ut qualia quisque possideret, ex inscriptione Literarum animadverti posset, quemadmodum Odorico Susanio referente Gabriel Cremonensis scriptum reliquit. Scribæ ambo Patriarchales fuerunt: nam vix unus mihi citandus est, qui Tabellionicam non gesserit, quum in confesso sit, nullum hominum genus Scribis fidelius inveniri. Patriarchalis *Liberorum* deferebat titulum, quibus Recti Legalisque Feudi Oppida contigerant, ut Purlilianis, & Pratensibus. Et si Feuda simul & Ministerii possiderent, addebat *Fidelibus & Ministerialibus Pulceniciis, Villaltheis, Castillerianis, Strasoldiis*. Literarum autem, quas ad *Habitatores* missitabat, hæc erat inscriptio: *Gastaldioni & Habitatoribus* Aviani, Sancti Viti, Methunæ, Tricesimi, Sancti Danielis, Faganeæ, Tulmetii. Adscribebat & *Ministeriale* nomen, quibus id genus Feudum contigisset, ut *Habitatoribus & Ministerialibus* Attimiis, Sophumbergensibus, Mossanis, Carisacensibus. Qui verò uno *Ministerii* Feudo donati erant, eos Literarum inscriptione sic recensebat: *Ministeriales* è Monte Regali, Maniacenses, Toppanos, Pinzanenses, Ragoneates, Spellimbergenses, Valvasonenses, Sbroyavachas, Salvarolos, Fratinates, Persos, Osopanos, Legianos, Soclevios, Liventios, Artheneates, Prampergenses, Buyanos, Melsios, Colloretanos, Caporiacos, Vendoyanos, Treppios, Carisacenses, Rodelianos. Porro magnis multisque Feudis honestati nunc meâ quidem sententiâ videntur illi, qui progenitores nequaquam gregarios sortiti sunt, quoniam fide, à qua deducitur Feudum, virtuteque cum domi tum foris plurimùm enituissent. Verùm si ea majorum virtus non derivavit in posteros, ratio non constat ulla, qua *Habitatores*, qui se magnis in rebus in consultando præsertim ac deliberando longe prudentiores præstent, inferiores ipsis *Liberis* ob Feudi titulum, sedendive ordinem judicemus, aut *Ministeriales Habitatoribus* obscuriores. Quoniam verò pusillis vilibusque Feudis nonnulli ex Castellanis non abstinebant, factum est, ut humili loco orti ad capiendum Feudum, Rectum præsertim & Legale, minus idonei haberentur, imo ab eis repellerentur, veluti non habentes, quemadmodum objiciebatur, Feudi Manum, & i digni prorsus, qui ullâ dignitatis umbrâ frui possent, ut testes sunt Gubertinus Novatius XVI. Calendas Februarii MCCCLIII. & Nicolaus Civitatensis III. Idus Augusti MCCCXXXV. Certum profectò est, quod à Feudis Rectis & Legalibus obtinendis humiliores Patriarcha demserat: eos tamen neque Castellani, qui præcipue de excellenti munificentia commendari cupiebant, neque Viri Ecclesiastici aliquo conspicui Sacerdotio, ullo tempore rejecerunt. Quibus enim interdicta non est alienatio rerum suarum ut instar Principum vel Regulorum usurpent sibi pro arbitrio jus constituendi, conferendique Feudi permissum est. Quod mihi probandum est auctoritate veterum Scribarum, qui fidem impleant. Sed quod Patriarcha Feudi triplicis conferendi potestatem haberet, conferreque consuevisset, sciens prætermitto, ratus nihil ineptius esse, quàm quod nemo nesciat, nec expectatione dignum est, scriptis tradere velle.

*Quod Castellum darent in Feudum Rectum & Legale.*

„ MCCCLVI. Calendis Januarii, Franciscum Savorgnanum Nicolai filium concessisse Jacobo Civitatensi Leonardi filio Fundum ac Decimam in Agro Galleriani titulo Recti Legalisque Feudi, auctor est Nicolaus Francisci Civitatensis.

„ MCCCLXXXVIII. sexto Calendas Augusti, Doymum Castellium Odorici filium duos in Villaorba Fundos Nicolao Rudpreti Fagetano perpetuò possidendos pari jure tradidisse, testis est Candidus Vannius Tercentanus.

„ MCCCXCVIII. sexto Nonas Maji, Meynardum Villaltheum Ludovici filium jure nequaquam diverso auxisse Johannem Cergneum Fundo in agro Pasiglani Sclabonici, Bernardus Erazachus docet.

„ Hinc colligas, priscos illos Oppidanos generosæ indolis curasse sibi Vassallos, prædiis in Feudum collatis, ut ipse Patriarcha consueverat, solo pertractos nomine liberalitatis & gloriæ, quæ ad rationem dominandi sic pertineret, ut à fide tamen tentarent numquam abducere, si quos ipse Patriarcha sibi Vassallos parasset. Erat innata ad dominandum alacritas, & ad arma libido quotidie magis infervescebat, quamvis aliqui sane pauperes, multò tamen gloriæ quàm rei „ cu-

„ cupientes, palatia non haberent magnifice exstructa, sed mansiones non forsan anserariis meliores. Ecclesiastici optimo intumescentes proventu, quem minime sperabant in heredes transferri posse, liberius erigere Feuda, & in amicos erogare poterant.

*Quod Ecclesiastici concederent in Feudum Rectum & Legale*

„ MCCCXXXVI. pridie Idus Octobris, apud Gubertinum legitur, ab Abbate Sextense Odoricum Cucaneatem agris Bandi & Boognini, Feudi jure Recti Legalisque donatum fuisse.

„ MCCCLXXXI. sexto Idus Decembris, tradit Nicolaus Francisci, ab Abbate Belliniensi Henricum Formentinum Leonarducii filium quodam Fundo in Mediuza insignitum fuisse.

„ MCCCXCIII. decimoctavo Calendas Aprilis, apud eumdem legitur, Janum & Nicolaum Philippi filios ab ipso Abbate quibusdam ejusdem Pagi agellis Feudi nomine honestatos fuisse.

„ Ad Feuda autem exercitiis pro eorum natura congrue definitis allegebantur, quoties occasio incidebat, non ætate minores, aut ulla debilitate insignes, sed qui inservire Dominis tam bello quàm pace idonei forent, à quibus se numquam dilapsuros jurabant, ne viderentur umquam fidem cum fortuna mutare velle. Ad quos verò simul atque Feudetarii fato functi fuissent, recta legaliaque Feuda devolvi deberent, disputandum relinquo nostris Jureconsultis, quorum ut quisque callet optime Leges, ita consulere prudentissime consuevit, & in foro patrocinium impertire, quum plures de successione contendunt. Exempla proferam, unumquemque sibi Feudi alienandi licentiam quondam pro arbitrio desumsisse, tametsi Patrum decreto Legeque diu summotam constat. Unde nulla Feudorum ratio, quæ Oppidani, Civesque conferebant, colligi, vel haberi amplius potest, usque adeo in alienando Vassalli diligentes, in tuendo Domini negligentes fuerunt. Quod autem & Cives conferrent aliquando, in Caput ab hinc quartum alienationis rejicit.

*Quod Feuda Patriarchalia Recta & Legalia alienarentur.*

„ MCCXCIV. tertio Calendas Aprilis, Rudpretum vendidisse Utussio de Portis fundum in Camino jure Recti Legalisque Feudi Patriarchatus, auctor est Antonius Civitatensis.

„ MCCCXIII. octavo Idus Januarii, Adalpretum Cucaneatem vendidisse Geroldo Eberstayn fundos octo in Crauglo cum agnorum decimâ porcorumque, idem.

„ MCCCXXVII. tertiodecimo Calendas Octobris, Paulum Boyanum Civitatensem Henrico Strasoldio vendidisse fundum quemdam in Crauglo, idem.

„ MCCCXXXI. octavo Idus Julii, Henricum Ragoneatem Ulvini filium vendidisse Nicolao Johannis Blasiolæ Civitatensis fundum in pago Sancti Danielis, quem Puteum vocant, idem.

*Quod Feuda Ecclesiasticorum Recta & Legalia alienarentur.*

„ MCCCXIX. pridie Calendas Octobris, Nicolaum Candidi Cannussii filium ab Odorico Longo Civitatensi emisse fundum in Cornu, jure Recti & Legalis Feudi Abbatiæ Rosacensis, idem Auctor est.

„ MCCCXXXV. quinto Calendas Februarii, à Candido Cavallerii filio de Gallano fundum fuisse venditum in Prædemano jure Feudi Recti & Legalis Præpositurae Sancti Stephani Aquilejensis, Nicolaus Civitatensis docet.

„ MCCCLVII. sexto Idus Januarii, à Johanne de Cornu Peregrini filio Tabellione vendita fuisse jugera quædam in Cornu jure Recti & Legalis Feudi, idem.

*Quod Feuda Castellanorum Recta & Legalia alienarentur.*

„ MCCXCV. sexto Calendas Februarii, ab Henrico Butriano venditos fuisse Jacobo de Oleis fundos duos in Riuda jure Recti & Legalis Feudi de Mimillano, quod est Histriæ Oppidum, Antonius Civitatensis monet.

„ MCCCXII. quarto Idus Augusti, à Covatto Civitatensi venditam fuisse Henrico Sbrullio Ribisi filio Decimam quamdam in Cormono jure Recti & Legalis Feudi Domus Castelli; & eo Anno Laurentium Henrici Warettæ Civitatensis filium emisse à Laurentio Butriano Hermanuccii filio fundum in Manzinello jure Recti & Legalis Feudi Jacobi Johannis de Fontebono, idem.

„ MCCCXIV. tertio Idus Novembris, Orardum Wecellonis filium de Teyzano emisse à Bertholotto Notario Civitatense Decimam quamdam in pago Sancti Leonardi jure Recti & Legalis Feudi Villaltheorum, idem.

„ MCCCXV. tertio Calendas Aprilis, Varnerium Cucaneatem vendidisse Garritum Chiavoreti jure Recti Legalisque Feudi Comitum Goritiæ, idem.

„ MCCCLXIV. quinto Idus Julii à Pertholdo Attimio Henrici filio venditum fuisse fundum in Bracteolo jure Recti & Legalis Feudi Domus suæ Johanni Henrico, Franciscoque fratribus, prodit Benevenutus.

*Quod Feuda Civium Recta & Legalia alienarentur.*

„ MCCXCV. octavo Idus Julii, à Candussio Cannussio Andreæ filio Civitatensi adscriptos fuisse Feudi titulo Pagos Oblizzæ & Jaynichi, nec non complura prædia in Flumicello, Roda, & Lasisca, Antonius Civitatensis schedis suis nobis perspicuum reddidit.

„ MCCCXIX. pridie Idus Januarii, Wecellonem Meynardi Faganeatis filium Ulvino Cannussio vendidisse, Nicolussioque Pertistayno, fundum unum & semis in Pavia jure Recti & Legalis Feudi Federici Andreotti Civis Utinensis, prodit Benevenutus.

„ Civis iste Utinensis, quamquam mox cujusdam mulieris cognatione in Oppidanorum relatus ordinem, videtur quondam fu[illegible] Pra-

„ Principem, & munificentiâ sibi paraffe Vassallos, ut nec sane jura prohibent, modo „ sit, qui ad eam exercendam conferre se possit & velit. Quod autem aliquis alienandi „ Feudi, vel relinquendi, antiquitus veniam impetraffet, alicubi non memini me legiffe. „ Neque sibi persuadeat quisquam, Præsules „ se non aliquando convertiffe ad impediendam „ licentiam istam, consuetudinemque solutissimam. Quum enim mos irroboraffet, ut „ Feuda non raro etiam jure proprii venderentur, quod quodammodo non abhorrebat „ à furto, ita justam Præsulis indignationem trahebat, Nicolaus Patriarcha mandavit inquiri, & acccurate cavit, ne quotidianis „ venditionibus usurparentur, & ne in demutandæ naturæ discrimen adduci amplius possent, ut Gubertinus scripsit MCCCLVII. „ octavo Idus Martii. Apparet item apud „ Odoricum Susanium aliquod prohibitionis „ argumentum, dum quosdam Papiæ fundos „ Recti Legalisque Feudi articulis suis defendit, ad Mensam Patriarchalem devolutos „ fuiffe, quoniam Henricus Sophumbergensis „ non modò non recognoviffet, sed temere „ quoque tamquam proprios venditaffet. Adnotatumque est à Bernardino Tarvisino à „ suburbio Divi Thomæ, Natalem Panceram „ Portus Gruarii Civem, Procuratorem Episcopi, Vaffallorumque Concordiæ, quamdam produxiffe sententiam frequenti eorum consensu latam MCCCLII. septimo Calendas „ Novembris, qua cuilibet Feuda ipsius Ecclesiæ pro animâ judicanti, quum fatalis „ dies urgeret, pœna privationis indicta erat; „ ne quis Feudis hujusmodi Rectis & Legalibus pacto ullo abuti poffet. Quamquam „ verò emtor pendere pœnas privatione cogendus effet, satis tamen habebat Præsul „ privare, sumtis simul pluribus cauffis, ne „ quid benignitatis & clementiæ sibi deeffet. „ Exstat Instrumentum manu Johannis Susanii „ septimo Idus Julii MCCCXCIV. quo adversùs Danielem Ungrispacum omnes exsequitur cauffas, quòd in tempore non recognoviffet *Habitantiæ Feudum*: quòd non „ incoluiffet; quòd alienandi jure non impetrato licentiam sibi arripuiffet. Quidquid „ autem sit de alienatione aut simpliciter vetitâ, aut nonnisi consulto Præsule, & auctore, supersunt affatim apud vetustiores Scribas exempla alienatorum Feudorum cujuscumque generis, & usque adeo crebra, ut „ ne quidem hodie à propriis secernantur, & „ à plerisque non parum multa antiquis patrimoniis referantur accepta, ut quantum inde „ detrimenti Patriarchis acciderit, Ecclesiasticis, Oppidanis, & Civibus, sit haud difficile æstimare. Quapropter Senatum Inclytum ad tantam reprimendam licentiam non „ immeritò sæpius provocatum perspicimus.

*Provisiones, ne Feuda alienentur.*

„ MCCCCLVI. decimoctavo Calendas Maji, „ exstat Decemvirale Decretum, quo Feuda „ & Decimæ inter cetera alienari prohibentur, „ nisi tres accefferint partes suffragiorum. & „ eorum quoque qui Senatum supplent. Contrafacientes multæ quadringentorum Aureorum obnoxii redduntur; cujus remissionem, „ compensationem, dilationem omnes ademtam sibi certiores fiunt.

„ MCCCCLIX. duodecimo Calendas Junii, „ Leonardus Contarenus Patriæ Præses Johanne Cifelino procurante, cui Sophumbergi „ Præfecturam (Capitaneatum appellant) „ paulo ante habendam locaverat, Edicto „ cavit, ne absque sui Magistratus auctoritate cuiquam liceret agros distrahere, pro „ quibus nihil Census Fisco non deberetur. „ Affectus hominis non parum probatur, si „ curam magis duxit, ne quid Fisco periret, „ quàm ut uberior ex Præfectura sibi quæstus „ accederet.

„ MCCCCLXXV. decimo Calendas Octobris cautum fuiffe planum est, & Rogatorum quidem suffragiis, Ludovico Lauredano, Christophoroque Venerio, qui Feudis „ præpositi fuerant, Legem ferentibus, ut „ quævis alienationes ubique terrarum ac locorum arbitratu Magistratuum factæ de bonis juribusque Fiscalibus rescinderentur.

„ MCCCCXCI. quinto Calendas Februarii, Paulus Barbus Præses instituit, ut Scribæ in ipsa Instrumentorum stipulatione contrahentes quoscumque percunctarentur, an „ bona, de quibus ageretur, Feudalia effent, „ seu ad Fiscum pacto aliquo pertinerent. Si „ deprehendiffent, non solùm à scribendo abstinere, verùm etiam confestim Præsidi denuntiare omnia tenerentur, pœnâ alioqui „ privationis ob tam grave commiffum afficerentur. Videtur sane criminose nimis infectatus honesti ordinis homines, ut qui perpetuæ privationis notam vitare vellet, delatoris ignominiâ nihilominus fœdaretur.

„ MDXIX. Idibus Martii, Bernardus Donatus & Collegæ Advocatores & Syndici, „ quod paulo ante diximus à Contareno sancitum olim fuiffe de agris Fisci, vel juribus „ inconsulto Præside non distrahendis, capti „ Reipublicæ commodo exsequendum inviolabiliter ultro præceperunt. Quo tempore „ Lazarus Mocenicus Patriam gubernabat. „ Nulli antea defuerat relinquendi & vendendi „ facultas, dummodo non personis Lege prohibitis, & quibus intra annum & diem à „ cœpta poffeffione titulus novæ recognitionis „ non acceffiffet; iis objecta dilatione & mora „ simul & aliis pluribus cauffis auferri Feuda „ poterant.

*Quod intra annum & diem recognoscerentur.*

„ MCCCLII. Feuda quædam Stephani Janisii Valvasonensis in Wyrco, Bracteolo, „ Gluittizzo, Sancto Vidoto, Sancto Vito, „ Cevuraya, ac Sancto Laurentio juxta Valvasonum devoluta fuiffe, quia intra diem & „ annum recognita non fuiffent, & addicta alteri, testatur Odoricus Susanius.

„ Sed approbemus, per alienationem absque „ Domini scientiâ statim devolvi Feudum. „ Fuiffet quoque Legibus utique non reclamantibus devolutum, quum Feudetarius „ uxorem Principis adulteraffet, aut filiam „ stupraffet, vel moriens heredem legitimum „ non reliquiffet.

*Quod Feuda vacarent, sine prole mortuo Feudetario.*

„ MCCCXXXIX. undecimo Calendas Martii, Meynardum Purlilianum & fratres auctos fuiffe Recto Legalique Feudo Rivolti, „ propterea quod Johannes Goritiæ Comes, „ qui ab Aquilejensi Ecclesia recognoscebat,

„ pro-

„ prolem reliquiſſet nullam, quæ in eo retinendo legitime perſeverare potuiſſet, teſtis eſt Gubertinus. Quod exemplum ex multis adduxiſſe ſufficiat.

„ Videtur autem mulier expers Feudi Recti & Legalis; quia ſexui muliebri actioues bellicæ non conveniunt, & Feudum hujuſmodi virile depoſcit munus, ut in militiam proficiſci, Principem armis adversùs hoſtes defendere. Præſul verò defuncti affines, aut ſuos malebat vacantibus Feudis augere, quàm cum acri ipſorum indignatione extraneos ad ea depoſcere. Locus & devolutioni erat, quum quis fide præter juramentum poſthabitâ, quod eſt ſuper omne ſcelus, rebellionis crimine notabatur; quòd ſtatum minuiſſet, potentiamque Patriarchalem; quòd ei paraſſet inſidias; quòd evocatus in hac ſaltem orâ arma ſumere, vel Principem ſuppetias implorantem pro ſtatu Eccleſiæ conservando protegere, & de vita fortaſſe periclitantem eripere, deſtinatâ malitiâ contemſiſſet, quum Vaſſallorum præſidio, qui animo ſint neque ægro, neque parum fideli, tota fere pendeat Principis incolumitas. Quibus caſibus in demortui aut rebellis locum ad vacantia Feuda deligebat quemcumque Præſul ipſe venerabilis digniorem ſibique commodiorem exiſtimaſſet. Nec Feudum modò cujuſvis generis, ſtatim ubi factus fuerat certior, rebellibus auferebat, ſed proprium, quando nimirum fregerant jusjurandum, & rectum legaleque Domino officium exhibere neglexerant, quem non abſque magnâ prudentiâ adductum crediderim, ut à præſtando ſibi recto legalique officio Rectum & Legale Feudum appellarit. Ego quidem ſcribo vera, & eo quidem conſilio, ut neminem prorſus lædam, & ſi ſcripta publica, è quibus decerpo, veritate nituntur, fides mea improbari, aut accuſari non poſſit, Et cur accuſetur, ſi Scribæ publici ſint auctores, quibus, ut Jura poſtulant, acquieſcendum erit?

*Quod per rebellionem locus eſſet vacationi.*

„ MCCLVI. octavo Idus Martii, Ulvinum Sbrojavacha, proponente vel accuſante potius Aſquino Varnio, à Bertholdo Feudo, proprioque dejectum, Johannes Lupicus refert.

„ MCCLXVIII. octavo Idus Septembris, Conrado Valvaſone à Gregorio fuiſſe ablata bona, uti reo perduellionis facto, traditaque Walterpertholdo Spellimbergenſi, idem

„ MCCCXXX. quinto Idus Octobris, Nicolaum & Jacobum fratres Purcilianos à Patriarcha, qui perduellionis ipſos judicaverat, bonis Feudalibus propriiſque privatos; nec non Gueccellonem Heberardi filium ad ea omnia deſumtum fuiſſe, Gubertinus.

„ MCCCXXX. ſeptimo Calendas Novembris, Nicolaum Moreti filium de Methuna, rebellionis nomine notatum, Feudo, proprioque privatum; & Aymericum Rugerii Petoyæ filium ipſis honoratum, in Acta publica relatum legimus.

„ MCCCXXXVI. decimo Calendas Aprilis, Hermagoram Phœbuſinum, Johannem Furlanum, Panceramque Turrianos pari cauſſa damnationem tuliſſe, nec non Caſtelluto, aliiſque Feudis à Bertrando depulſos, & propriis ſimul, Gubertinus oſtendit.

„ MCCCXL. Aliis Caporiacis, qui juſſis Patriarchæ pertinaciter repugnaſſent, iniuſtam rebellionis notam, & ignominiæ cauſsâ ademtum Imulini Colliculum, Gubertinus declarat.

„ MCCCXLVIII. quarto Idus Septembris, Rodulphum & fratres de Portis, Henricum Formicam & fratrem, Johannem Phyſicum Aquilejenſem, Franciſcum Manzanum, & Nicolaum Longum Civitatenſem, ceu prædones publicos & rebelles, qui in beati Bertrandi perniciem conſpirarunt, publicato Feudo, proprioque, ne alicui reſidui rerum quicquam ſupereſſet, damnatos fuiſſe, Dominicus Zerbinus ſcriptis ſuis teſtatur.

„ MCCCLII. & MCCCLIII. quinto Nonas Martii, Johannem Franciſcum Caſtellium perduellionis reum factum, ac Feudo privatum, totumque Nicoluſſio Bartholomæi Lucenſis filio addictum, Gubertinus prodidit.

„ MCCCLVI. tertio Nonas Junii, Aſquinum Varanum Artici filium, & Ricardum ip us fratrem, filiumque Triſtanum damnationem iſtiuſmodi non evaſiſſe, & Coradellæ, ac Zannuto filiis Bartholomæi Militis de Sancto Daniele adſcriptum quidquid Feudi Recti & Legalis ipſi poſſediſſent, idem auctor eſt.

„ MCCCLXIII. Calendis Septembris, Franciſcum Straſoldium, cognomento Plebanum, hominem profligatiſſimum fuiſſe, rebellemque Aquilejenſis Eccleſiæ, publica Scribarum monumenta declarant.

„ MCCCC. ſeptimo Calendas Junii, Franciſcum Caſamattam Topponum ea ſimiliter tentaſſe, ex quibus infamia rebellionis ei conflata fuerit, Patriarchamque ejus Arcis poſſeſſionem ſibi propterea vindicaſſe, Nicolaus Dominici tradit.

„ MCCCCXIII. tertio Calendas Junii, Triſtanum & Franciſcum Savorgnanos, non, ut videtur, diverſam notam ſuſtinuiſſe, factamque eis Aureorum trium millium mulctam, Johannes Claudianus memoriæ prodidit.

„ Unde difficile eſt invenire Patriarcham, modò reſederit, ni fortè ei contigerit breve admodum vitæ curriculum, qui diu in puppi quietus ſederit, ut ſatis oſtendimus, quum cujuſque vitam geſtaque promeremus. Hæc autem ex multis devolutionis exempla retulimus, non ut Avos cujuſquam objiceremus, ſed quia res poſcebat referri. Eſt enim veriſimile, Patriarchas aut judicia retractaſſe, aut ab eorum exſequutione perpetuò abſtinere voluiſſe; nam quos novimus ex ipſis prognatos, conſtat, non minus probos & opulentos eſſe, quàm quidquid habent Feudorum, id totum Proavis debere. Nihil eſt præterea, quod dubitemus de Patriarchæ Aquilejenſis auctoritate atque amplitudine. Adibant hunc nobiliſſimi Principes, nec ab eo precibus exigere Feudorum ſuorum confirmationem aſpernabantur.

*Quod magni Principes Feuda recognoſcerent.*

„ MCCXCIV. pridie Nonas Junii, Marchio-

„ nem Estensem sua impetrasse Feuda, Walte-„ rus scriptis prodidit suis.

„ MCCC. quarto Nonas Aprilis, Albertum „ Goritiæ Comitem, ne videretur à fide ma-„ jorum descivisse, cum Patriarcha cavisse de „ Feudis similiter sibi conferendis, moxque „ collatis Franciscus Nasutus & Gubertinus „ MCCCXXXIX. quinto Calendas Martii, & „ alii testes sunt. Etenim refert Odoricus Su-„ sanius in Inventario, ex vetustissimo quodam „ transactionis Instrumento inter Goritiæ Co-„ mitem & Peregrinum Patriarcham, Gori-„ tiam & Mospurgum esse Feuda Aquilejensis „ Ecclesiæ.

„ MCCCLXIX. nono Calendas Decembris, „ Albertum Austriæ Ducem minime substitisse, „ quin Feudis, & ipse Pincernatus munere, „ Præsuli se honestandum exhibuerit, apud „ Johannem Gubertini scriptum est.

„ MCCCLXXVII. tertio Nonas Septembris, „ Federicum Ortymburgi Comitem, ne tot „ alios Principes nunc commemorem, Castellis „ Ortengi, Polani, Graffenwarti, Zobelli, „ Arispergi, ac aliis bonis, Feudorum nomi-„ ne insigniendum se procurasse, Odoricus „ Susanius posteris communicavit.

„ Mireris, tantos Principes, accepto jure-„ jurando, summo studio & fide, se Patriar-„ chis obstrinxisse: eorum tamen aliquos cum „ ipsis acie decertare, Patriarchalemque Pro-„ vinciam cædibus ac incendiis vastare non „ dubitasse. Per *traditionem* autem *Tunicæ* „ seu *Chlamydis* Vassallos assumebat ad Feuda; „ ad ea tamen dispari ratione, quibus merum „ & mixtum imperium annexum esset. Illos „ namque *Vexillo coloris rubei*, sanguini ma-„ xime similis, interdum *Annulo Aureo*, quan-„ doque stricto *Mucrone*, ob Feudorum ex-„ cellentiam adsciscebat.

*Quo signo merum & mixtum imperium concederetur.*

„ MCCC. quarto Nonas Aprilis, Albertum „ Goritianum Comitem Feudis à Patriarcha „ adornatum, qui quarto post anno Lonzii „ moriens Rosacii fuit sepultus, *Vexillis duo-„ decim* in actu assumtionis intervenientibus, „ Franciscus Nasutus commemorat.

„ MCCCXXXIX. quinto Calendas Martii, „ Albertum alterum, fratresque Goritiæ Co-„ mites, *Annulo*, *Vexilloque rubei albique co-„ loris*, quod peculiare gentis Insigne perhi-„ bet, Gubertinus insignitos meminit.

„ MCCCLII. sexto Calendas Junii, Episco-„ pum Concordiensem *Vexillo purpureo*, idem.

„ MCCCXCVI. tertio Idus Martii, Abba-„ tem Sancti Galli Mosacensis, *Ense nudo* ad „ Feuda Johannes Susanius exceptum memo-„ rat.

„ MCCCXCVI. pridie Calendas Maji, Guil-„ lelmum Comitem Pratensem *Vexillo syndo-„ nis rubei*, quadam attestatione meri mixti-„ que imperii, idem receptum tradit.

„ Unde autem Vassalli sanguinis judicium, „ quibusve primordiis acceperint, incertum „ adhuc. Illud enim Imperator, præterquam „ uni Patriarchæ, videtur negasse, ut ex an-„ tiquo Diplomate in Patriarcharum Vitis „ ostensum est, & ad præscribendum adversùs „ Aquilejensem Ecclesiam temporis vel lon-„ gissimi possessionem haud quaquam suppete-„ re. Hæc volui dixisse, ut Castellani, quibus „ non *Vexillo rubeo*, non *Annulo*, non *Ense* „ interveniente, Feuda ab ipsis Patriarchis in-„ dulta constat, sedulo conquirant, & in con-„ ventu tractent, quum coëunt cum Præside, „ de salute Reipublicæ consulturi, ut si forsan „ apud Senatum Inclytum meri mixtique eo-„ rum imperii rationem reddere cogentur, in „ promptu habeant documenta, quibuscum il-„ lud sibi tueri queant. Nemo enim vir bonus „ non optat, illud incolume eis servari, quum „ ex seniorum memoria, actisque publicis di-„ dicerimus, meri mixtique imperii nomen „ palam, intra tamen terminos exercendi, ab „ ipsis intermissum numquam fuisse.

*De Habitantiæ Feudo.*

„ Pauca nobis jam dicenda sunt de Feudo „ Habitantiæ. Tenebatur is Feudum, cui assi-„ gnatum fuerat, inhabitare. Est enim ab *ha-„ bitando* deductum. Quod si ædificiis nudum „ contigisset, aut inhabitabile ruina postea „ repræsentasset, à fundamentis debebat instau-„ rare, vel collapsa reparare, ut Habitantiæ „ Feudum suas figendo sedes cum conjuge & „ liberis pro vocabuli proprietate retinere ho-„ nestissime posset. Hac de caussa Præsul ex-„ presse interdum jubebat, indictâ pœnâ resi-„ deret in id genus Feudis, qui accepisset.

*Quod, ut habitarent, daretur Habitantiæ Feudum.*

„ MCCXCIV. decimonono Calendas Sep-„ tembris, Jacobum filium & tamquam pro-„ curatorem Nicolai Tricanensis, ac Rodul-„ phum ipsius Jacobi fratrem, ad Viridarium „ sub Oppido Faganeæ, quod est Habitantiæ „ Feudum, eâ lege adscitum Walterus decla-„ rat, ut intra annum & diem fabricasse, po-„ stea habitare deberet; Patriarcham alioquî „ Feudi ablatione, ac Libris quinquaginta, „ quas pro mulcta constituerat, vindicaturum.

„ Curabat quoque, ut Feudum sibi dies no-„ ctesque pateret, ne non innotesceret, Vas-„ sallum perseveranter incolere, vel ut sibi „ suisque præstaret hospitii vicem, quoties per „ Patriam iter facerent, aut, ut reor potius, „ ne quis clausis portis, clamque communito „ Oppido, aliquam rebellionis machinationem „ tentare posset.

*Quod Patriarchis Habitantia semper esset aperta.*

„ MCCXCV. quarto Idus Julii, Pertholdum „ Tricanensem, nomine tutorio Nepotum ex „ fratre refert idem Walterus confessum fuis-„ se, Feudum Morucii à se fuisse eâ conditio-„ ne susceptum, ut Patriarchæ & successori-„ bus ac Nuntiis numquam non apertum, non „ præparatum esset.

„ Quod autem Mulieribus in Habitantiæ „ Feudis hucusque incolume manserit succe-„ dendi jus æque ac in Ministerialibus, exem-„ plis supersedeo, solas ratus Henrici Valva-„ sonensis Filias, quæ in vivis sunt, testes „ locupletissimas esse. Non enim minus in „ Valvasoni Feudo, quod MCCLXVIII. octa-„ vo Idus Septembris, Johannes Lupicus do-„ cet Habitantiæ esse, quàm in reliquo pater-„ næ hereditatis constantissime in ipsis affinium „ oculis & absque controversia perseverant. „ Libet similiter de prohibita venditione in „ medium aliquid non afferre, nisi quod An-

„ tonius

„ tonius Forzates MCCCCXXIX. quarto Calendas Julii ab Inclyto Senatu cujusdam Habitantiæ alienandæ veniam exoravit: quum tamen ipsis Constitutionibus, quas Marco Dandulo Præside vulgaverat, paulo postquam Patriæ imperare cœpisset, nullum Feudi genus interdictum esset, vetitumve alienari. Ex moribus autem Habitantia fit suavis, ut Leo de Monteniano Eques, cui Tricesimum ne abeat, ablanditur, Cassacum contra frontem exporrigit, ut se revisat.

*De Feudo Ministeriali.*

„ Ministeriale Feudum, quod à *Ministerio* nuncupatur, non aliâ causâ institutum videtur, nisi ut Sedes Patriarchalis, quæ pulcherrimam amplissimamque ditionem habet, congruentibus & fere necessariis adjuta ministeriis, optime regi posset. Ministeriales enim operam & obsequium, cui Fundi addicti erant, multifariam ex præscripto subministrare solebant, quos Bertrandus, sicuti ex temporum indicaturâ perspicere est, Pontificatu suo solicite recognovit, ut ipsis ministeria juxta præscriptum exercentibus, Aquilejensis Ecclesia stare solidius & honorificentius pergeret. Feudum autem diversa sumsit nomina pro qualitate ministerii, ut *Pistorii*, *Scutellarum*, *Saccigerulorum*, *Tabellariorum*, *Sarctorum*, *Murariorum*, & alia, quæ *Servientium* ministeriis convenirent.

*Pistorum.*

„ MCCLXXIX. Oculo Cinctano Jacobi filio jugera quædam Ministerialia in agro Septimi, quæ Bartholomæus Pilosus tenuerat antea, tradita fuisse, ut Patriarchæ Pistoriam præstaret operam; Johannes Lupicus scriptum reliquit, quod & apud Gubertinum legitur MCCCXXXIX. decimoseptimo Calendas Aprilis.

*Scutellarum.*

„ MCCCXIX. tertio Nonas Novembris, Venerium Faganeæ pro Patriarcha Decanum Feudum, quod Ministerii Scutellarum nomine diu servaverat, ut eo onere exsolveretur, annuis conduxisse Frixigeriis sexaginta, Gabriel Cremonensis ostendit.

„ MCCCXXXVII. secundo Calendas Augusti, Andream Sarctorem Varianensem, qui Cividati commorabatur, auctum pari Scutellarum sive Paropsidum Feudo, Gubertinus auctor est.

„ MCCCXXXVIII. decimonono Calendas Januarii, Thomam Gruppignanium Venuti filium Scutellarum Feudo, quod à Johanne Treppio sibi coëmerat, se adstrinxisse, testis est idem.

„ MCCCXLVIII. decimo Calendas Decembris, Vignidussium Frisiæ Civitatensem, & Coculum ejus filium, Marchis septem vendidisse Puciglo Fagetano Fundum in Carandis ejusdem Ministerii Scutellarum, Petrus Civitatensis Johannis filius indicat.

*Saccigerulorum.*

„ MCCCXXXII. quintodecimo Calendas Martii, edictum fuisse publice, ut quisquis Feuda possidens Ministerii Saccorum, equos in Curiam Utinensem adduceret, equitesque inde promte celeriterque, ut tum res exigebat, Aquilejam versus omnes iter arriperent, Gubertinus ad posteros schedis suis deduxit.

„ MCCCXXXVIII. decimoseptimo Calendas Decembris, Nicolaum de Viscono Oliveti filium procurasse, ut sibi Ministeriale equi à Sacco Feudum assignaretur, dum ex Bastæ conjugis Henrici resignatione vacaret, scriptis Tabellionicis proditum est.

*Tabellariorum.*

„ MCCCXXXVII. tertio Nonas Junii, Bonaccium Guerræ filium è Sancto Vito Feudi sui perferendis Literis destinati confirmationem assequutum fuisse, Gubertinus affirmat.

„ MCCCXXXVIII. pridie Nonas Maji, Bertrandus edicto statuit, ut onere per Ministerialem capita pro ratâ Terrarum, quas quisque possideret, æquabiliter dispertito, solvi, obsequi, ac præstari deberet Venerio Gruppignano, quem hujusmodi Feudis præfecerat, accersitâ alioqui Terrarum ipsarum intromissione, ad solutionem & præstationem se compulsurum, ut Nicolaus Civitatensis memoriæ prodidit.

„ MCCCXLIX. Nonis Martii, fundum Utini situm in Pratocluso jure Ministerialis Feudi Literarum ocius perferendarum, quo Præsul jussisset, Gubertinus affirmat collatum fuisse.

*Sarctorum.*

„ MCCCXXXVII. septimo Calendas Junii, Johannem Lugdunum Sarctorem ad fundos tres Ministerii Sarctoris susceptum, ut honeste semper vestita Præsulis familia in publicum procederet, si Gubertinum legeris, ignarus minime fueris.

*Murariorum.*

„ MCCCXXXVII. Nonis Martii, quo Dietricus Anser ad Curiam quamdam receptus fuerit jure Ministerialis Feudi, quo Muris in Oppido Auspurgensi construendis peculiater obnoxium se reddebat, Gubertinus testatur.

„ MCCCXLV. Calendis Martii, Gallinganum Civitatensem ad fundum Utini jacentem in Pratocluso susceptum, quo caussâ ministerii muro in Ecclesia, Palatioque Aquilejensi construendo fidem suam obligavit, idem tradit.

*Sternendi Lecticas.*

„ MCCCXL. Idibus Julii, Sophiam & Mariuzam Nicolai Capidaglii filias à Canippario Bertrandi sumtas ad fundum fuisse in agro Civitatensi prope Natissonis vadum, quibus Feudi ratione id negotii datum esset, ut Patriarchalem Lecticam paleis sternerent, veteres asportarent, Petrum Civitatensem Johannis filium, qui notavit, minime credas mentitum fuisse.

*Equorum à sarcinis.*

„ MCCCXLI. Idibus Aprilis, Peregrinum
„ Martini Fenani filium tribus fundis in Agel-
„ lo sitis auctum fuisse, cujus Feudi nomine
„ Præsuli, quoties proficisceretur ad Impera-
„ toris Curiam, equum commodare teneretur,
„ qui tum pretio Marcharum sex, tum feren-
„ dis sarcinis ac referendis par esse posset, Gu-
„ bertinus idem Scriba classicus non omisit.

*Carpentariorum.*

„ MCCCXXX. decimosexto Calendas Mar-
„ tii, Concium Civitatensem Fornacem obti-
„ nuisse in Rivignaco jure Ministerialis Feudi
„ Carpentariorum Ecclesiæ Patriarchalis, An-
„ tonius Civitatensis retulit.

„ MCCCXXX. quinto Calendas Januarii,
„ Silvam Rubignaci in Colle Gandino à quo-
„ dam emtam fuisse jure Ministerii, quo sarta
„ teneret diligenter Patriarchalia tecta, patet
„ ex Actis Nicolai Civitatensis.

„ MCCCXXXI. quinto Calendas Julii, Da-
„ nieli Squarcio Gruppignanio quemdam agel-
„ lum in Tollano in Vico Molendini, Domi-
„ nici Cepperi titulo Feudi Fabrorum Ligna-
„ riorum concessum fuisse, Antonius ipse de-
„ clarat.

*Mangani.*

„ MCCCXLVIII. pridie Nonas Octobris,
„ quemdam facturum absque præmio Manga-
„ nicum officium se obligasse pro conducto
„ Feudo Domus & Viridarii, scripsit Bene-
„ venutus Presbyter, idemque Tabularius.

„ MCCCCXXIII. undecimo Calendas Fe-
„ bruarii, Feuda Buyæ Ministerii Manganici
„ esse, & minus alienabilia, sed heredibus
„ deficientibus ad Ecclesiam Aquilejensem de-
„ ferri, Nicolaus de Colle Prampergi Instru-
„ mento suo publico posteris custodivit.

„ Quod ex Scrinio in penetralibus Basilicæ
„ Utinensis, quod numerum XVIII. præsefe-
„ rebat, Manganica Feuda promi solerent,
„ me legisse memini. Erant enim complura
„ ibi Scrinia ex lignis compacta, quæ unum-
„ quodque genus Feudi per se repræsentabant,
„ ut primore aspectu secerni, & citra labo-
„ rem haberi ad manum possent, quæ voluis-
„ ses. Dicimus autem, Manganicam exerce-
„ ri, ut & hoc obiter declaremus, quando
„ non sine admiratione cernimus immania pon-
„ dera vi minimâ in sublime tolli, ut Angelus
„ Politianus de mechanicis loquens pulchre
„ interpretatus est. Alia volens prætermitto,
„ quorum caussâ exhibebatur etiam obsequium
„ secundùm præcepta Ministerii. Satis est,
„ quod ad utilitatem omnia, non ad volupta-
„ tem Patriarcharum spectabant. Reperitur
„ quandoque, Feudum naturâ mutatâ pro
„ Præsulis arbitrio assignatum fuisse titulo Li-
„ vellarii.

*De mutatione naturæ Feudi.*

„ MCCXCI. pridie Nonas Julii, à Rey-
„ mundo fundos duos in Buya, qui Feudi ti-
„ tulo tributi quondam fuerant, concessos fuis-
„ se jure Livelli pro annuis viginti Denariis
„ Paulo Glemonensi Zutti filio, Franciscus
„ Utinensis refert.

„ Quum autem venditor probe conjectare
„ nequiret, propriumne esset, quod vende-
„ bat, an Feudum, promiscue vendebat, si
„ proprium pro proprio, si Feudum pro Feu-
„ do.

*De venditione proprii pro proprio,*
*Feudi pro Feudo.*

„ MCCCXXXV. pridie Idus Januarii, Ja-
„ cobum Johannem de Fontebono Libris du-
„ centis vendidisse Simoni Butriano Henrici fi-
„ lio decimam in Pagnaco & Alnico, pro-
„ prium pro proprio, Feudum pro Feudo,
„ testis est Nicolaus Civitatensis.

„ Si verò noscebat, proprium non esse, non
„ autem cujus esset Domini Feudum, vende-
„ bat pro Feudo, cujuscumque Domini repe-
„ riretur.

„ MCCCLIV. Idibus Februarii, Concium
„ Vorlici Tricesimani filium à Jacobo Attimio
„ Francisci filio Decimam quamdam in Ador-
„ gnano ad eam emisse formulam, auctor est
„ Pantaleo Tricesimanus.

„ Non insisto pro re roboranda exemplis,
„ quæ vulgo sunt plurima. Ego sane ob hu-
„ jusmodi licentiam crediderim Feuda multa
„ cum propriis, Ecclesiastica cum profanis
„ usque adeo confusa fuisse, ut qui nunc sum-
„ mâ quoque rerum cognitione excellunt, ac
„ prudentiæ laude, ex decem agellis Feudali-
„ bus unum vix integrum invenire possint:
„ tantum negotii nobis venditatio facessivit.
„ Dicendum erat heic etiam oppidatim de
„ Feudis: sed operosa functio Jureconsultum
„ exigit, aut professorem tersioris literaturæ,
„ quum ob Legum studia, & Latinæ Linguæ
„ peritiam minimum ex eis conflatum sit ad
„ illustrandam Patriam, quidquid in cunctis
„ Tabellionibus egregium esse possit. Cete-
„ rum ne videar alicui suspectus, ut minus
„ vera scripserim, ad Scribas unumquemque
„ remitto, à quibus passim retuli me decer-
„ psisse, ut parte ne ex aliqua, quod scripsi,
„ cum veritate pugnet, certior fiat.

Hæc ille Anonymus de Feudis Patriarchatus Aquilejensis, quorum similia, aut certe tot numero, an quisquam alius Princeps in usu olim habuerit, nescio. De tam peregrino argumento, quum literas olim dedissem ad Abbatem Josephum Binium Utinensem, cui nemo fortasse par est in Forojuliensium Antiquitatum studio atque peritiâ, rescripsit ille, sibi esse Chartas complures, vel Anno MCXLVI. conscriptas, in quibus ejusmodi Feuda deprehenduntur. *Horum variæ (inquit) species erant. Si de Nobilibus agimus, quædam appellabantur* Majora, *qualia fuere* Pincernatus, *quo munere insigniti interdum occurrunt Bohemiæ Reges, & interdum Duces Austriæ. Hereditaria fuit* Advocatia *in Comitibus Goritiæ, & Feudum Comitum Orthemburgi. Feuda alia fuere* Recta *&* Legalia: *atque ista in tres solennes classes dividebantur, videlicet* Libera, Ministerialia, *&* Habitantiæ. *Priorum investituram dare consueverunt Patriarchæ cum uno aut pluribus Vexillis: Ministerialium cum Anulo: Habitantiæ* cum fimbria suæ guarnacchiæ. *Inter Ministeriales, Camerarii erant, Nobiles de Cuccagna: Pincernæ, Nobiles de Spilimbergo: Confanonerii, Nobiles de Tricano: Architriclini, Proceres de Prumpergo. Maxime spectanda erat prærogativa Nobilium de Ragonea. In Charta Anni MCCXCVII. Major natu illorum*

de

*de Ragonea jus habet accipiendi quodcumque ex ferculis, quæ ponuntur in convivio Domini Patriarchæ. Id mihi in mentem revocat fabulas Equitum Tabulæ Rotundæ. Æque verò inusitatæ erant* pensiones Feudales Vassallorum. *Bohemiæ Regi injunctum onus erat redimendi Patriarcham, ubi captivitatem incurreret apud hostes. In Charta Anni MCCCXLI. Bojani Cividati tenentur unum ensem magnum cum vaginâ albâ ad morem Theutonicum præsentare Patriarchæ intranti Cividatum, & eum anteferre usque ad scalas Palatii, in signum honoris & dominii. Quæ prærogativa indicat* Marescallos *illius agri. Savorgnani offerebant Abbati Modii* duos Calices, qui nominantur Botte: *quæ vox in vulgari Linguâ Fori Julii, è compluribus Linguis efformatâ, Francorum loquelam sonat. Posset præterea de Feudis Minoribus integrum confici Lexicon. Erant enim* Gastaldiæ, Armanniæ, Advocatiæ, Feuda Militaria, Feuda Sartoriæ, Guidria, Branderia, Arsenatico, Walderia, *aliaque ejusmodi mille. Uno verbo, quodlibet, quantumvis minimum Ministerium, aut Beneficium Patriarchæ Principis, inter Feuda connumerabatur.*

Hinc lucem, ut spero, accipient Feudorum veterum mores: nostra quippe tempora aliis reguntur legibus. Sed hæc satis.

# DE NOTARIIS

## DIISSERTATIO DUODECIMA.

# DISSERTATIO DUODECIMA.

Aliquid etiam de *Notariis* dicendum est, quorum nomen, ut inter Eruditos constat, inde derivatum, quod Notis quibusdam compendiariis, à literarum communi forma diversis, Acta publica, aut Orationes, aut Disputationes vetustis Sæculis exciperent. Sensim verò eorum munus ac industria redacta est ad consignandum literis publicos contractus, uti adhuc facere pergunt. *Tabularii*, *Tabelliones*, *Actuarii*, *Scribæ*, *Logographi*, *Cancellarii*, *Chartularii*, *&c.* apud veteres hoc eodem officio sunt celebres. Quid verò discriminis inter eos foret, instituti mei non est inquirere, sed ea persequi tantummodo, quæ ad Sæcula barbarica spectant. Itaque sub Gothis, Langobardis, aliisque Populis Italiæ dominantibus, veluti necessarium munus, viguit semper *Notariorum* ordo. *Scribas* in Regum Langobardorum Legibus eos appellatos invenio. Agitur in Lege 4. Lib. 4. Liutprandi de mulieribus res suas venumdare volentibus. Id autem facere ipsæ vetantur, nisi contractui intersint duo aut tres *Parentes*, idest Consanguinei, sive Agnati, aut Judex, sive Præses Urbis, aut Pagi. Ut hoc diligentius observetur, infra additur: *Scriba autem, qui Chartam ipsam scripserit, non aliter præsumat facere, nisi cum notitia Parentum, vel Judicis. Et si aliter fecerit, sit ipsa venditio vacua; & præfatus Scriba culpabilis, sicut qui Chartam falsam scripserit*. Et sane quia temporibus etiam iis, immo tunc sæpius quàm nostris, Chartæ, sive Instrumenta falsa procudebantur, Rotharis Rex Legem CCXLVII. his verbis promulgavit: *Si quis Chartam falsam scripserit, aut quodlibet membranum, manus ejus incidatur*. At quoniam aut ne ipsa quidem pœnarum comminatio satis Notarios continere in officio poterat, aut ii absurdos nimium Contractus scribebant, aut legitimos male, hoc est sine formulis necessariis, Chartæ commendabant: Lotharius I. Lege XII. Langobard. statuit: *Ut Cancellarii* (idest Notarii) *electi boni & veraces, Chartas publicas conscribant ante Comitem, & Scabinos, & Vicarios ejus*. En ut malæ fidei, aut imperitiæ Notariorum consultum est, exigendo ad eorum Acta præstantiam Comitis, & Scabinorum. In subsequenti etiam Lege XIII. decernitur, ut quoties Notarius postremas ægrotantium tabulas conscripserit, *statim Charta ostendatur vel ante Comitem, Judices, vel Vicarios, aut in Plebe, ut verax agnoscatur esse*. Atque hæc remedia, qualis tunc morbus esset, satis indicare videntur: quod addendum est iis, quæ infra dicam in Dissertatione XXXIV. *de Diplomat.*

Notarios autem creare, uti nunc, ita & olim ad Regem, aut ad Regalium jurium participes spectabat. Sed vel sub primis Religionis Christianæ Imperatoribus, & subsequutis postea temporibus, licuit Episcopis suum habere Tabellionem, & quibusdam etiam duos aut tres: quæ prærogativa sensim quoque propagata est ad Monasteriorum Abbates. Carolus M. in Capitulari apud Baluzium, Tom. I. pag. 421. sanxit: *Ut unusquisque Episcopus & Abba, & singuli Comites suum Notarium habeant*. Idem quoque in Italia factum. Atque hinc habemus, fas Comitibus etiam fuisse proprium sibi constituere Notarium. Quin Ducibus id quoque licuerit, & Marchionibus, dubitandum minime est. In Par. I. Antiquit. Estens. tabulas ego protuli scriptas à Drassolpho, Ubaldo, aliisque Notariis *Welphonis Ducis*, seu *Marchionis Tusciæ*. Ex hisce Notariis unum inveni in Tabulario Abbatiæ insignis Sancti Zenonis Veronensis. Hæc ex Chartâ ab ipso scriptâ excerpenda duxi: *Anno Domini nostri Jesu Christi Millesimo Centesimo Septuagesimo Octavo..... Anno Imperii ejus. Viges.... Indictione XI. Dominus Grimerius Vicecomes Placentinus, Veronæ Potestas, &c. Ante ipsum Domnus Gerardus Abbas Sancti Zenonis ostendit Cartam quandam, in qua continebatur, Domnum Ratoldum quondam venerabilem Episcopum Veronensem, commutationis nomine accepisse ab excellentissimo Pipino Lombardorum Rege, ex jure Regio, Curtem unam in finibus Veronensis, que appellatur Manticus &c. à Calli Nove usque in Traversagna de Castello Motari &c. Ego Fantolinus Notarius Domini Welfonis Ducis, & ab Imperatore Frederico confirmatus postea, predicto Consilio Potestatis dato & firmato interfui*. Alias etiam alibi scriptas vidi Anno MCLXV. & MCLXIX. à *Guidone Palatini Comitis Notario*. Præterea Anno Christi MCCIX. *Bonifacius Palatini Comitis Notarius* occurrit mihi. Et Anno MCCXVI. *Conradus Palatinus, & Domini Imperatoris Frederici Notarius*. Palatini isti Comites non alii mihi fuisse videntur quàm *Comites de Laumello*, sive *de Lomello*; quos *Comites sacri Palatii* fuisse ostendi supra in Dissertatione VIII. *de Comitib. Palat.* In Tabulario Capituli Canonicorum Regiensium Charta adservatur Anno MCCLVI. scripta à *Johanne Notario Domini Marchi Comitis de Lomello*. Ita Veronensis Comitis Notarium reperi in Charta ejus Urbis exaratâ Anno MCCVII. quum ibi Potestatis munere frueretur *Azo Marchio Estensis*. Eam quippe scripsit *Bellasius Comitis Bonifacii Notarius*, cui jus erat creandi Notarium pro suis Feudis, sive Allodiis; neque amplius Comites Urbi illi præerant, quæ jam diu libertate assumtâ à Consulibus, aut à Potestatibus regebatur. E Privilegio, ut dixi, Regum, aut Imperatorum descendebat facultas illa constituendi Notarios; nam & ipsi Episcopi, ut eos sibi crearent, à Rege facultatem impetrare consueverunt. Cujus moris inter multa exemplum unum proferam, Diploma nempe, cujus archetypum vidi in Archivo Canonicorum Regiensium.


# Hugonis & Lotharii Regum Italiæ Diploma, quo Ecclesiæ Regiensi omnia ejus Privilegia, jura, & loca confirmant, Anno 942.

*In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Hugo & Lotharius divinâ providente clementiâ Reges. In statu Catholicæ Fidei, & Ecclesiarum Dei restauratione Regni nostri statum subsistere, præsentis quoque & æternæ vitæ nobis profutura fore subsidia non dubitamus. Quo circa omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium ac futurorum devotio noverit, qualiter interventu ac peticione* Ambrosii *venerabilis* Laudensis Episcopi, *nec non &* Huberti *incliti* Marchionis, *dilectique* filii nostri, ac nostri Comitis Palacii, *per hujus Præcepti paginam confirmamus, ac pleniter corroboramus Sanctæ Regiensi Ecclesiæ in honore Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, Sanctique Prosperi Christi constructæ, cui* Aribaldus *reverendus* Præsul *pastorali curâ invigilat, omnes Cortes, Plebes quoque, Abbacias, Monasteria, Capellas, prædia, cunctas res, quas de donis Regum, seu Imperatorum prædecessorum nostrorum, cæterorumque bonorum hominum, verùm etiam res universas Canonicæ ejusdem Ecclesiæ concessionibus, traditionibus, Episcoporum privilegiis, offersionibus, comparitionibus quoque, commutationibus libellorum, quarumcumque legalium Cartarum conscriptionibus, sive ipotecariis, ipse sanctus locus legaliter optinuit, vel investitus fuit, una cum domibus, & edificiis, Ecclesiis Baptismalibus, Decimis, & Capellis, ac familiis utriusque sexus, aldionibus & aldinabus, mansis etiam vestitis & absentibus, terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, arboribus pomiferis & infructuosis, insulis, piscariis, carectis, salinis, piscaticis, molendinis, aquis, aquarumque decursibus, montibus, vallibus, planiciebus, ripis, rupinis, alpibus, rivis desluentibus, omnia omnino integrum quæcumque dici, vel nominari possunt. Unde eadem Ecclesia, & sancta Regensis Sedes hactenus investita fuisse dinoscitur per confinia & terminos Lunensium, Parmensium, Regiensium, Mutinensium, Cremonensium, Mantuanensium, Ferrariensium, usque in fluvium Padum, & Zaram a terminis Buranæ in Bundenio in undis, sicut a Karolo Magno per decretum Precepti collatum, sive eidem Ecclesiæ sancitum ac determinatum fuit in integrum pro ampliori quoque stabilimento jamfatæ sanctæ Regiensis Ecclesiæ terram juris Regni nostri, quæ conjacere videtur in Civitate Regia e tribus miliariis in circuitu, una cum muris & fossatis, atque theloneo & stradatico, seu etiam servis vel ancillis inibi pertinentibus, omnemque publicam functionem largimur, concedimus, atque transfundimus in jus & dominium jam prælibatæ Ecclesiæ, pro animæ nostræ, nostrorumque successorum remedio: ut omni in tempore ab omni publicâ exactione quieta & secura permaneat atque possideat.*

*Insuper etiam predictæ Ecclesiæ per hujus nostræ confirmationis auctoritatem confirmamus ac pleniter corroboramus Cortem, quæ Luciaria vocatur, cum duabus Capellis, unam in honore Sancti Georgii antiquitus constructam, & alteram in honore Sancti Sixti in littore Paludano; nec non & Gajo inter Padum & Bundenum sito, cum omnibus pertinentiis & appendiciis suis, ac familiis utriusque sexus; de qua nuper intentio inter Monasterium Placentinum, ubi Berta Abbatissa praeesse videtur, in honore Sanctæ Resurrectionis, & Sancti Xisti constructum, & eandem Sanctam Regensem Ecclesiam; & legalibus preceptis & scriptionibus ex parte Regensis Ecclesiæ in juditio ostensis Judicum decreto præfata Cortis de Luciaria cum Castro & Capellis & Gajo, omnibusque rebus mobilibus & immobilibus, ac familiis utriusque sexus ad eam pertinentibus, Sanctæ Regensis Ecclesiæ, cui pertinuit, legaliter cessit, & prelibata Abbatissa cum Advocatore ipsius Monasterii exinde audita & contenta permansit, quia ex parte ejusdem Monasterii Sanctæ Resurrectionis & Sancti Sixti, nullas legales firmitates ostendere valuit. Sancimus præterea, ut si quandoquidem de rebus ipsius Sanctæ Sedis, familiis, seu omnium Clericorum suorum rebus vel mancipiis fuerit horta contentio, nullatenus ante presentiam alicujus finiatur, nisi in Pontificum prætaxatæ Sedis.* Concedimus *denique* eidem Advocatos sive Notarios, quantos aut quales Pontifices vel Ministri Ecclesiæ elegerint tam de suis, quamque de alienis liberis hominibus, qui ejusdem Episcopii vel Canonicæ, seu omnium Clericorum suorum rerum utilitates exercere noscuntur, *absque ulla hominis contradictione vel molestia; ita ut ab omni rei publicæ functionis sint absoluti, nec ab eis publicus exactor exigere presumat, ut securius ac diligentius causas ipsius Episcopii perficere valeant. Stabilimus etiam de omnibus rebus seu familiis, quæ hactenus qualibet occasione vel quocumque modo ex ditione ipsius Episcopii vel Canonicæ vel Clericorum potestate subtractæ noscuntur, & circummanentes homines, inquisitio fiat, ut omnes res ipsius Sedis & Clericorum ad eorum redeant potestatem, & exinde se investiant, nostra freti auctoritate, quatenus rei veritas patefacta perhenniter valeat suum obtinere vigorem. Recipientes quoque jubemus, ut nullus Judiciariæ potestatis Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Scudassio, aut quilibet publicus Exactor, neque aliqua persona magna vel parva, in re ipsius Ecclesiæ placitum tenere, neque in domibus ejus, aut Clericorum ipsius aliquod mansionaticum potestative tollere, neque homines ejus cujuscumque ordinis Clericorum, vel Laicos liberos vel ..... cartulatos, vel sub terram ipsorum residentes, non servos vel ancillas, vel aldiones utriusque sexus, ad placitum ducere, nec pignerare aut molestare vel flagellare presumat; neque de rebus ipsius Ecclesiæ vel Clericorum aliquid tollere, vel ripatica, aut quamlibet functionem publicam à Ministris ejusdem Ecclesiæ exigere temptet. Sed liceat prenominatæ Ecclesia Regensis cum omnibus rebus & familiis suis, & omni Clero inibi Deo famulantibus ad eam pertinentibus omni tempore sub tuicionis nostræ munimine quiete & pacifice, remotâ tocius potestatis inquietudine, permanere. Si quis autem temerarius contra hoc nostræ confirmationis, concessionis ac tuicionis Preceptum quandoque insurgere temptaverit, & quæ superius scripta sunt non observaverit, sciat se compositurum auri optimi Libras centum, medietatem Palatio*

*nostro*

*nostro & medietatem jam fatæ Ecclesiæ, ejusque Pontificibus. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manibus propriis Anulo nostro insigniri jussimus.*

*Signum serenissimorum*  *Hugonis & Lotharii Regum*

*Giseprandus Cancellarius ad vicem Bosonis Episcopi & Archicancellarii recognovi.*

Locus Sigilli cerei deperditi.

*Data IV. Idus Augusti, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLII. Regni verò Domni Hugonis Regis XVI. Lotharii XII. Indictione XV.*

*Actum Papiæ feliciter. Amen.*

Oculos intende in verba illa: *Concedimus denique eidem Advocatos, sive Notarios, quantos & quales Pontifices vel Ministri Ecclesiæ elegerint, tam de suis, quamque de alienis Liberis hominibus, qui ejusdem Episcopii vel Canonicæ, seu omnium Clericorum suorum, rerum utilitates exercere noscuntur.* Vidisti *Liberos* tantùm *homines* ad Notariatum fuisse assumtos: honorificum quippe olim fuit, & laudabilius etiam quàm nostris temporibus habitum est illud munus. Romani Servos quoque & Libertos ad ejusmodi Artem olim adhibuere. Sed posterioribus Sæculis, Nobilibus tantùm, aut saltem Liberis & non ignobilibus, Tabellionem agere licuit. Invenimus autem interdum *Judices sacri Palatii*, qui simul etiam *Notarios* sese inscribunt: cujus rei non unum exemplum edidi in Antiquitatib. Estens. ac satis prodit nobilitatem Tabellionatus. Ad hæc in Charta Lucensi scripta Anno DCCXVI. occurrit *Ultianus Notarius*, & *Missus Domni Regis* Liutprandi, ad dirimendam controversiam de quibusdam Parochialibus Ecclesiis. Neque ab eo munere abstinebant Clerici, Subdiaconi, Diaconi, atque Presbyteri. In authentica Charta Lucensi ad Annum DCCXL. spectante, legitur in calce: *Et Gaudentius quamvis indignus Presbyter scrivere rogavi.* Hisce verbis Notarium agnoscis. In altera Charta Anni DCCLXXXIII. Johannes Episcopus Lucensis *Rachiprandum Presbiterum nostrum scribere commonuit.* Item in alia Anni DCCCXCIII. legitur: *Ego Gumbertus Presbiter post traditam complevi & dedi.* Vide infra Dissertationem LXXIV. *de Parochiis.* Eâdem ratione plures Diaconos, Subdiaconos, & Clericos reperimus olim Notariatus munere functos. Verùm Carolo M. visum est minime decere Sacerdotes ejusmodi curam, ac proinde in Lege 96. Langobard. statuit, *ut nullus Presbyter Chartam scribat, neque conductor existat suis Senioribus.* Parùm tamen observatam deinde fuisse hanc Legem vetera monumenta testantur; occurrunt enim non pauci Presbyteri ad illud munus, ut censeo, per Episcopos assumti ob Ecclesiarum suarum negotia: immo & ab ipsis Augustis. Pleraque Ludovici II. Imperatoris Diplomata scripta fuere à *Giselberto Presbytero & Notario.* Et fortasse nihil aliud voluit Carolus M. quàm eosdem arcere à conscribendis Sæcularium hominum Contractibus. Exemplo erit una Charta, quam ex Archivo Capituli Canonicorum Volaterris depromsi. Ejus Notarius non tantùm *Presbyter*, sed & *Canonicus* illius Ecclesiæ fuit.

## Donatio complurium agrorum facta Canonicis Ecclesiæ Volaterannæ à Petro ejusdem Civitatis Episcopo, Anno 974.

*IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Regnante Domno nostro Otto gratiâ Dei Imperator Augusto, Anno Imperii ejus in Italia VII. decimo Kalendas Novembris, Indictione III. Ego* Petrus Voloterrensis Urbis Episcopus, *considerans necesitudinem hanc nimiam paupertatem Kanonicorum in Episcopio beate Dei Genitricis Marie deservientium, quos in prephato Dei loco invenimus, ab amore Christi & anime meæ remedium adidimus super omnia, quæ ante abuerunt ad stipendia prephatorum Kanonicorum, idest integro Casalmo, & fundamento illo, in qua jam fuit casa & Curte domnicata, seu Ecclesia, hubi vocitatur à Sancto Georgio, quod est prope fluvio Cecina, & prope Mojaregi, tam in ipso loco hubi ipsa casa & curte & rebus domnicata, [illegible] & Ecclesia Sancti Georgii fuit constructa, quamque justa ipso fluvio Cecina, tam terris cultis & arabilis, quam & agrestibus, quæ ad ipso rebus domnicato est pertinentes, & est totum insimul ad uno tenente. Simulque statuimus, adque concedimus etiam super hec omnia idest quattuor Cassinis & integris sortis & rebus illis massariciis, qui sunt in loco & fundas: una Cassina & res massaricias in Casanova prope Isoleto, qui jam recta fuit per quondam Adamari Massario, & modo recta est per Altiprando: alia Cassina & rebus massaricias ad Colle similiter prope jam dicto loco Isoleto, qui jam recta fuit per quondam Petrus, & modo regitur per Andrea & Lumiscio germanis: tertia verò Cassina & rebus massaricias esse videtur, hubi modo vocitatur Casa Brandali, similiter prope jam nominato loco Isoleto, qui jam recta fuit per Oriprando Massario, & modo recta est per Leo & [illegible] germani filii sui: quarta igitur Cassina & rebus massaricias à Pratello prope Genistitulo, qui jam recta fuit per Sabatino, & modo regitur per Johanne filio suo; integris superscriptis quattuor Cassinis & rebus ipsis massariciis, sicut mihi per cartula commutationis obvenit de [illegible] filio bone memorii Teuderichi. Super hæc [illegible], que antea abuerunt, conced[illegible] ad ipsa Canonica idest integra Sorte & rebus illa massariciis,*

*qui est in loco, hubi nuncupante Surripule, que jam recta sunt per quondam Gariperto Presbitero, & modo per Adam Presbitero regere videtur, qualiter nobis pertinere videtur per illa cartula offertionis, quas Aldo filio bone memorii Teuperti, que Tetberto vocabatur, homo Florentino, offeruit pro anime sue remedium, & anime bone memorii Bertteri, qui fuit germano suo, ad domum Episcopio nostro Sancte Marie Voloterrensis. Hec omnia, sicut supra legitur, tam ipso rebus domnicato, quamque ipsis Cassinis, & rebus massariciis cum fundamentis & edificiis earum cum ortalibus, terris, vineis, olivis, silvis, virgareis, pratis, pascuis, cultis rebus vel incultis, movile vel inmovile, seu que esse moventibus, omnia, ut supra dixit, in integrum donamus & confirmamus ad ipsa Canonica, in eo videlicet ordine, ut pro hoc omni tempore Dominum sacris orationibus hanc Missarum sollemnibus, tam pro statuto Domni Ottoni Imperatori, quam & pro omni generalitate, seu pro me variis sordibus inquinato, exorare non desinant. Si quis vero, quo fieri minime credimus, si nos aut aliquis Successorum nostrorum, qui contra hanc nostram institutionem aliquid perverse agere temtaverit, aut eam disrumpere voluerit, ira omnipotentis Dei, & beate Sancte Marie Dei genitrix Virgo, & Sancti Archangeli Michaelis incurrat, & cum Juda Scarioth, qui Dominum tradidit, & cum Dathan & Abiron, quos terra vivos deglutivit, in Infernum damnetur, & quod reppetiit, vindicare non valeat. Sed insuper qui hoc facere conaverit, ad parte prephatorum Kanonicorum, argenti Libras viginti, quo hactus per hec persolvat. Et hec nostra institutio omni tempore in sua maneat firmitate, ut prephati Kanonici, necnon & successores illorum omnes quieto ordine habeant, teneant, adque possideant absque ullius contradictione in perpetuum. Quam coram Sacerdotibus, Diaconibus, Kanonicis, & reliquis hordinis Clero, ac fidelium Laicorum Populo, Johannes Presbitero scribere jussimus.*

*Actum in Civitate Voloterrensis Sedis Episcopatui nostro.*

✠ Ego *Petrus Episcopus* in hac institutione à me facta subscripsi.
✠ Ego Gundo Archidiaconus ss.
✠ Ego Emeldricus Sacerdos & Canonicus ss.
✠ Ego Anselmus Levita & Primicerius ss.
✠ Ego Camerinus Vicedomui & Canonicus ss.
✠ Ego Martinus Presbiter & Canonicus ss.
✠ Ego Teupertus Presbiter & Canonicus ss.
✠ Ego Subaldo Levita & Canonicus ss.
✠ Ego Andreas Presbiter & Canonicus ss.
✠ Ego Urso Levita & Canonicus ss.
✠ Ego Grasolfus Presbiter & Canonicus ss.
✠ Ego Teuzo Levita & Canonicus ss.
✠ Ego Alo Presbiter & Canonicus ss.
✠ Ego Albertus Levita & Canonicus ss.
✠ Ego Albertus Presbiter & Canonicus ss.
✠ Ego Martinus Levita & Canonicus ss.
✠ Ego Petrus Levita & Canonicus ss.
✠ Ego Rainerius Clericus & Canonicus ss.
✠ Ego Adelmus Clericus & Canonicus ss.
✠ Ego Petrus Levita & Canonicus ss.
✠ Ego Dominicus Presbiter & Canonicus ss.
✠ Ego Rodulfo Levita & Canonicus ss.
✠ Ego Tegrimo rogatus ss.
✠ Ego Adalbertus rogatus ss.
✠ Ego Petrus Judex Domni Imperatoris rogatus ss.
✠ Ego Petrus rogatus ss.
✠ Ego Adalberto Notarius rogatus ss.
✠ Ego Teudicius rogatus ss.

*Data Anno Dominice Incarnationis DCCCCLXXII. & Anni Domni predicti Ottoni Imperatoris Anno Imperii ejus in Italia Septimo, X. Kalendas Novembris, Indictio Tertia.*

*Ego que super* Johannes Presbitero & Kanonicus *scripsi & complevi feliciter.*

Non bene menimi, an autographa mihi visa fuerit Charta illa: quod in primis patuisset ex vario subscribentium Canonicorum charactere. Illud nunc exploratum habeo, in Chronologicis illius notis mendum cubare; neque enim ullam concordiam invenire possum inter *Annum DCCCCLXXII. Indictionem III.* & *Annum VII. Imperii* Ottonis II. Augusti. Illic ergo reponendum est *Anno DCCCCLXXIV.* quo revera Ottoni II. decurrebat *Annus Imperii VII.* & *Indictio III.* jam inchoata Septembri mense. Fortassis in membrana illud *V.* postremum videlicet numeri annualis aliqua ex parte obliteratum, describenti apparuit *I.* non *V.* At Innocentius III. Romanus Pontifex, uti ex Epistola 129. Lib. 14. constat, interdixit *Presbyteris, Diaconis*, & *Subdiaconis* Tabellionem agere, eâ de caussâ, quod conculcato honore Ordinis Ecclesiastici, Curiæ Sæculari famularentur, seque profanis negotiis nimium immiscerent. Ceterum Ludovici Thomassini viri doctissimi sententia est Part. I. Lib. 2. Cap. 106. de Ecclesiast. Disciplina, ne hodie quidem minoribus Clericis id muneris esse interdictum, quidquid contra sentiant & scribant Canonum interpretes; immo ne majoribus quidem, quoties agatur de instrumentis dumtaxat Episcopi Curiam & negotia respicientibus. Certe hujus rei exempla apud Italos nostrâ quoque tempestate minime desiderantur. Porro in Charta Anni DCCCXX. quam protuli in Dissertatione IX. *de Missis* &c. occurrunt duo *Notarii Regulares*, quo nomine designatos opinor *Notarios Ordinarios*, quum alii fortasse fuerint extra ordinem aliquando ad id munus adlecti.

Sed quod præcipue in oculos omnium incurrit, dum acta veterum leguntur, imperitia Notariorum est, atque ignorantia, quæ in omnibus ferme eorum Chartis elucet. Infelicem Latinam Linguam appelles, ubi tot Solœcismis ac Barbarismis fœdatam sub illorum manibus intueare. Interdum tanta est illic verborum ac structuræ confusio, ut quis scripturæ sensus, quæve sit contrahentium intentio, etiamsi seriò meditere, vix assequaris. Nunc æneis typis impressos habemus complures Libros, Tabellionatus Artem pertractantes, ubi variorum Instrumentorum formulæ pro negotiorum diversitate præscribuntur, & specimina Testamentorum, Codicillorum, ceterorumque publicorum contractuum exhibentur. Ad hos fontes bibunt, & in ejusmodi Schola erudiuntur, quicumque tyrones ad Notariatum exercendum hodie accedunt. Plerique verò Mutinensium in hanc rem utuntur *Archetypo Instrumentorum*, quem Librum edidit Dominicus Maria Solianus Brixellensis. Paria antiquis etiam fuere præsidia, nullaque regio aut Civitas numerabatur, cui non aliquod *Formularium* suppeteret, atque usurparetur à Notariæ Artis alumnis. Omnium antiquissimum Formularum ejusmodi collectorem Gallia nobis servavit *Mar-*

*Marculfum*, cujus Libros illustravit eruditissimus Bignonius, eique veteres alias Formulas addidit à Sirmondo, Lindenbrogio, atque à se ipso collectas, quas habemus à Clarifs. Baluzio editas Tom. II. Capitular. Reg. Francorum. Nullus dubitationi locus est, quin & pro Italicis Tabellionibus suæ forent ac peculiares Formularum collectiones, quamquam eas tempus absumsisse jamdiu videatur. Antiqua verò illa Formularia in desuetudinem abire, & sensim contemni cœpere, ex quo Romanarum Legum usus & studium Sæculo Christi XII. magna contentione animi in Scholis & in foro restitutum est. Sublata verò prorsus fuere Sæculo XIII. quum nempe *Rolandinus Summam Artis Notariæ* evulgavit, cujus adhuc formulæ & præcepta plurima usurpantur in publicis tabulis conscribendis. Opus hoc ille literis mandavit circiter Annum MCCLV. & non semel typis traditum fuit una cum Petri de Boateriis, & Johannis Nevizani, aliorumve Commentariis. Doctissimus Du-Cangius, ut alibi etiam adnotavi, censuit, *Rolandinum* istum non alium fuisse à *Rolandino Patavino*, cujus nobilem Historiam dedi Tomo VIII. Rerum Italicarum. In eam quoque sententiam concessit ante paucos annos Oudinus de Scriptorib. Ecclesiasticis. At aliter sese res habet. Rolandino Notariæ Artis illustratori patria fuit Bononia, qua in Urbe is satis prodit in Formulis Instrumentorum, se scripsisse suum Opus. Neque Scardeonius, aliive Patavini Rolandinum suum umquam agnovere auctorem hujusmodi Libri. Denique disputationem omnem tollere potest editio *Summæ* Rolandini, quam præ manibus habeo, procurata Taurini Anno MDXXIII. *in ædibus Antonii Renoti civis Taurinensis*, ubi ea appellatur *Summa Domini Rolandini Passagerii*, ac dicitur *per Dominum Petrum de Boateriis ipsius Rolandini Concivem Bononiensem facili brevique Commento declarata*. Auctor autem est idem Rolandinus, non defuisse Italis alia antiqua Formularia; sed quod ibi desiderarentur subtilitates terminorum & cautelarum, quas recentiores invexerant, propterea in animum ipse induxerat novam construere ad Artem Notariam manuductionem. *Antiquis temporibus*, ait ille in Prooemio, *super contractuum & instrumentorum formas & ordines fuerunt per quosdam prudentes viros, ignaros fortassis, ex conscientiæ puritate, sagacitatum subtilium modernorum, quædam Compilationes & Summæ juxta tunc viventium mores & consuetudines adinventæ &c.* Itaque antiquioribus iis Sæculis, quibus barbaries supremum locum tenuit, nihil nisi rusticum, & Latinis auribus molestum, occurrit in Notariorum Chartis. Nam & in ipsis Formulariis Priscianus ubique vapulat; pejora etiam perpessus, quoties Notarii reliquam negotii seriem suis exponunt verbis, Formularii ope destituti. Judices autem, quamquam ne ipsi quidem prima Literaturæ subsellia conscendissent, interdum reperiuntur dictasse Chartas Notariis; ejusque rei exempla in variis Placitis habemus. Idem nonnumquam præstitere Cancellarii & Archicancellarii Principum. In Chronico Vulturnensi Part. II. Tomi I. Rerum Italicarum legitur Diploma Grimoaldi Ducis Beneventani, & in calce hæc scribuntur: *Quam verò membranam concessionis dictavi ego Wiso Subdiaconus ex jussione supradictæ Potestatis tibi Pergoaldo Notario scribendum*. Fuerunt etiam Notarii, qui Amanuensibus contractum dictabant. Tum ne cui suspicionem faceret alienæ scripturæ usus, testabantur ipsi in subscribendo, se eadem verba alteri dictasse, uti constabit è Charta, cujus antiquum apographum se mihi obtulit in Tabulario eximii Parthenonis Brixiani Sanctæ Juliæ.

## Godolus Subdiaconus terram suam vendit Anselbergæ Abbatissæ Monasterii Brixiensis Domini Salvatoris, sive Sanctæ Juliæ, Anno 760.

*Regnante Domno Desiderio & Adelgiso, Viros Excellentissimis Regibus, Anno Regni eorum Quinto, & Secundo, sub die octavo Kalendas Aprilis. In Christi nomine promitto atque spondeo ego Godolus Subdiaconus Sancte Ecclesie Brixiane vobis Anselperge Abbatisse Monasterii Domini Salvatoris intra predictam Civitatem Brixianam fundatum, de curriculo illo, per quam graditur aqua ad suprascriptum Monasterium vestrum, & estat in parte constitutus in terra, que proprietario juris mei pertinere videtur, usque ad pedes septuaginta sex per longum; & ipsa terra mihi advenit ex donatione per Launichild ab Olret & Pharaone de Ofolago, ita ut de amodo in perpetuum sine mea, heredumque meorum interdictione permaneat semper. Et si quo tempore inter se qualebit conturbatione, vel ruptura, aut lesio ipsius curriculi accesserit, liberam licentiam habeat pars Monasterii vestri omni in tempore fodere & aperire terram, que erga ipsum constat ad recooperandum in quo lesum, aut contorbatum fuerit. Et si ego suprascriptus Godolus Subdiaconus, vel mei heredes in aliquo disturbationem ex ipso curriculo fecerimus, aut quocumque tempore oportuerit ad recooperandum eum interdixerimus, in quo superius decernutum est, & contra hanc Cartulam promissionis ire quandoque temptaverimus per nos, aut subpositam aliam vel qualemcumque personam Principi aut Judici supplicandum per quemvis modo manifestum fuerit, componamus ad partem Monasterii tibi Anselpergæ Abbatissæ vel successoribus tuis auri solidos quinquanta, & pro pene solutionem presens promissio suum obtineat roborem omni tempore; sic ita ut si aqua ex ipso curriculo foras terram rumperit, non sit negligentia jam dicti Monasterii vestri ad recooperandum eum, ne vobis grave inferat dampnum, quod impossibile videatur esse aut intollerabile prolongaverat ad dilatione. Unde accepi ego Godolus Subdiaconus per hec promissionis a te Anselperga Abbatissa ex sacculo Monasterii vestri auri Solidos numero quatuor, ut firma & stabilis omni in tempore permaneat.* Quam vero paginam promissionis Tanoaldi scribendum rogavi, qui & ego ex dictato Laurentio Notario scripsi.

*Actum Brixia feliciter.*

✠ *Godolus Subdiaconus hanc paginam promissionis factam a me recognovi, scripsi, obtuli, roboravi.*

*Ego Walpertus rogatus a Godolo Subdiacono in hac pagina promissionis testis subscripsi.* ✠ *Deus-*

✠ *Deusdedit rogatus a Godolo Subdiacono in hac pagina promissionis testis subscripsi.*

✠ *Otto rogatus a Godolo Subdiacono in hac promissionis testis subscripsi.*

✠ *Auteram rogatus a Godolo Subdiacono in hac pagina promissionis testis subscripsi.*

✠ *Epiphanius rogatus a Godolo Subdiacono in hac pagina promissionis & obligationis testis subscripsi.*

✠ *Ego suprascriptus Laurentius huic promissionis Cartule rogatus a Godolo Subdiacono scribere dictavi, subscripsi, & post traditam complevi.*

An autem, ut fit nostris temporibus, antiquis etiam Tabelliones protocola Chartarum à se scriptarum penes se retinerent atque adservarent, collaturi poscentibus authentica earum exempla, quum opus esset, non satis liquet. Protuli ego Part. II. Tomi I. Rerum Italicarum, pag. 149. Legem 97. Langobard. à nemine antea evulgatam, in qua Lotharius I. Augustus hæc statuit: *De Notariis, qui Chartas recipiunt ad scribendum, si eas non scripserint, aut si eas perdiderint, restaurent ipsas res ei, cujus Chartæ eis traditæ fuissent. Si verò negaverint fuisse traditas, jurent cum suis sacramentalibus.* Hæc quisquam fortè interpretetur, quasi indicent pœnam propositam deperdentibus protocola. Sed non alius Legis sensus mihi videtur, quàm de Chartis authenticis, quas prout negotia, lites, & contractus exigebant, homines tradebant Notariis aut describendas, aut penes eos servandas, ii verò aut ob incuriam, aut datâ etiam operâ deperire sinebant. Ceterum triplex membranarum species in Tabulariis vetustis spectari consuevit. Primo sunt Chartæ, quæ notis plane autographis signantur, scilicet ubi diversorum testium diversæ subscriptiones visuntur, aut Cruces, aut alia signa testium scribendi imperitorum, quibus Notarius *roborandam tradebat* Chartam, hoc est subscriptione firmandam; ipse verò tamdem *post traditam* suo nomine apposito *complebat*; ac personis, quarum intererat, ipsam Chartam authenticam *dabat*, idest dimittebat. *Duæ* autem *Chartulæ uno tenore conscriptæ* tradebantur, si utriusque contrahentis intererat eam habere ad sui juris tutelam. Attamen & in hisce Chartis locum esse potuisse fraudi nemo non intelligit. Secundo aliæ pergamenæ occurrunt, in quibus nulla sunt subscribentium testium vestigia, sed Notarius tantum è primitivo exemplari apographum deducens, illic non exprimit, sed unicâ characterum formâ innuit *Signa m m*, idest *manuum* singulorum testium, tum se subscribit. Ejusmodi Chartas nihilominus authenticas esse, fateatur quicunque nostræ etiam ætatis ritus ac Tabellionum fidem novit. Sed ad certo affirmandum, eam revera esse primi ipsius Notarii scripturam ac subscriptionem, characterum etiam antiquitas & forma accedat oportet; singula enim Sæcula & singulæ Provinciæ peculiarem aliquam scripturæ speciem observavere. Ceterum heic fallax esse judicium potest; neque enim dubito, quin membranæ adhuc supersint, quæ inter apographa serius & longe diu postea confecta, recensenda sint, quamquam nullum ibi de exemplo facto sit verbum. Nonnullas etiam confictas omnino fuisse suspicari, minime iniquum sit. Tertium denique Chartarum genus exempla ipsa, hoc est apographa rite concinnata, constituunt; quum scilicet authenticum alicujus Notarii sibi propositi alter Notarius in novam pergamenam referebat, & subscribens testabatur, se ea ex autographo desumsisse. Innumera autem apographa hujusmodi authentica in Archivis spectanda se præbent, à posterioribus Notariis confecta, jubente interdum, aut facultatem dante Episcopo, aut Reipublicæ Præfectis. Sunt adhuc & facta ab ipso primo Notario: qua ex re conjectura exsurgere potest, apud eosdem primos Chartarum Scriptores protocola adservata fuisse. Duobus exemplis rem illustrabo, petitis ex insigni Tabulario Episcopii Lucensis.

## Sichimundus pater Sichelmi Episcopi Ecclesiam in honorem Sanctæ Mariæ in Vico Alais ædificat, eique dotem statuit, Anno 801.

*IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Carolus serenissimus Augustus, & a Deo coronatus, Magnus & pacificus Imperator, Romanum gubernans Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Langobardorum, Anno Regni ejus, postquam Langobardiam cœpit, Vigisimo Octavo, & filio ejus Domno nostro Pippino Rege, Anno Regni ejus Vigisimo Primo, VI. Kalendas Octubris, Indictione X. Manifestum est mihi Sichimundo filio bone memorie Siculi, quia in proprio territurio meo, in loco Vico Alais, ubi avitare videor, edificari Ecclesiam in honore Dei, & Beate Sancte Marie semper Virginis Genetricis Dei & Domini nostri Jesu Christi; & per hanc dotalis Cartulam pro remedio anime mee offero Deo, & tibi prefate Ecclesie Sancte Marie inprimis fundamentum illut, ubi ipsa Dei Ecclesia sita est, simul & ortum prope ipsa Ecclesia usque in via publica, sicut ex omni parte a sepe circumdatum est, una cum arboribus suis in integrum. Similiter & casa mea massaricia, quam abeo in loco Lamari, ubi resedet Teudulus homo liver una cum omni re &c. Hec omnia suprascriptas Casas, ut supra legitur, Deo & tibi suprascripte Ecclesie Sancte Marie offero in prefinito pro salute & redemptione anime mee; tali enim tenore, ut donec ego advixero, ipsa Dei Ecclesia cum omni suprascripta re, quam ibidem depotavi esse, in mea sit potestatem per Sacerdotem gubernandi, adque secundùm Deum disponendi, qualiter voluero. Post vero meum decessum volo, ut ipsam Dei Ecclesiam Sancte Marie sit in potestate Sichelmi gratiâ Dei Episcopi filii mei, similiter imperandi, regendi, adque secundùm Deum qualiter melius visum fuerit. Et post ejus obitum similiter volo, ut jam dicta Dei Ecclesia cum rebus suis sit in potestate Richimundi Clerici filii mei, abendi, possidendi, regendi, & de nepotibus meis ordinandi. qualem ipse secundùm qui opus Dei, & ipsius Ecclesie peragere possat ipsum ordinare, & ibidem preponere abeat licentiam. Et si ipse Richimundus post obitum etiam dicti Sichelmi Epi-*

*Episcopi filii mei talem de nepotibus meis non invenerit, quem ibidem recto moderamine ordinare, etiam de aliis parentibus nostris, vel de aliis hominibus Sacerdotem ibidem reponendi & ordinandi, qui Officium divinum faciat pro nostris facinoribus Deum deprecare, & Missas cantare debeat. Et qualiter ab ipso Richimundo filio meo ordinata fuerit, stabili ordine maneat semper. Et ille, qui a predicto Richimundo filio meo fuerit ibidem ordinatus in eadem Ecclesia ordinationem faciendi secundùm Deum recto ordine de heredibus & propinquis nostris, ita ut semper in potestate heredum meorum permaneat ipsa Dei Ecclesia Sancte Marie cum rebus suis ordinationem secundùm Deum de Sacerdote faciendi . . . . . . reddat, & pro nobis Domini misericordiam deprecetur &c. Et Rachiprandum Presbiterum scrivere rogavi.*

*Actum in Vico Alais.*

*Ego Sichimundus in ane dotalis Cartula a me facta manu mea subscripsi.*

*Ego Euspertus Presbiter rogatus a Sichimundu me teste subscripsi.*

*Ego Rachiprandus Presbiter post tradita complevi & dedi*, & de ipso Autentico ego ipse fideliter exemplavi.

Cui Civitati præfuerit *Sichelmus Episcopus* vivens heic memoratus, nondum didici; eumque Ughellius in Italia Sacra ignoravit. Lucensis Episcopus minime videtur, quum eodem ipso Anno DCCCI. tabulas scriptas Lucæ conspexerim, in queis commemoratur *Jacobus* tunc Urbis illius Episcopus. Interim adnotasse potueris ea Rachiprandi Presbyteri & Notarii verba: *& de ipso Autentico ego ipse fideliter exemplavi*. Alterum exemplum nunc accipe.

## Wicheramus Comes Lucensis una cum Mona conjuge sua, Ecclesiam construit in honore Salvatoris, eique dotales agros tribuit, Anno 810.

*Exemplar. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Regnante Domno nostro Carolus serenissimus Augustus, à Deo coronatus, Magnus & pacificus Imperator, Romanum gubernans Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Langubardorum, Anno Regni ejus, quo Langobardiam cepit, Trigesimo Septimo, III. Idus Octubris, Indictione IV. In nomine Sancte Trinitatis*, Wicheramus Comes una cum Mona *dilecta* Conjuge mea, *pro amore Dei, & redemptione anime nostre, devotamente, pro eterne beatitudinis gaudia consequentes, à fundamentis in proprio territorio nostro construximus Ecclesiam in honore Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, & beate Marie semper Virginis, ac Sanctorum Apostulorum, in loco, qui dicitur Vetroniana: & per hanc dotalis paginam pro salute & redentione anime nostre donamus atque tradimus in ipsa sancta Dei Ecclesia in primis fundamentum illut, ubi ipsa Ecclesia sita est, una cum Porticale ante se, & ipsa edificia, que ad eam ex utraque parte avembrata sunt, quomodo cum sepe ex omni parte circumdata est in integrum. Similiter & dare ibi videmur duas Casas Massaricias, quas avemus in loco Carbonaria, qui mihi ex comparatione obvenerunt à quondam Donato, una ex ipse regitur per Emmulo, & illa alia per Altipertulo Massarii cum omnia res ad ipsas casas pertinentes in integrum. Quidem & terra & vinea nostra illa, quem abere visi sumus in loco Lardiniano, quanti mihi ex comparatione obvenit á Petro filio quondam Pranduli in integrum &c. Et taliter volumus adque constituimus, ut dum Christo prestante ego qui supra* Wicheramus *Comes & predicta Mona Conjux mea advixerimus, vel si nobis Dominus pro sua misericordia filium aut filiam donare dignatus fuerit, ipsa prenominata Dei Ecclesia semper in nostra sit potestate imperandi, avendi, gubernandi &c. Qualiter à me vel ab ipso erede ordinata sive disposita fuerit &c. Et Ghiselpert Notarium scrivere rogavimus.*

*Actum in suprascripto loco Vetruniana.*

*Signum manus* Wicherami *Comiti, qui hanc dotalis paginam fieri rogavit.*

*Signum manus Mone Conjugi ejus, qui similiter fieri rogavit.*

*Signum manus* Wipalt *homo Francisco testis.*

*Signum manus Liumperti homo Francisco testis.*

*Signum manus Aghinoni similiter homo Francisco testis.*

*Ego Giselpert Notarius post tradita complevi & dedi.*

*Ego Giselpert Notarius* ex autentico à me ipso scriptum fideliter exemplavi.

*Wicheramus Comes*, Ecclesiæ hujus fundator, *Ducis* titulum gerit in altera Charta Anno DCCC. scripta, quam indicat Florentinius in Monument. Mathildis Comitissæ Lib. 3. & Cosmus de Arena in Serie Ducum Tusciæ. Propterea apud ambos hosce Scriptores Etruriæ universæ præfuisse creditur. Id ego pro certo minime statuerem, quum iis ipsis temporibus *Dux Florentinæ Civitatis*, aliique Duces uni tantùm Urbi jus dicentes inveniantur. Eum autem gente *Francum* fuisse, sat produnt testes, qui ex natione celebrantis contractum consuevere desumi. Heic enim unusquisque ex iis appellatur *homo Francisco*. Notarius Chartæ hujus *Ghiselpertus* fuit, & sese ipse subscribit. Tum altera illius subscriptio succedit his verbis: *Ego Giselpert Notarius ex autentico à me ipso scriptum fideliter exemplavi*. Illud *authenticum*, unde novum Chartæ jam ante à se scriptæ exemplum Notarius deduxit, adservabatur-ne in ejus protocolis, an ei oblatum à quopiam illius possessore fuit? Postremum mihi veri videtur similius; neque enim observatum video tunc Romanorum morem, qui saltem in Acta publica quoscumque Contractus referre soliti fuerunt. Si secus alii judicent, per me liceat. Adeant tamen velim Dissertationem IV. *de Officiis Dom. Reg.* ubi Chartam Lucensem evulgavi, Anno DCCLIV. scriptam. Ibi quum periissent tabulæ permutationis factæ inter Curtem Regis & Episcopum, *demandavit ipse Rex piissimo, alia tale Cartula relevare per ipso Notario, qui ea antea scripserad.* Hoc autem factum est non per authenticum apographum ex ejus, ut ajunt, schedis præcedentibus, sed per novum actum, cui vim dedit suâ præsentiâ & consensu *Alpertus Dux*. Eamdem in rem vide Chartam alteram Lucensem Anni DCCLXXXVI. quam retuli in Dissertatione X. *de Minor. Justit. Ministr.* unde hanc ipsam veritatem depromas. Illud autem nunc addere fas sit, accidisse interdum, ut qui consingen-

dam

dam aliquam Chattam fuſcipiebant, tamquam ante aliquot Sæcula exaratam, quum ſe aſſequi atque imitari poſſe diffiderent characterum formam, quæ remotis iis temporibus in uſu fuit, apographum potiùs efformabant, quàm autographum, rati eâ ratione ludum utilem ſe tutius eſſe luſuros. Et profecto non defuere Sæculis iis barbaris Impoſtores & Chartæ falſæ. Qua de re quamquam ſatis diſſeruerim infra in Diſſertatione XXXIV. *de Diplomat.* aliquid tamen & heic mihi innuendum eſt. Contentio interdum erat de veritate aut falſitate tabularum. Proinde ſive Lotharius I. Auguſtus (ut Goldaſtus & Baluzius putant) ſive Guido Imperator (ut habet Eſtenſis Codex, & ego edidi inter Leges Langobardicas Part. II. Tomi I. Rer. Italicar.) modum præſcripſere, quo agitanda ac dirimenda foret ejuſmodi controverſia. Videlicet contendente aliquo, Chartam eſſe falſam, ſi Notarius ac teſtes adhuc erant ſuperſtites, advocandi erant ad rei veritatem explorandam. Ubi Notarius *cum duodecim legitimis ſacramentalibus ſuis* (qui ſcilicet ſacramento interpoſito teſtabantur ſe credere, nil niſi verum ab eo dici, ac jurejurando affirmari) Chartam illam veracem eſſe profeſſus fuerat, conſentiebantque in eam ſententiam teſtes: ſublata erat *intentata occaſio. Si autem Notarius ſe ſubtraxerit, & Chartam ſuo nomine* (adde & ſuo charactere) *ſcriptam, idoneam minime confirmare potuerit: nulla redemtio ei concedatur, ſed manum propriam amittat; & oſtenſor ipſius Chartulæ poſt rerum amiſſionem* (de quibus ſcilicet controverſia erat) *guidrigild ſuum componat*, idest pecuniariam multam perſolvat. Notario non dabatur redemtio, quum tamen in tot aliis criminibus liceret pœnam corporalem pecuniâ redimere. Conſtitutum autem jamdiu fuerat à Rothari Rege in Lege 247. amputandam eſſe manum cuicumque *Chartam falſam, aut quodlibet membranum* ſcribenti. Rurſus in laudata Lege Guidonis edicitur, ut ſi Notarius jam vivere deſierit, tunc *oſtenſor Chartulæ cum teſtibus*, adhuc ſuperſtitibus, prætereaque adhibitis *Sacramentalibus, & oſtenſis primùm aliis duabus Chartulis manu ejuſdem Notarii ſcriptis, etiam ſuam tertiam Chartam per ſacramentum veram & idoneam faciat.* Argumentum hoc illuſtratum videas in antiquis Formulis ad eam Legem à me editis. Ottonis poſtea II. Imperatoris Lege primâ inter Langobardicas ſancitum eſt, ut ei, *qui falſam Chartam appellaverit, per pugnam* id oſtendere liceat: quæ Lex quantum à recta ratione abſona ſit, quantamque barbariem ſapiat, nihil eſt quod ego moneam. Interdum etiam proferebantur Chartæ *abſque Menſe & die Menſis* ſcriptæ. Hiſce ut nullus vigor eſſet, ſanxit prælaudatus Ludovicus I. Imperator Lege 79. inter Langobardicas.

Neque prætereundum puto, ab ipſo Lothario Auguſto avaritiæ ac aviditati Tabellionum modum fuiſſe impoſitum, conſtituto eis pretio, quod *pro uno Judicato aut Scripto* exigere ipſis liceret: videlicet *dimidiâ Librâ argenti de majoribus Scriptis, de minoribus infra dimidiam Libram, quantum res aſſimilari poſſit, & Judicibus rectum videatur*. Ita is in Lege 69. Quare videas, non exſpectaſſe veteres, ut à nobis edocerentur, quomodo conſulendum ſit Reipublicæ in ejuſmodi negotio. Immo tunc etiam proſpectum ſolicite fuit neceſſitati pauperum. Idem enim Auguſtus hæc addit: *De Orphanis autem, vel ceteris Pauperibus, qui exſolvere hoc non poſſunt, in providentia Comitis ſit, ut nequaquam inde aliquid accipiant.* Sunt adhuc Leges municipales, à quibus idem ſancitur; ſed quo fructu, alii videant. An hac in re feliciora fuerint antiqua Sæcula, nequaquam decerno; ſed certum eſt, vel tunc excogitata & conſtituta fuiſſe non pauca, quæ laudem & imitationem noſtris quoque temporibus mererentur. In Statutis MStis Populi Mutinenſis Anno MCCCXXVII. conditis invenio, ſingulis annis eligendos Notarios aliquot, quorum eſſet gratis excipere Contractus & Inſtrumenta Pauperum; quemadmodum & deligebantur duo Judices ad dirimendas ſine ullo emolumento eorum cauſſas. Ceterum inter Notarios antiqui ævi, hoc præcipue titulo mihi commemorandos, quod eorum artem ac peritiam ætas noſtra ignoret, illi in primis excelluerunt, ut in exordio dixi, qui eâ celeritate loquentium verba excipiebant, & in codicillos, ac tabellas referebant, ut integra Judiciorum acta, integraſque Oratorum orationes, quo tempore pronuntiabantur, ſcripto commendarent. *Exceptores* propterea ſunt appellati. Immo illos ipſos, qui nunc nobis *Notarii* dicuntur, propriâ ſuâ ſignificatione olim vox iſta deſignabat: quod nempe ad ſcribendum non uſitatis literis ac verbis uterentur, ſed, ſicuti præmonui, quibuſdam *Notis* compendioſis, jam uſu ſtabilitis, ac memoriæ traditis, quarum inventor præſertim fuit Tyro Ciceronis Libertus, ac deinde Seneca Senior, ut alios prætercam. Has habemus à Jano Grutero editas in Tomo II. Inſcriptionum. Mihi in Ambroſiana Mediolanenſi Bibliotheca non unus Codex hiſce Notis ſcriptus ſeſe obtulit, quas quum contuliſſem cum evulgatis à Grutero, eaſdem ipſas eſſe deprehendi, atque inde recte deducebam verba per ejuſmodi Notas ſignata. De Sancto Epiphanio Ticinenſi Epiſcopo hæc habet in ejus Vita Ennodius: *Notarum in ſcribendo compendia & figuras varias, verborum multitudinem comprehendentes, brevì aſſequutus, in Exceptorum numero dedicatus enituit.* Multa eſt apud veteres horum *Notariorum* laus & mentio; multa apud recentiores, ac præcipue in Epiſtola quadam Lipſii: quare nihil eſt quod ego Lectori jam ab aliis digeſta importune exhibeam. Unum tantummodo innuam, nempe ſacris Conciliis ejuſmodi *Notarios* interfuiſſe, eoſque omnia acta & verba Patrum excepiſſe: quæ cauſſa eſt, cur tot diſputationes in Synodis habitæ iis ipſis verbis, quibus peractæ ſunt, ad nos uſque pervenerint. In Synodo Aquilejenſi habitâ Anno Chriſti CCCLXXXI. cui præfuit magnus Mediolanenſium Antiſtes Sanctus Ambroſius, hæc ſcripta ſunt: *Palladius Arianus ait: Non tibi reſpondeo, quia quæcumque ego dixi, non ſunt ſcripta. Veſtra tantummodo ſcribuntur verba: non vobis reſpondeo. Ambroſius Epiſcopus dixit: Omnia vides ſcribi* &c. & infra: *Palladius dixit: Exceptor veſter & noſter ſtent, & omnia ſcribant. Valerianus Epiſcopus dixit: jam quæ dixiſti, & quæ negaſti, ſcripta ſunt omnia.* Proinde, ſi quid video, dolendum eſt, hanc Artem penitus excidiſſe, cujus adhuc utilis eſſe poſſet ſcientia & uſus. Quos verò nunc Notarios dicimus, Romani olim *Scriniarios* appellabant; atque id quamplurimis exemplis confirmare poſſem. Pauca ſeligam ex Codice MSto Cencii Camerari, è quibus videas Acta publica à *Scriniariis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ* literis mandata fuiſſe.

De

## De duabus Platratis lignorum, quæ Populus Ostiensis debet singulis annis in Natale & Pascha dare Domino Papæ, si in Urbe fuerit, Anno 1159.

IN *nomine Domini: Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Quinquagesimo Nono: Pontificatus Domni Adriani IV. Papæ Quinto, Indictione VII. mensis Madii, die XXVI. Quoniam rerum gestarum memoria plerumque perire dignoscitur lapsu temporis, vel necessitate oblivionis; idcirco ego* Andreas Scriniarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & sacri Lateranensis Palatii, *promissionem ab Ostientibus Civibus factam Domno nostro Adriano, à Deo decreto summo Pontifici, & in sacratissima Sede beati Petri Apostoli universali Papæ IV. omnibusque suis Catholicis successoribus Romæ residentibus in perpetuum, sedente in Lateranensi Palatio in Consistorio, in Domo scilicet nova, quæ dicitur Leonis Papæ: coram Domno Ubaldo Presbytero Cardinali venerabili, titulo Sanctæ Crucis, quæ dicitur Hierusalem, & Pon . . . . . . . . in Susurio, & Domno Jacinto Diacono Cardinali Sanctæ Mariæ in Cosmidim, atque Domno Bosone venerabili Diacono Sanctorum Cosmæ & Damiani, ipsius Domni Papæ Magistro Camerario: & in præsentia Judicum, Philippi Sanctæ Sedis Apostolicæ Sacellarii, Gregorii Corari, Benedicti, Leonis, Johannis de Parentio, Advocatorum, publicis literis, rogatu bonorum virorum Civium Ostiensium, videlicet Capasciæ Procuratoris Ostiensium, & sociorum ejus concivium, ibidem secum adstantium, scilicet Romani Bucca pasa, Nicolai Azonis, Amati Sassonis, Johannis Bezonis, Adelmari Peregrini, perpetuæ memoriæ mandare curavi. Promissio talis est, quam suprascripti pro se & concivibus suis fecerunt perpetuò suprascipto Domno nostro & suis catholicis Successoribus, sicut supra scriptum est. Quod omni anno amodo in antea dabunt duas Platratas Lignorum Domno Papæ, à Marmorata, sive à Ripa Romæa, unde Domnus Papa voluerit, hoc modo persolvent: unam Platratam in Nativitate Domini, & aliam in Pascha de Resurrectione. Ista Ligna persolvent omni anno, veruntamen quum Domnus Papa est in Urbe: quando autem denotatis temporibus aberit, Domnus Papa sibi solvere remisit. Præterea ob hanc promissionem Domnus Papa & Curia ipsius omnem offensam, quam pro Lignis solvendis commiserant, remisit. Ipsi autem Ostienses pro se & omnibus concivibus suis, eorumque heredibus in perpetuum id solvere & observare promiserunt. Quod si contra hæc, quæ dicta sunt, quolibet modo venire tentaverint, & cuncta, quæ dicta sunt, non observaverint, tunc promiserunt se pro pœna componere Domno Papæ suisque successoribus centum bonorum Denariorum P. P. Libras: & solutâ pœnâ hæc promissionis, sponsionis, pollicitationisque Chartula firma permaneat. Quam scribendam rogaverunt me* Andream Scriniarium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sacri Lateranensis Palatii, *in mense & Indictione suprascripta VII.*

✠✠✠ *Signum manuum suprascriptorum Capasciæ Procuratoris totius Populi Ostiensis, & Concivium suorum pro toto Populo Ostiensi.*

*Hujus Chartulæ rogati testes hi sunt: Oddo de Insula, Benedictus Zenonis, Johannes Ancillæ Dei, Viscardus, Petrus Butiglerius, Gregorius de Baruncello passo, Donnellus, Bobo de Mulo Capotiano.*

Andreas Scriniarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sacri Lateranensis Palatii *complevi & absolvi.*

### Contractus super eodem.

*Ego* Iderandus Scriniarius, *die XXXI. Madii cum Rogerio de Letulo ivimus Ostiam & ante Ecclesiam Sanctæ Aureæ, præsentibus Archipresbytero & Clericis Ostiensibus, convocato Populo, coram eis hunc contractum legimus. Et si consentirent, diligenter ab unoquoque inquisito, in scriptum redegimus. Quorum quidem nomina hæc sunt: Johannes Nicolaus de Gezo: Petrus Pelle: Bobo Belcore: Gregorius Malaruina: Johannes Marsanione: Romanus Johannis de Ramo: Andreas Nicolai de Gesso: Petrus Johannis de Maria: Gerardus de Ocilenda: Petrus Caputadterram: Benedictus de Gerardo: Adam de Nomasci: Nicolaus de Romano: Angelus Johannis Coci &c.*

## Chartula Oddonis de Poli de tota Terra sua, quam beato Petro & sanctæ Romanæ Ecclesiæ in proprietatem donavit in perpetuum, Anno 1157.

IN *nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis MCLVII. Anno verò III. Pontificatus Domni Adriani IV. Papæ, Indictione V. mense Januario, die XVII. Quoniam exemplo veterum sapientum usque ad nos multis auctoritatibus significato protractum est, ut memoria gestarum rerum literis commendetur, quatenus earum inspectione, omni oblivionis nube amotâ, veritas apud homines clarescere possit: idcirco ego quidem Oddo, qui vocor de Poli, hac die, propriâ spontaneâque voluntate meâ, & inter vivos non causâ mortis investiens ad propriam perpetuamque hereditatem trado, dono, & offero Deo & beato Petro Apostolo, & tibi prædicto Domno, patri, & totius Christianitatis capiti, Adriano IV. Papæ, tuisque successoribus in perpetuo, & cui largiri & concedere volueris; idest totam & integram meam Terram, videlicet Poli, & Sustiniano, & Anticuli, & Rocha, quæ vocatur de Nibli, & Monte, qui dicitur Manno, & Gadabiolo, & Sarracenisco, & Rocha, quæ vocatur de Muri, & Castellus Novus; & ubicumque mihi in aliis locis & vocabulis quolibet modo pertinet, una cum omnibus suis ædificiis, munitionibus, turribus, domibus, hortis, canipatinis, vineis, terris, sementis, villis, silvis & pantanis, pratis & arnariis, fontibus, rivis, aquæ, aquarumque discursibus, aquimolis, & lacora, montibus, collibus, plagis & planitiis, vacuum & plenum, & cum omnibus suis usibus & utilitatibus vel pertinentiis; sicut mihi prædicta omnia quocumque modo competunt, taliter ea tibi, tuisque successoribus concedo, & inter* vivos

*vivos, non causâ mortis, irrevocabiliter dono & offero, & investiens ad perpetuam hereditatem trado; ita ut amodo in antea licentiam & potestatem habeatis ibidem introeundi, videlicet fruendi, possidendi, & quidquid volueritis faciendi sine mea meorumque heredum contrarietate. Quod si contra hæc, quæ dicta sunt, quodam modo venire, & si opus aut necesse fuerit, si eam defendere noluero aut non potuero, tam ego, quàm mei heredes tibi tuisque successoribus compossituri pro pœna centum Libras obrizi auri; & solutâ pœnâ hæc perpetua donationis Chartula firma nihilominus & stabilis permaneat. Quam scribendam rogavi* Astaldum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarium, *in Mense, & Indictione suprascripta V.*

✠ *Signum manus prædicti Oddonis hujus Chartulæ ad confirmandum quod superius dicere rogavit.*

*Testes, Oddo scilicet Petri Benedicti de Bona de Insula, Petrus filius quondam Alexandri Clerici Domnæ Bonæ, Berardus de Rigofrigidu,* Alexius Scriniarius *de Albano, Petrus Ritius, Petrus Buticularius.*

*Ego* Astaldus *Domini gratiâ* sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarius, *sicut rogatus fui, & vidi & audivi, scripsi, complevi, & absolvi.*

## Instrumentum de Castro Nimpharum tradito Domino Papæ Innocentio III. Anno 1204.

IN *nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis MCCIV. & Anno VII. Pontificatus Domini Innocentii III. Papæ, Indictione VII. mense Aprili die XX. Nos quidem Philippus & Bartholomæus fratres, filii quondam Lombardi, præsente & consentiente in hoc nobis Dominâ Aldrudâ sorore nostrâ, uxore quondam Scotti cognati nostri, & omne suum jus & actionem vel exceptionem, quod, quasve in omnibus subscriptis rebus habere quoquo modo videtur, tam respectu ususfructus subscriptarum rerum, quem à Johanne Paparone filio olim ejus reliquit, quàm etiam aliter cujuslibet rei vel causæ occasione, omnia refutante, concedente, atque donante ante præsentiam Domini Johannis, Obicionis, & Henrici, Transtiberim Judicum Dativorum, & Nicolai Tulli Causidici, & testium subscriptorum, ad hoc specialiter rogatorum, propria nostra voluntate renuntiamus, & in omnibus & per omnia generaliter refutamus, & possessionem, quam de subscriptis rebus Dominus Papa, vel alter pro eo habet, modis omnibus confirmamus, vobis verò Domino Octaviano, Dei gratiâ, Domini Papæ Innocentii III. consobrino & Camerario, mandato quoque & procuratore ipsius Domini Papæ ad hoc specialiter constituto, ad opus & utilitatem ejus, ejusque successoribus, & totius Romanæ Ecclesiæ perpetuo. Idest illam eamdem integram tertiam partem pro indiviso, vel plus, si nobis modo quolibet pertinet, videlicet totius Castri Nimpharum cum tenimentis & pertinentiis suis intus & de foris. Quam Dominus Oddo filius quondam Domini Petri Frajapani prædicto Scotto Paparoni, cognato nostro pro quingentis triginta Libris Parvensium Senatus vendidit, & in solutum concessit ac tradidit; sicut per Instrumentum manu* Johannis Boni Scriniarii *conscriptum apparet, quod vobis ad majorem cautelam damus. Quæ verò tertia pars dicti Castri cum omni jure, quod dictus olim Scottus in dicto Castro intus & de foris habuit, nobis pertinet ex testamento Johannis Paparoni nepotis nostri, filiique olim dicti Scotti, sicut pariter per Instrumentum manu dicti Johannis Boni Scriniarii conscriptum apparet, quod etiam vobis ad majorem cautelam damus. Quodcumque itaque jus, & quamcumque actionem personalem & in rem, sive hypothecam, tam etiam ad agendum quàm ad excipiendum, quod, quamve in toto dicto Castro cum tenimentis & pertinentiis suis intus & de foris, & specialiter in dicta tertia parte ipsius Castri, nobis, ut dictum est, competit, vel ejus respectu adversùs quamcumque personam habemus, vel habere quoquo modo possemus, videlicet tam jure vel occasione supradictæ concessionis, venditionis, & in solutum dationis, ipsi olim prædicto Scotto à prædicto Domino Oddone factæ, quàm etiam respectu vel jure donati legati, quod nobis prædictus olim nepos noster in suo testamento reliquit, vobis, ut dictum est, pro dicto Domino Papa & successoribus ejus procuratorio nomine refutamus, cedimus & mandamus; ita ut quidquid hactenus in dicto Castro vel respectu ejus adversùs quamcumque personam nostro jure & nomine agere vel excipere seu exercere possemus, ipse Dominus Papa & successores ejus suo jure & nomine exerceant, agant & excipiant, & eum tamquam Dominum, procuratorem in sua re constituimus, ut in loco, jure & privilegio nostro in omnibus succedant.*

*Hanc autem refutationem, concessionem, & mandatum vobis, ut dictum est, facimus pro quingentis triginta Libris bonorum Parvensium Senatus, quas nobis de mandato dicti Domini Papæ, & pro eo, atque de sua pecunia, ut dictum est, procuratorio nomine datis atque persolvitis pro omni nostro jure, quod nobis in dicto Castro & suis pertinentiis intus & de foris competit vel competere possit quoquo modo. De quibus omnibus, & de omni nostro jure nos bene quietos & pacatos vocamus, & non solutæ pecuniæ exceptioni omnino refutamus. Quarum autem quingentæ minus octo Libræ sunt ex illis quingentis Libris parvorum Senatus, quas Bobo Bonfilius prædicto Castro recolligendo in deposito habuit: ideoque amodo dictus Dominus Papa, vel alter pro eo potestatem & licentiam habeat, dictam portionem nostram denotati Castri cum tenimentis & pertinentiis suis intus & de foris tenere, & facere ex eo quicquid voluerit semper. Insuper sub pœna dictæ pecuniæ duplæ vobis pro dicto Domino Papa bonæ & legalis plejariæ promittimus, hoc nostrum jus ac ipsam prælibatam portionem nostram nulli alii personæ obligasse, concessisse, nec aliter alienasse. Præterea vobis pro dicto Domino Papa & successoribus ejus procuratorio nomine, ut dictum est, pignori ponimus & obligamus, & pro nobis & nostris heredibus & successoribus, quantum ad subscriptum damnum, si acciderit, pertinet, amodo precario & ejus nomine possederimus, videlicet omnes res & possessiones nostras mobiles & immobiles vel sese moventes, quas infra Urbem & de foris habemus vel habebimus; ita tamen si per obligationem, concessionem, vel quamlibet alienationem tam à nobis quàm à dicto olim Scotto cognato nostro, & Johanne filio suo nepoteque nostro, vel etiam à dicta Domina Al-*

*Aldruda sorore nostra, quantum ad usumfructum pertinet, modo quolibet factam, aliquo, quod absit, in tempore dictus Dominus Papa vel successores ejus ex hac causa damnum aliquod de jure, tam impensarum nomine, quàm aliter patientur, quanti erit damnum, tantum auctoritate propria, nostroque mandato, quod eis facimus, in rebus & possessionibus nostris eis placentibus jure pignoris & plejariæ nomine vendicent, capiendo & alienando & eis in omnibus satisfaciendo. Et si contradicere tentaverimus, à jure, quod in eisdem rebus habemus, omnino cadamus, & ipsum damnum duplum nomine bonæ & legalis plejariæ pœnæ nomine solvere & dare ipsi Domino Papæ vel successoribus ejus per vos procuratorio nomine promittimus. Et in iis omnibus refutamus omnem juris vel legum seu boni usus auxilium, quod pro nobis in hac causa introductum est, ita ut nullum jus, nullamque actionem vel exceptionem adversùs dictum Dominum Papam & successores ejus, ad infringenda quæ dicta sunt, valeamus opponere. Novissime autem pro nobis & nostris heredibus & successoribus, vobis pro dicto Domino Papa & ejus successoribus procuratorio nomine, ut dictum est, quæ dicta sunt, omnia observare, adimplere, & contra nullâ ratione venire promittimus nomine plejariæ, & principalis obligationis, sub pœna legitima ex stipulatu promissa totius suprascriptæ pecuniæ duplæ. Et solutâ pœnâ hæc Chartula firma permaneat. Quam scribere rogavimus* Johannem Leonis Scriniarium *in Mense & Indictione suprascripta VII. Testes Girardus Scrofani, Johannes Oddonis Romani, Rainerius Johannis Pauli, Johannes Bobonis Boni filius, Siginulfus de Burrella, Adinulfus Oddonis.*

*Ego* Johannes Leonis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarius, *habens potestatem dandi tutorem & curatorem, emancipandi, & decretum interponendi, & alimenta decernendi, complevi & absolvi.*

Attamen an iidem plane fuerint *Scriniarii* atque *Notarii*, dubitare non semel coactus sum. Num ii *Scriniarii* appellati, qui publici Scrinii, sive Archivi curam haberent, quum nihilominus Chartas conficerent reliquorum Notariorum more; *Notarii* verò ceteri, qui instrumenta tantùm conscriberent? Non alia est sententia Du Cangii in Glossario Latin. Discrimen certe aliquod inter eos & *Notarios* intercessisse videtur, quum iis ipsis temporibus occurrant, qui non *Scriniarii*, sed *sanctæ Romanæ Ecclesiæ Notarii* appellantur: cujus rei unum tantummodo è multis exemplum proferam ex prælaudati Cencii MSto Codice desumtum.

## Chartula transactionis, quam fecit Gezo de Damiano Domno Papæ Adriano IV. super quibusdam possessionibus & rebus positis in Castro de Orcla, Anno 1158.

*Tibi patri & universali Domno Papæ Adriano ego quidem Gezo de Damiano, nullo cogente imperio, sed propria & spontanea mea bona voluntate, per Chartulam conventionis atque transactionis facio refutationem pro me & pro uxore mea, meisque heredibus vel personis à nobis submissis, pro tribus millibus Marcis argenti: nominative de omni jure seu actione, quam habeo in Domo, quæ rejacet in Castro, quod vocatur Orcle, juxta Turrim Domni Papæ: & habet finem ab una parte prædictam Turrim, à secunda Casam Dominicam, à tertia ripam ejusdem Castri, à quarta verò Viam publicam. Et in Molendino & in Horto, quæ rejacent in loco, qui vocatur Vado del Pixarello; & habent finem ab una parte ripam prædicti Castri, à secunda Hortum, qui dicitur esse filiorum Offredutii de Guitto, à tertia flumen, quod vocatur Bleidano, à quarta verò Viam publicam. Et in Vineis, quæ rejacent in Valle Roveta, una quarum habet finem ab una parte Vineam, quæ fuit Johannis Ildiconis, à secunda Vineam, quæ fuit Kiere, à tertia Vineam, quæ fuit de Rapelino, à quarta verò Vineam, quæ fuit Sancti Salvatoris de Lontaneto. Altera Vinea verò rejacet in prædicto loco, & habet fines ab una parte Vineam, quæ fuit Guidonis Barbægelatæ, à secunda Vineam, quæ fuit Nepotum Presbyteri Alexii, à tertia terram Gimicelli de Dulce, à quarta verò terram, quæ fuit Aidenulfi de Rispanpeno. Ita quod de cetero neque ego, neque uxor mea, aut heredes mei, aut alia per nos submissa persona aliquid in supranominatis rebus exigere audeat à te Domno Papa Adriano, seu aliis Romanis Pontificibus. Quod si aliquis nostrorum contra prædictam Chartulam refutationis atque transactionis aliquo tempore venire tentaverit, promisit dare Domno Papæ Adriano vel suis Catholicis successoribus nomine pœnæ Libram unam optimi auri, & Chartula ista in suo robore permaneat.*

*Hoc actum est in Castro Viterbii in Domo Gerardi & Bovatiani de Casamala, in manibus Domni Bosonis Diaconi Cardinalis Sanctorum Cosmæ & Damiani, Domni Papæ Camerarii, XV. Kalendas Augusti, Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCLVIII. temporibus Domni Adriani IV. Papæ, Anno ejus IV. Mense Julio, Indictione VI.*

✠ *Signa manuum Oddo de Insula.*

*Guiscardus: Gunterius filius quondam Leonis de Cello: Nicolaus Mancinus: Leo Vicanus; hi omnes rogati sunt testes.*

Ego Johannes sanctæ Romanæ Ecclesiæ Notarius *hanc Chartulam scripsi & bene complevi.*

Ad hæc in Codice Theodosiano Lib. VIII. Tit. I. l. XV. & sequenti, agitur *de Scriniariis*, qui nempe Scriniis seu Archivis Magistratuum præerant, eorumque rationes literis consignabant. Est & in Codice Justinianeo ipsorum mentio: neque dubium est, quin tunc illorum munus à *Tabellionum* munere distingueretur. Et profectò numquam excidit Romæ illorum nomen ac ministerium, ibique duodecim fuisse traduntur, quorum primus *Protoscriniarius* est appellatus. Verùm Sæculis posterioribus, quum & ipsi tabulas publicorum contractuum scriberent, parum fortasse aut nihil differre cœperunt à *Notariis*; ita ut non invitus in opinionem Glossæ concedam, quæ in Cap. *ad audientiam* Lib. 2. Decretal. *de Præscript.* scribit: *Scriniarii appellantur Tabelliones, & est vulgare Romanorum*. Bosius Rom. Subterran. Lib. 3. cap. 5. Inscriptionem refert, in qua memoratur FL. CELERINVS V. D. SCRINIARIVS INL. PATRICIAE SEDIS, VALENTINIANO VII. ET AVIENO COSS.

Anno scilicet Christi CCCCL. Quod verò est ad Sæcula inferiora, occurrit mihi ex monumentis Reipublicæ Genuensis excerpta jamdiu Charta, cui hic est titulus: *Laus Cencii Romanæ Urbis Scriniarii*; hoc est, Privilegium immunitatis eidem *Cencio*, qui & *Vir Illustris* appellatur, à Genuensi Populo concessum. Primo aspectu putare possis, agi heic de inclyto aliquo Romanæ Urbis Procere. Sed res tantùm est de *Notario*, quem tamen Nobilem virum excogitare tibi liceat: quippe, ut dixi, Nobiles olim ad Tabellionatus officium adhibebantur, ipsumque munus nobile habebatur; Chartam ipsam ne te legere pigeat.

## Decretum Consulum Civitatis Genuæ pro immunitate Cencii Romanæ Urbis Scriniarii, Anno 1179.

*Januæ in Camera Capit. Consules de Communi Nicola Embriacus, Ogerius Ventus, Ottobonus, Gulielmus Auriæ, & Amicus Grillus laudaverunt, quod* Vir Illustris Cencius Romanæ Urbis Scriniarius *de cetero singulis annis sine contradictione Consulum Communis, & omnium personarum pro Communi, possit mittere laboratum super mare de Janua, & ejus Districtu, per se vel Missum suum, quo maluerit, de sua vel aliena pecunia, sine omni exactione aut collecta seu homine aliquo, valens Librarum ducentarum Januensis monetæ. Quod ideo factum est, quoniam etsi à multis retro temporibus Januensis Urbis fidelis & diligens amicus extitisset, & in promerendis, quæ ad honorem ejusdem Civitatis pertinere visa fuerant, fideliter laborasset: quando tamen Romam ad Concilium profectus est Dominus Archiepiscopus cum prudentibus Viris, eos in domo sua honorifice hospitatus fuit, & omnimodam honorificentiam atque reverentiam eis exhibens, in negotiis Communis Januæ apud Dominum Papam promovendis sic efficax & studiosus extitit, ut inter ceteros Romanos in hac parte profecto singularis inveniretur, & quasi Januensis Civis posset non immeritò reputari. Quare jam dicti Consules in amoris sui plenitudine & tuitione ipsum & sua specialius suscipientes, & propensius amplexantes, prædicto annuo beneficio & prærogativa, in remuneratione etiam præstiti obsequii & præstandi, auctoritate Consiliatorum eum donaverunt, ut supra laudantes. MCLXXIX. Indictione XI. duodecimo die Septembris.*

*Ego Gulielmus Calige . . . . . . præcepto suscriptorum Consulum scripsi.*

Antiquis etiam Sæculis reperio *Imperialis Aulæ Scriniarios*, inter quos & *Notarios* nullum discrimen intercessisse puto. Testes accipe Chartas duas, præter complures alias, ex eodem Regesto Cencii Camerarii descriptas.

## Chartula acquisitionis & emtionis Paliani & Serronis ad opus Romanæ Ecclesiæ tempore Domini Gregorii Papæ IX. Anno 1232.

*In nomine Domini. Amen. Anno Incarnationis Millesimo Ducentesimo Trigesimo Secundo, Pontificatus Domini Gregorii Papæ IX. Anno VI. mense Decembri, die XXI. Indictione VI. Ego Oddo de Columna Dominus Olibani, hac die præsenti propriâ & spontanea mea voluntate vendo & irrevocabiliter trado tibi Domino Benedicto Domini Papæ Camerario, ad opus & nomen reverendi patris Domini Gregorii IX. Papæ, suorumque successorum, & Romanæ Ecclesiæ in perpetuum, videlicet totam & integram partem meam Roccæ & Castri Paliani, & Roccæ & Castri Serronis, cum omni jure & jurisdictione & actione dominio & honore, & tam in terris quàm in vineis, Vassallis, silvis, pratis, montibus, collibus, planitiis, pascuis, aquis, & Communitatibus universis, sicut mihi & hæredibus & successoribus meis competunt pro diviso vel indiviso jure hereditario, vel alio quolibet modo in prædictis Castris intus & extra, & per totum eorum territorium & districtum; excepto eo, quod habeo & teneo ultra Fossatum de Centum Guttis cum quodam accasamento, posito ultra Fossatum ex parte Castri mei de Olibano. Quæ omnia mihi & heredibus & successoribus meis sine aliqua contradictione reservo. Et à præsenti do & concedo ipsi Domino Papæ ac successoribus suis liberam potestatem intrandi & accipiendi per se vel per procuratorem suum auctoritate propria possessionem omnium prædictorum; & habendi, tenendi & possidendi libere & quiete ad opus & utilitatem Romanæ Ecclesiæ in perpetuum omnia supradicta; & quicquid ego vel alia persona pro me de prædictis omnibus possidemus, à præsenti me constituo nomine Romanæ Ecclesiæ possidere. Pro qua venditione seu alienatione & traditione confiteor me recepisse & habuisse à te prædicto Domino Camerario nomine Domini Papæ & Ecclesiæ Romanæ solvente quadringentas Libras bonorum denariorum Senatus: de quibus bene me voco quietum, exceptioni non numeratæ vel non solutæ pecuniæ renuntiando. Et si prædicta bona plus valent, totum à præsenti die eidem Domino Papæ ac successoribus suis ac Romanæ Ecclesiæ dono atque concedo libere in perpetuum. Hanc autem venditionem, alienationem, & traditionem ipsi Domino Papæ suisque successoribus nomine Romanæ Ecclesiæ, ut dictum est, facio, salvo per omnia mihi & heredibus meis perpetuò, quod omnes possessiones & bona immobilia extra munitiones prædictorum Castrorum posita, & redditus Vassallorum meorum, quos & quæ hujus alienationis tempore in Castris habueram supradictis, à Domino Papa & Romana Ecclesia in Feudum de cetero teneamus, & exinde ipsius Domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ Vassalli simus perpetuo & fideles, & eis propter hoc specialiter præstemus homagium personale. Insuper de libero arbitrio & propria voluntate do, dono atque concedo & trado eidem Domino Papæ & Romanæ Ecclesiæ ad veram proprietatem in perpetuum, videlicet unam Domum meam positam infra Roccam Paliani, cum omnibus juribus, utilitatibus, & pertinentiis suis, sicut suis finibus terminatur, ad intrandum, tenendum, possidendum & faciendum libere in perpetuum suæ beneplacitum voluntatis. Pro prædictis autem omnibus firmiter & fideliter observandis, me, meosque heredes & successores, & omnia mea bona mobilia & immobilia, habita & habenda, eidem Domino Papæ suisque successoribus principaliter & specialiter obligo*

*obligo, & eadem propter hoc specialiter ab eis precario me constituo possidere. Renuntiando in iis omnibus omni juris auxilio Canonici & Civilis, consuetudini & Statuto, & omni actioni, exceptioni & rei, quae possent objici contra Instrumentum vel factum. Promittens pro me, meisque heredibus & successoribus perpetuo, hanc venditionem, donationem & traditionem, & omnia supradicta rata & firma semper habere, inviolabiliter observare, & non contra venire. Sed si opus & necesse fuerit, legitime defendere ab omni persona. Quod si praedicta omnia non servaverimus, vel quolibet modo venerimus contra praemissa, praedictas quadringentas Libras nomine poenae duplas eidem Domino Papae, suisque successoribus, & Romanae Ecclesiae promitto me integre soluturum. Et poenâ solutâ, hujus venditionis, donationis & traditionis contractus in suo nihilominus robore perseveret.*

*Actum Anagniae praesentibus testibus subscriptis, ad hoc specialiter rogatis, scilicet Domino Stephano Domini Papae Capellano Magistro Roffrido Huberti, Magistro Galtero de Camera, Magistro Palmerio de Camera, Johanne Dente Milite Ferentino, & Berardo Domini Parisii, testibus.*

*Et ego* Ricardus, Imperialis Aulae Scriniarius, *hanc Chartam de consensu partium scripsi & complevi rogatus.*

## Chartula venditionis factae à quibusdam Dominis de Paliano de bonis eorum Paliani & Serronis, Anno 1233.

*IN nomine Domini. Amen. Anno Incarnationis Christi Millesimo Ducentesimo Trigesimo Tertio, Pontificatus Domini Gregorii Papae IX. Anno VI. mense Februario, die prima, Indictione VI. Nos Transmundus de Tincto, Lucas de Paliano, Petrus Pinctus, Bartholomaeus Pinctus, Petrus de Paliano, Jacobus & Ungarus, Petrus Vetulus, & Thomas Nicolai de Miro, Theobaldus Gregorii, & Nicolaus Macarannus, Domini de Palliano, hac die praesenti pagina, libera & spontanea voluntate vendimus & irrevocabiliter tradimus tibi Magistro Boëtio Clerico & Familiari Domini Papae, procuratorio nomine recipienti ad opus & nomen Domini Papae Gregorii, suorumque successorum, & Romanae Ecclesiae in perpetuum: videlicet totam & integram partem nostram Roccae & Castri Paliani, & Roccae ac Castri Serronis cum domibus & casalinis, quas & quae in praedictis Roccis habemus, & nobis competunt pro diviso vel indiviso, cum omni jure, jurisdictione, & actione, dominio & honore; & tam in terris, quàm in vineis, vassallis, montibus, pratis, silvis, collibus, planiciis, pascuis, aquis, & communitatibus universis, sicut nobis competunt pro diviso vel indiviso in praedictis Castris intus & extra per totum eorum territorium & districtum. Dantes eidem Domino Papae plenam & liberam potestatem intrandi & accipiendi &c.* ( ut in supra descripta Chartula ) *Salvis nobis & heredibus nostris universis possessionibus & bonis nostris immobilibus extra munitiones praedictorum Castrorum positis, & omnibus redditibus Vassallorum nostrorum, sicut arbitrando laudabunt Dominus Stephanus de Anagnia Domini Papae Capellanus, & Dominus Johannes de Gaviniano, ac Dominus Johannes de Raynaldo, qui arbitrandi & laudandi super hoc acceperunt à partibus potestatem, sicut in compromisso scripto per manum* Ricardi Scriniarii *continetur. Hanc autem venditionem seu alienationem & traditionem facimus, ut dictum est, ipsi Domino Papae, suisque successoribus, & Romanae Ecclesiae in perpetuum pro eo pretio, quod arbitri seu arbitratores supradicti laudando taxabunt, & fuerint arbitrati: promittentes nos eorum aestimationem & taxationem perpetuo ratam & gratam habere, & in omnibus acceptare, & pretio quod ipsi laudabunt, perpetuò nos fore contentos. Et si praedicta plus valent, totum à praesenti eidem Domino Papae & Romanae Ecclesiae libera voluntate donamus & concedimus inter vivos. Et juramento à singulis nostrûm corporaliter praestito per stipulationem promittimus pro nobis & heredibus & successoribus nostris, hanc venditionem, promissionem, & traditionem, & omnia supradicta, rata & firma semper habere, & perpetuò inviolabiliter observare, & non contravenire: sed si opus & necesse fuerit, legitime defendere ab omni persona. Quod si praedicta omnia non servaverimus, vel quolibet modo venire tentaverimus contra praemissa, poenam in suprascripto Compromisso statutam Domino Papae & Romanae Ecclesiae integre nos promittimus soluturos, & poenâ solutâ hujus venditionis, alienationis & traditionis contractus in sua nihilominus permaneat firmitate. Et pro iis omnibus firmiter & fideliter observandis omnia bona nostra mobilia &c.* ( ut supra in alia venditionis Chartula ).

*Actum est hoc praesentibus testibus infrascriptis, ad hoc specialiter vocatis, scilicet Magistro Roffrido de Terracina Domini Papae Notario, Petro de Posis Clerico ejusdem Notario, Willelmo Sutore Curiae Domini Papae, Perusino de Marescalcia, Domino Stephano Capellano Domini Papae, Paulo de Capa, & Johannino Domini Papae Cursore.*

*Et ego* Ricardus Imperialis Aulae Scriniarius, *qui omnibus praedictis interfui, hanc Chartam utriusque partis consensu scripsi, & complevi rogatus.*

Vidisti *Imperialis Aulae Scriniarios*. Erant & alii, qui *Imperialis Aulae Notarios*, atque in ipsa Urbe, se se inscribebant, ut constabit ex altera Charta, quam subjicio.

## Fidejussio præstita Gregorio IX. Papæ à Rainono de la Tolfa pro Castro Saxi, Anno 1230.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Anno Domini Millesimo Ducentesimo Tricesimo XI. Kalendas Maji, Indictione III. Pontificatus Domini Gregorii Papæ IX. Anno IV. Quum venerabilis pater Dominus Rainerius Sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconus Cardinalis à Domino Gregorio Papa IX. receperit in mandatis, ut idoneos fidejussores pro Romana Ecclesia reciperet à nobili viro Rainono de la Tolfa, ad summam mille Librarum proveniensium, de parendo mandatis Ecclesiæ Romanæ super eo, quod Castrum Saxi ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente injuste & hostiliter invaserat, detinuerat, & dolo postmodum, sicut dicitur, desierat possidere; propter quod fuerat à bonæ memoriæ Honorio Papa III. excommunicatus publice & frequenter: dictus Rainonus in ejusdem Domini Cardinalis præsentia constitutus cum instantiâ postulabat à prædicto Domino Cardinali, ut juxta Domini Papæ mandatum fidejussores ab eo reciperet, quos præsentialiter offerebat. Tamdem Dominus Rainonus memoratus promisit per stipulationem sub pœna mille Librarum prædicto Domino Cardinali pro Domino Papa, suisque successoribus & Ecclesiâ Romanâ recipienti, stare mandatis eorumdem & Ecclesiæ supradictæ sub obligatione omnium bonorum suorum. Et Dominus Johannes, Urbis almæ Præfectus in trecentis Libris, & Dominus Tebaldus Præfecti in ducentis Libris, & Dominus Capellanus de la Tolfa in ducentis Libris, & Dominus Alexander de Brazano in centum Libris, ad petitionem & mandatum dicti Rainonis, & in sua præsentia, fidejussorio nomine pro ipso promiserunt & fidejusserunt apud prædictum Dominum Cardinalem stipulantem ab eo dictam summam pro dicto Domino Papa, suisque successoribus, & Ecclesia Romana, quod prædictus* A *Rainonus stabit, attendet & observabit mandata Romanæ Ecclesiæ & suorum, nec contra faciet, neque veniet aliquo ingenio vel subtilitate. Quod si non observabit, vel contra faciat, quilibet prædictorum fidejussorum solvere Romanæ Ecclesiæ dictam pecuniam, in qua fidejubet, obligans quilibet eorum ad hæc omnia bona sua. Renuntiantes novæ Constitutionis beneficio, & cuilibet alii auxilio, per quod possent contra facere vel venire, quod non opponent sub pœna dupli, quâ solutâ vel non, prædicta omnia firma permaneant.*

*Actum Romæ apud Sanctum Clementem in Palatio ejusdem Cardinalis, in præsentia Domini Ildibrandi, Magistri Petri de Sancto Germano, & Magistri Petri Viterbiensis,* B *Capellanorum, & Johannis de Fera, Sensus de Per . . . . . Roffridi, Angeli & Talenti Spoletani, servientium ejusdem Cardinalis, testium ad hoc rogatorum.*

*Eodem die in Transtiberi Dominus Amato Præfecti eodem modo fidejussit in ducentis Libris proveniensium, & promisit pro dicto Rainone Magistro Petro Camerario dicti Cardinalis pro dicto Domino Papa & Ecclesia Romana in præsentia prædicti Domini Johannis Præfecti, Domini Capellani, Domini Alexandri, Magistri Petri prædicti de Sancto Germano Advocati, testium.*

*Ego* Ranucius Imperialis Aulæ Notarius, C *omnibus interfui supradictis, & hoc Instrumentum mandato dicti Cardinalis, & fidejussorum, & Rainonis scripsi & publicavi.*

Et profectò mihi etiam ad Annum MCCXXXIII. occurrit Romanus, *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarius*, qui Archivo Sedis Apostolicæ præfectus fuisse minime credendus est, quum *Scriba Senatus* esset. Superfluum non erit ipsam Chartam legere.

## Instrumentum, per quod Gregorius IX. Papa, & Præfectus Urbi aliquot Nobilibus satisfaciunt pro damnis eis illatis à Viterbiensibus, Anno 1233.

*IN nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Ducentesimo Tricesimo Tertio, Anno VIII. Domini Gregorii IX. Papæ, Indictione VI. Mensis Junii die III. Nos Rainucius Johannis Cocbei, & Johannes Coccus, sed ego Johannes una cum dicto Rainucio patruo & Curatore meo, dato mihi in hac re tantùm à* Domino Johanne Poli Comite Albæ, & Dei gratiâ almæ Urbis illustri Senatori: *& nos Valentinus Valentini, Guitto & Bonaventura de Stramo fratres, Ægidius de Valle, & Bonushomo ejus frater, & Johannes Petri Cocbei, omnes insimul & singuli, non aliquo dolo inducti; sed libero arbitrio, & de mera & pura voluntate, vocamus quietos Dominum Gregorium Summum Pontificem & Ecclesiam Romanam, & Dominum Johannem Poli Comitem Albæ & almæ Urbis illustrem Senatorem, pro se principaliter, & omnes Romanos per eum communiter & singulariter, & Communitatem Urbis, & omnes Viterbienses communiter & singulariter, & generaliter omnem aliam personam in hoc facto adjacentem: scilicet de omnibus damnis nobis prædictis & inferius dicendis* D *à Viterbiensibus usque nunc illatis, & à qualibet alia persona per eos tam in Turribus, domibus, vineis, arboribus, & in fructibus terrarum, hortorum, & canepinarum, quàm etiam in rebus mobilibus & bestiis & personis: ita quod sint amodo inde quieti, pacifici, tranquilli, & ab omni lite remoti; & de cetero nullam litem seu quæstionem contra aliquem inde faciemus, nec fieri faciemus per aliquam personam à nobis submissam vel submittendam. Hoc ideo facimus, quia pro emendatione & restauratione dictorum damnorum, & omnium damnorum recipimus à dicto Domino Papa pro Viterbiensibus duo millia quingentas Libras bonorum proveniensium Senatus. De quibus omnibus nos bene quietos vocamus,* E *& renuntiamus non numeratæ pecuniæ exceptioni, & de ipsis damnis credimus nobis fore satisfactum, & etiam ultra quàm fuerint vel sint ipsa damna, unde sacramenta Romanorum sunt bene salvata. Insuper ego dictus Rainucius nomine bonæ & legalis plegiariæ obligo me & bona mea, quæ nunc habeo & habebo, quod Spinellus, & frater, & Gratianus filius Bartholomæi Mist . . . . & Spinellus*

*lus Johannis, & Robertus fratres, & Scangius de Milano, & heredes Leonardi Tebaldi, & si qui alii in hoc adjacent facto, omnes & singuli omnia prædicta rata habebunt & firma, & contra nullo modo venient per se vel per quamlibet aliam personam ab eis submissam vel submittendam, quia pari modo, sicut & nobis, de dictis damnis est eis ad plenum satisfactum. Quod si contra facere tentaverint, vel nos supradicti tentaverimus, & aliquod damnum Ecclesia Romana, seu Senatus, vel Roma, vel Viterbienses inde passi fuerint, omne illud damnum nomine plejariæ reddere & restaurare promittimus, & insuper solvere teneamur eis nomine pœnæ dictam pecuniam duplam. Et solutâ pœnâ hæc Charta firma permaneat. Quam Chartam publice scribendam rogavimus* Romanum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarium & Scribam Senatus, *& Forencium Justitiarium, in Mense, & Indictione suprascripta VI.*

*Domnus Anibaldus testis.*
*Petrus Johannis Ylperini testis.*
*Petrus Manetti testis.*
*Transmundus testis.*
*Matthæus Scriniarius testis.*
*Jacobus Soguattarius testis.*
*Petrus Bulgamini testis.*
*Bobo Johannis Bobonis testis.*
*Johannes Rencii testis.*

Ego Romanus *sanctæ* Romanæ Ecclesiæ Scriniarius, & Scriba Senatus, *& Forencium Justitiarius, rogatus scripsi, & complevi.*

Chartam quoque vidi scriptam à *Johanne Mele Scriniario Anagniæ* Anno MCCXXI. ita ut vix dubitari possit, quin *Scriniarius* & *Notarius* idem olim fuerit. Qua ratione verò *Scriniarii* olim Romæ instituerentur, ex hac ipsa formula addisces, quam Codex MStus Cencii Camerarii mihi suppeditavit.

## Qualiter Judex, & Scriniarius à Romano Pontifice instituantur.

*Quum præsentatur Domno Papæ ille, qui Judex est examinandus, examinatur prius à Cardinalibus, qualiter se in Legum doctrina intelligat, & si legitime natus fuerit, & laudabiliter conversatus. Qui si idoneus repertus fuerit, hominium & fidelitatem secundùm consuetudinem Romanorum Domno Papæ humiliter exhibet. Sed in ejus juramento hoc additur:* Causas, quas judicandas suscepero, post plenam cognitionem malitiose non protraham, sed secundùm Leges & bonos mores, sicut melius cognovero, judicabo. Instrumentum quoque falsum, si in Placito ad manus meas fortè devenerit, nisi exinde periculum mihi immineat, cancellabo. *Tunc Pontifex Codicem Legis ejus manibus porrigens dicit:* Accipe potestatem judicandi secundùm Leges & bonos mores.

De Scriniario *eodem modo fit* (sicut de Judice). *Sed juramento ejus hoc additur:* Chartas publicas nisi ex utriusque partis consensu non faciam. Et si fortè ad manus meas Instrumentum falsum devenerit, nisi exinde mihi periculum immineat, cancellabo. *Tunc Pontifex dat ei Pennam cum Calamario, sic dicens:* Accipe potestatem condendi Chartas publicas secundùm Leges & bonos mores.

En ergo quale olim foret Scriniariorum munus, *Chartas publicas* scribere. Nihil heic de Archivo, cui præessent; atque adeo puros *Notarios* illos agnoscimus. Quæ autem hactenus congessi, ad aliam quoque cognitionem deducere nos potuerunt, videlicet antiquis etiam temporibus, præter *Imperialis Aulæ Notarios*, atque *Scriniarios*, in ipsa Urbe agentes, fuisse etiam *Notarios* à Summis Pontificibus sua auctoritate creatos, & in ejus Urbis ditione munere isto fungentes. Quod etsi expressis verbis Notarii minime tunc profiteri solerent, ex eorum tamen titulis satis aperte deducitur. Sæculo XIII. aliquot invenio diserte testantes, se *auctoritate Apostolica* ad Notarii munus delectos. *Petrum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate Notarium* Charta subsequens prodet in toties laudato Cencii Camerarii Regesto à me reperta, cui duas alteras aliorum Notariorum adtexam.

## Instrumementum emtionis Castri Mirandæ, factæ à Gregorio IX. Papa, Anno 1234.

„ IN Christi nomine Amen. Anno ejusdem „ Millesimo Ducentesimo Trigesimo Quarto, Indictione VII. tempore Domini Gregorii Papæ IX. existentis, die IV. intrante Mensis Aprilis. Nos quidem Ofreducius & Simon quondam Domini Bartholomæi de Miranda, & Simon, Ofredonus, & Raynaldus Clericus, filii quondam Domini Ruberti, præsentibus, consentientibus, & acceptantibus Domino Bonocomite, & Domino Bartholomæo filiis prædicti Domini Ofreducii, & Simone filio dicti Domini Simonis, omnibus suis juribus & actionibus renuntiantibus, jure proprio una cum ipsis filiis nostris vendimus, tradimus & concedimus, damus, cedimus & mandamus vobis *Domino Alatrino Domini Papæ Subdiacono & Capellano, nunc Ducatus Spoletani Rectori*, recipienti nomine & vice Romanæ Ecclesiæ, *Domini Papæ Gregorii*, & successorum ejus: *Castrum Mirandæ* cum omnibus suis pertinentiis, videlicet ædificio Castri, Turre, Girone, domibus, hominibus, terris, vineis, silvis, arboribus, pascuis, aquimolis, piscationibus, pratis, cultis & incultis, passagiis, & aliis omnibus suis pertinentiis, juribus & utilitatibus, nobis occasione dicti Castri pertinentibus: ab uno latere est Rocca Carlei; ab alio Rocca de Phago cum pertinentiis suis. Et damus vobis licentiam & potestatem vestra auctoritate habendi, tenendi, possidendi, fruendi, & quicquid vobis de cetero pro Romana Ecclesia placuerit faciendi, tamquam de re propria, sine alicujus vel aliquorum contradictione. Et damus, cedimus, & mandamus vobis Domino Alatrino recipienti nomine & vice Romanæ Ecclesiæ omnia jura, omnesque actiones utiles & directas, reales & personales, tacitas & expressas, quæ & quas habemus vel habere videmur in dicto Castro & hominibus & pertinentiis. Constituentes per vos ipsam Romanam Ecclesiam procuratricem tamquam in rem suam. Item quietamus, refutamus, remittimus, & pactum facimus de non petendo vobis Domino Alatrino recipienti nomine dictæ Ecclesiæ Romanæ, omnem injuriam, omnem violentiam, omnemque actionem injuriarum, nobis illatam per Nuntios Ecclesiæ in dicto Castro, vel occasione dicti Castri Mirandæ. Item promittimus vobis Domino Alatrino stipulanti nomine Ecclesiæ Romanæ, quod nulli dedimus, nec aliquo modo concessimus ipsum Castrum, vel aliquod jus ipsius, vel actionem de dicto Castro vel ejus pertinentiis per nos vel per submissam personam. Et si aliquo tempore concessio aliqua apparuerit à nobis, vel ab aliquo nostrûm de dicto Castro vel ejus pertinentiis facta aliquâ occasione, promittimus per nos, nostrosque heredes & successores, Ecclesiam Romanam conservare semper indemnem in omnibus nostris expensis. Pro qua venditione, refutatione, remissione, datione & cessione confitemur nos nomine pretii recepisse à vobis Domino Alatrino, solvente pro ipsa Ecclesia Romana, sex millia Librarum Lucensium bonorum, & apud nos integre habere: computatis in ipso pretio duobus millibus Librarum Lucensium, quas nobis solvit, & solvi fecit Dominus Papa. Renuntiantes exceptioni non numerati & soluti pretii, omnique alii Legum & Decretorum auxilio, nobis in hoc facto cohærenti, competenti, & competituro. Et si res venditæ plus dicto pretio valerent, totum plus vobis Domino Alatrino recipienti pro Romana Ecclesia donamus & concedimus pure, libere, & simpliciter inter vivos. Et pacem vobis facimus de non petendo, & specialiter renuntiamus illi Legi, *Rem majoris pretii*, quæ introducta est pro illis, qui decipiuntur ultra dimidiam justi pretii, certiorati res ipsas plus dicto pretio bene valere.

„ Quod Castrum Mirandæ cum omnibus suis pertinentiis, hominibus, juribus & utilitatibus, sicut superius declaratum est, promittimus per nos, nostrosque heredes & successores sub obligatione nostrorum bonorum præsentium & futurorum, vobis Domino Alatrino stipulanti vice & nomine Romanæ Ecclesiæ, legitime defendere, auctorizare & disbrigare ab omni persona, nostris pignoribus & expensis, omniaque damna & expensas exinde in Curia vel extra Curiam modo aliquo vobis competitura pro Ecclesia Romana occasione dicti Castri integre reficere & resarcire promittimus, credendo & stando de expensis & damnis Nuntio Ecclesiæ Romanæ, cui prædicta essent ab Ecclesia Romana commissa, suo simplici verbo tantùm, sine juramento vel onere alterius probationis. Quam venditionem, dationem, concessionem, cessionem, refutationem, remissionem, renuntiationem, promissionem, & omnia supradicta, ut in singulis Capitulis continentur, promittimus per nos nostrosque heredes & successores vobis Domno Alatrino stipulanti nomine Romanæ Ecclesiæ, attendere & observare, & non contravenire per nos & nostros heredes & successores, vel per submissam personam, aliquâ occasione vel ingenio, quod excogitari possit, sub obligatione nostrorum bonorum præsentium & futurorum; quæ constituimus nos precario pro Romana Ecclesia possidere; & sub pœna duorum millium Marcarum argenti, & pœnâ commissâ, vel solutâ, vel non solutâ, prædicta omnia & singula, ut in singulis Capitulis superius continetur, in sua maneant firmitate. Item promittimus vobis Domino Alatrino recipienti nomine Romanæ Ecclesiæ sub prædicta pœna, nos curaturos & facturos, quod uxores, sorores, & filiæ, & uxores filiorum nostrorum huic venditioni & concessioni, sicut superius legitur, consentient & concedent, & vobis pro Ecclesia Romana cedent omnia jura sua & actiones sibi competentia in dicto Castro Mirandæ & pertinentiis suis, occasione dotium, vel alia qualibet occasione. Et ad majorem firmitatem hujus contractus nos supradicti Ofreducius & Simon Domini Bartholomæi, & Simon, Ofredonus, & Raynaldus quondam Domini Ruberti, & Bonuscomes & Bartholomæus filii prædicti Domini Ofreducii, & Simon filius dicti Domini

„ ni Simonis, tactis sacrosanctis Evangeliis „ corporaliter juramus, omnia & singula supradicta, ut in singulis Capitulis continentur, observare, attendere, & non contravenire occasione minoris ætatis, vel alia qualibet occasione vel fraude. Item juramus fidelitatem Romanæ Ecclesiæ, Domini Gregorii Papæ IX. & successorum ejus canonice intrantium, sicut in forma juramenti fidelitatis in singulis capitulis continetur, perpetuo observare.

„ Insuper nos Galganus Saraceni, Vivenius Henrici, Simon Domini Johannis, Gentilis Saraceni, Bonconte Saraceni, Bartholomæus Fortis, Rainonus Guidonis, & Bonaccursus Matthæi de Aquasparta, Ubaldus Guirtisii, Benencasa Benedicti, Clarius Hugolini Bonicomitis, Guido Lupus, & Capitaneus Hugolini Bonicomitis de Tuderto, Petrus Leonis, Sforza Eblii, & Leonardus Gimundi de Narnia, Transfericus de Campo Rigalis, Thomas Domini Actonis de Interamna, Bonuscomes Hugolini de Castiglione Comitatus Perusii, & Amelius & Rubeus Frederici de Lacuscello, de mandato & voluntate prædictorum Dominorum olim de Miranda, principaliter promittimus & obligamus per nos nostrosque heredes & successores vobis Domino Alatrino recipienti nomine & vice Romanæ Ecclesiæ, nos facturos & curaturos, quod dicti Domini olim de Miranda & filii eorumdem dictam venditionem, concessionem, cessionem, refutationem, remissionem, renuntiationem, donationem, promissionem, & pactum de non petendo, & omnia, ut in singulis capitulis superius continetur, attendent & observabunt perpetuo, & non contravenient in aliquo capitulo prædictorum per se vel per alium aliqua occasione, ingenio, vel fraude. Et si in aliquo prædictorum contravenerint omnes vel unus ipsorum, promittimus per nos nostrosque heredes & successores, constituendo nos principales debitores ipsius Ecclesiæ, ipsam Romanam Ecclesiam conservare indemnem nostris expensis, & omnia damna & expensas, quæ & quas Ecclesia Romana vel aliquis pro Ecclesia occasione prædicta sustineret, integre resarcire & reficere promittimus, credendo & stando de damnis & expensis simplici verbo Nuntii Ecclesiæ, cui prædicta commissa essent ab Ecclesia Romana, sine sacramento vel onere alicujus probationis, sub obligatione nostrorum bonorum præsentium & futurorum, & pœnâ decem millium Librarum Lucensium. Et pœnâ solutâ vel commisâ vel non solutâ, contractus iste & omnia supradicta, ut in singulis capitulis continetur, firma & rata permaneant. Renuntiantes beneficio novæ Constitutionis, & beneficio fidejussorum, & specialiter illi Authenticæ *Sed hodie*, omnique alii Legum & Decretorum auxilio, nobis in hoc facto modo aliquo cohærenti, competenti & competituro.

„ Acta sunt hæc in Ecclesia Sanctæ Mariæ, Interamnensis, in præsentia Domini Johannis Beraldi Judicis & Vicarii Interamnensis, Domini Thomassi de Arrone, Domini Roberti de Bombagno, Domini Henrici Nicolai, Domini Gentilis Falconis, Domini Gentilis de Ancajano, Domini Johannis Guidonis, Matthæi Anastasii, Bonavoltæ Sinopii, Gualterii Guidonis, Conradi Pauli, Thomassi Raynaldi, Leonardi Bonicomitis, Magistri Petri Saragozæ, & Andreæ Muzadoris, & aliorum multorum congregatorum per præconem Civitatis Interamnensis ad generale Consilium in Ecclesia Sanctæ Mariæ prædicta: qui ad hoc vocati & rogati fuerunt testes.

„ Præterea sequenti die, scilicet V. die intrante Mense Aprilis ejusdem Anni & Indictionis, nos Domina Maria uxor quondam Domini Ruberti, Domina Prasina uxor quondam Domini Simonis majoris, Domina Matthia uxor Domini Simonis novelli, & Domina Fabressa filia quondam Domini Ruberti, damus, cedimus, concedimus, & mandamus tibi Domino Gerardo de Ferraria Judici Spoletani Ducatus per Dominum Alatrinum, vice & nomine ipsius Domini Alatrini recipienti pro Ecclesia Romana omnia jura, omnesque actiones reales, personales, utiles, directas, tacitas & expressas, quæ & quas habemus, vel habere videmur, sive nobis competunt in Castro Mirandæ, hominibus, & aliis suis pertinentiis, occasione obligationis dotium nostrarum, sive occasione successionis, vel quacumque alia qualibet occasione vel jure. Constituendo per te & Dominum Alatrinum prædictum ipsam Ecclesiam Romanam procuratricem tamquam in rem suam. Item confirmamus, & per omnia acceptamus venditionem, cessionem, refutationem & concessionem factam ipsi Domino Alatrino nunc Rectori Ducatus Spoletani, recipienti pro Ecclesia Romana, per Dominos Ofreducium, Simonem, & alios Dominos olim de Miranda, de ipso Castro Mirandæ & pertinentiis suis, ut in prædicto contractu ipsius venditionis superius continetur. Et remittimus, quietamus, refutamus, & pactum facimus de non petendo, omne jus, quod habemus vel habere videmur in dicto Castro & pertinentiis suis occasione dotium nostrarum vel successionis, vel alia qualibet occasione. Renuntiando specialiter juri hipothecarum, omnique alii Legum & Decretorum auxilio, nobis in hoc facto cohærenti, competenti, & competituro. Item promittimus tibi Domino Gerardo vice & nomine dicti Domini Alatrini recipienti pro Ecclesia Romana, quod nulli dedimus nec concessimus jus nostrum de dicto Castro & pertinentiis suis: & si aliqua concessio à nobis facta aliquo tempore reperiretur, promittimus per nos nostrosque heredes & successores sub obligatione nostrorum bonorum tibi Domino Gerardo stipulanti vice Domini Alatrini prædicti pro Ecclesia Romana, ipsam Romanam Ecclesiam nostris expensis conservare indemnem. Quam dationem, cessionem, confirmationem, concessionem, renuntiationem, remissionem, refutationem, & promissionem, & omnia, ut in singulis capitulis superius continetur, promittimus per nos nostrosque heredes & successores tibi prænominato Domino Gerardo vice & nomine dicti Domini Alatrini recipienti pro Ecclesia Romana, attendere, observare, & non contravenire per nos vel submissam personam aliqua occasione vel fraude, sub obligatione omnium bonorum nostrorum, & pœna in Instrumento ipsius venditionis inserta: quâ solutâ vel commisâ vel non solutâ, prædicta omnia, ut in singulis capitulis superius continetur, in

" sua maneant firmitate. Et ad majorem firmitatem omnia & singula supradicta, ut in singulis capitulis continentur, observare & attendere & non contravenire occasione minoris ætatis, vel alia qualibet occasione, vel fraude, tactis sacrosanctis Evangeliis corporaliter juramus.

" Actum in domo Raynaldi Gimundi de Narnia, præsentibus Domino Leonardo Scalchi, Domino Gimundo Leonardi, Bartholomæo Oderisii, Talento serviente Domini Raynerii Cardinalis, Philippo Leonardi, Sforza Eblii, Domino Petro Leonis, Domino Leonardo Gimundi, & aliis pluribus ad hoc vocatis & rogatis testibus.

" Insuper tertio die sequenti, scilicet VIII. die intrante Mense April s ejusdem Anni & Indictionis, nos Domina Sufia soror Domini Ofreducii, & Domini Simonis, & Domina Maria filia Domini Simonis, uxor Domini Bartholomæi, & Domina Diamante filia Domini Ofreducii, & Domina Aldruda filia olim Domini Ruberti, damus, cedimus, concedimus & mandamus tibi Domino Gerardo de Ferraria Judici Spoletani Ducatus, per Dominum Alatrinum, vice & nomine ipsius Domini Alatrini recipienti pro Ecclesia Romana, omnia jura, omnesque actiones reales, personales, utiles, directas, tacitas, & expressas, quas & quæ habemus, vel habere videmur, sive nobis competunt in Castro Mirandæ, hominibus & aliis suis pertinentiis, occasione &c. (*ut supra*.)

" Actum in Civitate Interamnæ, in domo Domini Simonis supradicti, præsentibus Domino Jordano Rectore Terræ Arnulforum, Domino Vita Domini Simonis, Domino Bartholomæo de Aquasparta, Transerico Johannis Gregorii, Domino Jacobo Matthæi, Jacobo Domini Andreæ, & aliis pluribus ad hoc vocatis & rogatis testibus.

" Ego *Petrus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate Notarius*, hoc Instrumentum de mandato Domini Benedicti Camerarii Domini Papæ, ad exemplum authentici Instrumenti per manum meam facti, in hoc Libro fideliter exemplavi, & meum signum posui.

## Apprehensio Villæ de Stravignano, facta ab Episcopo Alatrino pro Ecclesia Romana, Anno 1235.

*In nomine Domini. Amen. Nos Alatrinus Domini Papæ Subdiaconus & Capellanus, Ducatus Spoletani Rector, apprehendimus Villam de Stravinjano cum omnibus pertinentiis suis ad opus Ecclesiæ Romanæ pro pertinentiis Vallis Tupinæ. Et quicumque venerit contra ipsam apprehensionem, vel eam infringere tentaverit, vel modo aliquo violare, excommunicationis sententiam, quam nunc ferimus, se noverit incurrisse. Et præter ipsam pœnam, si fuerit Civitas, mille, si Castrum, quingentarum, si Villa, tercentarum, si Comes vel Baro centum, si Miles, quinquaginta, si Pedes, triginta Librarum banno se noverit subjacere: si verò Clericus fuerit, officio & beneficio privatus, spolietur omnibus bonis suis: si Mulier, pœnæ subjaceat viginti Librarum.*

*Actum est hoc in Villa prædicta, in nomine Domini, Millesimo Ducentesimo Trigesimo Quinto, Indictione VIII. tempore Domini Gregorii Papæ IX. existentis, die III. exeunte Januario: in præsentia Domini Bertelotti de Orbesalia, Domini Johannis Abbatis Sancti Stephani de Gallano, Domini Landonis, Domini Johannis Frasea, Domini Tancredi de Cassia.*

Ego Jacobus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate Notarius, *iis omnibus supradictis interfui, & ut supra legitur, de mandato prædicti Domini Alatrini scripsi.*

## Ratificatio cessionis Castri Mirandæ facta Cameræ Pontificiæ, Anno 1289.

*In nomine Domini. Amen. Anno Nativitatis Dominicæ Millesimo Ducentesimo Octuagesimo Nono, Indictione II. Pontificatus Domini Nicolai Papæ V. Anno II. mense Julii die V. intrante. In præsentia mei Notarii & testium subscriptorum, Andreas Domini Bonicomitis quondam de Miranda Narniensis diœcesis pro se ac nomine suo, ac procuratorio nomine Martini fratris sui, & tutorio nomine Johannuccii & Petruzoli, Diamantucia, Clarucia, ac Theodoretta, filiorum quondam Ofredini quondam filii dicti Domini Bonicomitis; nec non & Manfredus Brancæ, suo & procuratorio nomine Simonis Domini Bartholomæi & Henrici Brancæ de Miranda: ut hæc apparent per publica Instrumenta à me Notario infrascripto visa diligenter & lecta. Constituti coram venerabili viro Magistro Nicolao de Trebis, Domini Papæ Camerario, sua spontanea, propria, & libera voluntate, non coacti vel dolo inducti, quilibet eorum insolidum, recognoscentes, libere & expresse, quod progenitores eorum quondam Domini Castri Mirandæ dictæ Diœcesis, ipsum Castrum cum juribus & pertinentiis suis, hactenus vendiderunt pro pretio sex millium Librarum Lucensium, tempore felicis recordationis Domini Gregorii Papæ IX. ipsamque venditionem ratificantes & approbantes expresse, nihilominus pro se ipsi ac tutorio & procuratorio nomine prædictorum, ac hæredibus & successoribus eorumdem in perpetuum, vendiderunt, concesserunt, tradiderunt atque cesserunt præfato Magistro Nicolao Camerario, nomine ac vice Domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ recipienti, ementi, & stipulanti omne jus & actionem utilem, directam, realem & personalem, quod & quam habent, vel forsitan habere deberent & possent, vel eis competit, aut competere dignoscitur quoquo modo, jure, vel causa in eodem Castro Mirandæ, sive tertia parte ipsius, cum omni jure, actione & proprietate, accessibus & egressibus ac pertinentiis suis, eis & cuilibet ipsorum ex prædictis vel eorum occasione quomodolibet spectantibus. Insuper dederunt & concesserunt eidem Domino Camerario recipienti nomine quo supra, omnia jura & actiones & rationes utiles & directas, reales & personales atque mixtas in dictis rebus, ipsis competentia & competitura, ut Dominus Papa & Ecclesia Romana, & illi, quibus ca-*

dede-

*dederint , vel habere mandaverint , possint & valeant inde agere , experiri & excipere contra omnes personas & loca, nullâ in se factâ reservatione . Pro pretio & nomine certi pretii sexcentorum sexaginta sex Florenorum, & duarum partium unius Floreni auri .*

*Quod pretium confessi fuerunt , & recognoverunt in veritate , non spe numerationis vel receptionis futuræ, se habuisse ac recepisse, & sibi integre datum , traditum & solutum fuisse nomine Romanæ Ecclesiæ prælibatæ : exceptioni non habiti, non numerati seu ponderati & recepti dicti pretii sive pecuniæ quantitatis omnino & expresse renuntiantes : de quo se bene & integre pagatos & contentos vocaverunt, & tenuerunt , & ipsum Dominum Papam , ejusque successores & Romanam Ecclesiam inde penitus liberarunt . Et si plus valeret , certiorati de jure ipsorum , pro remedio animarum suarum , parentumque suorum , & pro beneficiis eis à Romana Ecclesia præstitis , simpliciter & irrevocabiliter concesserunt & donaverunt eidem Ecclesiæ Romanæ . Promittentes per stipulationem solemnem eidem Domino Camerario recipienti & stipulanti nomine quo supra ad pœnam dupli dictæ rei venditæ , obligando se principaliter & insolidum , suosque heredes , & bona eorum omnia & singula præsentia & futura, quod ipsi venditores vel eorum successores , vel alia persona pro ei· sive ab eis submissa , vel ab eis submittenda persona , de cetero non imbrigabunt , vel molestabunt modo aliquo sive jure Dominum Papam & Ecclesiam Romanam , vel illos , cui vel quibus decreverint , vel mandaverint haberi de suprascripta re ac juribus venditis & traditis , vel aliqua eorum parte , seu ipsorum occasione . Nec ipsam rem venditam vel aliquam ejus partem alicui personæ singulari vel Universitati vendiderunt, sive cesserunt aut donaverunt aliqua occasione seu causa : sed ab omni imbriganti persona seu loco , eidem Domino Papæ ejusque successoribus & Ecclesiæ Romanæ perpetuo defendent & disbrigabunt. Et actores & defensores inde prædictæ Ecclesiæ erunt & existent , ac semper ipsos Dominum Papam ejusque successores ac Romanam Ecclesiam facient potiorem in proprietate , & circa proprietatem dictæ rei venditæ & traditæ , ac possessione eorum , vel quasi , licitum sit eis habere & tenere . Et si qua lis vel lites seu molestia ab aliquo vel aliquibus eidem Domino Papæ & Romanæ Ecclesiæ moveretur aut moverentur, ipsas in se suscipient & disbrigabunt propriis eorum expensis. Renuntiando ex pacto inter eos apposito necessitate denuntiandi vel notificandi, si aliquo tempore inde lis aliqua moveretur . Et omnia damna , expensas , ac interesse , quæ propter hæc se dixerint incurrisse , se integre refecturos promiserunt , stando de iis omnibus simplici verbo Procuratoris sive Oeconomi Romanæ Ecclesiæ sine aliqua probatione. Pro quibus omnibus servandis & firmiter adimplendis & tenendis in perpetuum , obligaverunt iidem venditores nomine quo supra præfato Domno Camerario stipulanti & recipienti nomine Domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ , omnia & singula bona sua , heredum & successorum suorum mobilia & immobilia , præsentia & futura , jura & actiones , ubicumque sint vel fuerint constituta , ad pœnam dupli rei venditæ supradictæ . Renuntiantes in iis omnibus exceptioni doli mali , & in factum actioni , conditioni indebiti sine causa , beneficio restitutionis in integrum , omnique alterius actionis & juris Canonici & Civilis auxilio , per quod iidem venditores contra Romanam Ecclesiam possent in posterum se tueri : & omni alii auxilio juris , quod contra hoc Instrumentum vel factum posset aliquatenus objici vel opponi, & specialiter juri dicenti , generalem renuntiationem non valere .*

*Actum Reate in domibus , in quibus præfatus Dominus Camerarius morabatur , præsentibus Domino Raynuccino de Murro , Domino Henrico de Labro Capellanis , Magistro Paulo de Reate Clerico Cameræ Domini Papæ , & Domino Thoma Milite , & Manfredo Domini Pandulfi de Labro , Petro Cimini de Reate , Magistro Benedicto de Sulmona , & Christophoro Benedicti de Senis , testibus .*

*Item Anno , Indictione , Pontificatu, & locis prædictis, ejusdem mensis Julii die VI. intrante , in præsentia mei Notarii & testium subscriptorum , Raynaldus Callararius , Ferranetius , & Ravaronus fratres , filii quondam Domini Ofreduccii de Miranda Narniensis Diœcesis , & Pellinus filius quondam Johannis , nepos dicti Domini Ofreduccii de Miranda , constituti coram venerabili viro Magistro Nicolao de Trebis Domini Papæ Camerario , sua spontanea ac libera voluntate , non coacti , vel dolo inducti , quilibet eorum insolidum recognoscentes libere & expresse , quod progenitores eorum quondam Domini Castri Mirandæ dictæ Diœcesis ipsum Castrum , cum juribus & pertinentiis suis &c.* ut supra , usque *Pro pretio & nomine pretii sexcentorum sexaginta sex Florenorum , & duarum partium unius Floreni auri . Quod pretium confessi fuerunt &c.* ut supra usque in finem . *Et nihilominus dictus Pellinus , qui erat minor XXV. annis juravit corporaliter , tacto Libro , dictam venditionem, & omnia singula suprascripta rata & grata habere, & contra ea non venire quacumque occasione , vel causa .*

*Actum Reate in domibus &c.* ut supra : *præsentibus Magistro Jacobo de Parma Clerico Cameræ , Fratre Johanne Macario Marescalco familiæ , Bartholomæo Jacobi Romani , Johanne Basilis de Urbe , servientibus Domini Papæ , Johanne dicto de Spata , Domino Henrico Domini Raynerii , Domino Paulo Jacobi Makaragni , Domino Henrico Domini Pauli , Civibus Interamnensibus , & Christophoro Benedicti de Senis , testibus ad hæc rogatis .*

*Item Anno , Indictione , Pontificatu , & loco prædictis , supradicti mensis Julii die XIII. intrante , in præsentia mei Notarii & testium subscriptorum , Petrus Martucii Domini Simonis quondam de Miranda , curatorio nomine ipsius Martucii patris sui , qui non est compos sui , nec non & suo proprio , ac procuratorio nomine Simonetti fratris sui , ut hæc apparent per publica Instrumenta a me Notario subscripto visa diligenter & lecta , & Jacobus frater dicti Petri , filius præfati Martucii ; constituti coram venerabili viro Magistro Nicolao de Trebis Domini Papæ Camerario , sua spontanea voluntate , non coacti nec dolo inducti , quilibet eorum insolidum recognoscentes libere & expresse , quod progenitores eorum &c.* ut supra usque in finem .

*Actum Reate &c.* ut supra , *præsentibus venerabile Patre Andrea Episcopo, Dominis Ventura Raynerii , Bartholomæo Bontempi Canonicis Reatinis , Domino Raynuccino de Murro Capellano , Johanne Macario Marescalco familiæ Domini Papæ , & Domino Lambertino Canonico Bononiensi , testibus ad hæc rogatis .*

*Et ego* Jacobus Pisani de Viterbio, Apostolica auctoritate, *& nunc Cameræ Domini Papæ* Notarius, *præmissis interfui, & ea rogatus scribere, fideliter scripsi, & in publicam formam redegi, meoque signo signavi*.

Neque tantùm Romæ, atque in ditione Pontificia ejusmodi Tabelliones *auctoritate Apostolica* creati, suo munere functi sunt, sed ubique etiam in Christianorum Occidentalium Regnis, *etiam in Francia, vel Anglia, seu Hispania*, Instrumenta conficiebant, ut fidem facit Guilielmus Durantis, Speculator appellatus, Tit. *de fide Instrumentorum*; cujus veritatis exempla multa supersunt. Contra Notarii à Regibus, atque Imperatoribus constituti, si Venetias excipias, & per aliquot tempora Regnum Apuliæ, atque Siciliæ; in reliquis Italiæ locis, atque in ipsa Urbe, ac ditione Pontificia, tabulas contractuum conscribebant. Ii appellati *Sacri Palatii*, sive *Sacri Imperii Notarii*, aut *Notarii Domini Imperatoris*, *Notarii Palatini*, *Regalis Curiæ Notarii*, *Imperialis Aulæ Scriniarii*, *&c.* Chartas ab ipsis conscriptas, decurrente Sæculo XIII. in Pontificiis Urbibus en tibi exhibeo è toties memorato Regesto Cencii Camerarii desumtas.

## Instrumentum venditionis Castri Puzæ emti à Domino Fratre Thomasio Domini Papæ Camerario, tempore Domini Gregorii Papæ IX. Anno 1236.

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Anno Nativitatis ejusdem Millesimo Ducentesimo Trigesimo Sexto, Pontificatus Domini Gregorii Papæ IX. Anno IX. Indictione IX. mense Februario, die XXVII. In præsentia Venerabilium Dominorum Dei gratiâ I. Sabinensis Episcopi, & Johannis titulo Sanctæ Praxedis Presbyteri Cardinalis, & subscriptorum testium ad hoc specialiter rogatorum, nec non & nostrorum* Raynaldi & Landi Scriniariorum, *Dominus Guido Johannis Guidonis de Papa, Civis Romanus, sua bona voluntate vendidit, & per Dominum Crescentium Domini Papæ Subdiaconum & Capellanum, Sabiniæque Rectorem, quem ad investiendum Procuratorem irrevocabiliter constituit, investiens tradidit, cessit, dedit, & concessit Domino Fratri Thomasio Domini Papæ Camerario, vice & nomine Domini Papæ & Ecclesiæ Romanæ recipienti in perpetuum, nullo sibi jure & jurisdictione in subscriptis penitus reservato: videlicet Castrum Puzæ positum territorio Sabinensi ad veram proprietatem, perpetuamque hereditatem cum omni jure, jurisdictione, districtu, dominio, & honore, cum hominibus, & eorum servitiis, cum domibus, & casalinis, montibus, collibus, vallibus, planiciis, terris, hortis, vineis, & canapinis, emtionibus, & quocumque modo acquisitis, silvis, pascuis, aquis, rivis, pratis, limitibus, & possessionibus omnibus cultis vel incultis, cum omnibus introitibus & exitibus suis, & cum omnibus pertinentiis, utilitatibus, usibus & adjacentiis, & cum omnibus, quæ habet in tota Sabinia, & ejus territorio: exceptis iis, quæ habet in Castro Muczani, & jure, quod dicebat se habere in Molendino, quod fuit in alveo cujusdam aquæ, quæ vocatur Laja. Hoc tamen expresse adjecto, quod si illud fuerit de Castro Puzæ vel ejus territorio vel districtu vel adjacentiis vel pertinentiis, emtionibus, seu acquisitis factis a prædicto Domino Guidone, totum cedat Romanæ Ecclesiæ cum hac emtione, nullo sibi jure in prædictis casibus reservato. Sin autem, ipsi Domino Guidoni, sicut dictum est, reservetur. Hanc autem venditionem, cessionem, & concessionem fecit idem Dominus Guido Domno Camerario prædicto, ut dictum est superius, pro eo quod recepit ab eo pro pretio sibi bene placabili, Mille & ducentas Libras bonorum & legalium proveniensium Senatus. De quibus se bene quietum & pagatum vocavit, exceptioni non numeratæ & non solutæ sibi pecuniæ omnimodo renuntiando. Et si plus valet, aut majoris pretii sit, nomine Romanæ Ecclesiæ sibi inter vivos donavit. Dedit etiam, cessit & concessit præfatus Civis Domino Camerario antedicto Domini Papæ & Ecclesiæ Romanæ, ut dictum est, recipienti, omnia jura & actiones utiles & directas, tacitas & expressas, generales & speciales, reales & personales, quæ & quas habet, & sibi competunt, vel competere possunt contra quamcumque personam in Castro Puzæ prædicto & ejus territorio, pertinentiis, emtionibus & acquisitis, ut sicut ipse Civis agere, excipere & petere potuit, sic ipsa Romana Ecclesia agat, excipiat, petat, & faciat quidquid voluerit libere in perpetuum. Et ab hodierna die in antea potestatem habeat Dominus Camerarius antedictus, Ecclesiæ Romanæ nomine, præfatum Castrum cum suis pertinentiis, ut dictum est, tenere, intrare, uti, perfrui, possidere, vendere, donare, permutare, locare, infeudare, & facere quidquid sibi placuerit libere in perpetuum. Promittens Civis prænominatus Domno Camerario supradicto, Ecclesiæ Romanæ nomine, ut dictum est, recipienti, præfatum Castrum cum omnibus supradictis, & jus & actiones, quæ in ipsis habuit, se nulli alii dedisse, vendidisse, donasse, cessisse, obligasse & concessisse, vel aliquem ex ipsis alicui contractum fecisse. Quod si apparuerit, se contra fecisse, & ipsa Romana Ecclesia, vel illi, quibus Romana Ecclesia vendiderit, aut concesserit, in damna aliqua & expensas devenerint, nomine principalis obligationis, & bonæ fidejussionis ipsa damna omnia & expensas præfatus Civis reddere & restituere promisit eisdem. Pro quibus damnis & expensis se & omnia bona sua mobilia & immobilia, præsentia & futura eidem Domno Camerario, dictus Civis ad præsens propter hoc specialiter obligavit, constituens, se prædicta omnia bona sua & Ecclesiæ Romanæ nomine, quantum ad hoc, precario possidere. Et in iis omnibus & singulis supradictis renuntiavit prædictus Dominus Guido exceptioni, quam aliquo tempore dicere posset, se possessione ipsius Castri esse spoliatum, antequam ipsum cum suis pertinentiis vendidisset, & omni alii juris auxilio tam Canonici, quam Civilis, & beneficio sibi nunc competenti, vel in posterum competituro.*

*Dedit etiam & assignavit prænominatus Dominus Guido eidem Domino Camerario Instrumentum venditionis factæ sibi a Johanne Albinini de Carbio, & a Radulfucio Petri de Gualterio,*

*terio, de octava parte Castri prædicti, cum suis pertinentiis. In quo continentur duo alia Instrumenta concessionis, confirmationis, & refutationis factarum eidem Domino Guidoni a Somarono Gualterii de Carbio, & Garsilia uxore præfati Albinini: & quoddam aliud Instrumentum venditionis factæ ipsi Domino Guidoni a Raynaldo & Januario filiis Bonifacii de Carbio, de octo partibus una Castri prænominati cum suo territorio & prædictis. Et Instrumentum aliud venditionis factæ prædicto Domino Guidoni ab Angelo Petri Gottifredi de Carbio cum Raynaldo Bonifacii curatore suo, & cum Flormanna matre sua, de octava parte totius Castri Puzæ prædicti, cum suo territorio & omnibus supradictis. Et Instrumentum aliud concessionis & confirmationis factæ ipsi Domino Guidoni a Tubo filio Bonifacii de Carbio de donatione & venditione sibi facta de parte sua Castri Puzæ & ejus territorio a Raynaldo & Januario fratribus suis. Quæ Instrumenta prædicta omnia confecta sunt per* Christianum Scriniarium de Sabinia. *Assignavit itaque dictus Dominus Guido Domino Camerario memorato Instrumentum renuntiationis jure divisionis & cambii, concessionis & confirmationis factæ sibi de Castro prædicto & ejus territorio a Jacobo Petri Octaviani pro se & Tedaldo fratre suo, & Odolina uxore quondam Petri Octaviani tutrice filiorum suorum, & filiorum ipsius Petri Octaviani Ægidii & Laurentii, & a Jacoba filia Petri Octaviani. Et quoddam aliud Instrumentum renuntiationis jure divisionis & cambii, concessionis & confirmationis factæ ipsi Domino Guidoni de Castro eodem, & ejusdem territorio a Tedaldo, filio Petri Octaviani. Quæ duo Instrumenta confecta sunt per* Donadeum Ægidii Scriniarium de Malliano. *Et Instrumentum locationis & concessionis factæ Domino Guidoni prædicto de duodecim partibus una Castri Puzæ prædicti, & ejus territorio a Tosto Archipresbytero Eprii & Vicedomini, cum consensu & voluntate ipsius Ecclesiæ Canonicorum. Et Instrumentum aliud venditionis & concessionis factæ ipsi Domino Guidoni de medietate unius petiæ terræ, & quartæ partis unius Canapinæ, & quartæ partis unius Casalini positi in eodem Castro & ejus territorio, a Johanne Aliotti. Quæ duo Instrumenta confecta sunt per* Petrum de Sancto Polo Scriniarium. *Et Instrumentum confirmationis & corroborationis factæ a Jacoba filia Petri Octaviani, de compromisso facto in manibus Domini Jaquinti de Tosto à Domina Odolina matre sua, & tutrice filiorum suorum, & filiorum quondam ipsius Petri Octaviani Ægidii, Petri Octaviani, & Laurentii, per* Raynerium Scriniarium *factum. Et aliud Instrumentum super depositionibus testium per* Johannem Gropaldum Judicem & Scriniarium *confectum. Et Instrumentum investimenti dati ipsi Domino Guidoni per Johannem Matthæi Brancatii de Stimilgiano, de parte Raynucii Francisci, & portione Petri nepotis sui, quam habebant in Castro Puzæ prædicto & Vinea eorumdem. Quod Instrumentum confectum est per manus cujusdam* Scriniarii de Sabinia. *Et quoddam aliud Instrumentum nomine transactionis & refutationis factæ ipsi Domino Guidoni sicut principali, & quibusdam aliis super tercentum octo Libris provensium, confectum per Christianum antedictum. Et Instrumentum aliud venditionis factæ Domino Guidoni prædicto a Raynucio Francisco & Petro nepote suo, de toto, quod habebant in Castro Puzæ prædicto & ejus territorio, & de Podio ante ipsum Castrum, & Vinea eorumdem, confectum per* Petrum Sabiniæ Judicem ac Scriniarium. *Et quoddam aliud Instrumentum dationis, cambii, & cessionis factæ Jacobo Petri Octaviani præfato & fratribus suis de tota Terra sua posita in tenimento Castri Puzæ prædicti, per* Johannem Romanum Judicem & Scriniarium *confectum. Promittens Dominus Guido prænominatus, omnia alia Instrumenta, Privilegia, Chartas, & Literas ad Castrum Puzæ prædictum, cum suis adjacentiis, emtionibus, acquisitis, & omnibus supradictis pertinentes, si inveniri potuerint, quamcitius ea habuerit, Domini Papæ Cameræ assignare.*

*Præterea idem Dominus Guido fecit finem, quittationem, generalem renuntiationem, & pactum de non petendo Domno Camerario Domini Papæ & Ecclesiæ Romanæ nomine, & venerabili Domno I. Dei gratiâ Sabinensi Episcopo antedicto, pro universis & singulis Sabinensibus recipienti in perpetuum; videlicet de omnibus juribus, actionibus, utilibus & directis, tacitis, vel expressis, generalibus & specialibus, realibus & personalibus, petitionibus, quæstionibus, & exceptionibus sibi competentibus contra Romanam Ecclesiam, & universos & singulos Sabinenses pro possessionibus, emtionibus, acquisitis, & omnibus aliis supradictis, privilegio vel privilegiis Senatoris vel Senatorum tam de damnis prædictis, & diffidationbus Sabinorum, quàm de omnibus aliis impetratis quoquo modo, seu omnibus antedictis, vel etiam impetrandis. Quæ si de cetero apparuerint, nullius valoris atque momenti consistant, immo pro vacuis semper, cassis & irritis habeantur. Et deinceps in antea tam Romana Ecclesia & illi, quibus Romana Ecclesia vendiderit vel concesserit, quàm & universi & singuli Sabinenses, securi, quieti, pacifici sint & tranquilli, & ab omni lite, petitione & quæstione perpetuò remoti. Quod nec ab ipso Domino Guidone, vel ab ejus heredibus & successoribus, aut ab aliqua ab ipsis submissa, vel submittenda persona movebitur eis molestia vel calumnia, seu aliqua controversia de præmissis. Promisit etiam Civis prænominatus Domnis Camerario nomine Domini Papæ & Ecclesiæ Romanæ, & Episcopo Sabinensi memoratis, pro universis & singulis Sabinensibus recipientibus, jus & actiones, quæ contra Romanam Ecclesiam, & universos & singulos Sabinenses, occasione damnorum & expensarum hactenus habuit, se nulli dedisse, donasse, vendidisse, cessisse, & concessisse, vel aliquem inde alicui contractum fecisse. Quod si apparuerit, se contra fecisse, & tam ipsa Romana Ecclesia, quàm & universi & singuli Sabinenses in damna aliqua devenerint, & expensas fecerint, ipsa damna omnia & expensas tam Romanæ Ecclesiæ, quàm & universis & singulis Sabinensibus nominatus Dominus Guido præfatis Domnis Episcopo & Camerario, ut dictum est, recipientibus reddere & restituere promisit. Pro quibus damnis & expensis omnibus se & omnia sua bona mobilia & immobilia præsentia & futura, antedictus Civis eisdem Domnis Camerario Ecclesiæ Romanæ & Episcopo nomine Universitatis & singularitatis Sabinensium recipientibus, propter hoc specialiter obligavit; constituens se ipsa bona sua omnia nomine Romanæ Ecclesiæ & Universitatis & singularitatis Sabinensium, quantum ad hoc, precario possidere. Et sicut eidem Domno Camera-*

*merario nomine Romanæ Ecclesiæ recipienti pro dictis omnibus observandis memoratus Civis se principaliter obligavit, sic & jam dicto Domno Episcopo Sabinensi nomine illorum, quibus Romana Ecclesia Castrum Puzæ concesserit & vendiderit cum prædictis, ad prædicta omnia & singula firmiter observanda se cum prædictis omnibus bonis suis specialiter obligavit. Ad majorem autem omnium & singulorum præmissorum cautelam, tactis sacrosanctis Dei Evangeliis idem Dominus Guido juravit, & nomine principalis obligationis & bonæ fidejussionis pro se, suisque heredibus & successoribus per stipulationem legitimam promisit præfato Domino Camerario vice & nomine Domini Papæ & Ecclesiæ Romanæ & memorato Domino Episcopo nomine Universitatis & singularitatis omnium Sabinorum, & illorum, quibus ipsa Romana Ecclesia jam dictum Castrum Puzæ vendiderit, aut concesserit cum prædictis, recipientibus in perpetuum, hanc venditionem, concessionem, quietationem, & omnia & singula quælibet supradicta, rata & firma habere, & contra non venire, sed observare, & legitime suis expensis de jure defendere ab omni persona, si fuerit necesse, sub pœna dupli, omni cavillatione, fraude, & malo ingenio remotis. Solutâ verò pœnâ, præsens Instrumentum & omnia supradicta perpetuò nihilominus firma permaneant.*

*Actum Viterbii in Palatio Domini Raynerii Cardinalis, in quo Dominus Papa moratur, præsentibus his testibus ad hoc specialiter rogatis, scilicet Magistro* Bartholomæo Domini Papæ Notario, *Magistro Roffrido de Benevento juris civilis Professore, Domno Benedicto Presbytero Domini Papæ Capellano, Magistro Petro de Pontecurvo Domini Papæ Capellano, Magistro Palmerio Domini Papæ Scriptore & ejus Cameræ Clerico, Domno Guidone Johannis Cyrini de Urbe, Henrico Clerico Sanctæ Mariæ Transtiberim*, Petro Raynaldi Scriniario *Quintavallis, Berardo Angelerii, Raynerio Munaldi, Petro Mingardæ, & Salvatico de Sabinia, testibus.*

*Ego* Raynaldus *Dei gratiâ* sacri Romani Imperii Scriniarius, *habens potestatem dandi tutorem, curatorem, emancipandi, decretum interponendi, alimenta decernendi, & publicationes testium faciendi, quia iis interfui supradictis, de consensu partium hoc Instrumentum scripsi & complevi rogatus.*

*Et ego* Landus Imperiali auctoritate Scriniarius, *quia prædictis interfui ideo me subscripsi.*

## Venditio facta per Guidonem Johannis Rolandi de Roccis & Castris Palliani & Serronis, Anno 1236.

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Anno ejusdem Incarnationis Millesimo Ducentesimo Trigesimo Sexto, Pontificatus Domini Gregorii Papæ IX. Anno IX. Indictione IX. Mense Februario die VII. Hac quidem die Guido Johannis Rolandi Civis Anagniæ, hac die præsenti, sua propria & spontanea voluntate vendidit & irrevocabiliter tradidit Domino Fratri Thomæ Domini Papæ Camerario, procuratorio nomine pro Domino Gregorio Papa & suis successoribus, ad opus & utilitatem Romanæ Ecclesiæ recipienti in perpetuum: videlicet omnia & singula, quæ habet in Roccis & Castris Paliani & Serronis, cum domibus & casalinis infra Roccas & Castra eadem ad ipsum & suos heredes & successores pertinentibus, & cum omni jure, jurisdictione, districtu, dominio, & honore, & tam in Vassallis, quàm in terris, vineis, pratis, montibus, collibus, planiciis, pascuis, silvis, aquis, & communitatibus universis, sicut ipsi Guidoni & heredibus & successoribus suis competunt vel pertinent pro diviso vel indiviso, tacite vel expresse in prædictis Castris intus & extra, & per totum eorumdem Castrorum territorium vel districtum. Et quicquid ipse vel alia persona pro ipso de prædictis omnibus possidet, à præsenti, nomine Domini Papæ & Ecclesiæ Romanæ se possidere constituit. Et dedit atque concessit ipsi Domino Camerario pro Domino Papa & Ecclesia Romana liberam potestatem intrandi & accipiendi per se vel suum Procuratorem auctoritate propria possessionem omnium prædictorum, & habendi, tenendi, fruendi, permutandi, & possidendi ad opus & utilitatem Romanæ Ecclesiæ in perpetuum omnia supradicta. Necnon cessit & mandavit eidem Domino Camerario pro Domino Papa & Ecclesia Romana omnes actiones reales & personales, utiles & directas, tacitas & expressas, generales & speciales eidem Guidoni vel suis heredibus & successoribus aliquo tempore competentes vel competituras: salvo per omnia prænominato Guidoni & suis heredibus & successoribus perpetuò, quod universas possessiones & omnia immobilia extra munitiones prædictorum Castrorum posita, possessiones & redditus Vassallorum suorum, quos & quæ hujus alienationis tempore in Castris habuerat memoratis, á Domino Papa & Ecclesia Romana in feudum de cetero teneat, & exinde ipsius Domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ Vassalli sint perpetuo & fideles, & eis propter hoc specialiter præstent homagium personale.* Pro *qua venditione & traditione recepit & habuit Guido prædictus à Domno Camerario superius memorato, nomine Domini Papæ & Ecclesiæ Romanæ solvente, centum & quadraginta Libras bonorum & legalium provenienfium Senatus. De quibus bene se quietum & pacatum vocavit, exceptioni non solutæ & non numeratæ sibi pecuniæ renuntiando. Et si prædicta plus valent pretio supradicto, totum à præsenti eidem Domino Papæ ad opus & utilitatem Romanæ Ecclesiæ dedit & concessit libere in perpetuum. Pro quibus omnibus observandis firmiter & plenarie adimplendis, omnia bona sua mobilia & immobilia, præsentia & futura eidem Domino Papæ & Romanæ Ecclesiæ obligavit, & eadem propter hoc specialiter ipsorum nomine se constituit possidere precario. Renuntiando in iis omnibus pro se & suis heredibus & successoribus omni juris auxilio Canonici & Civilis, consuetudini & statuto, & omni exceptioni, actioni, defensioni, & rei, quæ contra hoc possent objici Instrumentum vel factum. Hanc autem venditionem, traditionem, & omnia supradicta, tactis sacrosanctis Evangeliis juravit & promisit Guido prædictus, rata & firma semper habere, & contra non venire in perpetuum per se suosque heredes vel successores, vel per aliquam ab eis submissam vel submittendam personam, modo aliquo, fraude vel ingenio seu prætextu alicujus exceptionis competenti sibi nunc vel in posterum competituræ. Et quod prædicta omnia alicui non vendidit*

*dit nec donavit vel impignoravit, nec cessit vel concessit, nec aliquem inde alicui contractum fecit, vel in alium transtulit titulo alicujus alienationis. Sed si opus & necesse fuerit, legitime promisit per juramentum omnia supradicta defendere ab omni persona molestiam vel calumniam faciente. Si verò prædicta omnia ab ipso Guidone, suisque heredibus vel successoribus non fuerint perpetuò observata, vel modo quolibet venient contra præmissa, prædictam pecuniam nomine pœnæ duplam eidem Domino Papæ & suis successoribus & Ecclesiæ Romanæ se soluturum solemni stipulatione promisit; & pœnâ solutâ hujus venditionis & traditionis contractus, & omnia supradicta in sua nihilominus firmitate persistant. Præterea Guido prædictus dedit fidejussorem ducentarum Librarum provenienssium Senatus Dominum Guidonem de Collemedio, quod Rolandus frater ipsius Guidonis in supradictis omnibus consentiet, cavebit, & refutabit. Qui Dominus Guido dictam fidejussionem super se recepit, & promisit sub ipsa pœna, quod Rolandus prædictus omnibus præmissis consentiet, cavebit perpetuò, & refutabit, & renuntiabit omni juri, si quod haberet, quocumque modo, vel sibi competeret in omnibus superius memoratis. Insuper Guido prædictus juravit Domino Papæ & Romanæ Ecclesiæ perpetuò fidelitatem, & homagium personale.*

*Actum Anagniæ in Palatio Sancti Angeli. Cujus rei testes rogati interfuerunt Domnus Stephanus Capellanus Domini Papæ, Donnus Petrus Archipresbyter Sancti Angeli, Dominus Philippus de Genna, Dominus Thomasius Rogerius, Frater Raynaldus Castellanus Palliani, Albertus Domini Papæ Cursor, Gualterius ejusdem Domini Cursor.*

*Et ego* Landus Imperiali auctoritate Scriniarius *prædictis omnibus interfui, & de consensu utriusque partis rogatus scripsi.*

*Comitatus Ferreti*, five *Sungovia*, provincia Germaniæ est, Rheno & Alsatiæ contermina. Nescio an quisquam antea monuerit, heredem illius Terræ scriptam fuisse Romanam Ecclesiam à *Ludovico Comite*, postremo illius domino sine filiis vitâ functo. Tabulas ego proferam in eodem Cencii Regesto nobis servatas, & ab *Aimone Sacri Romani Imperii Scriniario* exaratas.

## Absolutio Ludovici Comitis de Ferreto infirmi, Anno 1236.

*IN nomine Domini. Anno Dominicæ Nativitatis Millesimo Ducentesimo Trigesimo Sexto, Indictione IX. mense Augusti, die XVIII. Pontificatus Domini Gregorii IX. Papæ Anno X. Ego Lodoicus Comes de Ferreto, sanus mente & infirmus corpore, coram Scriniario & subscriptis testibus ad hoc a me rogatis, in manibus Fratris Gotifredi & Fratris Raynaldi Pœnitentiariorum Domini Papæ, juro stare mandatis Domini Papæ de omnibus excommunicationibus, quibus teneor adstrictus, promittens satisfacere de omnibus ad mandatum Domini Papæ.*

*Actum Reate, juxta interpretationem Fratris Gotifredi prædicti de Lingua Theutonica in Latinam.*

*Et uterque Pœnitentiarius præfatus post dictum juramentum absolvit ipsum Lodoicum Comitem, dicens:* Absolvo te, auctoritate qua fungor, de mandato Domini Papæ speciali. *Testes sunt Frater Bonensegnia Domini Papæ Marescalcus, Arnoldus de Luca Theutonicus, Balduinus Clericus Coloniensis, Gotifredus Canonicus Sancti Severini Coloniensis, & Johannes Clericus Bremensis.*

*Ego* Aimo, *dictus Ypocras*, sacri Romani Imperii Scriniarius, *& Judex ordinarius interfui, & rogatus scripsi.*

## Testamentum Ludovici Comitis de Ferreto, Anno 1236.

*IN nomine Domini. Anno Dominicæ Nativitatis Millesimo Ducentesimo Trigesimo Sexto, Indictione IX. mense Augusti, die XX. Pontificatus Domini Gregorii IX. Papæ, Anno X. Ego Lodoicus Comes de Ferreto, absolutus per Fratrem Gotefridum & Fratrem Raynaldum Domini Papæ Pœnitentiarios ab omnibus excommunicationibus, quibus tenebar adstrictus, sanus quidem mente, infirmus autem corpore, nolens decedere intestatus, coram Scriniario & subscriptis testibus ad hoc a me rogatis, nuncupativum facio Testamentum, quod sine scriptis dicitur jure civili. In quo constituo mihi heredem Ecclesiam Romanam in omnibus bonis meis mobilibus & immobilibus, mihi de jure spectantibus, a quibuscumque detineantur, tam in Castris, Villis, Hominibus, & Vassallis, quàm in rebus aliis, salvis duabus Villis, scilicet Aghentale & Durlenstorph, cum omnibus pertinentiis suis in Basiliensi Diœcesi: quas duas Villas legavi uxori meæ. Insuper volo & statuo, quod omnia damna illata per me, vel meam auctoritatem, restituantur de bonis meis, juxta mandatum Domini Papæ, & juste conquerentibus satisfiat: & de residuis mittantur bellatores in subsidium Terræ Sanctæ juxta mandatum Domini Papæ. Et hoc est ultimum Testamentum meum, quod volo firmum & illibatum perpetuò permanere.*

*Actum Reate, secundùm interpretationem Fratris Gotefridi prædicti de Lingua Theutonica in Latinam. Testes sunt Frater Gerardus Pœnitentiarius, & Capellanus, Frater Gutefridus, & Frater Raynaldus Pœnitentiarii, Frater Albertus de Militia Templi Supercocus, Garofolus Cocus Domini Papæ, Henricus Medicus, & Gotifridus Clericus prædicti Fratris Gotefridi.*

*Ego* Aymo, *dictus Ypocras*, sacri Romani Imperii Scriniarius, *& Judex ordinarius interfui, & rogatus scripsi.*

Lite-

## Literæ Gregorii Papæ IX. præcipientis, ut Teſtamentum Ludovici Comitis de Ferreto, quoad ſatisfactionem damnorum, exſequutioni mandetur, Anno 1237.

*Gregorius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus Conſtantienſi & Lauſanenſi Epiſcopis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quum bonæ memoriæ Lodoicus Comes de Ferreto ad Sedem Apoſtolicam acceſſiſſet, invadente ipſum ægritudine, qua deceſſit, ei ab omnibus excommunicationibus, quibus tenebatur adſtrictus, per dilectos filios Gotifredum & Rainaldum Pœnitentiarios noſtros fecerimus abſolutionis beneficium impertiri; idemque licèt infirmus corpore, mente tamen ſanus, Romanam Eccleſiam (*) in omnibus bonis ſuis mobilibus & immobilibus, a quibuſcumque detineantur, exceptis duabus Villis, videlicet Aghentale & Durlentorph, cum pertinentiis ſuis, ſitis in Baſilienſi Diœceſi, quas legavit uxori ſuæ, mandans, ut de bonis ſuis juxta mandatum noſtrum jure conquerentibus ſatisfiat, & de reſiduo mittantur bellatores in ſubſidium Terræ Sanctæ, pro ut in publico Inſtrumento inde confecto plenius continetur: Quum igitur nihil magis hominibus debeatur, quàm ut eorum ſatisfiat ultimæ voluntati, maxime quam pietas comitatur, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus Teſtamentum ipſum, quoad ſatisfactionem damnorum, exſequutioni mandantes, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compellatis, & quæ reſidua fuerint, pro ſubſidio Terræ prædictæ nobis per literas veſtras fideliter intimetis.*

*Datum Viterbii, XVI. Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno XI.*

In Chartis hactenus editis habes *Sacri Romani Imperii Scriniarios* earumdem Scriptores. Duos alteros *Sacri Palatii*, & *Imperiali auctoritate* Notarios ſubſequens Charta tibi oſtendet.

## Inſtrumentum, qualiter in Caſtro Pennæ Sancti Johannis Firmanæ Diœceſis in Marchia Anconitana debet eſſe Rocca ſeu munitio pro Eccleſia Romana de voluntate ſpontanea Nobilium & peditum ipſius Caſtri, Anno 1252.

„ IN Dei nomine. Amen. Anno Domini „ Milleſimo Ducenteſimo Quinquageſimo „ Secundo, X. Indictione, die Jovis VIII. „ intrante Auguſto, apud Montem Pennæ Sancti Johannis, tempore Domini Innocentii „ Papæ IV. præſentibus Donno Johanne de „ Sancto Gregorio, Donno Johanne de Sancto Laurentio, Breto qui dicitur Plebanus, „ Donno Companono de Sancto Bartholomæo, „ Ranaldo Alberti, Magiſtro Georgio de Eſio, „ Magiſtro Adalanimo de Cingulo, Nicola „ Mareſcalco de Serzana, Baldoino Salatinello, Servodeo de Vezano, & aliis pluribus „ teſtibus ad hæc vocatis & rogatis. Ibidem „ congregatis univerſis Hominibus Pennæ Sancti Johannis, Nobilibus & aliis in publico „ Parlamento, more ſolito congregato, & univerſaliter ibidem exiſtentibus, Donnus Walterus Lunenſis Archidiaconus, Domini Papæ Capellanus, Anconitanæ Marchiæ Rector, vice & nomine ejuſdem Domini Papæ & Romanæ Eccleſiæ dixit, propoſuit, & „ petiit, quod Arx, Girone, & Munitio cum „ iis, quæ ad ipſam munitionem ſpectant, concederent ſibi, & in ejus corporalem poſſeſſionem inducerent vice & nomine Romanæ „ Eccleſiæ & Domini Papæ: quia Dominus „ Papa volebat Arcem & munitionem ipſam „ ad manus ſuas pro Eccleſia Romana retinere, & maxime quum id tenerentur facere „ homines ſupradicti ex debito juramenti, ab „ eorum Syndico vice omnium præſtiti eo tempore, quo idem Dominus Rector eis munus „ abſolutionis impenderat à ſententia excommunicationis in eos prolata, pro eo quod „ rebelles extiterant ipſi Eccleſiæ Romanæ, & „ eidem Domino Rectori, & ejus mandatis „ parere contemſerant, & à bannis & pœnis, „ quibus tenebantur prædicta occaſione vel „ alia, eos abſolverat. Et utrum velint præmiſſa facere, ſibi reſponderent, & quilibet „ eorum poteſtatem haberet ſuper iis reſpondere, & dicere velle ſuum. In qua concione ſeu Parlamento Nobilis vir Monalducius „ Domini Paganelli, olim unus ex Dominis „ dicti Caſtri ſeu Pennæ, pro ſe & aliis Nobilibus ejus conſortibus, quondam Dominis dictæ munitionis & Caſtri, ibidem adſtantibus, ſurrexit, & inter alia concionando dixit: quod placebat ei & univerſis Nobilibus „ ſuis conſortibus, quod præmiſſa munitio & „ Caſtrum cum ſuis pertinentiis de cetero in „ perpetuum teneretur, haberetur, & cuſtodiretur à Nuntiis Romanæ Eccleſiæ, & per „ ipſam magis quàm per aliquem alium Dominum, perſonam, vel Univerſitatem: ſupplicando eidem Rectori, quod Dominus Papa „ & ipſe erga ſe & ſuos conſortes miſericorditer ſe haberent, & providerent eiſdem de „ præmiſſis. Et in iis ſuæ gratiæ ſe ſupponunt.

„ In eodem etiam Parlamento ſurrexit Magiſter Jacobus Munaidi Notarius, & nomine ſuo, & omnium Maſſariorum, ſeu Popularium Caſtri & loci prædicti, concionando „ dixit: quod placebat ſibi & univerſis Maſſariis & Popularibus & Hominibus ejuſdem „ Caſtri & loci, quod dicta munitio, Caſtrum, „ & locus eſſet perpetuò Romanæ Eccleſiæ, & „ pro ipſa cuſtodiretur, poſſideretur, & haberetur. Et quod prædictæ munitionis, & „ loci corporalis poſſeſſio ab eodem Domino „ Rectore pro Eccleſia Romana apprehenderetur & teneretur. Concedendo & transferendo in eumdem Dominum Rectorem pro „ Eccleſia Romana omne jus & actionem, „ quam & quod ipſe, & Maſſarii, & Homines prædicti loci haberent, vel habere poſ-

ſint

(*) *ſupple*: heredem reliquerit &c.

„ sint in Castro & munitione prædicta. Postmodum proposito ab eodem Rectore utrum placerent omnibus de concione & Parlamento ea, quæ proposita erant, responsa & concessa per prædictos Monalducium & Magistrum Jacobum, an vellet aliquis eorum contradicere, omnibus de Parlamento, nemine contradicente, placuerunt prædicta, & ea approbaverunt. Et promiserunt, se in servitio, devotione & fidelitate Romanæ Ecclesiæ pro se & suis heredibus perpetuò permansuros, & daturos in posterum operam & studium bona fide pro posse, quod dicta munitio & locus ad honorem & utilitatem Romanæ Ecclesiæ perpetuò teneretur, & custodiatur; & volentibus contrafacere se pro viribus opponent, & contrarii erunt. In qua munitione, Podio, & Castro tam per dictos concionatores, quàm per approbationem & confirmationem omnium de concione prædicta, data est communi consensu omnium libera licentia & potestas prædicto Domino Rectori, recipienti vice & nomine Romanæ Ecclesiæ & Domini Papæ, ædificandi & construendi munitiones seu fortilitias, custodes in eodem loco apponendi, & omnia facere de ipso loco, quæ placuerint Romanæ Ecclesiæ & Domino Papæ, & suis successoribus in perpetuum. Contra quæ vel aliquod prædictorum promiserunt & convenerunt solemni stipulatione eidem Domino Rectori contra non facere vel venire. E converso prædictus Dominus Rector vice & nomine Romanæ Ecclesiæ convenit & promisit, prædictam munitionem, fortilitium, & Castrum ad manus, demanium, & Cameram Romanæ Ecclesiæ semper retinere & custodire pro ipsa Ecclesia, & facere custodiri ad utilitatem & honorem Romanæ Ecclesiæ, & pro conservatione & securitate & defensione & utilitate personarum & rerum olim Dominorum & Hominum omnium dicti Loci & eorum heredum. Et ipsam munitionem & Castrum non submittere, dare, alienare, vel concedere alicui alteri personæ vel Universitati aut Loco, sed semper ad manus Romanæ Ecclesiæ retinere, conservare, & custodire, ut dictum est: concedendo eisdem Hominibus, quod de cetero possint Communantiam constituere, & constitutam inter eos retinere, & quod de cetero in Communantia sint & perseverent, & habeant jus & approbatas consuetudines, quas habent communiter aliæ Communantiæ, quæ sunt in Anconitana Marchia.

„ Actum in Ecclesia Sancti Johannis dicti loci Firmanæ Diœcesis.

„ Ego *Johannes de Brixia*, *sacri Palatii Notarius*, iis omnibus interfui, & rogatus scripsi & publicavi.

„ Et ego *Bernus Vicentinus*, *Imperiali auctoritate Notarius*, omnibus supradictis interfui, & in testimonium hujus rei rogatus me subscripsi, & hanc scripturam publicavi.

Argumento huic finem faciant Regulæ Sæculo Christi XIII. præscriptæ à Romano Pontifice Notariis Cancellariæ suæ, Bullarum Pontificiarum Scriptoribus. Eas etiam mihi suppeditavit toties laudatus Codex MStus Cencii Camerarii.

## Institutio Cancellariæ Romanæ super petitionibus dandis & recipiendis, circiter Annum 1220.

*IN nomine Dei æterni & Salvatoris Jesu Christi. Amen. Nullus omnino Notarius petitiones recipiat, nisi quæ fuerint in communi datâ receptæ, vel quas Dominus Papa tradiderit, aut aliquis Cardinalium: Capellanus quoque vel Camerarius (sed neuter sine mandato Domini Papæ) ita ut quum Notarius legerit illas, dicat, quis eas sibi recipiendas mandavit.*

*Item nullus Notarius, Bullator, Breviator, aut Scriptor petitiones aliquas promovendas assumat, nisi proprias, aut consanguineorum suorum, vel specialium amicorum; quas tamen non alii quàm Domino Papæ offerat admittendas: sed officio suo sit unusquisque contentus. Quicumque verò prædictorum deprehensus fuerit contra fecisse, officii sui amissionem incurrat.*

*Nullus petitiones sublimium personarum, ut Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel Baronum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Decanorum, Archidiaconorum, aut hujusmodi personarum, quæ proprium consueverunt habere sigillum, exhibeat in datâ communi, nisi Literas eorum propter hoc sigillatas ostendat. Caveat tamen sibi, ne proferat falsas Literas: quia deprehensus pœnam falsarii non evadet. Petitiones autem humilium & maxime miserabilium personarum, libere porrigat & licenter, dummodo multitudinem effrænatam evitet. Omnes tamen petitiones, quas promovendas suscepit, simul & semel exhibeat scriptas in una charta, vel etiam in diversis consutis, ut unus Notarius semper habeat omnes petitiones ejusdem. Repudiatas autem non præsumat ulterius promovere, nisi apud Dominum Papam, primo & secundo & tertio supplicando, possit gratiam invenire.*

*Item nemo per alium petitiones offerat vel procuret, nec quisquam petitiones alterius offerendas vel promovendas assumat. Sed quilibet hoc faciat per se ipsum, nisi fortè sit sublimis persona, quæ per certum & idoneum Nuntium id decenter & honeste procuret. Liberum tamen sit cuilibet, proprium, si necesse fuerit, intercessorem habere, maxime Cardinalem. Quum autem notas correctas acceperit, sine dilatione faciat eas scribi, & scriptas bullari: & postquam bullatas acceperit, non faciat longam moram, sed expeditus ad propria revertatur. Quicumque verò præsumserit contra venire, careat non solùm impetratis, verùm etiam impetrandis, & aliàs secundùm arbitrium Summi Pontificis puniatur.*

*Ne quis autem ex ignorantia occasionem accipiat in peccatis, semper in communi receptâ legatur hoc Scriptum, & sint præsentes Notarii, Scriptores, & Bullatores, ut ad deprehendendam fraudem diligenter notent personas, & deprehensas in fraude detegant & ostendant, si proprium volunt periculum evitare.*

*Ad hæc si pro justitia, vel spirituali negotio promovendis fiat pactio vel certa promissio, dans & recipiens ab officio & beneficio suspendatur, si Clericus fuerit, & offerens insuper careat impetratis: Laicus verò excommunicetur, & de Curia Literis impetratis privatus nihilominus repellatur.*

# DE HOMINIBUS LIBERIS, ET ARIMANNIS.

## DISSERTATIO TERTIADECIMA.

# DISSERTATIO TERTIADECIMA.

Duplex olim, & præcipue apud Hebræos, Romanos, & Græcos, fuit hominum conditio, nempe *Liberorum*, atque *Servorum*; eaque celebratissima fuit, & nunc etiam cuicumque in antiquorum Libris aliquantisper versato notissima. Tritum hoc argumentum insalutatum profectò dimisissem, nisi mecum ipse recogitassem, ideo enixius à multis aliqua heic à me peti, quod ipsorum *Servorum* usus per Italiam, immo per omnem fere Europam, pæne exoleverit atque defecerit, ita ut non pauci nomen quidem illorum familiare apud veteres norint, rem autem minime teneant. Præterea ad barbaricorum temporum mores, quos illustrandos aliqua ex parte suscepi, pertinere nemo non intelligat duplicis hujus conditionis levem saltem notitiam, quum non minus apud Gothos, Langobardos, Francos, & Germanos, quàm antea apud Romanos, frequentissimi fuerint *Servi*, & quid foret, quidve ferreis quoque Sæculis ageret id hominum genus, perspectum habere, istius etiam eruditionis amatoribus conducat. Itaque *Liberi homines* ii olim erant, qui nulli Domino, præterquam Regi, ex institutione gentium, obnoxii subjective erant: nam quod filii sub patria potestate forent, feminæ verò *in mundio*, sive sub potestate viri alicujus, aut sacri Palatii, nihil propterea Libertatis nativæ iis deperibat. Quale discrimen Langobardi ac Franci veteres agnoverint inter *Nobiles*, & *Plebem*, nondum animadverti; nam appellatio ista longè serius enata est. Quod tamen à vero minime abhorrere mihi videtur, olim quicumque Liber nascebatur, Nobilitatis etiam particeps quodammodo censebatur. Potentia & opes erant illæ revera, quæ unum supra alterum efferebant; publica quoque Munera Nobilitatem, uti & nostris temporibus, augebant. Liberorum autem hominum cœtus in duo genera dividebatur, videlicet *Ingenuorum*, qui à nativitate Liberi fuere, & *Libertorum*, quibus post Servitutem Libertas à Domino concedebatur. Primi ordinis homines quamdam Nobilitatis prærogativam præferebant; secus verò secundi, nisi quod procedente tempore eorum nepotes, sublatâ tamdem Servitutis memoriâ, inter Nobiles locum sibi conquirere potuerunt, quamquam Theganus de Gestis Ludovici Pii Cap. 44. scripserit: *Fecit te Liberum non Nobilem: quod impossibile est post Libertatem*. Sed hæc dicta sunt de Ebone Remensi Episcopo, qui Liber factus, non natus, generis Nobilitatem sibi tribuere nequibat. Hoc tamen decus Libertorum posteris minime negatum puto. In Concilio Aquisgranensi Anni DCCCXVI. Cap. 119. improbatur consuetudo deligendi tantùm *Servos* ad sacrum ministerium, atque edicitur, ut *nullus Prælatorum, seclusis Nobilibus, viles tantùm in sua Congregatione admittat personas*. En ut *Nobiles* opponantur *Servis*; ac propterea qui Liberi & Ingenui erant, Nobiles quodammodo reputati videntur. Fuere tamen Populi, apud quos triplex hominum ordo fuit. Hæc de Saxonibus habet Nithardus Lib. 4. *Gens Saxonum omnis in tribus ordinibus divisa consistit. Sunt enim inter illos Edelengi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lassi illorum Linguâ dicuntur. Latinâ verò Linguâ hoc sunt Nobiles, Ingenui, & Serviles*. Sententia fuit Camilli Peregrinii viri doctissimi in Præfat. ad Hist. Anonymi Salernitani pag. 284. Tomi II. Rer. Italicar. *Langobardum* in Italia neminem fuisse, qui *Nobilis* non esset. *Vir Langobardus*, inquit ille, *ideoque Nobilis*. Quam opinionem his verbis confirmare pergit: *Langobardi omnes sordidis ab artibus semper abstinuere, dum rebus potiti sunt prosperis, ac primævâ in dignitate permansere; nullusque in tota gente habebatur, qui Sublimis & Illustris, hoc est Patritius, non censeretur*. In eamdem sententiam concessit & Cosmus de Arena in Serie Ducum Tusciæ pag. 24. Verùm hæc intentius perpendens, vereor ut solidis fundamentis hujusmodi sententia nitatur. Quis enim certum fecit Peregrinium; nullam sordidam Artem à Langobardis electam fuisse? Erant *Ancillæ* Langobardæ, uti ex Lege 194. Rotharis deduxisse me puto in Notis ad eamdem Legem. Cur non & *Servi* fuerint ex eadem gente? Hos certe è Nobilium cœtu exclusos, immo vilis & abjectæ conditionis fuisse novimus. Quare tutius fuerit opinari, inter ipsos Langobardos triplici illi hominum ordini locum fuisse, scilicet *Nobilibus*, *Liberis*, sive *Ingenuis*, & *Servis*. Et ex ipsis Ingenuis, uti infra ac alibi ostendam, multi paupertate torquebantur, ac terris excolendis operam dabant. Præterea audi Paullum Diaconum de Gest. Langobardor. Lib. 5. Cap. 36. *Brexiana Civitas magnam semper Nobilium Langobardorum multitudinem habuit*. Si Langobardus quisque Nobilium albo inscriptus fuit, nihil erat, cur Paullus addidisset *Nobilium*. Addidit hoc, ut Proceres unos indicaret, quos *Milites* sequens ætas appellavit. Infra in Dissertat. XVIII. *de Republica* animadvertam, literas olim datas fuisse *Clero*, *Nobilibus* & *Plebi Civitatum*. Viden, ut *Plebs* ab Ordine *Nobilium* secernatur, quamquam hanc Plebem, seu Populum Liberi tantùm homines, Servis exclusis, constituerent?

Dixi, *Liberos* homines sui juris fuisse. Si tamen fides eruditissimo Du-Cangio ad vocem *Liberi* in Glossario Latino, *Liberi homines sub patrocinio alicujus esse debebant, nec omnino sui juris erant*. Hanc in rem adfert ille verba divisionis Imperii Caroli M. Cap. 8. videlicet: *Præcipimus, ut quemlibet Liberum hominem, qui dominum suum contra voluntatem ejus dimiserit, & de uno Regno in aliud profectus fuerit, neque ipse Rex suscipiat, neque hominibus suis consentiat, ut talem hominem recipiant &c. Hoc non solùm de Liberis, sed etiam de Servis fugitivis statuimus observandum, ut nulla discordiis relinquatur occasio*. Me sibi in hujusmodi sententia minime consentientem vir doctissimus habebit. Nihil aliud mihi significare videtur Carolus Magnus, nisi mentis suæ esse, ut quando Imperium suum in tria Regna partitus fuerat, diviseratque tribus suis Filiis, nulli

nulli hominum Liberorum liceat *contra voluntatem Domini sui*, extra Regnum proficisci, atque alibi sedem suam figere: hinc enim discordiæ inter Reges suboriri poterant. Ita in Lege 177. Rotharis, *Libero homini* liceat *migrare quò voluerit*, attamen *intra dominium Regni nostri*. Neque cum isto Cap. 8. miscendum Caput decimum, ubi legitur: *Unusquisque Liber homo post mortem Domini sui licentiam habeat se commendandi inter* (*sive* intra) *hæc tria Regna ad quemcumque voluerit. Similiter & ille, qui nondum alicui commendatus est*. Idem etiam habetur Cap. 9. divisionis Imperii factæ à Ludovico Pio apud Baluzium Tom. I. pag. 576. Capitularium. At minime ex his inferendum, omnes olim Liberos homines Vassallos fuisse, & non sui juris; sed id tantùm de iis dicendum, qui famulitio alicujus se se sponte tradentes, fidem suam Seniori alicui obligabant. Et sane qui *Commendati* in antiquis Chartis appellantur, ii plerumque intelligendi Liberi homines, qui aliquem sibi in *Patronum* sive *Seniorem* acceperant, atque illius se se patrocinio commendarant, eorum nempe Vassalli & fideles effecti: qui & ipsi propterea non desinebant esse Nobiles homines, ac Libertatis prærogativâ frui. Sæpe etiam *Arimanni*, sive *Herimanni* in veterum Chartis occurrunt. Quodnam hominum genus hi fuerint, si quisquam percontetur, Bignonium audiat in Notis ad Marculfi Formulas Lib. 2. Cap. 18., ubi cum Francisco Pithoeo pro *Arma* legendum censet *Arimania*, hæc scribentem: *Arimania ergo heic pro Familia usurpatur. Sane eo nomine Servorum, seu Colonorum speciem significari manifestum est multis ex Instrumentis*. Quod *Arimannia* pro *Familia* interdum usurpata fuerit, consentio & ego. Verùm *Arimannos* fuisse *Servos*, seu *Colonos*, hoc pernego; manifestumque brevi erit, virum doctissimum heic à scopo aberrasse, neque Instrumenta ab eo producta quidquam conferre ad ejusmodi opinionem statuendam. Itaque ajo, Liberis hominibus accensendos esse *Arimannos*: eoque nomine donatos fuisse Ingenuos, quos Gallia vocabulo alio *Francos*, appellare consuevit. Num verò Liberi quique *Arimanni* fuerint nuncupati, an ii tantùm, qui rusticum prædium excolebant, aut Beneficia à Principe receperant: id quidem investigandum nunc sumo, sed in re adhuc mihi obscura nihil decernere audebo.

Sunt qui à Græco Ἄρης nomen hoc deducunt, quasi significet *Martialem* sive *militarem* virum. Sed hanc Etymologiam inter nugas referendam, mecum quisque fatebitur, quum constet, veteres Germanos, apud quos hæc vox nata, nullam Græcis literis operam dedisse. Eccardo in Notis ad Leg. Salic. *Herimanni* dicuntur *Herbmenner*, *qui bona hereditaria possident, domini minores*. Johannes Gerardus Vossius Lib. 2. Cap. 2. de Vitiis Sermonis deducit hanc vocem à Saxonico *Heer & Mann*, quasi significet Virum *clientem Domini*, hoc est obnoxium domino, ob prædium ab eo acceptum titulo beneficii. Aventinus verò & Goldastus originem ejus derivant ab *Here* & *Mann* Germanicis vocibus, ut sit *Vir exercituum*, *Homo militaris*. Nulla istarum interpretationum à vero abhorret, idque ex Arimannorum conditione infra palam fiet. Sed quando hariolari heic aliis licuit, liceat & mihi. Itaque peto, cur non & ab *Ehre* & *Mann* deduci vox ista possit? Est autem *Ehre* Teutonicis *Honor*, ita ut eo nomine donentur Homines Liberi, Honorati, illustres, sive non vilis conditionis. Certum quippe est, eos Liberorum hominum albo fuisse inscriptos, neque censendos abjectæ fortunæ, ut quidam suspicati sunt, qui eos pæne in infimam Servorum sortem conjecere. Liberi, inquam, fuere, immo quodam Nobilitatis gradu ornati, Militiæ quoque addicti, & denique ex iis non pauci aut Regis, aut alterius Senioris Vassalli, quoties ab eo in beneficium fundum quempiam accipiebant. In Lege II. Rachisii Langobardorum Regis, part. II. Tomi I. pag. 86. Rer. Italicar. cautum est, ne *cujuscumque servus Arimannam ducat uxorem*. Antea Rotharis in Lege 222. idem statuerat, postremo supplicio talia audentibus proposito. *Si Servus* (inquit) *Liberam mulierem, aut puellam ausus fuerit sibi conjugio sociare, animæ suæ incurrat periculum*. Rigorem hujus Legis temperavit Liutprandus Lege 6. Lib. 4. Attamen aspere habebatur, quicumque Servus tale facinus audebat. Ex his ergo habemus, *Arimannas* Liberas fuisse feminas; quam in rem etiam legenda sunt Ludovici Pii Augusti verba in Diplomate concesso Monasterio Veronensi Sancti Zenonis apud Ughellium in Catalog. Episcopor. Veronensium. *Etiam*, inquit ille, *placuit nostræ serenitati de Famulis ejusdem Monasterii definitiones facere, videlicet feminis Liberis, quas Itali Herimannas vocant, quæ se famulis ipsius Ecclesiæ & Monasterii copulaverint &c. secundùm prædecessorum statuta Imperatorum, & per hujus nostri præcepti auctoritatem, supradictum sanctum locum inviolabiliter possideat*. Nempe constituerat Liutprandus, feminam Liberam nubentem Servo, dum ejus consanguinei intra annum de crimine hoc vindictam nullam sumerent, fieri *Ancillam Palatii*. Heic autem decernitur, mulieres Liberas nubentes Servis Monasterii Veronensis futuras esse ejusdem Monasterii Ancillas. Vide Legem 75. Lotharii I. Apud Campium Tom. I. Histor. Eccles. Placentin. pag. 457. Ludovicus II. Augustus Sofredo Episcopo largitur *Gisebergam nativitate Liberam, sed pro conjunctione, qua se Isembaldo Servo nostro conjunxit, ad partem nostram legaliter & per judicium publicum post acquisitam*: idest Palatio, seu Regi sub servili conditione adjudicatam. Sunt & alia ejusmodi Privilegii exempla apud Ughellium in Archiepiscop. Beneventan. Tom. 8 Italiæ sacræ. Ludovicus etiam Pius Augustus (uti constat ex Chronico Farfensi Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 365.) Anno DCCCXV. Farfensibus Monachis indulsit, *ut quidquid ex copulatione Servorum ipsius Monasterii cum Liberis feminis secundùm Legem Langobardorum ad publicum* (hoc est, ad Regem) *contingere poterat*, ad ipsos Monachos spectaret. Infra pag. 379. Augustus idem in altero Præcepto constituit, *de Arimannis feminis, quas sibi pertinentes* (idest Servi) *huic Monasterio in conjugio sociaverint, ut post transactum annuale spatium, secundùm Edicti tenorem* (idest secundùm Leges Langobardicas) *sic eos easque Monachi possideant, sibique proprio nomine vindicent, atque defendant*. En ergo quæ *Liberæ feminæ* in uno loco appellantur, in altero *Arimannæ*, sive *Herimannæ* dicuntur. In Caroli quoque Crassi Diplomate, ab Ughellio in Episcop. Veronensib. edito, & castigatius ex Arretinæ Ecclesiæ exemplari in Differtat. XV. *de Manumission.* infra mihi edendo, *Liberi Herimanni* me-

memorantur. Attamen ut luculentius Arimannorum Libertas & fortuna appareat, juvat ad hoc argumentum adferre Chartam nondum editam duplicis Placiti Mediolanensis, quam ego olim exscribebam ex vetustissimâ, sed perquam attritâ ac lacerâ pergamenâ, adservatâ in insigni Cœnobio Monachorum Cistercienfium S. Ambrosii Mediolani

## In Placito Mediolanensi coram Sigefredo Comite Palatii quidam habitatores Curtis Palatioli contendunt, se liberos & non servos homines esse, & sententiam obtinent contra Advocatum Comitis Mediolanensis, Anno 901.

*DUm in Dei nomine, Civitate Mediolani, Curte Ducati, in Laubia . . . . . . . . . in judicio residerent Sigefredus Comes Palatii & Comes Comitatus Mediolanensis, singulas deliberandas intentiones, residentibus cum eo Rogerius Vicecomitis ipsius Civitatis, Ragifredus, Walpertus . . . . . . deramus, & Grimoaldus, Judices Domni Imperatoris . . . . . . Lupus & Giselbertus Judices Mediolani, Risfredus filius Petri . . . . . . . . Eberardus, Andreas, Agembertus, & Radaldus Notarius, & reliqui plures. Ibique eorum præsentia veniens Hildefredus, Liutifredus, & Bonifredus germanis, Ursus quondam filius quondam Angelberti, Bonipertus filius quondam Angefriti, & Lupus filius quondam Petri, habitantes Vico Rainerii . . . . . . . . . Vassallo eidem Comiti Palatii, que Curtis illa in Palatiolo habere videtur; seu Ambrosius habitator infra eadem Civitate Mediolani, filius quondam Norteverti, qui & Norcelio vocabatur, Advocato publico Comitati ipsius nominative, & Aderardus de Curte Palatiolo, que Curtis pertinere videtur ejusdem Comitati, intentionem habentes . . . . .* „ Hildefredus, Bonifredus, Ursus, Bonipertus . . . . . . . in judicio mallaverunt nos isti „ Waningus & Ambrosius Advocatus, quod „ de nostris personis . . . . . . . & debemus Comitati istius Mediolani, eo quod nos & genitores, seu parentibus nostris tam per caput personæ nostræ, quàm & pro rebus, „ quas ad nostram tenemus proprietatem . . . „ . . . . ad ipsa Curte Palatiolo operas fecissemus per omni ebdomada . . . . . . . . Et nos „ eis dedimus responsum, quod non Aldii de „ nostris personis esse deberemus, nisi . . . . . . „ homines Arimanni, & nostram proprietatem „ in nostram partem habere deberemus; & de „ Liberis parentibus essemus nati, & jam ante „ hos dies in judicio de nostris personis . . . . „ . . . fecissemus da parte istius Comitati Mediolani a Curtis Palatiolo, & finem exinde „ cum Advocato ipsius Comitati & Curtis fecissemus, & talem haberemus nos idem Liberi homines. Et dum isti Waningus & „ Ambrosius perseverarent, nullo modo esse „ concredimus; inde finem habemus: sed veraciter Aldii Comitati istius & Curtis Palatiolo esse deberent: Tunc per judicium judicum dedimus wadia isti . . . . . . Advocatori notitia ipsa ad Placitum adducendum. „ Et ipse nobis dedit wadia. Unde hodie hìc „ vestri presentia inter nos placitum constitutum, ipsa ostendendo notitia, & legitimam „ faciendo finem. Et ecce pre manibus . . . . „ . . . . de quibus superius ad placitum adducendum wadia dedimus. *Ad hec responderunt ipsis Waningus & Ambrosius Advocatus:* „ Vere, sicut vos Hildefredus, Luvefredus, „ Bonifredus, Ursus, Bonipertus, & Lupus „ dixistis, ita vos mallavimus, & inter nos „ actum est, & taliter mihi Ambrosii Advocatori ad notitia Liberi homines ad placitum adducendum wadia dedistis, ut asseruistis . . . . . quando wadiam dedi de placito. „ Et hodie exinde inter nos hìc judicio placitum missum est, ipsam ostendentem notitiam „ & legitimam recipiendum finem. Querimus, ut notitiam, de qua ut supra pre manibus . . . . dixisti mihi Ambrosii Advocatori ad placitum adducendum wadiam dedistis, „ ostend. . . . . . . *Tunc ostenderunt ipsis Liutefredus, Bonifredus, Ursus, Bonipertus, & Lupus notitiam, que ut supra pre manibus habere dixerunt, que relecta continebatur in ea ita.*

*Dum in Dei nomine, Curte Mediolanensi . . . . in Laubia ejusdem Curtis in judicio residerent Sigefredus Comes singulorum hominum justitias faciendas ac deliberandas, resedentibus cum eo Rotgerius Vicecomitis ipsius Curtis, Ragifredus, Protasius, qui & Ato, Arimundus, Rofredus, Hilderandus, Teusprandus, & Apollinaris Judices Domni Regis . . . . . . Benedictus, Upaldus, Lupus, & Grimoaldus Judices Mediolani, Wa . . . . . . Ariprandus, & Benedictus de Blassonno, & Petrus de Gratis, & Risfredus filius ejus, Ambrosius filius quondam Adoni, Petrus, & Traso germanis filii quondam Apollinaris Notariis &c. Ibique eorum venerunt presentia Ursus filius quondam Angilberti, Bonipertus filius quondam Angefredi, Hildefredus, Luvefredus &c. habitantes Vico Cusiaco &c. de Curte Palatiolo, que pertinere videtur ipsi Comitati, intentionem habentes. Dicebant ipsi Ursus, Bonipertus, Hildefredus, necnon Adelgisus Notarius Civitatis ipsius Mediolani, & Advocatus publico Comitatu ipsius nominative.* „ Dudum in judicio mallavit Adelgisus Advocatus, quod nos de nostris personis Aldii esse deberemus Curte Palatiolo, „ que pertinere videtur de Comitatu isto Mediolani, eo quod nos & parentibus nostris „ condicionaliter tam pro persona nostra & „ rebus, quas habemus & detinemus, annue „ ad ipsa Curte operas fecissemus per omnes „ ebdomatas. Et nos ei dedimus responsum, „ quod de nostris personis non Aldii, sed Liberi homines esse deberemus; & parentibus „ nostris Liberi homines fuissent; & nos in „ eadem Libertate de Libero patre & Libera „ matre nati essemus, & condicionaliter ad „ ipsam Curtem Palatiolo, nec parti Comiti „ Mediolanensi nunquam fecissemus; nisi tantum habemus in loco & fundo Blestatio aliquantam terram de parentibus nostris. Et „ nos ad ipsam Curtem Palatiolo operas fecissemus pro ebdomada una ad manus: & sunt „ rebus ipsis de sediminibus perticas jug. II. de „ vineis aras, in qua extant jug. legitim. III. „ de pratis, similique jug. III. & de campis „ jug. XI. seu de silvis jug. XIII. &c. Nos nec „ pa-

„ parentibus nostris condicionaliter numquam „ ad ipsam Curtem operas fecissent, neque pro „ reliquis rebus proprietatis nostris. Et cum „ iste Adelgisus Advocatus perseveraret, nos „ pro Aldiones ad ipsam Curtem operas per „ personis & proprietatis nostris, & parenti- „ bus nostris fecissemus, & nos interrogati ad „ ipsi . . . . . si nostram approbare potuissemus „ Libertate. Et nos manifesti fuimus pro no- „ stra paupertate Libertatem nostram minime „ aprobare poteremus. Tunc per Judicum „ judicium dedit nobis wadiam iste Adelgisus „ Advocatus per testes, aut inquisitionem pro- „ bandam, qualiter nos Aldii esse deberemus „ Curtis ejusdem Palatiolo, & pro personis „ nostris & rebus, quas aberemus, operas „ condicionaliter nos & parentibus nostris ad „ ipsam Curtem fecissemus. Et nos ei dedimus „ wadiam de placitum. Et hodie exinde in- „ ter nos hìc in judicio placitum constitutum „ est probationem faciendum, & legitimam „ faciendum finem, querimus per inquisitio- „ nem aut testes nobis aprobati, sicut ut supe- „ rius wadiam dedit. *Ad hec respondit ipse Adelgisus Advocatus*: „ Verè, sicut vos Ur- „ sus, Bonipertus &c. dixistis, ita nos malla- „ vimus, & inter nos actum est, & taliter „ vobis per testes aut inquisitionem proban- „ dum. wadiam dedisti, sicut asseruisti. Et „ vos mihi wadiam dedistis de placitum. Et „ hodie exinde inter nos Placitum missum est „ hìc in judicio testes vel inquisitionem ipsa „ dandum, & legitima percipiendam finem. „ Ecce hìc sunt Nobiles & Credentes homines „ circa manentes loci ipsius, per quos credo, „ si eos inquiritis istorum hominibus ad pro- „ bandum, sicut wadiam dedi, & denomina- „ tis fuissent homines ipsi ad ipso Adelgisi Ad- „ vocato.

*Id sunt, Podo de Sateriano, Sigifredus, Gausari, & Petrus Scavino de Pollianno &c. Tunc Advocantes eos Auditores ipsi, & adjurati in fide & veritate, quando debeant sacramentum Domni Regis promissum & factum habeant, ut quid inde scirent, certa dicerent veritatem. In primis supraſcripto Podo inquisitus dixit*: Scio, isti Ursus, Bonipertus, Hildefredus *&c.* de bonis parentibus nati. Tantum habent aliquantis Casis & rebus in Blestatio: unde faciebant operas ad Curtem Palatiolo. Nam de eorum personis numquam operas condicionaliter fecerunt, & alia suorum proprietate in suorum jure & Libertate habente. *Predictus Sigifredus, Gausari &c. inquisiti homines similiter dixerunt. Suprascriptus Petrus Scavino dixit, quod de eorum pertinentia nihil sciret &c. Interrogatus est ipse Adelgisus Advocatus, si haberet amplius homines per inquisitionem aut testem aut ullam firmitatem, per quam ipsorum Ursoni, Boniperti, Hildefredi &c. de suorum Libertate inobviare, aut eos in Servicium & Aldiaricia Curtis Palatiolo replicare possit. Qui ipse Adelgisus Advocatus manifeste dixit & professus est, quod multum ex hac causa inquisisset, nullo homine inquisitionem nec testem, nullamque firmitate invenire potuisset, nec haberet &c. Similique & ipse Sigifredus Comes manifestavit, sicut ipse Adelgiso Advocatus. Cum ipsi Adelgisus, & jam dictus Comes taliter manifesti & professi fuissent &c. paruit supradictis Auditoribus, & recte, & judicaverunt, ut juxta eorum intentionem & professionem, seu manifestationem eorum Adelgisi Advocato & Sigifredi Comitis, & ut supradicti denominati homines, ut supra per inquisitionem testificaverant ipsius Bonipertus, Hildefredus, Luvefredus, Bonifredus, Hisembertus Presbiter &c. de suorum personis liberi esse permanere deberent tantum illis casis & rebus de Blestatio, quod ipsi, ut supra manifestati fuerunt, operas fecissent, quod sunt pernominative per mensura juges XX. & pertic. jug. II. pars ipsius Curtis habere deberent, & ipsi a parte Curtis Palatiolo redderent, investire deberent, sicut ibi presenti per fuste, quod suorum tenebant manibus, ei de manu Adelgisi Advocatori predictis Casis & rebus in Blestatio a parte ejusdem Curtis; & investiverunt. Et finita est causa. Unde qualiter acta & deliberata est causa, presentem notitiam pro securitate eorum Ursoni, Boniperti &c.*

*Ego Adelgisus Notarius scripsi & interfui; Anno Domni Regni Berengarii Regis Tertiodedecimo, Mense Madio, Indictione III.* (idest Anno Ch. 900.)

*Signum manibus suprascripti Sigifredi Comitis, qui ut supra interfuit.*

*Rotgerius Vicecomes interfui.*

*Teusprandus Judex Domni Regis interfui; &c.*

*Notitia ipsa ab ordine relecta interrogaverunt predicti Auditores eosdem* Waningum *& Ambrosium Advocatus, qui contra ipsam notitiam dicere volerent, si se concrederent bona & verax esse, aut si aliquid contra eosdem denominatos homines, qualiter in eadem legitur notitia de eorum personis seu Casis & rebus, quibus ipsi ad suorum videtur tenere proprietatem, aliquid dicere volerent, aut de eorum Libertate inobviare, an non. Qui ipsi* Waningus *& Ambrosius Advocatus manifeste dixerunt & professi sunt, quod contra notitiam ipsam nihil dicere volerent, eo quod bona & verax esse, & nihil de eorum nominati homines, qualiter in eadem legitur notitia, personis de eorum Libertate, & de casis & rebus, quibus ad suorum tenere videtur proprietate, contradicere volerent, quia nec legibus possunt, eo quod inventum haberent, & juxta eadem notitia, quam ut supra ostensum est, legibus de suarum personis Liberi esse deberent, & suorum proprietatem in eorum potestatem & libertatem haberent, & parti Comitati ipsius Mediolanensis, neque jam dicte Curtis Palatiolo nihil pertinere, nisi tantum illis Casis & rebus in Blestatio &c. His peractis & manifestatione, ut supra legitur &c. & judicaverunt &c. Hildefredus, Bonifredus, Ursus &c. de suorum personis Liberi esse & permanere deberent &c. Et finita est causa.*

*Ego Adelgisus Notarius ex jussione predicti Comiti Palatii, & amonitione suprascriptorum Judicùm scripsi & interfui, Anno Imperii Domni Ludobici Imperatoris . . . . Mense Septembris, Indictione V.*

*Signum manibus suprascripti Sigifredi Comitis Palatii, qui ut supra interfuit.*

*Rotgerio Vicecomes interfuit, &c*

Uti legenti constare potest, contendebat Advocatus Comitis Mediolanensis, eos viros *Aldiones* esse, sibique obnoxios. Erit autem mihi infra in Dissertat. XV. *de Manumission.* peculiaris sermo de *Aldionibus*. Ii contra se *Arimannos* & *Liberos* non solùm voce profitebantur, sed & rationibus ac testibus adhibitis ostendebant. Ajunt ergo illi, *parentes suos Liberos homines fuisse, seque in eadem Libertate de Libero patre & de Libera matre natos*, sibique esse aliquantum terræ à parentibus suis hereditario jure acceptam. Testes enim adducti fidem

iidem faciebant, ejusmodi homines *possidere Casas & res ad proprietatem suam*, & praeterea aliquantas Casas & res *in Blestatio, pertinentes ad Curtem Palatiolo, unde faciebant operas ad eam Curtem*. Ceterum de eorum *personis Liberos* semper, & nulli umquam obnoxios fuisse: uti neque ob fundos ad se paterno jure spectantes alicui *fecisse operas conditionaliter*, hoc est tamquam Servos aut Aldios, sed *eos tantùm debere operas ad Curtem Palatiolo* ob fundos ad eamdem Curtem spectantes, quae Curtis in jure Comitis Mediolanensis erat. Itaque pro eorum Libertate sententia lata à Judicibus fuit. Aperte igitur constare hinc potest, quale hominum genus *Arimanni* olim forent, nempe homines à nativitate Liberi sive Ingenui, quibus erat aliquid Allodii, aut saltem dabatur excolendus aliquis ager Regis aut Comitis, cum onere faciendi operas quasdam. Quonam verò titulo agri isti tribuerentur, sub nube est. *Arimannos* complures nobiles atque opulentos infra spectabimus. Sed & ex iis fuere non pauci ruri habitantes, & humilis fortunae, alienique agri cultores, ita ut qui heic occurrunt fateantur: *pro nostra paupertate Libertatem nostram minime probare possemus*. Idem ex Lege VI. Rachisii colligitur, ubi *Arimannis* quibusdam erat, *unde componere possent*, aliis verò minime. Ac proinde ex his constare poterit, quid significent verba Conventus Ticinensis Anno DCCCLV. sive DCCCLVI. Tom. 8. Concilior. Labbean. pag. 79. ubi *de Liberis hominibus, qui super alterius res resident, constitutum est, ut secundùm Legem Patroni eorum eos ad Placitum adducant*. Ergo erant Liberi, seu Arimanni pauperes, qui alienas terras excolebant, quales agricolae nostri nunc sunt. Propterea in antiquis Chartis occurrunt *Mansi Serviles*, & *Mansi Ingenuiles*, illi à Servis, isti à Liberis hominibus exculti. Sed hujus veritatis luculentum testem non unum habeo, membranas videlicet autographas, quas vidi in Tabulario insigni Canonicorum Mutinensium. Unam dabo, ex qua patebit, colonum quemdam Mutinensis Ecclesiae *Liberum* hominem disertis verbis appellari.

## VValperti Episcopi Mutinensis Charta, quâ praedium colendum tribuit Iohanni libero homini, Anno 869.

*In nomine Domini nostri Jesu Christi: imperante Domno nostro Ludowicus magnus Imperator Augustus, a Deo coronatus, Anni pietatis Imperii ejus, Deo propicio, hìc in Italia Vigesimo sexto, die XXX. de mense Septembrio, Indictione II. Placuit atque convenit inter Donnm* Walperto Episcopo *sancte* Ecclesie Motinensis, *ex alia parte inter* Johannem *filio quondam . . . . . bili* Libero homine, *ut in Dei nomine ego, qui supra Johannes . . . . . . . . . resedere & laborare debeam in terra, vel applute palliaticie, seo res sancte Ecclesie Motine, locis, ubi dicitur Collegaria, quas vobis ad jura Sancti Geminiani de quondam Johannes Presbiter per chartulam obvinet. Et ego qui supra . . . . . . ad laborandum per pagina scripsionis, & censum persolvendum ad meas detenui manus, quod est inter terrola aratoria seo & vidata, quàmque & prativa per singulas petiolas cum tegia . . . . . . . . ad rationem facta ad modiorum quinque cum omne juri super se abente, cum finibus & lateribus atque coherencia & adjacentia . . . . . . nostr. . . . . . resedere & laborare debeas ego qui supra Johannes, vel meis heredibus livellario & massaricio nomine ad laborandum, colendum . . . . . . . tenendum, canales edificandum, vitis ponendum, pastenandum, propaginandum, & excolendum, fines ad defensandum, & super res & . . . . edificias faciendum, & in omnibus suprascriptis rebus & Tegia palliaticia meliorentur & non pejorentur usque advenientibus continuo annis . . . . . . isti proxime advenientibus. Et exinde de ipsa suprascripta re, qualiter supra legitur, annue temporibus redditum atque tributum persolvere debeamus . . . . . . annos, idest ex omnigena re, grano grosso modio quarto, minuto autem modio quinto, lino manna quinta, vino medietatem . . . . . . dare debeam in Domini Natale pullos duos, ovas decem, operas vero per annos facere debeam dies quatuor manualis cum domnica annona . . . . . rebus inter curte & orto faciendum sestaria quatuor, unde non reddamus, & ipso nostro grano vel vino redditum quamque exenia & operas . . . . . . . studere & triturare, atque evegere facere, dare & consignare debeamus in Motina vobis, qui supra* Walperti *Episcopo, tuisque successoribus, quàm vel . . . . cum nostro dispendio sine omnem neclectum vel fraudem. Et pro tempore messis simulque vindemie Misso Domini abere debeamus, & a susceptam . . . . . patroni stare debeamus ad rectam justitiam faciendam. Et si noluerimus, per Potestatem nobis pignerare debeatis sine publica auctoritate . . . . . . . posuimus, ut si exire, aut minare, aut aliqua superpositam facere, fraudem, aut neclectum fecerimus, & non permanserimus ambas . . . . . . tam nos suprascriptus, quamque successoribus aut heredibus nostris, & probatum fuerit: tunc promittimus cumponere unus alteri, cui culpa inventa fuerit, pena nomine in argento Solidos viginti. Et post pena composita hoc libelli convenencie, sicut superius legitur, in sua permaneat firmitate . . . . . . constitudo; unde duo libelli conveniencie pari tinore conscripti sunt.*

*Acto Motina, die, Regni, & Indictione suprascripta feliciter.*

*Signum ✠ manus Johannis, qui hoc libello scribere rogavi.*

*Signa ✠ ✠ ✠ manuum Boniverti, & Ramperti, & Erimperti de Sicla . . . . . . rogatis exercitales testes.*

*. . . . . . qualiter superius legitur, per manum Hodelberti Presbiter & Notarius Sancte Motinensis Ecclesiae complevi & dedi.*

Epocha heic adhibita est Regni Italici, non verò Imperii. Propterea post *Imperii ejus* additur *hic in Italia*. Quibus autem ritibus, quibusve conditionibus olim praedia rusticis excolenda locarentur, animadvertet heic eruditionis antiquae amator. Sed quod potissimum hanc mihi Chartam commendat, illud est quod *Walpertum Episcopum Mutinensem* heic offendimus, ignotum Sillingardo in Catalogo Episcopor. Mutinens. & Ughellio Tom. 2. Italiae sacrae. Is ergo statuendus post *Hernidum*, uti etiam infra animadvertam in Dissertat. *de Legibus*. Neque insalutata dimittenda est *tegia* illa, quo nomine adhuc Mutinenses, aliique Langobardiae populi *foenile* designant. *Tegetem* Tabelliones nostri appellant, sed perperam, quum

quum *Teges* appellaretur olim, quod nos *Stuora* dicimus. Nostrum *Tegia*, sive *Teggia*, ut hoc obiter adnotem, ex Latina Lingua desumtum apud nos perdurat. *Attegia tegulitia* occurrit in veteri Inscriptione à Grutero producta. Juvenalis autem Satyrâ 14. *Maurorum attegias* commemorat, idest tuguria & mapalia. Nunc *Teggia* nobis est, ubi fœnum tantummodo ac paleæ reconduntur, ac per translationem eo nomine donantur casæ incultæ, ac aranearum concilio dimissæ. Ceterum Du-Cangius ad vocem *Tegia* hæc habet: *Fides coopertura. Papias MS. & editus*. Aut Glossarii Cangiani editio, qua utor, aut Papiæ Grammatici Codices heic vitiati sunt. Scribendum videtur: *Fœni coopertura*. Habet etiam Charta nuper producta *Lino manna quinta*. Nunc *Manella* est in sermone nostro, atque idem est atque *Manipulus* Latinorum. Vetus Interpres Juvenalis *manipulos*, *Mannas fœni interpretatur*. Occurrit in aliis bene multis Locationum Mutinensium vetustissimis Chartis ejusdem *Lini* mentio, quippe illius cultura familiaris tunc erat in istis quoque regionibus. At nunc (quod mirere) nulla est apud nos ejus cura, neque apud finitimos, quum tamen vel in ipsis Mutinensis Populi Statutis, Anno MCCCXXVII. conditis, Lib. 4. Rubricâ 194. decretum fuerit *de seminando quolibet anno unam minam Lini per quemlibet habentem unum par boum seu vacharum, à Serra de Legorzano inferius*. Nunc in hisce regionibus uni tantùm *Cannabi* seminandæ opera datur, fortasse, quod uberior inde fructus percipiatur, aut minus laboris in ea excolenda impendatur. Velim quoque animadvertas in nuper edita Charta, tunc fuisse in usu duplex *Tritici* genus, alterum *grosso*, alterum *minuto*. Retinent adhuc Mutinenses utrumque, eorumque nomen. Parum inter se differunt: sed pluris fit minutum; alterum verò turbam Populi pascit. Ceterum, ut in viam regrediar, multas alias pergamenas Archivum Mutinensis Cathedralis adservat, in quibus si *Liberi* homines conducunt agros, hæc ipsorum prærogativa minime reticetur. Ejusmodi est Charta Anni DCCCLXXXVI. quam infra dabo in Differtat. XLI. *de Nominib. & Agnominib.* per quam Leudoinus Episcopus quibusdam *Liveris hominibus massaricio nomine* excolendas tradit nonnullas Mutinensis Ecclesiæ terras. Ita in aliis Chartis apud Ughellium occurrunt *Massarii & coloni Liberi*. Atque in Charta Cœnobii Vulturnensis, scriptâ Anno DCCLXXXII. pag. 364. Part. 2. Tomi I. Rer. Italicar. Tribunus de Carapelle cum filiis suis, *concedimus*, ait, *personas nostras in servitio & defensione de Monasterio Sancti Vincentii &c. salvâ libertate nostrâ*. Ludovicus quoque Pius in Lege Langobard. 62. *de Liberis*, inquit, *hominibus, qui proprium non habent, sed in terra dominica resident, ut propter res alterius in testimonium non recipiantur. Illi verò, qui proprium habent, & tamen in terra dominica resident, ut propter hoc in testimonium recipiantur, quia proprium habent*. Ita in Lege 66. ejusdem Ludovici statuitur, *de oppressione pauperum Liberorum, ut non fiant à potentioribus per aliquod malum ingenium contra justitiam oppressi*. Præterea qui *Residentes* in quibusdam vetustis Chartis appellantur, quamquam alienos agros colerent, Liberi tamen homines fuere. Spectat ad hoc idem argumentum Charta, quam ex pergamenis Senensibus hausit olim Clarifs. Vir Hubertus Benvoglientus, ubi *reditus* & *angariæ* statuuntur pro prædio locato. Jam alibi monui, Ughellium Tom. I. Italiæ sacræ deceptum fuisse, quum scripsit, *Peredeum* renuntiatum fuisse Anno DCCC. Episcopum Senensem. En ipsum habemus jam Episcopali munere donatum Anno Christi DCCLXXVII. Ita verò se habet Charta illa.

## Locatio prædii facta à Peredeo Episcopo Senensi, Anno 777.

*IN Dei nomine. Regnante Domno nostro Carulo Rege Francorum & Langubardorum, quo cepit Langubardiam, Anno Regni ejus Tertio, Pridie Idus mensis Magii, Indictione Quintadecima. Manifestum est nobis Tunperto & Teuperto germanis filiis olim Tunualdi, quia ad residendum posuisti nos tu venerabilis* Peredeus *in Dei nomine* Episcope *in Casa Ecclesie vestre Sancti Martini, in loco ubi vocitatur ad Tufum, tali tenore, ut ipsa Casa, ubi quondam Ursulus Massarius habitabit, & omnia res ad eu pertinente, bene laborare & gubernare atque meliorare debeamus; & per singulos tibi & successoribus tuis* reddito & angaria persolvere *debeamus: idest tres urnas Vino, & uno Porco tremessale, & uno Berbice, similiter valente uno tremisse; & omni tempore pro angaria facere debeamus ad Curte vestra in Pastorale de singulos menses duas hebdomadas. Et si . . . . . . . qualiter superius legitur, a nos vobis non fuerit adimpletum & conservatum, & deb. . . . . . . alio loco ad habitandum, promittimus nos, qui ita fu. . . . . . . . . nos non conservaverit, una cum nostris heredibus componere tibi & successoribus tuis auri Soledos viginti; & presentem Cartulam in sua manere firmitate. Et duas Cartulas prope uno tenore de parte nostra Filippum Subdiaconum scribere rogavimus.*

*Actum in loco Pastorale feliciter.*

*Signum ✠ manus Tuniperti, qui hec Cartulam fieri rogavit.*

*Signum ✠ manus Teuperti, qui similiter hec Cartula fieri rogavit.*

*✠ Ego Deusdeu Presbitero in hanc Cartula convenientie me teste subscripsi.*

*✠ Ego Deusdedit Diaconus in hanc Cartulam convenientie me teste subscripsi.*

*Signum ✠ manus Petronaci Clerici, filii quondam Audaci, testis.*

*Signum ✠ manus Causeradi Clerici, filii quondam Fleudiperti, testis.*

*Signum ✠ manus Rachiprandi Clerici, filii Serbuli, testis.*

*Ego Filippus Subdiaconus postradita complevi & dedi.*

*Arimannos* quoque militiam facere coactos, quum publica res poscebat, certum mihi est. Et id quidem oneri eis fuisse, facile concedam, at simul fuit honorificum: neque enim Servis militare licuit apud Romanos, uti neque apud Langobardos & Francos. In Lege 4. Guidonis Augusti habemus: *Si ex præcepto Imperiali Comes loci ad defensionem patriæ suæ Heriman-*

*mannos hostiliter properare monuerat* . Sub *Herimannorum* nomine heic designatum opinari quisquam possit quemlibet hominem Liberum : cur enim ad defensionem patriæ non quisque idoneus accurrat ? Certe nemo sinebatur domi manere , quum necesse erat in exercitum proficisci, nisi pauci, quos ad suum servitium excipere poterant Judex, sive Comes, Sculdasius, & Saltarius , uti habet Liutprandus in Lege 29. Lib. 6. Qua etiam ex Lege discimus, fuisse præter Liberos homines , quibus equi & opes erant , etiam *minores homines* , Liberos tamen, ac militare coactos , *qui nec casas , nec terras habent* . Cum his confer Legem 71. Lotharii I. inter Langobardicas , ubi constituitur : *Quicumque Liber homo à Comite suo , aut à Ministris ejus admonitus , ad patriam defensandam ire neglexerit &c. capitali subjaceat sententiæ* .

Qui in Lege Guidonis modò dicebantur *Herimanni*, in hac Lotharii Lege appellantur *Liberi*: omnes autem ad exercitum properare jubentur , ut tamdem elucere videatur , unum atque idem fuisse nomen *Liber* homo , & *Herimannus* sive *Arimannus* ; neque necesse fuisse, ut quisquam inter Arimannos computaretur , possidere fundos Beneficii titulo ab aliis acceptos : quod nonnulli sunt opinati . Hisce adde Legem XV. Lib. 5. Liutprandi Regis inter Langobardicas de Servis fugacibus . Hos capere , & in vincula conjicere locorum Judices jubentur, simulque eorum fugam & capturam significare ipsorum *Dominis* . *Et si ille Judex neglectum fecerit ad Servum fugientem recolligendum , aut Arimanno suo faciendum mandatum , quod in tali loco homo tuus comprehensus est , componat in Palatio Regis Solidos duodecim* . Nihil aliud est heic *mandatum facere Arimanno* , nisi significare , nuntiare , *far sapere* , Domino Servi fugitivi capturam illius. Si *Arimanni* appellati sunt quicumque Servos habere poterant , ergo nihil aliud Arimanni fuere , nisi Liberi, quia Liberis quibuscumque licebat sibi comparare ac alere Servos. Verùm ad hanc sententiam stabiliendam obstare videtur Charta, quam mihi suppeditavit in vetustissima membrana Archivum Estense , unde nobis aditus etiam præbebitur ad intelligendum, quid olim foret *Arimannia* , in antiquis monumentis interdum memorata .

## Examen Testium pro Episcopo Ferrariæ in controversia de dominio & districtu Curtis & Plebis Trecentæ, & aliis de caussis, inter ipsum Episcopum & Romanum Pontificem vertente coram Sigefredo Nuntio Apostolicæ Sedis, Anno 1182.

*IN nomine eterni Dei . Stephanus de Trisenta juratus dicit : quod recordatur à triginta annis , vidit Episcopum Ferrarie habere districtum suorum hominum habitantium in Terra de Trisenta , videlicet de adulterio , homicidio , & de aliis omnibus , si commiserunt . Nec vidit aliquem Nuntium vel Comitem Domini Pape accipere bannum de Trisenta , vel debere habere . De Glazano interrogatus dicit , quia partim est* Arrimannia, *& partim* Empheteusis. *Pro* Arrimannia debent facere servitium Domini Papæ , *sive sit habitator Episcopi , sive alterius* ; videlicet quod pro Arrimannia debent recipere Comitem bis in anno , & unaquaque vice dare duos pastos . Et ibi debet tenere Placitum generale tribus diebus . Et si aliquis Arrimannus distulerit venire ad Placitum usque ad horam Tertiam , debet solvere pro banno centum & octo Blancos . *Si habitat super* Arrimanniam , *omnem districtum habet Comes . Si habitat super terram Episcopi , & querimonia fiat de eo , debet facere rationem coram Nuntio Episcopi : & si Nuntius nollet facere rationem , Comes debet distringere eum . Vallis Surrica simili modo est* Arrimannia *&* Empheteusis. *Interrogatus de Portu dicit , quod non vidit aliquem Comitem unquam tenere ; nec vidit Ecclesiam de Tricenta , nec aliquam Ecclesiam de Plebatu Trecente facere aliquod receptum alicui Comiti vel Nuntiis Pape in expensis* .

*Raimundinus juratus dicit , quod Stephanus . Et addidit , quod fuit Nuntius Comitis per octo annos , nec habuit nisi supradicta* .

*Johannes Cabalarius juratus dicit idem, quod Stephanus . Et addidit , quod bene per triginta annos & plus . Et addit, quod Comes debet amplare & disbrigare vias . Item omnes isti in concordia dixerunt : De venatione facta in nemore Glazani , Dominus Episcopus debet habere anteriora Cenglarii causâ honoris* . Et hæc dicimus à tempore nostre recordationis . MCLXXXII. sexto die intrante Mense Januario, Indictione XV.

*Albertus juratus dicit ; quod vidit Episcopum Ferrarie , omnem districtum & omnem honorem habere in hominibus de Tricenta . Nec vidit , quod prædicti homines distringerentur per Nuntios Domini Pape . Et dicit , quod Comes solitus est tenere Placita generalia bis in anno in loco Tricente expensis Plebatus Tricente . Et si recusat Episcopus facere rationem de suis hominibus , Nuntius Domini Pape compellit eos rationem facere . Et si aliquis* Arrimannus *distulerit venire usque ad oram Tertiam , vel recedit sine licentia , componit pro banno centum & octo Blancos Comiti Domini Pape . De aliis questionibus interrogatus respondit , se nihil scire* .

*Venatesa juratus dicit idem in omnibus , ut Albertus . Et isti dicunt , se esse juratores Domini Sigefredi* .

*Joannes de Sabluno juratus dicit , quod vidit à tempore Comitisse Matildis Episcopum Ferrarie habere & tenere & distringere homines suos de Tricenta, de furtis, de adulteriis, & de aliis omnibus , videntibus Nuntiis Domini Pape & non contradicentibus . Nec vidit predictos homines distringi per Nuntios Domini Pape: & semper habitavit in Tricenta . De Portu Tricente dicit , quod Episcopi est . De nemore Glazani dicit , quod nullus audet incidere contra voluntatem Episcopi . Et dicit , quod non vidit Comitem Domini Pape recipi ab Ecclesia Sancti Georgii de Tricenta in expensis ipsius Ecclesie . De facto Masse & Melearie respondit , se nihil scire* .

*Presbiter Antus Canonicus in Plebe Tricenta juratus dicit idem , quod superior . Et addit à quinquaginta annis . Dicit, quod vidit de Portu Tricenta Episcopum habere & tenere semper* ac-

*ab eodem tempore. Sub eodem Millesimo, octavo die intrante Mense Jenuario, Indictione XV.*

*Pinzo juratus dicit; quod à tempore quo recordatur, quod dicit esse à quadraginta annis & plus, vidit homines Episcopi Ferrarie in Massa distringi & bandizari per Episcopum Ferrarie in civilibus & in criminalibus per suos Nuntios, videntibus Nuntiis Domini Papæ & non contradicentibus. Nec vidit eos bandizari per Nuntios Domini Pape: & quinquaginta anni sunt, quod habitator est in Massa, nec alibi habuit mansionem.*

*Petrus de Paulo juratus dicit idem, quod Pinzo per vigintiquinque annos. Et addit, quod ipsemet solvit bannum Nuntiis Domini Episcopi. Interrogatus de facto Tricente & Melarie, dicit se nihil scire; de venationibus factis in nemoribus Episcopi dicit, eum habere caput & pedes anteriores.*

*Ubertus de Caradona juratus dicit, quod vidit Dominum Episcopum bandizare & distringere homines suos de Massa in omnibus malefitiis à tempore, quo recordatur; & recordatur per quadraginta annos: nec vidit eos distringi per Nuntios Domini Pape unquam, videntibus Nuntiis Domini Pape, & non contradicentibus. De Casamentis Sancti Martini dicit, quod fuere intromissa per Cardinalem, cujus nomen ignorat, quem credit fuisse Dominum Ildebrandum, per Crucem, ut audivit. Sed Episcopus semper tenuit, ut credit. Et dicit, illa Casamenta esse Sancti Martini, sicut credit. Et dicit, quod Dominus Sigifredus habuit octo Solidos Mediolanenses à quodam homine, nomine Petrus Paulus, pro offensa cujusdam vinee, de qua non dederat ei plenam rationem suam, ut audivit, qui habitat in predictis Casamentis. Et dicit, quod Dominus Sigefredus fecit eum jurare dicere ei malas & bonas rationes, quas consuevere habere Nuntii Domini Pape in Massa. Et Otto cepit dicere jura Domini Pape justa & injusta. Et ipse guarentavit, quod dixerat Otto, quedam pro justa ratione, quedam pro injusta.*

*Turelus de Catalda juratus dicit idem, quod Ubertus, excepto de Casamentis, & de intromissione Cardinalis, & octo Solidis, de quibus nihil scit. Nec guarentavit ea, que dixerat Otto, quia Otto non juraverat, nec videbatur ei, quod bene diceret Otto. Et ambo dixerunt, quod Dominus Papa nihil debebat de jure habere, nisi quod continebatur in Privilegio Gregorii.*

*Sicco de Ciniselli juratus dicit, quod Dominus Sigefredus fecit eum jurare cum quibusdam aliis dicere bonas & malas rationes, que pertinebant Domino Pape. Et cum dixissent, nihil pertinere ad Dominum Papam, nisi quod conti nebatur in Privilegio Gregorii, Otto contradixit, & nihil fuit amplius scriptum in mea concordia.*

*Zeno de Ciniselli juratus dicit, se nescire Dominum Episcopum habere possessionem aliquam in Ciniselli, que pertineat Domino Pape. De facto juramenti idem, quod Saccus.*

*Azo de Flacanedi juratus dicit idem, ut Ubertus de Caradona, excepto quod non fuit jurator. Et de facto Ottonis nihil scit.*

*Johannes de Massa juratus dicit, quod vidit per quadraginta annos & ultra, Episcopum Ferrarie distringere homines suos, & banire de Massa ad voluntatem suam. Nec vidit hos homines distringi per Nuntios Domini Pape. De Casamentis Sancti Martini dicit, quod Casamenta sunt Sancti Martini; nec vidit ea teneri nisi per Ecclesiam vel per Episcopum. Sed ea intromisit precepto Cardinalis Ildeprandi. Et secunda vel tertia die Nuntius Episcopi, quando scivit, dissasivit. De facto Ciniselli & Tricenta nihil scit. De facto Melarie dicit, quod vidit Abbatem Sancti Salvatoris habere & tenere Melariam cum omni honore & districtu, & post Abbatem Episcopum similiter.*

*Dominus Otto juratus dicit idem, ut Johannes de Massa, excepto de Guisa quod non posuit.*

*Bulgarus juratus dicit, quod vidit Ecclesiam Sancti Salvatoris de Papia habere & tenere cum omni honore & districtu Terram de Melaria, bannire, placitare. Si aliquando aliquis crimen committebat, aut aliquo modo compellendus erat ad judicium, per Ecclesiam Sancti Salvatoris distringebatur. Et ipse fuit Villicus & Minister ipsius Ecclesie per viginti annos. Et fecit ista supradicta nomine Ecclesie. Et postquam Episcopus Ferrarie acquisivit Terram Melarie ab Ecclesia Sancti Salvatoris, quod est viginti anni & plus, vidit eum tenere & habere & facere omnia supradicta. Nec vidit Dominum Papam vel ejus Nuntium habere aliquod jus in Terra Melarie, sive in districtu, sive in bannis, sive alio modo. Et natus est in Melaria, & ibi semper habitavit & habitat.*

*Omnes isti predicti viri juraverunt in presencia Domini G (a) Mantuani Episcopi, & Domini Al. (b) Regini Episcopi dicere veritatem de omnibus racionibus, que pertinent ad beatum Petrum, & ad Ecclesiam Ferrarie, quando requisiti fuerint per predictum Mantuanum Episcopum, & Reginum Episcopum, vel per suos certos Nuncios, videlicet per Petrum Prepositum Reginum, vel per Dominum Agnelum Mantuanum Judicem, in quorum presencia hec acta sunt & lecta in presencia Sigifredi Subdiaconi Domini Pape, MCLXXXII. septimo intrante Mense Jenuario, Indictione XV.*

*Ego Zilibertus sacri Palacii Notarius interfui, audivi, & scripsi ex mandato G. Mantuani Episcopi, & Al. Regini Episcopi, & Petri Prepositi Regini, & Agneli Judicis, Assessorum eorum. Ad cujus rei majorem firmitatem & certitudinem predicti Episcopi has attestationes suis propriis sigillis sigillare fecerunt.*

*Et ego Dominicus, Christi misericordiâ Ferrariensis Notarius, videns has autenticas attestationes ex mandato Domini Ga. Mantuani Episcopi, & Al. Regini Episcopi, & Petri Prepositi Regini, & Angnellis Judicis, Assessorum eorum, per manus Ziliberti sacri Palatii Notarii scriptas, nihil addens vel minuens, seriem exarans in exemplum redegi Anno Domini MCLXXXII. Indictione XV. tempore Lucii Pape, & Frederici Imperatoris, Mense Jenuario.*

Itaque erant Villæ & Castella, quorum agri partim *Arimanniæ*, partim *Emphyteusis* titulo ab habitatoribus possidebantur. Uterque titulus possidenti onus aliquod importabat, diversum tamen. *Emphyteutæ* censum Domino plerumque quotannis persolvebant, sive in pecunia constitutum, sive in mensura frugum. Nobiliori onere obstringebantur *Arimanni*: nam præ-

(a) Hoc est *Garsendonii*, non *Garsiodori*, ut habet Ughellius in Episcop. Mantuanis Tom. I. Italiæ Sacræ, primæ editionis.


(b) Idest *Albriconi*, non *Alberici*, ut legitur apud eumdem Ughellium in Episcop. Regiensib. Tom. II. Ital. Sacr.

præter obligationem militiæ, quam fupra indicavimus, alia eis injungebantur. Nimirum, ut habet modo evulgata Charta, *pro Arimannia debent facere fervitium Domini Papæ, videlicet recivere Comitem* (five Miniftrum & Actionarium Pontificis) *bis in anno, & dare unaquaque vice duos paftos* (puta prandium ac cœnam). *Et ibi debet* Minifter *tenere Placitum generale tribus diebus. Et fi aliquis Arimannus diftulerit venire ad Placitum usque ad horam tertiam, debet folvere pro banno centum & octo Blancos.* Sunt adhuc in Ferrarienfi Ducatu fundi innumeri, partim *Feudi* titulo à Principe atque ab Ecclefiis conceffi privatis hominibus, partim *Emphyteufis* jure. Primi ordinis poffeffores *Vaffalli* appellantur, & fidelitatem jurejurando pollicentur: idque non folùm nihil Nobilitati derogat, fed immo quamdam Nobilitatis fpeciem importare videtur. Alterius ordinis viri *Emphyteutæ*, feu *Libellarii* appellantur, inter quos multi quidem Nobiles numerantur, fed & multi longe inferioris conditionis. *Arimannorum* voce in Charta Ferrarienfi defignari quifquam putet hujufmodi *Vaffallos*. An ii *Vaffalli* fuerint, ego quidem ignoro. Liberos homines fuiffe id mihi certum. Sunt autem, quæ fuadeant, non omnes Liberos fuiffe *Arimannos*, fed eos dumtaxat, qui in fundo Principis, aut in fundo obnoxio militaribus functionibus, aut aliis publicis oneribus, habitabant, & Principi tributa, aliaque fervitia præftare cogebantur. Immo *Arimannia* nihil aliud fuiffe videtur, nifi jus exigendi more Regali fervitia aliquot à Liberis hominibus: inter quæ præcipua fuerit obligatio procedendi in exercitum, quoties Dominus exigebat. Guido quidem Auguftus in Lege 3. fancivit, ne Reipublicæ Minifter *ab Arimannis fuis aliquid per vim exigat, præter quod conftitutum legibus eft. Sed neque per fortiam in manfionem Herimanni applicet, aut Placitum teneat.* Huic Legi minime concordes videantur confuetudines Arimannorum Ferrarienfium. Verùm omnia confonant. Neque enim fas fuit Comitibus & Actionariis, & ne in Ferrarienfi quidem agro, aliquid per vim exigere ab Arimannis. Quæ verò heic eifdem Miniftris debita dicuntur, jam *conftituta legibus* fuerant, aut confuetudo firmarat. Proinde quum Imperatores Regalia alicui concedebant, *Arimanniæ* quoque mentionem facere confueverunt. Uti Par. I. Cap. 8. Antiquitat. Eftenf. oftendi, Henricus inter Reges Germaniæ IV. Hugoni & Fulconi Principibus Eftenfibus, Anno MLXXVII. *Rhodigium in Comitatu Gavelli* &c. *Comitatum & Arimanniam*, aliaque multa Oppida, Caftella, & Curtes, *& omnes Arimannias, quæ ad iftas Curtes pertinent*, confirmavit. Accipe nunc, quæ Lotharius II. Imperator (Tertium quoque appellatum videas in aliis Diplomatis) Civibus Mantuanis indulferit. Ejus Diploma, nunc mihi evulgandum, defcribebam ego è Tabulario olim Ducali, nunc Archiducali Mantuæ. Ita verò fe habet.

## Privilegium Mantuanis Civibus à Lothario II. Augufto conceffum, Anno 1133.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Lotharius divina favente clementia Tercius Romanorum Imperator femper Auguftus. Cum Imperialis conditio omnibus fe impertiri debeat, precipue tamen exauditionis aurem illis debet accommodare, quorum fervicium & devotionem evidenti cognovit experimento. Proinde tam futuris quàm prefentibus notum effe volumus, qualiter nos in petitione fidelium noftrorum Mantuanorum, traditioni anteceffòris noftri felicis memorie Imperatoris Henrici annuentes, omnia illis Imperiali largitione collata, nos quoque Privilegii noftri confirmatione auctorizamus, & auctorizata iteratâ largitate renovamus & confirmamus. Sub hujus autem confirmationis fententia inter cetera comprehendimus* Arimanniam cum rebus communibus ad Mantuanam Civitatem pertinentibus ex utraque parte fluminis Mincii & Tartari; *deinde furfum usque ad Flumen Olei, ex alia parte Foffa-alta, de tercia parte Ecclefia Sancti Fauftini in capite Variano: & dein feorfum usque in Agriciam maiorem, adhibitis omnibus illis, que vel in prefenti, vel in futuro jufte poffident, vel poffeffuri funt. Prefatis etiam fidelibus noftris ob dignam impenfi fervicii memoriam concedimus, ut habeant poteftatem transferendi Palacium noftrum de Burgo Sancti Johannis ad Monafterium Sancti Rufini, fitum ultra prefatum flumen Mincii. Albergariam quoque nove & veteris Civitatis & fuburbiorum eius, remittimus & donamus. Quin eciam Infulam, in qua Caftrum Ripealte fuit fitum, eis concedimus, ita ut nullum Caftrum feu edificium à nobis, vel à noftris fucceffòribus extruatur. Hec omnia modò dictis prefatis Mantuanis, qui vel nunc funt &c. Si quis ergo Archiepifcopus, Epifcopus, Dux, Marchio &c.*

*Signum Domni Lotharii Tercii*



*Romanorum Imperatoris invictiffimi.*

*Ego Norbertus Archicancellarius recognovi*

*Datum Anno Incarnationis Millefimo Centefimo Trigefimo Tertio, Indictione XI. tertio Kalendas Augufti, Anno verò Regni Regis Lotharii Octavo, Imperii verò Primo.*

*Actum in Epifcopatu Mantuano in Campo Sancti Leonardi, feliciter. Amen.*

En ut iste Augustus Mantuanis confirmat *Arimanniam cum rebus communibus ad Mantuanam Civitatem pertinentibus*. Quid hæc verba significent, non prius investigabo, quàm addam & alterum simile Diploma, Friderici nempe Primi, eisdem Mantuanis concessum, & ipsum numquam antea editum, atque in supra laudato Archiducali Archivo Mantuæ olim mihi exhibitum.

## Fridericus I. Imperator Mantuanis Civibus vetera Privilegia ac immunitates confirmat, Anno 1159.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Fredericus divina favente clementia Romanorum Imperator & semper Augustus. Imperiali honori congruit, & ipsa ratio suadet, ut fidelibus nostris ampliorem gratie & dilectionis favorem impendamus, illis precipue, in quibus plurima argumenta fidei claruerunt, & usque ad hec nostra tempora venire feliciter meruerunt. Eapropter tam futurorum, quàm presentium fidelium noverit etas, quod interventu & petitione fidelissimi Principis nostri* Graxentonii Mantuani Episcopi, *qui fidelitatem preclaram nobis & Imperio magnificis exhibuit obsequiis, preces fidelium nostrorum Mantuanorum Augustalibus nostris auribus admisimus, & secundum Privilegia nostrorum antecessorum, que diligenter perspeximus*, cunctos Arimannos in Civitate Mantuæ, sive in Castro, quod dicitur Portus, sive in Villis, que nominantur Sanctus Georgius, Cepada, Formigosa, seu in Comitatu Mantuano habitantes, cum omni eorum hereditate, & proprietate, paterno vel materno jure, & cum omnibus rebus communibus, que ab eorum parentibus possesse fuerunt, & eorum adquisita vel adquirenda, nominatim Silva Armanora, Carpeneta, Sacca, Septingenti, sive per cetera loca in Comitatu Mantuano adjacentia. *Piscationes quoque in fluminibus & paludibus sine scriptionis titulo aliquo, quod juste & legaliter eis pertinet, cum familiis utriusque sexus, Servis & Ancillis, Libellariis, Precariis, & cum omnibus rebus eorum mobilibus, & immobilibus, per hujus nostri Precepti paginam, prout juste & legaliter possumus, eis concessimus & corroboravimus; scilicet utrasque ripas fluminis Tartari, deinde sursum ad flumen Olei. De alia parte Fossa-alta, de tercia parte Ecclesia Sancti Faustini in capite Variana, & deinde sursum usque in Agriciam majorem. Ea videlicet ratione concedimus eis omne tholoneum & ripaticum, quod pro negocio exercetur in Garda, in Lagesa, & in Summo Lacu, vel in Brisiana, & in Ferraria, vel in Comaclu, & in Ravenna. Ipsi, suique filii, ac homines, qui illorum causa laborantes negociantur, licentiam habeant potestative negociandi per jam dicta loca absque omnium hominum contradictione, vel publica functione, vel alicujus tholonei vel ripatici redditu. Insuper Palacii nostri apud Monasterium Sancti Rufini construendi potestatem eis concedimus. Albergariam quoque nove & veteris Civitatis, ut circumdata est, muro & munimine eis remittimus & donamus. Quineciam Insulam, in qua Castrum Ripæ-altæ fuit situm, eis concedimus, ita ut nullum Castrum seu ædificium à nobis vel à nostris successoribus exstruatur. Precipimus quoque, ut liceat prædictis fidelibus nostris Mantuanis secure ire & redire ad omnia mercata sive per terram, sive per aquam in Imperio nostro ubicumque voluerint absque alicujus molestatione, & tholonei exactione. Hec omnia supradicta Mantuanis omnibus, qui nunc sunt & adhuc futuri sunt, juste & legaliter concedimus, salvâ per omnia Imperiali justitiâ. Si quis ergo Dux, vel Marchio &c.*

*Signum Domni Frederici Romanorum Imperatoris invictissimi.*

*Ego Raynaldus sacri Palacii Imperialis Cancellarius recognovi.*

*Acta sunt hec Anno Dominice Incarnationis MCLIX. Indictione VII. regnante Domno Frederico Romanorum Imperatore serenissimo, Anno Regni ejus VIII. Imperii verò IV.*


*Datum in territorio Regino apud Luchariam, XII. Kalendas Aprilis.*

Heic ergo intuemur, Fridericum favore suo prosequi *cunctos Arimannos in Civitate Mantuæ, sive in Castro, quod dicitur Portus, sive in Villis* &c. *seu in Comitatu Mantuano habitantes cum omni eorum hereditate & proprietate, paterno vel materno jure, & cum omnibus rebus communibus, quæ ab eorum parentibus possessæ fuerunt* &c. Totum Diploma attente perpende: confer cum uno Henrici I. Augusti, Anni MXIV. & cum altero Henrici II. Augusti, Anni MLV. quæ dabo infra in Dissertat. XLV. *de assumta à Civitatibus Italicis Reipublicæ forma*, ac demum intelliges, sub *Arimannorum* nomine heic designari Liberos homines, non ruri tantummodo habitantes, sed & in Civitate. Eisdem autem *Arimannis*, sive Civibus, Imperator omnia bona hereditaria, hoc est Allodii titulo possessa, tum etiam *bona communia* confirmat. Quo postremo verbo indicari mihi videntur fundi Reipublicæ Mantuanæ. Animadvertendum quippe est, tunc *Arimannos* Civitatis illius regimen tenuisse. Scilicet Mantuani sublatâ è vivis Anno MCXV. celebri Comitissâ Mathildâ, in libertatem & ipsi assurrexere, atque Ordo *Arimannorum*, quibus *Consules* præerant, clavum Reipublicæ arripuit. Cujus veritatis testes habeo tabulas, quas adservat Archivum insignis Monasterii Padolironensis in agro Mantuano siti. Contra istud Monasterium Communitas Mantuæ controversiam moverat de quibusdam nemoribus. Sed Monachis jura sua prodentibus abjudicata est caussa Mantuanis per Chartam, Anno MCXXVI. quincto Nonas Julias exaratam. Interfuere *Consules Albertus & Azo filii Azonis Inrici*, *Wido filius Hugonis de Bona*, *Opizo de Calantono*, *Albertus filius Bonacausæ Scugerii*. Tunc recensentur *Arimanni*. Ii sunt *Ingellaldus de Muriano*, *Otto & Wibertus & Anselmus filii Ingellandi*, *Albertus Azonis*, & reliqui. Itaque heic *Arimannorum* nomine veri prorsus simile est designari *Nobiles*, ad quos dumtaxat eo tempore spectabat Mantuanæ Reipublicæ cura. Quæ verò heic habes, lucem conferunt Diplomati dato Civibus Mantuanis Anno Christi MCXVI. ab Henrico Imperatore IV. quod in nuper memorata Dissertat. XLV. proferam. Redeo nunc ad *Arimanniam*. Baldus, Alvarottus, Cujacius, Gothofredus, aliique Legum Feudalium Interpretes, inepta nobis obtrusere in ejus vocis significatione explicanda. Fridericus I. in Lib. II. Feudorum Tit. 56. inter Regalia connumerat *armandiam*, *vias* vu-

*publicas* &c. qua voce ii opinati sunt innui *publica armamentaria*, aut *jus armorum fabricandorum*, aut *vectigal ex licentia arma faciendi*, aut quod ineptius est, *vectigal ex armentis* &c. Sed eos illusit ipsius vocis à Librariis corruptæ sonus; neque enim *Armandia*, sed *Arimannia*, seu *Herimannia* scribendum est, & scriptum olim fuit. *Arimannia* verò inter cetera Regalia jura connumerabatur, uti etiam liquebit ex ejusdem Friderici I. Diplomate, cujus antiquissimum exemplum legi olim Venetiis apud Nobilem virum Franciscum Carminatum Patricium Venetum, ad quem pleraque bona olim spectantia ad Monasterium Carcerum, ab Estensibus Marchionibus ante complura Sæcula fundatum, translata nostris diebus fuerunt una cum Chartis ejusdem Cœnobii.

## Fridericus I. Imperator ad petitionem Marchionum Estensium Monasterium Sanctæ Mariæ ad Carceres, in territorio Estensi positum, sub sua protectione recipit, eique Privilegia & bona confirmat, Anno 1177.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si Christi Ecclesiis Imperatorie defensionis subsidium clementer impendimus, ad eterne vite meritum & temporalis gratie augmentum nobis proficere credimus. Noverint ergo omnes Imperii nostri fideles presentes & futuri, quod nos per interventum fidelium nostrorum* Marchionum de Esth Alberti, Obizonis, & Bonifacii, *& venerabilis fratris nostri Pistoris Prioris Sancte Marie ad Carceres, ipsam scilicet Ecclesiam Sancte Marie ad Carceres in nostre tuicionis speciale patrocinium suscipimus, & omnia bona & possessiones, quas eadem Ecclesia nunc habet, vel de cetero legitime acquiret, nostrâ Imperiali auctoritate ei confirmamus. Nominatim verò & expresse bona illa, que habet in Cavallile, in Credaroloni Porto, in Minervi, in Urbana, in Melladino, in Palso, in Vigizolo, & in ejus Curti, in Este, & Baone, Carpi, Montesilice, in Tribano, Cona, Paltenna, vel ubicumque supradicta Ecclesia Sancte Marie nunc habet, vel acquirere poterit, ei corroboramus, ita ut supradicta Ecclesia ea deinceps habeat ac teneat in omni quiete, & sine aliqua vexatione, in bannis, fodris, Placitis, districtis,* Arimanniis, *& cum omni honore. Statuimus quoque, ut bona ejusdem Ecclesie, & eorundem bonorum habitatores, & quilibet homines ad eam pertinentes, nec per Civitatem aliquam, nec per Consulatum, nec per ullum Commune, nec per Ducem, nec per Marchionem, Comitem, Vicecomitem, Gastaldionem, Decanum, nec per ullam personam magnam, aut parvam distringantur, nec angariam aut parangariam, seu aliquam functionem exsolvere cogantur, nec nomine fodri vel albergarie, aut alio quolibet exactionis modo a quoquam graventur aut molestentur, salvâ in omnibus Imperiali justitia. In qua tamen eis id nostrâ munificentiâ indulgemus, ut nulli hominum inde respondeant, nisi nobis, aut certo nostro Misso ad hoc specialiter destinato, aut per eum illa nobis representent. Si quis ergo Dux, aut Marchio, Comes, aut Vicecomes, aut aliqua Civitas, aut ejus Consulatus, aut aliqua persona magna vel parva, nostre Imperiali pagine obviare, aut eam aliquo modo infringere presumpserit, sciat se pro pena compositurum auri optimi Libras quinquaginta, medietatem Fisco Imperiali, & medietatem predicte Ecclesie Sancte Marie. Quod ut verius credatur, & ab omnibus diligencius observetur, hanc paginam corroborantes, Sigilli nostri impressione jussimus insigniri, sub testimonio Principum, eorum nomina subter scripta sunt. Ulricus Patriarcha Aquilegiensis, Christianus Moguntinus Archiepiscopus, Philippus Coloniensis Archiepiscopus, Cunradus* Wormatiensis *Electus,* Worthuinus *Protonotarius, Drudo Feltriensis Episcopus, Florentinus Comes Hollandie, Rupertus de Durna, Cunradus Marchio Montisferrati,* Obizo Marchio de Esteh, *Comes Schinella de Tervisio, Heinricus Comes de Piano, Ulricus Nepos ejus, Comes Hugitio Vicentinus, Garzapan de Verona, Gabriel filius* Wezeli *de Camino, Gerardinius de Campo Sancti Petri,* Wilelminus *Tempesta, Henricus Theutonicus, Cavalcasella, & alii quamplures de Castello.*

*Signum Domni Friderici*  *Romanorum Imperatoris invictissimi.*

*Ego Gotefridus Cancellarius vice Philippi Coloniensis Archiepiscopi, & Ytalici Regni Archicancellarii recognovi.*

*Acta sunt hec Anno Dominice Incarnationis Millesimo Centesimo Septuagesimo Septimo, Indictione X. Regnante Domno Friderico Romanorum Imperatore invictissimo, Anno Regni ejus XXVI. Imperii verò XXIV. feliciter, Amen.*

*Data apud Venecias in Palacio Ducis, sexto Kalendas Septembris.*

Jus

Jus Placiti, banni, fodri, districtus, atque *Arimanniæ* vetantur exercere in bona istius Monasterii Consules Civitatum, Duces, Marchiones, &c. Id enim reservatur Imperatori ipsi, ejusque Missis. Olim ex ipsis *Herimannis* Comites exigebant quædam servitia à Legibus probata. Sed quum cœpissent eosdem Arimannos in Beneficium tradere *hominibus suis*, hoc est familiaribus ac Ministris suis, licentia hæc auctoritate Regum compressa fuit. Apud Labbeum Tom. 9. pag. 506. Concilior. Canone 3. cujusdam Concilii legitur: *Ut nullus Comitum Arimannos in Beneficio suis hominibus tribuat*. Si Arimanni antea *Vassalli* fuissent, quei tradi aliis *in Beneficium* potuissent? Ughellius in Catalogo Episcoporum Veronensium Tom. 5. pag. 785. primæ editionis, Acta quædam refert in controversia vertente inter Norandinum Episcopum, & Commune Porti, *super jurisdictione, honore, districtu, & adulturo, quod vulgo Plebania nuncupatur, & Erimaria & fodro Porti*. Causâ in arbitros commissâ, & pecuniâ Episcopo datâ, tradidit & concessit Præsul Communi Veronæ *omne imperium merum & mistum, omnem jurisdictionem, omnem districtum, omnem honorem, omnem Plebaniam, sive adultrium, omnem fodrum, omnes albergarias, omnia amixeta, omnia recepta, omnem Eremaniam Villæ Porti &c.* Sæpe nimis deformata veterum monumenta nobis exhibuit bonus Ughellius, cujus alioquin studium, laborem, ac bonam voluntatem laudare non desino. Et lepidum illud in primis, quod ipse in Diplomate Ottonis Magni spectante ad Annum DCCCCLXVII. Tom. 5. pag. 655. primæ editionis, exhibet his verbis: *Castellum, quod vocatur Romanianum, cum liberis hominibus, qui vulgo Heremitani dicuntur, qui prius ad nostrum restrictum respiciebant, cum omnibus rebus illorum à se pertinentibus, seu cum omni debito, destrictione & notione atque Placitu nostro, & Comitis Sancti Zenonis ad sanctorum prebendam Monachorum donamus*. Omnia hæc corrupta. Scribe *qui vulgo Herimanni dicuntur*. Repone *ad nostrum districtum*. Lege *ad se pertinentibus*. Corrige *districtione, functione atque Placito nostro & Comitis, Sancto Zenoni &c.* Regrediamur nunc ad Acta præmemorata. Illic omnino legendum *Adulterium*, nempe jus puniendi adulteros. Illud enim constat, *Adulterii* cognitionem multis olim in locis spectasse ad forum Episcoporum. Verùm ubi decrescere istorum auctoritas & potentia cœpit, Sæculi Potestates aut per concordiam, aut aliâ ratione hanc eis prærogativam eripuere. Neque id tantùm in Italia, sed & in Gallia factum. Adfert Du-Cangius Chartam concordiæ inter Fulconem Comitem Andegavensem, & Goffridum Episcopum, Anno MLXXXII. initæ, in qua agitur de *querela, quam diu contra Comites habuerant Episcopi, videlicet de Adulteris & Usurariis, quos antiquitus ad solius Episcopi justitiam pertinuisse constabat: sed postea Ministrorum Ecclesiæ negligentiâ & incuriâ Seculares Judices usurpaverant, non absque Episcoporum contradictione & justa querimonia. Super hac igitur querelâ talis concordia facta est utriusque consensu, ut Præpositus Comitis, & Archidiaconus Episcopi communiter Adulteros & Usurarios Laicos distringant, & totam multam emendationis inter Comitem & Episcopum per medium partiantur*. Resumo Ughellii textum, ubi legendum est *Herimannia*, uti & supra pag. 777. *imperio, honore, districtu, Herimannia fodro*, non autem *& districtu erimaniæ*. Fortassis etiam vitiatum dicas illud *amixeta*. Contendit ergo Du-Cangius, nihil aliud vocabulo *Arimanniæ* significari, nisi obligationem Vassallis impositam *eundi in exercitum*. Mihi videtur, non hoc solùm, sed & alia per illud importari, nimirum jus exigendi à Liberis hominibus, præter militare, alia quoque servitia, ac præcipue hospitium pro Principe, ejusque Ministris. Ughellius prælaudatus Tom. 2. in Catalogo Episcopor. Parmens. producit Chartam Mathildis Comitissæ Anno MCXIV. scriptam, ubi refertur concordia inita inter ipsam, & Bernardum Episcopum Parmensem. Inter cetera pollicitus est Episcopus, *quod nostris Arimannis de Monticulo nullos alios usus, vel factiones deinceps requisierit, nisi quos ejus Antecessores &c. solummodo in pace, & non in guerra, ex illis habuerant*. Ergo Arimanni tempore etiam pacis ad quædam obsequia, servitia, & factiones obligabantur. Accipe alteram Chartam ejusdem Comitissæ Mathildis, quam mihi suppeditavit insigne Archivum Canonicorum Mutinensium.

## Judicatum Mathildæ Comitissæ pro immunitate hominum Rochæ Sanctæ Mariæ de Castello ab albergariis, aliisque oneribus Ministrorum Comitis, Anno 1108.

A*Nno ab Incarnatione Domini Millesimo Centesimo Octavo de mense Junii, Indictione prima. Dum adesset in Dei nomine* Domna Mathilda *Dei gratiâ* Ducatrix & Comitissa, Marchionis Bonifacii filia, *in loco, qui dicitur Monte Baranzoni, ibique eum ea Rainerius filius Bulgarelli, Ugo de Maginfredo, Raimundus de Baise, Bernardus Beneventanus, Girardus de Boso, Iginulfus de Gandaceto, Arditione de Macreta, Ato de Macreta, Ardicione de Bebio, Filii Rozonis de Pellano, scilicet Bellentius & Rozo, & plures alii: in eorum presentia lamentavit* Domnus Dodo *gratiâ Dei* Motinensi Episcopo *de hominibus Curtis Roche Sancte Marie de Castello*, quod Ministeriales Comitis ospitabantur eos injuste. *Suprascripta autem Domna Matilda, cum taliter audivit, fecit venire juratores ipsius Comitatus, scilicet Martinus de Libo, & Carbonzellus, & Fantiluttus: & interrogavit eos. Et ipsi unanimiter responderunt, quod homines prenominate Curtis Sancte Marie, neque de Albergaria, vel de alia factione alicui respondere soliti erant, nisi ad ipsam Rocham. Et si quis illorum aliquid* de Arimanniis *habent, aut* de Arimanniis respondere deberet, *secundùm quod esset*, aut ipsam Arimanniam dimitteret, *ut domus suprascripte Roche non impedirentur. His auditis una cum consilio Sapientium, qui ibi aderant, laudavit suprascripta Domna Matilda, ut ita mansisset, & aliter non impedirentur. Et insuper addidit penam, quod si aliqua persona magna parvaque presumpserit aliter facere sive Comes, sive Gastaldius, seu ulla alia persona, sciat se composituram nomine pene Libras decem denariorum Lucensium, medietatem parti publice, & medietatem predicte partis.*

*Dominicus sacri Palatii Notarius scripsit ex jussione suprascripte Domne Comitisse Mathilde, & subscribendo complevit.*

Viden ut *Ministeriales Comitis* hospitium, sive *albergariam* extorquebant ab hominibus Episcopi. Qui tamen *Arimannias* possidebant, aut eas dimittere, aut hospitium præbere jubentur. Suspicari hæc faciunt, ne dicam satis produnt, *Arimannias* fuisse prædia quædam Liberis hominibus tradita à Fisco directo domino. At quonam titulo traderentur, hoc est num Feudi, an Usus, id obscurum mihi est. Si enim hæc Feuda fuere, cur ipsi numquam *Vassalli* appellantur, & singulari hoc nomine *Arimanni* dicuntur? Quod etiam animadvertendum, antiquissimum est *Arimannorum* nomen; at vocabuli *Arimanniæ* exempla non nisi post Annum à Christo nato Millesimum hactenus mihi occurrerunt. Et fortasse inter Comitum jura & istud recensebatur: videntur enim Comites ab Arimannis exegisse quasdam, ut appellant, angarias, quibus obnoxii minime fuerunt homines non Arimanni. Proinde quum Henricus inter Reges Quartus Vercellensi Episcopo largitus fuit Castella quædam, seu Vicos, ea concessit *cum omnibus Arimannis, & quod pertinet ad Comitatum*. Accipiat Lector Diploma ipsum, & agnoscat, quot & quanta uno tempore à Regio Fisco Vercellensis Episcopus suæ Ecclesiæ conquisierit, simulque ex Comitum potestate abstraxerit.

## Henrici Regis inter Germaniæ Reges Quarti Diploma, per quod Gregorio Vercellensi Episcopo multa largitur, Anno 1070.

I*N nomine Sanctæ & individuæ summæque Trinitatis. Henricus Quartus, Dei gratiâ, Rex. Omnibus Dei, nostrisque fidelibus tam futuris, quam presentibus notum esse volumus, quod nos pro patris nostri Domni Henrici Imperatoris animæ, nec non & nostræ remedio, interventuque Domni Hermanni Babenbergensis Episcopi nostri dilectissimi*, Gregorio Vercellensi Episcopo, nostroque Cancellario *carissimo, & Eusebianæ Ecclesiæ, & omnibus ejus successoribus dedimus* Casale cum Arimannia, & cum servitio, quod pertinet ad Comitatum: Odalingo cum omnibus Arimannis, & quod pertinet ad Comitatum: Albalingo cum omnibus Arimannis, & quod pertinet ad Comitatum: Ocelingo cum omnibus Arimannis, & quod pertinet ad Comitatum: Momolerio cum omnibus Arimannis, & quod pertinet ad Comitatum: Sclurinum cum omnibus Arimannis, & quod pertinet ad Comitatum: Rodingo cum omnibus Arimannis, & quod pertinet ad Comitatum; *& cum eorum finibus & pertinentiis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, terris arabilibus, & inarabilibus. Et sub Præcepti nostri traditione in perpetuum contulimus, eâ scilicet ratione, ut nullus Archiepiscopus, nullus Episcopus, nullus Dux, nullus Marchio, nullus Comes, nullus Vicecomes, nullus Miles, nullus Gastaldio, nulla magna parvaque persona prædictum Episcopum, neque ejus successores, neque Sancti Eusebii Ecclesiam, molestare, injuriam inferre, disvestire de omnibus prædictis locis audeat, sicut dictum est, in integrum. Quod si aliquis (quod minime credimus) hujus nostri Præcepti paginam temere violaverit, sciat se compositurum centum Libras auri, medietatem nostræ Cameræ, & medietatem Episcopo prædicto nostro fideli, aut ejus successoribus. Quod ut verius credatur, cautiusque ab omnibus custodiatur, manu propria corroborantes, Sigillo nostro sigillare infra jussimus.*

*Signum Domni Henrici IV. invictissimi Regis.*


*Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo Setuagesimo, Indictione VIII. tertiodecimo Calendas Augusti, Anno ordinationis quidem Domni Henrici Quarti Regis XVI. Regni verò ejus XIV.*

*Actum & datum Vecemburgensi Urbe feliciter. Amen.*

Quum verò alicui à Regibus aut Imperatoribus jus quoque in Liberos homines, seu Arimannos concedebatur, hi novo Domino præstare servitia & factiones cogebantur, quæ antea Imperatori aut ejus Ministris saltem ex consuetudine præstabant. Henricus idem IV, cum opprobrio ex Romana expeditione Veronam reversus, insigni ac vetustissimo Monasterio Veronensi S. Zenonis Anno MLXXXIV, donabat *Liberos homines, quos vulgo Arimannos vocant, habitantes in Castello Sancti Viti, & in ejus territorio; necnon & Herimannos habitantes in Vico Sancti Zenonis, cum omni debito, districtu, actione, atque Placitu.* Non incongruum puto adjicere Diploma ipsum, quod ex autographo existente in Archivo ejusdem Monasterii olim describebam.

## Confirmatio omnium bonorum & jurium facta Monasterio S. Zenonis Veronensis ab Henrico Quarto Rege, Imperatore Tertio, Anno 1084.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Imperialem sublimitatem condecet, ut quanto ceteris dignitatibus excelsior colitur, tanto justis petitionibus Deo servientium benignior nec non clementior inveniatur. Quapropter notum esse volumus omnibus Sancte Dei Ecclesie, nostrisque fidelibus tam futuris quamque presentibus, qualiter* Domnus Sigebodus *sancte* Veronensis Ecclesie Episcopus *una cum* Werinherio Abbate Monasterii Sancti Zenonis Confessoris, *nostram clementiam suppliciter exorando adiit, ut ob amorem Dei omnipotentis, beatique Zenonis reverentiam, multum nos deprecans, ut omnes proprietates & possessiones Monasterii predicti &c. eidem Cœnobio corroboraremus. Nos verò justis eorum petitionibus consentientes pro remedio anime nostre, & ob interventum dilectissime* Conjugis nostre Berte, *atque ob interventum karissimi* filii nostri Chuonradi, *predicto Monasterio concedendo confirmamus &c. Idest in Judiciaria Gardense Castellum, quod nominatur Pasturingo, quod Monasterio Sancti Zenonis bone memorie* Arduinus Comes *& filius ejus* Eriprandus *pro remedio animarum suarum per Carta offersionis contulerunt &c. Nec non & Castellum, quod vocatur Insula Nonense, quod ad ipsum Monasterium per offersionem, donationem, atque comparationem devenit, cum omni reddito & districtu, vel fodrum, quod nunc habere videtur. Donamus insuper atque concedimus eidem Monasterio Sancti Zenonis* Liberos homines, quos vulgo Arimannos vocant, habitantes in Castello Sancti Viti, & in ejus territorio: nec non & Herimannos hahitantes in Vico Sancti Zenonis ab Ecclesia Sancti Martini in Aquario usque ad Clivum, cum omni debito, districtu, actione, atque Placitu. *Seu quicquid a bone memorie* Otberto, *atque* Adalberio Veronensium Episcopis concessum fuit: *idest furtum, adulterium, atque ripaticum a prefata Ecclesia usque ad Clivum. Nec non & cum omnibus rebus ad prefatum Monasterium pertinentibus, cum Ecclesiis, & Castellis, Vicis, colonis, mancipiis, commendaticiis, facticiis &c. Quapropter jubemus atque decernimus, ut quantumcumque memorata Ecclesia Sancti Zenonis &c. juste & legaliter habere dignoscitur &c. secutiter teneat &c. Nullum censum, neque Theloneaticum, vel de silvis capulum persolvere cogatur. Nullus infra eorum Villas aut Castella ingredi, Placitum tenere, aut eorum Liberos, sive famulos distringere vel pignorare, neque hospitari, seu aliquam functionem aut exactionem exigere audeat. Si quis vero &c.*

*Signum Domni Heinrici*  *Tercii Romanorum Imperatoris Augusti.*



***Burchardus Cancellarius vice Sigewini Archicancellarii recognovi.***

***Data XV. Kalendas Julii, Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXIV. Indictione VI. Anno autem Domni Heinrici Tercii Romanorum Imperatoris, Regni XXIX. Imperii verò I.***

***Actum Veronæ in Christi nomine. Amen.***


Locus Sigilli cerei ✠ exstantis cum Imperatore sedente, & manu dextrâ globum, sinistrâ hastam tenente, cum Epigraphe HEINRICVS DI GRATIA TERCIVS - - - - - - - - TOR AVG.

Acce-

Accedat longe etiam vetuſtior teſtis, nempe Diploma, quod archetypum in eadem Veronenſi Urbe ſub oculis habui, adſervatum in Archivo ejuſdem Monaſterii Sancti Zenonis. Ibi intuebere conceſſam & confirmatam ab Imperatoribus prælaudato Cœnobio *Corticellam in Laceſe cum omnibus pertinentiis ſuis, & reditu Liberorum hominum*. Ibi quoque ad Annum DCCCCI. floruiſſe perſpicies *Vitalem Epiſcopum Vicentinæ Eccleſiæ*, adjungendum catalogo Antiſtitum illius Urbis, quum ipſum Ughellius in Italiæ ſacræ Tom. V. ignorarit.

## Berengarius I. Rex Monaſterio Sancti Zenonis Veronenſis quædam bona confirmat, Anno 901.

*IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni. Berengarius divina favente clementia Rex. Quia anteceſſorum Imperatorum ſcilicet atque Regum morem fuiſſe comperimus, Eccleſiarum res ſua protectione tueri atque augere; idcirco notum ſit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtriſque præſentibus ſcilicet ac futuris, qualiter* Vitalis *venerabilis* Epiſcopus *ſanctæ* Vicentinæ Eccleſiæ, *dilectus* Conſiliarius noſter, *noſtram adiens clementiam petiit, quatenus pro amore Dei, Sanctique Confeſſoris atque Pontificis Zenonis res quaſdam & cenſum jam ante ab anteceſſore noſtro divæ memoriæ* Karolo Imperatore & conſobrino noſtro, *ſancto & venerabili Cœnobio ejuſdem Sancti Zenonis conceſſas, noſtro iterum confirmaremus Præcepto: Nos itaque juſtam & ratam ipſius poſtulationem perſpicientes, & jam fati Sancti Martiris & Confeſſoris atque Pontificis Zenonis nos precibus & interceſſione juvari atque tueri confidentes, hoc noſtræ auctoritatis Præcepto res eaſdem, ideſt* Corticellam in Laceſe, cum omnibus pertinentiis ſuis, & reditu Liberorum hominum; *ſeu & res eidem jam dicto Monaſterio Sancti Zenonis ab* Anſelmo Comite *quondam delatas, ideſt Orreum in Civitate Verona cum areis ſuis in circuitu, & alias res tam in Civitate Verona, quàm extra ſingulis locis: ſeu & res in Runco à Boniperto quodam Presbitero, ſæpe nominato Cœnobio delegatas: & Hortellum unum infra Civitate Verona à quodam Ingelfredo donatum eidem Sancti Zenonis Monaſterio, ad Monachorum inibi Deo famulantium ſuſtentationem, ſecundùm anteceſſoris noſtri Karoli Præceptum, concedimus ac confirmamus, & in perpetuum ſtabilitum cenſemus; ut nullo umquam in tempore Marchio, Comes, aut Gaſtaldius, vel quilibet rei publicæ Miniſter ſeu Exactor; de his omnibus ſupratazatis in aliquo ſe intromittere habeat facultatem. Ob hoc videlicet, ut non ſolùm iſti, qui modo ibi ſunt & præſentialiter degunt, verùm etiam qui poſtea ad ipſum confluentes locum venturi ſunt, libere ac voluntarie pro longevitate atque ſtabilitate Regni noſtri, ſempiternoque noſtræ animæ remedio, ſeu Conjugis noſtræ, omnipotenti Deo preces continue perſolvant. Contra quod noſtræ donationis ſeu confirmationis Præceptum ſi quis inſurgere, aut infringere ex parte vel ex toto voluerit, ſciat ſe compoſiturum triginta Libras auri obrizi, medietatem Cameræ Palatii noſtri, & medietatem jam dicto Sancto Cœnobio, &c.*

*Signum Domni*  *Berengarii glorioſiſſimi Regis.*

Locus ✠ Sigilli cerei exſtantis cum buſto & capite Berengarii admodum juvenis, & cum ſua Epigraphe.

*Teudebertus Notarius ad vicem Vitalis Epiſcopi Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.*

*Data X. Kalendas Septembris, Anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCCI. Anno verò Domni Berengarii glorioſiſſimi Regis XIV. Indictione IV.*

*Actum Veronæ in Dei nomine feliciter, Amen.*

In Charta etiam Anni MCLXXXVIII. quam proferam in Diſſertat. XIX. *de Tributis*, Fridericus I. Imperator inter alia Regalia à Cremenſibus petebat *de terris Militum quartum, de ceteris verò tertium*. Neque hæc ſane poſtremis temporibus inſtituta. Carolus M. in Diplomate apud Campium Tom. I. Hiſtor. Eccleſ. Placent. Juliano ejuſdem Urbis Præſuli Anno DCCCVIII. conceſſit *omnem judiciariam, vel omne teloneum de Curte Gaſiano, tam de Arimannis, quam & de aliis Liberis hominibus per memoratas fines, omnia, quæ à Publico* (ideſt à Regio Fiſco antea) *exigebantur*. Denique ad intelligendum, quid *Arimannia* ſignificarit, uſui eſſe poſſe videtur Charta itidem Veronenſis ab eodem Ughellio producta Tom. V. pag. 742. in Theobaldi Epiſcopi Veronenſis vita, de quo hæc ſcripta ſunt circiter Annum MCLIV. *Duos item ruſticos Arimannos de Monte Auro pro accepta pecunia alienavit: triginta item & ſeptem ruſticos de Roverclara: unum etiam de Porto. Alii omnes pro accepta pecunia, nec vadimonium de bando, nec fodrum, nec albergarias, nec collectam Epiſcopatui debent* [illegible]

*plius facere*. Quibus ex verbis elucere videtur, fuisse *Arimannos*, qui ruri, hoc est in Pagis atque Castellis habitarent, dum Liberi essent homines; eosque fuisse obstrictos ad fodrum, albergariam, aliaque servitia præstanda Comiti, vel Domino. Fuerunt autem & Liberi homines pauperes, quos nulla fœdaverat servitutis nota. Patres Concilii Moguntini Anno DCCCXLVII. habiti Tomo 8. Concilior. Labbeanor. *Monemus*, ajunt, *Regiam pietatem de oppressione Liberorum pauperum, ut à potentioribus per aliquod malum ingenium non opprimantur, vel cogantur, ut res suas vendant sive tradant* &c. *& ut sæpius non fiant manniti* (idest viritim vocati) *ad Placita, nisi sicut in dominico Capitulari*. Supra ex Charta Archivi Estensis didicimus, *Arimannos* coactos fuisse *venire ad Placitum*. Ergo & hinc intelligimus, *Arimannos* & *Liberos* idem fuisse. Interea Du-Cangius sententiam Goldasti probat, scribentis, eos *Herimannos* appellatos, qui forent *homines militares, & beneficia ac prædia ab Imperatore concessa possiderent*, videlicet *Vassalli minores*. *Vel certe*, subdit ipse Du Cangius, *Arimanni, seu Heremanni fuere ipsarum Villarum incolæ prorsus diversi à Servis*. Sunt heic aliqua veri similia, sed minime certa. Quod ad *Villarum incolas* dumtaxat, *Herimannorum* ordo refertur, incertissimum, ne dicam falsum arbitror ego. Post multa vero, quæ hactenus disserui, nemo subscribat Hugoni Grotio, dum originem vocis *Arimannus* vestigat. Nam postquam ex *Her-man* eam deduxit, subdit: *Arimannus miles gregalis, qui publicum munus non habet. Postea pro paupere sumta vox. Hinc jus Armandiæ in Feudis*. Erant inter Arimannos tum pauperes, tum divites: erant & publici & gregarii milites. Ceterum non tam morosus sum, ut præfracte repugnare velim opinantibus, *Liberum* quemque hominem appellatum fuisse *Arimannum* sive *Herimannum*, hoc est *militarem virum*: eâ nimirum de caussa, quod cuicumque Libero homini non solùm licebat, sed necesse erat arma induere, prout occasio ferebat, ac militare pro tutela patriæ; nam Servis & Aldionibus id minime fas fuit. In Lege 35. Caroli M. inter Langobardicas: *Quicumque Liber homo in hostem bannitus fuerit* &c. hoc est, ad expeditionem bellicam accitus. Item in Lege 80. ejusdem Augusti: *Si quis Liber homo, ceteris in exercitu pergentibus, domi residere præsumserit* &c. Quum verò Lotharius I. Imperator in Lege 56. ait: *Postquam Comes & Pagenses de qualibet expeditione hostili reversus fuerit*, hinc fortasse quisquam opinetur, *tantummodo Villarum incolas*, uti nuper Du Cangius suspicabatur, rei militari operam navasse. Sed *Pagenses* olim appellati, qui de uno Comitatu & regione erant; ac proinde ex *Pago* efformatum est *Pays* seu *Païs* Gallicum; & Italicum *Paese*. Occurrunt etiam apud antiquos *Pagenses Civitatis*, uti jampridem à Josepho Scaligero, Bignonio, ac aliis adnotatum est. Quibus adde Legem 14. Ludovici Pii, ubi *adhibeat sibi de suis Pagensibus testes idoneos*. Quare nihil hæc nos remorari debent, quin statuamus, unicuique Libero homini munus militiæ proprium, immo debitum olim fuisse. Et ne ipsi quidem ab hujusmodi onere immunes erant, quibus fortuna exiguum censum dederat. Nam quivis, dum tantum mobilium rerum possideret, ut infringendo leges multæ solvendæ satis esset, procedere ad exercitum cogebatur. Id constat ex *Constitutione promotionis exercitus*, sive ex decreto Ludovici II. Augusti Tomo II. pag. 264. Rer. Italicar. *Pauperes* tantùm *personæ* ad custodiam patriæ interdum dimittebantur. En ergo fortasse caussam, quare Liberi homines appellari olim potuerint *Arimanni*, hoc est homines militares; ob quam etiam prærogativam (aliâ tamen ex parte gravem atque molestam) ab ignobili Servorum conditione distinguebantur. Finem his faciam, si prius produxero Chartas duas, quas autographas vidi in insigni Archivo Archiepiscopii Lucensis, atque in usum omnium describendas duxi. Ibi mentio est *Arimannorum* seu *Herimannorum*: simulque ibi Priscianum Grammaticum innumeris plagis fœdissime habitum videas. Prima complectitur Placitum in Lucensi Civitate habitum coram *Allone Duce*, qui eidem Urbi præerat.

Pla-

# Placitum Lucense, in quo Iohannes ejusdem Urbis Episcopus eripit e manibus Agiprandi Clerici improbi Ecclesiam Sancti Petri, Anno 785.

IN *Dei nomine. Regnante Domno Carulo Rex Francorum & Langubardorum, quo cœpit Langubardiam, & filio ejusdem Pippino Rege, Anno Regni eorum Duodecimo, & Quinto, Mense Augusto, Indictione Octava. Dum in Jesu Christi nomine residentem* Allonem Ducem *una cum venerabilis* Johannes *sancte* Lucane Ecclesie Episcopus & Sacerdotes, *vel* Haremannos, *idest Tusso Presbiter, Alio Presbiter, Gumpert Presbiter, Rachiprandus Presbiter, Alpert Presbiter, Deusdedi Arcidiaconus, Jacobus Diaconus, Austrifonsus Diaconus, Gausprandus, Cunimund, Ansiprand, Teusprand, Domnuccio, & Alp. . . . . . plus, venit ante nos Alprandus, contra quam ipsi Johannes Episcopus cum Fratello Advocato suo causa Ecclesia Sancti Martini domo Episcopati sui peragebant. Dicebat ipsi Johannes cum Fratellu Advocato suo.* „ Domne, audire nos digneris, „ quia iste Agiprandi filio istius Alprandi ab „ antecessore meus Peredeus Episcopus fuit „ ordinatus in Ecclesiâ nostra Sancti Petri, & „ in omnia res eidem Ecclesie pertinentes. Et „ modo iste Agiprandus Clericus, inimicus „ suadentes, rempertus est in adulterium, & „ in aliam malitiam. Unde secundum Deus, „ & sancte Canoni Ecclesie res ipsa habere „ non debet. *Respondebat ipsi Alprand pro se „ & ipso jam dicto filio suo*: Nulla nobis inter„ pedit, quod dicis, quod ipsi filio meo pro „ sua culpa Ecclesie, & res ipsa perdere debe„ ret, quia non abemus Ecclesie, & res ipsa „ per ordinationem Peredei Episcopi antecessori tuo, sicut vos dicitis; sed Perhetu . . . . „ Dammiani Presbiteri socero meo, avone „ istius Agiprandi Clerico filio meo; & num„ quam ipse Ecclesie Sancti Petri, vel res ibi„ dem pertinentes pertenuit Ecclesia Sancti „ Martini domo Episcopali tuo, sed ipsius „ Dammiani Presbiteri, & de ejus parenti „ pertenuit. In cujus hereditatem nus existere „ devemus, pro eo quod filia ipsius Dammiani „ mihi in conjugio sociata abeo, unde iste „ Agiprand filio meo natus est. *Respondebat „ Johannes Episcopus cum Fratellu Advocato „ suo*: Veritas non est, quod ipse Bassilica „ Sancti Petri, vel res ibidem pertinentes, vel „ quanta ipsi Dammianus Presbitero ad manus „ sua abuet, aut possiddet, ipsius Dammiani, „ vel de ejus parenti fuissem aut pertinuissem; „ quia ipsi Dammianus Presbitero in ipsa Bas„ silica nostra Sancti Petri ressidè, & ad Epis„ copi illi, qui fuerunt anticessori mei, ipse „ Dammianus Presbiter omnes voluntatem fa„ ciebat, quam ei exinde inperaverat. Et per „ singulos annus Gustare eorum dava in ipsa „ Casa Bassilica Sancti Petri, ubi ipse Dam„ mianus resedebat; sicut & alias res suas „ Bassilicas nostras, qui Ecclesia Sancti Mar„ tini domo Episcopali pro pertenentia sua „ facere consuete sunt. *Respondebat ipse Al„ prandus*: Veritas non est, quod ipse Bassi„ lica Sancti Petri, vel res ad eum pertinen„ tes, vel quantum ipse Dammianus Presbiter „ socero meo ad manus suas abuet vel possid„ det, aliquando Ecclesia Sancti Martini domo „ Episcopali tuo pertinuissem, sed ipsius Dam„ miani Presbiteri socero meo, & de ejus pa„ renti fuit ipse Bassilica Sancti Petri cum „ omnia res, quantum ipsi Dammianus ad ma„ nus sua abuet, & ipso Gustaren per singulos „ annos, unde vos dicitis, sua voluntate da„ va: nam pro nulla pertinentia, & taliter „ consignare poteo.

*Et dum ipse Alprandus talis faceret proclamationem, judicavimus, & waidam dare fecimus ipso Alprand jam dicti Fratelli Advocato Johanni Episcopi, ut sicut dicebat, per idoneos & credendos homines, si poteret, eorum consignare, qualiter ipse Bassilica Sancti Petri, vel res que ipse Dammianus Presbiter possidet, ipsius Dammiani Presbiteri, vel de ejus parenti fuissem, que Ecclesia Sancti Martini domo Episcopali non pertinuissem: & fidjussurem ei posuet Ansiprand. Et dum utraque partes in constituto reversi fuerunt, ubi nobiscum aderant* Sacerdotes & Loci Servatores, *seu* Haremannos, *idest Jacobus Diaconus, Rachiprandus Presbitero, Rachisfrid Presbiter, & Gausprandus Loc . . . . . Cunimundu, Bellerisunsu, Teuprand, Ghispert, Domnuccio, Filuartus, Vadilo, Lopo, Ferduald. Tunc dixet ipsi Johannes Episcopus cum Fratello Advocato suo*: Fac nobis ipsa consignationem, sicut nobis wadiam dedisti. *Sed ipse Alprand presenti ante nos eorum renuntiavit*; „ veritas quia ipse Bassilica „ Sancti Petri Ecclesie Sancti Martini domo „ Episcopali tuo pertenet, & Agiprand Cleri„ co filio meo inibi per livellum ab Peredeo „ Episcopo antecessore tuo ordinatum fuet, & „ vobis ipsa Bassilica Sancti Petri non contra„ mus: nam Casa ipsa, ubi Dammianus Pres„ biter socero meo havitavit, & omnes res „ illa, quas ad sua manus abuet, Bassilica „ Sancti Petri nulla pertenuit, sed de jura pa„ rentum ipsius Dammiani socero meo fuit; „ ubi nos . . . . . . heredibus exire redevemus. *Respondebant ipsi Johanne Episcopus cum Fratello Advocato suo*: „ Veritas non est, quod „ Casa, ubi Dammianus Presbitero havitavit, „ vel res, que ad manu sua abuet, de ejus „ parenti fuissem, sed omnia de Bassilica Sancti Petri, ubi ipse Dammianus Presbitero „ custodem ordinatus fuet, pertenuet. *Et dum inter eos talis vertiretur intentio, justum nobis paruit esse una cum suprascriptos* Sacerdotes & Haremannos *ita judicavimus, ut ipse Bassilica Sancti Petri cum omnia res ad eum pertinentes esse in potestate predicti Johanni Episcopi ad partem Ecclesie Sancti Martini domo Episcopali ejus, & de casa, & res ipsa, unde Alprand dicebat, quod de parenti Dammiani Presbiteri fuissem, nam non de Bassilica Sancti Petri judicavimus. Et ipse Asprandus waida dare fecimus jam dicti Fratelli Advocato ipsius Episcopi ad parte Ecclesie Sancti Martini, & unde poteret per Cartulam, aut per testimonia consignaret, quod ipsius Dammiani Presbiteri, vel de ejus parenti fuissem, que Bassilica Sancti Petri non pertinuissem, haberet* in

*in suo dominio ; & unde taliter consignare non potcret , relaxare eas ad pars Bassilice Sancti Petri . Et dum inter eos taliter judicassemus , dicebant Johanne Episcopus cum Fratello Advocato suo :* Domne , facias nobis iste Alprand justitia de auro & argento , que in Bassilica Sancti Petri offertum fuet , & de moniminas , que ibidem pertenuerunt , que Agiprand Clericus filio ejus exinde tullet . *Tunc fecimus dare waida ipso Alprand predicti Fratelli Advocato sepefati Johanni Episcopi , ut quecumque exinde Agiprand Clericus filio ejus tullet auro vel argento , aut moniminas , qui in ipsa Bassilica Sancti Petri pertenuerunt , omnia ei redderet , & super diceret jura , quod ei per Evangelia quodquod plus exinde non tulisset nec haberet , quem ei reddere deberet , & toto posuet fidjussures , & de suprascripte alie wadie jam dicto Ansprand posuet fidjussurem . Et fenita est inter eos causacio . Unde hanc notitia judicationis tibi , qui supra Johannes Episcopus ad parte Ecclesie Sancti Martini domo Episcepali tuo Ratfonsum scrivere commonuit , ut moderni & futuri temporibus in eadem permaneat deliverationem .*

*Actum Luca .*

*Signum manus* Alloni *gloriosi* Duci, *qui hanc notitiam judicati fieri elegit .*

*Ego suprascripto Gausprandu interfui .*

*Ego Jacobus Diaconus interfui .*

*Ego Ostrifusus Diaconus interfui .*

*Ego Rachiprandus Presbiter interfui .*

*Ego Rachifridus Presbiter interfui .*

*Ego Alpertus Presbiter interfui .*

In Charta ista occurrit *Gustare* , seu *Gustaren dava* . Sentis heic Italicam Linguam, nempe *Dava* pro *Dabat* . At quid illud *Gustare* ? Du-Cangius in Glossario vocem istam ignoravit . Opinor ego, Ientaculum ( nunc *Colezione* sive *Colazione* ) per eam designari . Vide infra Dissertationem XXXVI. *de Emphyteus.* ubi de voce egi . Vidimus in Charta nuper edita, quomodo *Arimanni* ad publica judicia advocarentur , & veluti Judices ibi considerent . *Boni homines* in Placitis publicis sæpe resedisse comperiuntur . Num ab iis diversi *Arimanni* ? In Lege 49. Caroli M. sancitum est , *ut nullus alius de Liberis hominibus ad Placitum , vel Mallum venire cogatur , exceptis Scabinis & Vassis Comitum* . Quæ postrema verba suspicionem mihi ingerunt , *Herimannos* in Charta producta appellari eos tantùm , qui Vassalli forent . Verùm me à conquiescendo in hujusmodi sententia absterret , quod supra multis exemplis evici , nempe latius excurrisse significationem hujus vocis . Idem Carolus M. in Lege 69. *Ingenuos homines* tribus saltem Placitis , *quæ instituta sunt* , interesse voluit . Hinc tamen certo deprehendimus , quadam Nobilitatis specie distinctos fuisse *Ingenuos* , sive *Liberos* , & *Arimannos* homines , ita ut nulla publica haberentur judicia , quibus non assideret id hominum genus , quasi eorum præsentia non tantùm ad splendorem loci , quantùm ad continendos in officio Judices , & arcendas malas artes , exigeretur . Accedat & altera Charta ex autographo Lucensi itidem descripta .

## Literæ , sive Bulla Petri Lucensis Episcopi , per quam Andripertum Presbyterum constituit Rectorem Ecclesiæ Sancti Donati, accedente consensu Sacerdotum , & Arimannorum , Anno 819

*IN nomine Sancte Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti . Breve ordinationis facio ego* Petrus *gratiâ Dei* Episcopus , *qualiter* una cum consensu Sacerdotum , & Aremannos hujus Lucane Civitatis , *quorum nomina subter leguntur , ordinare videor te Andripertum Presbiterum filio Pauli in nostra Ecclesia Sedalem Sancti Donati, sita prope murum hujus Lucane Civitatis ; in eo verò tenore , ut in tua sit potestate ipsa Dei Ecclesia , una cum casis , & omnibus rebus ad eam pertinentibus abendum , resedendum , gubernandum , usufructuandum, & officium Dei die nocteque recto moderamine faciendo , & nobis obediendum ; sicut nostra sancta Lex continet : & unum prandeum nobis & Sacerdotibus nostris singulis annis die Martis de alba semper preparare & dare debeas in Festivitate ipsius Ecclesie , portionem exinde de oblatis, & candelis tollendum ipse , sicut jam olim consuetas fuit ; & semper nobis & sancte Ecclesie nostre obedire , & servitium adimplere debeas , sicut consuetudo fuit ; & qualiter ut supra te in eadem Ecclesia firmavimus stavili ordine permaneas firmiter . Hec ordinatio facta est in Anno Domini nostri Hludowici clementissimi Imperatoris Sexto , sub die IV. Kalendas Julias , Indictione XII. Et Gandeprandum Notarium scribere commonuimus .*

*Actum Luca .*

*Ego Petrus Episcopus in ac ordinatione a me facta manu mea subscripsi .*

*Ego Gunfridi Clericus ibi fui .*

*Ego Cristianus Presbiter ibi fui .*

*Ego Gumperto consensi & subscripsi .*

*Ego Teuderadus Presbiter consensi & subscripsi .*

*Ego Uppertus ibi fui .*

*Ego Ghiselpertus Diaconus ibi fui .*

Viden , quanta *Arimannorum* dignitas foret, quando eorum consensus, non minus quàm *Sacerdotum* , exposcebatur ad electionem Pastorum, quibus regendæ committebantur *Ecclesiæ Sedales* , hoc est *Parochiales* , sive *Baptismales* ? Sed quid sunt heic *Arimanni* ? Num Nobiles populares? Num Vassalli ejusdem Episcopi ? In aliis ejusmodi Bullis Lucensium Episcoporum animadverti accedere ad electionem Pastorum consensu suo *Sacerdotes & filios ipsius Ecclesiæ* : quo nomine dubius sum , num Clerici minores , an Arimanni iidem designentur . Johannes Georgius Eccardus Formulas quasdam antiquissimas subjunxit Legibus Salicis & Ripuariis à se recusis . Inter eos Sexta ad Ludovicum Germaniæ Regem Ludovici Pii filium pertinet . Ibi facultatem eligendi Episcopi Clero & Populo largitur , statuens , ut electus *per consensum sacrorum ordinum , & natu majorum Nobilium Laicorum , ad nostræ Serenitatis deducatur aspectum* &c. Qui *Nobiles Laici* majores natu heic memorantur , si singuli re-

cte

cte conferas, iidem ipsi fuisse videntur, qui *Arimanni* in Chartis Lucensibus dicuntur. Quod ubi statuas, elucescet, in *Nobilium* ordine locum etiam fuisse *Arimannis*. Hos ætas subsequuta *Milites* appellavit: quæ vox *virum Nobilem* sæpe significat in veterum monumentis. Quæ quidem quum recogito, nequeo quin reminiscar acta veterum Episcoporum Mutinensium, qui Monasterio Benedictinorum Sancti Petri in hac Civitate constructo multa elargiti sunt, uti suo loco videbimus; ac præ ceteris Johannes Episcopus Anno DCCCCXCVI. Se autem donare ii profitebantur *cum consensu & noticia omnium sanctæ Mutinensis Ecclesiæ Canonicorum, ejusdemque Civitatis Militum ac Populorum*. Quod Lucensis Episcopus *cum consensu Sacerdotum & Arimannorum* perfecit, Mutinensis *cum consensu Canonicorum, Militum, & Populi peregit*. Confluunt ista ad suadendum; non alios olim *Arimanni* appellatione donatos, quam qui *Milites* sequentibus Seculis frequentius appellati, Nobilium genus constituerunt à Plebe distinctum. Verùm heic me tenebris adhuc circumseptum fateri non pudet. Concilium Ticinense Anno DCCCCLV. celebratum, ut est in Labbeanæ Collectionis Tomo 8. pag. 147. ita de Parochorum institutione sancivit: *Primum ipsius loci Presbyteri vel ceteri Clerici, idoneum sibi Rectorem eligant: deinde Populi, qui ad eamdem Plebem* (hoc est Ecclesiam Baptismalem, unde Italicum *Pieve*) *sequatur assensus*. Quibus peractis eum Episcopus Pastorem instituebat. Ergo non Optimatum tantummodo, sed Populi totius ad Ecclesiam illam spectantis, ideſt omnium Liberorum hominum, exigebatur consensus, quoties ordinandus erat Parochus. Atque adeo en caussa, quare *consensum Arimannorum* in Charta Lucensi memoratum, minime accipere audeam de *Nobilibus* dumtaxat. Quamobrem lubet continere judicium, & congessisse quæ potui de Liberis hominibus atque Arimannis. An isti Vassallorum, sive Optimatum, sive Nobilium hominum cœtum olim constituerint, nec ne, aliis fidentius decernendum relinquo. Fidentissime quidem pronuntio, non fuisse *Arimannos Servorum genus, sed pluris quàm ceteræ Servorum species æstimatum, immo supra vulgarem conditionem servilem*: quæ sententia fuit Illustrissimi & Clarissimi Fontaninii in Opusculo de Masnadis pag. 46. explodenda sane ex iis, quæ hactenus attuli.

# DE SERVIS
## AC
## HOMINIBUS
## DE MASNADA.
# DISSERTATIO
## QUARTADECIMA.

# DISSERTATIO QUARTADECIMA.

EA etiam de causâ quod nostris temporibus *Servorum* usus, adeo Romanis, Langobardis, Francis, & Germanis in Italia imperantibus, familiaris, pæne ex universa Europa sublatus sit, ejusque vix aliquod vestigium in maritimis Urbibus supersit, amatori antiquæ eruditionis rem gratam præstiturum me spero, si aliquantulum heic insistam, & quid & quale hoc hominum genus foret, quantâ potero brevitate, edisseram, quod est ad tempora barbaricæ dominationis: nam pro Romanorum temporibus Pignorius ac alii præsto erunt discere cupienti. Jam dixi, universitatem Populi divisam olim fuisse in *Liberos* & *Servos*. Et horum quoque immanis fuit numerus non solùm apud Romanos, Græcos, aliosque Orientales Populos, sed & apud Langobardos & Francos. Alii ex iis exteri atque in bello capti, Servitutem servire à victore Populo cogebantur; aliis indigenis ob crimina patrata, aut etiam ob æs alienum, Servitutis jugum imponebatur; alii denique non inviti Libertatem suam alicui domino divendebant. Verùm mos ille Libertatem amittendi ob æs alienum (hujusmodi autem Servi *addicti* appellabantur) à Diocletiano & Maximiano Augustis abrogatus est, ut patet ex l. *ob æs alienum* Codic. Justinian. *Ut actiones*. Attamen rursus obtinuit sub Langobardis & Francis; nam inter formulas veteres à me editas ad Legem I. Lotharii I. Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. hæc habentur: *cum Martino meo servo, qui mihi fuit traditus per crimen, vel per debitum*. Ita quoque in Lege 87. ejusdem Lotharii, *liberi homines propter aliquod crimen aut debitum, in servitio alterius se subdere* dicuntur. Et quod est ad crimina, testem habeo Chartam autographam ex Tabulario Monasterii Cavensis mihi suppeditatam, ex qua constabit, in Servorum sortem dejectos, qui crimen aliquod grave perpetrassent.

## Guaimarius I. Princeps Salernitanus Ecclesiæ Sancti Maximi à Guaiferio Principe parente suo ædificatæ dono dat multa. Anno 889.

IN *nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi*. *Declaro ego* Guaimarius Princeps & Imperialis Patritius, *quia concessum est mihi a sanctissimis & piissimis* Imperatoribus Leone & Alexandro, *per verbum & firmissimum Preceptum bullâ aureâ sigillatum, integram sortem Beneventane Provincie, sicut divisum est inter* Sichenolphum & Adelchisum Principem, *ut liceret me exinde facere omnia, que voluero, sicut antecessores mei omnes Principes fecerunt. Proinde concessimus in Ecclesia beatissimi Maximi, pro nostre salute anime, quam* Domnus Guaiferius Princeps *pater meus a novo fundamine construxit intus hanc nostram Civitatem Salernitanam, hunc* Servum sacri nostri Palatii, Lupus filius Ragimperti cum uxore sua, & filiis, filiabus, nugris, ac nepotibus suis, *cum omnibus rebus substantiæ illorum, mobile atque immobile, & cum omnibus illorum pertinentiis*; pro quo ipse Lupus cum Saracenis ambulavit, & pactuetes fuit, quando ipse storus super hanc predictam Civitatem resedit. *Et proinde supradictum Lupum concessimus in predicta sancta Ecclesia cum uxore sua & filiis & filiabus, nugris & nepotibus suis, sicut supra dictum est*, pro eo quod postquam nobis culpatus fuit, postea autem ipsa ejusdem mulier super anni spatium ipsum Lupum habuit virum, & ipsos filios & filias & nepotes suos postea genuerunt, & justa Legem ad sacrum nostrum Palatium pervenerunt potestatem cum omnibus rebus substantiis suis mobile atque immobile, cum omnibus suis pertinentiis *in supradicta Ecclesia concessimus securiter habendum. Et constituimus, ut nullus Basilico, nec Stratigo, nec Protospatarius, aut Candidatus, aut Spatarius, aut Gastaldus, aut Scultais, aut qualisque alius Reipublice Actionarius, vel* qualiscumque alius Servus sanctorum Imperatorum, *habeat potestatem in illos, vel in eorum rebus qualemcumque anchariam, vel dationem exigendi; sed ipsa jam dicta sancta Ecclesia omni tempore securiter illos possideat, sicut illorum sanctum verbum continet, quod nobis concesserunt*; ut omnes homines nostri liceret suos dominare Servos cum omnibus rebus substantiis suis, vel actionibus, ut omnes residerent subtus ficum suam absque omni contradictione sancti Imperii nostri. *Iterum volumus, ut si Rector suprascripte Ecclesie illos, vel illorum res subtrahere voluerit de potestate jam dicte Ecclesie, revertantur in potestatem de heredibus nostris, sicut per illorum suprascriptas potestates nobis concessum est, & ab illo tempore, quo Lupus ipse pactuetes fuit, & ad potestatem nostri Palatii pervenit, cum omnibus rebus substantia illorum, & usque modo, cum omni illorum pertinentia, sic in integrum in prefata Ecclesia concessimus, sicut supra dictum est, ad securiter habendum. Quod vero Preceptum concessimus ex jussione suprascripte potestatis. Scripsi ego Ursus Notarius.*

*Actum Salerni de Anno XXIII. & de Anno VII. Principatus Domini Guaimarii Principis filii mei, de mense Augusti, secundâ Indictione.*

*Locus* ✠ *Sigilli.*

Apographum Chartæ, quale ego accepi, *Annum XXIII*. præferebat Guaimarii Principis. Verùm si recte Camillus Peregrinius rationes subduxit, scribendum erit *Anno XIII*. Nuper vero memorati Imperatores Diocletianus & Maximianus parentibus venumdare liberos suos interdixere l. *Liberos* Codic. Justinian. *de patribus, qui filios &c.* Constantinus tamen alterâ Lege eumdem usum restauravit; atque illum

illum postea diu in Italia viguisse ostendit Lex V. Ludovici Pii inter Langobardicas; in qua Princeps humanissimus eam consuetudinem improbat ac tollit, statuens, *ut chartulæ obligationis de singulis hominibus factæ, qui se, aut uxores eorum, aut filios vel filias in servitio tradiderint, ubi inventæ fuerint, frangantur, & sint liberi, sicut primitus fuerint*. Piissimum Ludovici consilium in altera saltem parte sequutus est, & confirmavit Lotharius I. ejus successor in Lege prima. Ibi *Liber homo se ipsum ad servitium implicare pro aliquibus caussis finitur*, uxor verò illius ac liberi *in libertate permanere* jubentur. Eadem repetit idem Imperator Lotharius pro uxoris libertate in Lege 87. Nihilo tamen secius caussæ interdum justæ occurrebant, ob quas liberi a patribus venumdabantur, ac præcipue famis tempore. Describit Gaufridus Malaterra Lib. I. Cap. 27. Histor. Normann. teterrimam famem, quæ Anno MLVIII. Calabriam afflixit. Tunc parentes *suos liberos ex ingenuitate procreatos vili pretio in servitutem venumdabant*. Fuit autem Romanis, aliisque Populis, dum Ethnicâ superstitione tenerentur, tanta in Servos suos potestas, ut in eos non flagris solùm, compedibus, aliisque tormentorum generibus sævire Domino fas esset, sed etiam illis pro arbitrio mortem inferre. Nimirum pecudum more habebatur *Servorum* Populus; & quamquam illos pluris quàm pecudes æstimarent, quod ex iis plura emolumenta colligerent, æque tamen atque in bovem & equum, erat Dominis jus vitæ & necis in mancipia sua utriusque sexus. Coërcita demum fuit decreto Antonini Pii enormis hæc dominorum potestas; nam ut ait Lex prima *ff. de his, qui sui vel alieni juris sunt*, sive Cajus Lib. I. Institut: *hoc tempore nullis hominibus, qui sub Imperio Romano sunt, licet supra modum, & sine caussâ legibus cognitâ in Servos suos sævire. Nam ex Constitutione Divi Antonini, qui sine caussâ Servum suum occiderit, non minus puniri jubetur, quàm qui alienum Servum occiderit*. Atque heic multo æquius nobis laudanda Constantini Magni pietas, qui ubi ad mansuetam Christi Religionem animum addixit, è vestigio tantam immanitatem summovit Lege latâ, quæ Lib. IX. Codic. Theodosian. Tit. XII. *de emendatione Servorum* prima est. Is castigationem quidem delinquentium permisit, sed reum homicidii statuit quemlibet Dominum Servo suo mortem *voluntate occidendi hominis* inferentem. Inter Leges Atheniensium, uti Plutarchus memorat, monuitque Samuel Petitus Lib. 3. Tit. 6. in Comment. ad Leges Atticas, recensetur & ista: *Servis jus esto Dominos iniquos adigere, ut se vendant humanioribus*. Et quamquam ex Legibus quoque Romanis, puta ex l. *Si dominus ff. de his qui sui, vel alieni &c.* & ex aliis Legibus in Codice Justinianeo relatis, inhumanus Herus Servum vendere cogeretur: attamen constat, longe humaniores in Servos fuisse priscos Græcos, quàm Romanos, uti aliis exemplis ac Legibu ostendere promtum foret: quod profectò mi nuit decus Romanæ gentis, dum obliti se ho mines esse, tantâ sævitie in homines sui simile debaccharentur. Quare ludicra potius videa tur, fortassis etiam figmentum reputetur Inscri ptio, quam Auxure in agro detectam refer Johannes Pierius Valerianus in Antiquitatibu Bellunensibus, quamquam Fabretus Cap. 10 num. 238. ex eodem Valeriano ipsam rursum exhibeat, neque de ejus legitima origine se dubitate ostendat.

CÆLIVS ASPRENAS COMMODI<br>CÆS. NEGOT.<br>QVO NEMO MORTEM ALACRIVS ADMISIT<br>QVOD A SERVORVM SVORVM SERVITVTE<br>LIBER EVADERET<br>HOC AVTEM TESTAM. CAVIT<br>POSTERIS INSCRIBI<br>BIX. ANN. LVII. M. IX. D. XI.

Romanis in Regni Italici dominatione successere gentes, ab extremo Germaniæ Septemtrione profectæ. Barbaras easdem nos appellare consuevimus: sed hercle, quod est ad Servos, mitioribus erga eos moribus barbari isti Domini utebantur. *Verberare Servum, ac vinculis & opere coërcere, rarum. Occidere solent, non disciplina & severitate, sed impetu & irâ ut inimicum, nisi quod impunè*. Ita jam suo tempore scribebat *de Moribus Germanorum* Tacitus Cap 25. Quid postea factum putes, ubi Christianâ disciplinâ imbuti, mansuetudinem didicere atque humanitatem, à Christo ejusque Apostolis tantopere deprædicatam? Et in pluribus quidem Conciliis statutum est, *excommunicationi, vel pœnitentiæ biennii esse subjiciendum, qui Servum proprium sine conscientiâ Judicis occiderit*. Neque licebat Servum ad Ecclesiam confugientem statim inde per vim extrahere, uti Liutprandus Lib. 6. Lege 90. edixit: quo casu aut Sacerdotes, aut Reipublicæ Ministri se interponebant, ut misero veniam ac pacem apud ejus Dominum impetrarent. Si verò *mancipium* à se fugiens *Dominus sequutus invitasset in pace, ut redderetur in gratia, & postea Dominus pro ipsa culpa in eum vindictam dedisset*, viginti Solidis multabatur. Hæc Rotharis in Lege 274.

Ceterum uti Romanorum temporibus, ita & Barbarorum, Servi ac Ancillæ non secus ac pecudes venum exponebantur, & in aliorum Dominorum jus transferebantur. Et sicuti qui boves aut equos vendunt, eos non vitiatos emtori præstant, ita de Mancipiis factum. In formulis ejusmodi contractuum, qui chartæ commendabantur, non secus atque contractus ædium aut agrorum, asserebat venditor tradi à se illum Vernam sive Servum, *non furem, non fugitivum, non cadivum* (idest *non epilepticum*) nec *ullum vitium in se habentem, sive mente & corpore sanum*. Lege tamen 16. & 72. Caroli M. inter Langobardicas cautum est, ne *mancipia venderentur, nisi in præsentia Episcopi, vel Comitis, aut Archidiaconi, & Centenarii, aut Vicecomitis &c. aut ante bene nota testimonia*. Cur id factum, si quis ci-

ſciſcitetur, reſponſum habeat: ne Servi occulte ab exteris emerentur, & extra Regnum ducerentur: quod nefas erat. Præterea ne quiſquam Servum jam alicujus criminis reum vendens, à ſolvenda pro eo multâ ſe ſe eximeret, & novum Dominum merce adeo vitiatâ falleret. Denique, ut dilucide conſtaret, utrum ſuum, an alienum Mancipium venditor à ſe dimitteret, & reliqua omnis colluſio averteretur. Hujuſmodi venditionis exemplum, ſed longe ante Caroli M. tempora factæ exerere nunc placet. Autographam Chartam in inſigni Archivo Monaſterii Ambroſiani Mediolanenſis ſervatam præ oculis ego habui, atque deſcripſi. Eam non oſcitanter lege, ut probe teneas, quo in loco ea tempeſtate foret Latinarum Literarum fortuna, & quanti Mancipia venirent.

## Johannaces mundium ſive dominium Scholaſticæ Servæ, pecuniâ acceptâ, transfert in Sigheradam & Arichiſum germanos, Anno 736.

*IN Chriſti nomine. Regnante Domno noſtro Liutprand Viro excellentiſſimo Rege, Anno Regni ejus pietatis Vigiſimus Quarto, Kalendas Februaria, Indictione Quarta, feliciter. Scripſi ego Lazarus Clericus Baſilice Sancti Johannis Piaſce hanc cartola de accepto Mundio, rogatus & petidus ad Johannace a. d. filios quondam Laurentio, commanente in Vico Cadelo. Certa ſit accepiſſe ſe odie in preſentia corum . . . . . & accepet ad te Sigherade, & ad Arechiſſo germanis accepit auri Solidos numero duos & uno ſemiſſe, fenidum pretio Mundius pro* Mancipio nomine Scolaſtica *filia S.* . . . . . & ipſo Mancipio Urſio ſibi Conjoge. *Et repromitto me tibi, qui ſupra Johannaci, ipſa ſupraſcripta Scolaſtica . . . . . . ab omni homine defenſare, & de puplico, & de omni homine. Et ſi minime defenſare poduerimus aut ego, aut meis heredibus qui ſupra, ipſa ſupraſcripta Scolaſtica: tunc viſo, compono ego Johannaci, aut meis heredibus pro Mundium vel Mancipio, aut eſtimationem ejus; & cartola de accepto Mundio in ſua maneat firmitate . . . . . .*

*Facta Cartola in fundo Campiliano, die & menſe & Indictione ſupraſcripta feliciter.*

*Signum manus Johannaci, qui hanc Cartola de accepto Mundio fieri rogavit, & ei relecta eſt.*

*Signum manus Petronis de Brixani a. d. . . .*

*Signum manus Dominici de Cadelo a. d. teſtis.*

*Ego Lazarus Clericus rogadus ad Johannace ſcripſi & ſubſcripſi, poſtradida complevi & dedi.*

Notas Chronologicas inſalutatas ne dimitte, ut Hildeprandi annos certo diſcas, illius nempe, quem in conſortium Regni Liutprandus ſuſcepit. Hoc factum Pagius in Critica Baroniana auctor eſt Anno Chr. DCCXXXVI. præeunte ſibi Chartâ, quam Florentinius in Vita Comitiſſæ Mathildis indicavit. Et recte quidem. Heic habes alteram Chartam Anno DCCXXXVI. *Kalendis Februariis* ſcriptam, in qua Liutprandi tantummodo regnantis mentio eſt. Ergo nondum Hildeprandus Regni conſors fuerat renuntiatus. Attamen non deſunt, quæ mihi dubitationem injecerint, an potiùs Anno DCCXXXV. quàm DCCXXXVI. Hildeprandum Populus ad ſolium evexerit, dum Liutprandum gravis ægritudo pæne ad extrema perduxiſſet. Accipe, quæ in hanc rem è ditiſſimo Archivo Archiepiſcopii Lucenſis depromſi. Ibi Charta authentica eſt, cujus lacinias quaſdam exhibeo: *In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Regnante Domno noſtro Liutprand viro excellentiſſimo Rege, & à Deo conſervato, Anno pietati Regni ejus, Deo propitio, XXV. menſe Martio, idem & Domno noſtro Helprand, juvante Deo, Rege Anno Secundo, per Indictione Quinta, feliciter. Manifeſtus ſum ego Domnus Walprand Epiſcopus. Conſideravi Dei timure, & remedium anime mee, ſeo & Seculi iſtius ſeditionem &c. Et ideo ego qui ſupra Walprand in Dei nomine Epiſcopus, una cum omnibus Sacerdotibus meis, vel filii Eccleſie bonorum omniorum animo conſentiente, do, duno, & trado, cedo, mancipo, & ad perpetuam firmitatem cunfermo in te Filiperto Cl. filio epſejùs Barucioni: ideſt omnem conquiſitionem, quod genitur tuo, quas de rebus ſancte Eccleſie per anticiſſoris mei conquiſet per qualivet ingenio, & poſſidet uſque in diebus vite ſue, qui in hanc Domo ſancte Eccleſie, ſeu ante nos &c.* Inter cetera eidem *tradit duo modio de terra, quod dedit bone memorie Urſupanci, uno modiolo ipſius Barucii pro Miſſa ſua, & alio pro ſepulcro ſuo &c.* Exarata eſt Charta hæc Anno Chriſti DCCXXXVII. *menſe Martio*: quare hinc ſaltem diſcimus, aut Martio decurrente, aut ante Martium Anni DCCXXXVI. ſtatuendum eſſe exordium Regni Hildeprandi. Ad hæc altera Charta mihi ante oculos obverſata eſt, conſcripta *Regnante piiſſimi Domno noſtro Liutprand & Hilprand vir excellentiſſimis Regibus, Anno Regni eorum Vigeſimo Sexto, & Tertio, per Indictione Sexta, menſe Februario.* Habes heic Annum DCCXXXVIII. Quum ſupra viderimus nullam mentionem fuiſſe factam Hildeprandi in Chartâ Ambroſianâ, *Februario menſe* Anni DCCXXXVI. ſcriptâ, inde ego deduxi, nondum eo menſe ac anno collatum fuiſſe Regium titulum Hildeprando. At ecce alteram membranam, quæ nos certos facit, eodem ſaltem *Februario* menſe Anni DCCXXXVI. inchoatam fuiſſe Hilprandi ipſius Epocham. Accedat tertia Lucenſis Archivi pergamena, ex qua hæc decerpebam: *In Dei nomine: Regnante Domno noſtro Liutprand Rege, Anno ejus Vigenſimo Septimo, & Domno noſtro Hilprand Rege, Anno Quarto, XII. dies intrantes Kalendas Magias, per Indictione ſeptima feliciter. Manifeſtum eſt mihi Juſtu Aurifice da Porta Sancti Gervaſii vindediſſe, & vindedit, tradediſſe & tradedi ab Urſe Abbatiſſe Eccleſie Sancte Marie vinea mea, quam havire viſo ſum in loco, uvi vocitatur Caſiſi &c. Et accipi ego Juſtu Aurifice da te Urſa Ancilla Dei Abbatiſſa auri Soledos numero ſex boni Lucani &c. Signum manibus Juſtoni Aurifici vinditoris & repromiſſuris &c. Ego Petrus ſcripſi, & in preſentia teſtium ſex Soledos dante vidimus, & complevi & dedi.* Annum Chriſti DCCXXXIX. indicant hujuſmodi Notæ, nobis tantummodo teſtes, Majo menſe Anni DCCXXXVI. incur-

cursu fuisse Annum Primum Hilprandi. At iste Annus Primus antecedenti Anno DCCXXXV. exordium cepisse potuit.

Quam in rem alias profero Chartas. Unam in eodem Tabulario Lucensi vidi, quæ tamen aut non satis accurate à me descripta fuit, aut vitio aliquo laborat, quippe scripta *Regnante Domno nostro Liutprand viro excellentissimo Rege, Anno filicissimi Regni ejus Vicensimo Quinto, & Domno nostro Elprand excellentissimo Rege Anno Secundo, Mense Septembri, Indictione Quarta*. Ita in adversariis meis me adnotasse video. Si Lucæ nova Indictio à Septembri Mense decurrere incipiebat, ut in aliis Chartis Langobardis bene multis factum animadvertere possumus, haberemus Chartam scriptam *Septembri Mense* Anni DCCXXXV. Atqui hoc pugnat cum reliquis monumentis; neque tunc fuisse in cursu potuit *Annus Secundus Hilprandi*. Quare aut alius Lucensi in Urbe fuit Indictionis cursus, aut, quod veri similius puto, pro Indictione *Quarta* scribendum est *Quinta*, ut heic indicetur Annus Christi DCCXXXVI. Fortassis etiam initium Regni Liutprandi non ad Annum DCCXII. statuendum est, sed potiùs ad Annum DCCXI. Utcumque sit, si Charta hæc revera spectaret ad Septembrem Anni DCCXXXVI. jam haberemus, Hilprandum ad Regios honores evectum Anno DCCXXXV. aut ante Septembrem, aut decurrente Septembri ipso. Neque oculos meos fugit altera pergamena in insigni Tabulario Ambrosiani Mediolanensis Cœnobii adservata, cujus notas Chronologicas nunc accipe: *Regnante Domno nostro excellentissimo Liutprando Rege Anno Tricesimo, & Domno Ilprando Anno Septimo, sub die VIII. Idus Majas Indictione XIII.* Complectitur hæc donationem factam *Sancto & Angelorum meritis coæquando Basilicæ Sancti Ambrosii Confessoris Domini nostri Jesu Christi, in qua venerabilis Aunemundus Diaconus Custos videtur* &c. Ejusdem quoque meminit Puricellius in Monument. Basilic. Ambrosian. num. 8. qui etiam deprehensâ Indictione vitiatâ, subdidit: *Indictiones Longobardi tunc videntur proprio & peculiari instituto computasse*. Sed non erat hæc vulneris curandi ratio: nam revera Langobardi à reliquis Italicis in usu Indictionum minime recesserunt; hæc autem Indictio nimium discordat ab annis Liutprandi atque Hilprandi; Potiùs ergo dicendum, à Notario posteriore parùm attento male descriptum ex autographo fuisse numerum Indictionis. Anno Christi DCCXLI. decurrebat *Indictio VIIII.* Qui exscripsit primas duas literas VI. pro X. accepisse videtur, ac propterea posuisse *Ind. XIII.* Certe *Annus XXIX.* Liutprandi in alia Charta, quam mox adferam, respondet *Anno VI.* Hilprandi, atque Anno Christi DCCXL. Ergo *Annus XXX.* Liutprandi junctus cum *Anno VII.* Hilprandi dicendus est pertinere ad Annum Christi DCCXLI. quo fluebat *Indictio VIIII.* Quod si hæc vera sunt, alligandum quoque est cum Anno Christi DCCXXXV. exordium Epochæ Hilprandi Regis. At hæc majorem accipient lucem ex binis aliis Chartis, quæ in prælaudati Lucensis Archiepiscopii Tabulario mihi occurrerunt. Altera scripta est *Anno XXVII. Liutprandi Regis, & IV. Elprandi Regis, Mense Octubrio, per Indictione Septima*. Habes heic Annum Christi DCCXXXVIII. siquidem Septembri Mense initium Indictioni novæ factum fuerit in Urbe Lucensi. Rursus altera pergamena illic habetur exarata *Regnante Domnos nostros Liutprand & Helprand viri Rex excellentissimis Regibus, Regni eorum Vigensimo Nono & Sexto, Mense Decembrio per Indictione Nona*. Spectat hæc ad Annum Christi DCCXL. dum Lucæ usurpata fuerit Indictio Constantinopolitana à Kalendis Septembris incipiens, aut Constantiniana ab VIII. Kalendas Octobris deducta. Denique tertia pergamena accedat, scripta *Regnante Domno nostro Liutprand, & Helprand Regibus, Anno Regni eorum Trigesimo primo, & Hoctavo, in Mense Octubrio, Indictione XI. Constat me Mauru Transpadanu habitator in Civitate Pistoriense, generu Felicissimi* &c. Est hic Annus DCCXLII. si Indictionem novam incas à Septembri. Initium verò factum fuisse eodem Septembri Mense Indictioni in ipsa Urbe Lucensi, elicies ex Charta ibi scripta Anno Christi DCCXLVI. quam protuli in Dissertat. XXXII. *de Origine Linguæ Italicæ*, &. ex aliis in hoc ipso Opere memoratis; quibus adjunctam volo pergamenam illic mihi visam, ac signatam *Regnante Domino nostro Desiderio Rege, & filio ejus Domino nostro Adelchis, Anno Regni eorum Quartodecimo & Duodecimo, IV. Kalendas Octubris, Indictione Nonâ*. Est hic Annus DCCLXX. Exploratum enim habere me puto, Desiderii Epocham & Regnum initium sumsisse Anno Christi DCCLVII. ante diem XXI. Martii Mensis, non autem Anno DCCLVI. ut Pagius censuit. Quid plura? Ex ipsis Chartis hactenus laudatis spectantibus ad Annum DCCXXXVIII. & DCCXXXIX. elucet, Indictioni novæ locum fuisse factum Septembri Mense. Quare ubi hæc statuas, jam fateare necesse est, arcessendam esse ejusdem Hilprandi Epocham ab Anno potius DCCXXXV. quàm à DCCXXXVI. Hisce luminibus saltem utetur, quisquis accuratius quæstionem hanc pertractare velit; neque enim ultra ejusmodi tricis immorari mihi in præsentia vacat.

Redeo ad Chartam Mediolanensem, in qua quum audis pro accipiendo *Mundio* Scholasticæ ancillæ Solidos duos aureos & semissem fuisse persolutos, venumdatam hac ratione feminam recogita. Nam accipere *Mundium*, idem hoc in loco sonat, atque accipere jus & potestatem in illam. Quod si commutatio Servorum ineunda erat, eædem ab Ecclesiasticis viris cautiones adhibebantur, quales in commutatione fundorum exigebantur à sacris Canonibus, prævium videlicet bonorum hominum examen & æstimatio, ut constaret, ex eo contractu emolumentum majus obventurum Ecclesiæ. Suppeditavit mihi ditissimum Tabularium prælaudati Archiepiscopii Lucensis Chartam autographam, ubi legitur commutatio Servorum facta ab *Adalongo Episcopo Lucense* (hunc Ughellius perperam *Adolengum* appellat) imperante Ottone Magno, quam propterea heic in omnium conspectum expositam volui.

Ada-

## Adalongus Episcopus Lucensis, & Ansualdus Presbyter commutationem quorumdam Servorum vicissim inter se faciunt, Anno 975.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Otto gratia Dei Imperator Augusto, filio bone memorie item Ottoni Imperatoris, Anno Imperii ejus in Italia Octavo, V. Idus Octubris, Indictione IV. Manifestus sum ego Ansualdo Presbitero, filio bone memorie item Ansualdi, quia convenit mihi una tecum* Adalongus *gratia Dei hujus sancte* Luchane Ecclesie *humilis* Episcopus, *ut inter nos de aliquantis familiis chomutationem facere deberemus, sicut & factum est. Proinde ego qui supra Ansualdo Presbitero per hanc Cartulam, chomutationem dare & tradere videor tibi, qui supra Adalongus Episcopus a pars Ecclesie domui Epischopatui vestro Sancti Martini, idest* uno Servo, & una Ancilla juris mei, *nomine earum* Leo, *que* Ghasaldulo *vocatur*, & Cristina, *que* Dominicha *vocatur; jam dicto Servo & predicta Ancilla tibi eas & eos in chomutationem dare & tradere videor a pars suprascripte Ecclesie domui Epischopatui vestro Sancti Martini. Et pro suprascripto Servo & Ancilla, quas tibi in chomutationem dedi, recepi ad te in chomutationem de pars suprascripte Ecclesie vestre Sancti Martini, idest* uno Servo *juris pertinentes suprascripte Ecclesie domui Epischopatui vestro Sancti Martini, nomine* Marcho, *que* Marchitto *vocatur: jam dicto Servo ad te eum in chomutationem recepi de pars suprascripte Ecclesie domui Epischopatui vestro Sancti Martini, ubi & super hanc chomutationem secundùm Legem tu, qui supra Adalongus Episcopus direxisti Missos tuos, hìc sunt nomina eorum, Gottefredus Subdiaconus & Primicerio, seu Andreas Presbitero & Vicedomino, adque Teuperto filio Cristine. Qui ambulaverunt & previderunt, seu estimaverunt, adque renuntiaverunt, qualiter meliorata chomutationem dedi ad pars suprascripte Ecclesie domui Epischopatui vestro Sancti Martini, quam recepisset. Ut magis omni tempore post hanc chomutatio firmam & stabilem permaneat semper: unde repromitto ego, qui supra Ansualdo Presbitero, una cum meis heredibus tibi, qui supra Adalongus Episcopus vel ad posterisque successoribus tuis, aut eidem homini, cui vos suprascripto Servo & Ancilla dederitis, vel abere decreveritis, ut si nos vobis eas & eos aliquando tempore intentionaverimus; aut retolli vel subtragi quesierimus, ille homo, cui nos eos dedissemus, aut dederimus, per quolibet ingenio; & si nos exinde auctores dare volueritis, & eum vobis ab omni homines defendere non potuerimus, spondimus nos vobis componere suprascripto Servo & predicta Ancilla, quas tibi in chomutationem dedi, dupple persone meliorate sub estimationem, quales tunc fuerint. Sic tamen si vos exinde auctores dare nolueritis, licentiam abeatis absque nostra persona, si vestra fuerit voluntas, exinde causa agendi, responsum redendi, sive ponendi, modis omnibus vobis eas & eos defensandi cum isto chomutationis Cartula, qualiter justa Legem melius potueritis, quia taliter inter nos convenit; & duas inter nos chomutationis Cartula Ghisalprandum Notarium & Judex Domni Imperatoris scribere rogavimus.*

*Act. Luca.*

*Ego Ansualdo Presbitero in hanc commutationis Cartula a me facta subscripsi*

*Ego Gottefredus Subdiaconus & Primicerius, sicut de me supra legitur, missus fui.*

*Ego Andreas Presbitero & Vicedomino, sicut de me supra legitur, missus fui.*

*Ego Teuperto, sicut de me supra legitur, missus fui.*

*Ego Benedicto rogatus ad Ansualdo Presbitero me teste subscripsi.*

*Ingefredus Judex Domni Imperatoris subscripsi.*

*Signum manus Teupaldi Judex Domni Imperatoris.*

*Ego Leo rogatus ad Ansualdo Presbitero me teste subscripsi.*

*Ghisalprandus Notarius & Judex Domni Imperatoris post tradita complevi & dedi.*

Notissimum quoque est, hominibus Servitutis jugo pressis minime interdictum fuisse conjugia inire cum paris quidem conditionis feminis. Licuit etiam homini libero *ancillam suam* ducere uxorem, ut constat ex Lege 223. Rotharis: *tamen debeat*, inquit ille, *eam Liberam thingare* (hoc est libertate prius donare) *& legitimam facere per garinthix. Tunc intelligatur esse libera & legitima uxor; & filii, qui ex ea nati fuerint, legitimi heredes patri efficiantur*. Si quis verò alienam sibi jungere matrimonio ancillam cupiebat, ab ejus Domino emere illam cogebatur, ac deinde Liberam facere, ut ita legitimi filii inde procreati evaderent. Ejusmodi quoque morem Romanis fuisse, complures Leges testantur, quas heic referre superfluum puto. Contra cuicumque Servo periculum capitis constitutum fuit, si Liberam mulierem auderet sibi per matrimonium conjungere. Ad hæc feminam tale facinus adortam, concedebat Langobardorum Lex consanguineis *potestatem occidendi, aut foras Provinciam transvendendi*; aut ipsis id negligentibus, jus erat Palatio eam sibi vendicare, & habere Ancillam. Ita idem Rotharis in Lege 222. Rigida, ut opinor, alicui, Lex ista videatur. Sed animadvertendum est, Servos, quorum perquam vilis & abjectissima conditio fuit, versatos passim fuisse in ædibus Dominarum, aliarumque mulierum Liberarum, quarum omnium conditio aliqua ex parte nobilis censebatur. Nisi gravis pœna, & vehemens Legum terror utrumque sexum coërcuisset, fieri facile poterat; ut Servi dementarent Feminas easdem ingenuas infirmioris consilii, atque iis sibi conjugio sociatis, notam dedecoris pergravem atque fœdam inurerent nobilibus egregiisque familiis. Nobilitatem quippe Langobardi pluris fortasse, quàm nostri temporis homines, faciebant & custodiebant. Itaque obviam, quantum fieri potuit, itum est hujusmodi incommodis atque periculis. Neque tantùm Langobardi, sed & aliæ gentes, ac præcipue, ut dixi, Romanorum Cæsarum Leges severissimis pœnis ejusmodi flagitio prospexere. Vide Lib. 4. Tit. 9. Codic. Theodosian. *ad Senatusconsultum Claudianum*, & Lib. 9. Tit. 9. *de Mulieribus &c.* Et ad pœnam quod attinet, à Langobardis feminæ ita nu-

nubenti inrogatam, Paullus Jurisconsultus in Lib. 2. Sent. 21. *Si mulier ingenua*, inquit, *civisque Romana vel Latina, alieno sese Servo conjunxerit, siquidem invito & denuntiante Domino in eodem contubernio perseveraverit, efficitur Ancilla*. Sed & ante illum Tacitus Lib. 12. Annal. paria scripsit. Licere dixi Libero viro Ancillam in uxorem ducere, dum tamen illam prius Liberam manumittendo efficeret. Addo nunc, ejusmodi nuptias nihilominus meliorum odio laborasse tam apud Romanos, quàm apud Barbaros, solicitos, *ne insignium Familiarum clara Nobilitas indigni consortii fœditate vilesceret*, ut ait Anthemius Augustus in Novella prima. Hoc tamen olim parvi factum videas, quum crebræ existant veterum Romanorum Inscriptiones, in quibus Mulieres *Libertæ* simul & *Conjuges* Patroni sui dicuntur. Ceterum non semel videas sacris locis donatas à Principibus mulieres Liberas, quæ conjugium cum Servis inierant, eâ de causâ in servitutem prolapsæ, atque ad jus Principis spectantes. Grimoaldus Princeps Beneventanus, uti scribit Leo Marsicanus Lib. prim. Cap. 18. *præcepto suo firmavit omnes feminas Liberas, quæ Servis hujus Monasterii fuerant copulatæ &c.* In Diplomate Landulfi & Atenulfi Principum Beneventanorum, Tom. 8. Ital. Sacr. in Episcop. Beneventan. concessas videas Monasterio Beneventano Sancti Salvatoris duas feminas, quæ antea Liberæ Servos prædicti Monasterii sibi sociaverant viros; ideo *pro merito culparum suarum una cum Servis & cum filiis & filiabus suis legaliter ad nostrum sacrum Palatium devenerunt; & nos ita easdem feminas, & jam nominatos Servos simul cum filiis filiabusque eorum in præfato Monasterio concessimus* Interdum verò Domini, Caritate Cristianâ monente, compulsi, indulgebant, ut filii è Servo & Ingenua conjugatis procreandi, libertate & ingenuitate fruerentur: quam in rem Charta efformabatur, cujus Formulam habes apud Marculfum Lib. 2. Cap. 29. Auctor etiam est Andreas Dandulus in Chronico pag. 146. Tomi XII. Rer. Italicar. Carolum Magnum à Patriarcha Hierosolymitano solicitatum fuisse ad eripiendam Saracenis Civitatem sanctam Hierusalem. *Tunc Rex per edictum proponit, ut omnes, qui possent arma ferre, secum contra Paganos irent: & qui eum non sequeretur, cum quatuor Libris nummorum Servus fieret*. Addit, ingentem conflatum fuisse exercitum, Carolum transfretasse, ac Hierosolymam à servitute fuisse ereptam. Verùm Dandulus, Scriptor alioquin accuratus, magnique faciendus, heic sibi à Romanensibus fabulis, suo quoque tempore circumvolantibus, non satis cavit. Fabulæ ac gerræ sunt expeditio in Orientem Caroli Magni, uti & Servitutis pœna transgressoribus indicta.

Præterea constat, filios omnes ex conjugiis *Servorum* procreatos, ipsos pariter Libertate caruisse, & non secus ac parentes sui, in jure & ditione Dominorum fuisse. Pecudibus simile hac etiam ex parte fuit infelix illud hominum genus. Vide, quot Servis abundaret olim Farfense Monasterium in Chronico ejusdem Cœnobii edito Part. II. Tomi II. Rerum Italicarum, ubi eorum quoque *substantiæ* enumerantur. Habes etiam *Catalogum Servorum Monasterii Vulturnensis* Part. II. Tomi I. pag. 397. earumdem Italicar. Rerum. Pariterque pag. 396. Placitum Anno DCCCLXXII. celebratum, in quo homines quidam contendentes, se minime Servitutis titulo addictos eidem Monasterio, victi hæc fatentur: *Verè de nostra libertate minime probare possumus, quia patres nostri & matres nostræ Servi & Ancillæ fuerunt de præfato Monasterio*. Simile Judicatum de aliis Servis, spectans ad Annum DCCCLIV. exhibet idem Chronicon Vulturnense pag. 398. Sæpe verò contingebat, ut Servi jugum detrectantes, traherent Dominos ad Judicum conspectum, & Libertatem sibi asserentes, pro ea certarent tamquam pro aris & focis. Unum rei exemplum producere nunc juvat; alia ejusmodi infra adtexentur. Accipe ergo Chartam, quam descripsi ex archetypo existente in Archivo nobilis Monasterii Arretini Sanctarum Lucillæ & Floræ, quod à plurimis Sæculis incolunt Monachi Benedictini.

## Placitum in Comitatu Arretino habitum coram Constantino Episcopo illius Civitatis, in quo Johannes filius Rusticelli se Liberum hominem frustra ostendere conatus, Servum tamdem se fatetur Monasterii Sanctarum Lucillæ & Floræ, Anno 1080.

IN *Dei nomine, Amen. Dum infra Castrum Monasterii Sanctarum Virginum Floræ & Lucillæ*, Domnus Constantinus Aritinæ Sedis Episcopus *adesset, &* Guido Abbas ejusdem Monasterii *cum Monachis suis, simulque cum eis* Ugo Comes *& filius quondam Supponis, & Jocundus Præpositus atque Archidiaconus, & Paganus filius quondam Gerardi Primicerii, & Guido & Gerardus filii bonæ memoriæ Guidonis, & Ubertus filius quondam Johannis Judicis, & alii quamplurimi: Veniens* Johannes filius quondam Rusticelli, proferens se Liberum hominem esse, nulloque jugo servitutis innexum; *tunc prædictus Guido Abbas attulit testes e contra, videlicet Bonizonem filius quondam Venerandi, & Martinum filium bonæ memoriæ Fulchonis, & Petrum & Martinum filios quondam Petri; dicentes*, se certissime vidisse Patrem & Avum jam dicti Johannis ad famulatum *jam dicti* Monasterii semper vixisse. *Cumque diutius causa agitaretur, & hinc & inde altercatio multa fieret, tamdem præfatus Domnus Constantinus Episcopus cum consilio jam dicti Ugonis Comitis & aliorum circum adstantium, dedit ei indutias ac protelationes usque in quintum diem, ut se se consiliaret*, ac Libertatem suam, si quolibet modo posset, legitime definiret. *Adveniente autem statuto die, affuit idem Domnus Constantinus Episcopus, ut causam, quam statuerat, diligentissime examinaret. Tunc in præsentia jam dicti Domni Constantini & prænominati Abbatis, Monachorumque qui aderant, & Jocundi Præpositi, & Gerardi Primicerii, & Pagani fratris ejus, & jam dicti Uberti, & Pagani filii quondam Agazoli, & Raginerii filii quondam Guidonis, & Laritii filii quondam Venerandi, & aliorum hominum, quorum nomina longum est ad scriben-*

*bendum: in istorum omnium præsentia advenit præfatus Johannes, & professus est*, se famulum esse jam dicti Monasterii, *ac insuper* junctis manibus se ipsum in manus jam dicti Guidonis Abbatis ad famulatum tradidit: ac idem Guido Abbas omnia, quæ ante habuerat ex parte prædicti Monasterii, ei ad famulatum tradidit. *Ac deinde prænominatus Episcopus interrogavit omnes parentes ejus, qui aderant*, si aliqui ex eis Libertatem, quam ille causaverat, causarent. Tunc nullus ex illis professus est, se Liberum esse, aut Libertatem causare.

*Actum est hoc Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Octuagesimo, regnante Heinrico Rege, mense Madio, sub Indictione Tertia, feliciter.*

☧ *Ego* Constantinus Episcopus & Comes *subscripsi*.

*Ego Gerardus Primicerius interfui & subscripsi.*
*Ego Rusticus Presbyter Aritinæ Ecclesiæ collaudans interfui & subscripsi.*
*Ego Paganus interfui & subscripsi.*
*Ego Raginerius Clericus interfui & manu subscripsi.*
*Ego Martinus Notarius interfui, & jussu præfati Domni Constantini Episcopi, atque rogatu prædicti Johannis, qualiter se in manibus jam dicti Guidonis Abbatis ad famulatum tradidit, denotavi feliciter.*

Johannes Rusticelli filius se Liberum hominem contendebat. Testes verò ex adversa parte producti affirmant, *se certissime vidisse Patrem & Avum jam dicti Johannis ad famulatum jam dicti Monasterii semper vixisse.* Hoc posito consequebatur, ipsum quoque Johannem Servituti obnoxium fuisse, nisi Chartam impetratæ antea Manumissionis attulisset, aut aliâ quappiam viâ Libertatem sibi partam ostendisset. Quamobrem is caussâ cecidit. Apud eosdem Arretinos Monachos non unam conspexi membranam, ubi lepidus quidam antiquorum temporum labor occurrebat: hoc est Genealogia perquam curiose contexta quorumdam Ser vorum. Recensebantur ibi Parentes, Avi, Proavi, Abavi, eorumque filii, collaterales & descendentes omnes, translationes, fugæ, fortunæ, eodem quasi studio, quo nobiles viri majores suos ad Nobilitatis fidem, aut ostentationem gnaviter expiscantur. Jamque tantæ inquisitionis caussam accepisti. Nimirum insurgebant interdum controversiæ de Servitute ac Libertate, & ad ostendendam conditionem Servi negantis talem se esse, necesse erat, in ejus majores inquirere, ipsumque à nativitate Servituti obnoxium evincere. In longa illa Charta Arretini Monasterii hæc inter alia adnotavi: *Suppo Comes, qui Niger vocabatur, qui fuit compater Arnonis Præpositi, temporibus Ugonis & Lotharii Regum, tradidit eidem Præposito & Monasterio Sanctæ Floræ quamdam terram &c. Supradictus quoque Suppo tradidit nobis & aliam terram in Villa de Vico, nec non & unum Servulum, qui de domo ei aufugerat, quem prædictus Arnon suscepit; postmodum Ecclesiæ nostræ contulit. Ex quo orti sunt omnes Servuli de Trivilli.* Consule etiam Chronicon Casinense Leonis Marsicani Lib. I. Cap. 10. ut & Vulturnense, Farfense, &c. è quibus intelligas, quoties Curtes & prædia donabantur sacris viris, fere semper donatos fuisse & Servos earum terrarum cultores, quorum quoque nomina sigillatim exprimuntur. Idem verò Marsicanus eod. Lib. Cap. 19. auctor est, circiter Annum Christi DCCCXVII. à Daniele quodam Tarentino donatos fuisse Casinensi Cœnobio quosdam Servos, quorum posteri Servi suo quoque tempore, idest circiter Annum MC. supererant. *Unde*, ait, *nonnulli nostrûm nunc usquequaque putant, de prædictis ejusdem Daniel Servis eos, quos hodieque habemus, Famulos propagatos.*

Quibus autem operibus exercerentur olim Servi, & quænam ii servitia Dominis præstarent, nunc breviter aperiendum est. Veteres Romani Servorum agmina nutriebant, & quo plura mancipia alebant, eo potentiores habebantur, ut constat ex Plinio seniore Lib. 33. Cap. 10. ex Apulejo Apol. pag. 548. & aliis. Multos proinde ad domestica servitia destinabant. Alii ad Artes varias adhibebantur, immo & ad Liberales: alii enim Medici, Chirurgi, Tonsores: alii Cytharedi, Choraulæ, Argentarii, Scriptores, Pædagogi, Librarii, Pictores: alii Sutores, Comœdi, Lecticarii &c. fuere. Tantas sane delicias, luxumque tam effusum ignorarunt antiqui Langobardi, Franci, Germani, & mediæ ætatis Italici viri. Paucis Servis domi ad usum familiæ contenti, quos *Servos Ministeriales* appellabant, ceteros ad arva sua excolenda dimittebant, lucrumque ex eorum labore & agrorum cultura quærebant. Nullus dubitationi locus est, quin Liberi quoque homines (sive Ingenui ii forent, sive Liberti) complures olim numerarentur, qui rei rusticæ operam darent, agrorumque aut suorum, aut alienorum coloni essent. Istud jam supra ostendi in præcedenti Dissertat. XIII. *de Liberis hominibus*. Sed longe superabat Servorum numerus ruri sese exercentium. Eos nempe Domini, quibus vellent, legibus sub sua potestate positos premebant; & omnes etiam, si libuisset, agrorum reditus, detractis illorum alimentis, in rem suam convertere poterant. Neque minus, Romanorum Republica vigente, in usu fuere tum Liberi, tum Servi, ad prædia excolenda, uti ex Columella locupletissimo teste satis liquet. Verùm tam rigide habere Servos suos vix ullus olim consuevit, quin eis aliquam portionem emolumenti ex artibus, laboribus, aut mercimonio per eos percepti, dimitteret: quæ particula *Peculium*, & *Peculiare* barbarico vocabulo, appellabatur, eratque Servis patrimonii loco. Id autem factum ad eorum industriam exercendam atque augendam. Campellos quoque & vineolas interdum Servi emere ac possidere sinebantur. Ita tamen ejusmodi Peculium, ac si proprium patrimonium foret, possidebant, ut ejus tantummodo usum aut usumfructum haberent, non autem dominium. Neque enim *Servis*, immo neque *Colonis*, *si qua propria habent* (idest Peculium) *inconsultis atque ignorantibus patronis, in alios transferre licet*, ut habetur in Lege unica Tit. XI. *ne Colonus* &c. Lib. V. Codic. Theodosiani. Præter *Colonos Servos* fuerunt & *Coloni Liberi*, & adhuc *quasi Servi*, quales in Dissertatione XV. sequenti *Aldios* agnoscemus, & quales Salvianus Lib. 5. de Gubernat. Dei, & Gregorius M. Lib. 3. Epistol. 21. describunt: quibus *Patroni* potius quam *Domini* agros ad culturam tradebant, & quibus *propria* erant. His etiam in-

terdictum puto in alteros transferre, *si qua propria habebant, inconsultis atque ignorantibus Patronis*: id enim facile in detrimentum atque incommodum vergere poterat ipsis eorum Patronis. Ceterùm decretum sæpe Legibus fuit, *ne quid de peculio suo cuiquam Colonorum, ignorante domino prædii, aut vendere, aut alio modo alienare liceret*, uti habet Lex *Coloni* 2. Lib. XI. Tit. 49. Codic. Justinian. *in quibus causis* &c. Propterea Dominus in Peculio & reliquis bonis heres erat Servorum, quibus, uti est notum, testamenti condendi facultas à Legibus erat ademta. Mitiores tamen Domini *Servis quoque quasi testamenta facere permittebant, eaque ut legitima custodiebant*, uti à se factum testatur in Epist. 16. Lib. 8. Plinius junior. Quod etiam posterioribus Sæculis permissum, atque interdum usurpatum est; Leges enim Langobardicæ, quod est ad Servos, sese Romanorum moribus quasi semper accommodarunt. Sed ne videar sine testibus, sine tabulis ex opinione potius quàm ex certa rei cognitione loqui, agesis, Chartam accipe, cujus autographum in suo Archivo servant, mihique exhibuerunt Monachi Benedictini Regienses.

## Donatio facta ab Alberto Servo Uberti Comitis Monasterio Sancti Prosperi, nunc Sancti Petri, Regiensis cum consensu Domini sui, Anno 1095.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno ab Incarnacione Domini nostri Jesu Christi Millesimo Nonagesimo Quinto, IX. die intrante Mense Septembris, Indictione Tercia. Monasterio Sancti Prosperi Christi Confessoris, sito in suburbio Civitatis Regio, hubi nunc* Domnus Pacificus Abbas *preesse videtur*: *ego quidem in Dei nomine* Albertus Servus Uberti Comitis, & filius quondam Alchisir de loco Cella, *qui professus sum Lege vivere Langobardorum*: ipso namque Domino meo mihi consenciente, *& hic subtus confirmante*, ofertor & donator ipsius Monasterii *presens presentibus dixi*: *Quisquis in Sanctis &c. Ideoque ego, qui supra Albertus* dono & aufero in eodem Monasterio ad ejus jure ac proprietatem, hoc est petia una de terra laboratoria juris mei, *que est posita in loco, hubi dicitur Curte Ingeltrutha, que est per mensura justa modi . . . . . . . coheret ei Finis à mane & de subto supradicti Monasterii, à meridie & à sera Via, sibique alie sunt adfines in integrum. Que autem suprascripta petia de terra &c. ab hac die in eodem Monesterio dono & do &c. Quod si subtrahere quesierimus, tunc in duplum &c. restituamus, sicut pro tempore fuerit meliaurata, aut valuerit sub estimacione in consimili loco, pro mercede & remedium anime mee, unde mihi Dominus inde bona tribuat &c.*

*Actum suprascripto Monasterio feliciter.*

✠ *UBERTUS COMES SSI.*

*Signum manus suprascripti Alberti, qui hanc Cartulam aufersionem ad omnia, ut supra, fieri rogavit.*

*Signum manibus Lamberti Ferrarii, & Alberti Ingeniatoris, seu Martini de Monacha rogati testes.*

*Ego qui supra Petrus Notarius sacri Palatii Scriptor hujus Cartule aufersionis post traditam complevi & dedi.*

Quum ergo quisquam *Mancipiis* suis (quo nomine Servi quilibet donabantur) Cortes & prædia sua excolenda tradebat, reditus omnes ipse colligebat, præter victum & vestitum atque peculium, nihil iis dimittens. Indulgentiores alii Domini à Servis exigebant, ut tantam frugum mensuram Domino redderent, quanta decenti æstimatione exspectanda videbatur pro portione Domini ex agri natura & communi cultorum labore. Quidquid residui erat, in alimenta atque utilitatem vertebatur ipsorum agricolarum, ita ut qui reliquis industriâ præstarent, bene peculiati ac divites evaderent. Alia quoque onera iis imponebantur, ultra quæ eos fatigare nemo probus consuevit, immo nulli hero licuit, ubi pacta aut consuetudo Servis favebant. Ii appellantur *Servi Beneficiarii* in Lege X. Ludovici Pii inter Langobardicas. *Casati* etiam commemorantur ab antiquis, atque horum pars similiter in Servorum grege numerabatur: ita appellati, si DuCangium audimus, quod *intra casam*, hoc est in *ruralibus possessionibus serviebant*. Fuerunt tamen & *Casati liberi*, alicui Casæ seu prædio sub aliquibus pactis addicti. Ad hæc occurrent tibi *Servi Massarii*, qui alicui *Massæ* seu prædio excolendo destinati erant. Hi memorantur in Rotharis Regis Lege 238. Vereor tamen, ne præter *Massarios* Servos, *Massarii* etiam fuerint non pauci à servili conditione alieni. Vide Dissertationem XV. subsequentem. In eisdem Legibus Langobardicis habemus *Servum rusticanum, qui sub Massario est*. Videndum est, num sub nomine *Massarii* heic veniat Custos & Procurator *Massæ*, qui liber homo esse consuevit. *Massa* verò non unum prædium, sed multa sub uno procuratore posita significabat. Servi quoque *Fiscales* seu *Fiscalini* fuerunt, qui Fisco, hoc est Regi & Palatio famulabantur. In Historia Translationis Sancti Germani Episcopi Parisiensis, scriptâ à Monacho Pratensi circiter Annum DCCXC. hæc leguntur: *In hoc pago Parisiaco ipsi Fiscalini vestri ob fortitudinem Celsitudinis vestræ valde sunt insolentes & temerarii, & multa mala contra hunc locum perpetrant*. Mabillonius hac voce significari censuit *Procuratores Fiscorum*. Ego lubentius putem designari ejusmodi nomine *Servos*, vel Fisci seu Regis Aldios, in Villa Palatiolo infestos Monachis Sancti Vincentii. Vide Dissertationem XV. sequentem *de Manumissionib.* ubi de *Fiscalinis* sermo rursus mihi erit. Prætermitto *Servos Ecclesiasticos*, qui ad Ecclesiam pertinebant: & *Ministeriales*, ita appellatos, quod in familia domini ministerio suo fungerentur. Alios quoque omitto *Bubulcos*, *Molinarios*, *Fabros ferrarios*, *Carpentarios*, *Caprarios*, aliisque humilibus muneribus addictos. Atque ad alia progredior. Secundùm Rotharis Leges nulli Servorum licebat *sine permissu domini sui neque terram, neque quamcumque rem vendere*. Attamen *Servus Massarius licentiam habebat de peculio suo, idest bovem, vaccam, caballum* &c. *in socio dare*. Nos adhuc appellamus *dare a socida*, hoc est greges & armenta alicui tradere ad societatem, ita ut fructus inde percipiendi dividantur inter socios. In ludicra Cantilena


na Petrarchæ, quam Bembus laudat, legitur hic versus:

*Ma dar le Capre a soccio è pur' il meglio.*

Sillingardus in Catalog. Episcopor. Mutinens. & ex eo Ughellius Tom. 2. Ital. Sacr. Diploma Ludovici Pii Augusti exhibent, datum Deusdedit Episcopo Mutinensi, in quo confirmatur donatio, *quam Cunibertus Rex fecit ad Ecclesiam Sancti Geminiani de Villa Purcili* (legendum Puziolo) *sive tributum, subsidiales, atque angarias, quas Servi ejusdem Sancti Geminiani ad ipsum Casalem laborandum & excolendum habuerunt*. Hinc desumtam vocem *Subsidialis* in suum Glossarium invexit vir summus Du-Cangius. Verùm in autographo, quod non semel sub oculis habui, non *subsidiales* legitur, sed *Succidiales*. Immo quia Privilegium illud parum accurate etiam in reliquis hactenus editum prostat, juvat integrum rursus exhibere Lectori, expressum ex ipso archetypo existente in Archivo insigni Canonicorum Mutinensium.

## Ludovici Pii Augusti Præceptum, per quod Mutinensi Episcopo Deusdedit omnia bona ac jura confirmat, Anno 822.

IN *nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hlodovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Si petitionibus Sacerdotum ac servorum Dei, divini cultus amore, aurem accomodamus, id non solùm ad stabilitatem Regni nostri, verùm etiam ad æterna præmia facilius adsequenda plurimum pertinere confidimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris, præsentibus scilicet & futuris, qualiter vir venerabilis* Deusdedit Ecclesiæ Mutinensis Episcopus, *quia pro senectute & infirmitate corporis ad nos pervenire non poterat, misit quendam Presbyterum suum, nomine* Willibianum, *per quem nobis suggessit petendo de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus, quas Reges Langobardorum propter amorem & timorem Dei & Domini nostri Jesu Christi, & Sancti Geminiani Confessoris ejus, eidem Ecclesiæ vel donaverunt, vel ab aliis datas confirmaverunt, ut inspectis eorumdem Regum Præceptis & confirmationibus, easdem res sive possessiones ad eamdem Ecclesiam nostræ auctoritatis Præcepto confirmaremus. Cujus petitioni, quia juxta & ratione subnixa videbatur, aurem libenter accomodare & adsensum præbere nobis placuit. Inspectis igitur & relectis prædictorum Regum Langobardorum Præceptis vel confirmationibus, complacuit nobis, donationes & concessiones sive confirmationes eorum hoc nostræ auctoritatis Præcepto juxta petitionem memorati Episcopi ad eandem Ecclesiam confirmare. Idest in primis confirmationem, quam* Cunipertus Rex fecit ad Ecclesiam Sancti Geminiani de Villa Poziolo, sive tributum, vel succidiales, atque angarias, quas Servi ejusdem Sancti Geminiani ad ipsum Casalem laborandum & excolendum habuerunt. *Similiter & Præceptum, quod fecit* Liutprandus Rex *ad suprascriptam Ecclesiam* de Servis & Aldionibus ad jus Ecclesiæ Sancti Geminiani pertinentibus, & in fine Salestina residentibus in Villis, quarum vocabula sunt Galaniticum, Gabellum Castellum, cum suis piscariis, quod fuit ab antiquo tempore Massa Sancti Geminiani: *super quibus est Præceptum* Ratgisi Regis *nobis ostensum. Est similiter &* Desiderii: *nec non & Præceptum* Hildeprandi Regis, *quod fecit ad Ecclesiam Sancti Geminiani propter petitionem* Joannis Episcopi *de Ecclesia Sancti Petri intra muros Civitatis Geminianæ, quæ nunc Nova vocatur, cum omnibus rebus atque appendiciis, quæ ad ipsam Ecclesiam pertinent, vel quod ibi juste adquesitum fuerit. Similiter & donationem, quam fecit piæ recordationis Domnus & Genitor noster* Karolus Imperator *de Plebe Sancti Thomæ, quæ est posita in Gandaceto juxta fluvium Lama, cum omnibus sibi pertinentibus, sive Canonica atque Decima. Similiter donationem, quam fecit Domnus Genitor noster Karolus Imperator, petente* Geminiano Mutinense Episcopo, *de Molendino prope Stratam cum acceptione sua sive acquario, qui pertinebat ad Curtem Regis Civitatis Novæ: nec non & res, quas duo Romani homines Gondolus videlicet & Constantinus, & eorum uxores Maria & Agnita ad Ecclesiam Sancti Geminiani donaverunt. Item Oratorium Sancti Apolenaris in Stagnano situm intra Judiciaria Montebeliensi, sive Oratorium Sancti Domnini constructum prope Cluxiam super flumen Nizianam, necnon & Oliveta juxta muros Castri Montebeliensis posita, & ad eandem Ecclesiam pertinentia. Has res sive possessiones memoratæ Mutinensis Ecclesiæ, vel Sancti Geminiani juxta petitionem prædicti viri venerabilis & oratoris nostri Deusdedit Episcopi, quas Reges vel donaverunt vel confirmaverunt, sive alii devoti ac Deum timentes homines ad eandem Ecclesiam solemni donatione contulerunt, & modo in ejusdem Ecclesiæ jure tenentur, vel inde injuste ac violenter abstracta erunt, isto nostræ auctoritatis Præcepto ad eandem Ecclesiam confirmare placuit. Quapropter præcipimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus, vel Comes, vel Gastaldus, sive qualibet potestate prædicta persona memoratum Episcopum vel successores ejus, atque Ecclesiæ Sancti Geminiani de suprascriptis rebus ac possessionibus, quas supranominati Reges ad eandem Ecclesiam confirmaverunt, & nos hac nostra auctoritate confirmamus, inquietare aut injuste pulsare, aut aliquid ex iis contra rationis ordinem abstrahere, aut alienare, aut eis calumniam ingerere præsumat; sed liceat eas memoratæ Ecclesiæ & Rectoribus sub nostra, successorumque nostrorum defensione, quieto ordine tenere ac possidere absque cujuslibet, sicut jam diximus, injuxta contradictione. Concessimus etiam hoc Privilegium memoratæ Ecclesiæ, ut si post decessionem Episcoporum ipsius Sedis talis in Clero inventus fuerit, qui secundùm Canones Episcopatus honorem & officium habere possit, licentiam habeant eligendi inter se. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & nostris ac futuris temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus, & eam de annulo nostro subter sigillari jussimus, violatorem duabus Libris auri obrizi condemnantes.*

*Signum*  *Hluduvici sereniſſimi Imperatoris .*

*Durandus Diaconus ad vicem Fridugerii recognovi .*

*Et data ſub VI. Idus Februarias , Anno , Chriſto propitio , IX, Imperii Domni Hluduvici piiſſimi Auguſti , ac Indictione XV.*

*Actum Aquiſgrani , Palatio Regis , in Dei nomine feliciter . Amen .*

Quid verò *Succidiales* fuerint , decernere nequaquam auſim : Num pro *Socidiales* ſcriptum, ut deſignentur reditus percepti ex armentis & gregibus *in ſocio datis*? Num à *ſuccidendo* , ſive , ut ajebant , *Runcando* ſilvas , ac à ſubigendis agris antea incultis ? Hæreo ſane . Interim vide , ſi lubet , Chronicon Farfenſe Part. II. Tomi I. Collectionis Rer. Italicar. ubi memorantur Servi cum eorum ſubſtantia *b. v. c.* hoc eſt *bove* , *vacca* , *caballo* &c. Noſtris autem temporibus adhuc apud Mediolanenſes mos viget tradendi prædia ſua agricolis, nunc omnino Liberis , iiſdem fere conditionibus , quas nuper innuebam , hoc eſt reddendi Domino tantam frugum & pecuniæ menſuram quotannis . Sed ut à luculentis teſtibus , qualis olim foret *Servorum ruſticorum* fortuna , Lector accipiat , ante omnium oculos ſiſto Chartam Placiti Mediolanenſis , olim ex archetypo deſcriptam . Illam autem debeo Archivo nobiliſſimi Monaſterii Sancti Ambroſii Mediolanenſis, quo humaniſſime aditum mihi præbuere Ciſtercienſes Monachi , ibi Deo ſervientes .

## Andreas Archiepiſcopus Mediolanenſis & Ragifredus Judex Miſſi Imperiales in Placito habito in Villa Belani ſententiam ferunt contra quoſdam ſe negantes antea Servos Monaſterii Mediolanenſis S. Ambroſii in Curte Lemonta, Anno 905.

D*Um in Dei nomine , Villa que dicitur Belano , in Laubia Solarii Sancti Ambroſii , Curtis ipſius , in judicio reſideret* Domnus Andreas *ſancte* Mediolanenſis Eccleſie Epiſcopus , *&* Ragifredus Judex ſacri Palatii , *Miſſi Domni Imperatoris* , *ſingulas deliberandas intenciones* , *reſidentibus cum eis Aicho* , *Debibertus & Paulus* . . . . . . . Petrus Diaconus de Cardine *ſancte ejuſdem* Eccleſie Mediolanenſis , Audoaldus & Andreas Subdiaconibus, *Rotfredus* , *Gaidoaldus & Adelgiſus*, *Judices idem Domni* . . . . . . . . *Hildervertus* , *Aupaldus* , *& Lupus Judices Mediolanenſis* , *Adelardus de* . . . . . . *David filius Boni* , *Arnolfi de Blaſonno, item David filius Johannis*... *Bonus de Zarana* , *Anſelmus* , *Ambroſius* , *& Gauſelmus Notariis*, *Adelbertus qui & Atto de loco Sauriate* , *Arnulfus filius quondam Agemberti Domin*. . . . . . . . *Civitate Mediolanenſi* , *Aaſprandus qui & Atto de Berente* . . . . . . . . *Ragifredus filio Petri de Lariano* , *& Andreas de loco* . . . . . *& reliquis* . *Ibique eorum venerunt preſentia Gaidulfus vir venerabilis Abas Monaſterii Sancti Chriſti Confeſſoris Ambroſii*, *ubi ejus ſanctum quieſcit Corpus* , *ſcitum in ſuburbium Civitatis Mediolanenſi* , *ſe una cum Adelrico Notario Advocatus ipſius Monaſterio Sancti Ambroſii : nec non Lupus* , *Steffanus* , *Johannes* , *item Johannes* , *Lupus* , *Ambroſius*, *& item Lupus* , *Bevanius*, *Theodeſius* , *Ambroſius* , *Urſus* , *& Rimmolo germanis* , *Johannes* , *item Johannes de Civenna*, *Dognolino*, *Petrus*, *Lupus* , *Laurentius* , *Madrevertus* , *Urſus & Urſicio de loco Madronino* , *Johannes* , *Urſevertus* , *Petrus* , *Dominicus* , *Luvaldus* , *Raginaldus* , *Urſus de Selvaniate* , *& Munaldus* , *Mauritio*, *Magioriano*, *Dominicus*, *Johannes*, *Steffanace & Laurentius de Caltonico pago* , *co dicitur Lemontas*, *prope Laco Comacino*, *intencionem habentes* . *Dicebant ipſi Gaidulfus Abas & Adelricus Avocatus* : „ Iſti Lupus , Steffanus, Johannes &c. abitantes non longe a „ Curte Sancti Ambroſii, que dicitur Lemontas ; Dognolino, Petro , Lupus &c. abitantes loco, qui dicitur Selvaniate ; Munaldus, „ Mauritio &c. abitantes loco , que dicitur „ Caltonico , cum eorum reliquis parentibus „ legibus Servi Monaſterii Sancti Ambroſii , „ nominative de Curte Lemontas eſſe debent , „ eo quod genitores & genitrices, ſeu parentibus eorum a longo tempore , & iſti Servi „ fuerunt de eadem Curte Lemontas . Qui „ Cortem & Servi , ſeu Serve ubi reſedeunt , „ a parte ejuſdem ſancti loci , Domni & glorioſi Imperatoris dive memorie Lotharius & „ Carolus proprietario jure conceſſerunt , & „ pro anime ſuorum remedium per donatione „ & Precepta ab ipſis glorioſis Imperatores „ propria ſuorum manu firmatos preſens habemus . Sed ſicut audimus , querent ſe iſti „ Lupus , Steffanus &c. ſubtraère de Servitute Monaſterii Sancti Ambroſii Curte Lemontas . Querimus , ut dicant , ſi & ſe de Servitium ipſius Cortis , & ejuſdem Monaſterii „ Sancti Ambroſii ſe ſubtrahere vellent , an „ non. *Ad hæc reſponderunt ipſi Lupus*, *Steffanus &c.* „ Verè nos de Servitio Monaſterii „ Sancti Ambroſii, nec de ipſa Corte Lemontas nunquam ſubtraximus : quia nos veraciter de noſtris perſonis Servi ſimus ejuſdem „ Curtis Lemontas , & Monaſterii Sancti Ambroſii , eo quod genitores & genitrices noſtri, ſeu reliquis parentibus noſtris de eadem „ Curte Lemontas ſemper pertenuimus , & „ nunc pertinemus ; & Servi fuerunt , & nos „ ſumus , & ut diximus , de Servitio ejuſdem „ Curtis , nec de Sancti Ambroſii Monaſterii „ numquam ſubtraximus , nec ſubtraere vo-

„ lu-

" lumus. quia Legibus Servi ſimus Monaſterii
" Sancti Ambroſii & Curtis Lemontas, &
" condictionaliter colliere debemus olivas de
" olivetas Curtis ipſius, & premere, & exin-
" de oleum, & traëre illuc Monaſterium San-
" cti Ambroſii; adque ei reddere debemus an-
" nue a parte ejuſdem Monaſterii argentum
" denarios bonos Solidos ſeptuaginta. Et per
" Lacum Comenſem Abatem ejuſdem Mona-
" ſterii, vel ſui Miſſi navigare debemus: ad-
" que ei pro omni anno reddere debemus fer-
" rum Libras centum, & Pullos triginta, at-
" que Ovas trescentum. Et qui a vobis num-
" ciavit, nos de Servitium ejuſdem Monaſterii
" ſubtraëre voleremus, verum non eſt, quia
" nos ſemper & parentibus noſtris Servi fui-
" mus ipſius Curtis Lemontas, & cum Lege
" eſſe debemus Monaſterii ipſius S. Ambroſii. *Cum ipſi homines unus ad unus taliter profeſſi fuiſſent, tunc ipſi Miſſi & Judices* adjurati Nobiles homines circa manentes locis ipſius *in fide, quam Deo & Domni Imperatoris debebant, quid inde ſcirent de Servitium predictorum hominibus, certam agnoſcerent veritatem. Qui in primis Andreas de Viſiniola dixit*: Scio, iſti homines Lemontini, & parentibus eorum ſemper eſſent Servi de Curte Lemontas. *Deinde Leo de loco Birlacio, & Abundantius de loco Dervi ſimiliter dixerunt. Cum predicti Lupus, Steffanus &c. omnes taliter manifeſti fuiſſent, ut ſupra . . . . . . Andreas, Leo, & Abundantius ita teſtificantes, paruit ſupradictis Auditoribus, & recte judicaverunt, ut ipſis Lupus, Steffanus &c. amodo & in antea Servi eſſe deberent Curtis ipſius Lemontas, & Monaſterii Sancti Ambroſii. Et qualiter hac Cauſa acta & definita eſt, preſentem notitia pro ſecuritatem ejuſdem Monaſterii Sancti Ambroſii ego Johannes Notarius Domni Imperatoris ſcripſi & interfui, Anno Imperii Domni Hludowici Imperatoris V., menſe Julio, Indictione VIII.*

*Ragifredus Judex & Miſſus Domni Imperatoris interfui.*

*Ego Paulus Presbiter interfuit.*

*Petrus humilis Diaconus interfui.*

*Ego Audaldus indignus Subdiaconus interfui.*

*Andreas Sobdiaconus interfui.*

*Aupaldus Judex interfui.*

*Anſelmus Notarius interfui.*

*Gaidoaldus Judex Domni Imperatoris interfui.*

*Adelgiſus Judex ſacri Palatii interfui.*

*Lupus Judex interfui.*

De notis Chronologicis Chartæ hujus infra ſermo erit. Nunc animadvertere juvat, homines ad Placitum accitos fateri, ſe à nativitate Servos eſſe Ambroſiani Cœnobii, eorumque parentes & avos Servili conditione alligatos fuiſſe, & *pertinuiſſe* ad Curtem Lemontæ, cui Monachi tunc Ordinis Sancti Benedicti dominabantur. Quo etiam loco diſcimus, quare vocabulum *Pertinentes* in antiquis Chartis, & in Legibus Langobardicis uſitatum, plerumque *Servos* ſignificet. *Cortiſiani* quoque appellati aliquando reperiuntur, ejuſmodi Servi Coloni, quod Cortem aliquam domini ſui excolerent. Itidem quoties nobis occurrunt in eiſdem Chartis *Familiæ utriuſque ſexus*, exploratum eſt, tunc ſignificari *Servos* & *Ancillas*. Onera ſibi ipſis impoſita iidem Servi hiſce verbis deſcribunt: *Conditionaliter colligere debemus olivas de Olivetis Curtis ipſius, & premere, & exinde oleum* educere, ac *trahere ad Monaſterium Sancti Ambroſii: Atque* eidem Cœnobio *reddere debemus* ſingulis annis in numerata pecunia *Solidos* argenteos *ſeptuaginta*; & per Lacum Larium *Abbatem Sancti Ambroſii, vel ejus Miſſos*, navi deducere debemus. Præterea ipſi quotannis reddere debemus *centum ferri Libras, Pullos triginta, & Ova trecentum*. Hiſce conditionibus Servi illi incolebant agros ſibi commiſſos. Tamdem advocantur *Nobiles homines circa manentes* in locis Lemontinis, ut & ipſi fidem faciant de Servili ſtatu eorumdem hominum. *Nobiles* autem appellantur viri ingenui ac liberi, uti in Diſſertatione XIII. præcedenti ſignificabam. An ad iſtos eoſdem Servos referenda ſit altera Charta, ex ejuſdem Ambroſiani Tabularii exemplo antiquo depromta, certum exploratumque minime habeo. Sunt quæ diſcordant: ſunt etiam quæ id perſuadeant. Conqueruntur in Placito Servi Lemontini, pertinentes ad Ambroſianam Baſilicam, eique annexum Monaſterium, ſe pati *ſuperimpoſitam ex parte Gaidulfi Abbatis Ambroſiani*. Videlicet: *ſupra id, quod ei debemus, cenſum à nobis, & navigium exquirit; animalia etiam noſtra interdum aufert: olivas colligere ac premere, calcariam quoque facere nos cogit. Et quod pejus eſt, multoties nos grana flagellare* (*), *& capillos noſtros auferre* (**) *ſicut in preſentia cernitis precipit*. Tum enumerant Servi, quot onera ſive ex pacto, ſive ex conſuetudine eorum majores ſubirent ſub Imperatoribus Dominis, deinde ſub Petro Abbate prædeceſſore Gaidulfi, & in hæc verba deſinunt: *Ac per hoc, nullam nobis pars Monaſterii veſtri Superimpoſitam facere debet*, ideſt nova antiquis onera addere. Cauſsâ agitatâ coram Archiepiſcopo, Servis victoria ceſſit. Integrum Placitum nunc habeto.

(*) Scilicet frumentum excutere.

(**) Videlicet tondere capillos in ſignum ſervitutis.

Sen-

## Sententia Andreæ Archiepiscopi Mediolanensis in Placito habito Belani pro quibusdam Servis Monasterii Mediolanensis S. Ambrosii, conquerentibus de nonnullis oneribus sibi contra consuetudinem impositis ab Abbate ejusdem Monasterii, Anno 905.

D*Um in nomine Summe & individue Trinitatis*, Domnus Andreas *semper memorandus* Archiepiscopus *in aula Solarii*, *Curtis Sancti Ambrosii, que Belano dicitur, sita juxta Laco Comense, cum quibusdam sue Ecclesie venerabilibus Sacerdotibus, quorum nomina subter leguntur, resideret, & de causis necessariis pertractaret, contigit, ut maxima multitudo* Famulorum utriusque sexus Curtis Lemunte, pertinentes ad Monasterium *beatissimi Confessoris Christi* Ambrosii, *ubi sacratissimum ejus Corpus requiescit, prefatum Domnum Archiepiscopum acclamando, lacrimosis* . . . . . . *adirent clementiam, dicentes, quod ex parte Gaidulfi Abbatis, qui jam dicto Monasterio preerat, maximam paterentur Superimpositam. Interrogati autem ejusdem multitudinis famuli, quam Superimpositam paterentur, responderunt dicentes*: „ Supra id, quod debet, censum a „ nobis, atque navigium exquirit, animalia „ nostra Prepositus ejus Pedelbertus injuste „ aufert, & olivas contra consuetudinem colligere & premere, sive calcariam facere „ precipit adclepiatis quoque volentes, nolentesque ire, & vites illic amputare contra „ consuetudinem jubet. Et quod pejus est, „ multotiens nos grana flagellare, & capillos „ nostros aufert, sicut in presenti cernitis, „ precipit: *Quibus jam dictus Gaidulfus Abbas, cum presens esset, respondit*: „ Dive „ memorie Domni Hlotharius & Karolus, „ gloriosissimi quondam Imperatores vos, sicut „ ad eos pertinuistis, beati Ambrosii Confessoris Christi Monasterio suis piissimis Preceptis contulerunt. Servi ergo predictorum „ Imperatorum fuistis, & Servi partis Mona- „ sterii nunc estis. Quicquid itaque jubemus „ atque precipimus, facere debetis. *Qui respondentes dixerunt*: „ Verè Servi jam dictorum Excellentissimorum Imperatorum fuimus: & quia nos suis testamentis parti Mo- „ nasterii Sancti Ambrosii contulerunt, Servi „ ejusdem Monasterii esse debere non denegamus. Sed quia a parte prescriptorum Impe- „ ratorum numquam aliud parentes nostri, aut „ nos annue soliti fuimus solvere, nisi tantùm „ Denariorum Libras III., cum Solidos X., „ frumentum Sextaria XII., Caseum libras „ XXX., Pullos pares XXX., Ovas CCC., „ insuper olivas ejusdem Curtis Lemonte cum „ Regali dispendio colligere & premere, „ ideo a parte Monasterii vestri, cui nos „ prelibati Imperatores suis Preceptis contu- „ lerunt, aliud annue solvere non debemus, „ nisi tantumodo ea, que diximus. Ac per „ hoc, si placet omnipotenti Deo, Dominoque Archiepiscopo, & vobis Domno Abba- „ ti, nullam nobis pars Monasterii vestri Su- „ perimpositam facere debet, quia neque „ temporibus predecessoris vestri sancte me- „ morie Domni Petri Abbatis aliquam Super- „ impositam nobis pars Monasterii vestri fa- „ ciebat.

*Quibus auditis, & diligentissime per Sacerdotes & Pagenses Liberos homines circa Comensem Lacum habitantes inquisitis, tandem inventis suprataxatus Pontifex cum sue Ecclesie Sacerdotibus, qui presentes aderant, vera esse, que ipsi Servi fatebantur: idest ut numquam soliti fuissent parentes eorum aut ipsi aliud ad partem Imperatorum vel Regum, aut a parte Monasterii Sancti Ambrosii temporibus jam dicti Petri Abbatis, solvere aut reddere, nisi tantumodo sicut superius scriptum continetur annue denariorum Libras III. cum Solidos X. frumentum Sextaria XII. Caseum Libras XXX. Pullos pares XXX. Ovas CCC. Insuper invenit eos annue olivas colligere & premere, atque Oleum vehere debere cum dispendio Abbatis, sicut soliti fuerunt cum dispendio Regum vel Imperatorum. Quibus inventis prelibatus Pontifex cum sue Ecclesie reverentissimis Sacerdotibus, qui presentes aderant, statuit atque decrevit, ut memoratus Gaidulfus Abbas aut pars Monasterii sui nullo umquam tempore aliud ad jam dictis Servis Curtis Monasterii sui, que Lemonta dicitur, exigere presumeret, nisi tantumodo que prediximus, idest Denariorum Libras III. cum Solidos X. Frumentum Sextaria XII. Caseum Libras XXX. Pullos paria XXX. Ovas CCC. deberetque eos annue olivas Curtis ejusdem facere colligere & premere, atque oleum ipsum vehere cum Abbatis ipsius, vel successorum ejus dispendio, sicut cum Regali dispendio soliti fuerant facere, antequam per Precepta Monasterio Sancti Ambrosii condonarentur. Aliam nullam Superimpositam eis facere contra consuetudinem presumeret, essetque contemtus supradictis, sicut precessor suus reverende memorie Petrus venerabilis Abbas fuerat. Pro oblationibus etiam, ut centum ferri Libras semel in anno eidem Abbati vel successoribus ejus deferrent predicti Servi, vel heredes eorum, si ad eadem Curtem Lemonta ipse Abbas vel successores ejus venerint, statuit prenominatus Domnus Archiepiscopus cum Sacerdotibus, qui presentes aderant, atque decrevit, quoniam similiter Imperiali vel Regio Ministeriali per consuetudinem erant soliti facere. Et quia de navigio quoque contentio erat, statuit ipse reverentissimus Archiepiscopus atque decrevit cum sue Ecclesie Sacerdotibus, qui presentes aderant, ut quotiescumque jam dictus Abbas Gaidulfus vel successores ejus versùs Comensem Lacum veniret, & ei nece foret, si juberet, totiens eum cum suis navigarent per jam nominatum Lacum, quocumque necesse ipsi vel successoribus suis esset, cum suo, idest Abbatis ipsius vel successorum ejus dispendio. Alia eis Superimposita ut nullo umquam tempore fiat a prelibato Abbate vel successoribus ejus, statuit cum Sacerdotibus sue Ecclesie, qui presentes aderant, atque decrevit.*


*Actum est autem* hoc Anno Incarnationis Dominice Nongentesimo Nonagesimo Sexto, *Pontificatus verò suprataxati Andree Archiepiscopi Sexto, mense Julio, Indictione VIII.*

Desiderantur in apographo vetusto Placiti hujus subscriptiones. Immo notæ ipsæ Chronologicæ, incuriâ, ut puto, Amanuensis fœdis-

diſſime vitiatæ deprehenduntur, quum ibi ſcriptum legatur *hoc Anno Incarnationis Dominicæ Nongenteſimo Nonageſimo Sexto*. Verùm illud *nonageſimo*, repugnantibus calculis, intruſum, auferendum eſt, ſimiliterque deleto *Sexto*, ſcribendum *Quinto*, quum antecedens etiam Charta ita reſtituendum nos moneat. Hinc autem habes, præeuntibus ambabus hiſce Chartis, adjungendum eſſe catalogo Abbatum inſignis Ambroſiani Monaſterii *Gaidulfum Abbatem*, quem accuratiſſimus Puricellius in Monumentis Baſilic. Ambroſian. aut ignoravit, aut diſſimulavit. Fortaſſis eum terruit ab hoc Abbate admittendo immanis ille error Anni in membranâ nunc producta nimium corrupti. Neque enim videtur oſcitanter Chartas Ambroſiani Cœnobii Puricellius eſſe perſcrutatus ad ea tempora, quum in iis ipſe repererit Anno DCCCCI. *Aripaldum*: tum Anno DCCCCX. *Regibertum*: atque Anno DCCCCXV. *Widonem*, ſingulos tam brevi annorum circulo Ambroſianos Abbates. Ad hæc Notæ Chronologicæ præcedentis Placiti ſcripti *Anno Imperii Domni Ludowici Imperatoris Quinto, menſe Julio, Indictione Octava*, ſcilicet Anno DCCCCV. negotium non leve faceſſere potuerunt eidem Puricellio. Et mihi eas conſideranti, fateor, aqua hæſit. Sigonius enim Lib. 6. de Regno Italiæ, Pagius in Critica Baronian. ad Annum DCCCCII. Leibnitius in Not. ad Panegyric. Berengar., & alii contendunt, Ludovicum III. Auguſtum, jurisjurandi antea præſtiti oblitum, eodem Anno DCCCCII. à Berengario Rege per inſidias oppreſſum Veronæ, & excæcatum, uti auctor eſt Liutprandus in Hiſtor. Lib. 2. Cap. 11. pro ingenti munere accepiſſe vitam, atque ex Italia feſtinum receſſiſſe, quam poſtea numquam repetierit. Vidi & ego Diplomata Ludovici III. in primis menſibus ejuſdem Anni DCCCCII. data Ticini, tum alia ſubſequentibus ipſius Anni menſibus à Berengario I. Rege in eâdem Civitate emiſſa. Atque heic unum proferre ſtatui, quod in Tabulario Capituli Canonicorum Regienſium ſub oculis habui, incertus tamen, num autographum foret, cujus faciem præ ſe ferebat.

## Berengarii I. Regis Diploma, quo Curtem Ripaltæ Epiſcopo Regienſi confirmat, Anno 902.

*IN nomine omnipotentis Dei æterni. Berengarius divina ordinante clementia Rex. Si Sacerdotum Dei juſtis petitionibus aures noſtræ ſerenitatis accommodamus, libenter credimus profectò ad æternam nobis proficere beatitudinem. Quapropter omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtriſque præſentibus ſcilicet & futuris, noverit ſolertia,* Petrum *egregium* Præſulem *ſanctæ* Regienſis Eccleſiæ, *noſtrumque fideliſſimum, humiliter noſtram adiiſſe clementiam, petens quandam ſuam Cortem, quæ Ripalta vocitatur, jam olim pertinentem de Regienſe Comitatu, quam* Lambertus noſter anteceſſor *cuidam Ingelberto per Præcepti paginam contulit, quam etiam poſtea prædictus Epiſcopus ab heredibus ipſius per comparationis & confirmationis Cartulam acquiſivit, ut per hoc noſtrum confirmaremus præceptum. Cujus dignam rectamque arbitrantes petitionem, juſſimus ei hoc noſtrum fieri Pragmaticon, per quod ſupra taxatam Cortem cum omnibus adjacentiis & pertinentiis ſuis, ſervis, & ancillis, mobilibus, & immobilibus, quæ dici aut nominari poſſunt, prælibato Petro Epiſcopo concedimus, & omnimodis jure proprietario confirmamus, ad habendum, tenendum, poſſidendum, vel quidquid ſibi placuerit in omnibus faciendum, remotâ totius poteſtatis inquietudine vel minoratione: poteſtatemque habeat ordinandi, vendendi, commutandi, pro anima judicandi, ſeu quicquid voluerit faciendi abſque contradictione cujuſque. Contra quod noſtræ donationis & confirmationis præceptum ſi quis aliquando inſurgere tentaverit, aut infringere quæſierit, ut conatus ejus irritus fiat, ſciat ſe compoſiturum viginti Libras auri obrizi, medietatem Palatio noſtro, & medietatem ſæpe nominato Epiſcopo, aut cui ipſe dederit. Ut hoc autem verius credatur, inviolabiliterque ab omnibus per futura tempora obſervetur, manu propria ſubter roborantes, de anulo noſtro juſſimus inſigniri.*

*Signum Domni*  *Berengarii Sereniſſimi Regis.*

*Petrus Notarius juſſione Regia recognovi & . . . . .*

Locus ✠ Sigilli cerei deperditi.

*Data XVI. Kalendas Auguſti, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCII. Regni verò Domni Berengarii piiſſimi Regis XV. Indictione V.*

*Actum Palatio Ticinenſi, quod eſt caput Regni noſtri, in Dei nomine feliciter. AMEN.*

Hiſce

Hisce adde Diploma à me evulgatum in Dissertat. VII. *de Comitibus Palatii*. Quei ergo in præcedentibus Chartis exhibeatur nobis Ludovicus III. Augustus, adhuc Anno Christi DCCCCV. in Italia regnans, & Andreas Archiepiscopus Mediolanensis se illius *Missum* appellet? Pagius autem multis arguit Baronium, Valesium, & Papebrochium, quod Ludovici III. Imperatoris funestum casum protrahant ad Annum DCCCCIV. immo & ad DCCCCV. Liceat heic mihi, quamquam alio properanti, continere gressum, & aliquid lucis, si fieri potest, tenebrosæ eorum temporum Historiæ adferre. Mea igitur sententia est, sat firmam stare sententiam Pagii, atque eorum, qui tradunt, Ludovicum Arelatensem Anno DCCCCII. ex Italiæ possessione excidisse. Non negligendum tamen examen aliquot Chartarum, quæ serius illam rerum mutationem accidisse indicant, & expendendum, an illæ falsi sint insimulandæ. Multa in nocte jacet Italica Historia illius temporis, fierique potest, ut belli tunc peracti vices ignoremus. Nam quod Anno DCCCCII. uterque Princeps unus post alterum Ticini Diplomata dederit, occurrantque etiam Diplomata, quibus ego in hisce Dissertationibus suum locum statuam, data à Berengario Rege Anno DCCCCIV. Veronæ. Immo & *in Urbe Ticinensi* eodem *Anno DCCCCIV*. uti constat ex Diplomate à Mutinensibus Canonicis adservato. Par Anno ipso datum Canonici Regienses possident. Sunt & alia ab eodem Berengario emissa Annis DCCCCI. DCCCCII. & DCCCCIII. Sed quid si hæc ostendant, aleam belli per aliquot annos inter æmulos Reges ancipiti Marte stetisse; & nunc istum, nunc illum prævaluisse, divisumque & fluctuans Regnum in ea concertatione fuisse? In præcedenti quoque Dissert. XIII. Berengarii Diploma vidimus *datum* Veronæ X. Kal. Septembris Anno Ch. DCCCCI. Verùm Anno DCCCCV. in partes Ludovici fortuna concessisse, atque is per totum saltem Julium mensem in Italia sibi subjecta pacifice moratus, depresso penitus Berengario, imperium exercuisse videtur. Jam Rubeus Lib. 5. Histor. Ravenn. ad Annum DCCCCV. tabulas publicas sibi Ravennæ visas laudarat, in quibus *Sergii Pontificis Annus Secundus*, *Hludovici Cæsaris Quartus scribitur*, *Indictione Octava*, *Idibus Julii*. Legendum ibi Ludovici Augusti *Annus Quinctus*. Viden, ut ex Ravennate Charta affatim confirmetur Mediolanensium Chartarum sententia? At inquit Pagius ad Annum DCCCCIII. cui non ignotæ fuerunt Rubei tabulæ, Ludovici exauctorati nomen & annos, vel post ejus calamitatem, & restitutum Berengario integrum Italicum Regnum, Romæ & in Exarchatu Ravennate fuisse numerata, quod *Berengarius Rex tantùm Italiæ fuerit*, & Roma, atque Exarchatus tunc nullâ ratione penderent ab Italico Regno. Verùm ne sic quidem vim teli Pagius evadet; eo siquidem tempore Exarchatus revera Italicis Regibus suberat, atque ego ipse alibi adferam Diplomata ab ipso Berengario Ravennæ conscripta. Sed ut rem paucis conficiam, Campius in Historia Eccles. Placentin. Tom. 1. pag. 480. tabulas refert, electionem Guidonis Episcopi Placentini complectentes, & scriptas *Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCCCIIII. Indictione Octava*, *imperante Domno Hludovic serenissimo Imperatore*, *Anno Quinto*. Mensis nulla heic mentio, fierique potest, ut ad postremos Anni DCCCCIV. Menses Charta sit referenda, inchoatâ videlicet *Indictione VIII*. Attamen veri mihi videtur similius, excidisse Campio legenti unitatem in Annis Epochæ vulgaris, & scribendum *Anno DCCCCIIIII*. Quo ipso & Indictione VIII. & Anno V. Ludovici Imperatoris jam vidimus scriptas Chartas Ambrosiani Cœnobii. Quod plus est, dum Ticini olim essem, curante P. D. Gaspare Beretto Monacho Benedictino, celebri ob eruditionem suam Professore in Gymnasio Ticinensi, & singulari amico meo, inter plura pervetusta Diplomata authentica, quæ mihi describenda obtulerunt sacræ Virgines antiquissimi Monasterii Sanctæ Mariæ Theodotæ, nunc *della Posterla*, duo præcipue ejusdem pæne tenoris exscripsi, quæ apposite in præsentem controversiam cadunt. Eorum alterum accipe.

## Donatio Insulæ, quæ appellatur Horto, facta Monasterio Ticinensi Sanctæ Mariæ Theodotæ à Ludovico III. Imperatore, Anno 905.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Hludovicus divinâ favente clementiâ Imperator Augustus. Si circa servos & ancillas Dei in venerabilibus locis famulantes aliquid nostræ munificentiæ donum conferimus, & apud Deum veniam promereri, & Regni nostri statum divinâ ope fulciri non ambigimus. Omnium igitur fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet & futurorum noverit industria, qualiter* Isahac *Sanctæ* Gratianopolitanensis Ecclesiæ *venerabilis* Episcopus, *ac Leo Grecus, ac etiam Acirradus, strenuissimi viri, nostrique dilectissimi, nostram adeuntes majestatem enixius postulaverunt, quatenus pro mercede & remedio animæ nostræ, parentumque nostrorum, quandam Insulam, quæ dicitur Horto, pertinentem de Curte nostra Marinco, coherens ei ex una parte fluvio, qui nuncupatur Burmia, & ex alia parte Rivofrigido, & de uno capite Pratum Regis, Monasterio Sanctæ Dei genitricis Mariæ, quod nuncupatur Theodotæ, situm in Urbe Ticinensi, ubi nunc preesse videtur Rixinda Abbatissa, per Præceptum munificentiæ nostræ jure proprietario perpetualiter concederemus. Quorum precibus assensum præbentes hoc serenitatis nostræ Præceptum fieri decrevimus, per quod præfatum Monasterium sanctæ Dei genitricis Mariæ, quod dicitur Theodotæ in Urbe Ticinensi, ubi nunc preesse videtur Ricsinda Abbatissa, eandem Insulam in integrum futuris temporibus absque ullius contradictione aut diminoratione possideat, atque perehenniter teneat; potestatemque habeat prælibatum Monasterium Sanctæ Dei genitricis Mariæ tenendi, fruendi, &, si oportuerit, commutandi, ac etiam, sicut de aliis rebus propriis ejusdem Monasterii, faciendi, remotâ totius publicæ potestatis inquietudine. Si quis verò, quod non credimus, contra hoc nostræ concessionis ac donationis Præceptum in aliquo violare aut inrumpere, ac etiam diminuere temptaverit, noverit se compositurum auri optimi Libras triginta, medietatem Palatio nostro, & medietatem præfato Monasterio Sanctæ Dei genitricis Mariæ. Et ut verius credatur ac diligentius ab omnibus observetur, manu propria subter roborantes, anuli nostri impressione insigniri jussimus.*

*Signum Domni*  *Hludovici serenissimi Imperatoris Augusti.*

*Arnulfus Archicancellarius jubente Domno Hludovico Imperatore relegi & subscripsi.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

*Datum Pridie Nonas Junias, Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCV. Indictione VIII. Anno V. Imperante Domno Hludovico gloriosissimo Imperatore in Italia.*

*Actum Ticinensis in Dei nomine feliciter. Amen.*

Visebatur adhuc in membrana locus Sigilli cerei deperditi. Illud tantummodo peregrinum mihi visum est, quod *Arnulfus* (si quidem recte legerim) *Archicancellarius* ibi appellabatur, quum certum sit, ipsum alibi occurrere solo *Cancellarii*, aut *Notarii* titulo insignitum, & eo tempore *Archicancellarii* munus commissum foret *Liutuardo Episcopo Novocomensi*, quem Ughellius nimis supine rebus humanis defunctum nobis obtrudit ad Annum DCCCCI. eumque postea (excogitato *Luitardo II.*) nobis redivivum exhibet, & ad plures raptum Anno Christi DCCCCXVIII. Quomodo explicanda hæc fiut & componenda in Ticinensi Privilegio, alii viderint. Alterum interea prodeat illic adhuc adservatum, & cuncta, quantum quidem judicare potui, legitimæ antiquitatis signa præ se ferens, nisi quod minime adnotavi, qualia ibi forent signa Sigilli deperditi.

## Alterum Diploma, sed non sine diversitate, ejusdem Donationis factæ à Ludovico III. Augusto, Monasterio Sanctæ Mariæ Theodotæ, Anno 905.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Hludovicus divinâ favente clementiâ Imperator Augustus. Si circa servos & ancillas Dei in venerabilibus locis famulantes aliquid nostræ munificentiæ donum conferimus, & apud Deum veniam promereri, & Regni nostri statum divinâ ope fulciri non ambigimus. Omnium igitur Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet ac futurorum noverit industria, qualiter* Isahac *Sanctæ* Gratianopolitanensis Ecclesiæ *venerabilis* Episcopus, & Adelelmus *inclytus* Comes, *nostri dilectissimi Consiliarii, nostram adeuntes clementiam enixius postulaverunt, quatenus pro mercede & remedio animæ nostræ, parentumque nostrorum, quandam Insulam, quæ dicitur Horto, pertinentem de Curte nostra Marinco, coherens ei ex una parte Rivofrigido, & de uno capite Pratum Regis, & terram arabilem, quæ nominatur Anglare, pertinentem de ipsa Curte nostra Marinco, coherens ei de una parte Terra Sancti Martini, de alia parte Burmia, de tertia parte fossato de Roveroto, de quarta parte Prato de Alvi coherens etiam ei ex una parte fluvius, qui nuncupatur Burmia, & ipsa jam dicta aqua Burmia à capite Insula, quæ dicitur Horto, usque in fine Insulæ, quæ dicitur Anglare, Monasterio sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ nuncupatur Theodotæ sita in Urbe Ticinensi, ubi nunc preesse videtur Risinda Abbatissa, per Preceptum munificentiæ nostræ jure proprietario perpetualiter concederemus. Quorum precibus assensum prebentes, hoc Serenitatis nostræ Preceptum fieri decrevimus, per quod prefatum Monasterium Sanctæ Dei genitricis Mariæ, quod dicitur Theodotæ, in Urbe Ticinensi, ubi nunc preesse videtur Risinda Abbatissa, eandem Insulam, quæ dicitur Horto, & terram arabilem, quæ nuncupatur Anglare, pertinentes de Curte nostra Marinco, atque jam dictam aquam Burmiam à capite Insulæ, quæ dicitur Horto, usque in finem Insulæ, quæ dicitur Anglare, in integrum futuris temporibus absque ullius contradictione aut diminoratione possideat &c.* ut in altero Diplomate.

*Signum Domni*  *Hludovici serenissimi Imperatoris Augusti.*

*Arnulfus Notarius ad vicem Liutuardi Episcopi & Archicancellarii recognovi relegi.*


*Datum Pridie Nonas Junias, Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCV. Indictione VIII. Anno V. Imperante Domno Hludovico glorioso Imperatore in Italia.*
*Actum Papiæ in Dei nomine feliciter. Amen.*

Hæc omnia cohærent, & nihil mihi occurrit, quod bene non sedeat. Suspicari ambo hæc Diplomata conficta, nefas. At positâ eorumdem, vel saltem unius sinceritate, ad quam confirmandam concordi oratione confluunt Chartæ Mediolani, Ravennæ, ac Placentiæ conscriptæ; agnoscere jam possumus, Ludovicum Bosonis filium, Augustum, nequaquam Anno DCCCCII. oculorum beneficio privatum, & inrevocabili ruina deturbatum ab imperio & possessione Italici Regni: quam sententiam viri doctissimi nuper mordicus tuebantur. Itaque illius calamitas ad Annum DCCCCV. referenda videtur. Opinari verò cogimur, eo ipso Anno (fortassis Aprili aut Majo decurrente) Berengarium Regem sive fractum in aliquo prœlio, sive quod viribus imparem se sentiret, cessisse Ludovico Augusto, Ticinoque & Veronâ dimissis solum vertisse. Quare intelligas, recte consignatam fuisse catastrophen hanc apud Annalistam Saxonem à Clariss. Eccardo editum Tom. I. pag. 236. Corpor. Historic. Hæc enim sunt ejus verba ad Annum ipsum DCCCCV. *Ludovicus Imperator dictus, filius Bosonis, Italiæ Regnum, expulso Berengario, obtinens, & nullum resistere posse vel audere videns, de securitate, præsumsit; quæ pacis & quietis sunt, cogitare cœpit; absoluto exercitu cum perpaucis Veronam, adhortante Adalhardo ipsius Episcopo, intravit. Quod Cives Berengario in Bavvaria exulanti summâ festinatione notum fecerunt. Ille nil moratus, contractis copiis, Veronam venit: & qui parti ejus favebant, portas aperuerunt. Nocturno tempore intra muros receptus improvidum virum dolo cepit, luminibusque privavit, & Regnum Italiæ obtinuit.* Sed ut hoc tamdem moneam, tota isthæc oratio Annalistæ Saxonis desumta est totidem pæne verbis ex Chronico Reginonis, qui in Libris editis rem peractam Anno DCCCCIV. narrat. Veri videtur similius, luxatum, corruptumque haberi in editis Reginonis textum, atque illius narrationem de excæcato Ludovico spectare ad Annum DCCCCV. ut purgatiores Codices ab Annalista Saxone visi fidem faciunt. Adde etiam Chronicon Reichersspergense à Gevvoldo editum, & à Ludevvigio recusum, ubi ad Annum DCCCCV. hæc eadem Ludovici III. tragœdia consignatur, Reginone ipso huic Scriptori facem præferente. Et iisdem quidem diebus florebat, suamque Historiam scribere pergebat Regino, testis propterea ceteris præferendus. Julio autem Mense, aut Augusto ejusdem Anni DCCCCV. rursus Regno potitus fuisse videtur Berengarius. Cujus rei indices adferam geminas ejus tabulas, quas autographas sub oculis habui Veronæ, adservatas in vetustissimo Monasterio Sanctæ Mariæ ad Organum, nunc ad Monachos Olivetanos spectante. Ambas in commune commodum prodere juvat.

Be-

## Berengarius I. Italiæ Rex quosdam Manentes Fontegio, qui & Amizo, fideli suo donat, Anno 905.

IN *nomine omnipotentis Dei æterni. Berengarius Rex. Noverit omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet ac futurorum industria, quoniam per interventum & petitionem* Berctilæ *dilectissimæ* Conjugis & consortis Regni nostri *à Deo nobis collati, concedimus cuidam fideli nostro* Fontegio, *qui alio nomine* Amezo *vocatur, quosdam* Manentes Regni nostri, duos *in Villa, quæ dicitur Ruveriones, &* unum *in Aspe: pertinentes de Comitatu Veronense non longe à Monasterio Sanctæ Mariæ in Gajo; cum omnibus adjacentiis & pertinentiis eorum, jure proprietario, casis videlicet, terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, aquis, aquarumque decursibus, arboribus pomiferis & impomiferis, seu cum omnibus, quæ dici vel nominari possunt ad jam dictos Manentes pertinentibus, vel pertinere debentibus in integrum, de nostro jure & dominio in ejus jus & dominium modis omnibus transfundimus & perdonamus jure proprietario. Potestatemque habeat tenendi, possidendi, pro anima judicandi, alienandi, vendendi, commutandi, seu quicquid voluerit ex omnibus faciendi, remotâ totius potestatis inquietudine vel minoratione. Si quis igitur contra hoc nostræ donationis & concessionis Præceptum insurgere aliquando temptaverit, sciat se compositurum decem Libras auri optimi, medietatem Cameræ Palatii, & medietatem jam dicto Fontegio, suisque heredibus, aut cui ipse dederit. Ut hoc autem verius credatur, ab omnibusque diligentius observetur, manu propria firmantes, anuli nostri impressione subter jussimus insigniri.*

*Signum Domni*  *Berengarii Serenissimi Regis.*

*Ambrosius Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.


*Data II. Kalendas Augusti, Anno Dominicæ Incarnacionis DCCCCV. Regni Domni Berengarii piissimi Regis XVII. Indictione VIII.*

*Actum Tulles in Dei nomine feliciter. Amen.*

Qui heic *Manentes* appellantur, Du-Cangio, veteres Scriptores sequuto, sunt homines, *qui in solo alieno manent, unde invito domino eis recedere non licet. Isti Manentes præstant aliquando certos reditus, & præstant certa servitia.* De *Manentibus* infra erit sermo. Interim en alterum Berengarii Diploma.

# Præceptum Berengarii I. Italiæ Regis, per quod quosdam Massariolos, censum, & campum donat Odelberto Presbytero, Anno 905.

IN *nomine Domini Dei omnipotentis æterni. Berengarius divinâ misericordiâ Rex. Qui Sacerdotibus &c.* Ardingum *reverentissimum* Episcopum, *summumque* Cancellarium *& dilectissimum fidelem nostrum suppliciter nostram exorasse clementiam, quatenus quosdam* Massariolos juris Regni nostri, *sitos in Comitatu Veronensi, in Valle scilicet Veriaco, in locis, ubi dicitur Sortiago & Vico Mortuorum, ubi nominatur subtus Callem, de Curte nostra pertinentes, quæ Lazeses vocitatur, cum universis ad eosdem Massariolos respicientibus ex integro, nec non & censum, qui de molendinis Spiculo nostræ Regiæ parti annue solvebatur, quod est solidos duos: seu & campum quendam pertinentem de jam dicto Comitatu situm infra ipsum Vicum Mundonis, pro Dei amore & remedio animæ nostræ cuidam Presbytero Sanctæ Veronensis Ecclesiæ Odelberto jure proprietario modis omnibus concedere dignaremur. Cujus precibus &c.* ut in altero Diplomate hujus ipsius anni, supra mox descripto.

*Signum Domni*  *Berengarii Serenissimi Regis.*

*Ambrosius Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi.*





*Data Kalendis Augusti, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCV. Domni verò Berengarii Serenissimi Regis XVIII. Indictione VIII.*

*Actum Tulles in Christi nomine feliciter. Amen.*

*Massarioli* appellantur prædiola, eorumque mentio est in aliis Berengarii ipsius Chartis. Viderit Lector utrumque Diploma *Actum Tulles*. Quo in loco foret hæc Villa sive Curtis, si quis fortasse rescire cupit, ne Tullum Galliæ Belgicæ Civitatem ad Mosellam fluvium sitam heic excogitet, sed noverit, in altero ejusdem Regis Diplomate memorari *terrulam adjacentem infra Civitatem Gardensem* (animadverte Gardam olim Civitatem, unde postea nomen Lacui Benaco *il Lago di Garda*) *subtus Castro pertinentem de Corte, quæ dicitur Tulles, necnon de Veronensi Comitatu*. Ipsum Diploma descripsi ego ex archetypo, existente in nobilissimo Veronensi Monasterio Sancti Zenonis, atque heic apponere mihi visum est.

## Berengarii I. Regis Diploma, quo nonnullas terras donat Monasterio Sancti Zenonis Veronensis, Anno 904.

*IN nomine omnipotentis Dei æterni, Berengarius divinâ favente clementiâ Rex. Si Ecclesiis Dei, venerabilibusque locis augmentum nostræ munificentiæ impertiri satagimus, profecto nos æternæ beatitudinis gaudia nobis proficere non ambigimus. Quapropter omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque presentium scilicet ac futurorum noverit universitas,* Anselmum *insignem & gloriosum* Comitem, *dilectissimumque* nostrum Cancellarium, *humiliter nostram exorasse clementiam, quatenus pro Dei omnipotentis amore, animæque nostræ remedio Monasterii beatissimi egregiique Pontificis atque Confessoris Christi Zenonis terrolam quandam adjacentem infra* Civitatem Gardensem *subtus Castro in tribus locis positum, pertinentem* de Corte, quæ dicitur Tulles, *nec non de Veronensi Comitatu, concedere per nostri Precepti paginam dignaremur. Cujus ratam estimantes peticionem jussimus hoc nostrum fieri Preceptum, per quod jam dictam terram, in primo videlicet loco prope ripam Laci Benaci per longum perticas . . . . . . ditis pedibus sex, quæ pretenditur latum pedes XII. ex uno quidem latere via publica, ex alio ripam jam dicti Laci, ex transversus jura Æclesiæ Sanctæ Mariæ ac Guidonis Presbiteri. In secundo igitur loco ibidem terrola quæ habet per longum perticas V. additis pedibus VI. Est quidem in latitudine perticas III. adherentes ex uno latere via publica, ex alio terra item publica, ex transversus jura S. Zenonis ac Sigoaldi. Item in tertio loco ibidem terrola habentem per longum perticas sex, in latitudine perticam unam additis pedibus X. ex uno latere via, ex alio terra publica assistente, ex transversus Autkerii Subdiaconi, atque jura Regis; super totum numero tabule XXX. Addimus etiam eidem Æclesiæ totum superiorem Montem Gardæ, qui preminet prædictæ Civitati Gardensi, cum aliis montibus sibi adjacentibus nostro juri pertinentibus: & terras ad radicem Montis ab Oriente, que positæ sunt juxta viam pertinentes de jam dicta Corte in integrum cum omnibus ad se pertinentibus concedimus, & de nostro jure dominioque in ejus jus dominiumque transfundimus, & jure proprietario largimur ad habendum, tenendum, possidendum, ordinandum, vel quicquid voluerit faciendum, nostra Regia auctoritate, absque alicujus hominis contradictione vel minoratione. Si quis igitur, quod non credimus &c.*

*Signum Domni*  *Berengarii Serenissimi Regis.*

*Ambrosius Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi.*

Locus Sigilli ✠ cerei cum effigie Regis & epigraphe, ut supra in præcedenti Diplomate.

*Data pridie Nonas Aprilis, Anno Dominice Incarnationis DCCCCIIII. Regni verò Domni Berengarii piissimi Regis XVII. Indictione VII.*

*Actum Veronæ, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Veronæ, uti animadvertere potuisti, Berengarius pacifice regnabat *Anno DCCCCIV. Pridie Nonas Aprilis.* At postea ipsum inde fuisse exturbatum à Ludovico III. Augusto, persuadere possunt monumenta, quæ protuli, ita ut Junio Mense Anni DCCCCV. idem Ludovicus Veronæ ipsi dominaretur. Atqui cadente Julio Mense, & Augusto ineunte Anni DCCCCV. Berengarius Rex, uti ex duobus præcedentibus Diplomatis accepimus, versabatur prope ripam Lacus Benaci in Curte Tulles, & erga familiares suos Regiam munificentiam exercebat. Aut ergo jam tum Ludovicum Augustum æmulum dejecerat, aut ad eum opprimendum ex Norico, sive Bajoaria clam per Benacum descendebat. Atque hæc adnotata hucusque ipse volui, ne quis Berengarii tabulas cum præcedentibus Ludovici III. Imperatoris pugnare opinetur. Postremo tamdem loco monitum Lectorem volo, me hæc disceptandi tantum causâ proposuisse, atque ut materiem majori otio fruentibus præberem ad hæc diligentius perpendenda. Nam & infra in Dissert. XXXIV. *de Diplomat.* Præceptum adferam ejusdem Berengarii, datum Curte Olonna, scilicet in agro Ticinensi *Anno Ch. DCCCCV. XV. Kal. Julii Indict. Nona*, quod cum jam dictis pugnat. Sed ibi scribendum puto Anno DCCCCVI. Erunt tamen & alia ab hisce calculis discordantia. Quænam vero falsi arguenda sint, aliorum judicio reservatum volo. Vide etiam Diploma ejusdem Berengarii in Dissert. XVIII. *de Republica*. Nunc è diverticulo in semitam regrediamur.

Atque heic petentem mihi fingo, quid olim *Condumæ* aut *Condomæ* fuerint, quarum quum in antiquis Chartis mentio sæpe occurrat, propterea non est negligenda inquisitio. Nomen certe ac rem fateamur oportet, aliquibus adhuc tenebris obsitam; attamen unum sane constabit, nempe ab accurata rei inspectione defecisse hactenus doctissimos viros, qui hanc vocem interpretandam susceperunt. Du-Cangius in Glossar. Latino ad vocem *Condamina* au-

auctor est, *Condumæ* appellatione significari agrorum *σύγκτησιν*, idest unionem, sive Massam. Et sane Papias Grammaticus ita sensit scribens: *Conduma, domus cum curia, & ceteris necessariis*. Alia exempla profert Du-Cangius. Verùm Papias à sono vocis fortasse deceptus (quum *Condoma* sæpius occurrat) nihil aliud quàm *domum* eâ voce signari est opinatus, ac in eamdem sententiam Du-Cangium traxit. Sed & La-Cerda in Adversar. Sacr. Cap. 42. num. 10. *Conduma*, inquit, *locus est laxationi corporis assignatus, dictus à dumetis*. Mirum in modum eruditus Scriptor hariolatur; quod & Macri fratres in Hierolexico fecere, *Condumam* appellantes *Prædium dumis repletum*. Non enim loca, non prædia *Condumæ* fuerunt, sed Viri & Feminæ Servilis conditionis, in domo ac prædio sibi traditis habitantes. *Familiam* quoque *Servorum* nomen hoc olim indicavit, sive *Casatam*, ut alii appellare consueverunt. Nam quod Gregorii M. Epistolam XX. Lib. XI. (olim Lib. IX. Epistol. XIV.) laudant, ea ipsa illorum sententiam jugulat. *Experientiæ tuæ* (ita ille scribit ad Gregorium Scholasticum) *nos præcepisse recolimus, ut quia reverendissimus frater & Coëpiscopus noster Calumniosus necessitatem se de solatiis asseruit sustinere, unam illi de jure Ecclesiæ deputare Condumam debuisses*. Monachi Benedictini in Notis ad hanc Epistolam inquiunt: *Conduma est Massa seu prædium Ecclesiæ. In dote Oratorii seu Ecclesiæ Monasterii ponitur Conduma supra Lib. X. Epistol. XVIII. infra Lib. XII. Epistol. XI. Condumam Ecclesiæ Remensis, cui nomen erat Tudiniacus, memorat Hincmarus in vita beati Remigii*. A scopo declinarunt & ipsi. Progreditur Gregorius M. his verbis: *Sed quia Conduma ipsa vineolam parvam juris ejusdem Ecclesiæ nostræ tenere dicitur, & ipsam sibi pariter vineolam petit debere locari &c.* Docti illi Viri *tenere* pro *complecti* sunt interpretati: sed revera nihil aliud significat, nisi *Condumam* illum, idest Servum, excolendam suscepisse vineam ad jus Romanæ Ecclesiæ spectantem. Si Conduma prædium aut Massa fuisset vineolam complectens, cur traditâ Condumâ non & tradita simul vineola pars illius fuisset? Rursus idem Gregorius Lib. XII. Epistol. XI. novæ editionis, memorat pro dote Oratorii *fundos campulos cum Conduma una, boves domitos parium unum &c.* Et Lib. XIII. Epistola XVI. percepta primitus donatione legitima, idest *Conduma una, boum par unum &c. in fundo Gressiano uncias octo; in fundo Staciani uncias octo &c. fundum Paterni in integro &c.* Viden, ut fundos, idest agros, à *Conduma* & *bobus* distinguat Gregorius? Sed quod certiores nos facit, *Condumas* utriusque sexus homines fuisse, eosque Servilis (nescio an & Aldiarii) generis Vulturnensis Cœnobii Chronicon est, quod Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. evulgavi. Ibi pag. 363. Anno DCCLXXVIII. Arichis Beneventanus Dux Vulturnensibus Monachis donat aliquot *Condomas*, idest *Barciolus cum germanos suos, simul & nepotes, cum uxores, noras, filios & filias. Nec non & Condomas, nomine Ronciolus, tam simul cum suos germanos &c. simul & Merolo, quam & Justo consobrinos Roncioli, cum suas uxores, filios & filias*. Alterum Diploma Liutprandi Beneventani Ducis Anno DCCXLVII. datum legitur in eodem Chronico Vulturnensi pag. 374., ubi occurrit *Condoma nomine Dodone cum uxore, filios & filias suas, vel cum integra eorum pertinentia; & Condoma nomine Candolus &c. & Condoma nomine Mauro &c.* Alios prætereo ibi recensitos sub *Condomæ* titulo. Ita in Sichenolfi Salernitani Principis Præcepto pag. 392. ejusdem Chronici hæc habemus: *Narraverunt nobis, ut rem illam, quam ego dare volebam, fuisset appretiata auri Solidos mille quincentos absque Condomas duas cum filiæ suæ, qui inde sunt pertinentes, idest Rodepertus cum uxore sua, & tres filiæ suæ, & Domoaldus cum uxore, & una filia sua*. Quare tamdem tenemus, quid *Condomæ* fuerint, homines videlicet tam mares, quàm feminas, alicui prædio addictos, & Domino prædii obnoxios; immo ex his, quæ hactenus attulimus, *Condoma* appellata etiam videtur *Familia* ejusmodi Colonorum alicui inservientium.

Obstare tantummodo non negem Chartam Anno DCCLXVI. exaratam, atque in supra laudato Chronico pag. 394. evulgatam, ubi se offerunt *Condomæ duæ, una quæ regitur per Crispulo, Murriculo, & Maurisso germanis, cum uxore, filiis &c. cum omnia quantum ad manus suas habere visi sunt in ipsum locum Patenaria*. Sed & ista interpretari de Familia possumus, quam illi tres germani regerent, quum infra legatur: *Condoma in Missano, idest Lagaro, & Alari, seu Manulfus cum uxore, filiis & filiabus, & omnia eorum pertinentia. Condoma in Casale Crissano Maroaldus cum uxore &c. Condoma in Casale Vecticano Subiolu, Trasoaldus, Guettolus cum uxoribus, filiis, filiabus &c.* Verba hæc iterum *Familias* fundis illis mancipatas indicare videntur. Fortassis autem *Condomæ* (potius quàm *Condumæ*, ut est in Literis Gregorii Magni) nuncupati sunt homines ii, quod sub una domo conviverent: qua ratione apud veteres etiam *contectalis* occurrit. Porro fuerintne *Condomæ* Servorum, an Aldiorum, aut alterius generis Libertorum familiæ, tamdem petatur. Non satis perspicua sunt, quæ habet Charta Anni DCCC. in eodem Chronico Vulturnensi pag. 377. *Præter Servos & Ancillas meas cum suis cespitibus, quos volo, ut Liberi permaneant, & Condoma nomine Calbolum, cum cespite suo, qui resident in Punianellu*. Non enim *Servi* tantùm, sed & *Aldii*, *Manentes*, aliique Coloni, una cum uxoribus ac liberis obnoxii erant Dominis prædiorum, quos excolebant, & pro quibus censum reddebant. Præterea ex Aistulfi Langobardorum Regis Lege 3. novimus, Libertos *cespitibus* fuisse addictos, & hoc idem de Servis legimus. Majorem tamen lucem mutuabimur ex postremis tabulis Sancti Bertichramni Cenomannensis Episcopi, Anno Christi DCXV. scriptis, & à Mabillonio inter vetera Analecta, à Papebrochio in Actis Sanctorum ad diem 6. Junii editis. Ibi Sanctus Præsul ait: *Mihi convenit, ut de quantiscumque Villis Sanctæ Basilicæ Domni Petri & Pauli heredis meæ delegavi possidendas, ut singulos Condomas*. (Animadverte masculini generis *Condomas*. Et alibi fortasse idem occurrisset, si veterum Codicum fidem diligentius sequeremur, neque facile, quæ non intelligimus, immutaremus) *de unaquaque Villa, qui nitidiores esse noscuntur, & nos vel Basilicæ sanctæ fideliter deserviunt, volumus nomina eorum in una Epistola conscribere, ut integro relaxentur à Servitio &c., & ingenuitas status illorum sub defensione ipsius Abbatis debeat perpetualiter perdurare*. Servos manumittendos heic plane videre mihi videor.

In

In quam etiam opinionem congruunt, quæ supra attulimus ex Chronico Vulturnensi, & ex Gregorii Magni Epistolis, ubi agitur de *Conduma una* cum jugo boum, & prædio pro dote Oratorii statuenda. Mos enim olim fuit, eumque postea Ludovicus Pius Augustus in suis Capitularibus firmavit, ut singulis Ecclesiis dotis caussâ unus saltem Mansus terræ tribueretur cum uno aut duobus *Mancipiis*. Sed quod controversiam omnem tollere potest, adi Chronicon Beneventani Monasterii Sanctæ Sophiæ, ab Ughellio editum Tom. 8. Ital. Sacræ. *Condomæ* in antiquis illius Cœnobii Chartis sæpissime memorantur, ac præcipue in Judicato Arichisii Beneventani Ducis pag. 617. primæ editionis, ubi Dux sibi nuntiatum ait, quod *Condoma, quam bonæ recordationis Domna Theoderada cum Domno Gisolfo filio suo obtulerunt in prædicto Monasterio, quæ habitare videtur in Prata, Zacharias, qui fuit Abbas, contra Canonicam regulam liberavit* (*fortè libertavit*) *sicque modò se à suo Servitio subtrahere quærunt. Nos dum talia audissemus, jussimus ante nostra vestigia ipsos homines, idest Cœlestinum, Lupum, & Ursum &c. & inquisivimus eos, pro qua ratione se à servitio ipsius Monasterii subtraherent*. Respondent ii inter cetera: *Servi exinde fuimus. Zacharias Liberos nos constituit &c.* Quum deprehenderentur sacri Canones, & Liutprandi Leges adversari actis Zachariæ Abbatis, rursus illi homines in Servitutem rediguntur. Item in Diplomate Arichis Ducis memorantur *Condomæ Impronellæ; hi sunt filii Aroaldi Servi nostri, quas Stephanus Stratos* (lego Strator, hoc est Marpahis) *per Præceptum falsum liberavit*. Fortasse tamen aliquid discriminis inter vulgares *Servos*, & *Condomas* intercessit, nam Gisolfus Dux eidem Monasterio largitur *substantiam Auroaldi, casas, domos coltas, Condomas, Servos, & Ancillas*. Condomæ voce Servi tantùm Massarii designati fortasse fuerint. Sæpissime etiam legitur in ejusdem Cœnobii Beneventani Chartis *Condoma Casa, quæ regitur per Fuscum, per Maurinum &c.* Immo in Diplomate primo Arichis Dux donat *Correm* (lego Cortem) *in Lucania loco, qui dicitur Quatra, ad Condomas* (fortassis ac Condomas) *duodecim, quæ hæc sunt. Casa, quæ regitur per Formosum &c. Casa, quæ regitur per Marcum &c.* Confer quæ supra attuli è Chronico Vulturnensi. Ergo *Condomæ* appellatæ etiam fuerant mancipiorum Colonorum Familiæ, quibus sua erat Casa cum agro, ipsorum operâ excolendo. *Servi casati*, quorum meminit Carolus Magnus in suis Capitularibus, meminerunt & alii, parum aut nihil à *Condomis* distare videntur. Sed tempus progrediendi est.

Non exiguum commodum, simulque emolumentum olim fuit Dominis Servos homines habere. Nostrorum temporum famuli in Italia, scilicet homines liberi, quidquid lucri ex Dominis, aut ex propria industria corradunt, totum sibi suisque filiis habent: & quoties eos cupido incessit, Hero priori relicto, alterum, immo novos quarto quoque die sibi eligunt; metu autem soluti Dominos interdum non satis reverentur, raroque ad eorum servitium solicite animum intendunt, quod objurgati aut castigati, apud patientiorem lenioremque Dominum, majorem sibi agendi libertatem conquirere possunt. Contra olim quæcumque Servus parsimoniâ, negotio, aliisque artibus acquirebat, Domino aquirebat. Si quos procreabat filios, & istos Domino procreabat. Domum, prædia, ac officia, quibus destinabatur, invito Hero deserere nefas ei fuit. Peccantes in ministerio, inobedientes, fugaces distringere, hoc est castigare, proprio Domino licuit. Ii verò quanto poterant studio, plerumque colebant Dominum, desiderio & spe ducti impetrandæ demum Libertatis. Attamen ex hujusmodi Servorum usu non levia Dominis incommoda consequebantur. Pretio comparandi erant, quod ob eorum mortem, aut ægritudinem pertinacem, aut fugam peribat. Si qua crimina capitalia Servus perpetrabat, multam crimini impositam pro Mancipio Dominus exsolvere cogebatur. Fugientes perquirere, ac domum revehere, litium, curarum, & expensarum non leve seminarium fuit. Hac de re sunt multæ Romanorum, Langobardorum, aliarumque gentium Leges. Et de iis restituendis fere semper cavebatur in pactis inter Principes initis. Negantes autem se Servos ac refractarios, coram Judice evincere, & ad *servitium*, ut ajebant, *replicare*, molestum simul & dispendiosum fuit. Ad hæc diversorum Dominorum Servi & Ancillæ conjugia inibant, quæ dirimere non licebat, ut habetur in Lege 129. Caroli Magni, & Dominis suis servire nihilominus ii cogebantur. Reliqua incommoda prætereo, illud potius additurus, hæc præter alia in caussâ fuisse, cur sensim Servorum usus olim decrescere cœperit, atque in desuetudinem tamdem abierit. Potissimum tamen ad hunc morem è medio tollendum confluxisse puto intestina bella, quæ Sæculo Christianæ Aeræ XI. & subsequentibus universam Italiam concussere, & assumtam à plerisque Urbibus Reipublicæ formam. Donec in sinu suo pacem Italia fovit, & sub unis Regibus aut Augustis, eorumque Ministris unita stetit, si ex una Urbe in alteram, ex uno Comitatu in alterum Servus quispiam fugiebat, perquirere & recuperare non tam arduum fuit, conspirantibus tam Romanorum, quàm Langobardorum, & Francorum legibus, ut nemo fugitivum Servum reciperet, occultaret, ultra flumina nave transveheret. Verùm in tot, ut ita dicam, Principatus quum secta demum Italia fuerit, & perpetuum fere inter finitimos Populos bellum aleretur, jam Servos in officio continere, aut in fugam versos recipere, operosum nimis fuit molestumque negotium. Intercessit etiam belli necessitas. Sub Romanis ab honore Militiæ exclusi fuere Servi, tum quod vilissimi hominum forent, tum etiam ne ad arma instructi, seditiones postea concitarent, atque in Dominos & in ipsam Rempublicam tela converterent. Semel coacti Romani, dum eorum jugulis Annibal instaret, adsciscere in præsidium Servos, eos antea Libertate donarunt. Ne sub Langobardis quidem & Francis secus res stetit. Verùm Sæculo XII. sub tot Liberis Urbibus, & inter se digladiantibus, frequentes erant, immo quotidianæ, cogendæ Militiæ caussæ: nimium verò roboris Populo detractum fuisset, si Servos armare, atque in subsidium adhibere minime licuisset. Fracta sunt ergo repagula antiqui rigoris, & Servis concessa Libertas, ut ad arma & ipsi consurgerent pro patria ac finibus tuendis. Justinianus in Authentic. *quicquid* Novella 81. Cod. de emancipatione statuit, *ut si quis Servus, sciente Domino, mereatur militiam, repente in ipsam rapiatur ingenuitatem*. Ad istas caus-

caussas accessit etiam politica Civitatum Liberarum consideratio; neque enim Rectoribus Urbium facile tunc erat alienis Servis ad Reipublicæ præsidium pro suo arbitrio uti, ac eis tributa imponere. Quare consilium tamdem complures cepere de redimendo, & in libertatem vindicando hoc hominum genere. Egregia sunt in hanc rem verba Historiæ Miscellæ Bononiensis, Tomo XVIII. Rer. Italicarum. Ibi ad Annum MCCLVI. memoriæ proditum est: *Furono liberati i Rustici del Contado di Bologna, ch' erano Fedeli* (homines, ut puto de Masnada, de quibus mox sermo erit) *di cento uomini della Città di Bologna, e furono comperati per danari dal Popolo di Bologna. E fu statuito e bandito alla pena del capo, che niuno ardisca di riputarsi per Fedele. Così il Comune di Bologna comperò ogni Serva e ogni Servo del Contado, e diedero della persona da quattordici anni in su Lire dieci, e da quattordici anni in giù Lire otto. E i loro Signori ebbero i loro beni.* Uno verbo, Sæculo Christi XI. & XII. rarescere cœpit Servorum numerus: rariores quoque fuere Sæculo XIII. ac tamdem Sæculo XIV. pæne apud universos Christianos obsolevit eorum usus. Vide Vergerium in Vita Ubertini Carrariensis Principis Patavini, Tomo XVI. Rer. Italicarum, pag. 171. ista scribentem, quæ circiter Annum Christi MCCCXL. contigere: *Longettus erat hereditarius Servus, & semper unà nutritus; nam usque ad ea tempora propagandorum Servorum mos in Italia manserat, qui nunc prorsus abolevit.* Florebat autem Vergerius ineunte Sæculo Christi XV.

Serius autem quàm ceteri ad integram Libertatem assurrexere Servi illi, quos præcipue post Sæculum vulgaris Epochæ Decimum appellare Majores nostri consueverunt *homines de Masnada*. Hos propterea insalutatos abire non sinam. Atque heic è vestigio exerenda mihi est Charta, quam ex antiquo exemplo membranaceo existente in Archivo Primatialis Pisanæ Ecclesiæ olim descripsi.

## Investitura quartæ partis Castelli de Scannello, antea spectantis ad Comitissam Mathildam, data à Canonicis Ecclesiæ Pisanæ cuidam Malavoltæ, Anno 1135.

IN *æterni Dei nomine, amen.* Ubertus *Dei gratia sanctæ* Pisanæ Episcopus, *&* *Ugo Archipresbyter Canonicæ . . . . . . per consilium & parabolam suorum fratrum Canonicorum investierunt Malavoltam filium . . . . . . . . iniano, pro se & germanis suis, de quarta portione integra de Castello, quod dicitur Scannello, & Curte ejus, & omni pertinentia, sicut antea abuit, ipse & fratres ejus abeant eam & detineant usufructuario nomine ad pensionem reddendam per singulum annum in mense Augusto vel usque ad festivitatem omnium Sanctorum per se vel per eorum Missum prædicto Archiepiscopo & Canonicis vel eorum Misso infra prædictam Canonicam sine fraude bonorum denariorum Lucensium expendibilium Solidos decem. Et ipse Ubaldus juravit ad sancta Dei Evangelia, quod ipse vel fratres ejus vel eorum heredes, aut eorum Missus, dare & persolvere habent supradictam pensionem sine fraude per singulum annum, sicut supra legitur. Et similiter juravit, quod* homines & mulieres de Masnada de prædicto Scanello non habent vendere nec donare neque alienare neque aliquo modo dirigere ad damnitate prædictæ Ecclesiæ sive Canonicæ; *& nullum superpositum neque malum usum ponere habent istis hominibus de predicta Curte, nisi quemadmodum* Comitissa Matilda *habebat, quando ad suas manus tenebat. Et si de ipso usu discordia fuerit, si se legaliter defendere potuerint, defensionem eorum recipere habent quoram Archipresbytero & Canonicis vel eorum Misso. Et similiter juravit, quod infra tres menses, quod de isto itinere de Sancto Jacobo, ubi vadit, reversus fuerit, faciet jurare fratrem suum, qui etatem habet, si Pisis fuerit vel a Scannellum, ante Missum Archipresbyteri & Canonicorum. Et . . . . faciet jurare alium fratrem suum infra annum, qui inde inquisiti fuerint, post ejus completam etatem. Et similiter juravit, quod quales personas de ipsa* Masnada *Archipresbyter sive Canonici secum retinere voluerint, non eos inde eis molestabunt neque imbrigabunt.*

*Hoc factum est presentia testium Sismundi Consulis, Petri Albithonis, & Ugonis filii ejus, Geremie de Bolonia filii Geremie, Guidonis quondam Uberti . . . . . predicte Canonice: Anno Dominice Incarnationis Millesimo Centesimo Trigesimo Sexto, pridie Idus Augusti, Inditione Tertiadecima.*

Adnotavi, scriptam fuisse Chartam hanc Anno MCXXXV. quamquam in ejus calce apponatur Annus MCXXXVI. quod nimirum Pisani ab Incarnatione Annum exordientes, novem mensibus anteverterent vulgare Anni exordium, uti in Differtat. edita Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum adnotatum fuit. Certe heic Indictio XIII. vulgarem Annum MCXXXV. prodit. Hæc obiter. Qui heic memorantur *homines & mulieres de Masnada*, vix ulla dubitatio insurgere posse alicui videatur, quin servilis conditionis forent, quippe Malavoltæ cui traduntur, interdicitur, eos *vendere, donare, alienare*: quod proprium Servorum fuit. Adde postremas tabulas Tancredi Marchionis, Anno MCXLV. scriptas, atque à me editas in Antiquitatib. Estensib. Par. I. Cap. 33. ubi hæc statuuntur: *Universa Masnata mea libera sit, jure patronatus penitus remisso, peculiis uniuscujusque sibi concessis.* Verùm non tam cito in ejusmodi opinionem concedendum puto. Quippe recolendum est, apud ipsos Romanos olim fuisse agrorum Colonos complures Servitutis jugo adstrictos: fuisse verò & alios aut Liberos ac ingenuos, aut Libertos, sed certis quibusdam conditionibus ita Dominis, sive Patronis obnoxios, ut ab iis prædiis discedere nefas esset; quam in rem legendum doctissimi viri Jacobi Gothofredi Paratitlon plenissimum *de Colonis* ad Lib. V. Tit. 9. Codic. Theodosian. *de fugitivis Colonis*. Servatus est idem mos & à Langobardis, uti in Differtatione sequenti edisseram. Nunc ad Eruditorum examen deducere juvat Lucensis Archiepiscopii Chartam ex authentica membrana descriptam; neque enim satis liquet, num de Servis, an de Liberis, aut Libertis Colonis ibi agatur.

Aut-

## Autpertus & Liutpertus majori Ecclesiæ Lucensi omnes res suas tradunt atque confirmant, polliciti servitium, sive functiones, quas antea VValperto Duci atque ejus filiis præstabant, Anno 768.

IN *Dei nomine. Regnante Domno nostro Desiderio Rege, & filio ejus idem Domno nostro Adelchis Rege, Anno Regni eorum Duodecimo, & Decimo, VII. Kalendas Septembris per Indictionem Sextam. Manifestum est nobis Autperto & Liutperto germanis filiis quondam Barbalæ, abitatoribus in Oliveto, quia nos & parentes nostri bone memorie* Walperto Duci, *& filiis ejus*, seu vias facere solemus, & servitium per conditionem, traendo cum nave tam granum quàm & salem; *nunc vero presenti pro securitate per hanc Cartulam* tradimus & confirmamus omnes res nostras in Domo Sancte Lucensis Ecclesie, *& ab hac die omni in tempore* tam mobilia quam & immobilia, seu semoventibus, omnes res nostras tam de jure parentorum nostrorum, quamque & de adquisiti nostro in integrum confirmamus in potestate Ecclesie Sancti Martini, & nullum tempore ex re à nobis possessa abeamus licentiam subtraendi de dominio ipsius Ecclesie aut de Rectoribus ejus, *& suprascriptas seu vias, idest granum & salem traere promittimus à finibus maritimæ usque in Portum illum, ubi est consuetudo venire laborem & salem de predicta Ecclesia*; sic tamen salva justitia nostra, quia sic fuit antea consuetudo. *Et si contra hæc omnia capitula à nobis promissa nos aut heredes nostri in aliquo agere presumserimus per quolibet ingenium, & in omnibus sic non adimpleverimus, promittimus nos & heredes nostri esse componituri tibi Domno nostro* Peredeo *in Dei nomine* Episcopo, *& successoribus tuis, auri Solidos numero quinquagenta. Et pro confirmatione Austripertum Clericum scribere rogavimus.*

*Actum Luca.*

*Signa manus Autriperti, qui hanc Cartulam fieri rogavit.*

*Signo manus Liutperti, qui similiter fieri rogavit hanc Cartulam.*

*Signo manus Rotehis &c.*

*Ego Austripert Clericus post tradita complevi & dedi.*

Lucenses isti homines, uti ex Charta constat, antea W*alperto Duci Lucensi*, ejusque filiis inserviebant, atque ab eorum jure transierant sive per piam donationem, sive titulo venditionis aut commutationis *in domum Sanctæ Lucensis Ecclesiæ*. Atque hinc etiam habes, quàm antiquæ originis sit vulgaris vox *Duomo*. Nunc ergo agnoscunt, se debere præstare novis Dominis sive Patronis, ac sese re ipsa pollicentur præstituros, quæ antea *Walperto Duci* præstitere, nimirum *vias facere, & servitium per conditionem, trahendo cum nave tam granum quàm & salem*. Tradunt etiam & confirmant omnes res suas *in potestate Ecclesiæ Sancti Martini*, ita ut facultate careant, eas *subtrahendi de dominio ipsius Ecclesiæ*. Hæc Servos indicare videntur, melioris tamen conditionis quàm reliqui forent, quum res quidem suas, non autem personas tradant; simulque res ipsas traditas fateantur fuisse *de jure parentorum nostrorum, & de adquisiti nostro*: quæ parum convenire videntur cum natura & conditione Servorum. Quod interim animadvertas ad rem nostram velim, eos quidem spondere certa illa servitia atque onera, sed ita spondere ut *salva sit justitia nostra, quia sic antea fuit consuetudo*. Cum istâ compone præcedentem Chartam Pisanam, ubi Ubertus (qui *Episcopus Sanctæ Pisanæ Ecclesiæ* tantùm, non verò *Archiepiscopus* inscribitur, quamquam Ughellius Pisanam Ecclesiam Metropolitico honore jam tum donatam contendat) & Hugo Archipresbyter, Malavoltæ ea conditione tradunt *homines & mulieres de Masnada, ut nullum superpositum* (*superimpositam* in aliis membranis non semel legi) *neque malum usum ponere habeat istis hominibus, nisi quemadmodum Comitissa Matilda habebat, quando ad suas manus habebat*. Pares ergo hac in re eos dicas hominibus, Ecclesiæ Lucensi, ut nuper vidimus, traditis. Verùm in Charta Pisana liberum est Archipresbytero & Canonicis Pisanis, *quales personas de ipsa Masnada voluerint, secum retinere*: quæ innuere videntur heic agi de Servis, aut saltem de Colonis pacto aliquo sub jure Patronorum positis. Vox ista *Masnada* unde originem traxerit, inquirebat Clarissimus Fontaninius, Ancyranus Archiepiscopus, in Opusculo *delle Masnade*. Eam ergo is deducebat à *Mas*, quod *Mansum* seu prædium significat, & *Nata*: hoc est *gens in Mansis nata*. Mihi nihil aliud fuisse videtur, quam familia Servorum *Masnata*, idest Manso addicta, sive ad Mansum excolendum constituta, quæ vox facili conversione immutata est in *Masnata*, *Masnada*. Et sane eruditissimus Du-Cangius in Glossario Latino exempla adfert hominum de *Mansata*, quæ rem conficere videntur, ita ut amico cuidam meo alioquin doctissimo assentiri nequeam, putanti ex *Massa*, non ex *Manso* ejusmodi appellationem fluxisse, hoc est à *Massata*, non à *Mansata*. Quale verò id hominum genus fuerit, idem Du-Cangius explicare nititur auctoritate Speculatoris, sive Guilielmi Durandi, cujus verba sunt Lib. 4. particul. 3. de Feudis: *Mansata est, quando Dominus dat alicui Mansum cum diversis possessionibus, & propter hoc ille facit se Hominem Domini, & ad certum servitium tenetur. Et talis Homo dicitur de Mansata, qui est Homo ratione possessionum. Persona tamen ejus Libera est secundùm consuetudinem Regni Franciæ, si dimissâ Mansatâ alio se transferat. At Itali secundùm quosdam vocant homines de Mansata, quasi de Familia, & illi quasi pro Servis habentur*. Censet supra laudatus Fontaninius, nihil similitudinis intercedere inter homines *de Mansata* à Speculatore descriptos, & homines *de Masnada* præcipue in Forojuliensi regione olim usitatos: ii enim homines Liberi, isti verò Servi fuere. Et hos quidem non immerito servilis conditionis homines Fontaninius appellat; testem enim producit ipse Chartam Anno MCCCLXIX. sive MCCCLXVIII. scriptam, in qua *nobilis vir Antonius Gallus de Civitate Austriæ* manumisit *Dominam Sophiam filiam Tisanti de Premariaco, ejus Ancillam propriam, sive Mulierem de Masnata,* cum

*eum omnibus filiis*, *peculio*, *bonis* &c. Verùm ista nihil obstant, quominus Speculatoris sententia & vera & laudanda nobis sit. Is verò quare ejusmodi homines in Italia rotundo sermone *Servos* minime appellarit, eosque *quasi pro Servis habitos* dixerit, illa mihi fuisse caussa videtur, quod id g nus Servi, excusså prorsus veterum Mancipiorum ignominiâ, vilique conditione ac paupertate, ita jam viverent, ut iis inter honestos Cives, ac nonnullis etiam inter Nobiles locus concederetur. Ipsam Sophiam ab Antonio Gallo libertate donatam, nuper vidimus appellatione *Dominæ* decoratam: qui titulus tempestate illa rudi, & à nostrorum temporum adulatione & excessibus longe alienâ, nulli Ignobili profectò tribuebatur. Id tam certum, quàm certissimum. Fontaninius ipse addit, sibi ante oculos stetisse Chartam, qua Ricciardus Comes de Prata *Libertate* donavit *Sapientem virum Dominum Marinum Jurisconsultum*. Proinde ejusmodi homines nomine potius quàm re Servi fuere, atque ab iis ita abrasum fuerat quidquid olim servili conditioni adhæsit, ut Durando visi potius fuerint *quasi Servi* quàm absolutè *Servi*.

Versanti mihi membranas Archivi Estensis, datum est in hoc idem argumentum oculos posse intente conjicere, atque ediscere, non in Foro tantùm Julii, sive Marchia Tarvisina, familiares fuisse *Masnadas*, sed etiam in Ferrariensi ditione. Quare selegi, unde meam hanc opinionem possem bonis tabulis confirmare. Illic enim adservantur antiqua Regesta Feudorum, quæ Ateſtini Principes, & potissimum Azo VII. Marchio, & Obizo II. ejus nepos Sæculo XIII. Vassallis suis contribuerunt. Ex iis monumentis, ac bene multis, palam fit, homines etiam *de Masnada*, sive ut ibi scribitur, *de Maxinata*, vel *de Mazinata*, Vassallos fuisse Marchionum Estensium, & ab illis accepisse Feuda, eaque *ad usum Regni*, & sacramentum fidelitatis, non secus ac alii nobiles Vassalli, præstitisse. Præterea multis abundasse fundis, quos Beneficiario titulo acceptos fatebantur, &, ut justa fert veri similitudo, multorum etiam Allodialium copiam possedisse: & præsertim, quod ibi nonnulli tum masculi tum feminæ præclarâ *Domini* & *Dominæ* appellatione ornentur. Exempli caussâ occurrunt illic signati inter *homines Maxinatæ Dominus Manfredinus*, *& Dominus Petrobonus ejus nepos de Castello*: *Dominus Sicherius*, *Dominus Nicolaus* &c. *filii quondam Domini Galvani de Fracta*: *Dominus Guaruntus uxorem habet feminam de Maxinata*: *Verardinus de Salecta habet in uxorem Dominam Hermelinam feminam Domini Marchionis*: *Magister Johanninus Barberius de Salecta habet Dominam Richadonam feminam de Maxinata Domini Marchionis in uxorem* &c. Sed ut rem propius intueare, accipe, quo ritu homines isti sua Feuda faterentur. Anno MCCLXXXVI. *Ferrarinus Notarius de Grillo procurator & procuratorio nomine Petri Dominæ Veneciæ* &c. *ad postulationem Rigoni Notarii procuratoris & procuratorio nomine Domini Obizonis Marchionis Estensis*, *fuit confessus*, *dictum Petrum esse Vassallum & hominem de Maxinata dicti Domini Marchionis*, *& habere ab eo in Feudum ad usum Regni res infrascriptas*, *quæ continentur in quadam cedula* &c. In eadem scheda *dicit*, *confitetur*, *& protestatus est*, *quod dictus Petrus est Vassallus & Homo de Maxinata dicti Domini Marchionis*, *& ab ipso Domino Marchione*, *& à Domo Estensi habet & tenet in Feudum & ratione Feudi*; *& etiam pater suus quondam Bonifacius Petri de Padavino habuit & tenuit in Feudum à Domo Estensi infrascriptas pecias terræ & casamenta* &c. Tum sigillatim enumerat Mansos, prædia, & domus non paucas à se jure Feudi possessas, ex quibus constat, ei multiplicem bonorum copiam fuisse, quamquam is Allodia sua minime computet. Anno eodem MCCLXXXVI. supra memorati viri *Dominus Sicherius de Frata*, *Dominus Nicolaus*, *& Dominus Zenoësius*, *fratres*, *filii quondam Domini Galvani de Frata* &c. *fuerunt confessi se esse Vassallos & Homines de Maxinata dicti Domini Marchionis*, *& habere ab eo in feudum res infrascriptas* &c. Subinde verò ingentem bonorum vim recensent, scilicet Mansorum, Decimarum, domorum, fundorum, quæ in Feudum se habere à Principibus Ateſtinis fatentur. Inter cetera hæc addunt: *Item dicunt dicti Domini Sicherius*, *Nicolaus*, *& Zenoësius fratres*, *quod hæ sunt Jurisdictiones*, *Segnoriæ*, *& Vescontariæ*, *quas Dominus Galvanus eorum pater tenuit*, *& dicti fratres tenent jure Feudi à Domino Marchione*: *scilicet in Terra Fratæ*, *Gognani*, *Villæ Marzanæ*, *Costæ*, *Ramedelli*, *Litigæ*, *Racani*, *Garofali*, *& Brazoroto*, *in Pelosella*, *in Gandiario*, *in Canario*, *in Campodaymo*, *in Villanova*, *in Flexo*, *& eorum pertinentiis*, *& in Domo Salvatica*, *in quibus Terris habent jurisdictionem cognoscendi & determinandi quæstiones civiles & criminales*. *Item quod solitus erat Dominus Galvanus eorum pater*, *& ipsi Domini ejus filii soliti erant habere jus colligendi dacium ad catenam Fratæ*. *Item habebant jus portus Litigæ & Domus Salvaticæ*. *Item quod pater ipsorum*, *& ipsi Domini soliti erant habere jurisdictionem super homines Arquoadæ*, *Corneti*, *& Gregnani*, *quia faciebant homines dictarum Villarum ire cum eis ad pluvigum* (idest ad publicum, sive ad operas & functiones publicas) *& in exercitum quociens opus erat*, *maxime de mandato Domini Marchionis* &c. Itaque quàm Nobiles Vassalli, quàm potentes, spectabilesque viri forent isti, jam manu tenes; & nihilominus iidem fuere *homines de Maxinata* Marchionum Estensium. In primis verò animadverte verba illa: *& in exercitum*, *quociens opus erat*, ibant. Hæc enim præcipua ejusmodi Servorum obligatio fuit. Quum verò istorum hominum catalogo inscriptum supra viderimus *Petrum filium Dominæ Veneciæ*, *& Bonifacii*, *qui filius fuit Petri de Padavino*: nunc agnoscere juvat, qua ratione Bonifacius idem investituram suorum Feudorum ab Azone VII. Marchione Estensi acceperit. Id palam fiet ex subsequenti Charta, in qua inter testes quum occurrat *Dominus Stephanus Dei gratiâ Sclavoniæ Dux*, memineris, hunc esse filium Andreæ II. Regis Hungariæ, ei genitum à Beatrice Ateſtina uxore, ejusdem Azonis nepte, & in Patrui aula enutritum, cujus filius Andreas III. Rex Hungariæ postea evasit, uti jam ostendi in Antiquitatib. Estensib. Par. I. Cap. 41.

Inve-

# Investitura Feudorum concessa ab Azone VII. Marchione Estensi Bonifacio & Arminaduxi fratribus, Anno 1252.

IN *Christi nomine. Anno ejusdem Nativitatis Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo Secundo, Indictione X. die VII. Mense Aprili, in Episcopatu Ferrariæ: præsentibus testibus rogatis* Domino Steffano *Dei gratiâ* Sclavaniæ Duce, *Domino Marco Ziano Comite Arbense, Domino Isnardo Domini Opizonis Marchionis Malaspinæ filio, Domino Meliorino Jurisperito de Padua, Domino Bonmatthæo Legum Doctore de Ferraria, & aliis*. Dominus Azo Estensis Marchio in plena Curia Vassallorum *ibidem coadunata investivit Bonifacium & Arminaduxem fratres filios quondam Petri Paduvini de suo recto Feudo & sua ratione. Qui fratres juraverunt fidelitatem dicto Domino Marchioni contra omnem hominem, exceptis anterioribus Dominis, si quos habent. Tenor cujus juramenti talis est:* „ Juramus nos ad „ Sancta Dei Evangelia & promittimus, quod „ ab hac hora in antea fideles erimus Domino „ Azoni Marchioni Estensi: nec erimus in „ consilio vel tractatu vel facto, ut vitam „ perdat aut membrum, vel mala captione „ capiatur, vel injuriam aliquam patiatur, vel „ detrimentum sive damnum aliquod in persona vel rebus sustineat, vel diminutionem „ status & honoris sui incurrat. Immo bona „ fide operam dabimus, ut ipsius status & honor augeatur, & ipsum ad manutenendum „ & conservandum statum suum & honorem „ pro viribus adjuvabimus. Secretum, quod „ nobis per se aut per literas suas vel Nuntium commiserit, nulli pandemus; & quod „ erit ei facile vel possibile ad suum honorem „ & statum perficere, sive ad effectum perducere, non faciemus ei difficile vel impossibile: immo ut id perficiat, sive ad effectum „ perducat, bona fide operam dabimus. Et „ Feudum, quod à Domino Marchione tenemus, in totum vel in partem, vel ipsius „ Feudi conditionem ab eo vel ipsius Nuntio „ requisiti non celabimus, immo expresse id, „ quod in Feudum tenemus, ipsius Feudi conditionem manifestabimus. Et si contigerit „ (quod Deus avertat) quod rumor aliquis „ sonuerit in Civitate Ferrariæ vel districtu, „ occasione alicujus rixæ seu discordiæ motæ „ vel etiam movendæ, vel quod aliqua rixa fuerit in Civitate Ferrariæ, vel districtu, „ ad dictum Dominum Marchionem vel ejus „ Nuntium trahemus cum armis & sine armis, „ nulla exspectata requisitione: & ad voluntatem Domini Marchionis vel sui Nuntii ibimus & stabimus cum armis & sine armis; „ nec ad aliquam partem cum armis vel sine „ armis trahemus sine licentia Domini Marchionis vel sui Nuntii. Et si quem sciverimus contra prædicta vel aliquod prædictorum facere, eidem Domino Marchioni vel „ suo Nuntio quamcitius poterimus, manifestabimus. Et si contra prædicta vel aliquod „ prædictorum fecerimus, ex nunc spontanea „ & libera voluntate nos amissioni Feudi subjicimus, & juri, quod in dicto Feudo habemus, ex nunc renuntiamus: ita quod Dominus Marchio auctoritate propria nobis illud auferre possit, & ipsius ingredi possessionem, non exspectatâ Parium Curiæ sententiâ. Et liberam potestatem damus ex „ nunc iis, qui electi erunt ad cognoscendum „ inter Dominum Marchionem & Vassallos, „ confirmandi quod per Dominum Marchionem factum fuerit in auferendo Feuda, & „ ingrediendo possessionem eorum juxta formam prædictorum. *Et ita osculati fuerunt ad invicem Dominus & Vassalli.*

*Et ego Odo Dei gratiâ Sacri Palatii Notarius præsens omnibus iis rogatus subscripsi, & scripsi de mandato dicti Domini Marchionis.*

Nullum in Charta ista vestigium servilis conditionis, ob quam Estensi Marchioni essent obnoxii ambo fratres. Immo quum ipsi fidelitatem jurantes *contra omnem hominem*, excipiant *anteriores Dominos, si quos habent*: consequens est, eos nullâ fœd servitutis obligatione fuisse devinctos. Contra vide, quibus verbis post annos decem concepta fuerit Investitura ab eodem Azone Marchione concessa Petro ejusdem Bonifacii filio, quæ itidem Charta in Estensi Archivo legitur.

## Instrumentum Investituræ Feudorum ab Azone VII. Marchione Estensi & Anconitano factæ Petro filio Dominæ Venexiæ, homini de Masnada, Anno 1262.

IN *nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Anno ejusdem Nativitatis Millesimo Ducentesimo Sexagesimo Secundo, Indictione V. Ferrariæ, die VII. exeunte Novembri, in domo Domini Marchionis Estensis, in Contrata Sancti Pauli, præsentibus testibus vocatis & rogatis, Dominis Aldrevandino de Turchis, Albertino de Fontana, Antonio Contrario, Petro de Mixotis, & aliis. Nobilis vir* Dominus Azo, *Dei & Apostolicâ gratiâ* Estensis & Anconitanus Marchio, *secundùm modum & formam obtentam & observatam in Episcopatu Ferrariæ, ubi Dominus Marchio fecerat congregari* omnes Vassallos & Maxinatas Civitatis Ferrariæ & districtus; *per se suosque filios & heredes investivit* Petrum *Dominæ Venexiæ filium quondam Bonifacii de Padavino*, suum Hominem de Maxinata, *recipientem pro se & Guidoto ejus fratre*, & Homine de Maxinata dicti Domini Marchionis, de suo justo & recto Feudo, & de sua ratione Feudi, *quod ipsi habent & tenent, vel sui antecessores habuerunt & tenuerunt in Feudum, & ratione Feudi ab ipso Domino Marchione, & a Domo Estensi. Eo salvo, quod dicta Investitura in aliquo jure non inferat vel faciat aliquod præjudicium Domino nec Vassallo, sive homini, si quod jus habet, vel intendit habere unus contra alium in dicto Feudo, ita quod jura alterutrius non minuantur, vel accrescant propter dictam Investituram. Et incontinenti dictus* Petrus Homo de Maxinata, sicut Servus Domino, *juravit fidelitatem dicto Domino Marchioni, & de voluntate & consensu ipsius Domini Marchionis*, cujus Homo de Maxinata est, *juravit fidelitatem corporaliter sibi præstito sacramento, ut* Servus Domino; *Domino Obizoni nepoti legitimo & naturali dicti Domini Marchionis, & ei obedire tanquam Domino post mortem ipsius Domini Marchionis, si decesserit sine filiis legitimis masculis, in omnibus & singulis capitulis fidelitatis & servitutis in prædictum casum. Hoc enim intellecto expresse, quod vivente ipso Domino, dictus* Dominus Marchio habeat & habere debeat merum & plenum dominium dicti sui hominis, ita quod ipse possit facere & disponere de dicto suo homine ad suæ beneplacitum voluntatis.

*Ego Petrusbonus de Vitale Notarius dicti Domini Marchionis iis omnibus præsens scripsi & publicavi.*

*Et ego Stephanellus Notarius dicti Domini Marchionis prædictam confessionem scripsi, & dicta Instrumenta bonâ fide exemplavi, omissis signis Notarii, quæ facere non curavi.*

Viden ut hic Petrus *homo de Maxinata* fidelitatem jurat Marchioni, *sicut Servus Domino*? Præterea idem Marchio, quoad vixerit, sibi reservatum vult *merum & plenum dominium dicti sui Hominis, ita quod ipse possit facere & disponere de dicto suo Homine ad suæ beneplacitum voluntatis*. Ille denique universa obedientiæ munera pollicetur, quæ continentur *in omnibus & singulis capitulis fidelitatis & servitutis*. Cuncta hæc hominem Servilis plane conditionis prodere possent, si sola spectarentur sine præcedentibus notitiis. Hisce adde Chartam alteram, quam olim mihi suppeditavit Comes Franciscus Torrellius, vir antiquâ nobilitate spectatissimus. Ibi post decessum suum Testator *Tolbertum, Foliam, Weciam &c. liberos & liberas* statuit. In tergo autem ejusdem membranæ antiquis characteribus scriptum est: *Charta VIII. Mansorum de Cadubrio, suppositis Abbati de Busco, & exemptio Hominum de Masnada*. En ipsam Chartam.

## Testamentum Roberti, cujus frater erat Otto Bellunensis Episcopus, Anno 1176.

IN *nomine Domini. Anno MCLXXVI. Indictione IX. die XI. intrante Decembri. In presentia Domini Pagani Abbati de Busco, Domini Obie Magistri de Mansione Templi, Presbyteri Roberti olim Rapoti, Presbyteri Ansuini, Sinfronii, Ramadini, Urtinchuci eteam presenti. In istorum & aliorum plurimorum presentia Dominus Ropertus, statum anime sue precogitans, ne forte intestatus decederet, dicens se velle hanc esse suam ultimam voluntatem, testamentum pro remedio anime sue fecit. In primis itaque* domum Paganelli Rasfe de Codubrio, cum Viris ac Mulieribus in integrum, cum toto eo, quod habet & tenet, *fratribus suis* Domino Ottoni Bellunensi Episcopo, *Widoni, & Corrado ad perpetuum pro ducentis Libris Veronensibus vendidit, & tradidit & legavit; & insuper nomine testamenti prefatam proprietatem eisdem fratribus suis reliquit, ac eam nomine proprietario possidere confirmavit. Pro quibus ducentis Libris supradictis præfati* Wido *& Coradus obligaverunt octo Mansos pro presenti, nomine pignoris, Domino Roperto & Domino Pagano Abbati Ecclesie Sancti Andree de Busco, recipienti nomine ejusdem Ecclesie, eo modo quo suprafati Wido & Coradus a proximo festo Nativitatis Domini usque ad aliud festum Nativitatis Domini per illud proxime venturum; vel si ad terminum seu ad terminos, quos ipsi eis dederint: & si Dominus Ropertus decesserit ad terminum vel ad terminos, quos Dominus Abbas vel ejus successor eis dederit, & ipsi eidem Abbati vel ejus successori præfatam pecuniam in integrum non persolverint ii Dominus Abbas vel ejus successor, & Dominus Robertus; & si Dominus Ropertus decederit, quod Dominus Abbas habeat potestatem obligandi predictos octo Mansos pignori pro illis ducentis Libris supradictis, donec ipsi in integrum expedierint. Et nominaverunt præfatos Mansos. Quattuor ex istis sunt Domini Widonis, qui jacent in Maglaria, unus quorum regitur per Blasium, alter per Johannem. Mansum tertium per Ticianum, & quartum ille, qui fuit Johannis Maronis. Reliqui verò quattuor sunt Domini Conradi; duo quorum jacent in delegato teritorio in Collepetroso, quorum alter est Mansum Arpelini de Maglaria. Hoc & inter*

eos

*eos statutum fuit, videlicet, quod Dominus Roperti, donec vixerit in gaudimento suo in dicto Domini Ottonis Bellunensis Episcopi, & Domini Abbatis de Busco, debet habere de bonis prefate Domus Paganelli Rasfe de Cadubrio: & ex istis ducentis Libris superius dictis medietatem Dominus Ropertus, centum Libras Veronenses Ecclesie Sancti Andree de Busco: & quinquaginta Libras Veronensium reliquit ipse Domino Pagano Abbati de Busco vel ejus successori, ut idem Abbas expendat ad sepulturam suam pro Missis celebrandis; & in obsequiis, & tercesimis, ac aliis expensis hoc medio anime sue faciendis. Decem Libras in operibus Ecclesie Sancti Ticiani de Ceneta reliquit. Decem Libras venerabili Hospitali de Plavi reliquit. Decem Libras Mansioni de Templo reliquit. Decem Libras Hospitali Sancti Johannis de Hierusalem reliquit. Tres Libras Ecclesie Sancti Johannis de Opitergio reliquit. Septem Libras Ecclesie Sancti Jacobi de la Frata reliquit.* Tolbertum quoque & Foliam, Weciam de Mirabellam, Morandam, atque Rossaram, liberos & liberas, & ab omni Servitutis vinculo *post decessum suum pro remedio anime sue esse* statuit. *Preterea jam dicta pecunia, si Dominus Ropertus decesserit, federa, quod supra dictum est, Domino Abbati de Busco vel ejus successori debet esse soluta, & idem Dominus Abbas eandem pecuniam tribuere illis religiosis locis, quibus Dominus Ropertus eam dimisit.*

*Actum apud Maglariam in domo ejusdem Domini Roperti.*

*Ego Arpolinus sacri Palacii Notarius interfui & rogatus scripsi.*

*In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno Domini MCXCI. Indictione IX. Ego Maderniamus sacri Palacii Notarius hoc ex autenticis Instrumentum, nihil adens vel minuens, quod scripturam nec sensum mutet preter litteras vel pretii, bene ac fideliter exemplavi &c.*

Fateri cogimur, in hosce aliosque id genus Servos plane disparata, & pæne inter se pugnantia coaluisse. Servilis nota abjectum, ac ignobilem, & à militia exclusum hominem olim constituebat; ejusque personam, æque ac bona, Dominorum juri ac voluntati subdebat. At homines *de Masnada* Sæculo XIII. inter *Vassall*[os] recensebantur; *Feudis* ad usum Regni fruebantur: in præstando *Fidelitatis* juramento iisdem ferme utebantur formulis, quibus nobiliores Vassi: liber eis erat armorum usus, & pro Dominis etiam necessarius. Quantis verò opibus, fundis, juribus, ac illustribus titulis ornati forent, supra intelleximus, ita ut eorum nonnulli inter Nobiles ac potentes sine ulla dubitatione recenserentur. Proinde ab antiquis moribus mirum quantùm recentiora Sæcula absfuerint. Non aliâ de causâ tantam rerum diversitatem invectam fuisse reor, nisi quod immutata nimis in Italia publici regiminis forma fuerit post Annum à Nativitate Christi Millesimum. Antea Urbes uni Comiti paruere, Comites Ducibus, Duces Regibus, ac universa Respublica sub variis Magistratibus ab uno Rege pendebat. Quum verò sensim innumeri, ut ita dicam, Reguli in sinu ejusdem Italiæ insurrexerint, nempe Episcopi, Abbates, Clericorum Collegia, ipsarumque sacrarum Virginum cœtus; tum nobiles Laici, hoc est Marchiones, Comites, Castellani, Capitanei, Vassi, Valvassores, quorum singuli ditionem temporalem sive dominationem à Regibus & Augustis aut impetrarunt, aut extorserunt: simul etiam cupido, & quædam necessitas cunctis hisce potentibus oborta est conquirendi sibi Familiam armatam, eamque adhibendi tum ad tutelam propriam, atque ad propulsandas injurias, tum etiam ad inferendum finitimis bellum, quotiescumque politicæ rationes occurrerent. Jam sub Langobardis pro more Germanicæ gentis privatas inimicitias sustinere indecorum non modò non fuit, sed pæne necessarium. *Faidæ* appellabantur, de quibus non infrequens mentio occurrit in Legibus Langobardicis. Et quamquam Ludovicus Pius, & ejus filius Lotharius privata ejusmodi bella non semel jusserint coërcenda & pacificanda, uti ex eorum Legibus Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. constat: attamen plus roboris Consuetudo, quàm Leges, rudibus iis Sæculis obtinuit. Sed longe latior aditus apertus est privatis hisce concertationibus post scissum, ut diximus, in tot potentes, atque in singulas Urbes, Italicæ Reipublicæ regimen. Præter hæc ob succrescentes ubique prædones, & usurpatores alieni juris crevit Primoribus tum Ecclesiasticis, tum Laicis, præsidii sibi comparandi necessitas. Jam non ipsi tantùm Principes, scilicet Duces, Marchiones, & Comites, sed quilibet Vassallus, aut Nobilis vir, Castello cuipiam, nedum multis præpositus, bellum cum finitimis, cum invasoribus, cum violentis facile gerebat, aut sustinere cogebatur. De hujusmodi privatis bellis etiam apud Nobiles Francos, præcipue Sæculo XIII. familiaribus, prostat erudita Dissertatio Clarissimi Du-Cangii in Appendice ad Histor. Ludovici Sancti Regis Franc. Dissertat. 29. Ipsi denique Abbates & Episcopi pro suis rebus & Castellis tuendis arma sæpe arripiebant, ut in Chronico Casinensi, Vulturnensi, Farfensi, & apud Ughellium, ac in aliis eorum temporum monumentis passim visitur: quem etiam morem improbat Sanctus Petrus Damiani Sæculi XI. Scriptor Lib. 4. Epistolâ 9. Ut ergo sibi vires ac præsidium Magnates eâ tempestate augerent, quoties aut indicendum, aut sustinendum foret bellum, consuevit quisque tam Laicus, quàm Ecclesiasticus, Vassallos sibi adsciscere, prædiis nempe, aut Castellis cuilibet eorum collatis: quorum munus erat armis tueri suum, ut ajebant, *Seniorem*, eumque ad Curiam supremi Principis comitari, illique in Placitis, aliisque publicis functionibus adstare honoris causâ. Verùm ne hoc quidem subsidio satis consultum credidere rebus suis. Erant enim Vassalli non pauci, qui fidelitatem quidem spondebant, sed non *contra omnes homines*, excipiendo videlicet *anteriores Dominos*, ut supra etiam vidimus: prætereaque dimisso Feudo, aut in aliam personam translato, eorum è vestigio Vassallagium, simulque servitium promissum evanescebant.

Itaque tutius adhuc consilium excogitarunt, *Servorum* nempe genus quoddam adhibere in suum præsidium, eisque armorum usum deferre: & relaxato antiquo rigore, Servorum conditionem sensim evexere ad aliquam Militiæ speciem ac dignitatem. Atque ut fideliores, magisque ad vota obsequentes haberent, eisque insuper fugæ olim usitatæ meditamenta eriperent, non solùm Manso alicui, sive prædio per eos aut eorum nomine per alios excolendo, præfecere, sed etiam, ut mea quidem fert opinio, aliis privilegiis atque indulgentiis donavere. Præsertim verò (id quod magnum hercle fuit) ad Feuda recipienda admissi ejusmodi

modi Servi, quæ aut auro effuso, aut ob merita à suo Domino consequebantur, inter Vassallos ac Nobiles locum paulatim sibi conquisierunt. Quare factum est, ut ejusmodi homines arctius in suum servitium sibi devincirent Domini, quum subjectos deditosque sibi illos efficerent non tam ratione Feudorum, aliorumque bonorum, quàm etiam personæ; non enim eorum cuiquam ex Dominorum servitio sese eximere invitis ipsis Dominis licebat. Immo neque Servis istis fas erat ab aliis Feuda accipere, absque vania prioris Domini. In Decreto Populi Ferrariensis, eligentis Anno MCCLXIV. in suum Dominum, Obizonem Marchionem Estensem, unusquisque Civis ita pollicetur: *Et nullum hominem de Macinata Domini Marchionis recipiam in Vassallum; nec Filium vel Nepotem Vassalli ipsius Domini Marchionis recipiam in Vassallum, nisi de voluntate & licentiâ expressâ ipsius Domini Marchionis: de qua licentia debeat fieri publicum Instrumentum manu boni & legalis Notarii. Nec recipiam aliquem in Vassallum, nec filium vel nepotem alterius, qui sit subditus & fidelis Domini Marchionis, sine licentiâ & voluntate ipsius Domini Marchionis, & ejus, cujus Vassallus erit, scriptâ publico Instrumento.* Quæ verba nullum nobis offerunt discrimen inter *Homines de Masnata*, & *Vassallos*, quamquam revera inter eos discrimen fuerit. In eisdem quoque Statutis Lib. 2. Rubric. 107. *De Liberis hominibus accipientibus feminas de Masenata in uxores*, hæc animadversione digna sunt. *Quod nulli Libero homini prosit habere, vel in futurum accipere feminam de Masenata, quin teneatur ad præstationem collectæ, & portet alia onera Villæ suæ. Et de eo, quod habet femina de Macenata pro dote, vel alio modo non solvat collectam.* Ergo Liberi homines conditionis diversæ ab hominibus de Masnata dicendi sunt. Ut habetur in vetustissimo Regesto MSto Communitatis Mutinæ, Anno MCXCVII. Nobiles aliquot Frinianenses fidem suam obligant Mutinensi Reipublicæ, ac inter cetera ajunt: *Et hoc de Boatia* (idest tributo persolvendo) *observabo, nisi fuero Castellanus, vel Rochexanus, vel Miles, aut Homo de Macinata.* Ii quippe ab ejusmodi onere immunes erant, quod in numero *Servorum* computarentur. Anno quoque MCLXXIII. *in præsentia Domni Henrici Mutinæ Episcopi, Indictione VI. Regnante invictissimo Imperatore Frederico, XI. Kalendas Augusti, die Dominico, hoc sacramentum fecerunt Gerardus de Montecuculo, Albertus frater Domini Episcopi &c.* Præter alia & isti ajunt: *Et dare Boatiam Mutinæ VII. Denarios Lucenses omni Anno pro unoquoque pari boum: exceptis Castellanis, qui cotidie habitant in Castris sine fraude, & Servis & Castal lionibus &c.* Quum verò hoc hominum genus quodam Servitutis vinculo teneretur, propterea ad Libertatem consequendam Manumissione seu Emancipatione indigebat. In Additamentis ad Chronicon Cortusiorum Lib. 9. Cap. 5. Tomo XII. Rer. Italicar. hæc de Civitate Tarvisina dicuntur: *Quæ post excidium illorum de Romano omnes illorum Masnatas & Servos liberè emancipavit, & libertati, & ingenuitati condonavit.* Idem beneficium Anno MCCCXLVI. conlatum fuit à Jacobo Carrariensi *Servis illorum de Lucio confiscatis*, postquam eorum domini sententiâ securi fuere percussi. Fuerunt autem ejusmodi *homines de Masnada* olim non paucis Italiæ Principibus atque Magnatibus, sacris æque ac profanis. Memorat Cardinalis Baronius ad Annum MCLXXXVIII. in Diplomate Senatus Romani *res eis ablatas per Masnadam Romani Pontificis & Forisfactores* (nunc *Malandrini*). Supra vidimus, celeberrimam Comitissam Mathildam habuisse *homines de Masnada* in Castro Scannello, spectantes ad Collegium Canonicorum Primatialis Pisanæ. Apud Rolandinum in Chronico Lib. primo Cap. 2. Cæcilia Eccelini Monachi uxor per *Paduanum districtum magnas Masnadas, Vassallos multos, & amplas possessiones habebat.* Ita Marchiones Estenses, Episcopi Ferrarienses, Monasterium Pomposianum, aliique mero & mixto imperio in suis Castellis fruentes, ejusmodi hominibus uti consuevere: quorum etiam Clarissimus Fontaninius frequentem esse mentionem testatur in Chartis Forojuliensibus. Quoties ergo tumultus, ac rumores insonabant, & in hostes, prædones, sicarios invadendum erat, extemplo potentes viri excitabant hasce familias *Masnatas*, hoc est catervas *Servorum*, ut ita dicam, exercitalium, sive militarium, seque & sua per eos tueri, alienaque vastare consueverunt. Et quia tumultuarii isti milites sæpe ac sæpius sine ullo ordine, neque structis aciebus, sed per incursiones, ac more potius latrunculorum in arma, prædam, ac incendia ruebant: hinc nata subinde Italica vox *Masnadieri*. Tamdem verò cohortes ejusmodi hominum *Masnadæ* appellari cœptæ sunt, quæ vox æquiore sensu accepta, & à Johanne Villanio, aliisque Scriptoribus usurpata, militarem turmam significasse deprehenditur. Equitatum *la Cavalleria* appellarunt; Peditatum *la Masnada*. Supra etiam in Charta Anni MCXXXV. à me productâ, Malavolta recipiens à Canonicis Pisanis *homines de Masnada* in *Castello Scannello*, ita eos accipit, *ut non habeat eos vendere &c., neque dirigere ad damnitatem prædictæ Ecclesiæ sive Canonicæ*. In Bulla quoque Gregorii IX. Papæ Anno MCCXXXI. apud Ughellium in Episcopis Anagninis Tom. I. legitur: *Si contigerit eos exercitum vel Masnadam facere ultra Urbem*: ubi vides distingui *facere exercitum*, & *facere Masnadam*. Neque reticendum, diutius, quàm creditur, perdurasse usum Servorum de Masnada. Nam Ferrariæ habetur Charta scripta Anno MCCCLXVIII. Indictione VI. in qua Benedictus Abbas Sancti Severi Ravennatis investituram concedit quarumdam terrarum, pacto adjecto, *ne emphyteutæ ducere in matrimonium debeant aliquem, aut aliquam de Macinata.* Immo est eorum memoria ipso Sæculo XV. Nam Benevenutus Aliprandus in Chronico Mantuano, rudi minervâ composito, à me infra edendo, hæc habet:

> *Ancor di fuori tutti i Contadini*
> *Stavano lieti co' i lor Masinati,*
> *Copiosi e pieni più che li vicini.*

Postremo tamdem loco adjicere juvat Chartam, quam mihi pro sua erga me benivolentia descripsit ex Archivo Capituli Canonicorum Ferrariensium Joseph Antenor Scalabrinius, in eadem Urbe Rector Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Bucca, antiquitatum suæ patriæ studiosissimus investigator. Nempe examen testium Ferrariæ factum circiter Annum MCCLII. in quo multa habentur de hominibus *de Macinata*, & quidem consona iis, quæ hactenus disserui. Erit curiosi Lectoris, singula per se colligere; neque sane legisse pigebit, si illorum temporum mores perspectos habere cupit.

Exa-

# Examen Testium Ferrariæ habitum pro Capitulo Canonicorum Ferrariensium, contendentium quosdam homines fuisse de *Macinata* sua, circiter Annum 1252.

*Intendit probare Dominus Presbyter Amideus Sindicus Canonicæ Ferrariensis, quod Bonusmercatus . . . . . . . . . frater quondam Gontarini, fuit homo de Macinata dictæ Canonicæ Ferrariensis . . . . . . consuetudo Civitatis Ferrariæ, & Districtus approbata & obtenta servat, & servatum est, quod nati ex patribus de Macinata sint de Macinata illorum, de quorum Macinata erant patres eorum. Item quod Theophania mater Bonimercati prædicti fuit de Macinata dictæ Canonicæ. Item quod dicti Bonmercatus & Theophania habebant se, sicut de Macinata dictæ Canonicæ, & quod Theophania & filii ejus Guntarinus & Bonmercatus sicut servi faciebant servicia Canonicis Ferrariæ, & faciebant servicia dictæ Canonicæ, & homines de Macinata serviebant Canonicis Ferrariensis Ecclesiæ. Item quod de his omnibus est publica fama.*

*Micheletus Notarius, testis juratus, dicit suo sacramento, quod Domina Theophania, mater Bonmercati fratris Guntarini de Quartesana, fuit de Macinata Canonicorum Ferrariæ. Sed quomodo fuisset de Macinata, dicit quod nescit. Dicit tamen, quod dicta Theophania, & dicti ejus filii gerebant se tamquam de Macinata Canonicæ, & per hoc erant liberati ab oneribus & angariis illius Villæ. Et publica fama est, & erat quod Theophania prædicta erat de Macinata dictæ Canonicæ. Interrogatus, si vidit dictam Theophaniam, dicit, quod sic. Interrogatus, cujusmodi staturæ erat; respondit, quod magnæ staturæ, & tumida visu. Interrogatus quomodo scit, quod prædicta Theophania, & ejus filii gerebant se sicut de Macinata, scilicet Guntarinus, Bonmercatus, & Balduinus, dicit, quod audivit ab eis dici, & a Johanne Dalgiso, & Ridolfino, & aliis antiquis de Terra Quartexanæ, quod ipsi erant de Macinata dictæ Canonicæ; & sic erat publica fama. Interrogatus, quomodo prædicti gerebant se de Macinata Canonicæ, dicit, quod Guntarinus pater dictorum gerebat negotia jam dictæ Canonicæ in Castaldione, & aliis negotiis. Interrogatus, quid est gerere de Macinata; Respondit, quod faciebant negotia Canonicæ, tamquam sua propria. Item interrogatus, unde fuit dicta Theophania, dicit, quod audivit dici, quod ipsa fuit de Quartexana. Interrogatus item, quomodo scit, quod liberi erant ab angariis dictæ Villæ, dicit, quod homines, qui colligebant collectas, dicebant, quod prædicti erant de Macinata dictæ Canonicæ, & ideo non accipiebant eis angariæ, neque collectæ. Interrogatus, quid est publica fama, dicit, illud, quod homines dicunt. Liber est, & non doctus, non sperat habere lucrum, nec damnum; & super suam animam juravit.*

*Die eodem: Rodulfinus de Quartesana testis juratus dicit suo sacramento, quod Guntarinus & Bonmercatus semper se liberaverunt ab angariis & oneribus Villæ Quartesanæ, pro eo quia appellabantur Famuli Canonicæ Ferrariensis. Interrogatus, quomodo scit, quod erant Famuli Canonicæ, respondit, quod audiverat dici ab antiquioribus se teste, quod erant Famuli Canonicæ Ferrariensis. Interrogatus, quomodo scit, quod prædicti fratres liberabantur ab oneribus & angariis dictæ Villæ, respondit, quod audivit dici à Collectoribus dictæ Villæ, quod non exigebant aliquid ab eis, pro eo quod erant Homines Canonicæ. Item dicit, quod filii nati ex Hominibus de Macinata ex consuetudine sunt de Macinata illorum, de quorum Macinata erant patres eorum. Interrogatus, quomodo scit; respondit, quod vidit in Terra Quartexanæ. Interrogatus, à quanto tempore vidit dictam consuetudinem servari in dicta Terra, respondit, à sexaginta annis citra. Interrogatus, à quibus vidit servari dictam consuetudinem, dicit, à Dominis dictæ Canonicæ. Interrogatus, quid est dicere consuetudo, respondit, illud est consuetudo, quod homines fecerunt, & faciunt. Item dicit, quod Theophania fuit de Macinata Canonicæ Ferrariensis, & appellabatur. Interrogatus, quomodo scit, quod erat de Macinata, respondit, quod Canonici appellabant ipsam de Macinata. Interrogatus, si cognovit Theophaniam, respondit, sic. Interrogatus, cujusmodi staturæ erat, respondit, magnæ. Interrogatus, quantum tempus est, quod mortua est, respondit, plusquam quatuordecim annis. Interrogatus, quanti temporis erat Theophania, respondit, quod nescit nativitatem ejus. Item dicit, quod gerebant se sicut de Macinata Canonicæ Ferrariensis dicti Bonmercatus & Theophania . . . . . respondit, quod vidit facere servitia & negotia Canonicæ secundum voluntatem Canonicorum, sicut Homines de Macinata. Item dicit, quod dicta Theophania habuit originem, sive orta fuit in Quartexana. Item dicit, quod publica fama est, quod dicta Theophania erat de Macinata Canonicæ, & quod gerebat se tamquam de Macinata Canonicæ, & quod consuetudo prædicta observata est, sicut audivit dici . . . . . non sperat habere lucrum nec damnum, & super suam animam juravit.*

*Die XIII. intrante Decembri; Cascalora testis juratus dicit suo sacramento, quod audivit dici, & erat fama per Quartexanam, quod Bonmercatus & Guntarinus erant Homines de Macinata Canonicæ Ferrariensis, & aliter nescit, quod fuerint Homines de Macinata Canonicæ. De consuetudine dicit se nihil scire. Item dicit quod scit, quod Theophania mater prædictorum fratrum erat de Macinata Canonicæ. Sed audivit dici, & fama erat per Terram Quartexanæ, quod ipsa erat de Macinata Canonicæ. Interrogatus, quid est dicere fama, respondit, quod credit, quod sit fama illud, quod homines dicunt & credunt. Liber est & non doctus &c.*

*Die eodem: Paulellus testis juratus dicit suo sacramento, quod Bonmercatus & Guntarinus filii Theophaniæ reclamabant se pro Hominibus de Macinata Canonicæ pro defensione sui à negotiis Terræ Quartexanæ, & se defendebant tamquam homines de Macinata dictæ Canonicæ. Et audivit dici, quod ipsi erant de Macinata Canonicæ. Interrogatus, quomodo scit, respondit, quod stabat cum eis in familia aliquando eo tempore, quando defendebant se à negotiis Terræ,*

*ræ , & ante & post defendebant se pro hominibus de Macinata Canonicæ , Interrogatus , quomodo scit , quod defendebant se tamquam homines de Macinata , respondit , quod stabat cum eis in familia , & erat consors possessionum , exceptis possessionibus matris ipsorum Bonmercati & Guntarini , & audiebat ab eis :* alii homines de Masinatis se defendunt ab oneribus : & nos volumus nos defendere ab oneribus Quartexanæ , quia sumus de Macinata Canonicæ Ferrariæ . *Et ipse testis , & tutor ejus pro eo solvebant collectas in dicta Villa , & dicti fratres non solvebant , sed se defendebant . Interrogatus , quantum tempus est , quod vidit , & audivit prædicta , respondit , quod sunt XXX. anni & plus . Interrogatus , cujus staturæ erat dictus Bonmercatus , respondit , quod erat grossus & fortis . Item interrogatus , quot annos habet ipse testis , respondet , quod triginta quatuor annos & plus . De consuetudine dicit , quod nescit : sed audivit dici , quod nati ex patribus de Macinata , sunt de Macinata illorum , de quorum Macinata erant patres . Item dicit , quod audivit dici , quod Theophania mater Bonmercati erat de Macinata Canonicæ Ferrariæ . Interrogatus , à quibus audivit , quod erat de Macinata Canonicæ dicta Theophania , respondit , quod generaliter ab omnibus hominibus Quartexanæ , & publica fama erat . Interrogatus , si cognovit dictam Theophaniam , respondit , quod sic . Interrogatus cujus staturæ erat , respondit , quod erat bono modo magna . Interrogatus , quantum tempus est , quod mortua est dicta Theophania , respondit , quod nescit . Item dicit , quod filii Theophaniæ , scilicet Bonmercatus , Guntarinus , & Balduinus , gerebant se sicut homines de Macinata Canonicæ . Interrogatus , quomodo scit , quod gerebant se tamquam de Macinata dictæ Canonicæ , respondit , quod videbat , & audiebat . Interrogatus , quid est gerere de Macinata , respondit , quod deportabant se & defendebant , sicut homines de Macinata dictæ Canonicæ . Interrogatus , à quo , vel à quibus negotiis defendebant se : respondit , ab angariis , & collectis , & factionibus dictæ Terræ , sicut se defendebant alii Homines de Macinatis . Interrogatus , unde fuit dicta Theophania , respondit , quod nescit nisi de Quartexana . Item dicit , quod de his omnibus , quæ dixit est publica fama . Interrogatus , quid est dicere publica fama , respondit , illud , quod homines dicunt . Interrogatus , si vidit dictos fratres , dicit , quod sic . Interrogatus , quantum tempus est , quod mortui sunt , respondit , quod non recordatur ; & omnia prædicta vidit , & audivit jam sunt XXX. anni & plus . Liber est , & non doctus : non sperat habere lucrum nec damnum &c.*

*Die eodem : Oscelletus de Quartexana testis juratus dicit suo sacramento , quod vidit Theophaniam matrem Bonmercati , & publica fama erat , quod ipsa & dicti ejus filii erant de Macinata Canonicæ Ferrariæ . Et Canonici scansabant eos ab angariis & collectis dictæ Villæ Quartexanæ , sicut suos homines . Interrogatus , quomodo scit , quod erant de Macinata Canonicæ , respondit , quia publica fama erat , quod erant de Macinata . Interrogatus , si vidit , & cognovit dictam Theophaniam , respondit quod sic cognovit illam Theophaniam matrem Bonmercati . Interrogatus , cujus staturæ erat dicta Theophania , respondit bella & grossa , sed nescit cujus temporis erat dicta Theophania . Interrogatus , quantum tempus est , quod mortua est , respondit , quod nescit , sed dicit , quod sunt plus quam XII. anni . Item dicit , quod ipsa deportabat se , sicut homines de Macinata dictæ Canonicæ , & de hoc erat fama . Interrogatus , si vidit dictum Bonmercatum , & eum cognovit , respondit , sic , quod centum vicibus comedit cum eo . Interrogatus , quomodo scit , quod prædicta Theophania & ejus filius deportabant , & gerebant se , sicut homines de Macinata , respondit , quod audivit dici à Bonmercato & Guntarino fratribus , quod ipsi veniebant ad Canonicos Ferrariæ , ut eos defenderent ab oneribus dictæ Terræ , & ipsi eos defendebant , & de hoc est publica fama . Interrogatus unde fuit dicta Theophania , respondit , quod nescit , sed dicit , quod ipsa fuit ante in dicta Terra quàm ipse . Interrogatus , quomodo scit , quod de omnibus prædictis sit publica fama , respondit , quod nescit aliter , quid sit dicere publica fama , nisi quod homines dictæ Terræ publice dicebant , quod ipsi erant de Macinata dictæ Canonicæ . De consuetudine dicit , se nihil scire . Interrogatus , cujus staturæ erat Bonmercatus , dicit , quod erat major se teste . Liber est , & non doctus : non sperat habere lucrum nec damnum , & super suam animam juravit .*

*Die XIV. intrante Decembri : Bonfinus de eadem Terra , testis juratus dicit suo sacramento , quod scit ex auditu , quod pater Thomasinæ frater Guntarini fuit homo de Macinata Canonicæ Ferrariæ , quia homines de Quartexana dicebant . Interrogatus à quo tempore audivit hæc dici , respondit , jam sunt XX. anni . Interrogatus , quot annos habet ipse testis , respondit , quod nescit . Interrogatus , si cognovit Bonmercatum , respondit , quod sic , & dicit , quod erat bellus & magnus & grossus . De consuetudine dicit se nihil scire . Item dicit , quod audivit dici , Theophaniam matrem Bonmercati fuisse de Macinata Canonicæ Ferrariæ . Interrogatus , à quibus , dicit , ab omnibus dictæ Terræ . Interrogatus , si vidit & cognovit dictam Theophaniam , dicit , quod sic , & dicit , quod erat bonæ & magnæ personæ . Item dicit , quod vidit Bonmercatum & Guntarinum fratres Castaldos Canonicæ Ferrariæ , & sicut homines de Macinata servire Canonicis , ut audivit dici . De fama dicit , se nihil scire , quia nescit , quid sit dicere fama . Liber est , & non doctus : non sperat habere lucrum , & super suam animam juravit , & non super alienam .*

*Die eodem : Tedaldus de eadem Terra , testis juratus dicit suo sacramento , quod bene recordatur à XXV. annis citra , & dicit , quod vidit Bonmercatum & Guntarinum fratres servire Canonicæ Ferrariæ & Canonicis , & facere servitia Canonicæ & Canonicorum , sicut homines in Macinata Canonicæ & Canonicorum Ferrariæ . Interrogatus , quomodo scit , respondit , quod vidit ipsos fratres stare super possessiones dictæ Canonicæ , & servire Canonicis , sicut Servi dictæ Canonicæ . Interrogatus , quæ servilia servitia faciebant Canonicis & Canonicæ Ferrariæ , respondit , quod Canonici veniebant & hospitabantur in domo dictorum fratrum , & ipsi fratres sicut Servi erant ipsis sicut suis Dominis , & faciebant negotia eorum , & Canonicæ prædictæ . Interrogatus , quid sunt servilia servitia , respondit , facere servitia secundùm voluntatem & mandatum Dominorum . Item dicit , quod filii illorum , de quorum Macinata erant patres eorum , de consuetudine obtenta servatur & servatum est in Ferraria , quod ipsi sunt de Macinata eorumdem Dominorum , de quorum*

rum

*rum erant patres. Interrogatus, quomodo scit, respondit, quod vidit à suo recordatu, quod, quando moriuntur homines, qui sunt de Macinata alicujus, filii, qui remanent, sunt de Macinata ejusdem Domini, de cujus erant patres. Interrogatus, à quibus approbatum fuit hoc, respondit, quod nescit. Item dicit, quod Theophania mater Bonmercati fuit de Macinata Canonicæ Ferrariæ. Interrogatus, quomodo scit, respondit, quod publica fama erat per Terram Quartexanæ, quod ipsa erat de Macinata Canonicæ, & stabat super possessionem Canonicæ; & dicit, quod vidit Bonmercatum, Guntarinum, & Theophaniam: & dicit, quod sunt XX. anni & plus, quod mortua est dicta Theophania; & dicit, quod ipse testis habet XL. annos. Item dicit, quod dictus Bonmercatus & Guntarinus gerebant se sicut homines de Macinata Canonicæ. Interrogatus, quid est gerere, dicit, quod est ad dicendum gerere. Et de his omnibus dicit, quod est publica fama. Interrogatus, quid est dicere publica fama, respondit, quod est illud, quando est publica fama de aliqua re per gentes. Interrogatus, si liber est, dicit, non; quia est de Macinata dictæ Canonicæ. Item dicit, quod erat ipse testis consanguineus dictorum Bonmercati & Guntarini. Non sperat habere lucrum nec damnum; & aliud nescit.*

*Die XV. intrante Decembri: Johannes de Guntarino, testis juratus dicit suo sacramento, quod audivit dici, quod Theophania mater Bonmercati & Guntarini erat, & se ipsam appellabat de Macinata Canonicæ Ferrariæ, ab hominibus Terræ Quartexanæ. Interrogatus, quantum tempus est, quod audivit prædicta à dictis hominibus, dicit, quod sunt XXX. anni. De consuetudine dicit se nihil scire. Item dicit, quod audivit dici ab hominibus dictæ Terræ, quod Bonmercatus appellabat se de Macinata dictæ Canonicæ. Item dicit, quod vidit & cognovit Bonmercatum & Guntarinum. Interrogatus cujusmodi staturæ erat, respondit, bellæ & magnæ staturæ. Item dicit, quod Bonmercatus & Guntarinus gerebant se tamquam de Macinata dictæ Canonicæ, & se appellabant de Macinata, & hoc audivit ab hominibus dictæ Terræ. Interrogatus, quid est gerere, respondit, quod nescit, nisi sicut prædixit. Item dicit, quod serviebant eisdem Canonicis, sed nescit, si tamquam homines de Macinata. Item dicit, quod audivit dici, quod ipsi defendebant se, sicut homines de Macinata, à collectis & oneribus dictæ Villæ. Interrogatus quantum tempus est, respondit, quod hæc audivit, jam sunt XXV. anni & plus. Item dicit, quod plubica fama est, quod Bonmercatus & Guntarinus prædicti erant homines dictæ Canonicæ, & serviebant Canonicis, sicut homines dictæ Canonicæ. Interrogatus quomodo scit, quid sit plubica fama respondit, quod nescit aliter, quid sit fama. Interrogatus, si est liber, respondit, quod est homo dictæ Canonicæ. Non sperat habere lucrum nec damnum, & aliud nescit.*

*Die XV. exeunte Decembri: Johannes Dalgiso testis juratus dicit suo sacramento, quod recordatur per LX. annos & plus, & dicit, quod pater Guntarini de Quartexana accepit in uxorem Theophaniam matrem Bonmercati patris Thomasinæ, sicut fœminam de Macinata Canonicæ Ferrariæ, & duxit eam in domo patris ipsius testis, & Nungrati mariti dictæ Theophaniæ, & publica fama erat, quod ipsa Theophania erat de Macinata Canonicæ prædictæ. Et hoc dicebant antiquiores de Terra. Interrogatus, quomodo scit, quod ipse accepit eam tamquam fœminam de Macinata, respondit, ex confessione dicti Nungrati, & dictæ Theophaniæ. Et dicit, quod pater dicti Nungrati, & pater sui testis fuerunt fratres. Interrogatus si cognovit dictam Theophaniam, respondit, quod sic, & dicit, quod erat magnæ staturæ. Interrogatus, quid est publica fama, respondit,* cosa ch'è de veritate. *Et dicit se nihil aliud scire. De consuetudine dicit se nihil scire. Item dicit, quod Bonmercatus & Theophania portabant se tamquam de Macinata dictæ Canonicæ. Interrogatus, quomodo scit, quod se deportabant, sicut homines de Macinata Canonicæ, respondit, quod reclamabant se pro dicta Canonica. Interrogatus, quid est deportare se sicut de Macinata, respondit, quod nescit aliud, quod sit deportare, nisi deportare se sicut homines de Macinata Canonicæ. Item dicit, quod Theophania & Bonmercatus, & Guntarinus faciebant aliquando sua propria servitia, & aliquando servitia Canonicorum, sicut ipsemet testis viderat. Liber est, & non doctus, & super suam animam juravit.*

*Die eodem: Vinturola de Zoabonis de Quartexana testis juratus dicit suo sacramento, quod à suo recordatu* in zà, *Bonmercatus & Guntarinus fratres, & Theophania eorum mater fuerunt de Macinata Canonicæ Ferrariæ. Interrogatus si interfuit ubi ipsi se fecissent de Macinata, dicit, quod non interfuit, quia dicta Theophania & Gorbinus ejus frater fuerunt de Macinata dictæ Canonicæ, antequam ipse nasceretur, sicut erat publica fama. Item dicit, quod si ipse testis esset de Macinata, sicut credit, filii ejus erant de Macinata illius, cujus ipse testis esset de Macinata, sicut credit. Item dicit, quod dicta Theophania & Bonmercatus gerebant se sicut de Macinata dictæ Canonicæ. Interrogatus, quomodo scit; respondit, quod plubicum erat per totam Terram, & omnes Homines de Terra, & fæminæ de dicta Terra sciebant & dicebant. Interrogatus, quid est gerere se sicut de Macinata, respondit, cavere se à factionibus, sicuti faciebant homines Salinguerræ, & specialiter Mercatellus Corvator. Et dicit, quod Theophania & filii ejus Guntarinus & Bonmercatus serviebant sicut homines de Macinata, & famuli dictæ Canonicæ & Canonicis. Interrogatus, quomodo scit, respondit, quod audiebat dici ab hominibus Terræ prædictæ. Item dixit, quod de omnibus, quæ prædixit, est plubica fama. Liber est & non doctus.*

*Die XII. exeunte Decembri: Dominus Nicolaus de Piscatoribus testis juratus dicit suo sacramento, quod Theophania appellabat se de Macinata Canonicæ Ferrariensis, & dicit, quod filius ejus Bonmercatus, secundum quod credit, erat de Macinata dictæ Canonicæ, sed dicit, quod pater dicti Bonmercati erat liber, & dicit, quod Theophania defendebat se à collectis tamquam de Macinata pro dicta Canonica. Sed filii se defendebant pro Macinata Canonicæ, dicit, quod nescit. Interrogatus, quomodo scit, quod dicta Theophania appellabat se de Macinata Canonicæ, respondit, quod audivit ab ea Theophania, & gens dicebat. Sed non interfuit, ubi se fecisset de Macinata. Interrogatus, quomodo scit, quod dicta Theophania defendebat se tamquam de Macinata pro dicta Canonica, respondit, secundum quod audiebat dici ab hominibus dictæ Terræ. Et dicit, quod cognoscebat Theophaniam & Bonmercatum. Interrogatus, cujus staturæ erat dicta Theophania, respondit, quod*

erat magnæ personæ, & tumida visu pro majore parte anni, & Bonmercatus erat bonæ staturæ & grossæ. De consuetudine dicit se nihil scire. Interrogatus, quantum tempus est, quod Theophania appellabat se de Macinata, respondit, quod sunt XL. anni & plus, sed quantum tempus est, quod obiit, nescit. Item dicit, quod Guntarinus & Bonmercatus serviebant Canonicæ & Canonicis Ferrariæ. Et publica fama erat, quod erant de Macinata dictæ Canonicæ. Interrogatus, quæ servitia faciebant Canonicæ, respondit, quod erant Castaldi eorum, & faciebant servitia Canonicæ per Villam, colligendo blavas eorum, & alia servitia faciendo, sicut ipse testis vidit; quod gerebant se sicut de Macinata, dicit, quod nescit; & dicit, quod Theophania fuit de natione Terræ Quartexanæ: & dicit, quod fama publica est illud, quod homines dicunt. Interrogatus ubi erat fama de prædictis, dicit, quod in Quartexana. Liber est, & non doctus, & super suam animam juravit.

Die eodem: Bereta de Quartexana testis juratus dicit suo sacramento, quod Bonmercatus pater Thomasinæ fuit homo de Macinata Canonicæ Ferrariæ, sicut publica fama erat, & est per homines Quartexanæ. Et dicit, quod homines dicunt, quod consuetudo est servata & servatur, quod nati ex patribus de Macinata sunt de Macinata illorum, de quorum Macinata erant patres. Et dicit, quod hoc audivit ab hominibus de Quartexana, & ab hominibus de Sabluncello. Item dicit, quod publice dicitur per homines de Quartexana, quod Theophania mater Bonimercati erat de Macinata dictæ Canonicæ. Et hoc credit, quod fuerit de Macinata Canonicæ. Item dicit, quod Bonmercatus & Guntarinus fratres serviebant Canonicis Ferrariæ, sed nescit, si serviebant, & gerebant se tamquam homines de Macinata, & de his omnibus dicit, quod est publica fama. Et dicit, quod prædicta recordatur, & audivit dici jam sunt XXX. anni & plus, & ab illo tempore ante; & dicit, quod vidit & cognovit dictum Bonmercatum, qui erat magnæ staturæ. Et dicit, quod numquam novit dictam Theophaniam, & nescit de morte ipsius. Et dicit, quod ipse testis habet XL. annos & plus. Interrogatus quid est publica fama, respondit, illud quod homines dicunt. Liber est, & non doctus, & super suam animam juravit.

Die eodem: Preyte de Mansis testis juratus dicit suo sacramento, quod non interfuit ubi Theophania fecisset se de Macinata Canonicæ Ferrariæ, sed audivit á Bonmercato & Guntarino dicentibus & confitentibus, utendo plene dicto teste cum eis, quod erant homines de Macinata Canonicæ Ferrariensis, serviebant eis pro hominibus de Macinata. Interrogatus quantum tempus est, quod utebatur cum eis, & audiebat prædicta, respondit, quod sunt citra XXV. anni. Item interrogatus, in quo loco dicebant se esse de Macinata, respondit, super Canonica, & in domo eorum comedendo & bibendo cum eis. Et dicit, quod cognovit Bonmercatum, & erat magnæ staturæ & grossæ. De consuetudine dicit, se nihil scire. Et dicit, quod cognovit Theophaniam, & erat longa & magna. Et dicit, quod sunt XVIII. anni & plus, quod mortua est dicta Theophania. Interrogatus, qui erant præsentes, quando confitebantur se esse de Macinata, credit, Domino Archipresbytero Rustico, Petro Quintano, Magistro Johanne de Regio, & Domino Jacobo Canonicis Ferrariæ, secundùm quod credit. Interrogatus quæ servitia faciebant sicut homines de Macinata dictæ Canonicæ, respondit, quod ibant cum Canonicis, & serviebant eis ad voluntatem eorum, & aliquando ipse testis ibat cum prædictis fratribus ad colligendum quartas, & reditus dictæ Canonicæ. Interrogatus quantum tempus habet ipse testis, respondit, quod bene LX. annos. De tempore sive de annis dictæ Theophaniæ dicit, quod nescit. Et dicit, quod de his omnibus est publica fama, de quibus quidem dixit. Interrogatus, quomodo scit quod erat publica fama, respondit, illud quod homines dicunt. Liber est, & non doctus, & super suam animam juravit.

Die eodem: Saladinus de Sancto Laurentio testis juratus dicit suo sacramento, quod credit Bonmercatum patrem Thomasinæ fuisse de Macinata Canonicæ Ferrariensis, pro eo quod audivit dici ab hominibus Quartexanæ parvis & magnis, eo tempore, quando stabat in Quartexana. Et dicit, quod potest esse bene XXV. anni, quod ipse testis stabat in Quartexana. De consuetudine Ferrariæ & districtus credit, quod servetur, & servatum est, quod filii illorum, qui fuerunt de Macinata, sunt de Macinata eorundem Dominorum, de quorum erant patres. Sed pro firmo nescit; & dicit, quod cognovit Bonmercatum, & erat curtus & grossus. Item credit, quod Theophania mater Bonmercati erat de Macinata dictæ Canonicæ, quia erat publica fama per homines dictæ Terræ, ut dixit supra. Item dicit, quod cognovit Theophaniam, & erat magna in persona, & dicit, quod nescit, quantum tempus est, quod mortua sit dicta Theophania. Et dicit, quod ipse testis habet XL. annos & plus. Et dicit, quod ipsi gerebant se, sicut dicebant homines, tamquam de Macinata dictæ Canonicæ. Item dicit, quando Mater eorum vivebat, ipsi erant parvi, & tunc non serviebant Canonicis, ut postea fecerunt, quando magni fuerunt, quia fuerunt Castaldi, & faciebant eorum servitia colligendo reditus Canonicorum, & faciendo alia servitia, sicut ipse testis vidit. Et credit, quod Theophania fuit natione de Quartexana. Item dicit, quod de iis omnibus est publica fama, & dicit, quod fama est illud, quod homines dicunt. Liber est, & non doctus, & super suam animam juravit.

Die XIII. exeunte Decembri: Bruzunius de Quartexana testis juratus dicit suo sacramento, quod audivit a patre & matre & avia sui testis, quod Thophania mater Bonmercati erat & se appellabat de Macinata Canonicæ Ferrariæ, & quod Bonmercatus & Guntarinus fratres filii dictæ Theophaniæ se defendebant a collectis & oneribus Quartexanæ tamquam homines de Macinata dictæ Canonicæ. Et dicti Canonici ipsos tamquam suos homines defendebant, & de his est publica fama. De consuetudine dicit se nihil scire nisi ex auditu. Dicit tamen, quod si homo liber accepit feminam de Macinata, filii eorum sunt de Macinata. Et si homo servus accipit feminam liberam, filii eorum sunt de Macinata, sicut dicitur, in Ferraria & districtu. Sed aliter nescit, licèt sic dicat. Item dicit quod Theophania & Bonmercatus & Guntarinus fratres gerebant se tamquam de Macinata dictæ Canonicæ. Interrogatus, quomodo scit. Respondit, quod die noctuque eundo, veniendo, stando, faciendo, utebatur cum prædictis Bonmercato & Guntarino eo tempore, quando ipse testis stabat in Quartesana. Interrogatus, quantum tempus est, quod ipse testis ute-

*utebatur in Quartesana, & quid utebatur cum eis. Respondit a tempore nativitatis sui testis, sicut homo qui utitur in dicta Villa, & habet ibi familiam, licèt sit Civis. Interrogatus, quid est gerere de Macinata, respondit, quod dicti fratres vendiderunt Vineam unam positam in Quartexana patri sui testis, & Canonici traxerunt se testem ad causam, & vicerunt ei dictam Vineam, pro eo quod dicti fratres non poterant vendere, nec permutare sine verbo & consensu Canonicorum Ferrariæ. Et dicit, quod aliud nescit, nisi ut supra dixit. Et de his omnibus, quæ dixit, est publica fama. Et dicit, quod dictus Bonmercatus erat magnus & grossus. Et dicit, quod Theophania erat magna, & grossa, & pallida. Et non recordatur de tempore mortis ejus. Et dicit ipse testis, quod credit se habere XL. annos. Item interrogatus, quid est gerere se, sicut de Macinata, respondit, quod nescit aliter, quid sit se gerere de Macinata, nisi quod Canonicis serviebant, & ipsi fecerunt eos Castaldos, & dederunt eis possessiones & bona omnia quondam Bernardi Conversi dictæ Canonicæ, & ipsi fratres serviebant Canonicis & Canonicæ. Item dicit, quod dicti Canonici dederunt dictam Terram & Massaritiam dicti Bernardi dictis fratribus tamquam hominibus Macinatæ dictæ Canonicæ, & fecerunt eos Castaldos Canonicæ, dicentes:* melius est benefaciamus nostris hominibus, qui ponunt animam & corpus pro nobis, quàm aliis hominibus. *Et ipse testis apportavit Massaricia ad domum dicti Bernardi. Sed aliter nescit, quod essent de Macinata. Et nescit unde nata est dicta Theophania, & publica fama est illud, quod per homines dicitur. Liber est & non doctus, & super suam animam juravit.*

*Die eodem. Pasqualis testis juratus dicit suo sacramento, quod credit, quod Thophania & Bonmercatus ejus filius, & Guntarinus erant de Macinata Canonicæ Ferrariæ, secundùm quod audiebat dici. Sed aliter nescit. De consuetudine dicit, se nihil scire. Quod se gererent sicut homines de Macinata dicit, quod nescit. Et aliud nescit, & quod de his, quæ dixit superius erat publica fama. Interrogatus, quid est publica fama, respondit, illud, quod homines dicunt. Et hoc, ut supra dixit, dicit quod audivit dici, quando erat juvenis, & stabat in Quartexana. Sed jam sunt XXX. anni quod ipse exivit de Quartexana. Liber est & non doctus. Non sperat habere lucrum, & super suam animam juravit.*

*Die secundo intrante Januario: Dominus Jacobus Canonicus Canonicæ Episcopatus Ferrariæ testis juratus dicit suo sacramento, quod Bonmercatus pater Thomasinæ, Guntarinus & Balduinus fratres stabant & faciebant servicia Canonicæ Ferrariæ tamquam homines de Macinata dictæ Canonicæ, & confitebantur se esse de Macinata, & gerebant se pro hominibus de Macinata dictæ Canonicæ. Et ipse testis tempore quodam, quo Dominus Ugucio erat Camerarius dictæ Canonicæ, ipse testis fungebatur & faciebat officium Camerlengariæ pro eo. Et erant ibi in Quartexana tempore messium & triturationum, & præcipiebant eis quandoque omnibus prædictis fratribus, quandoque singulis eorum, sicut servis dictæ Canonicæ, ut irent ad campos, sive ad agros pro segetibus conducendis ad aream, & ut facerent alia servitia tam in messionibus, quam in triturationibus. Et ipsi faciebant & obediebant ei. Interrogatus quæ servitia faciebant prædicti dictæ Canonicæ tamquam homines de Macinata, respondit, quod ipsi cum personis suis & bobus & curribus ibant pro negotiis dictæ Canonicæ, sicut ipse testis sæpe videbat, & alia servitia plura. Interrogatus cujusmodi staturæ erat Bonmercatus, respondit quod magnæ & grossæ. Item dicit, quod ipse testis ibat cum Archipresbytero Rustico, cum Petro Quintano, cum Præposito Garsendino, cum Præposito Ugucione ad Quartexanam, & ad Mansos pro servitiis Canonicæ faciendis, & hospitabantur in Quartexana in domo, in qua stabant dicti fratres, & ipsi serviebant eis, sicut homines de sua Macinata, in comestione præparanda & danda, & lectis faciendis, & discalciandis Dominis, & equis sternendis. Non tantum semel cum prædictis simul, sed quandoque cum uno, & quandoque cum pluribus, diversis temporibus. Et dicit, quod hæc fuerunt a XXII. annis citra, & propter prædicta, & occasione prædictorum habebant Canonici hanc possessionem servitutis, & in ea erant de prædictis fratribus. Super facto consuetudinis dicit, quod vidit Dominum Johannem de Albaro quondam habere quemdam servum, qui natus erat ex libera femina, & stabat sicut ejus servus, & ipse possidebat eum sicut servum. Et dicit, quod audivit a pluribus, quod consuetudo obtenta servatur, diu est, quod nati ex libera muliere, & ex patribus de Macinata sunt servi illorum, de quorum Macinata erant patres eorum, sicut audivit de filio Zaneti quondam Beccarii, & de filiabus Treguanæ uxoris quondam Brugnoli, sive Pizeti. Item dicit, quod in Quartexana & in Mansis & in Ferraria erat publica fama, quod Bonmercatus, Guntarinus, & Balduinus fratres erant homines de Macinata dictæ Canonicæ, & in Codreta, & in Contrapado. De Theophania matre prædictorum fratrum dicit se publice audivisse dici, quod fuit mater prædictorum, & fuit de Macinata dictæ Canonicæ. Item dicit idem testis, quod fuit præsens, ubi Guntarinus & Bonmercatus juraverunt fidelitatem Domino Garsendino tunc Præposito Canonicæ, recipienti pro hominibus Canonicæ, & sicut homines de Macinata dictæ Canonicæ. Et hoc fuit in Canonica Ferrariæ, præsentibus dictis Presbytero Rolando, & Domino Ugucione, & aliis. Interrogatus, quid est possidere, respondit, quod illud, quod habetur & possidetur ab aliquo. Et dicit, quod publica fama est illud, quod publice dicitur.*

*Die V. intrante Januario: Dompnus Girardus Archipresbyter Canonicæ Ferrariæ, testis juratus dicit suo sacramento, quod sunt circa XXXIX. anni, quod ipse fuit receptus in Canonicum Ecclesiæ Ferrariensis. Et in eodem anno fuit factus Camerarius dictæ Canonicæ; & postea cognovit Bonmercatum patrem Thomasinæ, & Guntarinum ejus fratrem, non multis temporibus elapsis. Sed credit tamen, quod sunt XXX. anni & plus quod eos cognovit. Et ab illo tempore ipse testis & alii Canonici tenuerunt, habuerunt, & possiderunt eos pro hominibus de Macinata dictæ Canonicæ. Interrogatus a quibus aliis Canonicis habebantur & possidebantur pro hominibus de Macinata, respondit a Dominis Garsendino tunc Præposito, & Garsendino minori, & Bonmartino Presbytero Ferrarisio, & Ugucione nunc Præposito, & aliis Canonicis Ferrariensis Ecclesiæ. Interrogatus, quomodo scit, quod prædicti fratres tenebantur & possidebantur a prædictis Canonicis pro homi-*

nibus de Macinata, respondit, dum fuerat Canonicus, quod dicti fratres dicebant tunc temporis, quod non erant de Macinata dictæ Canonicæ Ferrariæ. Quare Præpositus tunc temporis Canonicæ Ferrariæ vocavit dictos fratres coram se, & interrogavit dictos fratres, si verum erat, quod dictum fuerat sibi, videlicet, quod dicerent, se non esse de Macinata dictæ Canonicæ: quod fratres negaverunt se dixisse, non esse de Macinata, & confessi fuerunt, se esse de Macinata dictæ Canonicæ. Et tunc juraverunt fidelitatem Præposito & Canonicis pro Canonica Ferrariæ, sicut homines de Macinata, & servire Canonicæ Ferrariæ, sicut homines de Macinata, se teste præsente & vidente. Interrogatus, quando dicti fratres juraverunt fidelitatem dicto Præposito & Canonicis, respondit, quando alii Canonici, qui tunc erant in dicta Canonica. Item dicit, quod sunt circa XXX. anni, secundùm quod credit, quod ipse testis & alii Canonici Ferrariæ juraverunt, quod non venderent quasdam possessiones, quas habebant in Doxentola, & in Quartexana. Et tunc temporis dicti fratres venerunt ad dictos Canonicos, & petierunt ab eis, ut concederent eis possessiones, quas emerant a Monasterio Sancti Johannis Evangelistæ de Ravenna, & venderent. Qui Canonici habito & deliberato Consilio intra se pro eo quod fecerant juramentum prædictum, & cognoscentes, quod non esset alienatio dare seu concedere de dictis possessionibus dictis fratribus, quum essent de Macinata dictæ Canonicæ, concesserunt eas prædictis pro suis denariis, sed pro minori pretio, quàm dedissent aliis. Item dicit, quod dicti fratres, pro eo quod nati erant de Tophania, sicut credit, quod nati essent ex ea, erant de Macinata dictæ Canonicæ. Quum ipsa esset de Macinata, & gerebat se sicut de Macinata dictæ Canonicæ, servando & obediendo mandatis Præpositi & Capituli ad voluntatem eorum. Interrogatus, quomodo scit, quod sic serviebant Præposito & Capitulo, respondit, quod vidit, & ipse testis pluries præcepit eis, & obediebant ei. Interrogatus, quid est gerere se sicut de Macinata, respondit, quod gerere se sicut de Macinata, est servire & obedire mandatis Dominorum, & habere, & jurare se esse de Macinata. Interrogatus, quomodo scit Theophaniam esse de Macinata, respondit, quod Canonici Ferrariæ multociens defenderunt dictam Theophaniam a collectis, & aliis oneribus, sicut audivit dici. Interrogatus, si vidit Theophaniam, respondit, quod sic. Interrogatus, cujus staturæ erat, respondit æqualis staturæ, & vidit & cognovit dictos fratres, & erant magnæ staturæ & grossæ. De consuetudine dicit se nihil scire. Item dicit, quod publica fama erat & est, quod dicta Theophania & dicti fratres fuerunt de Macinata dictæ Canonicæ. Item interrogatus, quomodo scit quod est publica fama, respondit, quod publice dicitur ab omnibus, vel a majori parte in Quartexana. Et quid est dicere publica fama, respondit, illud quod publice dicitur ab omnibus. Liber est & non doctus: non sperat lucrum neque damnum proprium, & super suam animam juravit.

Die eodem: Dominus Ugucio Præpositus Canonicæ Episcopatus Ferrariæ testis juratus dicit suo sacramento; quod sunt XXXVIII. anni & plus, quod ipse testis est Canonicus Canonicæ Ferrariæ, vel circa XXXVIII. annos. Et vidit Canonicos Ferrariæ habere & tenere, & ipse cum eis, Theophaniam matrem Bonmercati & Guntarini pro sua femina de Macinata. Et ipsi ad dictum item, & alios Ecclesiæ Ferrariæ Canonicos veniebant & reducebant se pro suis negotiis tamquam feminam de Macinata dictæ Canonicæ, & ipsi faciebant ipsi Theophaniæ negotia, & filiorum suorum prædictorum tamquam feminæ & homines de Macinata Canonicæ, liberando eos a collectis & aliis oneribus. Et ipse testis pro Canonica Ferrariæ fecit eis restitui frumentum & res alias, quas Dominus Salinguerra quondam fecerat sibi auferri, tamquam hominibus de Macinata dictæ Canonicæ. Et dictam restitutionem fecit fieri Dominus Salinguerra ad petitionem sui testis, & aliorum Canonicorum de dicta Canonica pro eo quod ipsi erant de Macinata dictæ Canonicæ. Item dicit, quod ipse testis & alii Canonici Ferrariæ erant in possessione eorum & possidebant eos, tamquam homines de Macinata dictæ Canonicæ. Et tempore, quo diviserunt possessiones Canonicæ inter se ipsi Canonici, possessiones dicti Bonmercati patris Thomasinæ, & Guntarini fratrum, posuerunt in divisione, quam inter se fecerunt contra voluntatem eorum; sed tamen consenserunt dictis Canonicis tamquam homines, qui erant de Macinata dictæ Canonicæ. Item dicit, quod dicti fratres dederunt in feudum quamdam Vineam Petrocino Ubaldini patri Bunzini pro certo pretio. Et dicti Canonici nolentes consentire dictæ venditioni, fecerunt revocari, & revocata fuit concessio sive datio dicti feudi, pro eo quod ipsi erant de Macinata dictæ Canonicæ. Item dicit, quod ipse testis pro Canonica Ferrariæ præcepit dictis fratribus, ut exirent de Casali in quo habitabant, pro eo quod pervenerat in partem uni Capitum de Canonicis dictæ Canonicæ. Et exierunt ipsi præcepto, & fecerunt domum aliam de mandato ejusdem testis in alio loco super possessionem dictæ Canonicæ. In qua eorum mandato habitaverunt. Item dicit ipse testis pro Canonica alium Casalem, qui quondam fuerat habitatus per Theophaniam prædictam matrem prædictorum, & ipsorum fratrum, divisit, & dedit aliis hominibus & mulieribus de Macinata dictæ Canonicæ sine eorum voluntate, & requisitione. Et adhuc illi quibus dati fuerunt, vel eorum heredes, habent & tenent pro dicta Canonica. Interrogatus, quomodo scit, quod dicta Theophania esset de Macinata dictæ Canonicæ, respondit, quod dicta Theophania & ejus filii gerebant se sicut de Macinata dictæ Canonicæ, recurrentes de omnibus suis negotiis, tamquam personæ de Macinata dictæ Canonicæ ipsi testi, & aliis Canonicis dictæ Canonicæ. Et ipse testis, & alii Canonici faciebant & tractabant eorum negotia tamquam personarum, quæ erant de sua Macinata. Et fuerunt in possessione eorum tamquam de Macinata dictæ Canonicæ quo usque vixerunt. Et tempore mortis eorum ipse testis ivit ad Quartexanam, & fecit scribi omnes res, quæ fuerunt dictorum fratrum pro filiis, qui remanserant de eis, & res ipsas designaverunt matri dictæ Thomasinæ, & matri Raymicini, ut servaret eas pro ipsis filiis, tamquam pro personis de Macinata Canonicæ. Item dicit, quod fuit præsens, quando dictus Bonmercatus & Guntarinus fratres, antequam decederent, juraverunt fidelitatem tamquam homines de Macinata dictæ Canonicæ Præposito Garsendino & Capitulo Ferrariæ pro Canonica Ferrariæ, & exinde fuit factum publicum Instrumentum. Item dicit, quod quum Raymicinus fuit in ætate convenienti ad hoc, juravit sibi testi & Capitulo Ferrariæ pro dicta Canonica

Fer-

*rariæ fidelitatem , & servire promisit tamquam homo de Macinata dictæ Canonicæ Ferrariæ . Item dicit , quod ipse testis , quando ibat ad Quartexanam , ipse habitabat cum aliis , qui ibant secum in domo , in qua habitabant dicti fratres , quæ erat domus dictæ Canonicæ . Et ipsi fratres tamquam homines de Macinata & familia dictæ Canonicæ serviebant eis . Item dicit , quod consuetudo in Ferraria & districtu approbata & obtenta servata fuit & servatur , quod nati ex partibus de Macinata , quamvis sint de libero utero nati , sunt de Macinata illorum , de quorum Macinata erant patres eorum . Et servatur & servata est per Dominum Marchionem Estensem , per quondam Dominum Salinguerram , per Turclos , & per Dominum Episcopum , & per Episcopatum Ferrariæ , sicut est de Gualterino nato ex libero utero , & tamen est de Macinata Episcopatus Ferrariæ , pro eo quod pater ejus fuit de Macinata Episcopatus Ferrariæ . Item dicit, quod publica fama erat , & est, quod Theophania & Bonmercatus & Guntarinus ejus filii fuerunt de Macinata dictæ Canonicæ , & quod gerebant se & serviebant Canonicis Ferrariæ tamquam homines de Macinata dictæ Canonicæ . Et quia dicta consuetudo servatur , & servata est ultra memoriam alicujus hominis viventis, sive hic retro . Interrogatus quid est publica fama, respondit, illud quod publice per homines dicitur . Liber est, non doctus ; non sperat habere lucrum proprium .*

*Die XI. exeunte Decembri : Magister Johannes testis juratus dicit suo sacramento ; quod audivit a Domino Garsendino Præposito Majori , & ab alio Garsendino Præpositis Canonicæ Ferrariæ , & ab aliis Canonicis, quod Bonmercatus pater Thomasinæ, & Guntarinus ejus frater fuerunt de Macinata dictæ Canonicæ , & dictos fratres cognovit ; & erant bonæ & magnæ staturæ . Item dicit de consuetudine approbata se nihil scire . Item quod Theophania mater prædictorum fratrum fuerit de Macinata Canonicæ Ferrariæ , & dicit , quod audivit dici a Præpositis & Canonicis Ferrariæ , quod ipsa Theophania appellabat se de Macinata Canonicæ Ferrariæ sive Canonicorum , & dicebat sibi testi, quod ipsa erat de Macinata Canonicæ Ferrariæ ;* & Vos estis meus Dominus . *Et dicit , quod ipsa erat Massara de bona grossiccia . De tempore vitæ dictæ Theophaniæ non recordatur. Item dicit , quod dictus Bonmercatus , Guntarinus , & eorum mater Theophania gerebant se sicut de Macinata dictæ Canonicæ . Interrogatus , quomodo scit ; respondit , quod vidit , quod prædicti omnes & singuli faciebant obsequiales operas in serviendo Canonicis , & universi & singuli sibi in faciendo obsequium & servitium , quod poterant facere Canonicis universi & singuli in assurgendo , & alios honores faciendo pro dictis , vocando Canonicos Dominos suos , & se de Macinata ipsorum Canonicorum universaliter , & serviles operas sibi præstabant in domo ipsorum Guntarini & Bonmercati serviendo Canonicis , quandocumque ibant ad domum prædictorum in serviendo realiter & personaliter . Et si ipse testis in alia domo hospitabatur in Quartexana, ipsi veniebant ad ipsum testem , & serviebant de rebus & personis suis, & cum bono vino. Et multotiens ipse testis ivit cum prædictis fratribus ad Domum Communis Ferrariæ de mandato Præpositi Canonicæ Ferrariæ, quando imponebant sibi onus personale , sive collectam , & allegabat pro eis ex parte Canonicæ , quia non debebat eis imponi aliquod onus sive collecta , quia dicebant se esse de Macinata Canonicæ , & in continenti Judices absolvebant eos a collecta imposita sive onere . Et dicebant prædicti fratres, quod dominium Canonicæ valde bonum erat , unde ipsi debebant facere voluntatem suam . Item dicit , quod Canonici sive Præpositi abstulerunt sibi possessiones in quibus habitabant , vel habitare debebant , & diviserunt inter se illa Casalia , & dederunt sibi alibi possessiones alias ad habitandum , secundum quod placuit Capitulo . Item dicit, quod publica fama est in Quartexana & in Ferraria, & in aliis locis, quod ipsi & mater eorum erant de Macinata dictæ Canonicæ . Et gerebant se sicut de Macinata dictæ Canonicæ . Item dicit, quod prædicta fama erat tunc in Quartexana , & in Ferraria . Interrogatus , quid est dicere publica fama , respondit , illud quod per homines dicitur . Liber est & non doctus : non sperat habere lucrum neque damnum , & super suam animam juravit .*

*Die IX. intrante Januario : Ottolinus Bagata testis juratus dicit super consuetudine , quod consuetudo est in Ferraria , & in contrata sua specialiter vidit , quod illi , qui nascuntur ex liberis feminabus & hominibus de Macinata , sunt de Macinata , sicut ipsimet dicunt , qui sunt de Macinata . Sicut est filia Foleti , quæ libera est , & habet in virum Primumbonum , qui est de Macinata Domini Marchionis , & filii ex dicto Primobono & dicta filia Foleti sunt de Macinata Domini Marchionis , & ipsimet dicunt , quod sunt de Macinata dicti Domini Marchionis . Et illud idem dicitur de filia Johannis della Gayba , & de viro ejus Bisule . Et dicit , quod hæc consuetudo servatur in Ferraria. Interrogatus quibus personis dicunt prædicti se esse de Macinata , respondit , quos sæpe utitur cum eis , & videt quod serviunt dicti Domino Marchioni sicut homines de Macinata . Interrogatus , quæ servitia faciunt Domino Marchioni sicut homines de Macinata , respondit, quod vadunt & veniunt & faciunt servitia sua . Super aliis capitulis interrogatus , dicit se nihil scire . Liber est & non doctus : non sperat habere lucrum &c.*

*Die eodem : Dominus Bernardinus de Funtana testis juratus dicit suo sacramento, quod hæc consuetudo servata est & servatur in Ferraria & districtu , quod nati ex omnibus de Macinata , sunt de Macinata illorum , de quorum Macinata sunt vel fuerunt patres eorum , quamvis eorum matres sint liberæ . Et dicit quod habet bene LIII. annos . Et ab illo tempore quod potuit recordari , vidit dictam consuetudinem servari . Et dicit , quod Lanfranchinus de Trisigale fuit de Macinata Domini Jacobi & Domini Ubaldini de Fontana patris sui testis . Et habuit liberam feminam pro uxore , & filiæ natæ ex eis , quæ fuerunt duæ , fuerunt & extiterunt de Macinata dictorum Dominorum Jacobi & Ubaldini & sui testis & consortum suorum . Una quarum habuit in maritum Viviamen , & alia habuit Bonaccursum de Trisigale . Et filii nati ex eis sunt de Macinata sui testis , & consortum suorum . Item dicit , quod Scaridellus , qui fuit de Macinata prædictorum Dominorum & sui testis & consortum suorum , accepit uxorem liberam ; & filii nati ex dicto Scaridello & ex dicta libera sunt de Macinata sui testis & consortum suorum , & eos habent , & possident, & alios prædictos sicut homines de Macinata. De omnibus aliis Capitulis intentionis , dicit se*

nihil

*nihil scire. Dicit tantum, quod audivit dici, quod Bonmercatus & Guntarinus fuerunt homines de Macinata Canonicæ Ferrariæ. De hac consuetudine dicit, quod est publica fama, & publica fama est illud, quod dicitur per homines in plateis & alibi. Liber est, & non doctus &c.*

*Die eodem: Dominus Albertinus de Turclis, testis juratus dicit suo sacramento, quod consuetudo Ferrariæ & districtus approbata & obtenta servatur, & servatum est, quod filii nati ex servis, quamvis sint nati ex liberis feminabus, sunt de Macinata illorum, de quorum sunt patres eorum. Interrogatus, quomodo scit, respondit, quod scit pro firmo, quod sic servatur. Interrogatus, a quibus servatur hæc consuetudo, respondit, a se teste, & ab aliis magnis hominibus de Ferraria; sicut est de Bonaventura & Salueto, qui nati sunt ex servo suo, & ex libero utero, & aliis. Item dicit, quod de hac consuetudine est publica fama, & publica fama est illud, quod homines dicunt. Et est manifestum, & homines dicunt. Liber est, & non doctus &c.*

*Die eodem: Dominus Johannes de Trota testis juratus dicit suo sacramento, quod multis vicibus audivit dici, quod Bonmercatus & Guntarinus fratres fuerunt de Macinata Canonicæ Ferrariæ. Item dicit, quod consuetudo in Ferraria & districtu servatur obtenta, & servatum est, quod filii nati ex hominibus de Macinata, quamvis sint nati ex liberis feminibus, sunt de Macinata illorum, de quorum Macinata erant patres eorum. Item dicit, quod Dominus Fridericus quondam Imperator, quum iret Romam ad accipiendum Coronam Imperii, ipse tulit sententiam, quod homines nati ex servis Domini Tisolini, qui erant nati ex liberis mulieribus, essent de Macinata dicti Domini Tisolini. Item dicit, quod quamvis hæc consuetudo fuerit, & servata & obtenta sit, est contra jus, quia in Legibus scriptum est, quod omnes qui nascuntur ex libero, sunt liberi. Liber est, & non doctus &c.*

*Dominus Maynardinus de Maynardis, testis juratus, die III. intrante Januario, deposuit dictum suum die IX. intrante Januario, dixit suo sacramento, quod Præpositus Ferrariæ misit pro se teste, & rogavit eum, ut iret ad Domum Communis Ferrariæ, & fidejuberet pro Guntarino & Bonmercato, qui tenebantur super Domum Communis destenuti; dicens dictus Præpositus sibi testi, & alii Canonici, quod ipsi Guntarinus & Bonmercatus erant de Macinata dictæ Canonicæ. Et ipse testis una cum Domino Marchesino de Maynardis receperunt, & fidejusserunt, & extorserunt eos tamquam homines de Macinata dictæ Canonicæ. Interrogatus de tempore, dixit, quod non recordatur. Item dicit, quod tempore mortis dictorum fratrum Guntarini & Bonmercati, ipse testis ivit ad Quartexanam post dictum Dominum Præpositum ad preces ipsius Domini Præpositi, & vidit ipsum Præpositum accipere filios eorum & res suas, & disponere de eis secundum voluntatem suam pro dicta Canonica. De tempore non recordatur. Item dicit, quod jam sunt L. anni ante & plus a quibus citra recordatur ista consuetudo sibi, quia nati ex servo, quamvis sit mater eorum libera, servi sunt, & pro servis habentur. Et hoc vidit in Ferraria, in Salecta, & Archoada. Interrogatus, a quibus fuit hoc servatum, respondit, quod hoc vidit servari in Macinatis Domini Salinguerræ, & specialiter in Johannino Cavaturta de Salecta, qui accepit Bonamfantem filiam Baraterii pro uxore, & erat libera. Et filii nati ex eis, scilicet Pelegrinus, Paulinus, & Petrusbonus, sunt de Macinata heredum Domini Salinguerræ, & fuerunt dicti Domini Salinguerræ. Item dicit, quod Aldigerii habent de hujusmodi servis, sicut ipsi Aldigerii dicunt. Item dicit, quod publica fama est, quod dicti fratres Guntarinus & Bonmercatus erant de Macinata dictæ Canonicæ, & quod prædicta consuetudo servatur & servata est. Interrogatus, quid est publica fama, respondit, quod vulgo dicitur ab omnibus. Interrogatus, quomodo approbata est dicta consuetudo, respondit, quia Domini tenent & tenuerunt a suo recordatu citra pro suis servis homines sic natos. Et recordatur bene a L. annis citra. Liber est, & non doctus; non sperat habere lucrum nec damnum &c.*

*Die VII. intrante Januario: Dominus Bolgarinus testis juratus deposuit dictum suum die X. intrante Januario dicit suo sacramento, quod audivit dici, & fama erat per Terram Quartexanæ & in Ferraria, quod Bonmercatus, Guntarinus, & Balduinus, fuerunt de Macinata Canonicæ Ferrariæ à tempore suo recordatu, scilicet à XXX. annis citra. De consuetudine dicit, quod nati ex patribus de Macinata, sunt de Macinata illorum, de quorum Macinata erant patres eorum. Et servatur consuetudo ista secundùm quod audivit dici. Item dicit, quod audivit, quod illi, qui nascuntur ex libero utero, non sunt de Macinata, sed liberi. Item dicit, quod Bonmercatus & Guntarinus maxime faciebant facta dictæ Canonicæ, & erant aliquando Massarii, aliquando Castaldi dictæ Canonicæ, secundùm quod vidit. Et fama erat, quod erant homines de Macinata. Et ipsemet testis audivit, quod prædicti erant homines de Macinata dictæ Canonicæ, & credebat, & credit. Item dicit de consuetudine, quod alii dicunt, quod servatur, & alii, non. Et dicit, quod fama publica est illud, quod homines dicunt. Liber est & non doctus. Non sperat habere lucrum &c.*

*Die X. intrante Januario: Rigacius de Castro Tedalto, testis juratus dicit suo sacramento, de omnibus capitulis intentionis, se nihil scire.*

*Die III. intrante Januario: Dominus Turclus, testis juratus deposuit dictum suum. Die X. intrante Januario dicit suo sacramento super consuetudine, quod hæc consuetudo servatur in se proprie, quod filii nati ex suis hominibus de Macinata, sunt de sua Macinata, sicut fuerunt patres. sicut proprie filii nati ex quodam Brugoli, qui fuit suus homo de Macinata, & fuerunt nati ex Treguana, quæ erat libera; & Bonavintura & Saluetus fratres, qui fuerunt nati ex quondam Zaneto suo servo, & credit, quod mater eorum fuit libera. Et habet & tenet eos, & possidet pro sua Macinata. Et credit, quod hoc sit publica fama. Et dicit, quod publica fama est illud, quod per homines publice dicitur. Liber est & non doctus; non sperat habere lucrum &c.*

*Die III. intrante Januario juravit, & deposuit dictum suum. Die IV. intrante Februario Dominus Papazonus de Aldigeriis, testis juratus dicit suo sacramento, quod vidit Dominum Petrum & Dominum Aldigerium de Aldigeriis habere & tenere Drugolinum pro suo homine de Macinata, & erat. Et ipse Drugolinus accepit Dominam Dodam in uxorem, quæ erat libe-*

*libera. Et filii nati ex dicto Drugolino, & ex dicta Doda fuerunt habiti & detenti à dictis Dominis pro hominibus de sua Macinata. Et ipse testis dicit, quod in divisione facta inter Aldigerios, dicti filii Dodæ & Drugolini venerunt in partem Domini Petri prædicti, & ipse habuit eos pro suis hominibus de Macinata, & ipsi hodie serviunt Domino Aldigerio filio dicti Domini Petri, & hæc consuetudo dicit, quod servata est, & proprie in prædictis, & sic servata est consuetudo. Interrogatus, quæ servitia faciebant dicti filii dictis Dominis, respondit, quod faciebant servitia omnia, quæ præcipiebantur eis, sicut sui servi suis Dominis. Liber est &c.*

*Die eodem juravit & deposuit dictum suum. Die IV. intrante Februario, Dominus Vescovellus de Aldigeriis, testis juratus dicit suo sacramento, quod vidit Gaybanellum, qui fuit de Macinata matris suæ testis, qui Gaybanellus accepit Solesnieram in uxorem, quæ erat libera, & habuit ex ea sex filios, qui in divisione, quam fecerunt Aldigerii inter se de Macinatis suis, venerunt in partem Domino Papazono, qui habet eos & tenet pro personis de sua Macinata, & ipsi serviunt ei, sicut servi sui ut suis Dominis. Item dicit, quod recordatur bene a XX. annis citra & plus, quod hæc consuetudo servata est, quod illi, qui sunt nati ex hominibus de Macinata, sunt de Macinata illorum, de quorum Macinata erant patres eorum, sicut est de Castellano, qui habet bene, secundum quod credit, XXX. annos, qui fuit filius Droguli hominis de Macinata quondam Dominorum Petri & Aldigerii, & Dodæ uxoris dicti Droguli, quæ erat libera; qui Castellanus in divisione, quam Aldigerii fecerunt inter se, venit in partem Domini Petri prædicti, & filius ejus Dominus Aldigerius habet & tenet eum pro homine de Macinata; & ipse servit ei, sicut servi serviunt suis Dominis. Liber est &c.*

*Et ego Salutanus, Dei gratiâ Sacri Palatii, & tunc Communis Ferrariæ Notarius, hos testes de præcepto Domini Viviani de Arlotto tunc Judicis Communis Ferrariæ scripsi, & in quaterno meo recepi.*

Membrana hæc scripta creditur circiter Annum 1252., quia Bonmercatus & fratres ejus juraverant fidelitatem Capitulo in manibus Domini Garsindini Præpositi, & Bonjohannis Archipresbyteri Anno 1222. V. Martii, rogitu Martini Notarii.

Illud denique prætermissum nolo, in antiquis Regestis Serenissimæ Estensis Familiæ reperiri multos tum Ferrariensis, tum Rhodigiensis agri, qui fatentur, *se tenere & possidere* Anno MCCLXXIII. *à Domino Obizone Marchione Estensi & Anconitano possessiones & terras jure Maynentiæ*. Pro istis solvebant annuatim aut *quartum*, aut *quintum*, aut *septimum omnium frugum*, aut quamdam *solidorum* summam, aut *staria* quædam *frumenti*. Nullum ibi juramentum fidelitatis. Hujusmodi hominum genus, de quibus supra mentio facta est, qui *Manentes* ac *Tributarii*, & *Mansionarii* quoque, ut puto, in aliis Chartis appellantur, aliquo Servitutis vinculo tenebatur, puta quia *invito domino* ab agris excolendis recedere eis non licebat, ut habet Ranfridus apud Du-Cangium in Glossario Latino, atque ad operas varias domino prædii præstandas sese obstringebant. Hæc eorum obligatio in caussa erat, cur ne omnino quidem Liberi censerentur, & discrimen esset inter eos & *Alloderios*. Id constabit ex Charta Senensi, quam olim Hubertus Benvoglientus è Collectaneis nobilis viri Francisci Piccolominei Senensis descriptam ad me misit.

## Friderici Judicis Senensis sententia in controversia inter Canonicos Senenses & quosdam contendentes se esse Allloderios, non autem Villanos eorumdem Canonicorum, Anno 1183.

„ IN Dei nomine. Amen. Orta controversia inter Presbiterum Benzium pro Universitate Canonice Sancte Marie Senensis Episcopatus Sindicum in hac caussa specialiter ordinatum ex una parte agentem, & Ferrectum Johannis Verrani ex altera contradicentem; quem cum Canonici eorum hominem & Villanum per capitudinem fore, & ab eis per triginta annos & ultra una cum patre suo & avo sic detentum fuisse, & minime inter *Alloderios* connumeratum esse dicerent, ipse è contrario se *Liberum & Alloderium*, & nequaquam eorum Villanum esse, nec Patrem suum vel Avum fuisse profitebatur & affirmabat, & inter *Alloderios* numerari conabatur. Accidit quod cum Senenses Consules & Consiliarii, videlicet Jacobus Paltonerius, Thomas, Marianus, Provenzanus, & Ildibrandus, Yoseph, Alloderios & eorum jura & rationes esse contra omnes personas, eorum sacramento pro Communi Senensi defendere tenerentur, mihi Frederigo Judici, utrum [illegible] Ferrectus *Alloderius*, vel Canonicorum [illegible] esset, nec ne, litem prædictam [illegible] scendum & terminandum . . . . . vol[illegible] utriusque partis jura conservare [illegible]

„ que ego Frederigus Dei gratiâ Judex ordinarius Domini Imperatoris Frederigi, ex mandato predictorum Consulum & Consiliariorum, auditis confessionibus & allegationibus utriusque partis, audita etiam confessione predicti Ferrecti, dicentis se Canonicorum Hominem de eorum podere, quod ab eis tenebat, fore: testibus insuper ab utraque parte introductis diligenter examinatis: & utrum predictus Ferrectus Allodarius esset, vel non: side veri cognita, predictum Ferrectum, more hujus regionis, quamvis Allodium ipsum habere compererim, tamen propter tenimentum Canonicorum, quod longissimo tempore pro eorum Homine tenuit, & longinquam Canonicorum detentionem, & servitiorum, que Villani Dominis soliti sunt facere, [illegible] Villanum [illegible] Canonicorum [illegible] non Allodarium [illegible] in predicti Presbiteri Benzi Sindici [illegible] [illegible]

„ D[illegible] Pet[illegible]


„ Cur[illegible]

„ Consule, Beringario Paganucci, Fortarrigo „ Adalardi, Amerigo Guidi Maizi, Caccia- „ monaco Accattapani, Rainerio Bonsignori, „ Ranuccio Tacke, & Rainerio Rinaldi, & „ aliis quampluribus, Anno Domini MCL- „ XXXIII. Idibus Novembris, Indictione II.

*Manentes* autem Liberos quidem homines, sed non prorsus à Servorum sorte exclusos fuisse, quamquam ea Servitus perquam levis foret præ veris Servis, ediscere possumus ex Constitutionibus MStis Guidonis Episcopi Ferrariensis, Anno MCCCXXXII. promulgatis, ubi sancitum est, ut *Ordines Sacros nullus Simoniacus, nullus Servus, nullus Ascriptitius, qui vulgo dicitur Maynente, sine licentia Domini sui adipisci valeat*. Viden' ut *Manentes* & *Ascriptitii* idem forent, ac proinde aliquâ servilis conditionis notâ signarentur? Attamen quum à *Servis* ipsis aperte distinguantur, nil mirum, si apud quosdam ex veteribus invenias tum eos, tum Adscriptitios *Liberorum* catalogo additos. Medii ergo fuere inter Servos & Liberos, utriusque nimirum conditionis participes: utpote qui Manumissione non indigebant, ut Libertatem consequerentur, sed tantummodo veniâ Domini, qui obligationem ab eis contractam dissolveret. Quicquid verò fortunarum sibi comparare juste poterant, in eorum jure fuit. Differebant ab *Aldiis*; nam Aldii Libertorum genus fuere: *Manentes* autem numquam veram Servitutem servierunt. Similes potius dicas *Litis*, seu *Lidis*, ac *Fiscalinis*, apud Francos olim familiaribus: quorum est mentio in Legibus Langobardorum, & in Capitularibus Regum Francorum, de quibus mihi sermo erit in subsequenti Dissertatione. *Alloderii* in Charta Senensi nuper memorati, nisi nos nomen fallit, ii fuisse videntur, qui *Allodii* & proprietatis titulo, non autem Emphyteusis, Feudi, Manentiæ &c. prædium ab aliquo sibi conquisierant: hoc tamen adhuc Domino, qui illud dedit aliqua conditione obnoxium erat. Vide quæ Du-Cangius habet ad vocem *Alodiarius*. Proinde *Manentes* & *Servos* confirmandos sibi olim ab Imperatoribus curabant eorum Domini seu Patroni, ut constabit è subsequenti Privilegio, quod autographum vidi in nobili Asceterio sacrarum Virginum Lucensium Sanctæ Justinæ.

## Ottonis Magni Diploma, per quod Sanctimonialibus Lucensibus olim Salvatoris, nunc Sanctæ Justinæ, earum bona ac jura confirmat, Anno 964.

„ IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. „ Otto divina favente clementia Imperator „ Augustus. Omnium fidelium Sanctæ Dei „ Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet „ ac futurorum noverit sollertia, *Adelheidam* „ *nostram* dilectissimam *Conjugem*, amore ani- „ marumque nostrarum remedio *Grimma Ab-* „ *batissa cum Monachabus in Monasterio Domi-* „ *ni & Salvatoris, qui dicitur Prisciano*, Deum „ militantibus in usu ac sumptu in Flexo *Ma-* „ *nentes quinque*, in Tempuniano *unum*, in „ Turre *quinque*, & Sundrium unum, in Ca- „ stagnulo *Manentes octo* cum domnicato, sali- „ nas omnes. quæ ad ipsum pertinent Mona- „ sterium, Casagio domnicato in Flexo, ter- „ ras & vineas in Flexo cum omnibus, quæ „ ad ipsum pertinent Monasterium, & alias „ pecias de terra, quæ sunt prope Flexo, & „ olivetum, quod ibi pertinet de Petrulio, „ *Manentem unum* in Vaccule, pecias de vi- „ neis duas à Caprugnano, *Manentes tres* in „ Saltuclo, *Manentes quinque* & unam peciam „ de vinea, & unum Sundrium domnicatum „ in Fraja, *Manentes quatuor* in Priscia, *Ma-* „ *nentes decem* cum terris & vineis domnicatis „ in Trotta, Ecclesiam unam cum massariciis „ tribus, & cum terris & vineis domnicatis „ in Pacanico; *Manentem unum*, pecias de „ prato, tres in loco qui dicitur Petronacco, „ & alias pecias de prato quatuor; in Assigna- „ no Massarium unum, sortem unam in Mas- „ sa, in Quiesa Massarium unum, à Caprile „ Massarium unum, per nostri Præcepti pagi- „ nam donare, concedere, confirmare, & cor- „ roborare dignaremur. Cujus petitionibus „ aures accomodantes pro Dei amore, anima- „ rumque nostrarum remedio, prenominatis „ Monachabus in prefato Monasterio Domini „ Salvatoris, qui Prixiano dicitur, pro tem- „ pore Deum militantibus in usum & sumptum, „ in Flexo *Manentes quinque*, in Tempuniano „ &c. (*ut supra*) pro ut juste & legaliter „ possumus, per hoc nostrum Preceptum do- „ namus, concedimus, confirmamus, & cor- „ roboramus, una cum casis, sediminibus, ter- „ ris &c. eâ scilicet ratione, quatinus Mona- „ che in prenominato Monasterio pro tempore „ Deo militantes, in usum & sumptum predi- „ ctas res habeant, teneant, possideant, fruan- „ turque jure perpetuo, omnium hominum „ contradictione remota. Si quis autem hujus „ nostri precepti violator extiterit, sciat se „ compositurum auri optimi Libras centum, „ medietatem Cameræ nostræ, & medietatem „ prefatis Monachabus in supradicto Monaste- „ rio pro tempore Deum militantibus. Quod „ ut verius credatur, & diligentius ab omni- „ bus observetur, manibus propriis roboran- „ tes, de anulo nostro subter annotari jussi- „ mus.

„ Signum Domni Ottonis piissimi  ac invictissimi Imperatoris Augusti.

*Adest Sigillum cereum cum effigie Ottonis & literis*
OTTO IMPERATOR AVGVSTVS.

„ Luitgerus Cancellarius ad vicem Widonis Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi.

„ Data

„ Data IV. Kalendas Augusti, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXIV. Indictione VII.
„ Anno verò Domni Ottonis Augusti Imperatoris Tertio.

„ Actum Luce feliciter. Amen.

Ceterum postremo loco fateri oportet, in varia hominum Liberorum ac Servorum apud veteres conditione plene dignoscenda, eorumque nominum accurata significatione indicanda, multa nos fugere, ac facile unum cum altero confundi posse à nobis, alia nunc morum ratione viventibus. Nam exempli caussâ in antiquis monumentis occurrunt nuper memorati *Adscriptitii*, & *Servi glebæ*, quos nonnulli veris Servis accensent, quum certe duris conditionibus addicti forent Dominis, quorum rura colebant. Attamen statuendum est, servilem notam minime *Adscriptitiis* inurendam; Liberi quippe erant cum origine tum statu, & in l. *ne diutius* C. *de Agricolis & censitis*, fortuna *adscriptitia* opponitur *servili*; quod & aliæ Leges eodem in loco evincunt. Qui in Codice Theodosiano Lib. XI. Tit. 24. *de Patrociniis* l. 6. appellantur *Vicis adscripti*, & *qui Homologi more gentilitio nuncupantur*, ejusdem generis fuere, ut pluribus ostendit Gothofredus. *Rustici* etiam alicubi appellantur, & sæpius *Coloni* sive *Villani*. Excolendos autem Dominorum agros accipiebant (quod & agricolæ nostri faciunt) ac censum, aut redituum certam partem iis reddebant; sed ita infixi glebæ, idest agris sibi creditis, ut inde invito Domino migrare nefas esset. Et si quisquam fugam tentabat, ad *exemplum Servi fugitivi*, ut est in l. *cum satis* C. eodem, pœnam incurrebat, eique fortunæ erat ille *suppositus una cum omni sobole sua, nulla liberatione ei penitus competente*, hoc est, dum Dominus repugnaret. Non alia *Manentium* fortuna fuisse videtur: hoc est non ratione personæ, sed ruris, cui erant adscripti, Servi quodammodo reputabantur, quum tamen Liberi revera forent, neque eis ad pristinam Libertatem recuperandam Manumissione opus esset. Homines *de Masnada* sese obstringebant ad arma pro Domino sumenda, & in exercitum prodibant, quoties opus erat. *Adscriptitii* vero sive Coloni, ejusmodi obligatione fortasse caruerint. Sæcula posteriora aliis nominibus significarunt, quæ antiquioribus in usu erant.

Hæc autem Agricolarum conditio in Italia desiit eâ ipsâ de caussâ, quæ servos sustulit. Nimirum proscisso Regno pæne dixi in innumeros dominatores, si qui ex hisce Colonis in finitimorum plerumque inimicorum ditionem fugiebant, nulla erat ratio eos iterum ad servitium cogendi. Quare satius visum est, iis duritie omni depositâ uti, hoc est intactâ illorum Libertate: qui mos adhuc apud Italicos observatur. Pacta quidem interdum statuebantur inter Proceres, aut Urbes vicinas, ut neutri parti liceret, *hominem alterius retinere* (ita enim loquebantur); verùm ut amicitia, ita & fœdera levi negotio tunc evanescebant, ac nullum proinde efficacius frenum ad cohibendam Agricolarum fugam superfuit, quam leniter eos habere, & sinere, ut Libertate à Deo data fruerentur. Supra vidimus, fas minime fuisse *Adscriptitios* promovere ad sacros Ordines. Sunt in hanc rem complures Conciliorum Canones, quos recensere superfluum foret, Servis accessum interdicentes ad sacros Cleri gradus, nisi prius Libertatem à Dominis impetrassent. Hæc autem potissimum exigebatur in promovendis ad Presbyteratum. Verùm barbaricis Sæculis non satis accurate æquissima hæc decreta observabantur, sive Episcoporum nimiâ indulgentiâ, sive Dominorum præpotentiâ. De hujusmodi abusu conquestus est Carolus M. in Capitulari Aquisgran. Anno DCCLXXXIX. Cap. 22. inquiens: *Admittuntur passim ad Ordinem sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur. Et qui à Dominis suis Libertatem consequi minime potuerunt, ad fastigium Sacerdotii, tamquam servilis vilitas hunc honorem capiat, provehuntur*. Hæc lucem dabunt Donationi factæ à Guaiferio Principe Salernitano Ecclesiæ Sancti Maximi, in qua is eidem offert *ad deserviendum, & laudem Domino reddendum pueros* aliquot, è quibus nonnulli erant *Diaconi*, aut *Subdiaconi*, reliqui *Clerici*. Si offert Ecclesiæ, ergo sub ejus potestate, ac jure Dominicali adhuc erant. Pergamena authentica adservatur in Tabulario Monasterii Cavensis.

## Charta Guaiferii Principis Salernitani, qua Ecclesiæ Sancti Maximi à se ædificatæ multa donat, Anno 874.; restaurata & confirmata Anno 1118.

„ IN nomine Domini Dei eterni & Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejus Millesimo Centesimo Octavodecimo, temporibus Domini nostri Guilielmi gloriosi Principis & Ducis, mense Octobris, XII. Indictione. Dum in Monasterio sancte & individue Trinitatis, quod constructum est foris hanc Salernitanam Civitatem in loco Metiliano, cui Domnus Petrus gratia Dei venerabilis Abbas preest, essem ego Petrus Judex, in eadem præsentia jussu ipsius Domni Abbatis ostensa est una Cartula, que continebat. *In nomine Domini Dei Salvatoris Jesu Christi. Regnante Domno Lodoico Imperatore Augusto, Anno Deo propitio ejus Imperii Vigesimo, mense Novembris, VII. Indictione* (scilicet Anno Christi 874.) *Ego Guaiferius divina gratia Princeps, filius bone memorie Dauferii, divino auxilio me adjuvante, intus hanc Salernitanam Civitatem a super ista Fistula propinquo casa mea a fundamine usque ad culmen Ecclesiam Dei edificavi in honore & vocabulo beati Sancti Maximi Confessoris Domini nostri Jesu Christi. Nunc autem quoque Dominus largitus est mihi ipsi Ecclesie per hanc offersionem devote mentis offerre desidero, unde credimus ad Dei omnipotentis misericordiam pervenire. Primum quidem offero ipsi Ecclesie* ad deserviendum & laudem Domino reddendum Pueros hos, qui subter leguntur. Hec *sunt nomina eorum*: Johannes Diaconus, *filius Ursiperti de Valentino, & alius* Johannes

nes Subdiaconus, *filius Leonis*, Liutprandus Subdiaconus *de Liburia*, *filius Liuperti*, Emepertus Clericus, *filius* . . . . . . . Sidepertus, *filius Mauri de Saltu*, Lupus Clericus, *quem datum habui de filiis Aunefrit*, *&* Amipertus Clericus *de Liburia*, *filius Carungi*. *Insimul & de rebus meis ibi obtuli, que subter leguntur; idest terram per circuitum ipsius Ecclesie, & casas, qualiter edificate sunt cum Curte sua, & terra vacua a super ipsam Ecclesiam, uno teniente, que habet fines a subtus erga parietem de ipso viridario nostro duos pedes ab eodem pariete cessanto, & per exiente in plateam, que deducit ad* Portam de Rispizzu, *abinde saliente a capite de ipsa casa, quam* Gualpertus Servus noster *ibi edificavit per latera erga ipsam viam, que deducit ad casam de Rotensibus & ceteris, qui illic habitant, quomodo ipse . . . . discernit, & saliente sub casa de filiis Auderami, & revolvit per ipsam viam, & saliente usque sub casa Filiperti filii Eelesuni, qualiter modo case nostre ibi edificate sunt, & sepes erga ipsam viam, & ferolatum factum est; & de superna parte de ipso monte finis, idem anditus a casa ipsius Filiperti & Madelmi filii Donadei, & Gaudejosi, & Lanfridi filii Laduli, sicut & inde sepis discernit, & ferolatum factum fuit. De alio verò latere descendente sub ipso andito a casa ipsius* Lanfridi, *quomodo ibi sepis est, & derittum in ipso pariete, quem nos misimus retro ipsam absidam de ipsa Ecclesia Sancti Maximi. Et inde qualiter ipse paries edificatus est per derittum, descendente usque in ipsam priorem finem de ipso pariete, qui venit ab ipso viridario nostro a super ipsam Fistulam cessante inde duos pedes. Infra has autem fines in integrum terram illam cum casis suis & cum ipso pariete retro ipsam absidam in ipsa Ecclesia offerui. Illam vero terram & vacuum cum edificio suo, quod est de ista parte de ipso pariete, qui retro ipsam absidam est, in nostra, vel de nostris heredibus reservavimus potestate: introitu quidem habeat ipsa Ecclesia & Sacerdotes ipsius a parte ipsa de ipsa Platea, ubi ipsi Cancelli positi sunt. Et nobis & nostris heredibus liceat introire in ipsam Ecclesiam de ista parte de ipsa casa nostra, ubi ipse anditus modo est, usque ad ipsam Regiam, que in ipsa Ecclesia edificata est, in ipsa subdita subtana de ipsa Ecclesia, ubi Altare Sancti Bartholomei Apostoli edificatum est. Simulque & per . . . . . . offerimus ibi terram, que appellatur de Pandula ad ipsas quercias, capientem seminationem modiorum quatuor, & est ibi arbustum vitatum. Aliam petiam ad Aira Moderasu. Aliam terram de la Pesona de modiis duobus, que est Casattina. Aliam terram, que nominatur de Rosala modiorum duodecim, & arbustum & castanetum & quercietum sive avellanetum. Aliam terram, que nominatur Casa Maurose. Et aliam terram, que fuit de Domininu, que est arbustum vitatum modii unius. Sunt insimul seminationes de fasulis modiorum viginti. Et est circa Casam Amabilem, quam cum integro ipso Casale de Casa Amabile, uno teniente, quantum modo ibidem habeo, ut in antea ibi aquisiero, cum ipso* Servo nostro, *nomine* Palumbo, cum uxore & filiis & filiabus & pertinentia sua, *quod mihi dedit Leo de Alexandria. Hec omnia sunt in finibus Sarnensibus. Insimul & integrum rem illam, que est in loco, qui vocatur Malianus Salernitane finis, que discernit inter has res & rem, que fuit Aloriffi, infra ipsas fines in integrum cum ipsa casa, que intus hanc posita est, cum omnibus intra se habentibus, ibique obtuli, & quantum ibi adhuc paravero.*

*Et insuper ista offersio offerta permaneat, quam etsi Dei vocatio mihi evenerit ubique, & aliter modo de rebus meis non pareat judicatum, per ipsam offersionem volumus atque statuimus, ut pro salute anime eveniat integra portio mea de rebus substantie mee per diversa loca in prefata Ecclesia Sancti Maximi, quam ad filios nostros reliquimus, ut talem portionem inde percipiant Rectores ipsius Ecclesie in possessione ipsius Ecclesie, qualem unum de meis filiis, absque* Servis & Ancillis, *qui continentur in ipsa mea portione*, quos volumus, ut Liberi vadant *pro salute anime nostre*: qui habuerint cispitem, cum suo cispite, & qui cispitem non habuerint, sufficiat ipsis Libertas sua. *Tali ordine supradicte Ecclesie nostre Sancti Maximi ea, que preleguntur, omnia offerui, ut ex ea semper ibi hospitium & eleemosina esse debeat pro pauperibus & viduis ac debilibus per Sacerdotem illum, quem ego ibi ordinavero. Et post defunctionem nostram, licentiam habeant heredes nostri ibi ordinationem facere post obitum illorum Sacerdotum, quos nos ibi reliquerimus ordinatos. Nam non quod filius aut heres meus inde aliquid tollere, aut subtrahere possit, aut cuilibet per quamcumque rationem dare, aut alienare, nisi tantùm ut ordinationem ibi faciat de Sacerdote, qui bonum habeat testimonium, ut semper ibi eleemosina & hospitium esse debeat de debilibus & pauperibus & viduis pro mee salute anime. Et si Pontifex hujus Salernitane Sedis Ecclesie istam nostram legibus adjungere poterit, volo ut tantum ipsam Ecclesiam cum suis parietibus habeat, nam nullum aliud, quod supra legitur, quod ibi modo dedimus, aut in antea dederimus. Sed neque aditum ibi ad ingrediendum habeat, sed tantùm hospitium eleemosinarum fiat inde semper adimpletum de omnibus, que ibi modo dedimus, aut in antea dederimus. Et si heredes nostri hoc non adimpleverint, aut si inde aliquod subtraxerint, vel si a parte Palatii illorum fuerit contractum, aut toltum, volo, ut veniat in potestatem Abbatis Sancti Benedicti, qui in illis diebus fuerit, Ecclesia ipsa cum omni eo quod supra legitur, tantùm ad ordinationem ibi faciendam de Sacerdote bonam famam habente, qualiter semper eleemosina & hospitium, ut supra legitur, adimpletum fiat. Nam si pro alio modo heredes mei ea, que superius leguntur, removere quesierint, aut contrahere, vel si exinde alicui dare presumpserint per quemlibet modum, illud quod datum paruerit, sit diruptum, & permaneat sicut superius legitur. Et si contigerit, ut veniat ista Ecclesia in ordinatione de predictis venerabilibus locis per negligentiam de meis heredibus; si observare contempserint, sicut supra nos precipimus & ordinavimus, de ipsa Ecclesia & de ejus rebus heredes mei non possint inde aliquid subtrahere aut minuere, nisi plicentur secum Abbates cum illo, qui fuerit ad ordinandum ibi Sacerdotem, qui adimpleat supradicta nostra precepta. Et si amplius inde contrahere presumpserit aut tollere quesierit, jam nullam ibi habeat potestatem ordinandi aut dominandi; & ubi illorum scriptum istud per duas, aut tres vices ante Judicem publicum ostensum & relectum fuerit; & in antea inde perseveraverit causandum, centum Beneventanos Soldos sit culpabilis componendus ille Abbas, in cujus illis diebus fuerit dominatio. Et in antea inde taciti ma-*

*maneant in expositum, ne forte agantur a custodibus supradicti venerabilis loci ea, que nos supra detestavimus, ut illum perdere debeat, & revertatur ad meos heredes, si factum fuerit, sicut supra legitur, ista fiant. Et omnis laboratio, quam adhuc fecerimus, quantum est infra fines erga ipsam Ecclesiam, in prefata Ecclesia permaneat. Prius hec omnia, que supra leguntur, judicamus, ut dum ego, qui supra Guaiferius evixero, in mea sit potestate faciendi que voluero, & in aliis modis judicandi qualiter mihi placuerit, & quod in aliis modis per quamcumque rationem exinde judicavero, stabile & firmum permaneat. Nam si aliter a nobis judicatum non fuerit, predicta omnia cum finibus & viis suis in ipsa Ecclesia permaneant, quam & hic firmo, ut si toti filii nostri absque filiis vel filiabus de legitimis suis uxoribus defuncti fuerint, & res, quas illis reliquerimus injudicatas, reliquerint, omnes ille res absque* Servis & Ancillis *pro illorum & nostre salute anime veniant in istam Ecclesiam Sancti Maximi*. Servi vero & Ancille cum sua pertinentia, quam habuerint, vadant liberi, & qui non habuerit, habeat libertatem suam. *Et hunc tenorem te Jotonem Notarium sic scribere rogavi, ut hanc offersionem mihi reddas, ut ex ea faciam, quod mihi placuerit.*

*Actum Salerni, Mense & Indictione suprascripta.*

✠ *Ego Sichembardus testis sum.*
✠ *Ego Sichardus me subscripsi.*
✠ *Ego Landemari me subscripsi.*
✠ *Ego Adelchisi filius Veroni me subscripsi.*
✠ *Ego Gaydo me subscripsi.*
✠ *Ego Zando Gastaldus.*
✠ *Ego Alays testis subscripsi.*
✠ *Ego Grimoald me subscripsi.*
✠ *Ego Petrus testis sum.*
✠ *Ego Raduni testis sum.*
✠ *Ego Benedictus.*

„ Cum autem ipsa Chartula ostensa fuit, „ quoniam litere ipsius estense chartule in tantum erant plerisque partibus pre nimia vetustate delete, quod cum summo periculo „ vix legi poterant, velut omnibus literarum „ scientibus illud videntibus manifeste patebat, „ idcirco ipse Dominus Abbas pro parte ipsius „ Ecclesie Sancti Maximi, que videlicet Ecclesia suprascripto Monasterio Sancte Trinitatis pertinet per firmam Chartulam Domni „ VII. Gregorii venerabilis Pape, concedente „ etiam Domno Gisulfo in illo tempore Salernitano Principe, & ipsa Chartula typario „ ejusdem Domni Pape plumbea bulla bullata „ est: & per confirmationem unius Privilegii „ Domni Urbani II. Pape, quod datum fuerat „ Venusie per manus Johannis Sancte Romane Ecclesie Diaconi Cardinalis & Prosignatoris ipsius Domini Urbani Pape, undecimo „ Kalendas Octobris Anno predicte Incarnationis MLXXXIX. Indictione XIII. Pontificatus ejus Anno II. & per confirmationem „ alterius Privilegii Domini Paschalis II. Pape, „ quod datum fuerat Salerni per manus suprascripti Johannis tertio Kalendas Septembris „ Indictione VIII. Anno predicte Incarnationis „ MC. Pontificatus ipsius Domini Paschalis „ secundo, & in eo subscriptus est ipse Dominus Paschalis, & quamplures Episcopi & „ Cardinales: me deprecatus est, quatenus „ ipsam Chartulam, que per jussum ipsius „ Domini Abbatis, ut prelegitur, estensa est, „ in hac Chartula declarari juberem. Quibus „ denique precibus annui, & ipsam Chartulam te Johannem Notarium & Advocatum „ in hac Chartula literis declarare jussi, memorans quia quod superius disturbatum est in „ uno loco legitur *intus* & in alio *jus*, & in „ alio *ejusdem Domini*.

✠ *Ego qui supra Petrus Judex.*

In Charta ista Libertate etiam donantur, decedente è vivis Testatore, *Servi & Ancillæ ejusdem, quos volumus*, ait, *ut Liberi vadant pro salute animæ nostræ; qui habuerint cispitem, cum suo cispite; & qui cispitem non habuerint, sufficiat ipsis Libertas sua*. Paria vidimus supra in Charta Vulturnensi Anni DCCC. Nomine *Cespitis* sive *Cispitis*, significare consueverunt majores nostri prædia rustica, è quibus portio Servis singulis excolenda tradebatur. Hinc *Cespitaticum exigere* occurrit in veterum monumentis. Heic ergo Princeps non *Libertatem* tantùm, sed & *Cespites* Servis iis donasse videtur: quod tamen, quum dicatur ibi *Liberi vadant cum suo Cispite*, non satis verisimile appareat. Sed animadvertendum est, fuisse Servos industrios, qui tantum Peculii congerebant, ut agros inde sibi coëmerent, quos uti rem propriam agnoscebant, quamquam jus suum in illos Dominus retinuerit, neque sine ejus venia vendere aut donare eis liceret, uti jam supra ostendi in Donationis documento factæ ab Alberto Uberti Comitis Servo Monasterio Regiensi Sancti Prosperi, Anno Christi MXCV. Ad hæc Servi tanta interdum sibi commoda parabant, ut sibi alios conquirerent Servos, quorum operâ & obsequio uterentur. Inter Lindenbrogii Formulas, Cap. 103. legitur *Ingenuitas* (idest *Libertas*) *quam potest Servus ad alium Servum facere*. Libertatem autem elargiri hisce Subservis non licuit, nisi *cum permissione Domini*, cui suberant locupletes illi Servi. Quum verò indicatum supra fuerit, Ecclesiam minime diremisse Conjugium initum inter Servum unius Domini, & Ancillam alterius: qua ex re manabant incommoda complura in eorum Dominos: dissimulare heic nolo, alicubi interdicta, nulliusque vigoris fuisse ejusmodi Conjugia. In Capitulari Ahytonis Episcopi Basileensis, qui sub Carolo Magno Augusto floruit, apud Dacherium in Spicilegio Tom. I. editionis novissimæ, hæc habentur, Cap. 21. *Ubi verò Mancipia non unius, sed diversæ potestatis juncta fuerint, nisi consentientibus utrisque Dominis, hujusmodi copulatio rata non erit*. Immo ipsa Lex 129. Caroli Magni, quam supra laudavi, idem statuere videtur. Ita enim Servorum Matrimonia non dirimenda ait, ut subdat: *Sic tamen ut ipsum conjugium legale sit, & per voluntatem Dominorum suorum*. Pro hujusmodi Conjugiis adfertur etiam Canon 31. Concilii Cabilonensis habiti Anno DCCCXIII. Verùm eadem exceptio & illic occurrit. Inquiunt enim Patres: *Et hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem Dominorum*. Ergo deficiente Dominorum consensu corruisse Matrimonium videtur. In Lege Salica Tit. 27. §. 6. secundùm editionem Baluzii, *Servus Ancillam alienam*, & contra voluntatem Domini sui in uxorem ducens, *CXX.* denariis multatur. At in Lege Wisigothorum Lib. 3. Tit. 2. *Si quis Ancillam suam Servo alieno sine conscientia Domini sui uxorem dedisset*, Dominus Servi Ancillam ipsam cum filiis sibi vindicabat. Quare varia locorum consuetudo fuit, & diu in Gallia

lia perseveravit pœna indicta Servis matrimonia ineuntibus cum Ancillis alterius Domini; Matrimonia tamen non idcirco dissolvebantur. Finem præsenti argumento faciam, producendo Chartam, dignam sane, quæ in lucem exeratur: quum ex ea constet, quibus pactis homines se olim Servos alicujus constituerent. Cujus rei perquam rara exempla in antiquis membranis supersunt. Hanc debeo supralaudato Amico meo Scalabrinio Ferrariensi, qui ex authentica pergamena ipsam descripsit. In notis Chronologicis aliquid tenebrarum occurret; sed facile agnoscas, illic designari Annum Christi MXVIII.

## Leo de Villa Gurcauræ se tradit in Servum Georgio Subdiacono Ferrariensi, Anno 1018.

IN *nomine Sancte, & individue Trinitatis, Pontificatus verò Domni nostri Benedicti summi Pontificis & universalis Pape in Apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini Sede, Anno Sextodecimo, Regni verò ejus, quod ante regnavit Domni Enrici Regis, antequam Romanorum Imperator efficeretur, Anno . . . . . . decimo, sed modò imperat Anno Quintodecimo. In Dei nomine die tercio mensis Juni, Indictione prima, Ferrariæ, profitens profiteor me ego quidem in Dei nomine* Leo *quondam bone memorie de Villa Gurcaure, ab hoc die per hujus pagine mee vocis, professionis, sponsionis, promissionis, & alligacionis* Servicii, *appresenti die & hora, nullo me penitus cogente neque conpellente nec suadente, vel vim inferente, sed meo proprio deliberativo arbitrio, & spontanea bona voluntate me ipsum . . . . . . . presencia testium, qui in . . . . . . . leguntur*, presencialiter atque corporaliter meam personam trado tibi presenti Georgio Subdiacono *Canonice Ecclesie Sancti Georgii Martiris Christi*, ad serviendum tibi omnibus diebus vite mee, tantùm pro precio Denariorum Solidos treginta, *quos tu dederas pro me* Eriberto Comiti *in presencia testium Ingr. . . . . . . & Bonizo amborum filiorum quondam bone memorie Rotecarii, & Rainfredo & Leonis de Barundo. Propterea placet mihi a presenti die & hora, bona & sincera mea voluntate* deservire & obsequiare sive supplicare tibi jam dicto Gregorio Subdiacono omnibus diebus vite mee, cum vera fide & humilitate, sine fraude, vel absque malo ingenio, intus & foris, ad qualemcumque laborem vel obsequium nocturnum rei licite, vel diurnum mihi imperaveritis facere, illud sine contradictione libenter atque diligenter adimplere, & facere & custodire promitto *tantùm pro suprascripto beneficio, sicut supra legitur: & pro altero beneficio* mihi facere debeas omnibus diebus vite mee vestire & calciare, nutrire & pascere & gubernare, & per singulos annos finitos duodecim Denarios debeas mihi, *& debeas tantùm in mea humilitate reconditos. Et insuper* nec fugam me arripere presumo per ullam occasionem vel ingenium: quod si fortasse latenter & furtive cum vestris rebus furatis de vestro Servicio exire nisus fuero, aut fugam in quamlibet Terra . . . . . partes arripere presumpsero, liceat tibi Georgio Subdiacono, Domino, *benefactori meo, vel per tuum Missum* me inquirere & persecuitare, & me ubicumque inveneritis fugitivu latronem apprehendere & disciplinare, & me in vestrum Servicium revocare ad serviendum tibi omnibus diebus vite mee, *sicut supra legitur, pro suprascripto beneficio, sicut supra legitur. Et quod . . . . . . . at & advertat divina potentia, & si fortasse ego quidem suprascriptus Leo promissore atque sponsor omnia, sicut supra legitur, conservare & adimplere noluero, & de vestro Servicio exire voluero, vel aliquam controversiam sive contrarietatis calumniam contra hanc sponsionis atque promissionis & alligacionis servicii paginam dicere voluero*, promitto *componere & dare tibi Georgio Subdiacono ante omne litis initium vel inter . . . . . . pene nomine, Denariorum Libras sexaginta. Et post penam solutam permaneat ista promissionis, sponsionis, & alligacionis Servicii mei pagina, sicut supra legitur, in suo robore firmitatis. Quam scribere rogavi Demetrium Tabellionem & Judicem hujus Civitatis Ferrariæ, in qua manu propria adfirmavi, & testes adfirmare rogavi, qui inferius leguntur. Et sub eorum presencia* meam personam tradidi corporaliter tibi Georgio Subdiacono *pariter cum ista sponsionis vel promissionis, & alligacionis Servitutis, & corporalis tradicionis pagina, sicut supra legitur, ad serviendum tibi Georgio Subdiacono omnibus diebus vite mee pro suprascriptis beneficiis, sicut supra legitur, sub die tercio mensis Junii, Indictione I. Ferrarie.*

*Signum ✠ manus suprascripto Leo Sponsor atque promissor ad omnia, sicut supra legitur conservanda relectus est auctor.*

*Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ manuum Johannis de Fermosus, Ugo de Lovado, & Bonando de Rotardo, & Teuzo frater Johannis de Fermoso, & Genuarius, & Angilbertus, & Urso Rex, ad omnia, sicut supra legitur, electi, & rogati sunt testes.*

*Ego Demetrius Tabellio & Judex hujus Civitatis Ferrariæ, scriptor hujus pagine sponsionis, promissionis, & alligacionis servicii, sicut supra legitur, post roboracionem testium traditam complevi & absolvi.*

# DE MANUMISSIONIBUS SERVORUM, ET DE LIBERTIS, ALDIIS, AC ALDIANIS.

## DISSERTATIO QUINCTADECIMA.

# DISSERTATIO QUINCTADECIMA.

DE *Servis* dixi. De *Libertis* quoque aliquid dicendum restat. Non erat olim infelix adeo servilis conditio, ut sublata foret spes aliquando recipiendæ aut acquirendæ Libertatis. Immo hujusce præmii imago ante oculos Servorum consultò semper statuebatur, Heris nimirum recte perpendentibus, auctum iri ad amœnum hunc aspectum eorum fidem, patientiam, ac solicitudinem erga Dominum, ejusque negotia. Et reapse sive quod inter Dominorum virtutes postrema non esset humanitas, sive quod illorum gratiam quantis possent artibus Servi sibi conciliarent, non rarò miseri ad Libertatem assurgebant. Id per *Manumissionem* peragebatur, iique *Liberti* deinde appellari consueverunt. Quid Græci, quid Romani, aliique Populi præstiterint olim in manumittendis Servis, nihil est, quod ego in præsentia commemorem. A doctissimis Jurisconsultis, aliisque eruditis viris, qui ejusmodi argumentum persequuti sunt, hæc petat, qui velit. Meum est in posteriora Sæcula inquirere; quamvis enim & ista retinuerint, ac diutissime servarint, ut supra indicavimus, veterum Romanorum consuetudinem tum in alendis, tum in Libertate donandis Servis, diversos tamen ab iis ritus ac leges invexere, quas habere perspectas neminem, uti spero, pigebit. Erant ergo olim Servi, eorumque familiæ non solùm Sæcularibus Dominis, sed & Ecclesiis, Clericorum Collegiis, ac Monasteriis utriusque sexus. Laicis Dominis suos manumittere, sive ut ajebant, *libertare*, familiare fuit; perquam rarò id ab Ecclesiis ac Monasteriis factum, non aliâ, ut videtur, de caussâ, nisi quod Manumissio sit quædam alienationis species; bona verò Ecclesiarum alienare non à recentibus tantùm, sed ab antiquis Conciliorum decretis interdictum erat. Vide c. *Abbati* Dist. 54. & c. *Episcopi*, *de reb. Eccles. non alienandis*. In Chronico Monasterii Beneventani Tom. 8. Ital. Sacræ, quosdam videas revocatos à Principe in Servitutem, quod eos Abbas sine ipsius Principis sententia & consensu Libertate donasset. Quod solum frequenti in usu fuit, si quando Servorum filii, quamquam & ipsi Servitutis vinculo, aliquam Literis operam dabant, ita ut digni viderentur, aut saltem non indigni, quibus Ordines sacri conferrentur: tunc & Episcopi & Abbates minime difficiles se præbebant ad consentiendum eorum votis, sinebantque eos sacris initiari. Et quoniam ut legitur in Concilio Chalcedonensi Can. 4. *cum fastigio Sacerdotii non bene componitur servilis vilitas*, ii prius per Manumissionem à Dominis in libertatem vindicandi erant. Immo & juri Patronatus renuntiare Domini cogebantur: quod si secus factum fuisset, atque insciis aut invitis Heris quisquam è Servis Clero adscriberetur, is reclamante Domino de gradu dejiciendus erat, & pristinam Servitutem servire cogebatur. Propterea Servitus à recentioribus inter species Irregularitatis meritò recensetur. Quum de hisce multus sit sermo in Decreto, Dist. 54. & in Decretalibus Tit. *de Servis non ordinandis*, supervacuum duco in hanc rem antiquos Canones commemorare, uti & veterum testimonia ac recentiorum. Aliquando etiam statutum fuit, legitimè Clericali militiæ nomen dedisse, qui id præstitisset sciente dumtaxat, & non contradicente Domino, uti habetur Dist. 54. c. *si Servus sciente*. Græcis quoque Ecclesiis hunc esse morem ostendit Clariss. Papadopolus in Prænotion. Mystagog. Resp. 2. Sect. 5. Itaque prima *Manumissionis*, ut ita dicam, species fuit ipsa sacrorum Ordinum collatio, quamquam illam præcedere semper soleret actus ipse Manumissionis à legibus præscriptus. Cujus quidem ritus exemplum, hoc est vetustissimam Manumissionis Formulam ego produxi Tomo 2. pag. 187. Anecdotorum Latinorum. Atqui ostium hoc tam sibi commodum ad Libertatem patere conspicati Servi, nil mirum, si certatim eo ruerent; ac propterea antiquis Sæculis tanta Sacerdotum turba è Servorum castris ad sacri Altaris ministeria conscenderet. In id persæpe nullo negotio ipsi quoque consentiebant Domini, sive Episcopi, sive Monachi, sive Laici, quod plerisque Ecclesiæ forent, aut Capellæ juris proprii, sive juris patronatus; & quum de Sacerdote aut Parocho sacris iis locis præficiendo agebatur, satius arbitrabantur, unum ex Servis suis ad id muneris deligere, morigerum sibi facile futurum, quàm extraneum nihil sibi antea obnoxium. Hinc ergo manabat tantus ille Servorum confluxus ad Sacerdotium; atque is mos non barbaricis tantùm Sæculis invaluit, sed ipso quoque Sæculo Christianæ Æræ V. quum eum, ut supra innui, improbarit Synodus Chalcedonensis, & postea Carolus Magnus Augustus, uti in præcedenti Dissert. vidimus.

In Additamentis ad Leges Langobardicas à me editis Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 113. Carolus Magnus hæc statuit: *De propriis Servis vel Ancillis ut non amplius tondantur, vel velentur, nisi secundùm mensuram, ut & ibi satisfiat, & Villæ non sint desolatæ*. Heic *tondantur* pro *tondeantur*, idest Clericali tonsurâ Deo sacrentur. *Velentur* de Ancillis dictum est, quæ sacro velamine sumto Monasticam vitam amplectebantur. Vides, quousque excreverit Servorum impetus erga sacra ministeria, plerumque, ut puto, Pietatis ac Religionis intuitu, sed non rarò cupiditate asserendi sese in Libertatem. Verùm quum agri iis potissimum excolendi traderentur, eorumque agmina inde avolarent, ut Templo inservirent, unde in agri culturam, ipsamque rem publicam incommoda non pauca consequebantur: sapientissimus ille Augustus intemperantiam hanc coërcendam ratus, statuit, ut modus aliquis foret in posterum provehendis ad sacra servilis conditionis hominibus. Ad hæc Lege 138. inter Langobardicas edixit: *Ut Servum alterius nemo solicitet ad Clericalem vel Monachalem ascendere Ordinem sine licentia & voluntate Domini sui*. Antea verò Liutprandus Rex Lib. V. Cap. 24. Legum Langobard. sacros Canones idem vetantes præ oculis habens, Legem hanc promulgavit: *Si quis servum alienum sine voluntate Domini sui clericaverit*, com-

*componat Domino ejus pro illicita præsumtione Solidos XX. & ipse Servus revertatur ad proprium Dominum : & ipse Dominus ejus eum habeat, sicut voluerit*. Instauravit hanc eamdem Legem Ludovicus II. Augustus Lege 30. inter additas à me Legibus Langobardicis, ubi statuit : *Ut nemo præsumat alterius Servum Ministrum Ecclesiæ constituere vel benedicere, antequam à Domino suo tradatur in manu Pontificis in Libertate integra persistendum omnibus diebus. Nec possit Dominus post illum diem dominationis jus in eum exercere : & tunc sicut Domini voluntas est, ad sacrum Ordinem accedat*. Mitto Capitularia Ludovici Pii in hanc rem legenda Tom. 3. Concil. Gallic. & apud Baluzium : quorum rigore consultum est Servis, *qui passim ad gradus Ecclesiasticos indiscrete promovebantur*. Denique Præsules & Abbates proniores reddebat ad sinendos Servos militiæ Ecclesiasticæ adscribi, quod nihil sibi deperiret ex illorum peculio & quæstibus. Nam (uti habetur in Decretalibus c. *de famulis Tit. de Servis non ordinandis*) *quidquid talibus exstiterit debitum, aut quomodolibet collatum, eis in personas extraneas transmittere non licebit; sed omnia ad jus Ecclesiæ, à qua manumissi sunt, post eorum obitum debeant pertinere*. Ad hæc, teste Concilio Aquisgranensi Anni DCCCXVI. ideo Servos ad sacra munera deligebant sacri Pastores, *ut si quando eis aliquid incommodum fecerint, aut stipendia opportuna subtraxerint, nihil querimoniæ contra se objicere præsumant; timentes scilicet, ne aut severissimis verberibus afficiantur, aut humanæ servituti denuo crudeliter addicantur*. Hæc ibi Cap. 119.


Aliis autem modis ex jure ac ditione Ecclesiarum evadebant Servi. Primò improborum Præsulum vitio, qui nihil sibi religioni ducebant Episcopia aut Monasteria depauperare, nihil morati minas Canonum ac ultionem divinam. Fundos etiam dilapidabant; ornamenta Templorum, ac Servorum familias in affinium aliorumve jus transferebant. Cujus rei abominandum exemplum, atque illud multiplex, nobis exhibet Chronici Farfensis Auctor Gregorius Monachus Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. in Campone perditissimo Abbate celeberrimi illius Cœnobii. Erant & boni, qui Servos suos in emphyteusim Laicis concedebant: cujus etiam moris exemplum non unum prostat in Chronico Monasterii Vulturnensis Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. Præterea per aliam rimam elabebantur Mancipia Ecclesiarum, ac earum servitio sese aut filios suos subtrahebant, Matrimoniis nempe initis cum Liberis personis. Alicubi certe filii, sive nascerentur e Servo & Libera Fœmina, sive ex Libero homine atque Ancilla, deteriorem partem semper sequi cogebantur, hoc est, Servituti erant addicti. At alibi, dum alteruter ex conjugibus Libertate frueretur, idem quoque privilegium ad eorum Liberos extendebatur. Præter quam quod per ejusmodi nuptias sæpe fiebat, ut Servi ita conjugati non tantùm debitas operas detrectarent, sed & ad conditionem suam negandam sensim procederent. Est mihi in hanc rem nobile Diploma, quod ex archetypo descripsi, existente in Archivo Monachorum Casinensium Sancti Petri Mutinæ. Monasterium Leonense, ad quod Charta hæc pertinet, in agro Brixiano à Desiderio Langobardorum Rege fundatum, ac magnifice dotatum, illustre olim fuit, atque illius mentionem fecit Clariss. Mabillonius in Annalib. Benedictin. ad Annum DCCLIX. hæc postea subjiciens: *Verùm, ut habent rerum humanarum vices, hoc Monasterium à Conrado II. Imperatore solo æquatum fuisse tradunt*. Attamen ediscere ex hoc Diplomate possumus, longe post Conradi II. tempora sacrum illum locum, ejusque Abbates viguisse. Eo autem lubentius monumentum istud exero, quod insignis olim loci pæne obliterata fuerit memoria, & paucæ aliæ Chartæ ejusdem ad tempora nostra pervenerint. Vide etiam, quæ de ipso attuli in Differt. XXXVII. *de Hospitalibus*.

## Henrici VI. Imperatoris Diploma, quo omnia privilegia & jura confirmat Monasterio Sancti Salvatoris ad Leones in Diœcesi Brixiana, Anno 1194.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Henricus Sextus divina favente clementia Romanorum Imperator & semper Augustus. Si Ecclesiarum Dei usibus prospicimus, ad eterne vite meritum & prosperiorem temporalis glorie decursum nobis proficere credimus. Quocirca omnium Sancte Dei Ecclesie, Imperiique nostri fidelium, presentium scilicet ac futurorum noverit universitas, qualiter dilectus noster* Gunterius *venerabilis* Abbas Monasterii Domini Salvatoris & Sancti Benedicti, *quod per* Desiderium Regem Lombardorum in territorio Brixiano constat esse fundatum *in loco, qui dicitur Leones, assumptis sibi pluribus intercessoribus presentavit nostris obtutibus Precepta Predecessorum nostrorum Regum & Imperatorum, videlicet* Karoli, Lodowici, Berengarii, Hugonis, *&* trium Ottonum, *atque* Henrici, *&* Friderici: *que eidem sancto & venerabili loco ab eisdem concessa & confirmata sunt, petens & suppliciter poscens, ut ob amorem Dei ea omnia inviolata statuere, atque Precepti nostri auctoritate confirmare & corroborare dignaremur. Cujus precibus ob divine remunerationis premia clementer acquiescentes, hanc nostre auctoritatis paginam perenniter & immutabiliter observandam fieri jussimus, per quam omnia, que jam dicto Leonensi Monasterio quocumque auctoritatis modo collata fuerint, & ea omnia, que hic subter annotantur, absque cujusquam inquietudine vel diminutione prefato Gunterio Abbati, ejusque successoribus, cunctisque Fratribus in jam dicto loco Deo famulantibus confirmamus & corroboramus, atque integerrime largimur. Idest Monasterium cum suis adjacentiis, cum Baptismali Ecclesia Sancti Johannis, cum omnibus eidem Monasterio pertinentibus in summo Lacu, in Vignole, Campilione, Sullo, Materno, Parmole, Gavardo, Cubiato, Gussiaco, Grilliano, Pulliaco, Cavunno, Scavilliano, Casanova, Bisennana, Camposuri, Marmoretulo, Calvisiano, Riclo, Gaide. Solarium in Brixia cum broilo usque in viam Orientis, & cum Ecclesia Sancti Benedicti. Casa in Verona. Rebus in Tervisio, Dale, Nuciano, Paone, Castronovo cum Ecclesia Sancti Andree, Milciano, Gotaringo cum Ecclesia Sancti Petri; Sancta Maria in Mauriatica, Caprina, Cisiniano, Mar-*

*Marcelliano, in Quincianello, Vertuma, Lupellina, Sala, Vila, Ustiliano, Turicella cum Ecclesia Sancti Andree, Puscasiano, Curterupta, Flexo, Fenti, Funtanelle, Bucellano, Curte de Siliano, Campaniola, Tizano cum piscationibus suis, Ariola, Limite, Tostedo, Rivaria cum Portu & piscariis suis, Viacava, Turicella in ripa Largionis, Dosino, Corigiam Viridem. Casa cum orto in Papia inter duos pontes, & molendinum in Catrona in finibus Pergamensibus in Columbario. In Taurinense Auriade. Sancto Martino in Ardene cum spineta. Res Adelrade. Carpenetulo, Ecclesia Sancti Genesii cum possessionibus suis. Gambara cum Ecclesia Sancte Marie, & Ecclesia Sancti Petri. Et omnes Decimas desuper totam Abbatiam in usum pauperum & hospitum. Sancta Maria in Gauseringo, in Idros, & res Baldulfi Abbatis, & Landulfi Diaconi in Granciano, & quasdam res Ramperti in Vernesisco. Et omnem medietatem de piscaria in Celonisco; Gaizulo cum Ecclesia Sancte Marie. Et res Bertaldi Comitis, quas in precaria habuit; Panzimno cum Ecclesia Sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi; & cum Plebe Sancte Marie, & Sancti Sebastiani, que dicitur Basilica nova non longe ab eadem Cella; specialiter etiam cum omni Decima ad eamdem Curtem Panzianum pertinente, quam semper pacifico & quieto ordine tenuit, ex quo predictus Rex Desiderius eandem Decimam juste & legaliter Monasterio tradidit. Et piscaria in Cenoso, Bajowaria, Ducentula, Valeriana, Fontanalata. Et Senodochio Sancti Benedicti in Montelongo & Campo Mercati. Et alio Senodochio, quod dicitur Cassio, cum suis pertinentiis in Miliarina, in Corrigio, Vespariolo, Scandaliano, in Macreto, & Mercatum in eodem loco, in Noceto, in Medesiano, in Aureliano, & duas partes de Strata in Pontremulo, & Ecclesia Sancti Georgii cum possessionibus suis. Et in Serto Manentes sex: in Griniacula cum una Ecclesia; & in Melazano cum duabus partibus de Arcule.*

*Omnia igitur hec superius inserta, & per Precepta predecessorum nostrorum tradita & confirmata, juste & legaliter acquisita vel acquirenda, perpetua stabilitate concedimus præfato Monasterio possidere, habere. Preterea si aliquid est, vel inveniri potest tam in circuitu ejusdem Cenobii, quamque aliorum supra nominatorum locorum ad ipsum pertinentium, quod ad Regale jus desitientibus olim hereditariis successoribus devenerit, eidem Cenobio ob anime nostre remedium nostra preceptali donatione & largimur & confirmantes roboramus.* De Servis verò & Ancillis ipsi loco a suo conditore in servitium Monachorum Deo servientium inibi traditis, qui suos filios vel filias occasione alienandi eos vel eorum filios a servitio, liberis conjugio tradunt, aut e contra suscipiunt, *constituimus & firmamus, ut juxta quod in predecessorum nostrorum Regum & Imperatorum constitutum habent*, sive de paterna, seu de materna generatione descendunt, nullatenus a famulatu discedant, sed in perpetua servitute permaneant, & in suorum parentum, Servorum scilicet conditione perdurent. *Statuentes itaque jubemus, ut nulla Imperii nostri magna parvaque persona prescripti Monasterii Abbatem de omnibus prenominatis molestare vel disvestire sine Imperiali judicio audeat, aut liberos, vel famulos in terra Abbatie locatos aliqua publica functione distringere, vel inquietare, & infra Abbatiam placitare presumat; sed liceat ipsius Monasterii Abbati habere & ordinare Advocatum, quemcumque sibi, vel prefato Cenobio fidelem esse perspexerit, & ipsi Advocato data licentia ab Abbate liceat suos mittere, qui duellum & sacramentum valeant facere: hominesque ejusdem Monasterii nullas redditiones, aut publicas excubias sive angarias, seu exstructiones murorum persolvere, aut pontium novorum vel veterum structuras facere, vel renovare compellantur. Ad hec concedimus, ut liceat Abbati omnes res ejusdem Monasterii per furtum, vel pignore, aut alio aliquo infortunio perditas, per tres sacramentales recuperare, & sine ullius contradictione tenere. Annullamus etiam omnes scriptiones, videlicet libellarias, precarias, commutationes, quas contra justitiam & utilitatem ipsius loci Abbas ejusdem Monasterii viderit esse factas. Insuper statuimus, ut in repetendis illius Ecclesie possessionibus nulla temporis nisi centum annorum prescriptio Abbati & Fratribus ejusdem Cenobii queat obsistere tam in preteritis, quàm in futuris; & ut ipsi se quadraginta annorum prescriptione contra quemlibet impetentem possint tueri. Ex clementi etiam benignitate nostra indulgemus & remittimus sacramenti calupniam Abbati predicti Monasterii, & Fratribus eorumque successoribus in omnibus Ecclesie sue negotiis, sive agant, sive conveniantur. Si quis igitur, quod absit, hujus nostri Precepti violator extiterit, componat auri purissimi Libras mille, medietatem Camere nostre, & medietatem prefato Monasterio. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, presentis Privilegii paginam fecimus inde conscribi & majestatis nostre sigillo roborari. Hujus rei testes sunt* Lanfrancus Pergamensis Episcopus, Odo Novariensis Episcopus, Arditio Placentinus Episcopus, Ubertus Bobiensis Episcopus, *Bonefatius Marchio Montisferrati, Philippus frater Domini Imperatoris, Henricus filius Henrici Ducis Saxonie, Robertus de Durne, Hartmannus de Butingen; Blickerus de Steina,* Walterus *de Eichelberch, Marcquardus Dapifer, Cunradus de Smidevelt, Hildebrandus Marscalcus, & alii quamplures.*

*Signum Domini Henrici Sexti*  *Romanorum Imperatoris invictissimi.*

*Ego Siglous Imperialis Aule Cancellarius vice Domini Adolfi Coloniensis Archiepiscopi, & totius Italie Archicancellarii recognovi.*

*Acta sunt hec Anno Incarnationis Dominice MCXCIV. Indictione XII. Regnante Domino Henrico Sexto Romanorum Imperatore gloriosissimo, Anno Regni ejus XXIV. Imperii verò III.*

*Datum apud Placentiam per manus Alberti Imperialis Aule Prothonotarii, III. Nonas Junii.*

Signum Bullæ ✠ pendentis deperditæ.

Iterum animadverte verba illa: *De Servis & Ancillis ipsi loco a suo conditore in servitium Monachorum Deo servientium inibi traditis, qui suos filios vel filias, occasione alienandi eos, vel eorum filios a servitio, Liberis conjugio tradunt, aut è contra suscipiunt, &c.* Prospicit heic juribus Monasterii Henricus Augustus, repetens, ut puto, quæ in antecedentibus Privilegiis concesserant antiqui Imperatores ac Reges. Accedamus nunc ad *Manumissionum* ritus, qui barbaricis Sæculis non iidem plane fuerunt, atque à Romanis olim observati. Ego præcipuas Manumissionum species olim in Italia usurpatas indicabo. Prima, quam exhibet Lex 225. Rotharis Regis Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. vocabatur *Manumissio per quartam manum*: quia nempe Servus Libertate donandus ab Hero suo tradebatur per manum alteri homini libero; hic rursus secundo; tum hic tertio; tertius quarto tradebat; qui denique eum ducens in quadrivium, conceptis verbis coram testibus ajebat, ei deinceps potestatem futuram pergendi quocumque voluerit. En verba Legis. *Qui fulfreal* (lege *fulfreal*) *& a se extraneum, idest Amund* (id significat *extra potestatem*, sive *Liberum*, ex *A* & *Mond*) *facere voluerit, sic debet facere. Tradat eum prius in manum alterius hominis liberi, & per garantix* (sive per donationem) *ipsum confirmet: & ille secundus tradat eum in manu tertii hominis eodem modo: & tertius tradat eum in quarti: & ipse quartus ducat eum in quadrubio, & thingat in guadia* (idest donationem Libertatis faciat, fidejussorem se præstans) *& gisiles* (hoc est testes) *ibi sint; & sic dicat: De quatuor viis, ubi volueris ambulare, liberam habeas potestatem. Si sic factum fuerit, tunc erit Amund, & ei manebit certa Libertas.* Ita Servus Libertatem consequebatur, *missus* nempe, hoc est dimissus, è *manu*, idest potestate Heri. Altera *Manumissionis* species fuit, quum quis coram Rege, uti olim coram Prætore, stans, per manum, sive per decretum ipsius Regis, Servum suum Liberum in posterum pronuntiandum curabat. Sive eum Regi sub fiducia oppignerabat tradebatque, ut ipsum Libertate donaret. Appellabatur hæc Manumissio *per impans*, idest *in voto Regis*. Adduntur hæc in eadem Lege: *Similiter & qui per impans, idest votum Regis, dimittitur, ipsa Lege vivat, sicut qui Amond factus est.* Hæc autem Manumissio Langobardorum more fiebat per verba Regis, pronuntiantis coram testibus Servum illum *Amund*, sive Liberum. Verùm Lex Salica, sive Francorum, & Ripuaria peculiarem ritum huic Manumissioni addebant. Hoc est, Rex ipse è manu Servi denarium excutiebat, sive aureum, sive argenteum, sive æreum: quasi Servus pretium Libertatis dedisset; nam ut infra videbimus, quamquam Servis nil proprii esset, attamen ex suo Peculio tunc aliquid consueverunt persolvere Hero, eâ, ut puto, ratione, quod *donationes sine Launigild, aut sine commutationibus*, hoc est sine aliqua retributione factæ, legitimæ non erant, ut habetur in Lege 19. Lib. 6. Liutprandi Regis; Plura de hujusmodi Manumissione habent Bignonius in Notis ad Marculfum, Baluzius, Du-Cangius, & alii. Exemplum ego adferam moris hujus, quod mihi oblatum est in Archivo Capituli Canonicorum Arretii; hoc est Diploma Lotharii I. Augusti. Visa est mihi membrana primo aspectu authentica, nisi quod Monogramma Imperatoris ibi non legebatur. Veri tamen videtur simile, levia hujusmodi Privilegia à Cancellario tantùm fuisse signata. Sed neque locum Sigilli deperditi illic animadverti.

## Manumissio Adalbiddi Servi facta per Privilegium Lotharii I. Imperatoris, Anno 844.

*In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Hlotharius divina ordinante providentia Imperator Augustus. Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesie & nostris, presentibus videlicet & futuris, notum sit, quia nos pro mercedis nostre augmento, in Procerum nostrorum presentia*, Servum nostrum Adalbiddum nomine, manu propria excutientes à manu ejus denarium secundùm Legem Salicam, Liberum fecimus, & ab omni jugo Servitutis absolvimus. *Ejus quoque absolutionem per presentem auctoritatem nostram confirmamus, atque nostris & futuris temporibus firmiter atque inviolabiliter mansuram esse volumus. Precipientes ergo jubemus, ut sicut reliqui* Manumissi, *qui per hujusmodi titulum absolutionis a Regibus, vel Imperatoribus a jugo Servitutis noscuntur esse religati, ita deinceps memoratus Adalbiddus per hoc nostrum Preceptum plenius in Dei nomine confirmatum, nullo inquietante, Deo auxiliante, perpetuis temporibus ....... permanere ....... que securus ....... ipse ante Libertatem ........ adquisivit, ita ut deinceps per hanc nostram auctoritatem ....... atque possideat, atque exinde quicquid elegerit, vel voluerit, absque alicujus contradictione, vel repetitione, seu qualibet restitutione. Et ut hæc nostre ....... atque confirmationis auctoritas firma & stabilis permaneat, de anulo nostro subter jussimus sigillari.*

*Hrodmondus Notarius ........ tertio Idus Junii, Anno Christo propitio, Imperii Domni Hlotharii Imperatoris in Italia XXIV. & in Francia IV. Indictione VII.*


*Actum Aq. ..... Palatio Regio, in Dei nomine.*

En ut Imperator *excutiens è manu ejus Servi denarium, secundùm Legem Salicam*, Liberum eum fecit, illique cum Libertate omnia dimisit, quæ antea per suam industriam sibi conquisierat. Ejusmodi autem Liberti appellabantur *Homines Denariales*, ut constat ex Lege XIII. Pippini Italiæ Regis inter Langobardicas. Exemplum alterum Manumissionis hujus habes Tom. I. pag. 126. Veter. Scriptor. Martene, ubi Lotharius I. Augustus *Ancillam nostram, nomine Dodanem, manu propria excutiens è manu ejus denarium, secundùm Legem Salicam, liberatam facit, & ab omni jugo Servitutis absolvit.* Accedat & alterum Diploma, quod archetypum Veronæ reperi apud Monachos Montis Oliveti Deo servientes in Monasterio antiquissimo Sanctæ Mariæ ad Organum.

Ma-

## Manumiſſio Aregiſi Servi, ejuſque Uxoris, & Filiorum facta à Berengario I. Rege Italiæ, Anno 912.

*IN nomine Domini Dei eterni. Berengarius gratia Dei Rex, Noverit igitur omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque præſentium ſcilicet ac futurorum induſtria, nos pro Dei amore & remedio animæ noſtræ quendam* „ Servum noſtrum, nomine Aregiſum, „ cum uxore ſua Adelinda, & filio ſuo Adelardo, & filia ejus nomine Ingeza, ab omni Servitutis ligamine liberaſſe, & Ingenuos dimiſiſſe, & a manibus eorum ſecundùm Regiam conſuetudinem publicæ monetæ denarium excuſſiſſe, eiſque per quatuor angulos Orbis liberam facultatem eundi, ac redeundi præſentis auctoritatis pagina conceſſiſſe, quatenus poteſtative & libere incedant quocumque voluerint, tamquam Miles publicus, Civiſque Romanus. Ad confirmandam vero eorum Libertatem perdonamus, atque largimur eis per hoc noſtræ Denariationis Prçeptum omnem ſubſtantiam & ſuppellectilem ſuam mobilem & immobilem, adquiſitam & adquirendam, quatenus de omnibus eorum ſubſtantiis ita libere & poteſtative in omnibus & per omnia faciant, tamquam ab idoneis & ingenuis hominibus nati vel procreati extiterint, *abſque noſtra, noſtrorumque eredum ac proeredum contradictione. Si quis igitur &c.*

*Signum Domni*  *Berengarii ſereniſſimi Regis.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

*Johannes Notarius juſſu Regio recognovi & ſubſcripſi.*

*Acta IV. Kalendas Octobris, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXII. Domini vero Berengarii ſereniſſimi Regis XXV. Indictione I.*

*Actum Papiæ in Chriſti nomine feliciter. Amen.*

Animadvertas velim *Indictionem Primam* heic ſignatam curſum ſuum cœpiſſe Septembri menſe *Anni DCCCCXII.* ipſumque Diploma datum fuiſſe *Papiæ*. Iſta confer cum aliis Chartis à me producendis in Diſſertat. XXXIV. *de Diplomatis*. Præter excuſſionem denarii *ſecundùm Regiam conſuetudinem*, legitur heic facultas manumiſſis iis data libere *eundi ac redeundi per quatuor angulos Orbis*: quod Langobardicum ritum præ ſe ferre videtur. Sed & aliis Nationibus non abſimilis fuit ritus. Immo & Latinis antiquis, ſcribente Plauto in Menœchmis:

*Liber eſto, atque abito, quo voles.*

Præterea ſecundùm Legem Romanam poſt Imperii declinationem idem pronuntiabatur, ut conſtat ex Formulis Sirmondianis. Heic autem appellatur non Salica, ſed *Regia conſuetudo*, denarii excuſſio: Reges enim ejuſmodi ritum ſæpe uſurparunt, ut conſtat etiam ex Diplomate Ottonis III. Italiæ Regis apud Martene Tom. I. pag. 104. Theſaur. Anecdot. Ii verò manumiſſi dicuntur Liberi, *tamquam Miles publicus*: nam ut in Diſſert. XXVI. *de Militia* monebo, Liberi tantùm homines cingulo militiæ donabantur. *Civiſque Romanus*, non verò *Latinus*: quæ dicendi forma ab ipſis antiquis Romanis, ſed potiſſimùm ex Lege Conſtantini Magni profecta eſt; nullus enim, niſi Liber, Civis Romanus fuit. Uti etiam tradunt vetuſtiſſimi Scriptores, quicumque Servitutis vinculo ſolvebatur, efficiebatur Civis Romanus, ac *jure Quiritium* frui incipiebat, hoc eſt pari cum Civibus Romanis libertate. Ita manumiſſus *Widerbora* dicebatur, ideſt quodammodo *renatus*. In Formula Sirmondiana de Servo, jugo Servitutis ſoluto; dicitur: *& ſicut alii Cives Romani vitam ducat ingenuam*. Eadem dicendi forma occurrit in aliis eorum temporum Chartis, atque etiam roboratur auctoritate Legis, *qui religioſa* Cod. *de his, qui in Eccleſiis manumittuntur*. Vide & Ennodium in Opuſcul. VIII. Sed omnium vulgatiſſimus ritus Manumiſſionis præcipue Sæculis poſterioribus fuit, Servos in libertatem aſſerere in ſacris Templis coram Epiſcopo, aut coram Sacerdotibus & Populo, tum ad majorem rei ſtabilitatem, tum etiam ad uberiorem gloriam Chriſtianæ Caritatis. Fere enim ſemper dimittebantur *Servi pro remedio*, ſive *mercede animæ ſuæ*. Ducebatur autem Servus juxta, ſive ut dicere conſueverunt, *circa Altare*, aut *ante ſacri Altaris cornu* (Cereum accenſum in manibus tenuiſſe ejuſmodi homines, Chartæ infra edendæ prodent) ibique Dominus diſertis verbis eum à Servitutis jugo ſolutum pronuntiabat. Id quoque ſecundùm Jus Romanum factum, atque ab ipſius Conſtantini Magni temporibus, uti luculentiſſimè nos docent binæ leges Codicis Juſtinianei Tit. *de his, qui in Eccleſ. manumitt.*, quas etiam legimus in Theodoſiano Tit. *de Manumiſſionibus in Eccleſia*. Adnotavit autem doctiſſimus vir Jacobus Gothofredus. ritum hunc ex Ethnicis ad Chriſtianos traductum fuiſſe: quum & illi in Templis, aut in comitiis Populi, Servis ſuis Libertatem largiri ſolerent. Præterea in Africa eumdem Manumiſſionis morem obſervatum teſtatur Sanctus Auguſtinus Serm. XXI. edition. Benedictinæ Sancti Mauri iis verbis: *Servum tuum manumittendum manu ducis in Eccleſiam. Fit ſilentium. Libellus tuus recitatur; aut fit deſiderii tui proſecutio*. Infra ex eodem diſcimus, tunc frangi ſolitas *tabulas* ſcriptas, quo tempore Servus emtus fuerat, aut ad ſerviendum ſeſe obtulerat. Proinde novæ tabulæ ſcribebantur, Libertatem conceſſam prodentes, quibus manum ſuam teſtes addebant. Qui *Chartularii, Chartellati, & Chartulati* in Capitularibus Regum Francorum, L[illegible]

Langobardicis, aliisque veterum monumentis occurrunt, nihil aliud fuisse creduntur Du-Cangio, quàm Servi per Chartam manumissi. Quod certum mihi est, ii in Privilegiis, quæ Reges aut Imperatores concedebant, una cum Servis, Colonis, & Libellariis enumerantur, ut infra patebit. Solicitus verò fuit quicumque libertate donatus, ut Charta sibi conscriberetur, cujus ope, quoties res posceret, beneficium sibi collatum ostenderet ac tueretur. Occurrunt & *Commendati* in veterum Chartis; at isti Manumissione minime indigebant, ut plenam Libertatem reciperent. Quippe fuerunt aut *Liberi*, aut *Liberti*, sed plerumque Ingenui, qui alicujus patrocinio ac tutelæ sub certis obligationibus, servilis interdum conditionis faciem referentibus, sese commendabant. Formulam Sirmondianam habemus num. 44. in qua vir Ingenuus, sive Liber, *minime habens, unde se pascere vel vestire debeat, ideo* (inquit) *petii pietati vestræ, ut me in vestrum Mundoburdum tradere vel commendare deberem. Eo videlicet modo, ut me tam de victu, quàm & de vestimento, juxta quod vobis servire & promereri potuero, adjuvare, vel consolare debeas; & dum ego in caput advixero, Ingenuili ordine tibi servitium vel obsequium impendere debeam: & me de vestra potestate vel Mundoburdo tempore vitæ meæ potestatem non habeam subtrahendi, nisi sub vestra potestate vel defensione diebus vitæ meæ debeam permanere.* Habes heic, quid *Commendati* fuerint, qui & *Commenditi*, & *Commendatitii*, interdum appellati sunt. Servi minime erant: attamen servitium suum atque obsequium Domino, sive Seniori, dum viverent, *ingenuili ordine* obligabant. Atque hac luce prævià etiam intelligas, quid significet Carolus Magnus in Lege centesima inter Langobardicas Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. ubi ait: *Ceteri verò homines Liberi, qui vel Commendationem, vel Beneficium Ecclesiasticum habent, sicut reliqui homines justitiam faciant.* Alibi quoque legitur *Commendare se alicui, & terram ab eo in Beneficium accipere*; ita ut etiam Vassi, ac propterea Ingenui, quandoque appellarentur *Commendati*. Satis erit Diploma producere, ex quo intelliges, non *Servos* tantum, sed & *Colonos*, *Libellarios*, *Chartulatos*, & *Commendatos* aliqua conditione obnoxios sive subjectos fuisse Privilegia quærentibus à Principe supremo. En ipsum depromptum è Chartophylacio Monasterii Veronensis Sancti Zenonis.

## Hugo Italiæ Rex Monasterio Veronensi Sancti Zenonis omnia illius Privilegia & jura confirmat, Anno 926.

*IN nomine Domini Dei æterni. Hugo divina favente clementia Rex. Quia regalis potestas supra omnia & præ omnibus divino debet cultui esse semper intenta, & Ecclesiarum Dei sarcinam libenter portare ac sublevare, quatenus id agendo æternæ remunerationis præmia percipere mereatur: idcirco noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet & futurorum industria,* Adelbertum & Notkerium *reverentissimos* Episcopos *dilectos, fideles, & Consiliarios nostros, humiliter nostræ serenitatis exorasse clementiam, quatenus ob amorem Dei omnipotentis, beatique Zenonis Confessoris Christi reverentiam omnes proprietates ac possessiones Monasterii prædicti beatissimi Zenonis, ubi Corpus ejus sacrum quiescit humatum, quæ ab antecessoribus nostris Imperatoribus scilicet & Regibus, Episcopis, Comitibus, bonisque hominibus delegatæ sunt & concessæ, per nostræ munificentiæ præceptum corroboraremus, modisque omnibus nostra Regia auctoritate confirmaremus, & idem Monasterium sub nostræ tuitionis mundburdum recipere dignaremur. Quorum ratas petitiones estimantes, misericordiam omnipotentis Dei, & ejusdem beatissimi Confessoris Christi Zenonis merita, & intercessiones nos adjuvari considerantes, omnia Privilegia & Præcepta ipsius Monasterii, quæ concessa sunt, confirmata & funditus delegata priscis temporibus ab antecessoribus nostris Imperatoribus scilicet & Regibus, seu omnes scriptiones, universasque res cum familiis & Servis utriusque sexus, unde ipsum Monasterium juste & legaliter hactenus investitum permansit, & quicquid inibi legibus pertinere dinoscitur tam per commutationes & precarias, quàm per offersiones aut oblationes bonorum hominum, sive aliquas traditiones, & quascumque donationes, quæ dici aut nominari possunt, per hanc præsentem nostræ munificentiæ auctoritatem perpetuo confirmamus, modisque omnibus corroboramus, quatenus sicut superius scriptum est, in integrum æternaliter possideat, teneat, jureque proprietario vindicet sine contradictione, molestatione, vel minoratione aliquorum hominum. Insuper etiam ad nostræ mercedis augmentum idem sacrum Monasterium cum omnibus rebus & facultatibus suis mobilibus & immobilibus,* Familiis, & Servis utriusque sexus, Mancipiis, Colonis, Libellariis, Cartolatis, Comendatis, omnibusque hominibus in Castellis & prædiis ejusdem Monasterii habitantibus, *sub nostræ tuitionis & perpetuæ defensionis mundburdum recipimus. Præcipientes quoque, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Viceccomes, Sculdassio, &c. Ceterum nostro bando bandimus, ut si quis fortasse aliquid de supradictis rebus hactenus injuste detinuit, & in suos usus, suaque potestate & temerario ausu possedit, nisi amodo se a tali violentia subtrahat, se, suosque homines removeat, vel si . . . . . . . . . hoc nostræ munificentiæ & defensionis Præceptum infringere, aut contradicere, aut violare aliquando temptaverit, centum Libras auri obrizi componat atque persolvat, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem &c.*

*Signum Domni*  *Hugonis piissimi Regis.*

Sige-

*Sigefredus Cancellarius ad vicem Beati Episcopi & Archicancellarii relegi & subscripsi.*




*Data VII. Idus Augusti, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXVI. Domni verò Hugonis piissimi Regis Primo, Indictione XIV.*

*Actum Veronæ in Christi nomine feliciter. Amen.*

Certe *Commendatos* à Servili conditione abfuisse, docet nos Placitum Anno Christi DCCCLIV. habitum, atque à me editum in Chronico Vulturnensi Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 398. Ibi homines quidam contra Monachos Vulturnenses disputando ajunt: *Nos & parentes nostri semper Liberi fuimus; nam nos per defensionis causam fuimus Liberi homines Commendati in ipso Monasterio, non pro servi*. Sed cœptum inter repetamus. Apud Francos, Wisigothos, Ripuarios, Alamannos, aliasque gentes idem Manumissionis ante Altare ritus propagatus est, uti præter alios jampridem ostendit Du-Cangius in Glossar. Latino. Ego exemplum producam è membrana authentica Archivi Estensis petitum, ex quo edisces præcipuos ritus antiquarum Manumissionum.

## Willa Comitissa, olim uxor Hugonis Ducis atque Marchionis, libertate donat in Civitate Bononiensi Clerizam Ancillam suam, Anno 1056.

IN *nomine Sanctæ individuæ Trinitatis; Anni Incarnacioni Domini nostri Jesu Christi Millesimo Quinquagexino Sexto, imperante Domnus Enricus filius quondam Domni Chonradi Imperatori, Anno X. die XIV. mense Genuarius, Indictione IX. Dei omnipotentis inspiracioni Domini nostri, qui misit Filium suum in terris Jesum Christum Dominum nostrum, salutem Mundi, qui nos liberavit de tenebris & umbra mortis suo proprio sanguine, & in cruce suspensus fuit, & multa sustinuit ingnuria pro nobis peccatoribus exemplum bonum reliquit . . . . . misertus fuit, ita & nos, qui de terra formati sumus, similiter misereri debemus . . . . . circa quidquid ligata fuerit in nostris potestatibus quantum possumus ad libertatem ve. . . . . que & absolucionemque dare & sperare debeamus. Et ideo nos quidem in Dei nomine* Domne Wille *inclite* Cometisse, relecta quondam Domni Hugo *gloriosissimo, qui fuit* Dux & Marchio, & Ugo & Alberto, *eciam* Bonefacio, *sicque* Ubaldo *germanis una pro Domini voluntate inspiracioni magna claritatem* libera & absolvo te Cleriza filia Uberto de Castro Petrosa, *quod vocatur* Planoro, *pro timore omnipotentis Dei, & remedio luminarie anime bone memorie quondam suprascripto* Domni Ugo *gloriosissimo, ut quando illum Dominus de hac vita migrare jusserit, pars iniqua non abeat potestatem ullam, sed Angnelus Domini nostri Jesu Christi colocare dignetur, & illum inter Sanctos dilectos suos . . . . . ps misertus sit illum, & magnum prestet refrigerium; & beatus Petrus princeps Apostolorum, qui habed potestatem omnium animarum ligandi & absolvendi, ut ipsi absolvat anime ejus de peccatis sui, & aperiad illum janua Paradisi: pro eadem vero rationi, pro timore Domini nostri Jesu Christi*, in mano mito te Benzo Presbiter da Plebem Sancti A. . . .ani, ut vadat tecum in Ecclesia Sancti Bartholomei Apostoli, traad te tribus vicibus circa Altare ipsius Ecclesie cum cereo apprehensum in manibus tuis & in manibus suis: deinde exite & ambulate in via quadrubio, ubi quatuor vie se dividuntur, & date eam licenciam. *Statinque pro remedio luminarie anime bone memorie de quondam suprascripto Domni Ugo, & ipse Presbiter Benzo fecit omnia, sicut ipsis suprascriptis precedit, & dixit*: ecce quatuor vie: ite & ambulate in quacunque partem tibi placuerit tan tu suprascripta Cleriza, qua nosque tui heredes, qui ab ac hora in antea nati, vel procreati fuerit utriusque sexus. *Et ego filius Domne Wille & Hugo, & Alberto, & Bonefacio, & Ubaldo per hanc Cartam* libertacioni, absolucioni, ingenuitatis libera & absoluta permanead, tu suprascripta Cleriza, tuisque heredes, *sicut superius dixit*, abeatis vias apertas *portas Paradisi*, portas Civitatis, portas Castellis in placitis & in conventis locis ambulare, & stare, & wadia pro te dare, & omnes fines facere, comodo melius potueritis vel volueritis. Sit tibi concessum & perdonatum omne conquisitum vel agregatum, cod abeatis, vel cod in antea aquidere potueritis tantu suprascripta Cleriza, quanque tui heredes. *Ut neque da nos, neque da nostris heredes, aut per somisa vel rogativa persona nostra . . . . . occasiones de ipsum* jugo servitutis tan tu *antedicta Cleriza, quanque tui heredes . . . . . . . sitis exinde securi & quieti, adque pacifici permа-*

*maneatis sine ullo detrimento . . . . . . ut si forsitans nos supraſcriptis vel heredes, hanc prohe-redes , vel parentes nostris aliquam molestiam contra te Cleriza , vel contra tuos heredes agere , aut causare , vel querere aut molestare presumpserimus , aut agentibus consenserimus , & non permanserimus in ea omnia , qualiter supra legitur , tum daturi promittimus nos supraſcriptis Domne Wille inclite Cometisse & Ugo & Alberto & Bonefacio & Ubaldo , vel heredes nostris componere & dare tibi supraſcripta Cleriza , vel ad tuis heredibus pene nomine auri obtimo Libras duo , & post pena soluta presens Carta libertacioni , sicut supra legitur , omni tempore in sua firmitatem permanead . Et insuper anathematis danacioni perculsum sempiternum jacula ferientur , & cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi abeant partem , & cum Beelzebut princeps Demoniorum abitet, ubi vermes non moriuntur , nec flamma estinvvitur .*

*Actum in Monasterio Sancti Bartholomei Apostoli , Indictione supraſcripta Nona .*

*Signum manibus supraſcripta* Domne Ville *inclite* Comitisse *relecta* , *qui hanc Cartam libertacioni , absolucioni , ingenuitatis , sicut supra legitur , fieri rogavi , & eas relecta est .*

*Signum manibus supraſcriptis* Domni Ugo , *eciam* Domni Alberto , *sicque* Domni Bonefacio , & Domni Ubaldo *germanis* , *qui hanc Cartam libertacioni , sicut supra legitur , fieri rogavi , & eis relecta est .*

*Signum manibus* Walfredo *Comesarius filius quondam Aldebrando , & Petrus Vicecomes filius quondam Ugo , & Petrus filius quondam Tarrus , & Ugo filio quondam Ardoino , & Jeorrio filio Rainerio, & Lamberto filius quondam Rolando , & Baldoino filius quondam Aldebrando , & Astolfo filius quondam Rofredo, & Lamberto , qui vocatur Foscolo , filius Leo da Sesto , & Petrus Presbiter sancte Bononiensis Eccleſie , & Lamberto filius quondam Lamberto , & Petrus Presbiter de Pantaleo , rogatis testibus .*

*Ego presens in Christi nomine Sichizo Tabellio scriptor sum , & post tradita complevi & absolvit .*

Quisnam fuerit *Hugo* iste *Dux* & *Marchio* , cui sacro vinculo sociata fuerat *Willa Comitissa* heic memorata , fortasse perconteris . Nulla heic mentio est Nationis aut Legis , quam Comitissa eadem , aut ejus filii profitebantur : inde enim aliqua lux affulgere potuisset. Referre hæc facile nemo ausit ad *Hugonem* celeberrimum *Marchionem* ac *Ducem Tusciæ* , cujus Vitam scripsit ac edidit Pucinellius ; is enim vivere desiit Anno Christi MI. & *Judittam* conjugem habuisse , duasque tantùm feminas , nullum marem post se reliquisse traditur ab eodem Puccinellio . Neque reponas , Willam istam , alteram ejus uxorem esse potuisse , quæ ætate florente vidua ab ipso relicta fuerit , & ex eo filios in Charta hac memoratos procrearit , quos uti pueros à Ducatu Tusciæ removerit Otto III. Augustus , aut nimium tenera ætas . Nullum enim vestigium præbet Historia , Hugonem Tuscum liberos masculos post se reliquisse . Floruit etiam ab Anno MXIV. usque ad Annum circiter MXXXVIII. *Hugo Marchio Natione Langobardus* , inter Majores Serenissimæ Atestinæ Familiæ à me recensitus in Antiquitatib. Estensib. Par. I. Cap. XI. & XII. Verùm *Ducis* quoque titulo eumdem fuisse auctum , nusquam reperi . Attamen quis iste *Hugo Dux & Marchio* fuerit , aperiam ego. Is nempe , qui Anno Christi MXXVIII. occurrit in Placito à me edito Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 989. hoc est in additamentis ad Chronicon Casauriense . A Conrado I. Augusto missus fuerat iste *Hugo Dux & Marchio ad juste inquirendum de rebus Monasterii beatæ Sanctæ Trinitatis* . Ejus acta vide : In eodem Chronico Casauriensi pag. 845. idem appellatur *Dux & Comes* . Tunc ad Annum MXXXV. pag. 850. indicatur Chartula , in qua ipsemet *Ugo Dux & Marchio pro majori firmitate se subscripsit . Peractis autem omnibus , & in pace redactis , pro quibus missus fuerat præfatus Dux Ugo , reversus est ad propria* . In additamentis eisdem pag. 992. publici juris feci alterum Placitum ab ipso habitum Anno MXXVIII. *in territorio Marsicano* , ubi appellatur *Ugo Dux & Marchio* . Cui Ducatui, cuive Marchæ is præfuerit, jam dixi in Dissertat. VI *de Marchionibus Italiæ* . Certe idem censendus , qui in Charta à me nuper evulgata maritus olim fuit Willæ Comitissæ . Atque fortasse filius fuit *Bonifacii Marchionis* natione Ripuarii , de quo egi in eadem Dissertat. *de Marchionibus* . Præterea Chartam sub oculis habui , complectentem compendium jurium Monasterii Arretini Sanctarum Floræ & Lucillæ, Benedictini Ordinis . & Sæculo XI. exaratam ; ibi hæc legebantur *Filii quoque Hugonis Marchionis contendunt nobis omnem terram Willelmi Diaconi in Cicilino , & in aliis locis , necnon & terram in Montione , & unum Mansum in Montelignano* . Priora duo loca in Mutinensi agro sita fuisse puto, nunc *Ciano* & *Monzone* . An ad supraſcriptum *Hugonem*, ejusque filios spectet memoria hæc , decernat qui velit . Floruit iste *Hugo Dux & Marchio* Anno Christi MXXVIII. Diversam verò fuisse puto uxorem hujus *Willam* ab altera *Willa* Hugonis Tusciæ Ducis filia , cujus mentionem fecit Puccinellius in ejusdem Hugonis Tusci Vita , indicans Chartam , quam authenticam vidi ac descripsi ex Tabulario Primatialis Pisanæ , atque heic tenebris ereptam volo.

Wil-

## Willa filia quondam Hugonis Marchionis & uxor Arduini, qui & Ardicio appellatur, prædium donat Canonicis Pisanis, Anno 1019.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Henrigo gratia Dei Imperator Augusto, Anno Imperii ejus in Italia quinto, IX. Kalendas Februarii, Indictione II. Manifesta sum ego* Willa mulier Arduini, qui Ardicio *nominatur*, filia quondam Hugoni, qui fui Marchio, *quia consentiente mihi suprascripto Viro . . . . . . . interesse videtur notitia Johanni Judex Domni Imperator, adque secundum Legem interrogata, & congnita sum, eo quod nulla me passa sin violentia, set pura & integra mea bona voluntas . . . . . . . pro animabus nostris remedium, & pro remedium bone memorie* Widi, *qui fui Socero meo, & bone memorie Glandolfo, qui fui Congnato meo, offerimus Deo, & tibi Chanonicha de Ecclesie Piscopatu Sancte Marie Pisensis, idest illa quartam portionem ex integra de terra, & res nostra illas massaritiis, quas abemus in loco & finibus Arena, quas . . . . . . . Cacatossicho filio bone memorie Petri Massario ad laborandum &c.*

✠ *Signum manus* Wille, *que hanc cartula offersionis fieri mandavit.*

✠ *Signum manus Arduini, qui Ardicione vocatur, Viro ipse* Wille *confirmantes.*

*Johannes Judex Domni Imperatoris interfuit.*

*Adalbertus Notarius Domni Imperatoris interfui.*

*Antonio Notanius Domni Imperatoris post traditam complevi & dedi.*

Si legitima filia fuit Willa ista Hugonis potentissimi Marchionis Tusciæ, hinc intelligere possumus, exspirasse cum illo magnificentiam familiæ, quando ejus filia inferioris, ut videtur, conditionis Viro nupsit. Sed fortassis extra conjugium nata fuit potentissimo illi Principi. Chartam quoque produxi in Dissertat. LXVII. *de modis acquirend.* ubi occurrit *Ugo Comes filius quondam Ugonis Marchionis*. Atqui in Charta nuper à me producta pariter commemoratur *Ugo* filius *Willæ Comitissæ, relictæ quondam Domni Ugo gloriosissimi, qui fuit Dux & Marchio*. In utraque ergo de uno eodemque homine agi vides; cui pater fuerit Hugo ille *Dux & Marchio*, cujus mentio est in Chronico Casauriensi; & qui ab Hugone Tusciæ Duce omnino diversus fuit. Adtexo nunc alia duo Manumissionis exempla, quæ ex antiquis membranis descripsit, & ad me misit vir antiquæ eruditionis amantissimus Joseph Antenor Scalabrinius Ferrariensis, Parochialis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Bucca Rector, & sacrarum Literarum in Ferrariensi Academia Interpres.

## Manumissio Alberti Servi facta per Guidonem de Mognano, Anno 1118.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis, Anni Domini nostri Jesu Christi Millesimo Centesimo Decimo Octavo . . . . . Julii . . . . . providentia Dei . . . . . . primum hominem de . . . . . . . humi loc. . . . . . . est, cui Christus suam mortem libertatem redidit . . . . . .* Servos nostros liberando ab omni jugo Servitutis. *Ego quidem scilicet Dominus Guido filius quondam Domini Verardi de Mognano, pro amore Dei omnipotentis & suorum Sanctorum, & pro anima mea, meorumque parentum, & pro abluendis peccatis meis, hoc* „ Manumissionis „ *Instrumento . . . . . . . .* Albertum filius Sis„ mondini de Sancto Archangelo . . . . . . . . „ cum omni podere & peculio, quod habet & „ tenet & possidet seu se . . . . acquirere po„ tuit, abuit & tenuit, & possidere potuit „ . . . . . . . *predictus, in presentiarum* a mei „ potestate libero, eâ ratione ut ab hac hora „ in antea liber sit & absolutus int. . . . . . libe„ ros & liberas manere valeat hac ingenua „ nativitate, & quacunque viam elligere vo„ luerit potestatem eligendi habeat, & ut Ci„ vis Romanus fiat & po. . . . . . mas apertas „ habere, nullique meorum heredum aliquod „ Servitutis obsequium impendere. In pœcu„ lio vero si quod habet, aut deinceps habi„ turus sit in Christo nomine suo jure habere„ mus patronatus penitus remitto ei liberum „ atque solutum. Et securus omni tempore „ vitæ suæ & suorum heredum imperpetuum „ valeat permanere; & omnia civilia negotia „ suo comodo & incomodo facere, emere, „ donare, vendere, permutare, locare, te„ stamentum facere, in judicio stare, sine „ meo Servitutis obstaculo, tamquam moni„ genio patre & matre esset natus. *Si quis vero meorum seu de heredibus meis, seu qualibet a me submissam vel sumittendam personam per quolibet in tempore contra hanc Cartulam Libertatis agere aut pulsare voluerit, in primis . . . . . . meorum Dei omnipotentis, qui Trinus & Unus est, incurrat . . . . . . Sanctis, & universalis Ecclesie sit & anathema, & in illa sententia incurrat, qua Judas Iscariothes habuit, qui Deum tradidit, & Dathan & Habiron, quos terra vivos deglutiverat. Et insuper decem Marcas argenti fini nomine pene per stipulationem promissa per me meosque heredes illi vel eis heredibus dare promitto. Et pena soluta hec Libertas omni tempore firma & inviolata permaneat . . . . . . . aut ullo tempore nolle quod semel volui . . . . . .*

*Actum in Saragoza . . . . . . Domini Prioris de Saragoza, Indictione predicta septima.*

*Predict. . . . . . dictus Aspe. . . . . . Alberto omnes possessiones & tenutas Scismundini patris dicti Alberti . . . . . . . . Prenominatus Dominus Albertus quondam Domini Verardi de Mognano hoc Manumissionis Instrumentum, ut supra legitur, rogavit scribere, & hec omnia supradicta sub tali condictione facta fuerunt, quod si aliquo in tempore dictus Albertus . . . . . decesserit sine liberis, quod eorum bona perveniant Aspetato vel ejus. Dominus Girardinus de . . . . . . & Dominus Scismondinus de Denozola, & Dominus Mattheus de Batidizo & Tomaxius Ocacollato de Saragoza, ut Ugolinus da loco de Viza-*

*Vizano*, *& Bonaventura de Boa* . . . . . . *de Vizano rogati sunt testes* . .

*Ego Bertolotus quondam I.* . . . . . . *Notarius hoc Manumissionis Instrumentum*, *ut supra legitur*, *interfui & rogatus subscripsi*, *& addidi quod dimisi* .

## Manumissio duarum Ancillarum facta ab Armanno & Wigberto fratribus, Anno 1134.

IN *nomine Domini Dei eterni*, *Millesimo Centesimo Tricesimo Quarto*, *V. die mensis Julii*, *Indictione Tertiadecima* .. *Et ideo in Dei nomine nos quidem Armannus &* Wig*bertus filii Wberti*, *qui sensimus Lege vivere Salica'*, *statuimus vobis* Berta filia Gerardi & Willelme Wadelace *filie tue tam pro vobis*, *quamque eredibus* . . . . . *nati vel procreati*, *vel in antea nascituri erunt* ; ut sis . . . . . vinculo Servitutis, consensumque sit vobis esse liberas & absolutas . . . . . . manu Sacerdotum circa sacrum Altare cum cereo aprenso . . . . . illo quod quadrubium in qua parte volueris, anbula, & discedatur . *Ita sit vobis* . . . . . . absolute ab omni vinculo Servitutis *vobis vel vestris eredibus*, *qui sunt nati vel procreati*, *vel in antea nascituri erunt*, cum omni conquistulo, vel quis peculium vestrum, quod nunc abetis, vel in antea Deo acquirere potueritis. *Et nos jam dictum Armannum &* Wig*bertum pro Dei amore*, *dilectione & remedium anime nostre*, *& anima patris nostri*, *statuimus vobis esse* liberam ab omni vinculo Servitutis. Et pro Solidis treinta quatuor Lucensis. *Et nos promittimus defensare & auctorizare contra omni contradicente omine defensare*. *Et si defensare noluerimus aut si agere*, *aut causare presumserimus damni pena nomine promittimus dare Libra una aurea*, *& nec nobis licere de oc facto aliter facere nolle volumus*, *sed quod a nobis semel factum vel scriptum est*, *omnia inviolabiliter conservare promittimus sub stipulatione*.

*Vico Policino in domo cultum Sancti Marci Evangeliste*.

. . . . . . . *tum Armannum & Gibertum*, *& ita fieri rogaverunt*.

. . . . . . . *& Aldricus*, *& Johannes da Vizano*, *& Engius filius*, *& Sigeliro de Gambalunga*, *& Albertus a Bagno*, *& Johannes Infurciato*.

*Ego Gerardus Christi misericordia Tabelius scripsi & complevi*.

Anno MCXXXIV. Julio mense decurrebat *Indictio XII.* Quare scriptum potius fuerit *Anno MCXXXV.* quum in *Indictione Tertiadecima* ita scripta vix latere possit error. Heic autem vides, quod supra innui, consuevisse Servos aliquid de peculio conferre Domino manumittenti. En ut Ancillæ istæ *Solidos triginta quatuor Lucensis* monetæ Heris suis persolvunt, quamquam in Ecclesia Dei Manumissio peracta fuerit. In Appendice ad Marculfum Tom. 2. Capitular. Baluzii, Cap. 48. legitur formula, in qua Dominus Servo ingenuitatem se donare profitetur, subdens: *Et dedisti mihi pro hoc*, *quod mihi bene complacuit tam in argento*, *quàm in amicto valentes Solidos tantos*. Idem quoque discas ex altera Charta, quam suppeditavit mihi Archivum Estense, ubi Servus manumissus Hero suo numerat *quatuor Libras Mediolanensis* monetæ. Hæc autem Manumissio minime celebrata est in æde sacra, sed dumtaxat coram Notario sacri Palatii ac testibus. Edicitur tamen, eum *Amunth*, sive Liberum esse futurum, *sicut illi*, *qui in quadrivio in quartam manum traditi sunt*, *vel sicut illi*, *qui per manum Sacerdotis circa sanctum Altare ad liberos dimittendos deducti sunt*. Accipe Chartam ipsam.

## Rodulfus & Guilielmus fratres de Valvisneria Gualterum agnomento Orinale Servum suum libertat donant, Anno 1107.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. *Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo Centesimo Septimo*, *die ante Kalendas Februarii*, *Indictione XV.* *tibi* Gualtero, qui vocatur Orinale, filio quondam Gusberti de Valvisneria, Servo juris nostri, *nos quidem in Dei nomine Rodulfus una cum Conjuge Matelde*, *& Guilielmus germanis filiis quondam Rainerii de Valvisneria*, *qui professi sumus ex natione nostra Lege vivere Longobardorum*, *domini & domina*, *benefactores & benefatrix tui*, *presentes presentibus diximus* . . . . . . . *ad meritum anime nostre & nostrorum pertinere potest parentum* ; *necesse est nobis* . . . . . *agere*, *unde in hoc seculo & in futuro plenam & maximam apud omnipotentem Dominum possimus consequi mercedem*. *Ideoque nos suprascripti domini & domina tua statuimus te Gualterum*, *qui vocatur Orinalem*, „ Servum juris „ nostri, ut amodo a presenti die in antea sis „ Liber, & absolutus ab omni vinculo Servi„ tutis; Fulfreal & Amunth factus es: vitam „ semper bene, & integram deducas ingenui„ tatem. Et tibi a presenti die de quatuor „ viis ambulare, aut cum quo habitare volue„ ris, liberam, atque firmissimam in omnibus „ habeas potestatem, & congruam Liberta„ tem, ut diximus, juxta Legem, pro anime „ nostre & parentum nostrorum mercede, „ & partam pro quatuor Librarum Mediola„ nensis. Et neque a nobis, neque ab heredi„ bus nostris ullam non habeas reprehensio„ nem, nec conditionem Servitutis; sed tu in „ perpetuum, & omnem agnationem & inge„ nuitatem & procreationem tuam, si habue„ ris, in plena & integra maneat Liberta„ te, sicut illi, qui in quadrivio in quartam „ manum traditi & Amunth facti sunt, vel „ sicut illi, qui per manum Sacerdotis circa „ sanctum Altare ad Liberos dimittendos de„ ducti sunt. Concessumque sit tibi ad gra„ tiam tuæ Libertatis omne tuum conquistum, „ peculiare verò tam, quod nunc habes, quàm „ in antea acquirere poteris, ut facias exinde „ a presenti die tu & heredes tui, aut cui vos „ dederitis jure proprietario quidquid facere „ volueritis, *sine omni nostra & heredum nostrorum contradictione*.

*Actum*

*Actum in domo Maletalento de Ranzano, feliciter.*

*Signum suprascripti germani, qui hanc cartulam Libertatis fieri rogavit.*

*Signum testium Gualteri de Valvisneria, Ribaldini de Sancto Paulo . . . . . . de Spezzano, Arnaldini Albinelli, & Attolini, & Ginelli de Ranzano.*

*Ego Frogerius Notarius Sacri Palatii post traditam scripsi, & dedi.*

Spectat Charta hæc ad egregiam Familiam de Vallisneria, quæ quidem à multis Sæculis in Regiensi Civitate tum antiquis Feudis, tum reliquis spectatæ nobilitatis insignibus floret, & cui splendorem nunc addit P. D. Maurus Vallisnerius Benedictinus Abbas Sancti Petri Mutinensis, Vir tum doctrina, tum suavissimis moribus spectatissimus; magnam vero famam nuper conciliavit intra & extra Italiam Cl. Vir Antonius Vallisnerius Eques & Patritius Regiensis, Medicus intimus Augustissimi Cæsaris CAROLI VI. & in Academia Patavina primarius Medicinæ Professor, sed nobis præmatura morte ereptus. Atque ex hactenus adductis intelligimus, non eo rigore, postremis saltem Sæculis, actum fuisse cum Servis & Ancillis, ut quidquid ipsi acquirerent aut lucrarentur, Domino suo acquirerent. Licebat & ipsis industriam collocare in amplificanda re sua, dum Heri sui negotia non negligerent, eique utiles alioquin ac morigeri forent. Sive ergo ex Peculii proprii bono usu, sive ex aliis artibus, connivente Domino, lucrum sibi quærerent, certum est, complures ex ipsis evasisse bene nummatos, atque ope tamdem ejusdem æris Libertatem suam à Dominis redemisse. Rolandinus Passagerius Bononiensis, qui circiter Annum Christi MCCLV. *Summam Artis Notariæ* scripsit, non semel editam, Cap. 7. Rubric. 4. formam *Instrumenti Manumissionis* dedit, in qua Dominus manu mittit, & Servitutis vinculo eximit Antonium Servum, ejusque filios, tradens eis *totum eorum peculium, à rationibus Domini separatum*. Idque facit *pro pretio centum Librarum Bononiensium: quod pretium dictus Dominus confessus fuit & contentus, se ab ipso Antonio dante & solvente pro se & vice & nomine dictorum filiorum ejus, habuisse & recepisse &c.* Familiare tamen fuit aliis Dominis, Servos Libertate donantibus, eis etiam largiri quidquid mobilium ac immobilium sub nomine *Peculii* antea congesserant, ut Liberis esset, unde viverent. Denique ut alias Manumissionis species omittam, è Servitutis vinculis eximebantur Servi per postremas Dominorum tabulas: idque sæpe ac sæpius accidebat; tunc enim ad Christianam Caritatem se procliviores sentiebant homines, & *præmium meritæ*, sive *emeritæ Servitutis* (ut habet Valentinianus Augustus in Lege 8. Tit. *de infirmandis his &c.* Codic. Theodosian.) facilius famulis sibi fidis tribuebant. Hac etiam ratione manumittere Servos suos, sive *postremo judicio libertates eis dare*, indulsit Constantinus Magnus singulari privilegio Clericis; & primus propterea invexit Manumissionem antea ignotam: quod privilegium postea piæ liberalitatis caussâ ad Laicos quoque propagatum est. In Lege 34. Pippini Italiæ Regis inter Langobardicas hæc habentur: *De filia, cujus pater per manum erogatoris omnes Servos suos jussit fieri liberos. Et quia contra legem esse videtur, instituimus, ut ipsa filia in tertiam portionem de præfatis rebus iterum introire possit.* Uti Du-Cangius jampridem, collatis aliis auctoritatibus monuit, *Erogatoris* vocabulo designatur Exsequutor testamentarius: ac proinde hinc discimus, consuevisse interdum Laicos testatores quibuscumque Servis suis in ultima voluntate Libertatem elargiri. Hujus etiam facultatis exemplum non unum attuli in Antiquitat. Estensibus, productis postremis aliquot Marchionum tabulis. Id quoque eruitur ex Lege 3. Aistulphi Regis, ex qua discimus, actum Manumissionis circa Altare faciendum fuisse post mortem testatoris, dum is vivens non fecisset. Sed & ex ea Pippini Lege alterum nobis innotescere videtur, nempe enormem tunc visam fuisse omnium Servorum Manumissionem, quoties testator filios post se relinquebat: ideoque constitutum fuisse, ut eorum tertia pars filiis intacta relinqueretur. Ita quoque eamdem Legem interpretatus est Carolus de Tocco Langobardicarum Legum vetustus Interpres.

Ceterum minime cogitandum est, Servis quamquam manumissis plenam semper, omnimodamque Libertatem contigisse. Nam & ex antiquo Romanorum jure ita Servi Liberi efficiebantur, ut aliquid auctoritatis in illos adhuc in manumittente servaretur. Ad hæc erant, qui variis conditionibus, ac oneribus manumissos gravabant. Exempli caussâ Servili tantum nomine demto, ab iis obsequium, aut consuetas operas, solitumque pæne servitium exigebant, aut illos ad censum aliquem reddendum quotannis adigebant. Apud Scriptores Francos occurrunt *Coliberti*, non Liberti quidem, sed species quædam famulorum Domino addictorum, & Servili conditione potior, sed Libertate circumcisâ, ut *Coloni*, *Manentes*, *Aldii*, aut alii medii inter Libertos ac Servos. Verùm vox ista eâ significatione apud Italos nondum mihi occurrit. Huic autem juri, quod in suos Libertos Patroni retinebant (& quidem *retinere sibimet in eis obsequium* dicuntur in Concilio Toletano apud Burchardum Lib. 2. Cap. 25.) huic inquam juri Patronatus interdum in Manumissione Domini ipsi renuntiabant. Vide Appendicem ad Marculfum Tom. 2. Capitular. Baluzii Cap. 48. Ibi legitur *Redemptionale*, hoc est Servi Manumissio: in qua Dominus, recepto pretio à Servo, eum Libertate donat, hæc inter alia inquiens: *Ut taliter sias ingenuus, tamquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, vel natus, cum omni peculiare tuo* (ita quippe appellabant interdum Peculium): *& nec mihi nec ulli Heredum meorum nullum impendas servitium, nec hominium, nec Libertaticum, nec ullum Obsequium, nec Patronaticum &c.* En quot nominibus jus Patronorum in Libertos designaretur. Præterea quum animum erga donatores ingratum aversetur ipsa recta ratio, propterea Libertos humanæ Leges non semel damnarunt, quoties obsequii erga Patronos, acceptique beneficii immemores sese prodebant. Ii nempe etiam apud Latinos & Græcos è Libertatis jure excidebant, iterumque in Servitutis nexum revocabantur. Id cautum videas in Codice Theodosiano ac Justinianeo, atque in Pandectis, ut veteres omittam Scriptores, qui concordi voto tradunt, Libertos ob ingrati animi vitium in pristinam Servitutem recidisse, aut testandi jus eis fuisse ablatum, eorumque proinde hereditatem ad Patronos peculii ad instar pervenisse. Unicâ auctoritate utar, nempe Lege primâ Cod. Theodosiani

Tit. de Libertis, in qua Constantinus Magnus hæc statuit: *Libertis ingratis in tantùm jura adversa sunt, ut si quadam jactantiâ vel contumaciâ cervices erexerint, aut levis offensæ contraxerint culpam, à Patronis rursus sub imperia ditionemque mittantur*. Quo in loco foret Libertorum fortuna, & quam facile iis litem excitare possent Patroni, hinc intelligimus. Langobardicis tamen atque subsequutis Sæculis non lego obtinuisse consuetudinem istam, sive Legem; qui enim, dum non contra leges, integrâ Libertate donatus erat, hac frui pergebat. Neque iisdem temporibus audio *Libertini generis* habitam fuisse rationem, uti Romanis Imperatoribus solicite habebatur, quum refugerent nobiles sanguinem suum miscere cum Libertinis. Et in l. *oratione ff. de ritib. nuptiar.* à D. Marco cautum est, *ut si Senatoris filia Libertino nupsisset, nec nuptiæ essent*. Nullum inquam hactenus locum inveni, ex quo constet, medii ævi homines delicatos adeo fuisse in scrutando, an quisquam avos, aut proavos habuisset è Servitute in Libertatem translatos. Immo ex quo Libertatem quisquam consequebatur, è vestigio *tamquam Miles publicus, Civisque Romanus* habebatur, ut supra vidimus in Diplomate Berengarii I. Regis Anno Christi DCCCCXII. Præterea quum liberum hominem esse, quamdam importaret *Nobilitatis* speciem, Libertis ipsis minime negatum ejusmodi decus fuit. Publici juris fecit Ughellius Tomo IV. Ital. Sacr. in Episcopis Vercellensibus decretum Leonis Antistitis Vercellensis, cadente Sæculo X., aut ineunte XI. promulgatum, per quod *præsentiâ Judicum, Civium affluentia residente & Militum, appositis Evangeliis & Libris Legum, Chartis contra Legem factis (si quæ erant) legaliter incisis, nobiliter acclamante Populo*, in Servitutem pristinam revocavit, quotquot antea Servi erant Ecclesiæ Vercellensis, sed præcedentium Præsulum incuriâ, aut vitio, *à jugo Servitutis in Libertatis Nobilitatem transierant, & ipsam Ecclesiam in derisu & despectu habebant*. Verum quidem est, in iisdem tabulis testari Episcopum, ab ejusmodi Libertis, quod *aliquibus divitiis inflati* essent, *inquinari Nobiles*. At istud fortassis additum, quia id genus homines legitimi Liberti minime evaserant, quum reluctantibus Legibus Libertate donati, Servi esse non desinerent, ac propterea affinitatem sibi cum Nobilibus conquirentes, opprobrium iis inferebant. Denique nulla mihi dubitatio est, quin plerique ex antiquis Nobilibus tunc etiam abhorrerent à miscendo sanguine suo cum Libertis, aut Libertini generis hominibus, quemadmodum nostris quoque temporibus iidem abstinere solent à conjugiis cum iis, quos non ita pridem ex cœno fortuna, aut industria evexit. Sed ne hoc quidem obstat, quominus Libertos barbaricorum temporum æquemus Libertis, quos, dum Romana res floruit, Italia aluit.

Ad alia nunc progredior. Præter Libertos pleniori Libertate fruentes, alii fuere Sæculis barbaricis, qui Libertate quidem donabantur, sed eo pacto, ut dum viveret Patronus, ei famulatum præstarent. Apud Marculfum Lib. 2. Cap. 33. quidam Servo suo Libertatem donat, *eâ conditione ut, dum advixero, mihi deservias: post obitum verò meum, si mihi superstes fueris, sis ingenuus &c. peculiare concesso, quod habes, aut elaborare poteris*. Hanc *ingenuitatem* Marculfus appellat *post discessum*, diversam ab altera, quæ erat *à die præsente*, ut in Formula præcedenti. Id quoque Romanorum imperantium ævo usitatum fuisse reor. Sed quid extra Italiam feror, quando præsto nobis est Aistulphi Langobardorum Regis in hanc rem disertissima sententia? Is igitur statuit in Lege 2. *Ut si quis Langobardus pertinentes suos* (ita appellabantur interdum Servi) *thingare voluerit* (hoc est, Libertate donare) *in quartam manum dandos, & chartulam ipsis fecerit, & sibi reservaverit servitium ipsorum, dum advixerit, & decreverit, ut post obitum ejus liberi sint, stabile debeat permanere secundùm textum Chartæ, quam ei fecit &c.* Hosce Libertos *Latinis Junianis*, ac *Dedititiis* æquiparat eruditissimus Du-Cangius in Glossar. Latin. ad vocem *Manumissio*. Quæ sententia, ut ut vera ex una parte sit, nescio tamen, an & ex altera cum veritate consonet. Certum est, Latinis ac Dedititiis Libertis nequaquam licuisse testari; *negato enim* (ut scribit Salvianus Massiliensis Lib. 3. ad Eccles. Cathol.) *iis ultimo voluntatis arbitrio, etiam quæ superstites habent, morientes donare non poterant*. Ac proinde, exclusis etiam eorum liberis, ad Patronos illorum hereditas deferebatur; quum contra Langobardici id genus Liberti jus condendi testamenti consequuti fuisse mihi credantur. Adde *Latinos* illos Libertos, aut saltem *Dedititios* è libertate in servitutem revocatos fuisse post *admissa scelera*, ut docet Gajus §. 3. Institut. *de jure personarum*; quod minime legimus de Langobardicis Libertis supra descriptis. Quicumque ergo imperfectam hanc libertatem Servis suis olim concedebant, Manumissionis actum deponebant ante Tabellionem coram testibus, non autem in Ecclesia. Nam qui renuntiabantur Liberi coram sacro Altari, integrum Libertatis beneficium referebant, uti Rex Aistulphus in prælaudata Lege 2. constituit. Porro Libertis plena Libertate donatis apud Langobardos, Francos, aliosque Populos, nulla dubitatio est, quin jus testandi fuerit concessum. Nunc autem addendum est, constitutum fuisse in Lege 226. & 228. Rotharis, ut decedentibus iis sine liberis, ac sine testamento, succederet eorum Patronus. Immo si deficiebant filii, interdictum erat Liberto testanti *judicare*, hoc est aliis relinquere, res ei à Patrono donatas, aut in *gasindio*, sive famulatu Ducum ac potentum acquisitas; sed ipsæ ad pristinum benefactorem revertebantur. Legem quoque Heri sui Libertus sequi cogebatur. Sed nolo heic diutius immorari, satius ducens, aliquid subdere de *Aldiis* ac *Aldianis*, quorum est frequens memoria in antiquis Chartis, atque in Legibus Langobardicis; nulla verò apud Francos aut alios Populos: quum peculiare hoc Langobardicæ gentis nomen, uti & officium fuerit.

Itaque fuerunt *Aldii* sive *Aldiones* utriusque sexus, medium quid inter Servos atque Libertos. Non Servi, quia revera manumissi: non Liberti, quia adhuc juri Patronorum suorum obnoxii. Equidem non me fugit, prælaudatum Du-Cangium in Glossar. Latin. ad vocem *Aldius*, postquam id hominum genus agnovit *statu liberum, & Libertum cum impositione operum*, ut habent Glossæ à Lindenbrogio laudatæ, postea addidisse, eos fuisse *ex genere Servorum, tametsi peculiaris & propria fuit Servorum species, ab aliis nimirum Servis diversa*. Ut hoc ille confirmet, laudat Legem 84. Caroli Magni inter Langobardicas, ubi hæc haben-

habentur: *Aldiones vel Aldianæ eâ Lege vivant in Italia in servitute Dominorum suorum, qua Fiscalini, vel Lidi vivunt in Francia*. Rursus verò idem Du-Cangius *Litos* appellat *Servos glebæ*, hoc est Servos ad agrorum culturam in prædiis Heri sui destinatos. Eadem quoque sententia Baluzio placuit Tom. 2. pag. 260. Capitular. & alibi, qui & ait, *de Mancipiis, idest Aldiis*, agi in Capitulari Caroli Magni Anni DCCXCIII. Mihi contra certum videtur, Aldios minime recensendos esse inter Servos, sed potius inter Libertos, non Libertate tamen plenâ donatos; neque enim *Aldii* nomen Latinorum *Liberto* satis respondet, quod sibi persuasit Grotius, quum Aldii adhuc Dominis suis non una obsequii & servitii conditione addicti atque obnoxii essent. *In servitute Dominorum suorum*, quod nuper legimus, nihil aliud mihi significat, quàm *servitium*, famulatum, sive onus præstandi operas, non autem vinculum servilis conditionis. Quod etsi in Notis ad Leges Langobardicas ostendisse me putem, attamen heic rem luculentius exponam. Illud primum animadverto, *Aldios* fere semper in antiquis Diplomatis ac Legibus distingui à *Servis*, illâ dicendi formulâ, *cum Servis & Ancillis, Aldiis & Aldianis*; idque ea ratione factum, quod plane diversa eorum conditio foret. Deinde satis innuit Lex Rotharis Regis 227. *Servos* adhibita Manumissione *Aldiones* evasisse. Rotharis enim postquam tres Manumissionum species tradidit, quartam denique hisce verbis describit: *Item qui Servum Aldium aut Aldiam facere voluerit, non illi det quatuor vias. Hæc sunt genera Manumissionum*. Aldius, *qui amund factus non est*, idest plena Libertate donatus, occurrit in Lege 219. ejusdem Rotharis. Ergo quoties & *Aldii* constituendi ex Servis erant, ex manu Domini dimittebantur, idest Libertate donabantur, sed imperfectâ, retento nempe eorum servitio ad agros Patroni excolendos sub certis tributis, conditionibus, & pactis. Horum præcipuum fuit, ut sine venia Domini, cujus adhuc potestati illigati ex parte erant, ejusque tuitioni obnoxii, ad aliorum servitium declinare non possent. Proinde *quatuor viæ* Aldionibus minime dabantur ut Libertis, *Amund factis*, & in plenam Libertatem translatis, propterea quod omnimoda eis non conferebatur Libertas. Addit in ea Lege Rotharis: *Tamen necesse est pro futuri temporis memoria, ut qualiter Liberum aut Liberam thingaverit, ita Manumissio in Charta Libertatis commemoretur. Et si Chartam non fecerit, tamen Libertas illi permaneat*. Hæc respiciunt Servos quoscumque Manumissos, inter quos Rex nuper enumeravit & Aldios. Cum his consonat Lex V. Liutprandi Regis Lib. 4. *Si quis*, ait, *Servum suum aut Ancillam circa Altare amodo Liberum aut Liberam dimiserit, sic ei maneat Libertas* &c. Tum subdit: *Nam qui Aldium facere voluerit, non eum ducat in Ecclesia; nisi alio modo faciat, qualiter voluerit sive per Chartam, sive qualiter ei placuerit*. Confer Legem istam cum secunda Aistulphi supra laudata, & continuò intelliges, non onera quidem servitii excussa fuisse è Servis, dum *Aldii* efficiebantur; vinculo tamen servili absolutos fuisse ac manumissos. Quamquam quid ultra moror? Rotharis in Lege 218. hæc habet: *Si Aldia aut Libera in casa aliena ad maritum intraverit, & Servum ad maritum tulerit, Libertatem suam amittat*. Luculentiorem locum ne quære, ut evincas, ad Libertatis statum assurrexisse Aldios ac Aldianas, quando ex ea excidere poterant. Ex aliis enim Legibus ipsius Rotharis, Liutprandi, ac Lotharii, habemus, capitale fuisse Servis, mulieres Liberas ducere, easque consentientes in Servilem conditionem ob ejusmodi crimen fuisse conjectas. Et contra ex Lege 219. Rotharis constat, nullam culpam fuisse Aldiis ducentibus *Aldiam aut Liberam in uxorem*. Quare nihil objicienda est nobis nuper memorata Lex Caroli M. qua statuitur, Aldiones ea Lege in Italia regendos esse, *qua Fiscalini vel Lidi vivunt in Francia*. Hanc etiam Legem solicitavit Johannes Gerardus Vossius vir celeberrimus Lib. 2. de Vitiis Sermon. vocem *Liddus* explicaturus: nimirum ex ea inferens, *Liddos* Servos Dedititios fuisse, hoc est, *qui ingenuitatem suam pretio mancipassent*. In eam quoque sententiam descendisse postea Du-Cangium vidimus, sed nullis bonis tabulis productis.

Ad referendos *Litos* in Servorum censum adferam ego locum, qui aptior fortasse videatur; ex Vita Sancti Meinwerci Episcopi Paderbornensis à Browero, Leibnitio, Bollandistis, ac aliis editam. Ibi Cap. 10. seu 44. legitur: *Duram antiquæ Servitutis Litonum justitiam, per novam paternæ pietatis relevavit gratiam; constituens, à villicis adminiculari eis in cibi potusque necessariis (quod antea non fiebat) tempore messis*. Ita in editione Leibnitiana. At in Papebrochiana habetur *Litorum*. Verumtamen puto, non satis animadvertisse eruditos viros, quid revera *Litorum* nomine veteres significarint; simulque contendo, eos minime communis Servitutis jugo pressos fuisse, sed quidem medio quodam genere Servitutis obligatos exstitisse Dominis, sive Patronis, quales fuerunt & Aldii in Italia. Infra videbimus, Aldiis imposita fuisse onera contra æquitatem. Id quoque factum fortasse fuerit *Litis* Paderbornensis Episcopatus, quos propterea Meinwercus alendos jussit, quum operam suam conferrent tempore messis. Ii si veri fuissent Servi, alendi erant quovis tempore, & quamlibet operam Domino præstare debuissent, non verò tempore tantùm messis. Proinde in Archæolog. Teutonic. *Liti*, *Litones* iidem ac *Lassi* & Liberti censentur, à *Lissen*, *Redimere*. Ad hæc in Capitulari Caroli M. ad Saxoniam spectante Anni DCCLXXXIX. quod à Labbeo refertur ad annum DCCXCVII. decretum fuit, ut *Pagenses curtem & duos mansos terræ unicuique Ecclesiæ donent. Et inter centum & viginti homines Nobiles & Ingenuos, similiter & Litos, Servum & Ancillam eidem Ecclesiæ tribuant*. Hæc ibi Cap. 15. Tum Cap. 17. decernitur, *ut omnes Decimam partem substantiæ & laboris sui Ecclesiis & Sacerdotibus donent, tam Nobiles, quàm Ingenui, similiter & Liti; juxta quod Deus unicuique dederit Christiano, partem Deo reddant*. Heic *Litos* certe à Servorum vulgo secretos vides: immo Liberis hominibus ita ii subjunguntur, ut & ipsi simul cum illis *Servum* & *Ancillam*, ac *Decimam* Ecclesiis contribuere cogantur. Ergo illi aut agros possidebant, aut fructus sui laboris suos faciebant: quod veris Servis minime licebat. In altero Capitulari Saxonico Anni DCCXCVII. apud Baluzium Cap. 3. statutum fuit, *ut ubicumque Franci secundum Legem Solidos XII. solvere debent, ibi nobiliores Saxones Solidos XII. Ingenui V. Liti IV. componant*.

nant. En quàm parum ab Ingenuis hominibus distent *Liti*; ab iis certe diversi, at simul etiam à Servis, quorum crimina redimere ad Dominos spectabat. Præterea Tit. 14. Cap. 15. Legis Salicæ habetur: *Si quis Lidam alienam in conjugium sociaverit, MCC. denariis, qui faciunt Solidos XXX. culpabilis judicetur*. Atqui Ingenuus vir, Ancillam alienam sibi matrimonio jungens, secundùm Legem Salicam Servus efficiebatur. Ergo diversæ ab *Ancillis Litæ* fueruut. Vide etiam Tit. 52. Cap. prim. ejusdem Legis Salicæ apud Baluzium, ubi *si quis Ingenuus aut Lidus alteri fidem fecerit* (ideft ut habet Glossa Codicis Estensis, *fidejussor exstiterit*) *& noluerit fidem factam solvere, Solidos XV. culpabilis judicetur*. Num, rogo, hæc de Servis statui potuere? Ac proinde nos, postquam vidimus, *Aldiones* è vili Servorum conditione fuisse exclusos, consequenter minime ab iis diversos *Liddos* seu *Litos*, & *Fiscalinos* opinari cogimur. Ad hæc Legem Frisionum Tit. XI. consule. Ibi *Liber homo necessitate coactus etiam Lito in servitium se subdere* posse dicitur. Si *Liddo* seu *Lito* homini Servi esse poterant, ergo is minime Servitutis jugo premebatur. In Legis quidem Salicæ Tit. 30. apud Eccardum legitur: *Si quis Lidum alienum, inscio Domino, per denarium Ingenuum dimiserit*. Verùm hæc intelligenda de perfecta Libertate & absolutione à quibuscumque oneribus, quibus Liddi non secus atque Aldiones obnoxii erant. Altera Lex sequitur: *Si quis Servum alienum* &c. *Ingenuum dimiserit*: quod minime repetendum fuerat, ubi etiam *Liddi* conditionis Servilis fuissent. Hisce adde postremas tabulas Fulradi Abbatis Sancti Dionysii, à Mabillonio editas part. 2. Sæcul. 3. Benedictini, & scriptas Anno Christi DCCLXXVIII. Ibi legitur *cum pastoribus, Servis, Ancillis, Litis* &c. Viden, ut *Liti* à *Servis* distinguantur? *Litos* eo in loco idem Clariss. Vir interpretatur *Leudes*, *Clientes*. At procul dubio *Liti* alii plane fuerunt à *Leudibus*, hoc est à *Fidelibus* sive *Vassallis*, Liberis nempe hominibus, de quibus supra egi in Dissertat. XI. *de Allodiis*. Nam quod est ad *Fiscalinos*, satis mihi est Capitulare Caroli Magni Anno DCCCV. promulgatum, in quo proditur, fas fuisse tum viris *Ingenuis* ducere *Fiscalinas*, tum *feminis liberis homines Fiscalinos* sibi sociare conjugio. Atqui, ut supra monui, etiam apud Francos ex Tit. 14. Legis Salicæ, & ex Capitulari Ludovici Pii, pœna Servitutis proposita erat mulieri Liberæ, *quemlibet Servum in conjugium sumenti*. Immo ex eadem pœna plectebantur *Ingenui*, ductâ alterius Ancillâ in uxorem. Utcumque tamen sit, Fiscalinos & Liddos appellare tibi liceat Servos: certe mihi non licet ex jam dictis Aldios. Quod si eadem Lege vivebant tam ii, quàm isti, intelligendum est, eos in Francia, quod Fisco & Ecclesiæ servirent, ex privilegio aliquot commoda ac immunitates percepisse, quæ Aldii quicumque in Italia jure suæ conditionis minime Servilis percipiebant. In Diplomate Hilprandi Langobardorum Regis apud Campium Tom. I. Histor. Ecclesiæ Placentinæ leguur: *Firmamus etiam vobis, ut omnes mulieres illas Liberas, quæ usque nunc, dum Liberæ essent, Servis Ecclesiæ vestræ se in matrimonio tradiderunt, vel filiis filiabusque, qui ex eis nati sunt, ita sane ut sint pro Aldiones, & habeant per caput unus quis mundium Solidos senos, sicut vobis antea à Domno & Patre nostro concessa sunt*. In Servitutem reliquæ mulieres ita nubentes, eorumque filii secundùm Legem cadebant. Sed per hoc Privilegium concedebatur eis, ut conditionem tantummodo *Aldiarum* & *Aldionum* subirent.

Itaque illud statuo, *Aldios* per Manumissionem ex vilium Servorum catalogo expunctos fuisse, sed ea conditione, ut aliquem Manumittentis agrum colerent, aut ei censum quotannis persolverent, aut operas facerent. Ac proinde Libertorum species fuere, quamquam Libertate integra minime fruerentur, & sub jure ac potestate Domini sive Patroni non uno vinculo vivere pergerent. Ut plena iis esset Libertas, hæc eis conferenda erat per alium publicum actum. Audi Liutprandum Regem in Lege 53. Lib. 6. *Si quis* (ideft liber homo) *Aldiam alienam, aut suam, ad Uxorem tollere voluerit, faciat eam Guiderboram, sicut edictum continet de Ancilla*. Germanicæ Linguæ periti *Guiderboram*, aut *Widerboram* pro *Libera* exponunt: hoc est, plena Libertate Aldia illa donanda, & *Amund* pronuntianda erat, ut rite cum ea Liber homo conjugium inire posset. Nempe Langobardi quum aliquem in statu integræ Libertatis positum significare volebant, vocabulo *Fulfreal* utebantur. Goldastus legit *Sulfreal*; sed in Legum Langobardicarum Codice MSto Estensi legitur *Fulfreæ*, & *Fulfrea*; rectius quidem. Vocis etymon mihi suppeditat Anglica Lingua, quæ tot voces retinet è Saxonibus, seu Germanis, Britanniâ olim potitis. Apud eos *Fulfree* idem est ac *plene Liber*. Profectò Aldia *Fulfree* non fuit; atque ideo necesse erat, eam rursus Liberam, & *à se extraneam* facere. Triplex ergo olim Colonorum genus fuit divitibus, *Liberi*, *Aldii*, ac *Servi*. Qui *Liberi* agrorum cultores erant, à rusticis Italicis nostri temporis minime dissimiles fuisse videntur. Nulli domino obnoxii, nisi quantum & quamdiu pactis invicem conventis (quod sæpe fiebat) ad aliorum agros excolendos ita sese obligabant, ut inde invito domino recedere eis non liceret. Qui *Accolæ* apud antiquos appellantur, alienam terram colentes, & à *Servis* distincti, idem hominum genus, ideft Liberorum alicui famulantium, fuisse videntur. *Servorum* autem conditio ac onera in cultura agrorum quæ forent, jam proditum est in præcedenti Dissertat. XIV. *de Servis*. Inter hosce medii stabant, erantque utriusque fortunæ participes *Aldii*, quum & humilem Servorum conditionem abjecissent, neque tamen sui evasissent juris; & vellent ac nollent, pristino Hero famulari semper cogebantur, sed sua faciebant, quæcumque industriâ & labore suo lucrari & acquirere poterant. Recte autem distinguitur triplex hæc hominum cohors in egregio Diplomate Caroli Crassi Augusti, quod autographum vidi in Archivo Collegii Canonicorum Arretii, atque heic editum volo.

Decre-

## Decretum immunitatis concessum à Carolo Crasso Imperatore omnibus Ecclesiis, & nominatim Ecclesiæ Arretinæ, Anno 883. seu 882.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus divina favente clementia Imperator Augustus. Si petitionibus Sacerdotum Dei justis & rationabilibus annuimus, & necessitudines injustas sublevamus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem capescendam pertinere confidimus, quia decet Imperiale fastigium, sibi subditas partes oppressas, pravitate abjecta, erigendo, & ad proprium Deo favente statum redintegrando perducere. Quapropter omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque, præsentium scilicet & futurorum comperiat industria, quia venientibus nobis Ravennam ad colloquium spiritalis Patris nostri, Domni Johannis videlicet summi Romani Pontificis & universalis Papæ, pervenit ad nostram notitiam maxima venerabilium Episcoporum & Populi proclamatio de plurimis sibi illatis superstitionibus & injustis oppressionibus a seculari & publica potestate, ita ut contempto timore Dei, & abjecta a Prædecessoribus nostris interdicta, per Plebes & Ecclesias seu Ecclesiastica prædia & domos Placita teneant*, districtiones in liberos Massarios, super Ecclesiasticas res residentes, & Servos, & Aldiones faciant, *tributa ab eis exigant, census, & donaria, angarias etiam & operas, & non solum ab eis*, sed ab omnibus Liberis erimannis & Ecclesiæ filiis, *quod Deo odibile certissime credimus: quia tales violentias apud Christianos non debere fieri non dubitamus. Ideoque omnium fidelium nostrorum tam reventissimorum Episcoporum, quamque & illustrium Comitum, reliquorumque fidelium nostrorum coitu, facto consilio generali, Dei, nostraque Imperiali auctoritate omnes has superstitiones & importunas violentias funditus ab hodierna die & deinceps abolendas & extirpandas radicitus modis omnibus decernimus: statuentes, ut in sancta Aretina Ecclesia nullus Comes, nullusque Judex, vel qualibet judiciariæ potestatis persona tam in Plebibus, quamque in Monasteriis, titulis, aliisque Ecclesiis, vel domibus, seu urbanis vel rusticis possessionibus ad eam pertinentibus Placita tenere*, Massarios & Colonos Liberos, Aldiones, vel Servos quosque residentes super res ad prædictam sanctam Ecclesiam pertinentes, *quolibet modo distringere, pignorare, angariare, census & redibitiones & donaria aliqua exigere quoquo modo præsumat, sed* Liberos Massarios, *quos legalis coactio exigit quærere ad Placitum*, per Patronum, *seu Advocatum ad Placita adducantur, ut legalis diffinitio legalem contentioni finem imponat. Hæc etiam* in omnibus Liberis & erimannis præfatæ sanctæ Aretinæ Ecclesiæ filiis, & in ejusdem Diecesi commanentibus Massariis & Colonis *observari omnimodis jubemus, videlicet ut ab eis nec donaria aut redibitiones neque pignorationes vel injustæ districtiones exigantur, sed unusquisque, cum legalis censura exigit*, a Patrono suo *ad Placitum deducatur, ne pignorationis occasio aditus rapinæ deprædatoribus in aliquo præstetur. Interdicimus etiam, nemini licere alienas res præsumptive invadere occasione Cartulæ ab eo factæ, qui vestituram legitimam non habuisse dinoscitur; sed si quis adquisitor extiterit, non ante invadere alienas res Ecclesiæ, vel cujuspiam Liberi hominis pervadere præsumat, antequam auctor Cartulæ legali & judiciaria diffinitione eas vindicet, & tunc demum cui vult, liberam tribuendi habeat facultatem. Hæc verò nostra Imperialis institutio, & tantorum fidelium nostrorum tam reverentissimorum Episcoporum, quamque & ceterorum fidelium generaliter promulgata & sancita auctoritas, in omnibus Parrochiis, Comitatibus, & Marchiis per totius nostri Imperii fines, in toto Regno Romanorum & Langobardorum, & Ducatus Italiæ, Spoleti, & Tusciæ, Deo favente, per infinita tempora proprium robur obtineat, nullique temeratori eam contempnere facultas existat. Quam si quis violare præsumpserit, centum Libras auri . . . . se compositurum agnoscat, medietatem Ecclesiæ, cui violentiam intulerit, & medietatem Palatio nostro. Et hoc nostræ auctoritatis Præceptum propria manu firmavimus, & anulo nostro jussimus sigillari.*

*Signum Domni* (R K S L) *Karoli serenissimi Imperatoris Augusti.*

Locus Sigilli ✠ cerei, quod adhuc ibi visitur.

*Inquirinus Notarius ad vicem Liutuvardi Archicancellarii recognovi & subscripsi.*

*Data XV. Kalendas Martii, Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXIII. Indictione XV. Anno verò Imperii Domni Karoli Secundo.*

*Actum Ravennæ Civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Me

Me heic remorantur Chronologicæ Notæ, easque perpendere gratum quoque Lectori futurum puto. Secundùm communem Æram *Indictio XV.* in hoc Diplomate signata in cursu esse cœpit Septembri mense *Anni DCCCLXXXI.* ac desiit *Anno DCCCLXXXII.* die postrema Augusti, aut IX. Kalendas Octobris. Attamen occurrit heic nobis eadem *Indictio XV.* conjuncta cum *Anno DCCCLXXXIII.* & die *XV. Februarii*. Quid ergo dicendum? Certi & antiquissimi archetypi signa omnia confluebant in ejus Diplomatis membranam. Neque ad Annum Florentinum aut Pisanum ab Incarnatione confugias, ut nodum ejus ope dissolvas. Nullus heic ejusmodi effugio locus. Et præsertim quod apud Campium Tom. I. Histor. Eccles. Placentinæ, & apud Ughellium in Catalogo Episcoporum Parmensium, Cremonensium &c. & penes Cœlestinum in Historia Bergomensi, atque in aliis Diplomatis à me productis, Carolus Crassus Ærâ vulgari usus deprehendatur, atque in ejus Actis *Indictio XV.* respondeat Anno DCCCLXXXII. & *Indictio I.* Anno DCCCLXXXIII. Quare dum quisquam mihi nodum hunc solvat, aut in autographo scrutetur, an festinanti mihi in exscribendo aliquid exciderit, nihil aliud mihi dicendum succurrit nisi errorem hunc tribuendum Inquirino Notario, seu ejus Amanuensi, qui oscitanter *Annum DCCCLXXXIII.* scripserit pro *DCCCLXXXII.* Certum quippe mihi est in Anno potius Vulgari, quàm in Indictione latere mendam, quum *Annus Secundus* Imperii Augusti illius, & *Indictio XV.* recte conveniant, atque indicent *Annum DCCCLXXXII.* Idque etiam confirmat mentio heic facta *Johannis Papæ* hujus nominis *Octavi*, eodem Anno è vita sublati. Fas quoque sit mihi per conjecturam inquirere in originem loci ipsius corrupti. Complectitur Diploma hoc generale Cæsaris Edictum, in omnium Ecclesiarum ac Monasteriorum tutelam ac immunitatem promulgatum. Unusquisque Episcoporum & Abbatum, prout occasio ferebat, authenticum ejusdem exemplum sibi procurabat. Id verò præcipue factum ab Adelardo Episcopo Veronensi. Vide Ughellium Tom. V. Ital. Sacr. ubi hoc ipsum Diploma, sed in aliquibus non sat accurate descriptum, editum est, veluti uni Veronensi Ecclesiæ concessum, quum tamen ad omnes pertineret Ecclesias. Datum est Ughellianum exemplum *XVI. Kalendas Martii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXII. Indictione XV. Anno verò Imperii Domni Karoli Serenissimi Imperatoris Secundo. Actum Ravenna Civitate.* Recte hæc consignata, & inde emendandum est exemplum ab Arretina Ecclesia sibi procuratum. A vero fortasse non abludat, qui opinetur, Arretinum Episcopum Anno tantùm subsequenti DCCCLXXXIII. exquisiisse ejusmodi exemplum: Scribam verò, sive Inquirinum Notarium, quum illud è prototypo describeret, usu Anni decurrentis deceptum, incaute posuisse pro Anno *DCCCLXXXII.* Annum *DCCCLXXXIII.* ceteris rectius signatis. Atque id confirmatum infra videas in Dissert. XIX. *de Tributis*, ubi Charta ad Landum Episcopum Cremonensem spectans, atque hoc idem Diploma complectens, illud exhibet datum Anno Ch. *DCCCLXXII.* Qua ex re confirmari videas, quæcumque in Dissert. XXXIV. *de Diplomatis* indicaturus sum, nempe ipsa authentica immunia interdum non esse à Chronologicis mendis. Heic ergo animadverteris, interdici *districtiones in liberos Massarios, & Servos, & Aldiones, super Ecclesiasticas res residentes.* Infra etiam Reipublicæ Ministri vetantur *distringere Massarios & Colonos liberos, Aldiones, vel* (idest &, ut supra) *Servos quosque residentes super res* Arretinæ Ecclesiæ. En triplex illud agricolarum genus, quod nuper innuebam. In Bulla Paschalis I. Papæ pro Archiepiscopo Ravennate, Part. I. Tomi II. pag. 220. Rer. Italicar. *cuicumque interdicitur, Colonos; aut Partiarios, & Servos subjacentes parti sanctæ vestræ Ecclesiæ ad militandum subtrahere.* Du-Cangius *Colonos* fuisse censet *mediæ conditionis inter Ingenuos seu Liberos, & Servos*. Sed quum nuper viderimus in Diplomate Caroli Crassi mentionem factam de *Colonis Liberis*, veri videtur similius, ejusmodi nomine donatos tam Liberos homines, quàm alterius conditionis, ad colendos agros tunc adhibitos. *Partiarii* appellati, qui partem redituum Domino agri reddebant, reliquam suam faciebant: quales plerumque *Aldii* fuere. Scilicet infra *Liberos*, sed supra *Servos* fuerunt *Aldii*, in quos adhuc ita jus suum retinebat Dominus, ut si quis ex iis fugam caperet, aut alterum sibi Dominorum quæreret, continuo ad servitium retraheret, & qui fugitivum celasset, mulctâ plecteretur. Audi Liutprandum Regem in Lege XV. Lib. VI. *Si Aldius cujuscumque in casa alterius sine notitia Domini sui fugerit, quum invenerit eum Dominus suus, sic debeat dare homo ipse, qui eum habuerit, operas, quomodo de Servo.* Quod si Aldius liberum fortè ac ingenuum se venditans, excutere jugum conaretur: aut ante Judicem, aut mediis arbitris, agnoscere conditionem suam, Dominumque suum fateri cogebatur. Quod constabit è Charta, quam authenticam vidi & descripsi è Tabulario insignis Monasterii Ambrosiani Mediolanensis.

Agnel-

# Agnellus & Florentius de Catapino, quum se negassent Aldiones Monasterii Ambrosiani Mediolanensis, tandem conditionis suæ professionem faciunt, Anno 844.

IN *Christi nomine*. *Hlotharius divina hordinante providentia Imperator*, *Anni Imperii ejus Vigesimo quinto*, *VI. Kalendas Novembrium*, *Indictione Octaba*. *Manifesta causa est* . . . . *nobis* Agnelli & Florencio germanis filiis quondam Luponi de Catapino *Palaco Luana*, *seo & certa rei veritas comprovavit*, *quoniam quod* Totus de Vico Campilioni, qui fuit Dominus noster, nos & parentes nostri, & reliqua sua familia per suum testamentum . . . . . simul & a semetipso a potestatem Monasterii Sancti Ambrosii tradidit: & postea nos ingeniose, & suasione de malis hominibus subtrahere quesivimus, sed nullatenus potuimus, eo quod cercius Aldiones ejusdem Monasterii Sancti Ambrosii esse debemus. *Ideo nos*, *qui supra Agnello & Florencius germanis per presentem Cartulam subdimus*, *esse* nos ipsis & personas nostras *sub tuicionis & potestatem nostri Monasterii Sancti Ambrosii*, *& vobis presenti Andreati Abbati eidem Monasterii*, *vel Successoribus vestri*, *qui pro tempore in ipso nostrum Monasterio fuerunt*, *vobis* deservire & obedire debeamus die noctuque pariter, & fideles sine fraudem, vel malo ingenio, sine ulla subtractione, ut diximus, sicut Aldionis, aut alii pertinentibus ipsius Monasterii, sub potestatem, & defensionem, adque tuicionis prefati Monasterii, eo quod ad jam dictum quod Totone Seniore nostro in ipso Monasterio pro Aldiones dati; & confessi fuimus.

*Acto ad ipso Monasterio*.

*Signum manus Agnelli & Florentii germanis*, *qui hanc manifestationem fieri rogaverunt*, *& eorum relectum est*.

*Signum manibus* Wernardi *de partibus Francie testis*.

*Angilbertus Notarius scriptus hujus manifestationem post tradidi*, *complevi*, *& dedit*.

Fatentur Aldii isti se esse *sub tuitione ac potestate* Monasterii Sancti Ambrosii, quum Toto eorum *Dominus* seu *Senior*, cujus Testamentum infra dabo in Dissertat. XXXII. *de Origin. Linguæ Italicæ*, ipsos homines postremis tabulis eidem Monasterio alligasset, cui *deservire & obedire debent*. Confer istam cum aliis Chartis à me productis in Dissertat. præcedenti *de Servis*. Illic lite obortâ Servi se disertis verbis *Servos* fatentur. Hi autem sese tantummodo dicunt *Aldiones*. Quæ omnia ante me subolfecit doctissimus Vir Gerardus Johannes Vossius. Is enim in Lib. 2. Cap. 2. de Vitiis Sermonis, *Aldius*, inquit, *videtur*, *qui antea Servus*, *sic Libertatem consequutus*, *ut interim veteri Domino foret obnoxius*. Hæc quoque mea sententia, quam etiam firmant Glossæ Lindenbrogianæ his verbis: *Aldius statu liber*. *Aldius est Libertus cum impositione operarum factus*. Atque ex his intelligas, quid significare velit Leo Marsicanus Lib. 1. Cap. 14. Chronic. Casinensis, ubi scribit: *Servos autem suos* ( Wacco Beneventanus Gastaldeus ) *& Ancillas omnes Libertate donavit*, *sub ditione tamen & tutelâ Monasterii hujus*, *ita ut per singulos singulas operas annualiter*, *ubi nostri ordinati præciperent*, *exercerent*. Idest *Aldii* facti sunt, exinde futuri *sub tutela* Monasterii Casinensis. Propterea *Patroni* etiam appellati, qui jus habebant in Aldios; ac proinde ii species *Libertorum*, nam Liberti *Patronos*, quibus obnoxii erant, Romanorum more appellabant. Et operas quidem Patronis suis facere certis quibusdam temporibus ad ipsos spectabat; sed ita ad ejusmodi onera obligabantur, ut tamen secundùm Lotharii I. Imperatoris Legem 100. Langobardicam, *novam conditionem Aldioni imponere* Patroni prohiberentur. In locationum quoque & precariarum Chartis interdum ea formula occurrit post pacta inita: *Et nulla alia superimposita fiat*, hoc est, ultra pacta nullum aliud onus, tributum, aut angaria imponatur. Durat apud nos nomen Italicum *Imposta*, significans *Indictionem*, *Tributum*, aut aliud simile onus Populo impositum. Heic autem Capitulare Sicardi Principis Beneventani Cap. 14. apud Peregrinium, Part. I. Tomi II. Rer. Italicar. consulas velim, ubi legitur: *De Tertiatoribus hoc stetit*, *ut nulla nova* ( fortassis angaria aut conjectio ) *à parte Reipublicæ* ( idest Principis ) *imponatur*, *excepto antiqua consuetudine*. Qui heic *Tertiatores appellantur*, aut ex *Aldiorum* genere fuerunt, aut saltem *Coloni* agris adscripti, quibus sine venia Domini aliò migrare non licebat. *Coloni Tertiatores* infra appellantur, fortasse quod aliorum agros incolentes, tertiam partem redituum Domino præberent, aut sibi lucrarentur. Ita nobis agricolæ Mutinenses *Mezzadri* dicuntur, qui Domino reddunt *mezzele rendite*, idest medietatem frugum & fructuum agri. Certe *Tertiatores* à *Servis* distinguuntur, quamquam adeo obnoxiæ ac humilis conditionis essent, ut *Exercitales aut Milites* fieri prohiberentur: quod & Servis interdictum fuit. Sed quando *Mezzadri* Mutinenses mihi memorati sunt, addendum puto, pervetustam esse eorum institutionem. *Partiarii Coloni* dicuntur in Pandectis, Tit. *Locati*, l. *si merces*: eosque Græci noverunt, quod reditus agrorum *partirentur* cum Domino. Sed & apud Reginonem Lib. primo, Cap. 43. *de Eccles. Disciplina*, & Libro primo Cap. 157. Capitularium Baluzianæ editionis legitur: *Qui tale beneficium habent*, *& ad medietatem laborant*. In Chartis Gallicis à Du-Cangio indicatis *Medietarii* appellantur: & mirum, quei eximius ille Vir sibi confinxerit *Medietarios Servos*, idest, ut ille opinatur, *qui duobus Dominis obnoxii erant*. Quam in rem Chartæ veteris verba adfert: *Concessit Deo & Sancto Johanni Baptistæ Cavillam*, *quæ erat sua Villana*, *ut esset Medietaria Sancti Johannis ipsa & filii sui in sempiternum*; *& totum servitium*, *quod solebat persolvere Comiti*, *de cetero persolveret Sancto Johanni*. Sed primo fallitur: neque enim heic agitur de Servo aut Ancilla, sed quidem de *Villana*, hoc est de *Colona* cum filiis suis. Coloni autem, seu Rustici Servili minime notâ inurebantur, quamquam ita glebæ sive agris adscripti fuerint, ut in commercio non secus ac Servi essent. Deinde *Medietaria* dicitur ea mulier, non quod duobus Dominis famularetur, sed quod agros Sancti Johannis *ad medietatem laboraret*. A *Medietario*

apud

apud nos, ut dixi, natum eſt *Mezzetaro*, *Mezzatro*, *Mezzadro*. Interea producenda eſt mihi antiquiſſima Charta, quam authenticam vidi & hauſi ex Archivo Monachorum Ciſtercienſium Sancti Ambroſii Majoris Mediolani. Ibi *Beretrada Aldiana Domni Regis*, ideſt Deſiderii Langobardorum Regis, nupta *Theutodo* *Aldio Totonis*, ponitur *in mundio*, ſive ſub poteſtate ipſius Totonis, *ſalvâ Libertate ſuâ*: ex quo tandem cognoſcimus, ac certò tenemus, inter Liberos, non inter Servos, computatos fuiſſe *Aldios* & *Aldias*, quamquam Patronis ſuis ex vi pactorum ſubeſſent. En ipſam Chartam,

## Autpertus Actor Deſiderii Regis Langobardorum Totoni, deſponſanti Beretradam Aldianam Regiam, pro Solidis tribus auri ejus Mundium, ſive dominium concedit, Anno 771.

*IN Chriſti nomine. Notitia brevis remoratorio pro futuris temporibus. In corum preſentia recepit Autpert Actor Domni Regis de Villa Luacha de Mundio* de Aldiana Domni Regis, *nomine* Beretrada *filia Antonini de Vigo Luacha, de auri ſolidum tres. Mundio accepto ad te Totone pro ipſa Aldiana, quam ſibi* Theutodo in Aldio tuo *de Vigo Libiano in conjogio ſociavit: unde ab hac die* in tua qui ſupra Totoni, vel ad heredibus tuis permaneat poteſtate, ſalvva Libertatem ſuam, una cum agnitione . . . . *fuerit, qualiter legitur confecta notitia brevis remoratorio de ipſo Mundio.*

*Anno Domno Deſiderio & Adelchis Viris excellentiſſimis Regibus Quintodecimo, & Duodecimo, ſub die Octaubo Kalendarum Auguſtarum, Indictione Nona.*

*Signum manus Autpert a. d. Actore Domni Regis, qui ipſo brevis fieri rogavit.*

*Signum manus Joannis a. d. & . . . . de Vigo Luacha.*

*Giſefredus a. d. huic brevis memoratorio de Mundio rogatus ad Autpert Actore Domni Regis teſtes ſubſcripſi.*

*Ego . . . . . . pert indignus Presbiter, Scriptor hujus brevis memoratorio . . . . . poſtradi . . . . dedit.*

Ad Manumiſſiones regrediamur. Complures fuiſſe jam dixi cauſſas, cur apud antiquos Servi, adde nunc & Aldii, aut aliquo, aut pleno Libertatis uſu donarentur. Quod ſane niſi factum fuiſſet, nimium in numerum excreviſſet eorum copia, ita ut formidabiles ipſis Dominis, & reliquæ Liberorum Reipublicæ evaſuri fuiſſent. Diuturnum videlicet ſervitium, ſolertia in agendis, oblata ab eis pecunia multo labore congeſta, aliave in Dominum beneficia, gratum illius animum movebant, ut Servis de ſe bene meritis vinculum Servitutis tamdem adimeret. Franci etiam Reges *pro nativitate filii*, aut ob alias lætitiæ cauſſas, Comitibus mandabant, *ut per omnes Villas noſtras in cuncto Regno tres homines Servientes in utroque ſexu in unaquaque Villa Ingenuos relaxare facerent*; ut habet Marculfus Lib. prim. Cap. 39. Formularum: qui & formulam addit Manumiſſionis eorumdem Servorum Lib. 2. Cap. 52. Sed cauſſa frequentior manumittendi miſerum hoc hominum genus, fuit Pietas & Caritas erga Deum, cujus amore plerumque Manumiſſiones celebratæ reperiuntur. Idque potiſſimum in poſtremis veterum tabulis uſitatum dixi, in quibus poſt mortem teſtatoris, Liberi eſſe jubentur aut omnes, aut plerique ejus Servi. Præcipue verò Eccleſiaſtici homines, quum teſtabantur, ejuſmodi piam liberalitatem in Servos, non Eccleſiæ, ſed proprios, exercere conſueverunt. In Archivo Lucenſis Archiepiſcopii teſtamentum vidi *Peredei* illius Urbis *Epiſcopi*, ſcriptum *Anno Quarto Caroli Regis Francorum & Langobardorum, XVII. Kalendas Aprilis, Indictione I.* ideſt Anno Chriſti DCCLXXVIII. Is ergo de bonis paternis ac maternis teſtans, Servos ſuos poſt obitum ſuum Liberos fore jubet: alios verò Servos & Ancillas, quos *Sundrada* genitrix ſua, dum viveret, manumiſerat, in eodem ſtatu ut permaneant, ſtatuit. Eccleſiæ Sancti Martini, aliiſque Eccleſiis, itemque Pauperibus multa relinquit. Denique præcipit, ut omnes *Maſſarii* ſui, qui in ſuis caſis maſſariciis reſident, ac ſoliti ſunt præſtare blada, vinum, aut ſervitium, non pendant Eccleſiis heredibus, niſi *angarias conſuetas*; & nemo è ſuis ſucceſſoribus aut Sacerdotibus *ſuperimpoſitam* aliam facere poſſit eiſdem hominibus, aut eos extrudere è præmemoratis caſis, niſi probata criminis cauſſa obſiſtat. Confer iſta cum iis, quæ differebam ſupra, atque in præcedenti Diſſertat. XIV. *de Servis*, ubi controverſiæ referuntur de angariis ſuperimpoſitis. Atque hinc diſce, *Maſſarii* nomen, non Servis tantùm, ſed & hominibus Liberis datum, qui Maſſas ſeu prædia excolenda ſuſcipiebant. Alterum exemplum addo, quod in eodem Tabulario Lucenſi olim legi, ubi vetuſtiſſimum apographum adſervatur. Scripta fuit Charta *Regnante Domno noſtro Deſiderio & Adelchis Regibus, Anno Regni eorum Undecimo, & Nono, XI. dies Kalendas Martias, Indictione VI.* ideſt Anno Chriſti DCCLXVIII. Inter alia hæc ibi habentur: *Ego Taſſilo V. D. filius bone memorie Autchiſi per hanc paginam volo & decerno, ut donec ego advivere meruero, ut omnia & in omnibus diebus meis in mea ſit poteſtatem vendendi, donandi* &c. Poſt obitum ſuum ſtatuit Presbyteros quoſdam, qui pretium è bonis ſuis venumdandis coactum erogent pro anima ſua, *ut de ipſis rebus aveas Monaſterio Sancti Petri in loco, qui dicitur . . . . . . Virde à quondam Walafridi fundatum eſt* &c. *Et Eccleſiæ Sancti Martini de Epiſcopio* &c. *Et aveas Monaſterio Sancti Petri in Campo Magiore* &c. *Et aveas Eccleſia Sancti Fridiani* &c. *Et Eccleſia Sancte Marie, que eſt ad porta Sancti Cervaſi* &c. *Et avea Eccleſia Sancti Salvatoris in loco Sexto* &c. *Et aveas Eccleſia Sancte Reparate, qui eſt prope Monaſtherio Sancti Martini, qui vocatur Monaſtherio Samualdi*: quæ Eccleſia adhuc exſiſtit in Urbe Lucenſi, Collegio Canonicorum ornata. Poſtremò ait: *Et volo, ut omnis Hominis meis mibi pertinentis* (uti jam monui, *Pertinentes* appellati ſunt Servi) *vos Liveros demetere deveatis, & eorum Cartula abſoluticnis emettere deveatis*. Tum ſigillatim eos recenſet: ac nonnullis terras aliquas legat. Ita inter pergamenas inſignis Monaſterii Sancti Benedicti Padolironenſis Teſtamentum legitur Anno MCXXXV. conditum ab *Alberto Marchione* in Civitate Veronenſi coram Epiſcopo ejuſdem Urbis, atque editum à Margarino Tom. 2. Bullar. Caſinenſ. Conſtitut. 156. Ibi & ipſe poſt obitum ſuum cunctos

ctos Servos & Ancillas suas prorsus Liberos fore jubet, & *Cives Romanos* statuit: peculium quoque eis elargitur, uti & quasdam terras, quas Beneficiario titulo ab Ecclesia Sancti Petri de Villanova recognoscerent. Hic ille *Albertus* est, *Marchionis* atque etiam *Ducis* titulo in nonnullis Chartis ornatus, de quo mihi sermo fuit Par. I. Cap. 30. pag. 293. Antiquitat. Estensium. Eumdem nempe de Hereditate, sive *Podere* inclytæ Comitissæ Mathildis Anno MCXXV. investiverat Honorius II. Romanus Pontifex. Uxor illius altera *Comitissa Mathildis* fuit, in Chartis memorata, & consensum præbens actis mariti sui. Hujus contemplatione verisimile est tradita fuisse Alberto eidem Allodia ac titulos senioris Mathildis, quod aliqua inter utramque Mathildem conjunctio sanguinis intercessisset ex parte Beatricis Ducissæ; quum Beatrix, Mathildis Magnæ parens, *Salicæ Nationis* esset; & junior Mathildis, Alberti Marchionis conjux, non secus atque Maritus, *Nationem*, ac *Legem Salicam* ipsa quoque profiteatur. In eisdem Antiquitatibus Estensibus pag. 290. protuli Investituram Curtis Gavassæ Anno MCLXVI. datam *Gerardo Rangoni*, unde celebris & egregia Rangonum nobilium Mutinensium prosapia, à *Welphone VI. Duce Spoleti, Marchione Tusciæ, Principe Sardiniæ, ac totius substantiæ Comitissæ Mathildis Domino*. Pertinuit eadem Curtis olim ad ipsam Comitissam Mathildem. Exstitit adhuc in Tabulario Capituli Canonicorum Regiensium Charta, *die III. Decembris Anni MCLXXVI.* scripta, in qua *Gerardus Rangonus de Civitate Mutinæ concessit Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Regio quatuor jugera terræ in Villa Gavassæ ea ratione, ut Canonici dictæ Ecclesiæ persolvant omni anno eidem Gerardo sex Solidos Imperiales.* In eodem Chartario altera pergamena adservatur, unde colligimus, circiter Annum MCXCV. in controversia positum fuisse, an Curtis Gavassæ *ad Curiam* pertineret, hoc est ad Mathildis Comitissæ hereditatem. Testes ea occasione adducti mentionem faciunt *Gerardi Rangoni*, itemque *Nuntiorum Comitissæ & Ducis*, à quibus *guardata & gualdemanata* fuit terra controversa. Heic *Albertum Ducem* supra memoratum, & *Mathildam Comitissam* ejus uxorem videre mihi videor. An ita sit, aliorum esto judicium. Ego interea Chartam ipsam producam, & argumento de *Servis* finem faciam.

## Examen Testium pro Canonicis Ecclesiæ Regiensis in controversia de terris quibusdam Gavassæ cum Robato, circiter Annum 1195.

*Testes Canonicorum in Causa Robati. Petrus Broattus testatus dicit, quod intravit in quinque, vel sex bubulcas terre nomine Curie & Regalie: & Malusvicinus eum postea expulit, & postea per Malumvicinum tenuit. Et non credit, quod sit XXX. anni: & antequam Malusvicinus intromitteretur, audivit a patre & a suis majoribus, quod hec terra, que tunc nemus erat, a Senata usque ad Flumicellum* tota detenta est & guardata atque gualdemanata per Nuntios Comitissæ & Ducis.

*Petro Zoto testatur idem ut Petrus, de tenuta & intromissione Malvicini: & de auditu patris & suorum majorum audivit a suis majoribus, quod pro nemore Curie, quod homines Gavasse utebantur*, Nuntios Comitissæ & Ducis albergabant, *ipsosque vidit ibi albergare*.

*Filippus testatur, quod vidit Natale & suos majores tenere Sortem a Senata versùs serum, sicuti ostenditur; quo mortuo Malusvicinus intromisit, & a Senata usque ad Flumicellum vidit Trutum* tenere per Comitissam & per Ducem, & investire, *ut dicebat. Postea Malusvicinus intravit in Sortem illam, quam Trutus tenuerat a Senata usque ad Flumicellum, & post mortem Truti, & nondum sunt XXX. anni*. De albergaria Nuntiorum Comitissæ & Ducis *concordat cum Petro Zoto*.

*Petrus Jeminiani idem dicit de albergaria, ut Filippus. Dicit, quod XXX. anni sunt, pater, filius, vel nurus, quod intraverunt Sortem a Senata usque ad Flumicellum per Trutum, qui dicebatur* Gastaldum Comitissæ & Ducis; *& jam tenuerat per quatuor annos, antequam Malusvicinus intromitteret Sortem suam. Qua ratione intraret, nescit: sed communis fama est in Terra Gavasse*, quod erat Curie, *videlicet* Comitissæ & Ducis. *In ceteris interrogatus concordat cum Filippo*.

*Bucabadata testatur, quod ex quo* Gerardus Rangonus *adquisivit Curiam Gavasse, quod dicit esse minus XXX. annorum, eo anno, quo adquiescit, vel secundo, sasivit prata juxta Flumicellum, & que scit ostendere, ut putat, que Malusvicinus tenebat, & abstulit ex eis carrum feni pro Domino Gerardo, & Malusvicinus postea dedit guadiam standi ad preceptum Domini G. & credit, quod Albertus Burge redderet Malovicino fenum. Et eo anno interfuit, ubi Gerardus Rangonus conquestus est Consulibus Reginis Eleazario, ut credit, & aliis suis sociis, de quibus non recordatur, de Malovicino de jam dicto prato, & eis securitatem dedit. Et vidit Malumvicinum dare securitatem Consulibus standi ad rationem cum Domino G. Quod postea inter se fecissent, ignorat; & ab Alberto Burge audivit, quod Malusvicinus, antequam Gerardus Rangonus adquireret, tenebat, & quod intraverat post mortem Truti.*

*Atto frater Brugnoli testatur, quod interfuit, ubi Dominus Rangonus Gerardus conquestus est Consulibus Reginis de Robato, & dedit eis scriptam querimoniam: & credit, quod tunc Eleazar, & Ingo, Conrado, & quidam alii essent Consules.*

*Brugnolus testatur, quod interfuit, ubi idem Dominus Gerardus conquestus est de Malovicino Consulibus: & vidit Malumvicinum venire ante Consules, & audivit, quod Malusvicinus dixit:* Nolo placitare cum Domino Gerardo, quia concordabo me cum eo. *Audivit a socero suo Petro Calvo, quod a Signata exterius erat Curie; & pro nemore, quod homines Gavasse, qui ibi erant, utebantur, faciebant albergarias Curie.*

*Guido Ubaldi testatur, quod interfuit, ubi Dominus Gerardus conquestus est Consulibus de Malovicino, & vidit Malumvicinum venire ante Consules, & audivit quod Malusvicinus dixit:* Nolo placitari cum Domino Gerardo, quia concordabo me cum eo.

*Johannes Leonus testatur, quod vidit hanc* ter-

*terram, de qua questio est inter Canonicos & Robatum, antequam per Malumvicinum intromitteretur, teneri & bosizari cum alia pro Curia. Et vidit homines Gavasse facere albergarias Curie pro ista & pro alia, ut erat in communi fama Terre; & communis fama erat in Terra, quod erat Curie. Dicit, quod nondum sunt XXX. anni, quod Trutus mortuus est, ad tempus cujus Malusvicinus non intravit . . . . . . recordavit se fecisse furtum.*

*Maderus idem testatur, ut Johannes Leonus, preter quod credit, quod Malusvicinus teneret pratum tempore Truti, quod tenebat ad suum donicatum, & quod XXX. anni sunt.*

*Dominicus Bussolus testatur, quod vidit Cabalerium & Trutum tenere, & gualdemanare* pro Curia Ducis & Comitissæ *a Flumicello usque ad illam Johannis Natalis. Et vidit homines Gavasse facere albergarias Curie pro nemore, quod ibi erat, quod utebantur. Et ipse idem fecit: nec vidit Malumvicinum tempore Truti tenere, sed post mortem Truti intravit, & nondum sunt XXX. anni.*

*Addit Petrus Broatus, quod vidit Malumvicinum per XL. annos cum filio tenere quiete terciam totius Sortis, quam priores Natales habuerunt & detenuerunt.*

*Idem addit Filippus de tercia illius Sortis, quam per Natales detenta fuit a Signato usque Levatam.*

DE

# DE FŒNERATORIBUS,
## JUDÆIS, SOCIETATIBUS MILITUM PRÆDONUM, LEPROSIS, &c.
# DISSERTATIO SEXTADECIMA.

# DISSERTATIO SEXTADECIMA.

VIx ullum fuiſſe tempus reor, poſtquam in uſu & commercio hominum pecunia eſſe cœpit, quo pecunia ipſa mutuo data non fuerit, atque inde Fœnus, ſive Uſuram aliquam non quæſierint homines. Nam alteri pecuniam ſuam credere, atque inde ſperare & expoſcere lucrum unuſquiſque ſuopte ingenio didicit. Cupiditas cum homine nata eis loco magiſtri fuit. Quod negotii genus quidam Populi probarunt, alii verò omnino ſunt abominati. Antiquiſſimus omnium Moſes Fœnus interdixit inter fratres, hoc eſt inter Judæos; ab alienigenis autem Uſuras repetere minime vetuit. Sic fœnebre lucrum exſecratus eſt Plato, tum Ariſtoteles: exſecrati ſunt & Romani aliquando; ſed & ipſi aliis temporibus ejuſmodi licentiam aluerunt. Athenis autem, ac in aliis Græciæ Urbibus, ex antiqua Solonis Lege & conſuetudine, inter rationes quærendæ pecuniæ iſta quoque paſſim uſurpata eſt: quam in rem multa congeſſit Samuel Petitus Lib. V. Cap. 4. Legum Atticarum. Variæ autem fuerunt Uſuræ pro hominum arbitrio, pro improba aviditate auri, pro temporum etiam variâ fortunâ, uti & ævo noſtro fieri conſpicimus inter eos, qui ex pecuniis creditis lucrum captant. Erant ob ejuſmodi negotium famoſi *Collybiſtæ*, *Trapezitæ*, *Nummularii*, *Argentarii*; quamvis enim poſtremis hiſce duobus nominibus Probatores pecuniæ, & cuſtodes depoſitæ, deſignati olim fuerint, ſunt tamen, quæ aperte indicent, eos etiam ad menſam ſedentes permutandis, aut fœnerandis nummis quæſtum feciſſe. *Argentariorum* præcipue mentio eſt in Hiſtoria Ravennate veteri, uti produnt Vitæ Archiepiſcopor. Ravennat. ab Agnello ſcriptæ, rurſuſque editæ Part. I. Tomi II. Rer. Italicarum. Et quoniam neque apud Gruterum, neque apud Hieronymum Rubeum editam Inſcriptionem reperio, quæ Ravennæ legitur in Sancti Zachariæ, eamdem heic è Schedis meis adjungere decrevi.

HIC REQVIESCIT IN PACE
GEORGIVS V. C. ARGENTARIVS
FILIVS PETRI V. C. ARGENTARII
IVN. QVI VIXIT ANN. PLV. M. XVII.
DEP. SVB D. PRID. NONAR. AVG.
IND. XIIII. IMP. DN. N.
TIBERIO CONSTANTINO PP. AVG. ANNO VII.
ET PC. EJVSDEM ANNO III.

Poſita & Inſcriptio Anno Chriſti DLXXXI. Atque hinc habes, rectè à Pagio emendatam in annis Tiberii Chronologiam Baronianam; atque illius Epocham deducendam eſſe ab Anno DLXXIV. quo is renuntiatus fuit Cæſar. Pariter habes, *Argentarii* munus illuſtre fuiſſe, quum Georgius & Petrus Argentarii Ravennates *Viri Clariſſimi* appellentur. Et ſane publicum eorum miniſterium fuit. Alteram Inſcriptionem addo è Schedis meis ante Annos ducentos triginta, deſcriptam, ut videtur, è MSto Codice Cyriaci Anconitani, omnium antiquiſſimi collectoris veterum monumentorum. In ea occurrunt tres *Argentarii*, & *Helena Felix Argen.* quaſi & mulier *Argentaria* fuerit. Sed fortaſſis ibi ordo nominum confuſus.

*Romæ.*

P. CAVCILIVS P. L. LYSIMACHVS FELIX
P. CAVCILIVS P. L. CALIPPVS FELIX
P. CAVCILIVS P. L. AVCTVS FELIX
P. CAVCILIVS P. L.
BAVCIA SECVNDA
BAVCILIA P. L.
HELENA FELIX ARGEN.
P. CAVCILIVS CALIPPI L.
P. CAVCILIVS SPERATVS DE FORO VINARIO
SALVIVS ARGENTARIVS DE FORO VINARIO
P. CAVCILIVS P. L.
P. CAVCILIVS CALIPPI L. EXPECTATVS
EVTYCHVS ARGENTARIVS
SENTIA VENERIA VIX. ANN. III. DE FORO VINARIO
CAVCILIA P. L. AVGE
P. CAVCILIVS EVTYCHI L. SACERDOS
P. CAVCILIVS LYSIMACHI
L. HVGINVS ARGENTARIVS
FELIX DE FORO VINARIO
P. CAVCILIVS P. L. TIRIDATES
P. CAVCILIVS SALVI L.
EROS COARTOR VINARIVS DE FORO VINARIO.

Pro

Pro *Coartor* legendum puto *Coactor*, ut fuerit, qui pecunias in auctione Vini cogebat, ſuumque munus in Foro Vinario exercebat. Gruterus pag. 583. numero 6. Romanam hanc Inſcriptionem adfert,

L. DOMITIO AGATHEMIO PARIDIS LIB.
A VII. ARGENT. COACTORI CAES. . . . . . .
CN. DOMITIVS EPICTETVS ET CVRTIA
EVPHRANTIS B. M.
POSVERE

In Schedis meis nuper memoratis hæc ita legitur:

L. DOMITIO AGATHEMERO PARIDIS LIB.
A. VII. CAESARES ARGENTAR. COACTORI
L. DOMITIVS &c.

Ideſt *Coactor Argentarius*, cujus profeſſionis alia ſunt apud Gruterum exempla. Fortaſſe vitium latet in verbis illis A. VII. CAESARES, adhibita, ni fallor, ad deſignandum locum aut ſignum officinæ, uti in aliis ejuſmodi Inſcriptionibus infra memorandis, niſi velimus Domitium iſtum *Cæſaris Argentarium*; quod hactenus non credo. T. CLOELIVS LANARIVS DE VICO CAESARIS occurrit apud Fabrettum Cap. x. Inſcription. 233. A VIC. LORET. in altera Inſcriptione legitur, itaut A VIC. CAESARIS ſcribendum heic videatur. Nuper vidimus *Salvium Argentarium de Foro Vinario*. Certe Lampridio teſte, Alexander Imperator *Vinariorum* corpus ſive Collegium inſtituit, cujus erat munus Vinum advehere ac vendere in Foro, ad eam mercaturam deſtinato. Sextus Aurelius Victor de Gallieno ſcribit: *Popinas, ganeaſque obiens, lenonum ac Vinariorum amicitiis hærebat*. Pro *Vinariorum* Andreas Schottus legendum putavit *Mimorum*: quam emendationem non probavit Salmaſius in Not. ad Trebellium Pollionem in Vita Gallieni, arbitratus Victoris verba reſpondere verbis Trebellii ſcribentis: *Dies ac noctes vino & ſtupris perdidit*. Verùm parcat Salmaſius: *Vinarii* minime appellati, qui Vino indulgebant in *popinis* & *ganeis*; ſed qui Vinum in Foro Vinario vendebant. Nuper memoratum Lampridium audi: *Corpora omnium conſtituit Vinariorum, Lupinariorum* (ideſt, ut puto, *Lupinos Vendentium*, niſi ſit corrupta vox, uti valde ſuſpicor) *Caligariorum, & omnino omnium Artium* &c. Ac proinde ea Ars honeſta, neque cum *Lenonibus* jungendi *Vinarii*, quaſi & ipſi infames fuerint, quamquam fieri potuerit, ut Gallienus adhæſerit Vini venditoribus. Redeo ad Argentarios. Decio Auguſto monumentum poſuere circiter Annum Chriſti CCL. ARGENTARII ET EXCEPTORES ITEMQVE NEGOTIANTES VINI SVPERNAT. ET ARIMIN. Inſcriptionem edidit Reineſius Claſſe III. num. 88. & in hæc verba eſt commentatus: *Minime omnium credibile eſt, Argentarios & Exceptores, homines prorſus diverſæ conditionis (illorum enim ars in argento figurando, cælandoque occupabatur; hi in ſcriniis Palatii apud Magiſtratum Memoriæ vel Epiſtolarum merebant) ſocietatem coiviſſe. Cum vocabulo Argentariorum hoc loco ſignificentur Artifices argenti in vaſa elaborandi, cælandique* &c. *patet ad oculum, EXCEPTORES eſſe a manu deſcriptoris, iiſque neceſſario ſubſtitui & revocari EXCOCTORES*. Immo patet ad oculum, Reineſium virum alioqui doctiſſimum, confidentius quam par eſt interdum agere in antiquorum monumentis ſuo ingenio & conjecturâ immutandis. Heic certe illum ſua defecit eruditio. *Argentarios* quidem *Fabros*, & *Argentarios Vaſcularios* habemus in Codice Juſtinianeo, argenteorum ſcilicet vaſorum Artifices. Itidem in Inſcriptione apud Gruterum pag. 621. 1. occurrit CVRTILIVS HERMEROS FABER ARGENTARIVS. At quum ii memorantur, addi ſolet aliquid, exempli causâ *Faber*, aut *Tritor Argentarius*, ut Artifex deſignetur. Quum autem ſine ullo adjuncto *Argentarii* nomen apud veteres occurrit, Menſarium, Trapezitam, Collybiſtam ſignificare conſuevit. *Argentariæ menſæ exercitores* memorantur in Leg. 4. ff. *de edendo*. In aliis Legibus Pandect. & Codicis Juſtinianei, *Argentarii* ſub ea ſignificatione memorantur, uti jamdiu viri doctiſſimi animadverterunt, & apertiſſime proditur in Juſtiniani Novella 131. ubi *Argentarii* dicuntur *mutuam pecuniam dare*.

Ita mirari quiſquam poſſit, quomodo Gutherius, vir non eruditione minus quam antiqui Juris ſcientiâ præſtantiſſimus, Lib. 3. Cap. 22. de Offic. Domus Auguſt. poſtquam ſcripſit, *Argentarios* in Lege 27. C. *de pignoribus* appellari *Argenti diſtractores*, eoſdem fuiſſe decernat ἀργυροπράτας, *qui ſcilicet in tenues laminas argentum dividunt, quibus fila ſerico involuta texuntur*. Nihil aliud *argentum diſtahere* fuit, niſi pecuniam mutuo dare, ſeu vendere, ſeu commutare: quod & ex textu illius Legis liquet, uti etiam ex Lege unica *C. Negotiatores ne militent*: ubi inter *Negotiantes*, non inter Artifices recenſentur *Argenti Diſtractores*. Erant ergo *Argentarii* Permutatores, Negotiatores Argenti ſui, vel ſibi crediti, & Cuſtodes alieni. Et quia deponebantur apud eos pecuniæ, & contractus celebrabantur, libris ſeu Kalendariis inſcribendi, ideo *Exceptores* quoque eis neceſſarii; & utrumque ordinem propterea junctum reperimus, niſi *Exceptores* intelligamus *publicorum vectigalium conductores*, uti Du-Cangius cenſuit. In variis Legibus Digeſt. *de edendo*, Argentarii *rationes edere* jubentur, *quia officium illorum atque miniſterium publicam habet cauſam, & hæc principalis eorum opera eſt, ut actus ſui rationes diligenter conficiant*. Quare *Exceptores* non *Excoctores* in Reineſiano lapide recte collocatum: & revera legitur ita in marmore adhuc Romæ exiſtente. Conjunctos habes in eodem lapide cum *Argentariis Negotiantes Vini*: quod & in Inſcriptione a me edita animadvertere potuiſti. Eâ puto de causâ, quod pleræque Argentariorum menſæ ac tabernæ in *Foro Vinario* eſſent. Apud ipſum Reineſium Claſſ. IV. num. 4. Inſcriptio viſitur, in qua Q. AVFIDIVS MENSARIVS TABERNAE ARGENTARIAE AD SCVTVM CIMBRICVM (ut Italice loquar erat hoc *inſegna della ſua botte*

ga )

ga ) CUM MAGNA VI AERIS ALIENI CESSIT FORO , ( hoc est *falli* ) . Produxit etiam Clarifs. Gorius Lib. I. pag. 308. Inscription. Florentinar. nobile marmor, in quo CN. SENTIUS appellatur AD QVADRIGAM FORI VINARII PATRONVS ARGENTARIORVM ET NEGOTIATOR. VINARIOR. Fuisse tamen discrimen inter *Argentarios* & *Nummularios* prodit Inscriptio edita a Fabretto Cap.9.pag.648. Inscription. Antiquar. Quippe ibi L. SVESTILIVS ARGENTARIVS AB SEX AREIS (officinæ hic videtur locus ) SIBI ET L. SVESTILIO LAETO NVMMVLARIO AB SEX AREIS monumentum ponit. Et profectò *Nummularii* fuere, qui nummos probabant, an germani essent, ac justi ponderis. Reinesius idem Class. I. num. 139. Romanam Inscriptionem refert, in qua memorantur CORPORA PAVSARIORVM, uti Salmasius edidit, seù PAVSANIORVM, uti legit Thomasinius & pro suo more loco PAVSARIORVM legendum putat AURARIORVM, ut sint *Aurifices*, conjungendi cum *Argentariis*, quos ille rursus argenteorum tantummodo vasorum Artifices agnoscit. Incertum adhuc puto, quid *Pausarii* fuerint, quamquam Salmasius in Notis ad Caracallam Spartiani rem statim definiat ex MSto suo ex quo quotiescumque illum cupido incessit, lucem mutuatur. Sed neque statuendum, agi illic sine dubitatione de fabris *Argentariis*, quum plerumque hoc nomine diversi generis negotiatores designatos viderimus. Si vetera, quæ non intelligimus, tam facile invertere liceret, mihi quoque liberum foret pro *Pausariorum* legere *Pensariorum*, pensantium scilicet argentum; sed & ego temere id auderem. Fortasse tamen nihil ibi immutandum. Seneca in Epistola LVI. *Sed jam me sic ad omnia ista duravi, ut audire vel PAVSARIVM possim, voce acerbissima remigibus modos dantem*. Lipsius & Savaro *Pausarium* censent *Portisculum vel Hortatorem, Græcis κελευστὴν dictum, quia & pergendi & pausandi modos remigibus daret*. Quæ si vera sunt, concidere vides Salmasii interpretationem de *Pausariis* in sacris Isidis, ut sibi accommodet locum Spartiani de *Pausa* in iisdem sacris. Nam quid quæso *Argentarii* memorati in Inscriptione ab ipso Salmasio descripta, dum Isidis & Osiridis simulacra circumferrentur?

Ut autem in semitam regrediar, qui *Trapezitæ* antiquis fuere, sive *Argentarii*, Sæculis posterioribus dicti sunt *Campsores* a Latino *Cambio*, quod teste Prisciano in præterito reddit *Campsi*. Atque inde etiam emersit *Cambiatorum* nomen. Hos nunc *Banchieri* nos appellamus. Galli *Changeurs*. Sed veteres illi fœnerabant etiam pecuniam, sive *prestavano ad usura*, uti nunc dicimus. Nemini autem Christianorum ignotum est, aut esse deberet, a divino Præceptore nostro Christo proscriptam fuisse spem lucri e Mutuo, ut Caritati virtutum splendidissimæ suus servaretur locus in gente, quam ad omnia honestatis ac probitatis officia Deus solicitat, atque ut immani hominum cupiditati frenum injiceretur. Sed quum extrema incommoda civili societati imminerent, si numquam liceret alteri pecuniam credere, atque præter sortem aliquam lucri accessionem sperare (quotus enim quisque est, qui lubens ac facilis suum aliis argentum ad utendum tradat, accipienti quidem multùm, nihil verò danti profuturum?) propterea excogitatæ sunt in hanc rem & inter christianos nonnullæ æquitatis rationes, servandi publici commercii caussâ, ita ut abjecto odioso nomine *Fœnoris* & *Usuræ*, & moderatâ quadam invectâ lucri capturâ, sub aliis nominibus perduret, & pro legitima habeatur Auri Argentique signati negotiatio atque versura. Verùm apud Christifideles numquam desiere tam honesti quàm inhonesti Fœneratores. In priorum inhumanitatem multis invehitur S. Ambrosius in Lib. de Tobia, artes eorum graphice describens & damnans. Paria habent Sancti Augustinus, Basilius, Chrysostomus, aliique Patres. Argentarios autem, Nummularios, aliosque id genus vel antiquitus aluerunt Romanorum Urbes, uti constat exCodice Justinianeo, ex Agnello Ravennate, aliisque veterum Libris. Immo olim quoque statutum est, quid heic liceret. Nempe Constantinus Magnus in Codice Theodosiano Lib. 2. Tit. 33. de Usur. l. 1. postquam interdixit, Usuram capere e frugibus mutuo datis, hæc addit: *Nam pro pecunia ultra Centesimas creditor vetatur accipere*. Hæc ille Anno Christi CCCXXV. Tum in subsequenti Lege ab Imperatoribus Valentiniano, Theodosio, & Arcadio, promulgata Anno CCCLXXXVI. hæc decreta fuere: *Quicumque ultra Centesimam jure permissam aliquid sub occasione necessitatis eruerit, quadrupli pœnæ obligatione constrictus, sine cessatione, sine requie, protinus ablata redhibebit*. Nihil aliud *Centesima Usura* fuit, quam nummum unum pro centum nummis fœneris titulo singulis Mensibus accipere: quæ gravis certe Usura videatur temporibus nostris, quibus plerumque longe mitius cum debitoribus agitur. Et profecto hoc etiam Usuræ genus, immo & quamcumque aliam e Mutuo deducendam interdixit Clericis Nicæna Synodus Prima. An & Laicis, si petis ego neutiquam puto. Usitatam ejusmodi Usuram ævo quoque suo prodit Sidonius Apollinaris Lib. 4. Epist. 24.

Sed nolo progredi longiùs, quum mihi unum statuerim, nempe de Italicis illis Fœneratoribus tantùm agere, qui post Sæculum X. aut XI. magnum sibi nomen, sinistram tamen famam, per universam Europam compararunt. Postquam enim assurrexere in libertatem pleræque Lombardiæ, Tusciæ, Æmiliæ, ac Flaminiæ Urbes, Cives animis erectis studium omne conferre cœperunt non ad augendam solùm suæ Civitatis ac Patriæ potentiam, sed etiam ad fortunas proprias amplificandas. Itaque tunc Artes multæ utiles restitutæ; mercaturæ verò data solertissime opera, ac præcipue apud illos, quos industria major, majorque mentis sagacitas ad lucra procuranda magis idoneos effecerat. Inter hos vero in primis emicuere Etrusci, atque inter eos præsertim Florentini, acuti ingenii homines, laborisque patientes, qui sensim ditescendi ardore solicitati, non domi tantùm, sed per Italiam reliquam, & per extera etiam Regna se se effudere ad mercaturam faciendam. Parum visa est iis mercium commutatio: pecuniam quoque Fœnori dabant, idque sensim primum ac præcipuum eorum negotium evasit. Et res quidem bene cedebat, effluente inde ingenti proventu. Neque me falli putem, si dixero, ad hanc potissimum caussam, hoc est ad ejusmodi Mercatores, sive Fœneratores, referendum esse, quod Florentina Civitas Sæculo XII. & XIII. adeo caput attollere, & supra finitimas eminere, eisque tamdem servitutis jugum imponere cœperit. Nam quum dispersi per Europam Cives

ves illius Urbis ex isto, qualecumque foret, mercimonio opes undique colligerent, easque ad patriam conveherent, amplissimæ ædes exinde ac Palatia ædificata sunt, crescentibusque Artibus crevit & Populus, & pomœria Urbis dilatata sunt, & in tanta opulentia nervi ad bellum publicum sustinendum aut inferendum fere numquam defuerunt. Quæ a Johane Villanio appellantur Societates *Scalorum*, *Peruzzorum*, *Acciajoliorum*, *Bardorum*, *Ammanatorum* &c. eo præ ceteris spectabant, ut ex pecunia mutuo data fœnebris sibi quæstus redundaret, quum & ipsi ab aliis mutuo acciperent, sed leviorem reddendo Usuram. Auctor est idem Villanius, inde manasse earum Societatum ruinam, quod Eduardo III. Angliæ Regi immanem pecuniæ vim mutuam dedissent: is autem belli impensis prementibus datam fidem liberare nequiverit. Quare nil mirum, si Tegrimus Comes apud eumdem Historicum Lib. 7. Cap. 139. Comitem Pupii de suis opibus gloriantem, & Florentinorum balistas in suo armamentario ostendentem, his verbis represserit: *Parmene bene, se non ch' io intendo, che i Fiorentini sono grandi prestatori a usura*. Neque tantum Florentini ac Etrusci, sed & alii Italiæ Populi ad tam dulce lucrum convolantes, tum in Italia, tum in Gallia & Anglia, mercaturam inierunt, mercium quidem diversarum commercio instituto, at præcipue pecuniam in fœnore ponendo; quod *prestare ad usura* nostri appellabant, unde Italica vox *Prestatori*, idest *Fœneratores*. Ogerius Alferius in Chronico Astensi Tom. XI. Rer. Italicar. *Anno*, ait, *Domini MCCXXVI. Cives Astenses cœperunt præstare, & facere usuras in Francia, & ultramontanis partibus, ubi multam pecuniam lucrati sunt*. Benevenutus quoque de Imola in MStis Comment. ad Comœdiam Dantis testatur, suo etiam tempore, *Astenses* ditissimos præ ceteris Lombardis fuisse ex arte fœneratoria. Confluxerunt illuc & ex aliis Italiæ Urbibus ejusdem generis homines, sub *Mercatorum* nomine benigne accepti, omnesque concordi studio ac strenue rem fœnebrem agebant, Nobiles pariter, atque ignobiles. Et quod inter eos primas tenerent *Mediolanenses*, *Astenses*, *Placentini* &c. tum *Florentini*, *Senenses*, *Lucenses* &c. hinc factum fuit, ut passim appellarentur in Gallia & Britannia *Mercatores Lombardi*, & *Tusci*, sive Tuscani. Hisce autem & Curia Romana utebatur, ut reditus suos e variis Regnis colligeret. Unum profero exemplum ex codice Cencii Camerarii eductum.

## Literæ Domini Papæ Gregorii IX. de quietatione facta inter Cameram Domini Papæ & Angelerium Solaficu, & ejus Socios, Anno 1233.

*Gregorius Episcopus, servus servorum Dei. Omnibus præsentes literas inspecturis salutem & apostolicam benedictionem. Universitati vestræ volumus esse notum, quod facta generali inter Cameram nostram & dilectos filios Angelerium Solaficu quondam Campsorem nostrum & ejus Socios Mercatores Senenses, de omnibus rationibus, quas in Anglia, Francia, Curia Romana, vel etiam alibi, nostro vel Ecclesiæ Romanæ nomine receperunt, & de expensis ab eis factis, ac de solutis, quæ fuerunt hinc inde solvenda, computatione habita diligenti, compertum est, Cameram ipsam eisdem prorsus in nullo teneri & Mercatores eosdem nihil omnino Cameræ prædictæ debere. Verum, ne de iis possit aliquando dubitari, præsentes literas fieri mandavimus ad utriusque partis cautelam, Bullæ nostræ munimine roboratas.*

*Datum Laterani VII. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Septimo.*

Clarissimus Du-Cangius in Glossario Latino fragmentum in hanc rem perutile produxit, pacti scilicet Anno MCCLXXVIII. initi cum Rege Franciæ *a Fulcone Cacio cive Placentino, Capitaneo Universitatis Mercatorum Lombardorum & Tuscanorum* (en ut junctis copiis omnes commercia curabant) *habente etiam potestatem & speciale mandatum a Consulibus Mercatorum Romanorum, Januæ, Venetiarum, Placentiæ, Lucæ, Bononiæ, Pistorii, Astensium, Albæ, Florentiæ, Senarum, & Mediolanensium, tractandi cum Domino Rege Franciæ super translatione facienda ad Civitatem Nemausensem* &c. Scilicet in Urbe Monpessulana antea Itali sedem negotiorum suorum collocarant. Refert idem Du-Cangius Privilegia varia a Rege illis concessa, quæ apud illum ad vocem *Langobardi* legas. Præterea apud eosdem Gallos *Caorcini* vulgo appellati sunt Fœneratores. Quod nomen non aliunde profectum est, quàm a *Caduræo*, Gallis *Cahors*, Aquitaniæ Urbe, ubi ejusmodi Mercatores, & quidem illius Civitatis Cives, præcipuum olim commercium usurarium exercebant, & per universam Galliam ac Britaniam suum virus dilatare cœperant, imo & alios Populos ad pravam hanc artem educasse videntur. Neque enim uni Itali hac pece infecti fuerunt; falsumque est, quod Du-Cangius tradit, eo nomine designatos fuisse *Mercatores Italicos propter fœnerationem usurariam famosos*. Galli & ipsi paria, & fortasse pejora, atque ante alios, præstitere: ipsique, non verò Itali, *Caorcini* sunt vocati. Basilice autem falluntur apud eumdem Du-Cangium, quicumque suspicantur, ex nobili Florentina *Corsinorum* Familia derivatum ignominiosum hoc nomen, corruptumque fuisse a Gallis, pro *Corsino Caorsino* dicentibus. *Corsini* utique olim, uti & reliquæ nobiles Florentinorum prosapiæ, mercaturam faciebant, iique una cum aliis Mercatoribus Florentinis Anno MCCCXLII. decoxere creditoribus suis. Sed cur à Corsinorum Familiis potius, quàm a tot aliis mercaturæ addictis, & ex ipsa Florentia ditioribus ac celebrioribus, sumsissent Galli nomen ad designandos universos Mercatores Tusciæ, Lombardiæ, immo & totius Galliæ ac Italiæ? Carolus II. Apuliæ Rex Provinciæ, & Andegavi Comes, in edicto promulgato Andegavi, testante ipso Du-Cangio, Anno MCCLXXXIX. disertis verbis *Caturcinos* Usurarios e sua ditione exturbat; hoc est, satis significat, ab urbe *Cadurco*, quæ & *Caturcum* tunc vocabatur, appellationem ejusmodi fuisse derivatam, non verò a nobili *Corsina* gente, ipsi Carolo Regi nequaquam ignotâ, quæ Anno MDCCXXX. nobis dedit Clementem XII. Pontificem Maximum, multâ cum gloriâ, dum hæc scribo, in Cathedra Petri sedentem. Sed præsto heic mihi

mihi est optimus testis, videlicet Dantes Aldigerius Florentinus, qui Cant. XI. Infern. in detestandos Fœneratores invehitur, atque inter cetera scribit.

*E però lo minor giron suggella*
*Del segno suo e Sodoma e Caorsa.*

Ideft nefando vitio inquinatos, & Usurarios. En ut non *Corsinam* gentem, sed *Cadurcum* Civitatem Galliæ, quæ *Caorsa* ab Italis dicebatur, ob fœnebre lucrum in Italia quoque famosam, criminis hujus Dantes synhcronus arguit. Audi & Benevenutum Imolensem in Commentariis adhuc manu exaratis in ejusdem Dantis Poëma. Is autem doctissimus utique vir Anno MCCCLXXX. hæc literis mandabat. *E Caorsa: idest Usurarios. Caturgium enim est Civitas in Gallia, in qua quasi omnes sunt Fœneratores*. Inquit *sunt*; eodem enim morbo laborare pergebat Civitas illa, quum hæc Benevenutus scribebat. Ad hæc alibi Du-Cangius ipse laudat Diploma Philippi Regis Francorum scriptum Anno MCCXX. ubi hæc leguntur. *Concessimus Burgensibus nostris de Cadomo residentibus in Villa Cadomi, quod nec eos, nec uxores, nec heredes eorum capiemus ad occasionem de Usura in morte eorum*. Ergo & *Cadomenses* in Normannia fœnori operam dabant, ut jam intelligas, vetustum fuisse apud Gallos ejusmodi morbum. In Concilio Treverensi Anni 1310. apud Martene Tom. IV. Thesaur. nov. Anecdor. confirmantur decreta contra *Cauvertinos & alios Usurarios*. Ibi legendum *Caursinos* arbitror.

Verùm adeo abominanda Gallicorum & Italicorum mercatura, quum à præceptis Christianæ legis deflecteret, quæ Usuram e mutuo corradere vetat, & præterea enormi ratione miserorum marsupia emungeret, Regum & Populorum odium in se contraxit; quare hisce expilatoribus undique bellum indictum fuit. In Anglia Eduvardus Rex summe pius, qui Anno MCVI. florebat, ut est in ejus Legibus, *Usurarios defendit* (ideft interdixit) *ne remanerent in Regno*. Nihil ibi, essentne advenæ, an Angli Usurarii illi. At quum jubentur *non remanere in Regno*, verisimilius est, actum fuisse de exteris Fœneratoribus. Sunt autem Matthæi Parisii verba ad Annum MCCXXXV. in Histor. Anglica. *Invaluit autem his diebus adeo Caursinorum* (ideft Gallicorum Trapezitarum) *pestis abominanda, ut vix esset aliquis in tota Anglia, qui retibus illorum jam non illaquearetur. Etiam ipse Rex debito inæstimabili eis tenebatur obligatus*. Tum refert, quali forma debitores suos ad usuras persolvendas obstringerent; Londinensem vero Episcopum in abominandum hoc hominum genus anathema pronutiasse; sed illos impetrato Romanæ Curiæ patrocinio, Antistitis arma elusisse, eumque in judicium fuisse vocatum, *super tali injuria Mercatoribus Papalibus irrogata responsurum*. Ad hæc, ut idem Paris testatur, Anno MCCXL Henricus III. Angliæ Rex *Caursinis, præcipue Senonensibus* (Gallicæ ergo gentis erant danistæ illi) *terram suam interdixit. Ipsi autem moleste ferentes & dolentes tales se pascuas amissuros, datâ pecunia, quæ nimis solet impios justificare, adhuc pro magna parte latuerunt*. Et illi quidem rursus in Anglia agitati, rursus revocati sunt; proficiebant enim & ipsi Reges ex eorum præda. Præsertim verò quum Regem congerendæ pecuniæ necessitas urgebat, Usurarii proscribebantur, ut se se



auro oblato redimerent. Pro illis etiam Romana Curia intercedebat, non quod eorum Usuras palparet, sed quod per eorum manus reciperet quidquid censuum & redituum Curia ipsa ex universis Christianorum provinciis colligebat. Neque secus in Gallia factum est. Sub Philippo Rege Sancti Ludovici filio edictum prodiit, ut *Lombardi* & *Caorsini* Fœneratores e Regno excederent, nullumque amplius fœnore commercium facere eis in Gallia liceret, veniâ tamen factâ *Mercatoribus Lombardis, & Caorsinis, & aliis pacifice morandi, veniendi ac recedendi pro suis negotiis, & mercaturis legitime exercendis*. Eosdem quoque, scilicet *Lombardos, Caturcinos, aliasque personas alienigenas Usuras publice exercentes*, ex ditionibus suis Gallicis exturbavit Carolus II. Siciliæ Rex & Provinciæ Comes. Viden' ut *Lombardi* a *Caorcinis* ubique distinguuntur? Ergo sub *Lombardorum* nomine Itali, Galli sub *Caorcinorum* veniebant. Sed quod Principes suis legibus evertere velle videbantur, improba illa gens aut tuebatur, aut brevi restaurabat oblatione munerum, ita ut perpetuo quidem improbaretur, & semper nihilominus retineretur.

Interea grassante ejusmodi peste minime silebant Romani Pontifices, aliique sacri Pastores Ecclesiæ. Sed præcipuum contra eos fulmen emersit ex Concilio Generali Lateranensi Tertio, Anno MCLXXIX. Canone XXV. Ibi Alexander III. Papa, ceterique Patres in hæc verba decreverunt: *Quia in omnibus fere locis crimen Usurarum ita inolevit, ut multi aliis negotiis prætermissis, quasi licite Usuras exerceant* &c. *Ideo constituimus, ut Usurarii manifesti nec ad Communionem admittantur Altaris, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam* &c. Eadem pœna contra illos renovata est, aliis insuper adjectis, Anno MCCLXXIV. in Concilio Generali Lugdunensi II. Canone XXVI. idemque confirmatum videas in aliis Conciliis, quæ commemorare nihil attinet. Atque hinc Lector minus peritus ad intelligendum ducitur, cur Boccaccius in suis Fabulis amicos Florentinos *Ser Ciappelletti Pratensis*, omnium improbissimi Fœneratoris in Burgundia, tantopere anxios inducat, quod eum ad finem vitæ properantem cernerent, sibique, ac illi, a Populo regionis illius metuerent, ubi ejus mors resciretur. Sed quidquid minarum ac pœnarum Ecclesia, quidquid Reges & Principes in perditam ejusmodi accipitrum colluviem intentarunt, nihil eos ab arte abominanda dimovit; nosque subsequenti Sæculo XIV. eosdem offendimus cum in Gallia, tum in Italia vigentes adhuc, & in studio suo pertinaces. Immo nulla pæne Civitas ejusmodi peste immunis abibat, & Fortasse ne ullum quidem Castellum. Tusci præ ceteris ad apum instar mel undique congerebant. Erepta est Anno Christi MCCLVI. Patavina Civitas crudeli Tyranno Eccelino, ac direpta ab ipsis Cruce signatis. Tunc Rolandino teste Lib. 9. Cap. I. vix ullus e Civibus interemtus fuit. Sed *Tuscus quidam nomine Johannes de Scanta, suam volens tueri pecuniam, quam ad pignora mutuabat, defendendo pecuniam est occisus*. Et ne longe exempla petam, domestica mihi multa suppetunt. Anno Christi MCCCVI. horum turba Mutinensium crumenas obsidebat; neque Civibus tantùm, sed & ipsi Reipublicæ pecuniam mutuo dabat, prout in aliis locis facere consuerunt. In publicis ejus Anni Actis MStis die VI. Julii consti-

tutum fuit, *ut mittatur pro Tuscanis forensibus, & rogentur, quod mutuare debeant Communi Mutinæ quingentas Libras Mutinenses: Quod si facere noluerint, compellantur per Dominum Capitaneum ipsam quantitatem pecuniæ mutuare; & quod de ipsa pecunia reddenda fiat eis securitas & promissio sufficiens*. Idque non semel postea factum video eodem Anno. Infra memorantur *omnes Tuscani mutuatores, qui morantur in Civitate Mutinæ*. Et profecto in fœneratoria arte Sæculo etiam XIV. præ ceteris excellebant, solicitique erant Etruriæ Populi. Alvarus Pelagius Episcopus Silvensis in celebri Tractatu de Planctu Ecclesiæ Lib. 2. Cap. 7. hæc scribebat. *Familiares, secretarii, negotiorum gestores præcipui aliquorum Prælatorum Ecclesiæ, Mercatores sunt, maxime Florentini & Senenses, & alii de Tuscia, & de aliis provinciis. Et de pecuniis Ecclesiarum Fœnus continue aliqui exercentes, & Prælatis quibusdam de certa parte respondentes nomine partis, vel mercantiæ, vel societatis* &c. Neque religioni, ut opinor, tunc istud hominum genus sibi ducebat Fœnus exercere palam; neque iis publicæ Leges, aut magistratus, impedimenti quidquam adferebant, licèt Ecclesiæ mens alia semper fuerit, atque in eos pœnas decreverit. Prostabant, inquam, in Urbibus publici Fœneratores, & in Civitate Senensi Anno MCCCXXXIX. constitutum fuit, ut habetur in ejusdem Urbis Chronico Tomo XV. Rer. Italicarum: *Che nessuna persona in Siena, o nel Contado, potesse prestare a Usura per nessun modo, se prima non si facesse scrivere nel Libro detto Usurajo di Bicherna, a ciò deputato*.

Quantum Usurarum eis rependeretur, etiam accipe. Quum primùm pecuniam mutuabant, mutuum non ultra sex menses perduraturum erat, ac pro semestri illo pecuniam accipiens *Donum* Fœneratori conferebat, quod computabatur in sorte. Post exactos sex menses si mutuum debitor minime reddebat, tunc *pro damno & interesse*, secundùm pacta persoluturus erat *quatuor denarios pro qualibet libra singulis mensibus*, aut (quod idem fortasse fuit) *quatuor Imperiales pro qualibet libra grossa singulis mensibus: qui solidi non computentur in sorte*. En exemplum. *Anno MCCLXIV. die V. Aprilis* Jacobus Fasaninus Bononiensis, Mutinæ habitator, mutuo accepit *libras XX. & denarios VI.* monetæ Mutinensis, restituendas exactis sex mensibus proxime venturis, *computato Dono in his in sorte secundùm formam Statuti Communis Mutinæ*. Ita sub nomine *Doni* palliabant Usuras sex iis mensibus rependendas, immo jam ante persolutas, & cum sortis massa conjunctas. Quum præscripto tempore is ad pecuniam reddendam segnem se præberet, re ad Judices delatâ, damnatus fuit *Anno MCCLXX. die Mercurii XI. exeunte Madio*, idest die XXI. ad solvendas libras XLIV. Mutinensis pecuniæ; *Videlicet XX. libras Mutin. & VI. denarios Mutin. pro pura sorte: & XXIV. libras Mutin. pro legitimis accessionibus dictæ sortis, dampno & interesse ipsius, ad rationem IV. denariorum pro qualibet libra, secundùm formam Statuti Communis Mutinæ; & XII. libras pro expensis factis dicta occasione &c.* Habemus heic, libras XX. & denarios VI. per annos sex & dies XVI. reddidisse Usuræ nomine libras XXIV. atque adeo, si bene rationes conficere novi, summa centum librarum singulis annis pariebat Usuram sive proventum librarum viginti. Miraris? Detestaris? At major tibi mirandi & exsecrandi caussa erit, si quæ Matthæus Paris in Histor. Anglic. refert ad Annum MCCXXXV. legas & recogites. Exhibet ille formam Chartæ, per quam à Caursinis Fœneratoribus obligabantur eo tempore in Britannia debitores. Nisi enim debitor ad statutum terminum pecuniam acceptam redderet, persoluturus erat pro Usura *per singulos menses duos, pro singulis decem Marcis unam Marcam, pro recompensatione damnorum; quæ damna & expensas ipsi Mercatores ex hoc possent incurrere: ita quod damna & expensæ & sors cum effectu peti possint, & expensæ unius Mercatoris cum uno equo & cum uno serviente, ubicumque fuerit Mercator, usque ad plenam solutionem omnium prædictorum &c.* Plura ne pete ad dignoscendam ejusmodi hirudinum immanem rabiem. Et nihilo secius, ut nuper vidimus, *Statuto Mutinensium* probabatur fœnebris quæstus viginti librarum pro centum libris quotannis: adeo incomposita corruptaque erant Secula illa. Ita in Statutis Veronensibus Anni MCCXXVIII. ab amico meo Campagnola paucos ante annos evulgatis Cap. 26. decretum est, *ut de Usuris futuri temporis fiat ratio usque ad quantitatem XII. librarum & dimidiæ pro centenario, & creditores dare teneantur dilationem unius anni debitoribus solventibus Usuras illius anni futuri &c. Et si ultra dictam quantitatem XII. librarum & dimidiæ creditores sub aliquo modo seu ingenio acceperint, id totum in sortem computetur*. Quamquam constantes in ejusmodi deliramento homines nequaquam erant; nam quod aliqua necessitate suadente de Usuris statuebant, etiamsi legis divinæ præceptis adversantes, sublata necessitate continuo infringebant. Addere lubet, quid Anno MCCCXXVII. in suis Legibus Municipalibus MStis decreverit hac de re Populus Mutinensis. *Omnia*, inquiunt, *præcepta & instrumenta facta à duodecim annis citra de dando aliquam quantitatem pecuniæ alicui ex aliqua caussa, intelligatur, tantùm quartam partem ipsius quantitatis esse veram sortem, si creditor tempore dicti præcepti & instrumenti erat Usurarius, si probabitur contra ipsum per quatuor testes Cives & habitatores Mutinæ fide dignos, qui dixerint testificando per publicam vocem & famam, ipsum talem fuisse Usurarium, vel accepisse ab eodem pecuniam sub Usuris ad rationem mensis & libræ, vel eidem solvisse Usuras vel per se, vel per alium &c.*

Præterea tot pœnis & maledictis in blandum hoc furum genus certarunt deinde sacra Concilia, Regesque ac Principes, ut eorum genus, si minime aboleverunt, certe mirum in modum enervarint. Neque enim & inter Catholicos hodie desiderantur, qui fœnori suam exponunt pecuniam; sed plerique ementitis titulis, & clam id faciunt, veriti ne nimium lucrum ex eorum Usuris detectis Principes & ipsi, sed justius, capiant. Quod enim est ad Leges divinas, hasce Avari contorquent, emolliunt, interpretantur, nullamque suis studiis adversari facile demum sibi persuadent. Denique ut hoc etiam addam, *Prestare* dicebantur Fœneratores, seu *Prestare ad Usura*, verbo antiquo significante *Mutuo dare*, & *Commodare*: cujus est mentio in Codic. Theodosiano & Justinianeo, & apud Salvianum, Optatum Milevitanum, & in Capitularibus Caroli M. *Accommodare* etiam dixerunt, eâque vo-

ce usi sunt & Galli, à Latino *Commodo*, sive ut significarent *ad commodum accipientis dare*. Qui verò pecuniam recipiebant, *Improntare* dicebantur, uti exempla in Vocabulario Florentino adducta ostendunt. Postrema vox è Gallia, ubi *Emprunter* idem sonat, in Italiam penetravit, à mercatoribus invecta; sed nunc omnino antiquata, atque ab Italice scribentibus repudiata. Furetierius de illa voce hæc habet: *Ce mot vient d'Imprestare, mot de la basse Latinité, qu'on a dit dans le même sens. Du-Cange.* Assentiri non possum. Diversa plane sunt *Imprestare* & *Improntare*, tum ratione literarum, tum significatione. Illud enim *dare*, hoc *accipere* indicat. Nata videtur vox *Emprunter* & *Improntare*, ex *in promtu*, ideft *trovar pronto, ricevere prontamente il danaro*: quippe in fœnebri officina petentibus, & cautionem idoneam præbentibus, parata semper pecunia erat. Ceterum *in pronto* cum *Imprestare* similitudinem quampiam gerit: nam *presto* significat etiam *Pronto, Apparecchiato*. Et quidem ex Italica Lingua excidit peregrinum illud *Improntare* ad significandum *Prendere in prestito, Pigliare ad usura*. Sed perdurat *Improntare* pro *Effigiare*, unde *Imprenta*, *Impronta*. *Imprenta* quoque & *Imprentare* à Dante, aliisque antiquis usurpatum fuit, more videlicet Gallorum, quibus est *Empreinte*. Non alia origo voci fuisse videtur, quàm Latinum *Imprimo* fœdissime corruptum, quasi *Imprimo* daret *Impromsi*, *Impromtum*, &, ex *In* & *Promo* exsurgeret *Impremsi*, *Impremtum*. Hæc obiter.

In desuetudinem abiere publicæ inter Catholicos Fœneratorum mensæ. Attamen alterum hominum genus arti eidem addictorum successit, atque ex iis complures Italia multis in locis alit. *Judæos* significare volo, de quibus etiam mihi est aliquid differendum. Gentem hanc antiquis Sæculis late per totum Romanorum Imperium in Oriente & Occidente diffusam ac propagatam novimus, ita ut Rutilius Numatianus ineunte Sæculo Christianæ Æræ Quincto de eorum copia ac viribus conquereretur, scribens in Itinetario:

> *Latius excisæ pestis contagia serpunt,*
> *Victoresque suos Natio victa premit.*

Propterea sunt de iis Leges non paucæ in utroque Codice Theodosiano & Justinianeo, ut alia eorum temporum monumenta prætercam. Judæos ævo suo Bononiæ commorantes memorat Sanctus Ambrosius in Lib. de exhortat. Virgin. Mediolani quoque, atque in aliis compluribus Civitatibus id hominum genus abundasse scribit in Epist. XL. ad Theodosium Augustum. Sæculo VII. & subsequentibus non paucos illorum greges Hispania nutriebat, Sardinia, & Gallia. Monachus Sangallensis Lib. I. Cap. 18. de Gest. Caroli M. commemorat quemdam Judæum mercatorem, eidem Carolo familiarem, *qui Terram repromissionis sæpius adire & inde ad cismarinas Provincias multa pretiosa & incognita solitus erat afferre*. Immo Ludovico Pio Augusto imperante, multa Judæi ausi sunt Lugduni, ubi eorum ingens copia erat; propter quæ Agobardus Archiepiscopus Librum, quem nunc evulgatum habemus, scripsit ad Imperatorem ipsum *de insolentia Judæorum*. Adversùs eosdem etiam insurrexit Amulo Agobardi successor in Cathedra Lugdunensi, edito Libro, quem Rhabano Mauro Petrus Chiffletius immeritò tribuit. Ii verò, quum in Gallia mercaturam studiosissime facerent, in Capitulari Caroli Calvi Regis, edito per Sirmondum & Baluzium, ubi *de Negotiatoribus* agitur, jubentur *decimam dare, & Nogotiatores Christiani undecimam*. Judæos quoque Anno MCCXC. Lutetiæ Parisiorum fœnori dedisse pecuniam, memoriæ prodidit Johannes Villanius Lib. 7. Cap. 142. Historiæ. Neque minor in Britannia atque Germania eorum turba antiquitus numerabatur; & quo tempore flagrarunt Crucesignatorum expeditiones in Orientem; quo etiam tempore, ideft Anno MCCCXX. Pastorelli in Gallia tumultuati sunt, teterrimæ adversùs eos Populorum seditiones excitatæ sunt; ita ut cædes eorum sedari vix potuerint. Ad Italiam verò quod attinet, post invectos etiam Barbaros sua quoque Judæis sedes heic fuit. Memorat Cassiodorius, Theoderico Rege regnante, Judæos Mediolani, Genuæ, & alibi agentes, quibus idem Rex privilegia confirmavit. Lege Epistolam 37. Lib. 5. scriptam *Judæis Mediolanensibus*, ubi præcipit: *ut religionis cultu, ita & actuum sint conversatione discreti*, ideft Ecclesiastici à Judæis discreti sint. At Chronici Mediolanensis MSti Anonymus Auctor (fortasse Gualvaneus della Flamma circiter Annum Christi MCCCXXX.) hæc aliter olim legebat. Quippe Theodericum Regem scripsisse tradit: *Judæis in Civitate Mediolani commorantibus præcipiendo mandamus, ut sicut Religionis cultu, ita & habitu sint & conversatione discreti*. In Sicilia quoque ab antiquis Sæculis sedem fixerant, ac sub Arabum etiam regno retinuere. In Sardinia, Neapoli, Terracinæ, Lunis, sedente Gregorio M. Papa, habitabant; Romæ verò numquam desiit vetustissima illorum colonia, & quidem non mediocris. Cassiodorius idem eos Romæ degentes exhibet. Et Henricus V. Rex Romanorum Anno MCXI. intrans Urbem *ante portam à Judæis, in porta à Græcis cantando exceptus fuit*, uti scribit Petrus Diaconus Lib. 4. Cap. 37. Chronici Casinensis. Ipsique Judæi Alexandro III. summo Pontifici Anno MCLXV. ad Urbem redeunti obviam profecti sunt, una cum *Signiferis, Stratoribus, Scriniariis, Judicibus, Clero, &c. de more Legem suam deferentes in brachiis*.

Nullus dubito, quin & aliæ Civitates Italicæ, ejusmodi gentem in sinu suo olim complecterentur, quum & Mutinæ ad Annum MXXV. in Charta Ingonis Episcopi evulganda in Dissertatione XVIII. *de Republica*, memorari videam *Decimam illam, quam tenuit Ardingus Judæus in Saliceto*. Lucensi quoque in Urbe sub initium Sæculi ejusdem XI. ad Sanctum Simeonem Eremitam illac transeuntem *plures Judæorum tunc convenerunt*. Miraculo viso, *mane facto ex tota illa Civitate quicumque Hebræi pavore concussi in unum conveniunt, & exhortante illos Christi viro Simeone in Christum Dei Filium crediderunt. Idcirco per omnes Civitatis Ecclesias signa* (ideft Campanæ) *pulsata fuere*. Anno quoque MCCLXXXII. ingredienti Petro Aragonensium Regi Messanensem Urbem occurrerunt *Judæorum Sinagogæ Legem aperientes*, ut scribit Bartholomæus de Neocastro Cap. 53. Histor. Siculæ, Tomo XIII. Rerum Italicarum. Neque deerat Ferrariæ ejusmodi gens eodem Sæculo Christi XIII. Immo tanto Populus Ferrariensis patrocinio illam prosequebatur Anno Christi MCCLXXV. ut pro *absolutione, liberatione, & immunitate factis Judæis Ferrariæ per Jacobinum Guardoli Vi-*

*earium Domini Guilielmi de Lambertinis Potestatis Ferrariæ*, decretum confirmationis emiserint tanti roboris, ut (quod mirere) *de hoc Potestas Ferrariæ, qui est, vel erit, & eorum Judices & Assessores, sive Vicarii, non possint absolvi per Dominum Papam, seu per Dominum Obizonem Marchionem Estensem, nec per aliquam aliam personam*. Usuris autem illos, uti nunc in nonnullis Italiæ Urbibus, ita & olim operam dedisse, conjicere possumus ex verbis Leonis Ostiensis, qui Lib. 2. Cap. 43. Chronici Casinensis, inter dona ab Henrico I. sancto Imperatore Casinensi Cœnobio collata hoc etiam commemorat: *Recollegit præterea a Judæis vestem unam de Altario Sancti Benedicti, quæ quondam fuerat Caroli Regis, quam iidem Judæi retinebant in pignore pro quingentis aureis*. In Vita Sancti Nili Calabri, qui Sæculo X. Christi floruit, edita à PP. Martene & Durando in Veter. Scriptor. Tom. 6. occisus traditur in Castro Bisignano ab adolescente quodam *Hebræus rediens è negotiatione*. Captus homicida, *traditur Judæis, ut pro interfecto homine crucifigatur*. Verùm Sanctus Nilus occurrit, *legem* nescio quam Jurisperitis illis objiciens, *quæ præcipit pro septem Judæis unum Christianum mori*. Ita postremo supplicio hominem subduxit.

An externum aliquid Judæos antiquitus distingueret à Christi Fidelibus, incompertum est mihi. Quod tantummodo animadverti, Anno MCCXXI. teste Richardo de Sancto Germano, Fridericus II. Augustus in Sicilia statuit *contra Judæos, ut in differentia vestium & gestorum à Christianis discernantur*. Ita in Ravennate Synodo, habitâ Anno MCCCXI. Judæis *certum signum, ut à Christianis possint discerni*, deferendum statuitur; *nec recipiantur alicubi ultra mensem ad habitandum, nisi in locis, in quibus habuerint Synagogam*. Alia eorum vestigia & alibi occurrunt, atque in iis ipsis Civitatibus, in quibus nunc habitare non sinuntur, uti Bononiæ factum Historia illius Urbis testatur. Quod si nunc in aliis compluribus Italiæ Urbibus recutita gens abundat, id potius Hispaniæ, quæ onus ejusmodi à se amotum in nos effudit, est tribuendum. Nam Anno MCCCCXCII. jussu Ferdinandi, ac Isabellæ Regum ejusmodi progenies in immensum aucta, ex finibus universæ Hispaniæ deturbata est. Teste Marianâ Lib. 26. de Rebus Hispan. *centum & septuaginta familiarum millia* verterunt solum: *quidam ad octingenta millia capita fecessisse ajunt*. Ex Hispania verò solventes, *Africam, Italiam, & Orientis oras tenuerunt, ad quas copiarum Hispaniæ magnam partem aurum, argentum, gemmas, vestemque pretiosam detulere*. Quanta tunc inhumanitate habita fuerit misera gens, poteris ediscere ex Opusculo Tristani Caraccioli, quod evulgavi Tomo XXI. Rer. Italicarum. Hispanos deinde æmulatus Anno MCCCCXCVI. Emanuel Lusitaniæ Rex è ditione sua Judæos & ipse proscripsit. Itaque profugum hoc hominum genus, quod secum pretiosa deferret, eorumque non mediocrem portionem Principibus ac Urbibus Italiæ dimitteret, aliaque iis emolumenta in posterum polliceretur, si apud eos sedem impetraret, faciles in hanc rem Principum aures invenit: fixitque pedem, & adhuc retinet, non paucis in locis. Ii verò quum possunt, fœnus enorme in Christianos exercent, & alicubi etiam nummularias mensas palam habent: quæ ars inter eos antiquissima est, ut ex Dialogis Palladii, & ex Histor. Orientali Jacobi de Vitriaco, aliisque Scriptoribus elucere potest. Et illos quidem deterruit non semel suis edictis Ecclesia, ac præcipue, ut alia omittam, Concilium Generale Lateranense Quartum Anno MCCXV. celebratum, ubi Canone 68. hæc legas: *Quanto amplius Christiana Religio ab exactione compescitur usurarum, tanto gravius super his Judæorum perfidia inolescit, ita quod brevi tempore Christianorum exhauriunt facultates*. Quapropter usuras extortas repetendas esse ab eis decernitur, Principibusque mandatur, *ut à tanto gravamine Judæos studeant cohibere*. Verùm surdis cecinere Patres, & canunt adhuc. Alicubi etiam Judæos cernimus publica vectigalia conducere: quod negotium antiquis etiam Sæculis familiare iis fuit. Tolerabantur etiam à Principibus eo præcipue titulo, quod in publicis ac privatis necessitatibus pecuniam fœnori ministrarent, & majori pretio quàm reliqui vectigalia Fisci conducere solerent. Certe eos inter Publicanos recenset Amulo Lugdunensis Archiepiscopus nuper memoratus Cap. 42. contra Judæos scribens: *Quidam ipsorum, qui in nonnullis Civitatibus inlicite constituuntur, solent in remotioribus locis Christianos pauperes & ignaros pro eodem teloneo acriter constringere, deinde ut Christum negent persuadere*. Rursus nostrorum temporum Judæos irrepere videmus in quascumque Christianorum domus possunt, operam suam locantes ad justa atque interdum ad injusta negotia. Idem olim factum animadvertere possumus: nam Chilperico Francorum Regi Anno Christi DLXXXI. ejusmodi fuit *Judæus, Priscus nomine, qui ei ad species coëmendas familiaris erat*, uti memoriæ prodidit Gregorius Turonensis Lib. 6. Cap. 5. Histor. Franc. Neque illud est omittendum; quæ regio in Urbibus ad habitandum Judæis concessa, *Ghetto* à nobis appellatur, olim *Judæa, Judaica, Judæaria, &c.* appellabatur. Hinc enatum nomen *Giudecca*, quod Venetiis adhuc viget, quamquam plerisque ejus origo ignota sit: uti & Ferrariæ, quæ in Urbe *la Zuecca* celebris æque est. Testes hujus moris & vocis dabo ex Chartophylacio Salernitani Archiepiscopii tabulas, è quibus etiam discas, multis tributis oneratam olim fuisse Salerni Judæorum gentem.

## Rogerius Dux Apuliæ, filius Roberti Wiscardi Ducis, Judaicam & Judæos Salernitanæ Civitatis incolas dono dat Alfano II. Salernitano Archiepiscopo, Anno 1090.

*In nomine sancte & individue Trinitatis. Rogerius divinâ favente clementiâ Dux, quondam bone memorie* Domini Roberti gloriosissimi Ducis heres & filius. *Si divinum cultum, & sancte Ecclesie honorem atque utilitatem debita reverentia & ordine digno attendimus, profectò tota devotione circa Sanctam Dei Ecclesiam diligentissimam curam & solatium adhibere debemus, ut tanto nos superna pietas gratius protegat, quanto ferventius suam Ecclesiam pro viribus exaltare atque tueri satagimus. Idcirco pro amore omnipotentis Dei & Domini nostri Jesu Christi, & sancte ejus Genitricis & Virginis Marie, & beati Apostoli & Evangeliste Matthei, & pro redemptione anime prefati genitoris nostri, & anime* Sicelgaite matris nostre, *& pro salute anime nostre, atque tutela status nostre Reipublice, concedimus in sacro Salernitano Archiepiscopio, cui nunc* Domnus Alfanus Secundus *gratiâ Dei* Archiepiscopus *preest*, totam Judeam hujus nostre Salernitane Civitatis, cum omnibus Judeis, qui in hac eadem Civitate modo habitantes sunt & fuerint, aut undecunque huc advenerint, exceptis illis, qui de Terris, que sub dominio nostro sunt, huc advenerint, & illis, quos huc tantum ego conduxero. *Ea ratione*, ut semper sint juris & ditionis ipsius Salernitani Archiepiscopii: & cuncta servitia, & census, & plateaticum, & portulaticum, & portaticum, intrando & exeundo, & dationes, & quidquid nobis, nostrisque successoribus, & parti nostre Reipublice dare, facere, & persolvere debent; vel quocumque modo in ipsis, & in rebus eorum nobis & nostre Reipublice aliquid pertinet, vel pertinuerit, ipsi Domno Archiepiscopo atque successoribus, & parti ipsius Archiepiscopii dent, faciant, & persolvant, atque pertineant. *Hoc autem de illis dicimus, qui heic habitantes sunt & fuerint, secundùm quod superius dictum est. Et concedimus in eodem sacro Episcopio omne, quod de Saumis Olei, que ad hanc Civitatem undecumque advenerint, pars nostre Reipublice, ejusque Ministri, more solito exigere debent & debuerint: ut similiter semper sit juris & ditionis ipsius Archiepiscopii. Et ipse Domnus Archiepiscopus ejusque successores & pars ipsius Archiepiscopii illud exigant & percipiant, & exigere & percipere faciant, eo videlicet more & ordine, ut si una Sauma Olei fuerit, pars ipsius Archiepiscopii unum justum Olei Sextarium de ea percipiat, & percipere faciat: & si plures fuerint, de singulis Saumis præter de unâ una singula Sextaria accipiat justo Sextario, cum quo per hanc Civitatem venundabitur. Et neque à nobis, nostrisque successoribus, neque à nostris Judicibus, Comitibus, Castaldeis, aut à quibuscumque Actoribus nostre Reipublice, seu aliis quibuslibet, in quibus ipse Domnus Archiepiscopus, ejusque successores & partes Archiepiscopii habeant eis, que, ut dictum est, in prefato Archiepiscopio concedimus, quolibet tempore aliquam contrarietatem: sed in perpetuum ea omnia securiter habeant & faciant ex eis in supradicta ratione & ordine, quod voluerint, omni publica & aliorum hominum contradictione remota. Quod si quis forte temerario ausu hujus nostre concessionis quolibet tempore violator extiterit, sciat se compositurum auri purissimi Libras ducentas, medietatem Camere nostre, & medietatem partibus ipsius Archiepiscopii. Et hec nostra concessio semper firma & inconcussa permaneat.*

*Textum hujus nostre concessionis scribere precepimus tibi Grimoaldo Notario nostro, Anno Dominice Incarnationis MXC. Ducatus autem nostri Quinto, Mense Julio, XIII. Indictione.*

✠ *Ego Rogerius Dux me subscripsi.*

✠ *Ego Robertus Wiscardus frater Ducis subscripsi.*

Ad eumdem Annum spectat altera Charta, quam ex Tabulario Monasterii Benedictinorum Sancti Georgii Venetiis depromsi. Illustrem heic habes memoriam tum piæ munificentiæ, tum potentiæ Venetæ, cui in ipsa Civitate Constantinopolitana erant fundi vel Anno MXC. Præterea que deprehendas, Constantinopoli quoque *Judecam* fuisse.

## Vitalis Faletrus Venetiarum & Dalmatiæ Dux Monasterio Veneto Sancti Georgii Majoris donat Terras & domos in Urbe Constantinopolitana positas, Anno 1090.

*In nomine Domini Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab Incarnatione ejusdem Redemptoris nostri Millesimo Nonagesimo, Indictione XIII. Rivoalti. Omnes Christi fideles, secularibus curis deditos, operam Dei extollere industriâ oportet, quatenus tale aliquid agant, quo se eterne remunerationis premium adepturos confidant. Igitur nos quidem* Vitalis Phaletrus *de Domini Dei gratiâ* Venetiarum & Dalmatie Dux, & Imperialis Prothosevastos, *una cum nostris Judicibus, & aliis bonis hominibus nostris fidelibus, cum nostris successoribus & heredibus, nullo penitus cogente aut suadente aut vim inferente, sed juste voluntatis constitutione, & oratione Abbatis & Monachorum ejus commoti, optima & spontanea nostra voluntate, pro remedio anime nostre, tempore* Domni Karimani *venerabilis* Abbatis Monasterii beati Georgii, *damus, donamus, concedimus, & contradimus, offerimus, ac transactamus eidem Monasterio beati Georgii, aut prenominato ejus Abbati Karimano, suisque successoribus in perpetuum, tantum de nostris proprietatibus Terrarum & Casarum, coopertis ac discoopertis, positis infra Urbem Constantinopolitanam, quarum nos ab Imperatore invenimus Cartulas . . . . . . quantum continet à comprehenso Saro Vigle, qui percurrit ad Portam usque* ad Judecam, *extra illud totum, quod nos datum habemus ad Monasterium Sancti Nicolai*

per

*per Cartulas firmitatis, ficut in eis legitur. Scilicet domus in prefato Monasterio Sancti Georgii ipsum Capyllio situm juxta latus de supraſcripto Saro Vigle, ſicut tenet uno ex capite in ipſo noſtro deambulo, atque cum tota longitudine ſua & latitudine, cum capitibus & lateribus ſuis, nec non totis ſuis habentiis & pertinentiis ab intus & foris, ſicut ſecundum quod vobis advenit à prenominato Imperatore. Etiam damus Ergaſterium unum ſitum juxta latus de prenominato Capyllio, ſicut reſpicit ejus frons in jam dicto noſtro deambulo. Secundum Ergaſterium ſimiliter damus, quod eſt poſitum juxta proprietatem, que tunc fuit Dominici Bernardi ex alio latere firmante in proprietate, que nunc eſt Sancti Nicholai. Tertium quoque Ergaſterium ſimiliter tranſactamus, ſicut eſt ſitum juxta ipſum Ergaſterium, quod tunc fuit Urſonis Drungarii, altero ejus latere firmante juxta ipſum Sarum...... Hoc namque totum, ut dictum eſt, à comprehenſo dicto Saro, uſque adveniente ad prefatam* Judecam *ſecundùm quod nunc adeſſe videtur. Totum ſicut eſt poſitum de Contrata Stamno. Omnia in omnibus ſicut deſignatum eſt, cum toto ſuo edificio petrino & ligneo, cooperto vel diſcooperto, cum ſuis ſolariis, in quantum ſe ibi comprehendit, cum acceſſu & egreſſu ſuo, cum omnibus ſuis habentiis & pertinentiis ab intus & extra, ſicut predeſignatum eſt, tranſacte in prefati Monaſterii Sancti Georgii, ſuique prenominati Abbatis, & ejus ſucceſſorum, pleniſſimam perpetuo damus, concedimus, & offerimus poteſtatem, ſecundùm quod dicimus, & ab prememorato Imperatore Alexio nobis advenit per jam dictas Imperiales Cartulas, ut in eis continetur. Et ſecundùm quod ad noſtrum jus hactenus poſſeſſum fuit, eo modo, ut predeſignata eſt, tranſacte permaneat in veſtra poteſtate habendi, tenendi, Ergaſteria conſtruendi, laborandi, regendi, meliorandi, & in perpetuum poſſidendi. Minime autem ab ipſo Monaſterio ſubtrahendi vel alienandi in aliam partem, ſed ad ſalvationem & utilitatem ejuſdem Monaſterii in perpetuum permanendi. Verumtamen ſtatutum eſt inter nos & vos, & prenominatum Domnum Karimanum Abbatem, ut ipſa Scala, que dicitur Scala major, quam ad noſtrum uſum retinuimus, ſemper habeat aſcenſum & deſcenſum, ſine veſtra & ſucceſſorum veſtrorum contradictione. Unde promittentes promittimus, ut nullo unquam tempore contra preſentis oblationis Cartulam, quam bono fecimus animo, ire debeamus, nec per noſmetipſos, neque per noſtros ſucceſſores aut heredes, quia in legibus cautum atque preceptum eſt, ut id quod ſemel datum, vel donatum, aut oblatum fuerit, nullo modo revocetur. Hec omnia obſervari & adimpleri promittimus. Et vos, Domne prenominate Karimane Abbas, & veſtri ſucceſſores obſervare debeatis in perpetuum hoc, quod inter nos ſtatutum habemus, ut ſupra legitur de prefata Scala. Quod ſi quocunque tempore contra hanc oblationis Cartulam ire temptaverimus, aut aliquid inde ſubtrahere vel minuere preſumpſerimus, vel aliquod retro donum aut meritum inde inquiſierimus, nec nos obſervare, ut dictum eſt, de jam dicta Scala, tunc non ſolùm reatum mendacii incurramus, verùm etiam preſtitutum ſolvere promittimus cum noſtris ſucceſſoribus aut heredibus in ſupraſcripto Monaſterio Sancti Georgii, & predicto Abbati Karimano & ſucceſſoribus ejus auri Libras decem. Et hec preſens oblatio & allegatio Cartule infraſcripto ordine ex utraque parte in ſua ſemper maneat firmitate.*

*Quam ſcribere rogavimus Andream Presbiterum Marinacenſem Notarium, & Sancti Johannis Baptiſtæ Plebanum, in Menſe & Indictione ſupraſcripta XIII.*

*Ego Vitalis Faletro Dei gratiâ Dux.*
*Ego Johannes Baduario Judex.*
*Ego Baduarius Aurio Judex.*
*Ego Heinricus Mauroceno Judex.*
*Ego Johannes Gradonico Judex.*
*Ego Vitalis Adoaldo.*
*Ego Aurio Baſedello.*
*Ego Berengerius......*
*Ego Cornuino DaMulino.*
*Ego Stephanus Lugareſſi.*
*Ego Bonfilius Pepo.*
*Ego Johannes de Arbore.*
*Ego Sebaſtianus Caucanino.*
*Ego Dominicus Paulo.*
*Ego Marcus Maripetri.*
*Ego Johannes Rapedollo.*
*Ego Johannes Greculo.*
*Ego Dominicus Roſo.*
*Ego Fiolarius Flabianibus.*
*Ego Petrus Baduario de Spinale.*
*Ego Dominicus Baſilio.*
*Ego Petrus Cerbano.*
*Ego Johannes Miliano.*
*Ego Petrus Mauro.*
*Ego Baduario Bragadeno.*
*Ego Sebaſtianus Cornario.*
*Ego Bonfilio Rolano.*
*Ego Johannes Sgaldatrio.*
*Ego Dominicus de Canali.*
*Ego Stephanus Mauro.*
*Ego Johannes Pantaleo.*
*Ego Tribuno Carozo.*
*Ego Dominicus Zuliano.*
*Ego Dominicus Michaël.*
*Ego Ambroſius Juſto.*
*Ego Johannes Navigajoſo.*
*Ego Fuſcari Fuſcarini.*
*Ego Joannes Fuſcari.*
*Ego Dominicus Superantio.*
*Ego Petrus Contareni.*
*Ego Petrus Galbani.*
*Ego Stephanus Ciani.*
*Ego Traſaridus Geonio Gambaſtrica.*
*Ego Petrus Barzigeſſus.*
*Ego Dominicus Nanno.*
*Ego Joannes Donno.*
*Ego Petrus Bembo.*
*Ego Petrus Macciamano.*
*Ego Joannes Aderaldo.*
*Ego Vitalis Vitaliano.*
*Ego Andreas Michaël.*
*Ego Petrus Mauroceni.*
*Ego Dominicus Bornaſo.*
*Ego Joannes Monecario.*
*Ego Joannes Calvo.*
*Ego Petrus Grecus.*
*Ego Petrus Juſto.*
*Ego Dominicus Contareni.*
*Ego Vitalis Michaël.*
*Ego Dominicus Quirino.*
*Ego Johannes Feulo.*
*Ego Joannes Muncianico.*
*Ego Petrus Ruybolo.*
*Ego Petrus Campulo.*
*Ego Dominicus Calvo.*
*Ego Petrus Sipilcieus.*
*Ego Urſo Gonio.*
*Ego Mauricialis Mauroceni.*

*Ego*

*Ego Manifredo Mauroceni* .
*Ego Petrus Mauroceni* .
*Ego Dominicus de Ponte* .
*Ego Petrus Greculo* .
*Ego Vitalis Dondi* .
*Ego Joannes Gorio* .
*Ego Dominicus Gremani* .
*Ego Stadio Praciolani* .
*Ego Michaël Papacilla* .
*Ego Vitalis Iſtrico* .
*Ego Joannes Cupo* .
*Ego Foſcarus Michaël* .
*Ego Badoarius Bonoaldo* .
*Ego Dominicus Abbani* .
*Ego Maurus Maripetro* .
*Ego Joannes Borboni* .
*Ego Felix Barbaromani* .
*Ego Vitalis Zopulo* .
*Ego Petrus Caroſus* .
*Ego Dominicus Regini* .
*Ego Florentius Juliani* .
*Ego Marinus de Borea* .
*Ego Joannes Vaſſallo* .
*Ego Martinus Nanno* .
*Ego Dominicus Bonoaldo* .
*Ego Leo Sanudo* .
*Ego Henricus da Ponte* .
*Ego Joannes Guriani* .
*Ego Bonofilio Aurifex* .
*Ego Joannes Gregorius* .
*Ego Joannes Martinacus* .
*Ego Petrus Marcello* .
*Ego . . . . . . Faletro* .
*Ego Dominicus Ruybolo* .
*Ego Dominicus da Puteo* .
*Ego Joannes Dauro* .
*Ego Petrus Salomone* .
*Ego Vitalis Calvo* .
*Ego Petrus Michaël de Capite Rivoalto* .
*Ego Petrus Bonoaldo* .
*Ego Petrus Gradonicus* .
*Ego Dominicus Baduario de Spinali* .
*Ego Petrus Caroſus* .
*Ego Stefanus Zopulo* .
*Ego Marco Ciani* .
*Ego Petrus Faletro* .
*Ego Leo Belligno* .
*Ego Dominicus Regini* .
*Ego Gregorius Magno* .
*Ego Dominicus Vitali* .
*Ego Dominicus Calbo* .
*Ego Dominicus Quirino* .
*Ego Stephanus Pontani* .
*Ego Henricus Vitaliano* .
*Ego Marinus Capellus* .
*Ego Fuſcari Gauſſoni* .
*Ego Petrus Venerio* .
*Ego Vitalis Maſſula* .
*Ego Andreas da Puzzo* .

De altero hominum genere, quorum ſemen ac nomen adhuc in Italia perdurat, hoc eſt de *Zinganis*, ſive *Zingaris*, prædonibus nempe placidis, regiones noſtras infeſtantibus, infra erit mihi ſermo in Diſſertatione LIX. *de Superſtition.* Nunc aliquid commentari juvat de alia impiorum hominum procella, quæ Sæculo XIV. in Italicorum ſinu oborta, Populorum opes exhauſit, ingenteſque calamitates attulit univerſæ pœne Italiæ: De *Societatibus*, inquam *militum prædonum*, quæ ab Etruſcis *Compagne*, ab aliis *Compagnie* militarium virorum appellabantur. *Comitivæ* etiam dicuntur in Literis Urbani V. Papæ, & Gregorii XI. Scilicet ubi quis Princeps aut Reſpublica ſuum exercitum diſſolvebat, milites tum equites tum pedites ſtipendio deſtituti, ſub aliquo capite ac duce convenientes, *Societatem* quibuſdam legibus conſtrictam efformabant. Hanc perditorum hominum colluviem rapina una nutriebat. Modo agrum unius Urbis, modò alterius invadebant, prædam undique abducentes; domos igne vaſtantes; feminas raptas, quaſcumque vellent, ſecum trahentes; viros autem captivos ad libertatem ſuam pretio redimendam adigentes. Caſtella capta in ſolitudinem redigebantur: trepidabant & ipſæ Urbes, vim ac barbariem ejuſmodi ſicariorum veritæ; neque alia plerumque fuit eliminandæ tam ſævæ tempeſtatis ratio, quàm Legatis ad Societatem miſſis paciſci cum illa, ingentique datâ auri ſummâ in alienum ſolum propellere omnium inimicam gentem atque exlegem. Et ſane conflabant ii non raro exercitum unicuique formidandum, quo confluebant ex omni gente viri, Germani potiſſimum, tum fex cunctorum nequam, & quilibet a patria ſua proſcriptus, impunitate Scelerum & aviditate prædæ allectus, ut ſileam calones, meretrices, & reliquum minorum latronum vulgus. Unde verò originem in Italia acceperint nefandæ iſtæ Societates, ſi petas: reſpondeo, falli Odoricum Raynaldum in Annalib. Eccleſiaſticis ad Annum MCCCLIII. num. 5. dum ſcripſit, *Monrealem* equitem Rhodium fuiſſe *primum ſocialium turmarum, quæ poſtea Italiam univerſam & Gallias diutiſſimè afflixerunt, infeliciſſimum Ductorem*. Sed is excuſandus, quod Matthæum Villanium ſequutus fuerit, qui paria tradit Lib. 3. Cap. 89. Ambo, inquam, falluntur; pæceſſerant enim alii tam deteſtabili exemplo. Ut enim omittam Societatem illam prædonum, conflatam ex Italis & Catalanis, quæ teſte Iohanne Villanio Anno MCCCII. Græciam ſummopere afflixit; ut etiam prætercam alteram ſimilem Anno MCCCXXII. inchoatam, quæ, uti idem Villanius ſcribit Lib. 9. Cap. 181. Senenſem agrum invaſit, *& faceaſi chiamare la Compagna*: *Loderiſius Vicecomes* Anno Chriſti MCCCXXXIX. poſt proclamatam pacem inter Venetos & Scaligeros, coacto exercitu ex militibus præcipue Germanis, a Maſtino Scaligero dimiſſis, Mediolanenſi agro, atque Azoni Vicecomiti bellum intulit. *Et hæc fuit prima Societas in Italia*: ita legitur in Additamentis ad Hiſtor. Cortuſior. Lib. 7. Cap. 20. Tomo XII. Rer. Italicarum. Subdit Auctor ille: *Proh Italiæ dolor & infamia! Sanctum autem nomen Societatis à proditoribus, raptoribus, adulteris, & furibus, hodie occupatur. Non erubeſcunt tam ſacrum nomen antiquis venerabile proſtituere!* Loderiſii facinus ſectatorem non multo poſt habuit *Guarnerium Ducem*, qui ex Germania in Italiam diu ante profectus, copias Germanicas a Florentinis & Piſanis dimiſſas conſcribens, Anno MCCCXLII. immanem ſenſim armatorum Societatem conflavit; uti Piſtorienſis Hiſtoriæ Auctor pag. 487. Tomo XI. Rer. Italicar. fidem facit ad Annum illum. Gualvaneus de la Flamma Hiſtoricus ſynchronus, Tomo XII. Rer. Italicar. pag. 1031. tradit, efformatam fuiſſe ejuſmodi perditorum hominum Societatem Anno MCCCXLI. quo tempore (ſunt ejus verba) *congregati ſunt viri ſcelerati & peſtiferi ex partibus Alamanniæ, Italiæ, Tuſciæ, qui dicti ſunt Societas. Et fuerunt homines ſine jugo, abſque Rege, abſque lege, viventes de rapinis, nulli parcentes ætati. Hi fuerunt viri inſtabiles, docti ad omne ſcelus,*

*Civi-*

*Civitates & Castra obsidentes*. Audi & Chronicon Mutinense Tomo XI. ejusdem Collectionis meæ Rerum Italicar. ad ipsum Annum MCCCXLII. *Magna Societas Germanorum facta est trium millium & quingentorum bellatorum equitum & plurium : ac mille puerorum, meretricumque, & inutilium aliorum castra sequentium erat turba ingens*. Vide & ad eumdem Annum Chronicon Estense, & Annales Bononienses, idem testantes, ubi hujus Societatis duces primo fuisse traduntur *Hector de Panico, & Mazarellus de Cuzano*, tum *Guarnerius* Dux Teutonicus, Copiosior in dies facta illa grassatorum colluvies, ita ut appellaretur *magna Societas*, Senenses, Perusinos, Arretinos, Ariminenses, Cæsenates, Mutinenses, Regienses, Mantuanos, aliosque Populos mirum in modum afflixit.

Successere deinde aliæ Societates ejusmodi prædonum, quarum ductores fuere *Monrealis* supra memoratus, Narbonensi in Gallia natus, & Miles Sancti Johannis Hierosolymitani: tum *Comes Landus*, *Comes Lucius*, *Anichinus*, aliique ex Germania ad nos devecti. E minore quoque Britannia per Romanum Pontificem accita parum dissimilis Societas, eodem Sæculo nefanda crudelitatis signa Cæsenæ ac alibi reliquit. Sed & ex ipsa majori Britannia Anglorum Societas in Italiam invecta sub *Johanne Aucuto* celeberrimo duce, varias & ipsa Provincias ærumnis cumulavit. Mitto reliquas ex Italicis, Germanis, Hungaris, aliisque gentibus conflatas, quæ identidem in Italia pullulabant, ac per reliquum Sæculi XIV. numquam prædâ ac cædibus temperarunt. Benevenutus de Imola in Commentariis MStis ad Poëma Dantis, qui temporibus iisdem floruit, ad Cant. 12. vers. 74. in exclamationem istam erupit: *Proh dolor! in hæc tempora infelicitas mea me deduxit, ut viderem hodie miseram Italiam plenam Barbaris & Socialibus omnium nationum. Heic enim sunt Anglici, Alemanni furiosi, Britones bruti, Vascones rapaces, Hungari immundi. Qui omnes currunt in perniciem Italiæ, non tam viribus, quàm fraudibus & proditionibus, Provincias vastando, & Urbes nobilissimas spoliando*. Vide Excerpta in hoc ipso Tomo a me publici juris facta. Et quoniam malorum quàm bonorum exemplorum apud corruptum genus hominum frequentior ac facilior est imitatio: ne intra ipsam quidem Italiam constitit nefandarum hujusmodi Societatum inventum. Earum fama ac felix progressus vix Gallorum aures pulsavit: quum perditi homines ibi quoque in animum induxere Italicorum gesta æmulari. Itaque e variis gentibus collectâ ingenti Societate innumera mala Gallicis Populis intulere, immo & usque in Hispaniam summâ audaciâ penetrarunt. Thomas Walsinghamus in Histor. ad Annum MCCCLVII. ait *Sub his diebus surrexit in Franciâ illa famosa Societas, quæ Gens sine capite vocabatur: quæ primo parva, postea magna aggressa, magnam Franciæ partem occupans sine legibus, expulsis vel subactis locorum Dominis, subjugavit; erantque non tantum de una gente vel natione, sed de pluribus nationibus congregati*. Famosa quoque apud Gallos evasit *Societas Alba*, & *Societas fortunæ*, uti apud nos *Societas della Stella*, *Societas Alba*, *Societas Sancti Georgii* &c. Sunt qui putant, atque inter alios Du-Cangius in Glossario Latino, ejusmodi Societatum aliquod exemplum Galliam dedisse, longe antequam ab iis misera discerperetur Italia; Sæculo enim XII. & XIII. apud Gallos, Belgas, aliosque finitimos Populos emersere *Coterelli*, qui & *Brabantiones*. Hi *Ruptuarii*, ac *Ruptarii* sæpius appellati sunt (unde postea Gallica vox *Roturier*) prædones nempe ex rure potissimum collecti, qui provincias populabantur. Hanc in rem multa coacervavit idem Du-Cangius. Verùm si quid video, turmæ quidem prædabundæ fuerunt *Ruptarii*; sed inter eas ac Societates militum in Italia natas, plurimum discriminis intercessit. Neque enim ii umquam in exercitum justum, neque sub magni nominis Duce coaluerunt, neque de uno in alterum Comitatum progressi, Principibus ipsis metum incussere, Urbesve ad deditionem aut redemtionem coëgere: Sed turmatim procedentes, latronum more, in privatorum casas & opes sæviebant. Quod summum est, ii profectò grassatores fuere, sed rustici, facileque a militibus vincendi. At societates Italicæ pleræque e veteranis militibus cogebantur, & in exercitum immanem crescentes, aut sibi aut aliis (hoc est ab aliis conducti) bella fortissime gesserunt. Quare nihil veri videtur similius, Italica exempla peperisse in Galliis eodem Sæculo XIV. alias ejusdem furoris ac latrocinii Societates, quarum etiam mentionem habemus apud Matthæum Villanium. Verùm pestis hæc in Italia eodem Sæculo, quo nata est, etiam evanuit. Nempe fœdera Principum & Urbium, aut aurum oblatum, illorum furori finem fecit.


Alteram nunc juvat commemorare alterius generis notissimam, simulque gravem antiquis Sæculis, sed nunc ignotam ferme apud Italos & pæne extinctam. De *Lepra* loquor, omnium fœdissimo morbo, quo immunes abibant, aut liberabantur (si Archigeni vetustissimo Medico fides) qui levissimo antidoto se se muniebant, hoc est qui se se evirabant. Natale illius solum Aegyptus, Palæstina, Syria, aliæque Orientis regiones fuisse videntur: sive quod pessimam illam scabiem aqua, aër, aut alimenta sponte generent, nutriantve: sive quod mundiciem minime curantes Populi semel invectam luem (utpote quæ contactu, non secus ac vulgaris scabies & pestilentia, trahitur) vigere sinant, fortasse vermiculis venenosis eam gignentibus, & per hominum incuriam ex infectis in sanos repentibus. Theodosio M. imperante floruisse creditur Marcellus Empiricus. Hic Cap. 19. sui operis scribit: *Elephantiasis morbus est Aegyptiorum Populis notus, nec tantùm in vulgus extremum, sed etiam in Reges ipsos frequenter irrepsit*. Et de Leproso quidem loquens Gregorius M. Papa Lib. 2. Homel. 39. in Evangel. de ipso ait: *Quem densis vulneribus Elephantinus morbus per membra fœdaverat*. Satis liquet, vel ipsius antiquissimi Mosis ævo, ac per Sæcula subsequuta, & Christo Domino in terris agente, ejusmodi morbo laborasse non paucos e Judæis. Gregorii quoque Turonensis ætate eadem pestis Palæstinæ Populum divexabat; describens enim Jordanem fluvium Cap. 17. de Gloria Martyr. locum indicat, *in quo nunc Leprosi mundantur*. Infra addit: *De publico, dum ibi commorati fuerint, victum accipiunt: sanati autem ad propria discedunt*. Porro obnoxii Lepræ fuerunt Christiani etiam Occidentis per plurima Sæcula. Sive Italiam, sive Germaniam, Galliam, aut Britanniam spectes. Singulæ istæ regiones Elephantiasi (si tamen idem omnino morbus est) correptos homines non paucos fovebant: quod minime testibus confirmandum duco, quum pro-

prostent Acta Sanctorum a Patribus Societatis Jesu Antuerpiæ collecta, celeberrimum ac summe utile Opus, ubi Leprosorum exempla in omni regione & cunctis pæne Sæculis occurrunt. Proinde Fidelium Caritas olim miseris Leprosis hospitalem domum a reliquis sejunctam parare consuerit. Sic apud Alamannos Sanctus Othmarus Abbas, apud Gallos Nicolaus Abbas Corbejensis, ut alios taceam, hospitia ejusmodi ædificarunt. *Xenodochium* quoque *Leprosorum* commemorat idem Gregorius Turonensis Lib. de Gloria Confessor. Cap. 86. In Italia verò vix ulla erat Civitas, quæ non aliquem locum Leprosis destinatum haberet, ubi publicis eleemosynis pauperes eo morbo tacti alebantur. Et quoniam apud omnes Populos cavebatur, ne se se Populo sano Leprosi immiscerent, ipsique Ecclesiæ Principes æquum id ac necessarium non semel censuere: propterea fere semper extra Urbes statuebatur illorum Nosocomium. Non aliunde natum nomen *Lazzeretti*; ea enim loca Leprosis, non verò Peste correptis instituta primo fuere, & nomen postea translatum fuit ad domicilia, Peste afflatis inservientia.

Mutinæ extra Portam Bononiensem adhuc visitur hospitalis domus Sancti Lazari, ubi olim recipiebatur infelix hoc hominum genus. Audi quid habeat Statutum Reipublicæ Mutinensis, manu exaratum Anno MCCCXXVII. Lib. 2. Rubric. 50. *Domus & Hospitalis Sancti Lazari sit sub potestate Communis Mutinæ, &c. Et si aliqua persona de Districtu Mutinæ efficeretur Leprosa, & propter paupertatem non posset habere pecuniam, propter quam recipitur in domo Sancti Lazari, Commune illius Plebatus, de quo esset illa persona recipienda, debeat solvere dicto Hospitali pro dicta persona decem Libras Mutinæ*. Ita Hierosolymis, ac in aliis Civitatibus Leprosorum Nosocomia à *Sancto Lazaro* nomen accepere: idque adeo late invaluit, ut ipsi Leprosi *Lazari* appellarentur. E Vita Sancti Athanasii Episcopi Neapolitani, editâ Part. II Tomi II. Rer. Italicar. scriptâ à Petro Subdiacono Neapolitano sub finem Sæculi à Christo nato Noni, fortasse deducas, iis quoque temporibus *Lazarorum* nomen in usu fuisse. Laudat ille Urbem Neapolitanam, *in qua etiam indigenæ & inquilini, non circumeundo domos in peregrinorum habitu stipem publice expetunt; sed loco, quo commorantur, omnia necessaria, quæ desiderant animo, abundantissimè percipiunt*. Idest, non peregrini tantùm inopes, sed & inquilini egeni, eleemosynis Fidelium provide sustentantur. Addit: *Et juxta præceptum Dominicum prædictæ Urbis accolæ potius Lazaros quæritant, & exhibent largius, quibus indigent, quàm inopes affluentum inquirant opes*. Hisce verbis credere par est, designatos fuisse Leprâ infectos, quos Neapolitanorum caritas quæritabat, ut in eos effunderet suæ misericordiæ dona. Tibi tamen liceat accipere Lazaros istos pro quocumque Paupere ad imitationem Lazari Evangelici. Aliis vero temporibus, aliisque in Urbibus, publicæ sanitatis cura, ac plurium tutela, in caussa fuit, cur Leprosis aditus in Urbes negaretur, ne scilicet eorum contagio detrimentum reliquis sanis adferret. Idque constitutum ab ipso Deo Levitici Cap. XV. vers. 46. Neque secus factum Mutinæ, uti constabit ex altero Reipublicæ ejusdem decreto Lib. 2. Rubric. 61. *Nullus tabernarius hospitator, nec aliqua alia persona teneat, vel tenere permittat aliquam personam Leprosam in domo sua; nec Leprosi stare possint, nec debeant in Civitate Mutinæ, vel in Burgis, vel venire aliquo tempore in Civitate, vel in Burgis, nisi in Hebdomada Sancta*. Et quia ne ipsi quidem Parochi audebant communicare cum periculosa hac gente, ipsa verò spiritualibus præsidiis destituta meritò suam sortem dolebat, à Romanis Pontificibus statutum est, ut eis proprium Parochum habere liceret. Ad hæc, uti ex Lege 176. Rotharis Langobardorum Regis constat, Leprosi ex Urbibus expellebantur, soli deinde habitare coacti, & tamquam capite diminutis, res suas alienare, aut donare non licebat. *Si quis Leprosus* (sunt verba Legis ejusdem) *fuerit effectus, & cognitum fuerit Judici & Populo, quia certa sit veritas, & expulsus sit à Civitate, vel à casa sua, ita ut solus inhabitet &c.* Quod si miseri panem mendicare cogebantur, mos fuit non accedere ad sanos, sed strepitu cujusdam ligni suæ necessitatis conscios facere longe positos. Proinde Auctor Mamotrecti commemorat *instrumentum ligneum cum duabus, vel tribus tabellis, quas concutit Leprosus quærendo panem*. Una infelicium spes sita erat in lotione frequenti, quam in fluviis ac rivis aquæ puræ exquirebant. Ex hisce rivis uni decurrenti per Astensem agrum propterea nomen inditum olim fuit *Rivus Leprosorum*, uti patebit ex Diplomate spectante ad Monasterium Astense Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, situm duobus passuum millibus ab Urbe illa ad fluvium Tanarum. Eoque lubentius Diploma illud profero, quòd nullam viderim Cœnobii illius mentionem apud Mabillonium in Annalibus Benedictinis.

## Berengarii II. & Adelberti Italiæ Regum Diploma, per quod Raimberto Abbati Astensis Monasterii Sanctæ Mariæ omnia privilegia confirmant, Anno 952.

*In nomine sancte & individue Trinitatis. Berengarius & Adelbertus divinâ favente gratiâ Reges, sanctis ac venerabilibus locis munus nostre benignitatis largimur proficivum, & ipse in presenti seculo & in futuro minime ambiguum. Idcirco omnium fidelium sancte Dei Ecclesiæ, nostrorumque presencium silicet ac futurorum comperiat industria, qualiter quodque Dei amore, nostreque anime remedio, & interventu ad peticionem* Episcopi Burningi, *nostrique dilecti fidelis, per hoc nostrum preceptum confirmamus & corroboramus cuidam Cenobio, quod dicitur Agzanis, quod videtur esse constructum in honorem Beate Dei Genitricis Marie, cunctas res & familias inibi pertinentes cum omnibus suis pertinenciis. Videlicet cum terris coltis & incoltis, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, glareis, piscariis, aldiis & aldiabus, molendinis quoque, aquis, aquarumque decursibus, servis & ancillis, ac utriusque sexus familiis, & cum omnibus, que dici, vel nominari possunt ad prefatum Cenobium in integrum pertinentibus, ut habeat, teneat, ac in eternum perfruatur, omnium hominum contradictione remota. Insuper concedimus, donamus, ac largimur, prefato Cenobio ambas ripas fluminis Tanagri cum duodecim pedibus juris nostri Regni pertinentes, nostreque Corti, que Nonis nuncupatur, nominative in eo loco, ubi ipsum flumen influit in* Rivum Leprosorum, *& in Rivum Auzani; atque decursionem ipsius fluminis ad portum constituendum, & quicquid nostre publice parti aut Corti jam dicte Nonis pertinet aut pertinuit; videlicet portonaticum, palificaturam, Theloneum, Ripaticum, navium ligaturam, omnemque publicam exactionem, prefato venerabili Cenobio, prout juste & legaliter possumus, concedimus, ac modis omnibus perdonamus. Et liceat jam dicto Monasterio infra predictam decursionem ipsius fluminis determinare habere piscacionem & molendina constituere. Precipientes insuper jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdasius, aut aliqua magna, parvaque persona nostri Regni, prelibatum Cenobium, aut* Abbatem, *qui nunc ibi est ordinatus nomine* Raimbertus, *aut in antea qui ordinatus fuerit, aut Monachos inibi Deo servientes in aliquo molestare aut disvestire presumat. Si quis ergo hoc nostrum preceptum infringere attemptaverit, sciat se compositurum auri optimi Libras quingentas, medietatem Camere nostre, & medietatem jam dicto Cenobio, aut Abbati, aut Monachis inibi Deo servientibus, & maledictionem Dei, sueque genitricis Marie habeat, & cum Juda preditore porcionem in evum percipiat. Quod ut verius credatur, diligenciusque ab omnibus observetur, manibus propriis roboramus, anulo nostro subter jussimus insigniri.*

*Signa benignissimorum*  *Berengarii & Adelberti Regum*

*Johannes Cancellarius ac Vicarius* Widonis *Episcopi & Archicancellarii Regum eorumdem.*

*Data Quinto Idus Septembris, Anno Dominice Incarnationis DCCCCLII. Regni verò Berengarii & Adelberti Regum Tertio, Indictione XI.*

*Actum Papiæ feliciter. Amen.*

Quod mirere, immo vix credas, Anno MCCCXXI. in Gallia teterrimam conjurationem iniere Leprosi cum Judæis, ut immisso in puteos & fontes veneno, omnes Christianos aut leprâ inficerent, aut de medio tollerent. Rem narrat Bernardus Guidonis in Vita Johannis Papæ XXII. Par. II. Tom. III. Rer. Italic. Narrant & alii. Quare multi ex iis igni traditi fuere: reliqui *in Leprosariis* collocati. Quid verò inter Occidentis Populos Lepram olim tam longe lateque disseminarit, ac diu innutrierit, si conjecturam proferre licet, illud mihi fuisse videtur, quod Christiani Europei in Orientem Religionis aut mercaturæ causâ frequentes navigabant, Sepulcrum Domini visitaturi, aut merces commutaturi, atque inde avecturi aromata præcipue ex Ægypto. Sibi verò non cavens vulgus à Leprosis eorum locorum, secum in Italiam, atque in alias Occidentis oras morbum eumdem convehebat. Verum postquam peregrinatio illa à duobus Sæculis cessavit, & aromata pauca ex Ægypto petuntur, sublato cum Leprosis commercio, Leprosi quoque in Occidente rari esse cœperunt, & pæne dixi nulli apud nos se visendos exhibent. Quod quidem numquam a regionibus nostris abfuit, & numquam abfuturum unusquisque novit, periculum est contrahendæ Pestilentiæ. Quoties terribile istud malum Populos Europeos exagitaverit, ac centena ipsa hominum millia sustulerit, præcipue Anno MCCCXLVIII. ne propiora tempora memorem, Historia passim prodit. Verum si rem accurate pensemus, uti jam monui in Tractatu *de Regimin. Pestilentiæ*, concordes unum statuemus, videlicet posse quidem in Europa Christiana epidemias non aliunde importatas oriri, quæ contactu propagentur, & funeribus impleant Urbes: veram tamen Pestilentiam numquam apud nos futuram, nisi ex Turcarum ditione ad nos devehatur. Aegyptiaca præsertim Provincia teterrimum hunc morbum semper

per

per alit, & in reliquas Turcici Imperii plagas diffundit, quum tantam luem Populus ille, stultâ fati indeclinabilis opinione seductus, nihil arcendam curet. Inde ergo nobis perpetuo timendum. Pestilentiâ carebimus, si ab iis, eorumque mercibus diligenter cavebimus. Diversus autem a *Lepra* fuit *Ignis sacer*, quo morbo etiam per plurima Sæcula una cum aliis Christianorum Provinciis laboravit Italia. Ejus antiquitatem confirmant versus Lucretii, Vergilii, Senecæ Tragœdi, qua de re legendus Mercurialis Lib. 4. Cap. 9. Variar. Lection. ut alios præteream. Necesse est longe lateque olim excurrerit ista quoque immanis ægritudo; nam quum Viennæ in Gallia Narbonensi quidam pii homines Sæculo XII. ad ejusmodi ægrotos recipiendos Nosocomium sub nomine Sancti Antonii Abbatis instituissent, eisque insigni Caritate opitularentur, sensim religiosus Ordo Antonianus invaluit, itaut in pleraque Galliæ, Italiæ, atque aliorum Regnorum Urbes ejusmodi institutum pertransierit, & conditæ fuerint Caritatis Christianæ ædes in solamen Igne Sacro tactorum. Visitur adhuc Mediolani, visitur & Bononiæ, & Mutinæ Templum Sancti Antonii, eidem olim pietatis officio destinatum; visuntur & alia alibi. Præterea nostris quoque temporibus viget apud Italos non morbus quidem, sed morbi nomen; ominantes enim alicui terribile malum, in eum deprecantur *il Fuoco di Santo Antonio*. Audi interea Sigebertum in Chronico ad Annum MLXXXIX. *Annus*, ait, *pestilens, maxime in Occidentali parte Lotharingiæ, ubi multi sacro Igne interiora consumente computrescentes, exesis membris instar carbonum nigrescentibus, aut miserabiliter moriuntur, aut manibus & pedibus putrefactis truncati, miserabiliori vitæ reservantur: multi verò nervorum contractione distorti tormentantur*. Ejusmodi autem morbo afflati, quo potissimum afflicta est Gallia Sæculo XII. (quamquam ne præcedentibus quidem caruerit) *Ardentes* appellabantur, quippe sibi videbantur velut igne correpti qui per eorum membra serperet. *Herpetem* nonnulli ex antiquis appellasse creduntur hunc morbum; sed fortassis *Herpes* ab *Igne sacro* diversus fuit. In Vita Sanctæ Dympnæ Virginis, num. 9. apud Bollandianos hæc habentur: *Habet Ignis ille apud Archiatros plura nomina. Dicitur quippe Ignis Sacer, Ignis Persicus, & Ignis Infernalis. Et est qui Esther dicitur Græco vocabulo*, hoc est *titio*. Erat autem diversus morbus Sancti Lazari, hoc est *Lepra*, a morbo Sancti Antonii, sive ab *Igne Sacro*, uti prodit Historia Miscella Bononiensis ad Annum MCCCCXLVII. ubi ait, violatores Templorum in direptione Urbis Placentinæ a Deo punitos. *Ad alcuni soldati venne il male di Santo Antonio, ad alcuni il male di San Lazzero*. Utramque verò luem contagione fuisse communicatam sanis, opinari jure possumus. Gratiæ verò habendæ optimo Deo, quod sensim defierit utraque, ita ut aut nullum, aut admodum raros iisdem contaminatos Italia aspiciat. Verùm ne nostræ quidem ætati suæ desunt ærumnæ, quando a duobus Sæculis in Europam illata est Venerea lues, antiquis tamen, ut infra animadvertemus in Dissert. XLIV. non ignota, cujus incommoda qualia fuerint, ac sint supervacaneum est meminisse. Cessarunt morbi illi horribiles, sane; successit hic alter longe tamen mitior, & iis, quod plus est, ferme unis servatus, qui volentes in vitia ruunt.

# DE FISCO
ET
# CAMERA
REGUM, EPISCOPORUM, DUCUM
ATQUE
MARCHIONUM
## ITALICI REGNI.
## DISSERTATIO
DECIMASEPTIMA.

# DISSERTATIO DECIMASEPTIMA.

Ex quo Reges esse cœperunt, *Fiscus* etiam, non nomine quidem, sed re emersit, viguitque perpetuò. Eo autem nomine à Latinis, postquam Imperatores rerum potiti sunt, *Saccus*, ideſt marsupium, sive Ærarium Principis designatus est, ut à pecunia Reipublicæ distingueretur, quæ Plinio juniore teste *Aerarium* appellari perrexit. *Saccus* hoc sensu adhibetur à Sancto Augustino & aliis. Fuit suus quoque Fiscus Langobardis, Francis, aliisque Regni Italici Regibus: atque illuc inferebatur aurum & argentum, tum ad Palatii splendorem sustinendum, tum ad tutelam Regni, aut ad belli necessitates, aliave publici regiminis munia opportunum. Sæpe in Legibus Langobardorum Regum occurrit *Curtis Regia*. Ita ii *Fiscum* appellabant. In Lege 157. Rotharis: *Si intentio fuerit contra Curtem Regis*. In 158. *Curtis Regia ipsas duas uncias suscipiat*. In 185. *componat pro culpa in Curte Regis Solidos centum*. Sunt & alia plurima loca ejusmodi. Sed & *Palatii* voce interdum sunt usi Langobardorum Reges, uti habetur in Privilegio Aistulfi concesso Monachis Nonantulanis, à me edito Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 193. Præterea si vera sunt Privilegia duo, unum Hilprandi, alterum Ratchisii Regum, quæ Campius in Appendice Tomi I. Histor. Eccles. Placentinæ evulgavit, ibi quoque pro *Fisco* memoratur *Palatium*. Franci verò interdum *Curtis*, sæpe *Palatii* nomine idem significarunt. Sæpe etiam usi sunt vocabulo *Fisci*. Carolus Magnus in Privilegio concesso Apollinari Episcopo Regiensi Anno DCCLXXXI. apud Ughellium, pœnam illud violantibus indicit, *medietatem Palatio nostro, medietatem Ecclesiæ, cui vim intulit*, persolvendam. Illud tamen minime dissimulandum, perquam raro in Diplomatis Caroli Magni & Ludovici Pii pœnam violatoribus indici, neque interdum carere suspicione, quæ eamdem complectuntur. Sed ab eorum Successoribus *Palatii* vocabulum usurpatum frequentius fuit, uti illorum temporum Diplomata produnt, è quibus aliquot nondum luci reddita in Eruditorum commodum evulgare nunc lubet. Lotharius ergo Primus Augustus eam vocem & ipse adhibuit in Privilegio, quod mihi suppeditavit Tabularium antiquissimi Parthenonis Ticinensis Sanctæ Mariæ Theodotæ, nunc *della Posterla*. Præferebat membrana aspectu primo notas omnes autographi monumenti. Sed, fateor, enatam mihi suspicionem aliquam dubiæ fidei nondum satis detergere potui, quum tot barbarismis ac solecismis stilus scateat: à qua colluvie cavere sibi solebat eorum quoque Augustorum Cancellaria. Præterea in fine scriptum est *ad vicem Algimari* pro *Agilmari*; & *Clotharii* pro *Hlotharii*

## Privilegium Lotharii I. Imperatoris, quo Asiæ Abbatissæ Monasterii Ticinensis Sanctæ Mariæ, cui nomen Theodotæ, concedit terram positam inter murum & antemurale Civitatis Ticinensis, Anno 839.

*In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Hlotharius divina ordinante providentia Imperator Augustus &c. Igitur omnium fidelium sancte Dei Ecclesie nostrorumque cognoscat solertia, qualiter . . . . . . nomine Asia Abba de Cenobio, quod dicitur Theodote, quod est factum in honore Dei Genetricis, semperque Virginis Marie degens sub regula eximii sanctissimique Patris Benedicti, petiit piam celsitudinem nostram, ut ob Dei reverentiam, & anime nostre mercedem, ad augmentum utilitatis ejusdem sancti loci, & supplementum necessitatum ibidem Deo famulantium, quædam Terra ibidem necessaria inter murum Civitatis & antemuralem conferremus. Cujus petitionem nos anime nostre mercedis proficuam recolentes libenter annuimus, effectuosaque deliberatione perenniter mansurum, ac nostra auctoritate perfecimus; sed ut futura per tempora nullam refragationem inde quis inferre audeat, & rerum conlate rationem, & ipsis adjacentiis in hac nostra auctoritate inserere decrevimus: Terminia vero de prefata Terra hec sunt: de superiori capite Porta, que dicitur Marenca, usque ad Turrim ipsius Monasterii, ubi est Oratorium in honore Sancti Archangeli Michaëlis, cum ingressibus & egressibusque in viis publicis. Insuper etiam ex subteriori parte Turris jam dicte usque territoria Monasterii sæpe dicti: de uno latere Terra ipsius Monasterii, de alio latere via publica habet in longo pedes numero LXXX. & VIII. & in lato pedes XXIX. Petiit etiam Serenitatem culminis nostri, ut & commutationem, quam nostra auctoritate se prefata Abbatissa, nec non & Teutberga de res Sanctæ Mariæ semper Virginis de suprascripto Monasterio Deado & Monasterium novum, que est situm in honore Sancte Agathe, congruam commutationem ac rationabilem sub presenti nostra auctoritate confirmaremus, ac firmissimo jure ex utraque parte roboraremus, sicuti & fecimus. Precipientes ergo jubemus, sicuti & perenniter mansurum volumus, ut nemo fidelium nostrorum parti prescripti Monasterii de his omnibus rebus quolibet tempore nullam inferre præsumat molestiam aut contrarietatem, sed sub omni integritate, sicut ibidem à nobis concesse sunt, & a nostra auctoritate condonate perenniter ibi in utilitate ejusdem Monasterii absque cujuslibet refragatione, aut qualibet inquietudine permaneant. Si quis vero contra hujus nostri Precepti securitatem violentiam aliquam, vel occasionem inferre temptaverit, sciat se compositurum auri obtimi Libras LX.* medietatem Palatio nostro, *& medietatem parti ejusdem Monasterii. Et ut hæc nostra auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione jussimus insigniri.*

*Signum*  *Hlotharii sereniſſimi Auguſti*.

*Druƈtemirus Subdiaconus atque Notarius ad vicem Algimari recognovit*.

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.


*Data Pridie Nonas Majas, Anno Chriſto propicio Imperii Domni Clotharii pii Imperatoris XIX. Indiƈtione II.*

*Aƈtum Papia Palacio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Carolus quoque Craſſus *Palatii* vocem, ad deſignandum Fiſcum, non ſemel uſurpavit, quamquam & aliis vocabulis uſus interdum deprehendatur. En tria illius Diplomata, è quibus priora duo autographa adſervantur in inſigni Tabulario Monachorum Benedictinorum Sancti Sixti Placentiæ: tertium verò è Tabulario Canonicorum Parmenſium hauſtum eſt.

## Caroli Craſſi Italiæ Regis Mundiburdium, ſeu Protectio conceſſa Leoni Clerico Liutuardi Epiſcopi, Anno 880.

*IN nomine Sanƈtæ & individuæ Trinitatis. Karolus divina favente clementia Rex. Noverit igitur omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet & futurorum induſtria, quod quorumdam fidelium noſtrorum rogatu cuidam Clerico, nomine Leoni, Liutuardi Epiſcopi noſtri rogatu, conceſſimus, ut res ſibi jure debitas tam de ſucceſſione paterna, quamque materna, vel ea, quæ poſtea vel comparando, vel commutando, vel quolibet alio ingenio juſto legalique judicio adquiſivit, vel deinceps adquirere potuerit in mobilibus & immobilibus, & utriuſque ſexus familiis, ſub noſtro recipiamus Mundeburdo. Inſuper, donec vivimus, illi de noſtra terra unam legitimam perticam, una cum moralea coherente perpetualiter poſſidendam. Et juſſimus ei hoc noſtræ auƈtoritatis Præceptum inde conſcribi, per quod decernimus atque jubemus, ut ſi aliqua querimonia ex his omnibus adverſum ſe horta fuerit, quæ ſibi damnoſa apparuerit, ut liceat ſibi, ſuoque Advocatori ad placitum waidare. Et ut nullus Reipublicæ Miniſter audeat infra ſuas . . . . . . ingredi cauſa pignorandi, aut aliquam moleſtationem inferendi. Quicumque . . . . . . fecerit, ſciat ſe compoſiturum . . . . . . . millia Mancoſorum auri obrizi, medietatem ſibi, ſuiſque heredibus,* & medietatem Palatio noſtro. *Et ut hoc noſtræ auƈtoritatis Præceptum firmum & ſtabile permaneat, anuli noſtri impreſſione juſſimus ſigillari.*

*Signum*  *Karoli ſereniſſimi Regis*.

*Inquirinus Notarius ad vicem Liutwardi Archicancellarii recognovit & ſubſcripſit.*


Locus Sigilli cerei ✠ exſtantis cum effigie Caroli.

*Data Kalendis Februarii, Anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLXXX. Indiƈtione XIII. Anno verò Regni Regis Karoli in Francia IV. in Italia I.*

## Ejuſdem Caroli Craſſi Imperatoris Diploma, quo Hermingardæ Nepti ſuæ confirmat omnia illius bona & jura, Anno 887.

*IN nomine Sanƈtæ & individuæ Trinitatis. Karolus divina favente clementia Imperator Auguſtus. Si domeſticorum noſtrorum præcipue curam gerimus, divina præcepta nihilominus conſervamus. Proinde noſſe volumus induſtriam omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quàm & futurorum, dileƈtam* Neptem noſtram Hermingardam *ad nos* Winigiſum *fidelem ſuum direxiſſe, noſtram per eum clementiam obſecrans, ut ſicut ei de proprietatibus ſuis, filiique ſui, Chibbleim perdonavimus, ita noſtro Præcepto ſtabilitum fore cenſeremus. Cujus petitionem benigno ſuſcipientes affeƈtu, juſſimus hoc noſtræ auƈtoritatis Præceptum fieri, per quod illi* filioque ſuo Hludowico, nepoti ſcilicet noſtro, & Sororibus ejus *integerrime reſtituimus & confirmamus univerſas proprietates & familias, quas divæ memoriæ* Hludovvicus Auguſtus, genitor ipſius *ad proprietatem illi in quocumque loco contulit, & quicquid ex diverſis partibus tam in Italia quàm Burgundia vel Francia, legali ordine & hereditario jure ipſi Hermingardi, Filioque ejus Hludowico, ut prætulimus, pertinet: cum omni ſcilicet integritate earundem rerum atque familiarum, de poteſtate & contradiƈtione omnium illis æquaniminter transfundimus, atque per-*

perhenniter confirmamus, ita sane, ut si quis qualibet temeritate amodo quippiam horum, quæ ad ipsas personas nobis consanguineas legaliter pertinet, contradicere quocumque argumento ausus fuerit, centum Libras auri optimi compositurum se noverit, medietatem Palatio nostro, & medietatem eidem Neptæ nostræ, Filioque suo, & Filiabus, dilectissimis nostris. Et ut hæc nostra confirmationis auctoritas firmior habeatur, ac ab omnibus verius certiusque credatur, manu propria subter eam firmavimus & Bulla nostra sigillari jussimus.

Signum  Domni Karoli Imperatoris Augusti.

Fredebodus Cancellarius ad vicem Liutberti Archicancellarii recognovi & subscripsi.


Data III. Idus Augusti, Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXVII. Indictione V. Anno Regni ejus XII. Imperii autem VI.

Actum Justunoa Curte Regia, in Dei nomine feliciter. Amen.

Deest Sigillum plumbeum olim appensum.

## Caroli Crassi Imperatoris Præceptum, quo confirmat quæcumque Wichbodus Episcopus Parmensis, & Wulgunda Sanctimonialis acquisierant à variis Ecclesiis & personis, Anno 887.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus divina favente clementia Imperator Augustus. Ad hoc nos ad Imperii fastigium sublimatos non ambigimus, ut omnium maxime Romanæ Ecclesiæ utilitatibus consulamus, atque ea que illa statuerit per creditam sibi dispensationem, violari postmodum non permittamus per nostram Imperialem auctoritatem. Quapropter omnium fidelium sanctæ Dei nostrumque presentium scilicet ac futurorum noverit universitas, quod vir venerabilis sanctæ Parmensis Ecclesiæ Episcopus Wichbodus adiit excellentiam nostram per dilectum fidelem & sanctissimum Archiepiscopum Liutbertum, ut nostræ Imperialis auctoritatis edicto confirmaremus illi omnes res mobiles & immobiles omnino in integrum quascunque per Pontifices Romanæ Ecclesiæ, seu Archiepiscopo Ravennati, vel Episcopis Bononiensibus per precepta vel per emfiotheseos munimina vel libellos, vel qualemcunque scripturam, seu per quodlibet titulum & qualecumque argumentum in tota Pentapoli & Romania ipse & Vulgunda adquisierunt. Cujus precibus aurem adcomodantes, hoc nostræ munificentiæ Preceptum scribere jussimus per quod ipsi Wibbodo & Vulgundæ concedimus, & secundum scripturas illorum confirmamus & in perpetuum corroboramus omnes res & familias utriusque sexus, quæcumque omnino per quotlibet titulum cujuscumque scripturæ vel quamlibet transfersionem de Romana Ecclesia ex quacumque persona adquisierunt, vel in antea adquirere potuerint, sive Vadum Fabricæ cum Villa, quæ dicitur Cucurana, & Sanctum Stephanum, qui dicitur Sancta Hierusalem, & Sanctum Archangelum, & Paternum, Sanctumque Prosperium in Panialo, & sanctum Ambrosium & Sanctum Isaiam, Sanctumque Johannem Catapateria, & omnibus ad ipsas Ecclesias pertinentibus vel aspicientibus, Casis, Massariciis, Capellis, Vineis, Pratis, Silvis, aquis, aquarumque decursibus, omnia & in omnibus omnino in integrum quicquid in tota Romana Ecclesia, vel de Monasterio Nonantulæ adquisierunt per quodlibet exquisitum argumentum, vel in antea adquirere potuerint tam Wibbodus Episcopus quàm Vulgunda Deo dicata, totum in integrum sine ulla exceptione vel minoratione ipsi Wibbodo vel Vulgunde, seu cui illi dederint vel significaverint, per hujus Precepti paginam concedimus & confirmamus, atque sub nostrum Munburd & defensionem seu immunitatem includimus, atque precipiendo jubemus, ut nulla illis subtractio vel minoratio de cunctis, que in finibus totius Romaniæ quolibet modo conquisitum habent, vel in antea conquisierint, a qualibet inferatur persona; sed liceat eis quiete & pacifice frui & tenere sine molestatione vel lite nostris successorumque nostrorum temporibus. Si quis autem contra hanc nostram...... mationem, seu confirmationem atque m...... & immunitatem venire presumpserit, & predicto Wibbodo seu Wulgunde de omnibus supradictis per omnes fines Romaniæ in parvo vel in toto molestaverit, seu damnietatem intulerit, LXX. Libras auri culpabilis judicetur, & exsolvere cogatur medietatem nostro Palatio, & medietatem jam dictis Wibbodo & Wulgunde Deo dicatæ, vel cui ipsi dederint. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas certior habeatur, & diligentius observetur, manu propria subter firmavimus, & de anulo nostro adsignari precepimus

Signum  Domni Karoli serenissimi Imperatoris Augusti.

*Albricus Notarius ad vicem Liutberti Archicappellani recognovi, & subscripsi.*

Locus ✠ Sigilli.

*Data Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXVII.* . . . . . . . Reliqua desiderantur.

Ex incuria illius, qui Diploma, secundo loco heic a me nuper evulgatum, ex authentico exscripsit, factum suspicor, ut habeamus *Annum VI. Imperii* Caroli Crassi conjunctum cum *die III. Idus Augusti, Anni DCCCLXXXVII.* Nam uti evicisse mihi videor in Dissertat. XLI. *de Nominibus*, Carolus iste ineunte Mense Martio Anni DCCCLXXXI. Epocham Imperialem cum Romana coronatione numerare cœpit. Vide & alterum simile Diploma a me supra editum in Dissertat. XI. *de Allodiis*, ubi eædem Notæ, quas certe componere nequeo cum tot aliis monumentis Epocham Imperatoriam Caroli Crassi referentibus. Interea in nuper evulgato Diplomate habemus *Ermingardam Neptem* Caroli Crassi Augusti. Scilicet eamdem genuere Ludovicus II. Augustus & Angilberga Imperatrix, illa videlicet, cui originem suam debet Cœnobium Placentinum Sancti Sixti, & de qua supra actum fuit in Differt. XI. *de Allodiis.* Atque heic disertis verbis memoratur *Hlodovicus Augustus genitor ipsius.* Tum in postremis tabulis Angilbergæ Anno DCCCLXXVII. Mense Martio scriptis, quas Campius in Appendice Tomi I. Histor. Ecclef. Placentinæ adfert, legitur: *Si Emengarda* (scribendum *Ermengarda*) *unica mea filia religiosâ veste induerit.* Sed longe alia studia Ermingardæ fuerunt. Eadem enim rapta a Bosone Comite & Duce, fratre videlicet Richildis Imperatricis, eidem postea sacro fœdere juncta est. Exurgit heic nodus, quem dissolvendum mihi propono. In Annalib. Bertinianis ad Annum DCCCLXXVI. hæc habemus: *Boso, postquam Imperator ab Italia in Franciam rediit, Berengarii Everardi filii factione filiam Hludowici Imperatoris Hirmergardem, quæ apud eum morabatur, iniquo conludio in matrimonium sumsit.* Ducibus hisce Annalibus Pagius, San-marthani in Genealog. Franc., Hadrianus Valesius, aliique matrimonium *Ermingardis* ad Annum DCCCLXXVI. referunt. Sed nuper vidimus agi de eadem Ermingarda in testamento Angelbergæ Augustæ matris, uti adhuc puellâ liberâ, idque Anno DCCCLXXVII. Quonam pacto hæc componenda sint, quæris? Respondeo, deceptum Pagium, & ceteros eidem concordes, quod non satis accurate verba Annalistæ Bertiniani expenderint. Nuptias *Ermingardæ* ille celebratas tradit, *postquam Imperator* (Carolus Calvus) *ab Italia in Franciam rediit.* Atqui Anno tantùm DCCCLXXVII. Septembri aut Octobri Mense in Franciam Carolus Augustus regressus est. Ergo eodem Anno DCCCLXXVII. & post Angelbergæ Augustæ testamentum, Ermingarda Bosoni nupsit. Annalista Saxo, Regino, Marianus Scotus, & alii, nuptias ejusmodi celebratas Ticini Anno eodem DCCCLXXVII. scribunt, coram ipso Augusto *tanto apparatu, tantâque ludorum magnificentiâ, ut hujus celebritatis gaudia modum excessisse ferantur.* Quare ejusmodi nuptiæ peractæ fuerunt Anno DCCCLXXVII. post Martium Mensem, ideoque concordes pergunt cum testamento Angilbergæ Historici veteres. Januario Mense Anni DCCCLXXXVII. vivere desiit Boso Ermingardæ maritus, Rex Provinciæ dudum antea creatus, ac filium reliquit *Ludovicum* nomine, cujus est mentio in hoc eodem Diplomate, post Bosonis mortem impetrato. Ludovicus iste postea Romæ coronam Imperii accepit Anno DCCCC. Non unam tantùm filiam Bosoni Regi superstitem fuisse, ut San-marthani tradunt, sed plures, ex hoc eodem Diplomate colligimus. Ceterum in hisce tribus Diplomatis, dimidium multæ, a violatoribus Imperialis edicti auferendæ, ad *Palatium*, hoc est ad Cæsareum sivè Regium Fiscum spectasse jam vidimus. Eamdem verò formulam invenio in aliquot Diplomatis Widonis Augusti & Lamberti, atque in duobus Privilegiis Berengarii I. Italiæ Regis, quorum alterum datum est Anno DCCCXCIX. alterum DCCCCII. ut alia omittam. Ludovicus etiam III. Augustus, de quo nuper fuit sermo, in Diplomate Anni DCCCCI. paria habet. Sunt & Hugonis ac Lotharii Regum Italiæ Præcepta, in quibus eadem vox occurrit. Unum tantummodo proferam e Tabulario celeberrimi Monasterii Sublacensis desumtum, & *actum juxta Romam in Monasterio Sanctæ Virginis Agnetis*: quod ad Historiam eorum temporum illustrandam sine animadversione dimittendum non est.

## Hugo & Lotharius Italiæ Reges Monasterio Sublacensi S. Benedicti Curtem Salam elargiuntur, Anno 941.

*In nomine Domini Dei nostri. Hugo & Lotharius divina providente clementia Reges. Regalem dignitatem in hoc augmentari speramus, si de statu Ecclesiarum providere disposuerit, augmentando frequentibus donis. Quocirca omnium fidelium sancte Dei Ecclesie, nostrorumque presentium & futurorum devotio noverit, qualiter* Sigefredus *sancte* Parmensis Ecclesie *venerabilis* Presul, *nosterque dilectus fidelis, dominationi nostre suggessit, ut pro Cenobio Sancti Benedicti sito Sublaco in territorio Campanino, Monachisque ibidem Domino militantibus, concederemus Cortem unam juris Regni nostri, positam in Gastaldatu Turano, que Sala dicitur. Cujus suggestionibus libentissime aurem accommodantes, pro Dei amore, remedioque nostrarum animarum, predicto Cenobio Sancti Benedicti sito Sublacu, Fratribusque ibidem pro tempore Domino famulantibus, per hoc nostre authoritatis Preceptum prefatam Cortem hactenus juris Regni nostri pertinentem, que Sala dicitur, cum omni sua pertinentia omnibusque rebus ibidem aspicientibus, conjacentibus in territoriis & finibus Sublacum, & Ciguli, & Reate, atque Savini, prout juste & legaliter possumus, donamus, penitusque concedimus atque lar-*

*largimur, & de nostro jure & dominio in prefati Cenobii jure & dominio ad usum Monachorum & sumptum omnino transfundimus ac delegamus in integrum: ut habeant, teneant, firmiterque possideant ipsi, successoresque illorum, fruanturque jure quieto, omnium hominum contradictione remota. Confirmamus etiam & corroboramus predicto Cenobio Sancti Benedicti omnes res & familias, que ibidem collate sunt ab Imperatoribus seu Regibus predecessoribus nostris, reliquisque fidelibus Deum timentibus, per hoc nostre authoritatis Preceptum, ut deinceps ipsi secure fruantur in perpetuum omni controversia procul remota. Si quis igitur hoc nostræ authoritatis Preceptum, seu confirmationis Statutum aliquando infringere conatus fuerit, sciat se compositurum auri obtimi Libras centum*, medietatem Palatio nostro, *& medietatem pretexato Cenobio. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manibus propriis roborantes, anulo nostro insigniri jussimus.*

*Signa piissimorum Principum*  *Hugonis & Lotharii serenissimorum Regum.*

*Giperandus Cancellarius ad vicem Bosonis Episcopi & Archicancellarii recognovi.*

*Data VII. Kalendas Julii, Anno Dominice Incarnationis DCCCCXLI. Regni verò Domni Hugonis piissimi Regis XV. Lotharii verò item Regis X. Indictione XIV.*

*Actum juxta Romam in Monasterio Sancte Virginis Agnes.*

*Fisci* tamen vocabulum Regibus & Augustis Francis minime ignotum fuit; immo sæpe ab iis usurpatum video; ac potissimum quum ab ejus potestate immunia sacrorum locorum bona decernebant. Neque enim absoluta tunc erant a Principum imperio, atque a publicis tributis, bona contributa Ecclesiis, nisi immunitas ab iisdem Principibus concessa accessisset. In cum finem formula hæc adhibebatur: *Et quidquid de prædicti Monasterii possessionibus Fiscus noster sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione adipiscenda Monasterio eidem concedimus*. Clarissimi viri Baluzius & Mabillonius complura Diplomata in Galliis data edidere, in quibus eadem dicendi forma occurrit. Ego rem exemplis ex Italia petitis confirmabo. Priora duo desumta fuere e Tabulario insignis Basilicæ Sancti Julii de insula in Riparia Sancti Julii Dioecesis Novariensis, mihique suppeditata ab humanissimo viro Antonio Maria Bonino ejusdem Basilicæ Canonico, curante Amico olim meo & viro Clarissimo Lazaro Augustino Cotta.

## Diploma Ludovici II. Augusti, per quod Dodoni Novariensi Episcopo omnia Privilegia ac jura confirmat, Anno 854.

*In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, Hludovicus gratia Dei Imperator Augustus, invictissimi* Domni Imperatoris Hlotarii *filius. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei in eisdem locis sibi famulantibus beneficia oportuna largimur, præmio nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium & futurorum noverit sollertia, quia adiens serenitatem culminis nostri* Dodo Novariensis Ecclesiæ Episcopus, *detulit obtutibus nostris quasdam auctoritates, in quibus continebatur, qualiter piæ recordationis* Hludovicus Avus noster *præstantissimus* Imperator, *ac Domnus &* genitor noster Hlotarius *serenissimus* Augustus *præfatam Sedem, quæ est constructa in honore sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, & Sancti Gaudentii, ubi ipse preciosus Sanctus corpore requiescit, cui etiam auctore Deo idem Episcopus præesse dignoscitur, cum rebus & hominibus ad eandem Sedem legaliter pertinentibus vel aspicientibus, sub sua suscepisset tuitione & immunitatis defensione: idcirco jam dictus Episcopus nostram exoratus est celsitudinem, ut secundum supradictorum Imperatorum auctoritates Avi & Patris more sequentes nostram adderemus confirmationem. Cujus petitioni ob amorem Dei, & reverentiam Sanctæ Mariæ Virginis & Sancti Gaudentii precibus annuentes, hanc nostræ auctoritatis immunitatem defensionis gratiâ pro divini cultus honore & animæ nostræ remedio fieri jussimus, per quam præcipimus, atque omnimodis jubemus, ut nullus Judex publicus vel quilibet ex judiciaria potestate in Ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis, villis, & territoriis infra ditionem Imperii nostri juste & legaliter memorata tenet vel possidet Ecclesia, sive ea, quæ deinceps in jure ipsius Sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas judiciario more audiendas, vel fodra exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas & fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ distringendo, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato Præsuli, suisque successoribus res prædictæ Sedis cum omnibus sibi subjectis rebus & hominibus ad eam aspicientibus vel pertinentibus, sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remotâ totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere, . . . . . . atque pro incolumitate nostra, sive etiam totius Imperii a Deo nobis collati & ejus clementissima miseratione per immensum conservandi una cum Clero & Populo sibi subjecto, jugiter Domini misericordiam exorare delectet.* Et quidquid de præfatæ Ec-

Ecclesiæ rebus jus Fisci exigere poterat, *idest Annona, Vinum, Caseum, Pulli, Ova, Castaneæ, fructusque messis atque lentibus gignitur pluratica, calcem, venationes, vel ceterorum alia, in integrum præfatæ concedimus Ecclesiæ, scilicet ut perpetuo tempore ad peragendum Dei servitium augeatur & supplementum fiat. Si verò aliquis hanc nostram auctoritatem violare præsumpserit, aut in prænominatis rebus aliquid contra hanc nostram Institutionem injuste intulerit, sciat se secundùm legem infractæ immunitatis modis omnibus distringendum. Et ut hæc nostræ tuitionis atque immunitatis præceptio firmior habeatur, & per futura tempora melior conservetur, manu propria subtus eam firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus.*

*Signum*  *Hludovici piissimi Augusti.*

*Data Nonis Junii, Anno Christo propicio Imperii Domni Hlotharii gloriosissimi Augusti XXXV. & Hludovici filii ejus piissimi Imperatoris in Italia V. Indictione II*

*Actum in Brixia Civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.*

*Dodonem* hunc Novariensem Episcopum Ughellius Tom. 4. Ital. Sacræ, *Oddonem* appellat. En alterum Diploma, in quo tamen Monogramma animadvertas velim ab aliis diversum. Panvinius in Lib. de Roman. Principibus duplex etiam Carlomanni Monogramma adfert.

## Confirmatio jurium ac privilegiorum Novariensis Ecclesiæ, facta à Carlomanno Italiæ Rege Notingo ejus Sedis Episcopo, Anno 878.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Karlomannus divina favente clementia Rex. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, & in eisdem locis sibi famulantibus beneficia oportuna largimur, præmio nobis apud Dominum æternæ retributionis rependi non diffidimus. Idcirco omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque, scilicet præsentium & futurorum noverit industria, quia adiens serenitatem culminis nostri* Notingus Novariensis Ecclesiæ Episcopus *detulit obtutibus nostris quandam auctoritatem, in qua continebatur, qualiter piæ recordationis* Hludovicus Imperator Consobrinus noster *confirmaverat Præcepta* Avi nostri Hludovici *serenissimi* Augusti, *nec non & auctoritatem* Patrui nostri Hlotharii *piissimi* Imperatoris *genitoris sui, qualiter beatam Sedem, quæ est constructa in honore Sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, cui etiam auctore Deo idem Episcopus preesse dignoscitur, cum rebus & hominibus ad eandem Sedem legaliter pertinentibus vel aspicientibus, sub sua suscepisse tuitione, atque immunitatis defensione. Idcirco jam dictus Episcopus nostram deprecatus est celsitudinem, ut secundùm supradictorum Imperatorum auctoritates, parentum nostrorum morem sequentes, nostram adderemus. Cujus petitione ob amorem Dei, & reverentiam Sanctæ Mariæ Virginis, & Sancti Gaudentii precibus annuentes, hanc nostræ auctoritatis, immunitatis, & defensionis gratiam pro divini cultus amore &c.* (ut in supra descripto Ludovici Diplomate) *exorare delectet. Insuper etiam volumus atque omnimodis præcipimus, ut Ecclesia beati Clementis Martyris Christi, quæ injuste inde ablata fuit, & malo ingenio subtracta, ad supradictam Sedem pertineat cum omnibus adjacentiis & pertinentiis suis. Volumus ergo, ut* quidquid de præfatis Ecclesiis, rebus Jus Fisci exigere poterat, *idest annona, vinum, caseum, pulli, ova, castanearum, fructusque messis que lentibus que gignitur plustatica, calcem, venationes, vel ceterorum talia, in integrum Ecclesiis concedimus, scilicet ut perpetuo tempore ad peragendum &c.* (ut in alio Privilegio.)

*Signum Domni*  *Karlomanni serenissimi Regis.*

*Baldo Cancellarius ad vicem Theotmari Archicancellarii recognovi.*

*Data IV. Kalendas Novembris, Anno Christo propitio Primo Regni Domni Karlomanni serenissimi Regis Italiæ, Indictione XI.*

*Actum Piscariæ, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Retuli ad Annum DCCCLXXVIII. hoc Privilegium, Piscariæ datum, hoc est, ut opinor, in Oppido *Peschiera* appellato Veronensis agri, persuasum habens, Indictionem heic adhibitam, non immutatam mense Septembri. Atque ut certior Indictionis ab eo Rege usurpatæ notitia habeatur, simulque Annorum Regni illius, juvat alia duo ejusdem Regis Diplomata addere, simulque censuræ Lectorum supponere. Primum autographi notas præferens, egomet oculis lustravi Brixiæ in Archivo insignis Monasterii Monialium Sanctæ Juliæ.

Car-

## Carlomannus Italiæ Rex Hilloni fideli ſuo Curtem unam largitur, Anno 879. ſeu potius 878.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Karlomannus divina favente clementia Rex. Si de rebus terrenis, quas divina conſecuti ſumus clementia, quibuſcumque fidelibus noſtris auxilia prebere ſatagimus, non ſolùm Regium morem decenter implemus, eoſque in noſtro ſervitio promptiores efficimus, verùm etiam & premia nobis inde æterna provenire liquido credimus. Quaprópter noverit induſtria omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque preſentium & futurorum, qualiter quidam dilectus fidelis noſter nomine* Hillo *per* Eginolfum Dapiferum noſtrum, *atque per* Alamannum *dilectum* Venatorem noſtrum *petiit culmen regalitatis noſtræ, ut illi quaſdam res noſtræ proprietatis in proprietatem donaremus. Nos verò ob amorem Dei ejuſque fidele ſervitium dedimus prefato Hilloni in* Comitatu Priſſano in loco, qui dicitur Ritolfa, *Curtem illam cum domibus & ædificiis omnibus, & hobas, hoc eſt ſortes, plencos quatuordecim, cum mancipiis utriuſque ſexus, cum agris cultis &c. cum Silva illa, quæ dicitur Cavallara, quæ jacet juxta fluvium Laram, finiens inferius in Ollam fluvium, ſuperius in locum, qui dicitur Trazun, cum exitibus & reditibus, cum tributis & omnibus pertinentiis mobilibus & immobilibus, queſitis & inqueſitis. Hæc verò omnia in omnibus predicto Fideli noſtro in proprietatem dedimus per hoc preſens Preceptum noſtrum, & de noſtro jure ſibi in jus & proprietatem donamus atque transfundimus, quatenus ea omnia jure hereditario teneat perpetualiter atque poſſideat, liberam etiam poteſtatem in omnibus habeat tenendi, donandi, vendendi, commutandi, vel quicquid ſibi placuerit faciendi, nullo amplius, quod abſit, Succeſſore noſtro hanc noſtram traditionem preſentis auctoritatis irrumpente, aut mutante, ſeu in aliqua parte minorante; ſed firma & inconvulſa in ævum permaneat. Volumus autem ut ipſas res noſtræ largitionis ſub tuitione Regali, ſeu Imperiali omnibus futuris temporibus permaneant non ſolum ſub noſtro Mundburdio, ſed & Succeſſorum noſtrorum in ævum exiſtant. Quod ſi quis contemptor, aut violator extiterit hujus Precepti, & res eaſdem injuſte invadere preſumpſerit, aut Servos vel Ancillas injuſte conſtrinxerit, ſeu & Liberos homines res illas poſſidentes, trecentos Mancuſos auri rectiſſimi ponderis exſolvat,* medietatem Palatio noſtro &c.

*Signum Domni*  *Karlomanni invictiſſimi Regis*

*Madalwinus Notarius ad vicem Theotmari Archicappellani recognovi & ſubſcripſi.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

*Data VIII. Idus Julii, Anno III. Regni Domni Karlomanni ſereniſſimi Regis in Bavaria, & in Italia II. Indictione XII.*

*Actum ad Otinga Curte Regia, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Alterum Diploma archetypum adſervatur in Tabulario Monachorum Benedictinorum Sancti Sixti Placentiæ. In eo Carlomannus *Angilbergam* antea Ludovici II. Auguſti conjugem, *Sororem noſtram* appellat: quam appellationem examini ſubjectam habes ſupra in Diſſertat. XI. *de Allodiis*.

## Carlomanni Italiæ Regis Diploma, quo Angilbergæ Imperatrici viduæ concedit quædam bona ad utilitatem Monaſterii Sanctæ Reſurrectionis ab ipſa fundati; Anno 878.

*IN nomine ſanctæ & individue Trinitatis. Karlomannus divina favente gratia Rex. Habentes præ oculis ſemper divinum ſupremi Judicii examen, profuturum nobis in æternitatis vita non dubitamus, ſi de commiſſis ad regendum, & ab omnipotente terrarum collatis poſſeſſionibus, ad honorem & cultum præſentis vitæ decurſu famulantibus ipſi aliquid conferimus. Quapropter notum ſit omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, noſtris præſentibus, ſcilicèt & futuris quia* Angilberga ſoror noſtra *amantiſſima, humiliter noſtram petiit clementiam, quatenus terram juris publici de Comitatu Placentino habentem juges tredecim ſecus viam publicam, quæ ab Urbe Placentia ad Placentinum Portum ducit, quæque coheret ex parte Orientali conferto pomorum Monaſterii Sanctæ Reſurrectionis, quod eadem Angilberga Auguſta noſtra a fundamentis coſtruxit, atque molendinum unum juxta Baſelicam Sanctæ Brigidæ cum ſolo & decurſu aquæ a via fluentis uſque in Foſſam Auguſtam, ſimulque cum terra juxta eundem molendinum ſita & de prædicto Comitatu attinentem, habente ſcilicet per menſuram tabulas quadringenta, cui ab Oriente terra ejuſdem Comitatus adjacet, ab Aquilone murus præſcriptæ Civitatis adhæret, ab Occidente verò & Meridie viæ publicæ coherent, causâ æternæ mercedis eidem Cœnobio beatæ Reſurrectionis propter ſui commoditatem concederemus. Cujus deprecationi autem clementiæ noſtræ inclinantes, præſcriptam terram uſque ad juges tredecim, nec non etiam prænominatum molendinum ſimul cum terra ſibi coherente, ſicut per menſuram*

*ram & fines atque coherentias habente tabulas quadringenta, videlicet usque ad terram ejusdem Comitatus, & murum ipsius Civitatis, atque vias publicas decernitur, una cum ripa & alveo rivi a via decurrentis usque in jam dictam Fossam Augustam, sæpe dictum Monasterium jure proprietario habendum concedimus, ac perpetuo æternæ remunerationis gratia confirmamus, ita ut nullus deinceps reipublicæ procurator, vel quilibet temerator invadere vel contradicere præsumat. Quod si fecerit, triginta libras auri se noverit multandum. Et ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria subter confirmavimus, & anuli nostri impressione insigniri præcepimus.*

*Signum*  *Karlomanni invictissimi Regis.*

*Madalwinus Notarius ad vicem Theotmari recognovi & subscripsi.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

*Data II. Nonas Octobris, Anno III. Regni Karlomanni invictissimi Regis in Bavvaria, & in Italia II. Indictione XII.*

*Actum in Bawaria ad Hohbaërahah, Curte Regie, in Dei nomine, feliciter. Amen.*


Habemus in hisce Diplomatis *Indictionem XII.* tam Julio Mense, quàm Octobri decurrentem, atque adeo conjunctam cum toto Anno DCCCLXXIX. quo decurrebat *Annus II.* Regni Carlomanni. Lucensis tamen Civitas in privatis Chartis tunc usurpare consuevit Indictionem præcedentibus Kalendis Septembribus inchoatam. Ut ergo certius teneamus annos Regni a Carlomanno initi, accipe quæ in tabulis illius Urbis animadverti. Ibi Charta legitur scripta *Regnante Domno nostro Karlomanno piissimo Rege, Anno Regni ejus, postquam Deo propitio in Italiam ingressus est, Primo, pridie Idus Novembris, Indictione Duodecima*; in qua *Gerardus Episcopus* quædam prædia permutat, & *Adalbertus Dux* ad ea æstimanda quosdam viros mittit. Is est Annus DCCCLXXVIII. Altera Charta exarata fuit *Regnante* &c. *Anno Regni* &c. *Secundo. VI. Kalendas Martias, Indictione Duodecima*, & alteram permutationem complectitur cum hisce verbis. *Super hanc commutacione secundùm legem direxit Gherardus Episcopus Misso suo, idest Saxso Archipresbitero* &c. & *Adalberto Comite direxit Misso suo* &c. Is est Annus DCCCLXXIX. Rursus est Charta scripta *Anno Secundo, III. Nonas Septembris, Indictione Terciadecima*, cujus en prima verba: *Manifestus sum ego Ildebrando in Dei nomine Comes filius bonæ memoriæ Eribrandi* &c. Designatur heic Annus DCCCLXXIX. Hisce adjunge Diploma ejusdem Carlomanni, editum in Chronico Casauriensi part. II. Tomi II. Rer. Italicar. & promulgatum *Decimoseptimo Kalendas Novembris, Anno Secundo Regni Carlomanni Indictione Decima. Actum Papia*. Idest Anno DCCCLXXVII. Collige nunc rationes. Si recte se habet *Indictio decima* in Casauriensi Diplomate, neque ibi restituenda est *Indictio Decima tertia*. Carlomannus Octobri Mense Anni DCCCLXXVII. versabatur in Italia, atque in ipsa Urbe Ticinensi, eoque Mense ineunte Rex Italiæ renuntiatus nondum videtur. Quod si in eodem Diplomate Casauriensi signatur tantùm *Annus Secundus Regni*, subintelligendum erit Bajoariæ, non autem Italiæ. Itaque is Italiæ Rex appellatus fuerit inclinante Octobri Mense eodem Anno DCCCLXXVII. quam dignitatem seu titulum per totum Octobrem Anni DCCCLXXIX. retinuit. Quippe vidi Chartam in Archivo Canonicorum Mutinensium scriptam *Regnante Domno nostro Carlomanno hic in Italia Tertio, die XXVII. de Mense Octuber, per Indictione Terciadecima*. Hæc ad Chronologiam Regum Italiæ recte statuendam indicasse mihi licuerit.

Denique *Fiscus*, antiquis etiam temporibus sud *Cameræ* nomine venire cœpit, quam appellationem ubique adhuc servat. Si verum est Diploma Desiderii Langobardorum Regis, editum a Margarino Tom. 2. Bullarii Casinens. Constitut. 13. ibi dimidium multæ persolvendum statuitur *Cameræ nostræ*. Sed de hoc alii judicent. Quod certum est, refert Eginhartus testamentum Caroli Magni, in quo summe pius Imperator Ecclesiis ac pauperibus erogandos jussit *thesauros suos, & pecuniam, quæ in illa die in Camera ejus inventa est*. Rursus memorat omnem *substantiam atque supellectilem suam, quæ in auro & argento, gemmisque & ornatu Regio in Camera ejus inveniri poterat*. Infra hæc explicat, addens: *ut sunt cortinæ, stragula, tapetia, filtra, coria, sagmata, & quidquid in camera atque vestiario ejus eo die fuisset inventum*. Hæc Fiscum significare creduntur Du-Cangio, & reapse postrema hæc verba ille in Glossario Latino adferens, pro *Fisco Imperatoris* interpretatur. Idem quoque Carolus M. in Capitulari Anni DCCCXIII. num. 19. Tom. I. editionis Baluzianæ, de Ancillis Fisco obnoxiis agens, ait *Habeant ex partibus nostris lanam & linum, & faciant sarcillos & camisilos, & perveniant ad Cameram nostram*. Verùm hæc omnia subobscura mihi videntur, neque sane certos adhuc nos faciunt, *Cameræ* vocabulum jam tum fuisse adeo familiare, ut nemo non intelligeret, *Fiscum* per illud designari, quum Cellarium, Vestiarium, aliasque Regales officinas designasse potuerint. Certe nullum hactenus se mihi obtulit Diploma indubitatæ fidei, a Carolo Magno & Ludovico Pio emissum, in quo *Cameræ* mentio habeatur. Vide quæ Baluzius & Mabillonius edidere. Addo suspicionem fraudis aliquam mihi suboriri, quoties in illius ævi Privilegiis *Cameram* memoratam offendo. In Tomo 2. Bullar. Casinens. Constitutio 23. Caroli Magni legitur, ubi multam indicit; hoc est *auri optimi Libras mille, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem prædicto Monasterio*. Sed confictum, aut certe a bono Margarino incaute tributum Carolo Magno, e vestigio deprehendas monumen-

mentum illud. Ibi enim appellatur *Carolus Magnus Imperator Augustus*; quum tamen nulla Diplomata *Magnum* illum dicant, atque hunc titulum vivens ille non acceperit. Scriptum quoque dicitur Præceptum *Anno ab Incarnatione Domini Jesu Christi Octingentesimo Secundo, Indictione Decima*. At istud abhorret, uti & reliquæ illius Privilegii notæ chronicæ ab ætate ac stilo Cancellariæ Caroli Magni. Ad Carolum Crassum Augustum spectat illud Diploma, si quidem sit legitimum; sed præter Indictionem alia sunt, quæ ne ipsi quidem tribuendum indicant. Edictum quoque habes in Vulturnensi Chronico pag. 362. Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. Diploma Pippini Italiæ Regis, datum Anno DCCLXXXVII. ubi est *Cameræ* mentio, quod uti adulterinum in notis confixi. Illic etiam habetur pag. 371. Privilegium Ludovici Pii datum Anno DCCCXIX. ubi dimidium multæ impositæ persolvendum dicitur *Cameræ nostræ*. Sed quid si de legitimitate istius quoque Privilegii dubitandum foret? Antea nequaquam animadverti: nunc autem moneo, legi illic verba hæc: *Obtulit obtutibus nostris Præcepta Langobardorum Principum & Ducum, videlicet Gisulfi & Sicardi*. Infra memoratur Waldus, idest nemus, *qui datus est in eodem Monasterio a Sicardo Principe Beneventanæ Civitatis*. Atqui Sicardus Princeps Beneventanus Anno tantùm DCCCXXXIII. regnare cœpit, uti eorum temporum monumenta, in ipso quoque Vulturnensi Chronico legenda, evincunt. Qua ergo ratione *Sicardi* mentionem habet Diploma Ludovici Pii datum Anno DCCCXIX.? Mitto, perquam rarissime in Diplomatis ejus ævi comminationem multæ reperiri: Adest in eodem Vulturnensi Chronico pag. 349. Diploma Caroli Magni confectum, ut videtur, Anno DCCLXXVI. in cujus calce violatores jubentur exsolvere *auri purissimi Libras mille, medietatem Cameræ nostræ* &c. Dubitavi in Notis de sinceritate Diplomatis: nunc omnino explodendum contendo, quum ibi Carolus se tantummodo inscribat *Regem Francorum & Langobardorum ac Patricium Romanorum*, & nihilominus *Imperiale* suum *Præceptum*, & *Imperialem* suam *institutionem* memoret: quæ cum titulo Caroli nondum Imperatoris omnino pugnant. Seriùs ergo invectam opinor in Regum Francorum Præcepta *Cameræ* commemorationem, & fortasse nòn ante Ludovicum II. Augustum, a quo revera, ejusque successoribus usurpatam illam invenio. Evulgavit Campius in Appendice Tomi primi Histor. Eccles. Placentinæ Diploma ejusdem Augusti, *Datum III. Idus Octobris, Indictione XV. Anno Imperii Domni Hludovici Octavo. Incarnationisque Domini nostri Jesu Christi DCCCLII.* ubi violatoribus multam irrogat, *medietatem Cameræ nostræ* &c. Infra in Dissertat. XXVI. *de Militia* animadvertam, pugnare plane contra Historiam notas istas Chronologicas: neque consuevisse Ludovicum II. Dionysianam Epocham suis inserere Chartis. Certiora ego rerum documenta nunc proferam, atque ex ejusdem Placentini Cœnobii Sancti Sixti Tabulario, ubi duo hæc Diplomata custodiuntur.

## Ludovici II. Imperatoris Præceptum, quo Angilbergæ Augustæ Conjugi suæ facultatem concedit libere disponendi de rebus suis, Anno 874.

*In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Hludowicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Omnium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque fidelium, præsentium videlicet ac sequentium comperiat industria, eo quod nos ob divinum amorem, & mutuæ dilectionis affectum*, Angilbergæ *dilectissimæ* Conjugi nostræ, *ac consorti nostri Imperii, per præsentem munificentiæ nostræ paginam concedimus & largimur de suis propriis rebus tam nostra sibi liberalitate donatis, quàm alio quolibet contractu juste ac legaliter adquisitis, quomodocumque & qualitercumque disponendi & ordinandi liberam facultatem, absque ullo cujuslibet Principis vel Ducis, qui in tempore fuerit impedimento; & cuicumque ipsa dederit, ratum & stabilitum modis omnibus esse volumus. Si quis autem, quod non credimus, ex proheredibus, successoribusque Imperii nostri aliquam contra ipsius liberam dispositionem, seu spontaneam definitionem molestiam inferre præsumpserit, tamquam scelestus & impius divinarum temerator sanctionum, æterno judicio condempnatus partem in futuro habeat cum Principe tenebrarum infernale ignis æterni & sulphuris; & in præsenti supradictæ Conjugi nostræ inquietudinem inferre contra nostri statuta Præcepti non metuens, centum Libras auri obrizi componere compellatur*, medietatem Imperiali Cameræ, *& medietatem suprataxatæ Angilbergæ, cui injuriæ nævum intulisse probatur. Et ut hoc nostræ cessionis ac piæ largitionis pagina inconvulsa permaneat, manus nostræ adscriptione insignita ex Bulla nostra subter adnotata est.*

*Signum manus*  *Domni Hludowici serenissimi Imperatoris*

*Giselbertus Presbyter & Notarius scripsi ex jussu Imperiali, & subscripsi.*

Locus ✠ Sigilli.

*Data IV. Idus Octubris, Indictione VIII.*

*Actum Olonna Curte Imperiali, Anno Imperii Domni Hludowici gloriosissimi Imperatoris, Deo propitio XXV. feliciter. Amen.*

Ejus-

## Ejusdem Ludovici II. Augusti Diploma confirmatorium omnium bonorum Gumberti Vassi & Ministerialis, Anno 874.

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Hludowicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Imperialis munificentia si omnibus juste petentibus debet esse larga, multo amplius his, qui familiarius sibi adsistunt. Proinde notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris tam præsentibus quàm & futuris, quoniam amantissima Conjux nostra* Angilberga Imperatrix Augusta *nostram deprecata est clementiam, quatinus Gumberto illustri Vasso, fidelique Ministeriali nostro, & post eum heredibus suis confirmaremus omnes res proprietatis suæ, tam eas, quæ ante acceptum Ministerium ipse Gumbertus hereditarias vel adquisitas habuit, quàm eas, quas postea conquisivit vel conquisiturus erat deinceps, ut pro eo quod Ministerialis non erat, dampnosæ in posterum non adscriberetur conditioni. Cujus deprecationem ad effectum perducere, dilectæ Conjugis interventu, ratum decernentes, prædicto fideli nostro Gumberto Gastaldio, & sicut expetiit, post suum decessum heredibus suis omnes res ac facultates juste sibi pertinentes perpetualiter confirmavimus in integrum, ut superius continetur: quatinus cassatâ undique controversiâ liberam facultatem habeant tam ipse, quàm heredes sui, vel quibus ipsi dederint, legaliter disponere & ordinare cuncta, quæ in vita sua adquisierunt vel adquirere poterint, & absque alicujus contradictione semper quietè possidere atque pacifice retinere, & quibuscumque elegerint conferre. Unde etiam Imperatoria censemus liberalitate, ut quicumque hanc nostram munificentiam eidem Gumberto pro suo beneplacito nobis servitio concessam violare quolibet modo temptaverit, noverit se decem millia Mancosorum aureorum multandum,* medietatem Cameræ nostræ, *& medietatem dicto Gumberto, vel ejus heredibus. Et ut certius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.*

*Signum Domni Hludowici*  *serenissimi Imperatoris.*

*Adalgisus Diaconus & Notarius jussu Imperatorio recognovi & subscripsi.*

Locus ✠ Sigilli.

*Data VII. Idus Octobris, Anno Christo propitio Imperii Domni Hludowici piissimi Augusti XXV. Indictione VIII.*

*Actum Holonna Curte Regia, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Habemus heic *Imperialis Cameræ*, hoc est *Fisci*, sive Aerarii Regii disertam mentionem. Fortassis ad eadem quoque tempora, atque ad eumdem Augustum, nisi potius ad Ludovicum III. pertinet informe Diploma, quod in Tabulario Canonicorum Arretii olim vidi. Membranæ vetustas, & literarum forma, germanum monumentum præ se ferebant. Verum illic desiderabantur subscriptiones: & quod in primis animadvertendum est, nimia Latini sermonis imperitia in oculos incurrebat, ita ut quid de Chartæ hujus fide statuam, incertus plane sim. Sed cuinam usui talia conficta quæso fuissent, si ficta contenderem?

## Mundiburdium seu defensionis Privilegium concessum à Ludovico II. Imperatore, ut videtur, Gripponi de Comitatu Arretino, ejusque familiæ & rebus, circiter Annum 870.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Hluduvicus divina favente clementia Imperator Augustus. Omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, hac nostris tam præsentibus, quàm & futuris notum esse volumus, qualiter Grippo de Comitato Aretino quondam Luponi filius, interventu hac peticione Winegisii dilectoque fideli nostro, petiit clementiam nostram, quatenus pro Dei omnipotentis amore, animæque nostræ mercedem eum cum uxore & filiis, cunctisque rebus mobilibus & immobilibus, seu & facultatibus, hac familiis utriusque sexu tam Cartarum, Libellarum, seu covis titolum inscriptionis tam de paterna vel de materna, seu a quibusdam hominibus aquesitæ juste & legaliter vel in antea legibus aquistare potuerint, sub nostrum manaoura, hac Imperiale receperemus defensione; quod effecimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus Dux aut Comes vel Vicecomes aut Sculdassio vel ullus publicus Hacciónarius vel alia a qualibe magna parvaque persona per vim obprimere, aut aliquam superimpositam contra eum, uxor, filiosque suos, hominesque ejus liberos hac servos contrarietatem facere præsumat, nullusque facultatibus, rebusque ejus mobilibus & immobilibus invasionem aut sufreccionem aut diminuracionem, vel aliqua injusta superimposita facere sine legali terminacione facere præsumat; sed licead eum cum omnibus quæ possidet, pro Dei omnipotentis amore, animæque nostræ, parentorumque nostrorum mercedem securi & quieti pacifice vivere, nulla publi-*

*publica ei nocente persona. Si quis autem contra hanc nostram Imperialis auctoritatem violator extiterit, & ea, quæ superius legitur, non observaverit, triginta Libras auri se composituros agnoscat*, medietatem parti Cameræ nostræ, *& medietatem suprataxato* Grippo, *ejusque heredes, eorumque hominibus. Ut verius credatur, de anulo nostro subter jussimus sigillari.*


Desiderantur Subscriptiones.

*Signum Sigilli ✠ cerei deperditi.*

Exinde ergo in Diplomatis frequentius *Cameræ* nomen usurpatum invenias. Illud præcipue intueare in compluribus Berengarii I. Regis, qui tamen aliquando non *Cameram* tantùm, sed *Cameram Palatii nostri* appellavit, uti exempla bene multa confirmare possunt. Ego duo tantùm seligo. Primum debeo Archivo antiquissimi Monasterii Veronensis Sancti Zenonis, in quo autographum venustissimum adservatur.

## Berengarius I. Italiæ Rex Attoni fideli suo hortum, & horreum in Civitate Veronensi donat, Anno 889.

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Berengarius Rex. Noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque, præsentium scilicet ac futurorum industria*, Walfredum *illustrem* Comitem, *summumque Consiliarium nostrum, nostram adiisse munificentiam, exorans eam, quatenus Attoni fideli nostro Ortum in Civitate Veronæ situm cum Horreo antiquo, murisque precingentibus concederemus. Cujus supplicationi nos meritò assensum prebere ducentes, præfato Attoni fideli nostro eumdem Hortum, cui ex una parte Sancti Petri Celaurio, & Sancti Petri cujus domus ibidem est constructa, & Sancti Zenonis jura coherent, ex alia parte Bundone Presbitero habitante, & ex ceteris partibus publica via currente, ut ipse* Waltfredus *dilectus fidelis noster expetiit, in integrum per hujus Precepti nostri documentum ad habendum, & quicquid voluerit faciendum proprietatis jure, tam sibi quàm heredibus suis concedimus & firmamus. Contra quod nostri documenti preceptum si quis insurgere temptaverit, ipsumque infringere, ne temptatum possit explere, viginti Libras auri obrizi*, medietatem Cameræ nostræ, *& medietatem, cui ex hoc molestia illata fuerit, sciat se compositurum. Et ut hoc verius ab omnibus credatur, & diligentius observetur, anuli nostri impressionem subter jussimus fieri.*

*Signum*  *Domni Berengarii gloriosissimi Regis.*

Adest Sigillum ✠ cereum.

*Restaldus Notarius jussione Regis ad vicem Adelardi Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi.*

*Data IV. Idus Septembris. Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXIX.*

*Anno verò Regni Domni Berengarii gloriosissimi Regis II. Indictione VIII.*


*Datum Veronæ, in Dei nomine, feliciter. Amen.*

Adhuc in pergamena confixum visitur cereum Sigillum, in quo caput Berengarii eminet, juvenis admodum, ac puero pæne similis, cum epigraphe BERENGARIVS REX. Uti alibi monui, non ea Berengario fuit ætas, quam Aubertus Mireus in Codic. piar. donationum arbitratus est, quum Italicum Regnum sibi conquisivit. Testem novum do præcedens ipsum Diploma. Atque ibi memoratam tantummodo *Cameram* videas. Exemplum *Cameræ Palatii nostri* nunc accipe ab altero ejusdem jam Imperatoris Præcepto, quod archetypum custoditur in Archivo Capituli Canonicorum Arretii.

## Confirmatio Privilegiorum Ecclesiæ Arretinæ facta à Berengario Imperatore, Anno 916.

*IN nomine Domini Dei æterni. Berengarius divina favente clementia Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque presentium scilicet ac futurorum industria*, Petrum *sanctæ* Aritinæ Ecclesiæ *sacerrimum* Pontificem, *dilectumque fidelem nostrum, suppliciter nostram postulasse clementiam, quatenus omnes possessiones & prædia suæ Ecclesiæ ab exordio suæ constitutionis habitas, atque in posterum habendas sub omni integritate sui hoc nostræ auctoritatis præcepto confirmare omnimodis dignaremur. Cujus devotissimam petitionem attentius exequentes, omnes possessiones, & universa prædia ejusdem Ecclesiæ per singula loca & vocabula tam in montibus, quamque in planitiebus posita, atque per diversa loca & vocabula adjacentia, seu omnia dona tam Regum & Imperatorum eidem Ecclesiæ concessa vel concedenda, omnesque confirmationes de omnibus Plebibus ipsius Ecclesiæ sive Cortis, rebus mobilibus & immobilibus, servis, vel ancillis, utriusque sexus familiis, aldionibus & aldianis, omnia & in omnibus in singulis Comitatibus posita, idest in Aritino, Senense, Florentino, atque in Clusiano, & Castro Felicitatis, cum quadam Ecclesia, quæ dicitur Sancti Martini ...... peculiari, quemadmodum ab uno latere est Lacus Major, & ab altero latere*

*tere prædictus Lacus peculiaris consistit, & cum omnibus pisçariis, quæ sunt positæ in territorio prænominatæ Aritinæ Ecclesiæ infra aquas, & quicquid a bonis hominibus per cujuscumque institutionis titulum juste & legaliter prædictæ Aritinæ Ecclesiæ olim conlata sunt, vel futuris temporibus conferenda fuerint, sub omni integritate per hoc nostrum Imperiale Præceptum confirmamus. Statuentes & Imperiali mandato præcipientes, ut nullus Dux, Comes, Vicecomes, vel Judex, aut cujuslibet judiciariæ potestatis persona in plebibus, vel rebus prælibatæ Ecclesiæ Placita tenere aut qualescumque exibitiones vel frea exigere audeat; nullus etiam exactor publicus, aut cujuscumque ordinis homo Liberis aut Servis præscriptæ Ecclesiæ aliquam vim vel contrarietatem inferre præsumat, sed liceat prætaxatæ Ecclesiæ securiter cuncta possidere sua, omnium magnarum, parvarumque personarum contradictione vel inquietudine remota. Si quis ergo hoc nostræ confirmationis & tuitionis Præceptum infringere vel violare quandoque temptaverit, sciat se compositurum auri optimi Libras ducentas,* medietatem Cameræ Palatii nostri, *& medietatem prædictæ Ecclesiæ, ejusque Rectoribus. Quod ut verius credatur, & diligentius ab omnibus per futura tempora observetur, manu propria roborantes de anulo nostro subter insigniri jussimus.*

*Signum Domni*  *Berengarii piissimi Imperatoris.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

*Petrus Episcopus & Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi.*

*Data X. Kalendas Julii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXVI. Domni vero Berengarii piissimi Regis XXIX. Imperii autem sui primo, Indictione IV.*

*Actum in Civitate Ravenna in Christi nomine, feliciter. Amen.*

Omnia fere subsequentium Regum atque Imperatorum Diplomata *Cameræ* nomen nobis exhibent, illudque nostris etiam temporibus constantissime retinetur. Nunc illud mihi inquirendum restat, an præter *Cameram*, sive *Fiscum*, aut *Ærarium* Regis aut Imperatoris, jus *Cameræ* alicui alteri olim in Italico Regno fuerit, puta Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, iis nempe, qui tunc Italicorum Principum chorum constituebant. Nemini autem Eruditorũ ignotum est, antiquissimis temporibus, unis Regibus ac Imperatoribus *Fiscum* fuisse: sed quando Regalia ac jura Fisci transferri cœpta sunt largitione Principum in Primates Regni, sive Ecclesiasticos, sive Sæculares, tunc & isti quadam specie Fisci perfrui cœperunt, & *Cameram* suam peculiarem constituere. Videtur enim *Cameræ* vox latiori significatione patere quàm *Fisci*. Ergo ad Episcopos & Abbates quod attinet, quum in ipsos tot olim Regalia collata fuerint a Regibus & Augustis, nil mirum, si consueverint & ipsi *Cameram*, sive *Aerarium* proprium habere ac appellare, quo reditus olim a Fisco Regio percepti, ac multæ ab eo antea exactæ inferebantur. Romani Pontifices in primis, ex quo sub Pippino Francorum Rege, & Carolo Magno Augusto, non solùm Exarchatus, sed etiam Urbis ac Ducatus Romani dominatione donati sunt, *Cameram* suam habuisse videntur, ad quam census, tributa, ac vectigalia deferrentur: Sed in eorum monumentis vetustioribus (nimis multa nobis rapuit edax tempus) nullum hujus vocabuli vestigium hactenus reperi. Fortasse nomine *Vestiarii* Pontificia Camera olim designata est. Quippe Hadrianus I. Papa Anno DCCLXXII. Bullam Farsensibus Monachis dedit, evulgatam in Chronico Farfensi Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum, in qua decernit, ut in posterum *Priores Vestiarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ* Judices sint in caussis Monasterii Farfensis. *Miccio*, inquit, *Prior Vestiarii, vel omnes, qui pro tempore post ejus decessum Priores Vestiarii extiterint, licentiam habeant potestative distringendi tam Ecclesiasticam personam, quamque ex militia existentem, vel etiam famulum Ecclesiæ* &c. En quanta jam tum foret auctoritas ejusmodi munere fungentibus. Quod solùm tenebras facere potest, ea Bulla data dicitur *Imperantibus Domno nostro piissimo Augusto Constantino Imperatore* &c. Quæ verba indicant, dominatos adhuc Romæ fuisse Græcos Imperatores, incertumque proinde esse, qua ratione *Priori Vestiarii*, si Minister Pontificius erat, auctoritas foret distringendi viros militares sive Sæculares. Procedente tempore Archidiaconus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præesse cœpit Cameræ Pontificiæ: ac proinde quum *temporibus Alexandri II. Papæ* controversia orta fuisset inter Monasterium Farfense, & alterum in Mica Aurea, *Domnus Hildebrandus venerabilis Archidiaconus* eamdem audivit, ac diremit, uti habetur in eodem Chronico Farfensi pag. 596. *Actores* autem & *Actionarii* appellati olim Ministri, qui nunc Clerici Cameræ ejusdem. Et quoniam nuper monuimus, *Palatii* voce *Cameram* Regum fuisse designatam, ipsi quoque Romani Pontifices *Palatii Lateranensis* vocabulum eâdem significatione usurparunt. Vide Bullam Benedicti Papæ VIII. in eodem Chronic. Farfensi, pag. 518. per quam confirmat Cœnobio Farfensi Castellum Buccinianum. Illic adversùs violatorem quemcumque ait: *Insuper & compositurum se sciat auri optimi Libras centum, medietatem in sacrosancto Lateranensi Palatio, & medietatem in suprascripto Monasterio*. Idem repetitur in Brevi recordationis Hugonis Abbatis. Immo alteram Bullam ejusdem Benedicti VIII. Papæ exhibet idem Chronicon Farfense pag. 521. confectam Anno MXVII. in qua diserte fit mentio *Cameræ* Pontificiæ hisce verbis. *Qui facere hoc præsumserit* &c. *sciat se compositurum centum aureos Mancosos medietatem Cameræ nostræ, & medietatem*

*tatem* &c. Neque reponas, ex liberalitate Henrici I. Augusti viri sancti, Benedictum VIII. Papam latius quam Prædecessores fuisse dominatum, ut quidam illius Sæculi Scriptor affirmat; si enim Alberici Romanorum Principis, sive Tyranni, tempora excipias, constat, Romam antea quoque temporali ditioni Pontificum subfuisse, atque adeo jus inrogandi multas, & Cameræ habendæ, ad eos spectasse. Ceterum illud minime prætereundum est, in Bullis antiquiorum Pontificum Romanorum anathema quidem, maledictionem, aliasque spirituales pœnas consuevisse apponi, rarissime autem pecuniarias, ita ut quum impositæ multæ in iis occurrant, caute circumspiciendum sit, ne fraus aliqua intercesserit. Observatam enim eam consuetudinem non tantùm in confirmandis juribus Ecclesiarum, sed & in politicis negotiis, atque in ipsis Urbibus, ditioni Pontificiæ subjectis, video. Cujus rei exemplum unum nunc addere juvat ex Codice MSto Cencii Camerarii excerptum.

## Sergii IV. Papæ Literæ, quibus Vediano cuidam Castrum Scuriense titulo emphyteusis concedit, Anno 1010.

*Sergius Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Vediano, Scuriensis Castri Domino, salutem & Apostolicam benedictionem. Manifestum est Castrum, quod Scuria dicitur, temporibus beatæ memoriæ prædecessoris nostri Papæ Silvestri, ut etiam nunc vestra relatione comperimus, Regiâ munificentiâ quondam per manus ejusdem beato Petro fuisse collatum, & a te nunc per innovationem sub Censu annuo decem Solidorum Raimundensis Monetæ oblatum. Nos itaque eamdem suscipientes oblationem, quoniam id esse tuæ voluntatis agnovimus, tibi a manu Beatitudinis nostræ cum magna devotione suscipienti, & omni posteritati tuæ Castrum Scuriæ cum omnibus pertinentiis & possessionibus ejus in perpetuum habere concedimus, & idem protectione Sedis Apostolicæ communimus. Statuimus enim, ut nulli omnino Ecclesiasticæ, Secularive personæ facultas sit idem Castrum minuere, infestare, vel suis usibus vindicare, sed quietum tibi, sicut a nobis concessum est, & integrum conservetur. Si qua igitur Ecclesiastica, Secularisve persona temere, quod absit, adversùs ista præsumserit, secundo, tertiove commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, honoris & officii sui periculum patiatur, aut* excommunicationis *ultione plectatur. Qui verò conservator extiterit, omnipotentis Dei & Apostolorum ejus Petri & Pauli gratiam misericorditer consequatur.*

*Ego Sergius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*

*Datum Laterani per manum Gregorii sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Presbyteri, III. Kalendas Aprilis, Dominicæ Incarnationis Anno Millesimo Decimo, Indictione VIII.*

Accipe nunc & alterum documentum ex prælaudati Cencii Codice MSto desumtum, ejusdem emphyteusis concessionem confirmans.

## Confirmatio Castri Scuriensis in emphyteusim facta ab Alexandro III. Papa, Amblardo, aliisque consortibus, Anno 1162.

*Alexander Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Amblardo, Bernardo, & aliis Dominis Scuriensis Castri, salutem & Apostolicam benedictionem. Manifestum est, Castrum, quod Scuria dicitur, temporibus beati Silvestri, sicut ex inspectione Literarum antecessoris nostri sanctæ recordationis Sergii Papæ cognovimus, Regiâ liberalitate per manus ejusdem beato Petro quondam fuisse collatum, & a Vediano quondam ejusdem Castri Domino, memorato prædecessori nostro Papæ Sergio, per innovationem sub annuo censu decem Solidorum Raimundensis monetæ fuisse recognitum & oblatum. Idem etiam Castrum Hubertus, Raimundus, & Sicardus, Domini ipsius loci, prædecessori nostro felicis memoriæ Papæ Calixto, & per manum ipsius beato Petro, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ recognoverunt & obtulerunt. Nos itaque eorumdem antecessorum nostrorum Sergii, atque Calixti, & etiam Innocentii Romanorum Pontificum, qui Castrum ipsum ad jus & proprietatem beati Petri pertinens, sub Apostolicæ Sedis protectione ac munitione receperunt, vestigiis inhærentes, præfatum Castrum sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis Scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut neque Comiti neque alicui personæ facultas sit, Castrum ipsum auferre, minuere, infestare, vel suis usibus vindicare, sed quietum vobis, sicut a jam dictis prædecessoribus nostris & nobis concessum est, & integrum sub beati Petri jure ac defensione consistat. Sane si quis vestrum gravius aliquod, quod absit, fortè commiserit, pro ejus culpa, nisi & ipsi ejusdem iniquitatis participes fuerint, alii, & honores eorum minime a divinis interdicantur officiis. Hoc ipsum & de subjectis Militibus vestris præcipimus observari. Statuimus etiam ut nulli, nisi Dominis & hominibus ejusdem Castri, liceat infra terminos tenimenti vestri, Castrum ædificare vel munitionem facere. Si quæ verò Ecclesiastica, Secularisve persona adversùs homines ejusdem Castri querimoniam deposuerit, apud Metropolitanum vestrum, vel Legatum a latere Romani Pontificis destinatum, quod justum fuerit, experiatur. Si quis igitur Clericus sive Laicus temere, quod absit, adversùs ista venire tentaverit, secundò tertiòve commonitus, si non congruâ satisfactione emendaverit, honoris & officii sui periculum patiatur, aut* excommunicationis *ultione plectatur. Qui verò conservator exstiterit, gratiam omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli obtineat.*

*Datum apud Montem Pessulanum, IV. Kalendas Junii.*

In his nullam indici multam vides. Id in aliis quoque compluribus Chartis animadvertas. Quod tamen non ideo dictum velim, ut negem, pecuniariam pœnam Cameræ Pontificiæ, seu Lateranensi Palatio, persolvendam interdum, vel ante Annum a Christo nato Millesimum fuisse impositam. Emergere quippe in lucem possunt vetustiora alia monumenta, in quibus Apostolicæ Cameræ mentionem apertissimam reperias. Et reapse unum, qualecumque sit, ego producam, quod ex Archivo antiquissimi ac celeberrimi Monasterii Sublacensis descriptum misit ad me Nicolaus Aloysia, melioris eruditionis cultor.

## Bulla Gregorii Papæ V. per quam Petro Sublacensi Abbati omnia privilegia ac jura confirmat, Anno Christi 996.

GRegorius Episcopus servus servorum Dei, reverentissimo ac prudentissimo Petro Presbitero & Monacho atque peritissimo Abbati venerabilis Monasterii sancti Confessoris ac patris Benedicti, & sancte Virginis sororis ejus Scolastice, quod ponitur in Sublaco, tibi tuisque successoribus inibi deservientibus vel introëuntibus in perpetuum. Si semper sunt concedenda que piis desideriis congruunt, quanto potissimum ea, que pro divini cultus prerogativa esse noscuntur, non sunt omnino neganda, quia sunt a largitoribus non solùm poscenda, sed caritatis titulo procul dubio exigenda. Petisti nos igitur, quatenus concederemus sive confirmaremus tue religiositati supradictum tuum Monasterium Sancti Benedicti & Sancte Scolastice, quod ponitur in Sublacu, cum Cellis & Cenobiis, una cum Turre & cuncta supellectilia eorum, una cum Specu, ubi beatissimus Benedictus heremiticam vitam duxit, cum omnia infra se & circa se cum criptis, & omnia edificia humana, que ibidem nunc sunt: verum etiam & Lacum cum piscariis & aquimolis suis, inde exiente aqua Balaneto cum piscariis & aquemolis suis, deducente ipsa aqua in loco, qui vocatur Mandra. Item aquemolis & piscariis suis, & pervenit usque in loco, qui cognominatur de Ferrata, omnia in integrum coherentes. Nostra namque auctoritate in vestro Monasterio sint confirmata, ut nulla umquam hominum magna, parvaque persona audeat in ipsa aqua, que vocatur Timida, seu in aqua, que appellatur Augusta, vel in aqua, que dicitur Bullica, neque in Flumicello, neque in aqua de Roccanellum, neque in aqua, que cognominatur Cona, neque in ulla aqua de toto Sublaciano territorio, vel in quolibet de ipsis locis, sine consensu Abbatis ejusdem Monasterii per nullius argumentum idem aquimolum dedicare. Et qui hoc fecerit, aquemolum ipsum in supradictum Monasterium occurrat, & in nostro Palatio compositurus existat auri cocti Libras duas. Item confirmamus vobis detinendum Castellum in integrum, qui vocatur Sublacum, cum omnibus suis pertinentiis vel adjacentiis, cum omni placito & donatione sua, una cum glandatico, & herbatico suo, atque cuncta publica functione, sicuti in nostro Palatio annuatim persolvi solet. Seu confirmamus vobis Montem in integro ad Castellum faciendum, qui vocatur Augusta; & Montem qui vocatur Cervaria, cum omnibus earum pertinentiis in integrum. Porro & Castellum, quod vocatur Arsule, simulque & Castellum quod vocatur Anticulum: unumquodque Castellum cum Ecclesiis, Cellis, domibus infra se & de foris, vineis, terris, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, arboribus pomiferis, fructiferis vel infructiferis diversi generis, puteis, fontibus, rivis, atque fluminibus, cum aquimolis, cum castanieta & paludibus, cum montibus & collibus, plagis & appendicibus, cultum & incultum, vacuum & plenum, cum omnibus supradicto Monasterio seu Castellis generaliter & in integrum pertinentibus in territorio Tiburtino & Sublaciano, sicuti per termina designantur, atque demonstrantur. Incipiente a Porta Imperatoris, unde ipsum Flumen redundat, dein deveniente in Monte, qui vocatur Romani & recte in Campolongum, recto tramite pergente in Pereto, ubi est Ecclesia Sancti Petri: inde veniente in Staffile, que astat in Camposacro: inde iter agendo & pervenit in Arco Sancti Georgii, & sic pervenit in Monte de Flaontino, de ipso descendente monte, & pervenit in aqua, que & Ferrata vocatur: sequente ipsa aqua usquedum eveniat in Arco de Aqua Ferrata, & per ipsam aquam donec suum cursum explicit in fluvium Tiberis: transmeante ipso Fluvio, ascendente in monte, qui vocatur Crofeo, qui proprius de tuo est Monasterio; inde per cacumen montium, per concas vallium, per cavernas petrarum devenit in montibus, qui cognominantur Gemini; & sic descendentem in Fenestrelle, & inde perveniente in rivo, qui nominatur Trave, & per eumdem rivum descendentem in alio rivo de Cona ubi dicitur Crucis: ipsaque Cona ascendente in locum, qui vocatur Oraru: inde iteratim ascendente in monte, qui & Aquaviva dicitur, recte in ponte Terraneo, & per ipsum flumen descendente usque in Petra Imperatoris, & inde in Monte Romano. Civitas etiam, que vocatur Carsoli, cum Ecclesiis & domibus infra se in integrum & de foris in diversis vocabulis, villis, vineis, fundis, & casalibus, rivis cum aquemolis, cum omnibus suis pertinentiis & adjacentiis, sicuti vestra antiqua Privilegia continent, ita vobis in omnibus sint confirmata, posita infra Castro Reatino, & Ciculano, & Marsicano territorio. Denique & confirmamus vobis Castellum in integro, quod & Trillano nuncupatur, una cum Colle de Ferrui & Monasterellum & Sassa, sive que ab aliis vocabulis nuncupantur, cum villis, fundis & casalibus, vineis, & terris, campis, pratis & pascuis & cum omnibus suis pertinentiis, sicuti extenditur usque in Pisciscano.

Et Casale in integro, qui vocatur Ursano & Sambuci cum Ecclesia Sancti Thomæ in desertis posita, & montem in integrum, qui appellatur Gurdiano, cum fundis & casalibus suis, atque medietatem de loco, qui dicitur Ylice: & locum qui vocatur Castaniola, cum vineis & terris vel omni pertinentia; & in ipso confinio adest Monte, qui vocatur Buberano, in integrum cum ceteris vocabulis sive pertinentibus. Iterumque etiam confirmamus vobis Castellum, quod dicitur Ampolloni, in integrum cum Ecclesiis & domibus infra se per omnia & extra se cum vineis, terris, fundis, & casalibus, vel omnibus eidem pertinentibus Castello. Insuper locum, qui vocatur Pentoma, cum suis omnibus in integrum pertinentibus: verùm etiam & medietatem de Castello devulgato de Sancto Pamfimo, cum medietate de suis omnibus pertinentiis. Verumtamen & Castellum de Collemalo in integrum. Item & locum, qui & Romani vocatur in integrum: & medietatem de Villa, que appellatur Papi, una cum fundis & casalibus, vineis & terris, campis, pratis, pascuis, & silvis, salectis, fontibus, ac rivis, cum aquemolis, & cum omnibus pro singulis locis, & vocabulis generaliter, & in integrum pertinentibus. Omnibus jam dictis locis territorio Tiburtino site sunt. At vero & confirmamus vobis vestrisque successoribus Cellam Sancte Barbare, que est intro Civitate Tiburtina, in integrum cum domibus & Cellis intra se cum aquemolis suis intro eadem Civitate & deforis, cum fun-

*fundis & casalibus, vineis, & terris, campis, pratis, pascuis, & silvis, cum omni sua pertinentia vel adjacentia. Sive etiam & infra hujus alme Rome confirmamus vobis Cellam Sancti Erasmi, que ponitur in Celio Monte, cum domibus, cella vinaria, & fenile, cum hortis, & vineis circa se, cum arboribus olivarum, & diversa genera arborum pomiferorum, & cum ceteris vineis, & casalibus; scilicet pratum, quod ponitur foris Ponte Salario, & Casale, quod ponitur Aquario, & alio Casale, quod vocatur Quinto; & in Albanense territorio vinee, que site sunt a Cripta, que vocatur . . . . . . . a Silice Albanense, & in loco, qui appellatur Zinzinni, vel in diversis locis sive vocabulis, ubicumque inveniri vel reperiri possint per quamlibet seriem scripturarum ad ipsum pium ac venerabilem locum pertinentes, sub jurisdictione vestra semper persistant, a presenti Decima Indictione, & usque in perpetuum vobis vestrisque successoribus Abbatibus cum timore regendum ac regulariter disponendum. Convenit reverentie vestre nos implorasse, ut sepedictum Monasterium Sancti Benedicti & Sancte Scolastice Apostolice auctoritatis serie muniamus, & omnia & pertinentia perenni jure inviolabiliter permanenda confirmemus. Propterea flexi precibus tuis per hujus preceptionis paginam statuentes decernimus, ut cuncta loca urbana vel rusticana, idest Massas, Casales, vel Castella, diversa predia culta vel inculta, que ponuntur per loca & vocabula, que superius premissa vel nominata sunt, sicuti a Pontificibus, Regibus, vel a Deum timentibus in eodem venerabili loco concessa sunt, vel etiam per alias rationes juste inibi advenerunt, sicuti omnia prefatum tuum Monasterium detinuit temporibus sancte recordationis Gregorii & Zacharie & Nicolai Pape predecessorum nostrorum, ita & nunc cum magna securitate quietè valeat possidere, & tu etiam pro venerabili tuo Monasterio vel successores tui Abbates, possideant ac detineant, atque jurisdictione in perpetuum fruentes defendant, & in utilitatem ejusdem pii loci perhenniter proficiant. Pro quo etiam sub divini judicii obtestatione promulgantes decernimus, ut nulla umquam cujusque publice altitudinis virorum sive mulierum, vel etiam alia cujuscumque sit dignitatis magna parvaque persona, quomodolibet jurisdictionem exercere in jam dicto Monasterio vel in Castellis, massis, fundis, & casalibus, prediis cultis & incultis, vel in aquis, molendinis, & piscariis, vel in aliqua possessione, seu etiam in diversis rebus, ubicumque detinere videmini, nec quippiam horum ex eodem loco auferre, aut diripere presumat, neque ullam lesionem, aut contrarietatem malitie in ipso beati Benedicti Monasterio atque omnibus ut supra annexis eis pertinentibus, quoquo ingenio, aut argumento inferre audeat. Potius autem jure perpetuo in eodem venerabili Monasterio, ut superius affictum est, proficiat, & potestati atque ditioni tue, vel omnibus successoribus tuis Abbatibus perhennis permaneat disponendi atque possidendi facultas. Si quis autem (quod non optamus) temerario ausu contra hujus nostre Apostolice preceptionis seriem pie a nobis promulgatam venire, vel litigare temptaverit, sciat se Domini nostri & Apostolorum Principis Petri anathematis vinculo innodatum, & cum Diabolo & ejus atrocissimis penis, atque cum Juda traditore Domini nostri & Salvatoris Jhesu Christi in eterno igne concremandum, simulque & in voragine tartareoque chaos demersum cum impiis plectendum. Qui verò pio intuitu custodes & obedientes atque observatores hujus nostre salutifere preceptionis exstiterit, benedictionis gratiam & celestis retributionis eterna gaudia a justo Judice Domino nostro consequi, & vite eterne particeps effici mereatur.*

*Scriptum per manum Benedicti Scriniarii sancte Romane Ecclesie, in mense Septembri, Indictione X.*

*BENE VALETE.*

*Datum IV. Kalendas Julii per manus Johannis Episcopi sancte Albanensis Ecclesie & Bibliothecarii summe & Apostolice Sedis, Anno Deo propitio Pontificatus Domni Gregorii IV. summi Pontificis & universalis Papæ in sacratissima Sede beati Petri Apostoli, Anno Primo, Indictione X.*

Ughellius hanc ipsam Bullam præ oculis habens, *Johannem* intrusit in Catalogum Episcoporum Albanensium ad Annum DCCCXXVIII. Tomo I. Ital. Sacræ: Sed is fallitur. Non ad *Gregorium Quartum*, sed quidem ad *Quinctum* Literæ istæ (si tamen omni suspicione falsi eas carere putas) pertinent. Neque enim convenit *Indictioni X. Annus Primus* Gregorii IV. Papæ. Facile tamen error in apographum irrepsisse potuit, ita ut Librarius legerit *X.* pro *V.* quæ Literæ inter se facile commutari possunt, & ad eamdem formam fere accedunt. Sed quum è Mabillonii Annalibus, atque è Chronico Sublacensi constet, Anno DCCCCXCVII. floruisse *Petrum Sublacensem Abbatem*; & rursus quum à Ciampinio in Catalog. Bibliothecar. S. R. E. atque ab ipso Ughellio in Episcopis Albanensibus certiores facti fuerimus, eodem Anno floruisse *Johannem Episcopum Albanensem, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarium*: res monet, referendam esse hanc Bullam ad Gregorium V. qui iisdem temporibus Cathedram Petri conscendit; & pro *Gregorii IV.* scribendum *Gregorii V.* Hic autem renuntiatus est Pontifex mense Majo Anni DCCCCXCVI. Indictione IX. Ergo in hac Bulla alter error occurrerit, atque est scribendum aut *Anno Secundo*, aut *Indictione IX.* Interea animadverteris ea verba: *In nostro Palatio composturus existat auri cocti Libras duas.* Alteram adjicio Bullam: sed ne hujus quidem sinceritatem, ac legitimam originem præstare velim. Eam ego excerpsi è Collectaneis MStis Peregrini Prisciani in Estensi Bibliotheca adservatis.

Bul-

# Bulla Martini seu Marini II. Papæ confirmatoria omnium jurium ac bonorum Ecclesiæ Adriensis, circiter Annum 944.

*Martinus Episcopus servus servorum Dei. Convenit Apostolico moderamine poscentibus benivola compassione succurrere, & poscentium sacræ devotioni impartiri assensum: ex hoc enim lucri potissimum primum apud conditorem præponitur Deum, quoniam venerabilia loca ad meliorem fuerint statum sine dubio producta. Atque ideo, quia juste & rationabiliter nostro Apostolatui humiliter postulastis, quatenus Sanctam Dei Ecclesiam Adriensem beati Petri Apostoli Domini per præsentis nostri Privilegii auctoritatem concederemus & confirmaremus omnes possessiones & proprietates ejusdem Ecclesiæ Adriensis, idest, Insulam, quæ vocatur Adriana, una cum tota Silva sua & portubus, quod est Portus Laureti, & Portus Gauri, omnia in integrum persistente usque in mare, & a Portu Laureti usque in Canale Fez, & usque in Canale Falce una cum venationibus, piscationibus, aucupationibus suis in integrum. Simul Massam Quinto, & Silva Lapario, & Lathualo, & Canale Trionis, seu Canale de Aira & Canale de Palo, seu Conchigatula usque in piscaria Cythin, & Corrigio Susorum. Atque totam Insulam inter Athicem & Tartarum, cum Silva, & Manegium atque Massam Gavello in integrum. Et Villa Martiana in integrum, seu fundum Roda cum silva & valle sibi pertinente usque Valle Fraxinita & Lavigie & Valentina. Sicque Argele majorem & Grignano, sive contra Massa Pedrulio, seu fundum Pontecli usque in Vibo Carario, & fundum Lamando, & prædicta Massa Pedrulio persistente usque in Stillo de Baldo. Insuper confirmamus & corroboramus in prædicta Sancta Ecclesia Adriense Plebem Sanctæ Mariæ, quæ vocatur Corna Cervina persistente a Canale de Finale usque in Gauro; & Plebem Sanctæ Mariæ in Stornio, quam diruit Flumen Padus, & persistente a rupta Jovianea usque in Fossa Opilea, usque in Fossa Corrulo in integrum: atque Plebem Sancti Georgii in Tamara, una cum Massa Copario, & fundo Ambioso usque in Valle Fraxineta in integrum. Sicque Plebem Sancti Martini in Roviolam in integrum, & Plebem Sancti Donati in Pedrulio, habeat, teneat, possideat suprascripta Ecclesia Adriensis in integrum. Ideoque per præsentis nostri Privilegii auctoritatem confirmamus in prædicta Ecclesia Adriense Massa Cappaciana & Lendenaria, una cum Silva sua usque in Flumen Athicem, seu Sulicini, & Tribano, & Mardinagus, seu Anguillaria, & Capite Argille. Quapropter nostra Apostolica præceptione, sive* ex præceptione dilectissimi filii nostri Ugonis Serenissimi Regis, *præcipimus, ut nulla neque persona hominum cujuscumque conditionis vel gradus sit, sive dignitatis vel religiositatis, licentiam habeat in rebus & possessionibus prædictæ Ecclesiæ ingredi sine consensu Episcopi, vel qui præest ipsi Ecclesiæ, neque minuere, neque dominare sive per hospitalitationem, vel per commendationem, vel aliquam violentiam facere præsumat. Sed potius, ut præfati sumus, omnino in tempore salvas & illæsas persistant una cum omnibus tam Clericis, quam Laicis & deservientibus, seu residentibus ejusdem Ecclesiæ, & omnes earum res mobiles & immobiles, se seque moventes in integrum stare quiete & pacifice vivere omnium hominum remota controversia. Nam (quod non credimus) si quispiam hanc nostri Privilegii auctoritatem violator repertus fuerit, sciat se in iram beati Petri Apostolorum Principis, & filii nostri* Ugonis Regis, *& nostram, casurum. Et prædicta Ecclesia cum suis pertinentiis, ut superius legitur, sub beati Petri Apostolorum Principis, & nostra, nostrorumque Successorum protectione permaneat. Insuper nisi a malo resipuerit, sciat se compositurum auri optimi Mancusios mille*, medietatem nostro sacro Palatio, *medietatem prædictæ Ecclesiæ. Qui vero pio intuitu custos & observator in omnibus extiterit, benedictionis gratiam, vitamque æternam cum omnibus Sanctis sine fine habere mereatur in Secula Seculorum. Amen.*

*Scripta per manum Gregorii Scriniarii Romanæ Ecclesiæ.*

*Data Patriarchio Lateranensi III. Idus Junii. Bene valete.*

*Ego Benignus Episcopus Hostiensis manu mea subscripsi.*

*Ego Grisogonus Episcopus Portuensis manu mea subscripsi.*

*Anno ejus Sedis Secundo, & Domni Ugonis Quarto, Indictione XII.*

*Et ego Dominicus Christi misericordiâ Sanctæ Adriensis Ecclesiæ Notarius vidi hanc autentici Privilegii paginam, scriptam per manum Domni Gregorii Scriniarii Romanæ Ecclesiæ, nihil addens vel minuens, exemplavi Anno Dominicæ Incarnationis MCLI. quartodecimo die exeunte mense Aprilis, Indictione XIV. tempore Domini Eugenii Papæ & Conradi Regis.*

*Ego Romeus Domni Henrici Regis Notarius autenticum hujus exempli vidi & legi, sicuti hic continetur.*

Sunt heic multa, quæ aut imposturam olent, aut summam amanuensis incuriam arguunt. Nullus, Hugone Italiæ Rege imperante, *Martinus* Papa sedit. *Marinus* quidem *Secundus* in ejus tempora cadit: ac propterea, dum germana Charta hæc videatur, ad istum referenda est. Verùm pugna est inter Annos *Marini* Papæ & *Hugonis* Regis. Anno quoque DCCCCXLIV. decurrebat *Indictio II.* non *Indictio XII.* Animadverte etiam verba illa *ex præceptione dilectissimi filii nostri Hugonis Serenissimi Regis*, ut alia omittam. Ceterum si Bulla hæc sincera dicenda esset, haberemus *Mancusios mille componendos medietatem sacro Palatio* Lateranensi. Neque heic prætereundum censeo, auctorem esse Panvinium, præfuisse Archidiaconum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificiæ Cameræ usque ad tempora Gregorii VII. qui eo dudum munere functus, fortasse quod nimiam Archidiacono auctoritatem deferri deprehendisset, *Camerarium* instituit. cujus adhuc dignitas in Ecclesia Romana perdurat. In Dissertat. LXIX. *de Censibus Eccles. Roman.* indicabo, quot census Anno MCXCI. ad eamdem Cameram spectarent, teste Cencio Camerario. Et *Camerarii* quidem munus eidem Cencio non-

nondum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali collatum fuisse, illic ostendam. Cardinales quoque à permultis Sæculis ad idem ministerium fuisse assumtos, fidem faciet Charta, quam ex ejusdem Cencii Codice depromsi.

## Aldobrandini Comitis de Calmaniare Charta, per quam Camerario Pontificio oppignerat Castra Preceni & Ripeseni, Anno 1159.

*IN nomine Domini, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Centesimo Quinquagesimo Nono, Anno V. Pontificatus Domini Adriani IV. Papæ, Indictione VII. mense Januario, die II. Ego Aldebrandinus Comes de Calmaniare pro me & procuratorio nomine pro Bernardino fratre meo, coram* Willermo *Presbytero Cardinali titulo Sancti Petri ad Vincula, & Raimundo Diacono Cardinali Sanctæ Mariæ in Vialata, & Gregorio Corano Judice, obligo & in pignus pono tibi* Domino Bosoni *venerabili* Cardinali Diacono *Sanctorum Cosmæ & Damiani,* Domini Papæ Camerario, *procuratorio nomine pro ipso Domino Papa & pro Ecclesia Romana, idest Roccam Sancti Stephani, Castrum Preceni, & Castrum Ripeseni, cum omnibus eorum usibus, utilitatibus, & pertinentiis, sicut inter suas concluduntur fines, posita territorio Urbevetano. Quæ siquidem Roccam & Castra ab Ecclesia Romana tenemus in Feudum, ad quam jus & proprietas ipsorum pertinent, & qualiter nobis competunt, taliter obligamus, & in primis ponimus pro ducentis quadraginta octo Libris Lucensium & quinque Solidis, quos nobis pro ipso Domino Papa mutuasti. Insuper in unoquoque mense pro sexdecim Solidis Lucensium, quos pro custodia Arcis Dominus Papa expendere debet, prædictum pignus obligatum sicut pro ipsa sorte tenebitur. Et sic in unoquoque Anno, donec pecunia soluta fuerit, & pignus liberatum, accrescit summa sorti novem Librarum & duodecim Solidorum Lucensium. Quacumque vero hora prædictam pecuniam vobis vestrisque Catholicis successoribus solvemus, pignus hoc sit vacuum, & hæc Chartula ad nos revertatur. Nos autem & nostri heredes defendere promittimus ab omni homine, si necesse fuerit. Quod si contra hæc, quæ dicta sunt, quolibet modo venire tentaverimus tam nos, quam nostri heredes componamus Domino Papæ suisque Catholicis successoribus pro pœna suprascriptum pretium duplum. Et solutâ pœnâ hæc Chartula firma permaneat: quam scribendam rogavi Andream Scriniarium in mense, & Indictione suprascripta VII.*

*Signum manus suprascripti Aldebrandini Comitis de Calmaniare pro se & Bernardino fratre suo hujus Chartulæ rogatorum.*
*Docibilis testis.*
*Bobo de Petro testis.*
*Urso filius ejus testis.*
*Stephanus de Matha testis.*
*Petrus Buticularius testis.*
*Rogerius de Letulo testis.*
*Johannes Ricius testis.*
*Ego Andreas Scriniarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sacri Lateranensis Palatii complevi & absolvi.*

Hæc de Summis Pontificibus. Quibusdam etiam Episcopis & Abbatibus suam fuisse *Cameram*, antiqua monumenta ostendere videntur. Ii videlicet, qui Regalibus fruebantur, ac præcipue Comitatu alicujus Urbis donati fuere, jus etiam habuisse dicendi sunt exigendi vectigalia atque tributa, eaque suo Ærario, sive Cameræ, addendi. Exempli caussâ, ut est apud Ughellium & Bordonum, Conradus I. Augustus Anno MXXVII. Episcopo Parmensi *omne jus publicum & teloneum atque districtum ejusdem Urbis, ac deinde totum Parmensem Comitatum concessit*. Excogitare certe licet, tunc Parmenses Præsules *Cameram* constituisse, quo inferrentur, quæcumque antea colligebat Camera Regia, & Comes Laicus Urbis illius. Si mendo caret Charta Jacobi Fesulani Episcopi scripta Anno MXXXII. ac edita Tom. III. Italiæ Sacræ ab Ughellio, is ita donationem quamdam concludit: *Si quis autem hujus nostræ ordinationis temerarius violator extiterit, sciat se compositurum auri optimi Libras centum Imperatoriæ Cameræ, & nostræ &c.* Suam quoque Cameram Casinensibus Abbatibus fuisse ac esse, scribit Angelus de la Nuce in Notis ad Chronicon Casinense Leonis Marsicani. Sed heic tenebræ non paucæ occurrunt, & caute procedendum, ne dubia aut ficta nobis obtrudantur. Margarinus in Bullario Casinensi Tom. 2. Constit. 42. & Ughellius Tom. 4. Ital. Sacr. in Episcop. Bobiensib. Diploma proferunt datum Anno DCCCLXXXIII. per quod Carolus Crassus Imperator Agilulfo Abbati *Bobiensem Comitatum* largitur, inquiens: *Quicumque attentare præsumpserit, centum Librarum auri obrizi componat, medietatem Cameræ nostræ, aliamque medietatem Cameræ Abbatis*. Sed uti jam præfatus sum in Dissert. XI. *de Allodiis*, & fusius infra in Dissertat. LXXI. *de Episcoporum potentia* monebo. Diploma Lotharii I. Comitatum Bobiensem Abbati ejus Cœnobii concedentis nimiis vitiis laborat, ita nunc ajo laborare alterum Caroli Crassi, nunc mihi memoratum. Rationes afferre nihil attinet. Proinde facta ibi *Cameræ* mentio nihil momenti ad nostram quæstionem adfert. Præstabit igitur inquirere, an Duces, Marchiones, & Comites olim jure Cameræ fruerentur. Non satis notum est, quænam sub Langobardis & Francis Regibus hac in re consuetudo fuerit. Narrat quidem Paullus Warnefridi Lib. 3. Cap. 16. de Gest. Langobardor. Authari Regem electum fuisse, cujus diebus *ob restaurationem Regni, Duces, qui tunc erant, omnem substantiarum suarum medietatem Regalibus usibus tribuunt, ut esse possit, unde Rex ipse, sive qui ei adhærerent, ejusque obsequiis per diversa officia dediti, alerentur*. Sed istud contigit, quod antea per decem annos Langobardicum Regnum sine Rege fuerit, & *unusquisque Ducum suam Civitatem obtineret*, veluti Princeps. Quo sane tempore tributa Civitatis & districtus ad singulos Ducum deferebantur. Verùm quid juris post restitutam Regiam dignitatem servarint antiqui Duces in Italico Regno, perspicuum minime est. Attamen adfert Margarinus Tom. 2. Bullar. Casinens. num. 8. Diploma Desiderii Langobardorum Regis, in quo is Monasterio Brixiano Sanctæ Juliæ donat *Insulam, quæ Ciconiaria dicitur, pertinentem ad Car-*

*Curtem nostram*, & *ad Curtem Ducalem*. Erant autem & Mediolani & Veronæ, ut alibi animadverti, *Curtes*, seu *Cortes Ducis*. Sed hæc obscura. Illud sane futurum est nobis certum, *Principibus Beneventanis*, saltem post excisos Langobardorum Reges, suum Fiscum, suamque Cameram fuisse: quod ii tunc significabant nomine *Palatii Beneventani*. Vide Chartas ab Ughellio editas Tom. 8. Ital. Sacr. in catalogo Archiepiscop. Beneventan. & in Chronic. Sanctæ Sophiæ. Diviso autem eodem Principatu, *Salernitani Principes*, ac deinde *Capuani* idem & ipsi jus retinuere. Nam si excipias supremum dominium, & censum aliquem interdum persolutum, nihil aliud ad Imperatores ac Reges Italiæ in iis regionibus pertinuit. Principes vero illic, Regio tantùm nomine dempto, Regiam auctoritatem libere in omnibus exercebant. Peregrinus in Histor. Princip. Langobardor. Tom. II. Rer. Italicar. pag. 308. Præceptum edidit Pandulfi IV. Principis Capuæ, datum Anno MXXXIV. ubi inobedienti indicitur *se esse compositurum auri optimi Libras centum, medietate sacro nostro Palatio* &c. Eamdem formulam dicendi rursus intueamur in Præcepto Roberti Principis Capuani, quod e Tabulario Sancti Angeli Capuani, mihi suppeditatum fuit.

## Robertus Princeps Capuanus Monasterio Capuano Sancti Angeli, quod Casinensi subjectum est, quasdam Terras donat, Anno 1109.

*IN nomine Domini Salvatoris nostri Jesu Christi Dei æterni. Notum sit omnibus filiis sanctæ & catholicæ Ecclesiæ, quoniam cum quadam die nos Rubertus Capuanus Princeps apud Monasterium Sancti Angeli, quod dicitur in Formis, causa orationis ivissemus, Fratres, qui ibi Deo jugiter serviebant, a magnitudine nostra postulaverunt unam petiam de terra nostra, quæ esse videtur in pede Montis nostri arce Sanctæ Agathæ, & est prope Ecclesia Sancti Marci subdita Monasterio Sancti Angeli. Quorum petitionibus digne obtemperantes fieri procuravimus. Ex interventu igitur illorum, nec non ob salutem animarum Principum antecessorum nostrorum, R. scilicet Avi, & Jordani patris, necnon R. fratris nostri, & ob statum nostri Principatus, per hoc videlicet principale Scriptum in perpetuum in præfato Monasterio Sancti Angeli subdito Monasterio Sancti Benedicti Montis Casini, cui* Domnus Brunus Episcopus Abbas *præest, concedimus & confirmamus præfatam integram petiam de terra per hos fines, sicuti incipit a muro veteri, & qualiter vadit ....... partem revolvendo per ripas & foveas, quæ adjacent ei ex parte meridiei usque Cavam & viam veterem Charrarca, quæ ex transverso descendit ex ipso monte, & ab eodem loco, & qualiter vadit ascendendo de Settentrione directe usque in directa Criptula vetere, quæ est subter ipsa Turricella, ita ut sint passus XII. mensurati ab ipsa Criptula ad Orientem. Hæc autem prædicta petia de terra per prædictos fines una cum omnibus inferioribus ac superioribus, & cum viis in ea intrandi & exeundi, nos prænotatus Robertus Capuanus Princeps in præfato Monasterio Sancti Angeli per hoc principale Scriptum in perpetuum damus, tradimus, concedimus, ac confirmamus ad possessionem & potestatem & dominationem ipsius Monasterii, & Domni Mainardi venerabilis Præpositi, & aliorum Rectorum ipsius Monasterii, faciendo exinde utilitatem ipsius Monasterii, remota omni inquietudine, contrarietate & molestia omnium Principum successorum nostrorum, vel Viceprincipum, Comitum, vel Vicecomitum, Judicum, Sculdassiorum, Castaldeorum, aliorumque omnium mortalium personæ. Quod si quis diabolica suasione compulsus contra hoc Scriptum agere tentaverit, aut violator hujus doni extiterit, viginti Libras auri purissimi persolvat, medietatem ipsi venerabili Monasterio, & prædicto Domno Mainardo reverentissimo Præposito, & successoribus ejus, & parti præfati Monasterii, &* medietatem nostro Palatio; *solutáque pœná Librarum hæc nostra datio, traditio, concessio & confirmatio, firma, munita, atque inconcussa maneat in perpetuum. Et ut firmius credatur, & diligentius ab omnibus observetur, manu propria subscripsimus & corroboravimus illum & nostri Sigilli impressione jussimus insigniri.*

*Signum Domini Roberti* ROBERTVS *gloriosi Principis Capuæ.*

*Ex jussione præfatæ Potestatis scripsi ego Quiriacus Judex in Anno Dominicæ Incarnationis MCIX. & III. Anno Principatus ipsius Domni Roberti gloriosissimi Principis Capuæ.*

*Datum apud præfatum Monasterium, mense Decembrio per Indictionem III.*

Quod est ad *Marchiones*, sive *Duces Tusciæ*, jam nos monuerat Florentinius Lib. 3. Vitæ Mathildis Comitissæ, peculiarem *Cameram* Marchionibus quoque ac Ducibus illius Provinciæ fuisse. Quam in rem attulit Chartam, informem tamen, *Adelberti Marchionis*, qui hisce verbis utitur: *Si quis hæc non observaverit, sciat se excommunicatum, & insuper componere auri obtimi Bisantios mille, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem &c.* Idem ego aliis exemplis confirmatum volo. Primum ex ditissimo Tabulario Archiepiscopii Lucensis depromsi

Pla-

# Placitum ab Uberto Marchione & Comite Palatii habitum Pisis, ubi Conrado Lucensi Episcopo caussa quædam adjudicatur, Anno 941.

D*Um in Dei nomine, Civitate Pisa ad Curte Domnorum Regum, ubi* Domnus Hugo & Lotharius *gloriosissimi Regibus præessent, subtus vites., quod Topia vocatur, infra eadem Curte in judicio resideret* Ubertus *illuster* Marchio & Comes Palatii, *singulorum omnium justitias faciendas ac deliberandas residentibus* Leo Vulterrensis, Adelbertus Lucensis *sanctarum Dei* Ecclesiarum *venerabilibus* Episcopis, *Walpertus, Duranti, Johannes, Ursus, Teupaldus, Andreas, Ropaldus Judices Domnorum Regum, Gumpertus, Andreas Notarii Sacri Palatii, Cunrado, Benedicto, Ingelbertus, Beraldo qui & Bonizo, Gausbertus qui & Pepino, & Ubaldus filio ejus, Rangnipertus, & Lemursus, alio Cunrado, & reliquis plures. Eorum veniens presentia* Cunradus Episcopus *Sancte* Lucensis Ecclesie, *una cum Teupertus filio quondam Rodulfi Avocato suo, & ipsius Episcopio Sancte Lucensis Ecclesie, & retulerunt*: „ Jam plures vices nos reclamavimus ad Comes ipsius „ Comitatu Lucensi, & a Domnu Ugonem & „ Lotharium filio ejus gloriosissimi Regibus, „ adque ad vos Ubertus Marchio & Comes „ Palatii, ut nobis justitia fecissetis de Immilga filia quondam Cunradi, & Rofredus „ filio ejus, qui parti nostro Episcopio malo „ ordine & contra lege contradicunt Cortem „ unam domui coltile juris Episcopio nostro, „ qui est in loco & fundo cum omnibus casis „ & rebus ad eam pertinentibus, adque & „ omnibus casis & rebus illis juris Ecclesie „ Plebis Sanctarum Dei Genitricis Marie, & „ Sancti Stefani, seu Sanctorum Ipoliti, & „ Johanni, qui sunt Plebes ipsas, una in loco „ Decimo, alia in loco qui dicitur Villa, tertia inter Arno & Arme, cum omnibus aliis „ locis & rebus, que pertinent de Oraculum „ Sancte Marie, que dicitur a Monte, qui „ est de sub. . . . . . . . & potestate predicte „ Ecclesie Sancti Ipoliti, adque de locis & „ rebus illis, ubi sub Silvule dicitur, seu re „ bus in loco Sexto, qui Cortem ipsam & „ easdem Plebes seu Oracolum cum omni eorum integritate & pertinentia pertinent de „ sub regimine & potestate ipsius Episcopio „ nostro Sancte Lucensis Ecclesie; unde earum Epistolas & Missos ac Sigillos directas „ fuerunt, ut ad Palatium venissent nobis justitiam faciendam. Sed eos ad Palatium „ umquam abere non potuimus: hunde querimus, ut vos Ubertus Marchio & Comes „ Palatii nos ad parte ipsius Episcopio nostro „ de ipsa Curte, & de jam dictis aliis locis & „ rebus, que pertinent de easdem Plebes & „ Oraculum, seu de suprascriptis casis & rebus in locas & fundas sub Silvule & Sesto „ investiatis: sicut actenus nostro Episcopio, „ & ipsas Plebes & Oraculum Sancte Marie „ . . . . . . . investitas fuerunt. *Cum ipsi Cunradus Episcopus & Teupertus ejus & ipsius Episcopio Avocatus taliter retulissent, tunc recordati sunt omnibus supradictis auditoribus, quod ita eorum reclamare vidissent. Fecit ipse Ubertus Marchio & Comes Palatii eosdem Cunradum Episcopum & Teupertus Advocatus de ipsa Curte, & de jam dictis omnibus locis & rebus, unde se reclamant a parte ipsius Sancte Lucensis Ecclesie, & predictas Plebes & Oraculum investivit, sicut actenus investito & investitas fuerunt. Insuper misit ipse Ubertus Marchio & Comes Palatii bannum de omnes super ipsa Curte & super ipsis locis & res in Mancosos auri duo mille, ut nullus quislibet magna parvaque persona jam dicto Episcopio nec jam dictas Plebes, neque Oraculum de ipsa Curte cum omni sua integritate, & de jam dictis aliis omnibus locis & rebus de easdem Plebes & Oraculum pertinente adque de prelibatis locis, & rebus in locas & fundas sub Silvule & Sesto desvestiad. Qui hoc fecerit predictos* duo mille Mancosos auri se agnoscat esse compositurus, medietate parti Camere nostre, *& medietatem ipsius Episcopio, & ipsarum Plebes & Oraculum. Et anc notitia pro securitate Episcopio Sancte Lucensis Ecclesie, & Plebes Sancte Marie & Sancti Stefani, seu Sanctorum Ippoliti & Johanni fieri amunuerunt.*

*Quidem & ego Adalbertus Notarius ex jussione suprascripti Uberti Marchio & Comes Palatii seu Judicum amunicionem scripsi Anno Regni idem Domni Hugoni & Lotharii fili ejus gratia Dei Reges Deo propitio, Domni Hugoni Decimo, Lotharii verò Decimo, XIV. die mensis Marcii, Indictione XIV.*

*Signum manus suprascripto Uberti Marchio & Comes Palatii, qui ut supra interfuit.*

*Adelardus umilis Episcopus interfui.*

*Ego Adelbertus Episcopus interfui.*

*Teutpaldus Judex Domnorum Regum interfui.*

*Petrus Judex Domnorum Regum interfui.*

*Walpertus Judex Domnorum Regum interfui.*

*Johannes Judex Domnorum Regum interfui.*

*Urso Judex Domnorum Regum interfui.*

*Willerado Judex Domnorum Regum interfui.*

Epocha Hugonis Regis, nescio num ex ipsius membranæ authenticæ defectu, an ex mea describentis festinatione, heic manca appareat. Porro scribendum *Domni Hugoni Quintodecimo, Lotharii verò Decimo*. Anno quippe DCCCCXXVI. Hugo renuntiatus est Italiæ Rex; Lotharius autem illius filius Regni consors Anno DCCCCXXX. post diem XIV. Martii constitutus fuit. Hanc eamdem Chartam memorat Ughellius Tom. I. Ital. Sacr. in Catalog. Volaterranorum Præsulum, eâque fretus *Alebradum*, seu *Adelasdum Episcopum Volaterranum* statuit ad Annum DCCCCXLI. Et profectò in eo membranæ loco scripturam confusam aspexi. Attamen *Leo Vulterrensis* illic deprehendisse mihi sum visus. Alterius Marchionis & Ducis Tusciæ Chartam nunc accipe, quam in Archivo suo adservant Canonici Regulares Lateranenses Sancti Bartholomæi Pistorii.

## Bonifacii Marchionis & Ducis Tusciæ Diploma, quo omnia jura & Privilegia Monasterio Pistoriensi Sancti Bartholomæi confirmat, circiter Annum 1048.

„ IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Bonifacius Dux & Marchio divina favente clementia. Si Sanctorum Dei loca nostrâ justâ potentiâ sublevamus, & eorum Rectores oppressos sustentamus, culmen dignitatis, & salutem anime nostre indubitanter subsistere credimus. Quocirca omnium Sancte Dei Ecclesie nostrorumque fidelium presentium scilicet ac futurorum noverit solercia, qualiter nos recepisse *Monasterium Sancti Bartholomei, quod est subjectum Sancti Johannis Evangeliste Parmensis Monasterii*, & est situm foris, & prope Civitate Pistoria, cum omnibus suis pertinentiis tam in ipso Comitatu Pistoriensi, quàm in Comitatu Florentino, interventu ac petitione *Kadoli Parmensis Episcopi*, nostram obnixe efflagitasse clementiam, quatenus res omnes, quæ supradicto Cenobio Monasterio Sancti Bartholomei jure proprietario, vel alicujus titulo inscriptionis pertinere videntur, confirmare dignaremur cum omnibus suis pertinentiis tam in ipso Comitatu Pistoriensi, quàm & in aliis Comitatibus; scilicet Capellam Sancti Mauri, qui est posita in loco Campilio cum duobus suis massaricies. Illud etiam, quod abere videtur in Casise, massaricies tres, seu in Galoniano mansum unum, in Casavecla mansum unum, in Petrolatica mansum unum, in Campilio mansum unum, ad Sophinito mansum unum; & molendinum unum in Pistoria justa Porta Sancti Petri prope ponte Gratuli; seu cum omnibus terris ad ipsum Cœnobium pertinentibus, vel ubicumque locorum ipsius Monasterii predia inventa fuerint, cum omnibus pertinentiis & adjacentiis suis, seu cum omnibus superioribus vel inferioribus, pratis, vineis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscacionibus, servis, & ancillis, aldiis & aldianabus, casis, capillis, Castellis, cultis & incultis: seu cum omnibus, que dici vel nominari possunt, ad eandem Abbatiam quoquo modo pertinentibus confirmamus, atque prout juste & legaliter possumus, omni modo corroboramus, eo videlicet ordine, ut nullus Dux, Episcopus, Comes, Gastaldio, Sculdassius, vel aliquis publicæ rei exactor de pretaxatis rebus supradictum Cœnobium vel Abbatem vel Monachi, qui pro tempore fuerint, inquietare vel disvestire presumat; sed potius hoc nostre confirmationis Precepto de omnibus jam dictis rebus investitura, quam habuit, teneat, firmiterque possideat, nostra omniumque violentorum remota controversia. Si quis igitur, quod minime credimus, hujus nostre confirmationis Precepti quodlibet tempore temerarius violator extiterit, siad se compositurum auri optimi Libras centum, *medietatem Kamere nostre*, & medietatem prefato Monasterio, cui violentia illata fuerit. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria roborantes, nostro sigillo jussimus inferius insigniri.

„ Signum Domni Bonifacii Ducis & Marchionis.

*Locus Sigilli* ✠ *cerei deperditi*.

Postrema Chartæ hujus verba literis majusculis signata erant, more Diplomatum Regiorum. Sed ibi nullum Monogramma, ac nullæ notæ chronicæ occurrebant. Inobservatum verò ne dimittas velim, quod heic de subjectione Pistoriensis hujus Cœnobii dicitur: nempe *Monasterium Sancti Bartholomæi, quod est subjectum Sancti Johannis Evangelistæ Parmensis Monasterii*. Temporibus iis majora ac uberiora Privilegia effundebantur in Cœnobia, in quibus alebatur major Monachorum turma. Quum sidere tam propitio frui non liceret Monasteriis tenuioribus, aliam illa viam inibant, ut communia sibi fierent ejusmodi Privilegia, nempe sese subdendo majoribus Monasteriis. Sublato e vivis *Benifacio Marchione* ac Duce, Tusciam rexit *Beatrix* illius uxor, quæ nupta *Godefrido Lotharingiæ Duci*, consortem dignitatis atque auctoritatis virum fecit. Testemdo amborum Chartam sive Diploma, quod ex Archivo insigni Capituli Canonicorum Arretii ego olim describebam.

## Godefridi Ducis & Marchionis Tusciæ & Beatricis ejus Uxoris Literæ protectionis concessæ Canonicis Arretinæ Ecclesiæ, eorumque rebus, Anno 1058.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Gottisfredus, divina favente clementia Dux & Marchio, & Beatrix ejus conjunx. Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ, ac nostris fidelibus majoribus & minoribus, quod nos interventu* Domni *ac venerabilis* Arnoldi Aretini Episcopi, *sub nostro mundiburdio & defensione recepimus Castellum & Curtem de Prato Majo, nec non terram & silvam de Pulignano, quam* Gualfredus Comes, *&* Raginerius *frater ejus pro remedio animæ suæ contulerunt Canonicis Sancti Donati; & quicquid præfati Canonici habent, aut habere juste debent in Castello & Curte Polliciano, & in Castello & Curte de Bulgari, Castellum & Curtem de Mojona, Turrim de Classe cum tota sua pertinentia, mansos & terram de Quarata, & Ecclesiam Sancti Jeronimi cum mansis & terris in Anglare, & Ecclesiam Sancti Donati in Tobiano, quas Raginerius filius Raginerii de Majano, & filii Rigi de Majano per Cartulam judicati pro remedio animæ suæ dederunt prædictis Canonicis Sancti Donati: Curtem etiam & Castellum Sancti Justini in Melisciano: Curtem Sancti Andreæ: & Curtem de Caminina: terram & Ecclesiam Sancti Martini in Ripule; mansos & terram de Plan-*

*Plantapane: Hæc & omnia quæcumque præfatis Canonicis Sancti Donati jure pertinere videntur tam in Comitatu Castellano & Aritino, quàm etiam in omnibus aliis locis, sub nostra defensione, remota cujuscumque magnæ parvæque personæ læsione, tuta & defensa esse præcipimus, salva tamen reverentia Aritinæ Ecclesiæ Episcopi. Volumus etiam, firmiterque præcipimus, sequentes vestigia Præcessorum nostrorum, ut nullus deinceps teloneum, aut fodrum de terra prædictorum Canonicorum exigere præsumat. Si quis vero deinceps in eadem Canonica beati Donati Aritini Episcopi & Martyris, de rebus propriis conferre aliquid voluerit pro remedio animæ suæ, tam in Comitatu Castellano, Aritino, quàm etiam in aliis aliquibus locis, nostra fultus auctoritate habeat licentiam dandi & pro remedio animæ suæ largiendi, sine alicujus magnæ, excepto Domni nostri Regis, parvæque interdictu personæ. Si quis igitur hoc nostrum mundiburdium rumpere temptaverit, componat centum Libras argenti optimi* medietatem Cameræ nostræ, *& medietatem jam dictæ Canonicæ Clericis. Quod ut verius credatur, & ab omnibus observetur, Sigilli nostri impressione sigillari jussimus.*

*Actum Florentiæ Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo Quingagesimo Octavo, Indictione XI. Quinto Idus Junii. Feliciter.*

*Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.*

Signa omnia archetypi Diplomatis in ea pergamena occurrebant, nisi quod nulla *Godefridi* aut *Beatricis* subscriptio sive Monogramma illic legebatur. *Cameræ* quoque propriæ non semel mentionem fecit *Mathildis Comitissa* ac Ducissa Tusciæ in Chartis a Florentinio Margarino, & Bacchinio evulgatis. Ego unam adjiciam, depromtam ex Archivo celeberrimi Monasterii Casinensis, sive e Collectione Diplomatum ibi adservata, atque olim scripta manu Petri Diaconi fol. 196. Privileg. 450. Meminit ejusdem Chartæ Leo Ostiensis Lib. 3. Cap. 61. Chronici Casinensis.

## Breve securitatis ac immunitatis à Mathilda Comitissa concessum per terram suam Monasterio Casinensi, circiter Annum 1080.

„ MAtilda Dei gratia Comitissa. Sacratis „ & Deo dicatis locis justum & pium „ est nos auxilium præbere........ nos de„ fensionem exhibere, qui remissionem pecca„ torum imploramus Sanctorum intercessione. „ Nuper præsentia nostra in Civitate Pisæ po„ sita delatum ad nostræ potestatis est audien„ tiam, aliquos Procuratores Mercati Ripæ „ ejusdem Civitatis abstulisse hominibus San„ cti Benedicti S. M. Casini positi, teloneum „ pro aliquot pannis ad utilitatem Fratrum „ emptis. Quod ad nostram notitiam delatum „ graviter accepimus; etenim dari illico feci„ mus; & ne de cetero quisquam contra memo„ ratam Congregationem aliquid tale præsu„ mat, amore sancti Patris nostri Benedicti, „ cujus memoriam dulciter amplectimur, cu„ jus nomen cum suavitate audimus, & ob re„ verentiam Fratrum in prædicto Monasterio „ servientium, concedendo concedimus, & „ per præsentis paginæ scriptum confirmando „ confirmamus, ut in Civitate Pisa & Luca „ & in omni nostræ potestatis terra liceat ho„ minibus prædicti Monasterii libere emere „ quæcumque utilitati Congregationis ejusdem „ prædictæ expedire videbuntur pro tempore, „ ita vero, ut nec teloneum, nec curaturæ „ nomine alicui quicquam exhibeant. Quicum„ que autem contra Præcepti nostri paginam „ quicquam eis auferre se telonei nomine præ„ sumpserit, vel molestias inferre temptaverit, „ & suæ malæ voluntatis pœnam incurrat, & „ insuper *Curiæ nostræ* centum Libras compo„ nat. Ut autem hoc verius credatur, & fir„ mius credatur, præsentem paginam sigilli „ nostri impressione signando firmamus.

*Reliqua desiderantur.*

Vides heic pro *Cameræ nostræ* scriptum *Curiæ* nostræ. Eadem sane vocis significatio. Ne tamen dubites, alteram ejusdem Comitissæ Chartam subjicio, quam e Codice MSto Privilegiorum Congregationis Monachorum Vallis Umbrosæ descripsi.

## Mathildis Comitissæ & Ducissæ Præceptum immunitatis & protectionis concessum Monasteriis Congregationis Vallis-umbrosanæ, Anno 1100.

„ IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinita„ tis, Anno ab Incarnatione Domini Mil„ lesimo Centesimo. Ego Matilda Dei gratia „ si quid sum, una cum *Widone Comite*, & „ ejus filio Widone Guerra vocato, compa„ tiens laboriosis sanctarum Ecclesiarum nego„ tiis, aliquas a jugo secularium potestatum „ propter inibi conversantium sanctorum viro„ rum venerabiles Congregationes liberare „ summopere studui: dignum quippe est circa „ universas Dei Ecclesias summæ venerationis „ studium ab omnibus exhiberi, sed tanto sin„ gularius eas necessarium est venerari, in qui„ bus Religiosas virorum personas cognoscimus „ conversari, quanto credimus eorum oratio„ num patrocinia posse nobis singularius suffra„ gari. Unde nostræ potestatis Provincias ad „ Dei honorem quantum possumus & ejus Ec„ clesiarum circumeundo comperimus venera„ biles Congregationes Monasterii Vallisumbro„ sæ a quorumdam nostrorum fidelium præsun„ tione nimium acriter conculcari ac despici, „ eorumque habitatorum sanctissima loca ni„ miis iniquorum assiduitatibus conveniri: quo„ rum vitam quia nostro tempore pre ceteris „ excellentius fulgere cognovimus, eorumque „ laudabilem sanctitatis famam ubique redole„ re non surda aure persensimus: aliquod eis, ut

,, ut decuit, nostre benevolentiæ signum, nostreque devotionis memoriale perpetuum ad anime nostre provectum impendere dignum & necessarium duximus. Quapropter predicti sepius memorabiles viri in Tuscie partibus nostre dignitatis clementiam pro superius relato negocio precibus adeuntes postularunt a nobis super hac re institutionis scriptum fieri nostra auctoritate suffultum, multorumque testimonio comprobatum. Quare eorum dignis petitionibus una cum consensu & voto predictorum Comitum annuentes, dum in Florentino Palatio presidentes cum nostris Militibus & aliis Fidelibus de diversis & hujusmodi negotiis tractaremus, quod juste postulabant, incunctanter fieri jussimus. Rogamus itaque, atque precipiendo mandamus, ut nullus deinceps Dux, aut Marchio, Comes, Vicecomes, Gastaldio, aut cujuscumque dignitatis major, vel minor persona, predicta Monasteria vel eorum loca, quæ modo de Congregatione sunt, aut in futuro esse poterunt, tam eorum possessiones, quàm in eorum possessionibus commorantes presumant solita injuria molestare. Si quis autem, quod absit, presentis institutionis nostre paginam temerare aut infringere temptaverit, centum Libras argenti, *medietatem Cameræ nostræ*, aliam medietatem predictis Monasteriis, penam se compositurum noverit: Scriptum tamen, quod fieri jussimus, in suo semper robore permaneat. Quod ut verius credatur & futuris temporibus inconcussum & inviolabile a posteris habeatur, nostri Sigilli impressione & proprie manus subscriptione firmavimus, & prescriptos Comites subscribere fecimus.

,, Actum est hoc apud Florentiam per manum Frogerii Cappellani presidente Domna Matilda in Palacio suo feliciter.

MA TIL DA DEI GRA SI QID EST

,, Ego Paganus Dei gratiâ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis subscripsi.

,, Ego Petrus Pistoriensis Episcopus subscripsi.

,, Ego Guido Comes libens subscripsi.

,, Ego Guido suprascripti Guidonis filius subscripsi.

,, Ego Ardericus Judex interfui & subscripsi.

,, Ego Ubaldus Advocatus interfui & subscripsi.

,, Ego autem Frogerius indigne dictus Sacerdos, quondam Regini Presulis egregii Cappellanus, hujus verò institutionis dictator & scriptor humillimus, tanto fiducialius omnium Sanctorum Congregationibus, quas superius commendare indigne studui, & eorum sanctissimis orationibus committere concupisco, quanto laboriosius ad Dei & illorum venerationem hoc scriptum noctu etiam perficere me nullatenns piguit.

Post Mathildam Comitissam Tusciæ præfuit, si Cosmo de Arena fides, *Ratbodus Marchio*, tum *Conradus Marchio*, quem Scipio Admiratus senior, atque idem Cosmus postea Romanorum Regem creatum, nescio quibus tabulis freti, affirmant. Duo illius Diplomata proferre juvat, e quibus primum extitit in Archivo Monasterii Florentini Sancti Pancratii Congregationis Vallumbrosanæ.

## Præceptum protectionis & immunitatis concessum Monasteriis Vallumbrosanæ Congregationis à Conrado Duce & Marchione Tusciæ, Anno 1120.

,, IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo Centesimo Vigesimo pridie . . . . . Aprilis Indictione XIII. *Conradus* Dei gratia, si quid est. Omnium quidem Ecclesiarum curam justa potestatis vires divinitus nobis collatas sollicita meditatione gestare debemus, sed illarum maxime negocia sustentare nos expedit, in quibus Sanctorum virorum Congregationes regularem præ ceteris vitam conservare conspicimus. Decet namque ut quos sua gratia divina Majestas irradiat, dignis beneficiis & honoribus terrena potestas extollat. Itaque dum in Tusciæ partibus pro justitia facienda multa olim negocia præ manibus haberemus, atque ad effectum quæque pro qualitate factorum ducere cum nostris fidelibus tractaremus, eoque de diversis Provinciis copiosam & innumerabilem exercitus manum undique colligeremus, Ecclesias venerabilium Congregationum Vallisumbrosæ, & eorum loca a nostris, nobis ignorantibus, molestari persensimus. Quod non surda aure audientes, tanto ardentius atque velocius hujusmodi impietatis facinus, non solùm præsentibus verum etiam futuris temporibus, decrevimus funditus extirpare, quanto religiosius atque singularius eorum conversationem nostris temporibus novimus præ ceteris dimicare. Igitur dum juxta Passiorianum Castrum, ubi una ex eorum maxime Congregationibus religiosa conversatione præfulget, noster exercitus sua castra locaret, contigit, ut eorum res, eorumque homines pro Albergariæ offenderet occasione, & contra nostram voluntatem aliquantulum infestaret. Unde præfatam occasionem ab eis eorumque locis omnino subtrahere cupientes, concessimus eis hujus institutionis nostræ rescriptum, futuris temporibus, ut credimus, sub Dei gratia profuturum, nostræ præsentiæ auctoritate suffultum, multorumque testimonio comprobatum. Cui interfuere Fridericus Marchionis Nepos, Artiminus, Lambertus, Comes Arnaldus & frater illius, item Adelelmus Imperatoris Cappellanus, guido filius Alberti, Ugo filius Ugonis, Henricus filius Theodorici, Ubertus Ildeprandini filius, Ugolinus filius Uberti, Ildeprandus filius Henrici, Rolandus filius Ildeprandini, Arnulphus de Maitura, Gerardus filius Azolini de Pognio, & reliqui plures. Quibus etiam viva voce præcepimus, ne eos eorumque homines ulte-

,, rius

„ rius in aliquo audeant molestare, immo mo-
„ lestantes nostri vice studeant pro viribus coër-
„ cere. Rogamus etiam atque rogando præci-
„ pimus, ut nullus deinceps Dux, Marchio,
„ Comes, Vicecomes, Castaldio, nulla ma-
„ jor minorve persona tam Clericorum quam
„ Laicorum, eos eorumque loca, quæ modo
„ habent, vel in antea acquirere Deo auxilian-
„ te poterunt, tamque eorum possessiones,
„ quamque in eorum possessionibus commoran-
„ tes audeant molestare vel albergare, aut ali-
„ quod fodrum, vel seculare Placitum sine eo-
„ rum præscientia & voluntate bona, volentes
„ aliquid auferre, vel compellere. Item præ-
„ cipimus, ut nullus infra Monasterii possessio-
„ nes vel juxta eorum loca ad damnum Mona-
„ sterii, sine eorum consensu Castellum audeat
„ ædificare, aut aliquam munitionem construe-
„ re. Si quis autem, quod absit, hujus no-
„ stræ institutionis paginam infringere, aut in
„ aliquo temerare præsumpserit, centum Li-
„ brarum argenti pœnam componat, *medieta-*
„ *tem Cameræ nostræ*, medietatem prædicto
„ Monasterio. Quod ut verius credatur, &
„ futuris temporibus inconcussum & inviolabi-
„ le ab omnibus habeatur, non solùm nostræ
„ manus subscriptione, verum etiam nostri Si-
„ gilli expressione insigniri omnino decrevimus.

„ Signum Domni

„ Conradi Marchionis.

„ ✠ Ego Henricus Advocatus subscripsi.

„ Ego Ubertus Cancellarius & Cappellanus ejusdem Marchionis scripsi & tradidi,

Alterum ejusdem Conradi Marchionis Diploma autographum visitur in Tabulario nuper memorati Monasterii Pistoriensis S. Bartholomæi, quod incolunt Canonici Regulares Lateranenses. Priora verba *In nomine* &c. exarata sunt literis uncialibus, ut in Diplomatis Regiis. Majusculis quoque characteribus scriptum est *Signum Manus* &c.

## Decretum immunitatis & protectionis concessum Monachis Sancti Bartholomæi Pistoriensis a Conrado Duce & Marchione Tusciæ Anno 1121.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Chunradus Marchio *divina favente clementia. Si Sanctorum Dei loca nostrâ justâ potentiâ sublevamus, & eorum Rectores oppressos malitiâ substentamus, culmen dignitatis, & salutem animæ nostræ indubitanter subsistere credimus. Quocirca omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque fidelium præsentium scilicet ac futurorum noverit solertia, qualiter nos recepisse sub defensione nostra Monasterium Sancti Bartholomæi, quod est sub regimine & potestate Parmensis Monasterii Sancti Johannis, & situm est foris & prope Civitatem Pistoria, cum omnibus suis pertinentiis tam in ipso Comitatu Pistoriensi, quàm in Comitatu Florentino, atque Lucensi, interventu ac petitione* Domni *& venerabilis* Antonii Abbatis *prædicti Monasterii Sancti Johannis Parmensis nostra obnixe efflagitante clementia, quatenus res omnes, quæ supradicto Cœnobio Sancti Bartholomæi jure proprietario vel alicujus titulo inscriptionis pertinere videntur, confirmare dignaremur cum omnibus suis pertinentiis, scilicet Capellam Sancti Mauri, quæ est posita in loco Campillo cum duobus massariciis. Illud . . . . . . habere videtur in Casese massariciis tres, seu in Galoniano mansum unum. In Petorlatico mansum unum. In Campillo mansum unum. Ad Sophinito mansum unum. Item Molendinum unum in Pistorio juxta Portam Sancti Petri prope Ponte Grattuli, cum ejus aquæductus usque ad fluvium Umbronis, seu etiam educto illius aque, quæ olim decurrere solebat concessione Comitis Ugolini ad Molendinum in Masciano. Insuper quoque confirmare decrevimus suprascripto Monasterio totum illud, quod ei pertinet in Curia de Celle & de Piscia, relicta omni mala consuetudine, quas Comes Ugolinus quondam pro remedio animæ suæ condonavit: seu cum omnibus terris ad ipsum Dei Cenobium pertinentibus ubicumque locorum ipsius Monasterii prædia inventa fuerint. Cum omnibus suis pertinentiis &c.* (uti in formula Diplomatis supra descripti, a Bonifacio Marchione eidem Monasterio concessi). *Si quis igitur, quod minime credimus, hujus nostræ confirmationis Præceptum quolibet tempore temerarius violator extiterit, sciat se compositurum optimi auri Libras centum*, medietatem Cameræ nostræ, *& medietatem præfato Monasterio, cui violentia illata fuerit. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria roborantes nostro Sigillo jussimus insigniri.*

*SIGNUM MANUS DOMNI CUNRADI MARCHIONIS.*

*Locus Si ✠ gilli cerei deperditi.*

*Datum est in Curia Plebis de Quarrata territurio Pistoriense, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Vigesimo Primo, Indictione XIV.*

Denique tenebris sublatum volo Diploma authenticum *Rampretti*, sive *Ramperti Marchionis*, quod Lucæ in Archivo Monachorum Montis Oliveti Sanctorum Bartholomæi & Pontiani adservatur.

## Donatio ſive confirmatio facta Monachis Sancti Pontiani Lucenſis a Rampretto Marchione Tuſciæ, Anno 1131.

*In nomine Sancte & individue Trinitatis. Amen.* Ramprettus *divino munere* Tuſcie Preſes & Marchio. *Omnibus quidem notum fieri volumus, quoniam concedimus atque damus Eccleſiæ & Monaſterio Sancti Pontiani fundato prope muros Lucanæ Civitatis, unam videlicet petiam de terra culta & inculta, in qua caſalinum & fontana habetur, & eſt in loco Monte Flexeſi, ubi dicitur Albaretum, & vocatur Mons Calvuli, ſicut in circuitu deſignata eſt, que eſt per menſuram cum juſta pertica menſurata modiora quadraginta &c. Quicumque contra &c. inferre preſumſerit, ſciat ſe compoſiturum argenti optimi Libras centum,* medietatem Cameræ noſtræ, *alteram verò medietatem Abbati & Monachis predicti Monaſterii. Et ut hæc Preſidalis auctoritatis noſtreque conceſſionis pagina de cetero inlibata permaneat, roburque firmiſſimum ſemper obtineat, venerabili Crucis ſigno propria manu ſubſcripto firmamus, & noſtri ſigilli impreſſione juſſimus inſigniri.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

*Hæc acta ſunt infra Comitatu Vulterrenſe in loco Pratello prope Eccleſiam Sancti Frigiani, preſentibus Guidone &c. Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Centeſimo Trigeſimo Primo, VI. Kalendas Decembris, Indictione X.*

*Ugo Notarius Domni Imperatoris, cujus preſentiâ hec omnia ſunt acta, ex juſſione prefati Domni Ramperti Marchionis hec memoriæ cauſa ſcripſi.*

Quæ ad reliquos Tuſciæ Marchiones ac Duces ſpectant, prætereo, quum ſatis conſtet, ſingulos jus *Cameræ* ſibi nullo contradicente tribuiſſe. *Cameram* quoque ſuam memorat *Guarnerius Dux Spoletanus & Marchio* Anconitanus in Literis Anno MCVI. ſcriptis, quas habes in Chronico Farfenſi pag. 664. Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum. Sed quod hac in re tenebris obductum mihi videtur, quoties ejuſmodi Tuſciæ Præſides, ceterique Duces ac Marchiones, non ſecus ac Miſſi Regii, Placita celebrabant, & lites dirimebant, conſuevere multam imponere, perſolvendam non ſuæ, ſed Regiæ ſive Imperiali Cameræ. Teſtes dabo. In Tabulario Archiepiſcopii Lucenſis Charta authentica habetur, quam primo loco exhibere placuit.

## Placitum a Godefrido Duce ac Marchione Tuſciæ habitum Lucæ, in quo Anſelmus ejus Urbis Epiſcopus Eccleſiam Sancti Alexandri ſibi vendicat, Anno 1058.

„ Dum in Dei nomine, intus caſa, que eſt Sala de Palatio de Civitate Lucenſe, in judicio reſideret *Domnus Gottefredus Dux & Marchio* ad cauſas audiendas ac deliberandas, reſidentibus cum eo Flaipertus Judex & Miſſus Domni Imperatoris, Rolandus, Teudigrimus &c. Judicibus, Leo &c. Notarii Domni Imperatoris, Kadulo &c. Ugo Vicecomes Piſenſi &c. & reliquis. Ibique eorum veniens preſentia *Anſelmus Epiſcopus Lucenſi* una cum Criſtofano Avocato ſuo, oſtenſit in eodem judicio Privilegium unum, quem abebat a parte Apoſtolice Sedis beati Petri Romane Eccleſie de Eccleſia illa, cui vocabulum eſt beati Sancti Alexandri, que eſt poſita infra ſupradicta Civitate Lucenſe, cum ſua pertinentia. Et cepit dicere ipſe Anſelmus Epiſcopus una cum predicto Chriſtofano Avocato ſuo: *Abeo & detineo a pars jandicte Romane Apoſtolice Eccleſie per iſtum Privilegjum predicta Eccleſia Sancti Alexandri cum omni ſua pertinentia. Et ſi quis exinde aliquit averſus me dicere vult, paratus ſum hic veſtris preſentiis cum eo exinde a ratione ſtandum & legitimo finiendum.* Et cum nemo ſe ibidem preſentaſſent, qui . . . . . . . . eſſent, tunc ipſe Domnus Gottefredus Dux & Marchio cum taliter vidit & audivit, miſit bannum Domni Imperatoris ſuper eodem Anſelmo Epiſcopus, & ſuper jam dicto Criſtofano Avocato ſuo . . . . . . Alexandri cum ſua pertinentia in mancuſos aureos duo millia, ut nullus quislibet homo, magna parvaque perſona eodem Anſelmus Epiſcopus de ſupradicta Eccleſia Sancti Alexandri, neque de ſua pertinentia; ſine legali judicio diveſtire preſumat. Quis verò fecerit, predicta duo millia mancuſos aureos compoſituros ſe agnoſcat, medietatem pars *Camare Domni Imperatoris*, & medietatem predicto Anſelmo. Et ideo hanc notitia pro ſecuritatem & futura oſtenſione ſupradicti Anſelmi Epiſcopi & oſtendendam fieri juſſimus.

„ Quidem ego Raineri Notarius Domni Imperatoris ex juſſione ſupraſcripti Domni Gotfredi Dux & Marchio, & Judicum amonitione ſcripſi Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni Milleſimo Quinquageſimo Octavo, XVI. Kalendas Januarii, Indictione XII.

„ ✠ GOTEFREDVS DVX SS.

„ Flaipertus Judex & Avocato & Miſſus Domni Imperatoris, & Vicedomino Donni Anſelmi Epiſcopi ſubſcripſi.

„ Johannes Judex Sacri Palatii interfui.

„ Theadegrimus Judex Sacri Palatii interfui.

„ Sigefredus Judex Domni Imperatoris interfui, &c.

Succedat altera Charta ad eumdem *Gothofredum Ducem* pertinens, quam autographam vidi apud Monachos Benedictinos Monaſterii Arretini Sanctarum Floræ & Lucillæ.

Pla-

## Placitum coram Godefrido Duce & Marchione Tusciæ habitum, in quo Henricus Abbas Monasterii Sanctarum Floræ & Lucillæ caussam obtinet contra Guilielmum filium quondam Gualcherii occupatorem terræ Martinensis & Barbaritanæ, Anno 1059.

„ DUm in Dei nomine in Comitatu Aretino infra Plebem Sancti Stefani in loco Piscinale juxta fluvium Classe non longe a domo Fuschi filii quondam Teuzonis, ubi in Placito residebat *Gotifredus Dux & Marchio*, & *Arnaldus Episcopus & Comes*, ad causas & justitias proclamantium audiendas & legaliter diffiniendas: ressidentibus ibi cum eodem Duce, Lutticherius, & Alberto, & Ildibrando, & Tantarello, & Johanne, & Ghoculo, & alius Johanne Judicibus Imperatoris; assistentibus ibidem *Tegrimo*, & *Bernardo*, & *Rainerio Comitibus* cum ceteris pluribus Proceribus Tuscie: adsistens in presentia eorum *Domnus Henricus Abbas Monasterii Sancte Flore* cum Uberto filio quondam Bucchi Advocatore suo, proclamaverunt predictis potestatibus de Guilihelmo filio quondam Gualcheri, qui olim violenter invadens abstulit suprascripto Monasterio & sibi terram Martinensem & Barbaritanam, quam *Ugo & Lotharius Reges* preceptaverunt prefato Monasterio, & predicta terra est in Comitatu Aretino in Villa de Montione, & in Galognano, & in Martinese prope Ecclesiam & Plebem Sancti Martini in Castro ex duabus ripis Castri fluvii. Cum autem predictus Abbas Henricus simul cum Advocato suo crebris lamentis aures istarum potestatum per tres dies pulsaret, & ipse predictus Dux preconis vocibus cotidie ad Placitum istum Guilihelmum adversarium jam dicti Monasterii ad justitiam faciendam vocaret, sed ille contumaciter presentiam sui facere nolendo venire recusavit. Qua de causa ipse Dux motus cum consilio & laudamento istorum Judicum, investivit istum Abbatem & Monasterium ejus de omni ista terra & re, unde lamentabatur. Insuper misit bannum per virgam, quam manutenebat super suprascriptum Monasterium & Abbatem atque Advocatorem ejus de jam dicta terra & re, ut nulla magna parvaque persona amplius eos audeat exinde in perpetuum devestire aut tollere vel contendere seu minuare, intromittere vel intentionare contra partem suprascripti Monasterii. Qui verò contra hoc facere presumpserit, componat duo millia Mancusos optimi auri, *medietatem Camere Regis*, & medietatem prefati Monasterii & Abbati ejus Henrico ejusque successoribus.

„ Actum est hoc in suprascriptorum presentia sicut supra legitur, presentibus Rainerio & Ugone filiis quondam Ugonis Marchionis & Ugone filio Ubaldi, & Saxone & Teuzo filiis Ildibrandi, & Joculo & Rainerio filiis quondam Rainerii, cum ceteris pluribus, quorum nomina scribere pre multitudine nequimus, Anno Dominice Incarnationis Millesimo Quinquagesimo Nono, Henrico Rege, mense Junio, Indictione XII.

„ ✠ Signum manus Domni Gotifredi Duci, qui hanc notitiam fieri jussit.

„ ✠ Ego Arnaldus Episcopus & Comes subscripsi.

„ ✠ Ego Rotecherius Judex Sacri Palatii interfui.

„ ✠ Albertus Imperialis Judex interfuit.

„ X° Ego Raginerius Judex Sacri Palatii interfui.

„ ✠ Johannes Judex Domni Imperatoris interfuit.

„ ✠ Guillelmo Judex Sacri Palatii interfuit.

„ ✠ Rodulfus Judex Domni Imperatoris interfuit.

„ ✠ Ildebrandus Judex Domni Imperatoris interfuit.

„ ✠ Johannes Judex Domni Imperatoris huic rei interfuit.

„ Lambertus Notarius Imperialis Palatii scripsit & complevit.

Neque aliter egit, aut loquuta est *Mathildis Comitissa*, Ducissa Tusciæ, in Placitis suis. Exemplum unum dabo ego, addendum reliquis a Florentinio editis. Illud ego descripsi e membrana archetypi notas præferente, atque adservata in Archivo Capituli Canonicorum Volaterranæ Ecclesiæ.

## Placitum, in quo Comitissa Matildis decretum protectionis concedit pro nonnullis rebus Canonicorum Volaterranæ Ecclesiæ, Anno 1105.

„ DUm in Dei nomine, in Comitatuum & territurio . . . . . . *Matilda Comitissa ac Ducatrix* ad causas audiendas ac deliberandas . . . . . . Judicibus Rodulfo Notarius, Sisemundo, & Winitio Causidicus . . . . . . Anselmo filius quondam Acti, . . . . . . & reliquorum plurium. Ibique eorum veniens presentia Domnus Ferolfus Archipresbiter Canonica Sancte Marie, que est posita infra Civitatem Voloterrensem, cepit dicere adversùm jam dicta Domina . . . . . . . *temneo a proprietatem pars jam dicta Ecclesia & Canonica Sancte Marie cum casis & cassinis seo casalinis & rebus cultis & incultis, donicatis & massariciis, qui sunt . . . . . . . ad jam dicta Ecclesia . . . . . . Sancte Marie. Et si aliquis homo est, qui exinde agere aut causare vult, parato sum is vestris presentiis cum standum & legitime finiendum.* „ Et quod ibi nemo se appresentasset, quod „ de

„ de jam dictas res & ospitio causare voluis-„ set, tunc jam dicto Ferolfo petivit . . . . . . „ Domina Matilda . . . . . . anime Regis, ut „ mitteret bandum super ipso Ferulfo . . . . . . „ dictas res, que est pertinen. . . . . . Ecclesie „ & Canonica Sancte Marie, tunc jam dicta „ Domna Matilda per fustem, quem in sua „ detinebat manum . . . . . . Domni Regis in „ bisanteos aureos duo millia, ut nullus quis-„ libet homo, magna vel parva persona . . . . „ . . res, que superius legitur, predicto Fe-„ rolfo Archipresbitero . . . . . . . in jam dicta „ Ecclesia . . . . . . aut in antea fierit pars jam „ dicte Ecclesie & Canonice . . . . . disvestire „ presumat . . . . . quis vero fecerit, predicto „ duo millia bisanteos aureos compositurо se „ cognoscat, . . . . . . . *pars Camara Domini* „ *Regis, & jam dicte Domine Matilde*, & „ medietate jam dicti Ferolfi Archipresbiteri „ & ejus successoribus, pars jam dicte Eccle-„ sie & Canonice jam dicte Sancte Marie . „ Unde anc notitiam & fucturam ostemsionem „ jam dicto Ferolfi Archipresbitero . . . . . . . „ dicta Canonica . . . . . . fieri jussimus.

„ Quidem & ego Cunradus . . . . . . . jam „ dicte . . . . . & Judicum amonitionem scripsi „ Anno Dominico ab Incarnatione Domini no-„ stri Jesu Christi Dei eterni Millesimo Cente-„ simo Quinto, X. Kalendas Novembris, In-„ dictione XIV.

„ ✠ Gerardus Judex sacri Palatii . . . . . .

„ ✠ Ubertus Judex Domini Imperatoris „ interfui.

„ ✠ Seniorectus Judex . . . . . . .

Habemus ergo eodem tempore, atque in iisdem locis *Cameram Marchionis* seu Ducis, & *Cameram Regis* sive Imperatoris. Nimirum tributa, vectigalia, multæ, aliique reditus ac proventus e Provinciis pullulantes, ad Regem seu Imperatorem spectabant, utpote Regalia. Verùm Reges ipsi atque Augusti partem ejusmodi redituum Marchioni sive Duci, hoc est Provinciæ Præsidi, & Comiti, idest Præsidi Urbis, dimittebant, quibus & isti familiam suam alerent, ac dignitatem tuerentur. Sed cur in Diplomatis supra evulgatis pœnæ pecuniariæ impositæ persolvendæ forent *Cameræ Marchionis*, in Placitis vero *Cameræ Regis*: id quidem obscurum mihi fateor. Et præsertim quum hic ritus minime stabilis fuerit. In Antiquitat. Estensib. Cap. 19. Placitum attuli Anno MXLIV. habitum Rapalli *ab Alberto* atque *Alberto Azone Marchionibus*, ex quibus Serenissima Atestina Familia descendit. Ibi Marchiones *bannum miserunt. Qui verò fecerit* (idest contra fecerit) *centum Libras argenti se compositurus agnoscat, medietatem eorum Marchiones, & medietatem eidem Abbati*. Accedit & alter nodus. Occurrunt enim interdum Marchiones aut Duces, qui bona ad Fiscum Regalem devoluta, tamen quasi sua aliis largiuntur. In Chronico Farfensi Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 353. quum Halerona Sanctimonialis nupsisset cuidam Rabennoni perduelli, *secundùm legem omnes substantiæ ipsius ad Publicum devolutæ sunt*. Rursus quum idem Rabenno hominem interfecisset, *medietas omnis illius substantiæ ad Publicum devoluta est*. Subinde vero Hildeprandus Dux Spoleti Anno DCCLXXXVII. *omnem prædictam illorum substantiam, qualiter secundùm legem juste & rationabiliter ad Publicum devoluta est*, Monasterio Farfensi donavit, *pro mercede Domnorum nostrorum Regum & nostra*. En libere de rebus *ad Publicum* devolutis Hildeprandus disponit. Quid ergo *Publicum* sive *pars publica* fuerit, videamus. Oborta mihi suspicio est, sub hoc nomine designatam olim fuisse Cameram peculiarem Marchionum, qui videlicet & ipsi *Ministri Reipublicæ* erant. Quum tamen in Dissertat. subsequenti *de Republica* sim ostensurus, eâ voce significari consuevisse *Regem*, *Regnum*, *Imperium*, sive *Cameram Regis* atque *Imperatoris*, subsistere cogor. Attamen nonnulla se mihi exhibent, quæ indicare videntur, Ministros *Reipublicæ* (& quidem præcipui inter eos fuere Duces atque Marchiones) sub ejusmodi vocabulo comprehensos fuisse. Accipe Legem 2. inter Langobardicas Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum: *Quicumque à proprio Comite, vel à Publica parte, idest ab eis, qui Rempublicam agunt, ammonitus fuerit &c.* In Formulis quoque à me editis *Advocatus de parte Publica* sæpe occurrit. Præterea attulit Campius in Appendice Tom. I. Histor. Eccles. Placentinæ ad Annum DCCCLII. Diploma Ludovici II. Augusti, quod quamvis, ut supra monui, nonnullis vitiis laboret, attamen aliquam argumento huic lucem præbere potest. Liceat uti monumento, si non falso prorsus, saltem dubio. Inquit igitur Ludovicus, Angilbergam Augustam conjugem suam *quasdam cum parte Publica de rebus suis commutationes fecisse, quas sibi petiit nostra auctoritate stabiliri*. Proinde is confirmat *non solum illa, quæ ex Publico commutasse comprobatur, verùm etiam &c.* Hisce accedat Diploma Berengarii Augusti, quod ex Archivo Sanctimonialium Ticinensium de Posterula descripsi. Illud quidem archetypum videbatur: nonnulla tamen aderant cum in textu, tum in Epocha, quæ severius examen à nobis exigerent. Nam post Pagium & Valesium, mihi quoque certum est, Berengarium Anno tantùm DCCCCXVI. Imperii coronâ fuisse donatum: cum qua Epocha Notæ chronicæ Diplomatis hujus nescio quei possint componi.

## Confirmatio donationis Insulæ, quæ Orto appellatur, facta à Berengario Imperatore Monasterio Ticinensi Sanctæ Mariæ Theodotæ, Anno 920.

„ IN nomine Domini Dei æterni. Beren-„ garius divina favente clementia Impera-„ tor Augustus. Quoniam quidem Imperato-„ res & Reges sanctarum Dei Ecclesiarum „ sublimitates custodire & ampliari condecuit, „ idcirco precibus & supplicationibus *Agimonis* venerabillimi *Præsulis*, necnon & Wal-„ perti nobilissimi viri & carissimi Fidelis no-„ stri, libenter inflexi concessimus, & perpe-„ tuo jure donavimus aliquantulum terræ in „ loco, qui dicitur Anglare, pertinentem de „ Curte nostra Marinco, sicut confinia infe-„ rius scripta declarant: nec non & quandam „ Insulam de eadem Curte Marinco pertinen-„ tem, quæ dicitur Orto, sicut hic coheren-„ tiæ decernunt, Monasterio beatissimæ sanctæ „ sem-

„ ſemperque Virginis Mariæ , quæ nuncupa-
„ tur Deodotæ , ſub omni integritate , ſicut
„ *ad noſtram Imperialem & Publicam partem* ea-
„ dem terra & Inſula pertinuerunt . Terræ
„ ſiquidem prænominate in loco , qui dici-
„ tur Anglare , coheret ab uno capite poſſeſ-
„ ſio & terra Sancti Martini , ab alio capite
„ decurrit alveus Burmiæ, a tertia parte con-
„ ſiſtit foſſatum de Rovereto , a quarta parte
„ adjacent Prata de Avi . Prænominatæ quo-
„ que Inſulæ , quæ dicitur Orto , coheret ab
„ una parte fluvius, quæ nuncupatur Burmia,
„ & ex alia parte rivus, qui dicitur Frigidus ,
„ a tertia parte conſiſtit pratum Regis . Hæc
„ omnia , ſicut ſuperius per confinia atque
„ coherentias declarata & deſcripta dinoſcun-
„ tur , prætitulato Monaſterio Theodotæ, ubi
„ venerabilis & religioſa *Reſinda* eſſe dinoſci-
„ tur Abbatiſſa , ejuſque ſequacibus , ad ha-
„ bendum & commutandum , & regulariter
„ alienandum , & Eccleſiaſtica cenſura docet
„ faciendum , concedimus & largimur , ac de
„ noſtro jure & dominio in earum jus & do-
„ minium omnino transfundimus atque dona-
„ mus , ut habeant , teneant , poſſideant ,
„ quemadmodum alias res prætaxati Monaſte-
„ rii , in quo ordinatæ fuerint , omni noſtra,
„ noſtrorumque ſucceſſorum , & *Publicæ Par-*
„ *tis* contradictione remota . Si quis igitur
„ hoc noſtræ auctoritatis & conceſſionis Præ-
„ ceptum infringere , vel violare aliquando
„ temptaverit , ſciat ſe compoſiturum auri
„ optimi Libras centum , *medietatem Cameræ*
„ *noſtræ* , & medietatem prædictæ Reſindæ
„ Abbatiſſæ , ejuſque ſequacibus . Quod ut
„ verius credatur , & diligentius obſervetur ,
„ manu propria roborantes , de anulo noſtro
„ ſubter juſſimus inſigniri .

„ Signum Domni BS Berengarii ſereniſſimi Imperatoris Auguſti .

*Locus Sigilli ✠ cerei deperditi .*

„ Johannes Epiſcopus & Cancellarius ad vicem Ardingi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi
„ & ſubſcripſi .

„ Data VII. Idus Septembris , Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXX. Domni verò Beren-
„ garii Regis XXXIII. Imperii autem ſui VI. Indictione IX. in Chriſti nomine .

„ Actum Papiæ feliciter . Amen .

Habemus heic Inſulam , quæ *ad noſtram Imperialem & Publicam partem pertinebat*. Præterea habemus formulam dicendi in aliis quoque Diplomatis uſurpatam , *omni noſtra , noſtrorumque Succeſſorum, & Publicæ partis contradictione remota* . In Diplomate Hugonis & Lotharii, quod in ſubſequenti Diſſertatione dabo, legitur: *Et quidquid exinde Fiſcus noſter, vel Pars Publica ſperare potuerit* &c. Ergo *Publica Pars* aliquid diverſum ab Imperiali ſive Regali Fiſco videri poſſit . Sed hæc dubitantis ſpecie dixiſſe nunc mihi licuerit, quum ejuſmodi quæſtionem Lectori ſim rurſus exhibiturus in ſubſequenti Diſſertatione XVIII. Simul tamen repeto , vix me aſſequi poſſe , quei Hildebrandus Spoleti Dux res *ad Publicum devolutas* , ut nuper vidimus , donarit Eccleſiis , ubi decernamus , eo nomine *Regium Fiſcum* ſignificatum fuiſſe, niſi opinemur , prius illum Ducem à Rege veniam donandi impetraſſe . Utrum verò idem Fiſcus, an Camera Ducis , ſeu Miniſtrorum Reipublicæ , ſub *partis Publicæ* appellatione veniat , in aliis Ducum Placitis , velim perpendatur . Ego duo tantùm exempla proferam . Primum adſervatur archetypum in Archivo Lucenſis Archiepiſcopii .

## Placitum Florentiæ habitum à Beatrice Duciſſa Tuſciæ , ejuſque filia Mathilda, in quo Anſelmus Lucenſis Epiſcopus jura ſua in Caſtello Montis Catini confirmanda curat, Anno 1075.

D*Um in Dei nomine in Civitate Florentia in via prope Eccleſia Sancti Salvatoris juxta Palatio de Domui Sancti Battiſta in judicio reſediſſet* Domina Beatrix *glorioſiſſima* Commitiſſa , *atque* Matilda *dilecta* filia ejus , *ad juſtitia faciendam hac deliberandam , adeſſent cum ea Wido & Tegrimo & Moritto Judicibus , Ubertus Legisdoctor , & Pagano de Arſina , & Rollando filio ſuo , & Tado filio bone memorie Villani , & Willielmo filio bone memorie Wilielmi , & Henrigo &c. & alii plures , ibique in eorum predictorum preſentiis* Anſelmus Epiſcopus Eccleſie Epiſcopatus Sancti Martini ſita infra Civitate Luca , *una cum Ildibrando filio bone memorie* Widi *Avocato ſuo , cepit dicere adverſus predictas Comitiſſa , quod ipſe abebat & tenebat ad parte predicte Eccleſie & Epiſcopato S. Martini medietatem ex integra de tertiam portionem de Monte & Pejo , ſeo Caſtello illo , quod dicitur Montecatini, una cum medietatem de tertiam portionem de Curte & Eccleſia de eodem loco , cum omnibus ſuorum pertinentiis & jacentiis , ſicut Ildebrandus de Maone filius bone memorie* Widi *per cartulam dedit predicte Eccleſie & Epiſcopatu Sancti Martini , pro anime ſue & remedio ſuorumque parentum . Et ſi eſſet aliquis homo , qui de ſupraſcriptis rebus contra eum , vel contra predictam Eccleſiam agere aut cauſare voluiſſet , paratus erat cum eo exinde ad ratione ſtandum , & legitime finiendum . Et cum nemo ſe ibidem adpreſentaſſet , qui de ſupraſcriptas res agere aut cauſare voluiſſet , cepit dicere ipſo Epiſcopo una cum predicto Avocato ſuo adverſus predictas Comitiſſa , propter*

*Deum, & anime Domni Regis mercede misisset bannum super se & supra jam dictas res, ut nullus eum vel predictam Ecclesia & Episcopatus de predictis rebus sine legale judicio devestire audead; & ipse Comitisse per fuste, quam suorum detinebat manibus, miserunt bannum super predictum Episcopum & Avocato suo & super predictas res in Mancusos aureos duomillia; ut nullus quislibet homo, magna parvaque persona de predictas res audeant ipso Episcopatum & Ecclesia devestire sine legale judicio. Quos vero fecerit, predicti duomillia Mancusos aureos componat*, medietatem pars Plubice, *& alia medietatem parti Episcopio & Ecclesia, & jam dicti Episcopi vel à suos successores. In eo modo finita est causa; unde anc notitiam pro securitatem de suprascripto Episcopio, & futura ostensione fieri amonuerunt.*

*Quidem & ego Rodulfus Notarius per jussionem supraseripte Commitisse, & Judicum ammonitionem scripsi Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Septuagesimo Quinto post Mille, Nonas Madii, Indictione XIII.*





*Wido Judex Sacri Palatii interfui.*
*Theodegrimus Judex Sacri Palatii interfui.*
*Senjorectus Judex Sacri Palatii interfui.*

Altera Charta, eaque autographa inspecta est mihi in Tabulario Capituli Canonicorum Volaterranensium.

## Placitum in Comitatu Volaterrano coram Mathilda Comitissa & Ducissa Tusciæ habitum, in quo Canonici Volaterrani causam obtinent pro quibusdam terris, Anno 1107.

*Dum in Dei nomine infra Comitato Voloterrense, intus casa Petri filio quondam Alberti in judicio resedissed* Domna Matilda Ducatrix, *ad Placitum tenendum ac deliberandum, residentibus cum ea Johannes Judex, & Alberto Causiticus &c. & reliquos plures. Ibi eorum veniens presentia Guido Arghipresbiter de Domo & Canonica & Episcopatu Sancte Marie Voloterrense, cum Rainerio Prepositum, & Berardino, & Guido Canonaci Sancte Marie, & Gerardo Advocatus eorum adquesito à Domna Matilda tunc prædictis personis petierunt mercedem à Domna Matilda, ut investirent eos de quartam portionem de una petia de terra & orto cum casa super se abentes, & cum omnia pertinentiis sua, que est posita in loco ubi dicitur à Solagio, qui vocatur Ripa, que recta est . . . . . . . . Et Domna Matilda investivit eos ad salvam querelam cum consensu Drudi filio quondam Ildibrandi, qui eam detinebat. Et insuper misit bannum, si ullam personam magna parvaque presumserit disvestire vel inquietare predictis personis vel eorum successoribus sine legali judicio esse composituros auri obtimi Mancusos duocentum, medietatem predictis personis, vel eorum successoribus, &* medietatem pars Publice. *Unde anc notitiam pro securitatem & futuram ostensionem ostendenda fieri jussimus.*

*Quidem & ego Petrus Notarius Domnis Imperatoris ex jussione Domna Matilda, seo Judicum amonitionem scripsi. Oc factum est Anni Domini Millesimo Centesimo Septimo, X. Kalendas Februarii Indictione XV.*




*Ego Johannes Judex Sacri Palatii interfui.*
*Ego Albertus Causidicus interfui.*

In aliis Ducum & Marchionum Placitis supra à me editis vidimus multas *Cameræ Regis* aut *Imperatoris* addictas. An verò heic, dimisso *Cameræ* nomine, mentio facta *partis Publicæ* diversum aliquid, aut idem significet, aliorum esto judicium. Heic tantummodo memoria repetendum est, quod in Dissertat. VIII. *de Comitibus* innui: nempe tertiam partem multarum, sive Fredarum, quæ ad Fiscum perveniebant, persolutam fuisse Comitibus, ita ut non tam Regis, quàm publicorum Ministrorum, Fiscus fuisse videatur: Quod exploratum habeo, *Venetorum Ducibus* olim quoque fuit *Fisci* jus. Immo, quod in laudem præstantissimæ Reipublicæ vergit, fuit antiquis etiam Sæculis *Fiscus Ducalis & Regalis* Venetiis. Adservatur manu exaratum in Bibliotheca Estensi Chronicon Venetum Marini Sanuti, ex quo hausi Chartam hujus rei testem.

Or-

## Ordelaphus Faletrus Dux Venetiarum Privilegia confirmat Monasterio Sancti Johannis Belgradensis, Anno 1116.

A*Nno Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi Millesimo Centesimo Sexto Decimo, Indictione IX. Ego* Ordelaphus Faletrus, *gratiâ Dei* Dux Veneticorum, Dalmaticorum, & Croaticorum, *privilegium Sancti Johannis Belgradensis Monasterii a* Cresimiro Rege *factum collaudo, & in sua stabilitate confirmo, & ut nullus Episcopus aut Comes vel Civis, prædicti Monasterii libertatem violare audeat, quam non solùm a nobis confirmandam esse dicimus, sed a* beato Gregorio Romanæ Urbis Papa *sancitam in suis dictis esse cognoscimus. Volo igitur Ducali & Regali auctoritate firmare, ut si quislibet hujus libertatis concessionem temerar o ausu infringere tentaverit, libram auri* Regali Fisco *persolvat. Similiter Ecclesiam Sanctorum Cosmæ & Damiani laudo & confirmo, ideo ut agnosco veraciter fuisse propria Monasterii Sancti Johannis Evangelistæ Belgradensis ex ordinatione* Episcopi illius Civitatis Præstantius nomine, *& aliorum Episcoporum, & Cives illius Civitatis in Romanæ Sedis Apocrisariorum confirmationem & Clero & Populo collaudo & firmo, eam habendam in perpetuo. Quicumque autem Episcoporum, aut aliorum hominum hoc Decretum infringere tentaverit, & alia illius Ecclesiæ privilegia violaverit, omnia, quæ possidet*, Fisco Ducali & Regali *deveniant. Hæc decreta scilicet libertatis Monasterio beati Johannis Evangelistæ tibi* Fusco Abbati, *omnibusque successoribus tuis firmiter & jure perpetuo tuenda.*

Ideo *Fiscum Ducalem*, & *Regalem*, veluti duo diversa, heic memoratos puto, quod Veneti Dalmatiam & Croatiam suo addidissent imperio, ac Regio titulo Provincias eas tenerent. Ceterum in Antiquitatib. Estensib. Par. I. Cap. 29. pag. 283. alteram Chartam evulgavi, hoc est Præceptum Henrici V. Regis, & Imperatoris IV. datum eodem Anno MCXVI. dum is Venetiis esset, *in Regno Veneciarum, in Palatio Ducis*. Vide etiam Tribuni Ducis Venetiarum Diploma Anno Christi DCCCCLXXXII. scriptum Tom. 5. Ital. Sacr. in Venet. Patriarchis, ubi pœna statuitur persolvenda *Cameræ nostri Palatii*. Interim meminero, Fisco præfectos fuisse non paucos ad colligenda Tributa, quos olim appellabant *Actionarios*, *Exactores tributorum*, *Exactores Reipublicæ*, aut *Exactores rerum publicarum*, *Actores Fisci Regii*, *Actores Patrimonii Regii*, sive *Curtis Regiæ*. Cameræ autem supra ceteros præfuisse videntur *Gastaldii*, de quibus actum est in Dissert. X. *de Minor. Justit. Ministris*. Neque deerant *Advocati Curtis Regis*, sive Fisci, quorum fuit, quoties emergebant lites, jura Fiscalia tueri. Non incongrua huic loco erit Charta, cujus apographum ante annos quingentos confectum reperi in Archivo Canonicorum Regularium Sancti Bartholomæi Pistorii.

## Judicatum Guilleradi Episcopi Pistoriensis ac aliorum Missorum Pippini Regis Langobardorum, de Ecclesia Sancti Petri controversa inter Procuratorem Regis & Monachos Sancti Bartholomæi Pistoriensis., Anno 806.

I*N nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Karolus serenissimus Augustus a Deo electus & coronatus, magnificus & pacificus Imperator, Romanum guvernans Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Langobardorum ac Patricio Romanorum in Italia, postquam Papia Civitate ingressus est Anno XXXIII. & filio ejus Pipino Regem Langobardorum, Anno Regni ejus XXVI. Mense Augusto per Indictione XIV. feliciter. Dum in Dei nomine nos* Guillerad *religiosus* Episcopus *sancte* Pistoriensis Ecclesiæ, *seu Johannes Scabino, nec non Petrus Guasso Domni Regis resedissemus in judicio ad singulorum hominum justitiam faciendum ac deliberandum, residentibus nobiscum* Magenard Comes, *Rachinari Gastaldius, Issirad Presbyter, Averolphus Diaconus, Tassimano, & Johannes filio quondam Gregorii, Anselmi filio quondam Alchisi, & reliqui plures. Ibique eorum omnium advenerunt presentia ad invicem inter se altercationis haventes Gisilari filio quondam Gisoni, qui causam* Curtis Domni Regis peragebat, *necnon & Gisilari Scabino, qui tunc Procurator erat Monasterii Sancti Bartholomæi, ubi* Ildipertus Abbas *preesse videtur. Tunc pulsantes eos ipse Gisilari filio quondam Gisoni, dicens: Pro quod abet da parte Monasterii Ecclesia & casas & res Sanctorum Petri & Pauli, & Sancti Anastasii intra hanc Pistoriensem Civitatem, qui fuit Ratperti, quem à parte* Curtis Domni Regis *pertinere devent? Tum dixit Gisilari da parte Monasterii.* Non est veritas, quod Ecclesia vel res ipsa a parte Curtis Domni Regis pertinere deveat, eo quod ecce monimina pre manibus habemus, quomodo Ecclesia & res ipsa Sancti Monasterii beati Bartholomæi debet pertinere. *Idcirco nos auditores fecimus & moniminas coram nos relegi ipsas. Conscriptum erat unum ex ipsis per manum quondam Teuderani Notarii contenentem in eum, quomodo his ipse Ratpertus offerucrat Monasterii Sancti Bartholomei quartam rationem ex omnibus rebus suis, & insimiliter Mundium, & Frea, Gumperge & Gisle filie sue cum omnes leges & pertinentias earum, qualiter eis pertinuerunt una cum personas illarum, ut quatenus sub obedientia Abatisse & substituta regula in Monasterio Sancti Gregorii cellula ipsius Monasterii Sancti Bartholomei permanere debent, & reliqua quarta ratione ex sua substantia judicaverat & tradiderat* Dominici, *qui tunc fuit* Abbas *ipsius Monasterii, ut qua-*

*tinus per eum vel per posteris atque successoribus suis post decessum ipsius Ratperti devirent esse venundatas pretio tollendum, pro anima ejus dispensandum; aut si eam rem sibi emere volerent, stavile ordine debeat permanere. Et per ipsa cartula ipse Ratpertus ordinaverat & firmaverat jam dictus Dominicus Abbas vel posterisque successoribus ejus in suprascripta Ecclesia Oratorio beati Sancti Petri & Pauli, seu Anastasii, quem in suo privilegio intra hanc Civitatem nostram Pistoriense edificare vius fuit, ut quatenus ab illo die in ipsius Abbatis, vel de posterisque successoribus ejus ipse sanctum Oraculum potestatibus subjaceret, vel de ipso Monasterio Sancti Bartholomei una cum omnis edificia, case, seu Curte, orto erga ipso Oratorio suo, omnia in integrum. In illa medietas de rem sua, quem, sicut supra legitur, judicaverunt pertinere devent in ipsa sorte & filie ejus, que ei legibus succedere potuissent, accipere salvatione pro ipse edificia & pro solamenta & Curte & orto, in alie loca ubicumque habeat. Rursum nobis ipse Gisilari Procurator ipsius Monasterii ostensit cartula, ubi legebatur, quomodo jam nominatus Dominicus Abbas firmaverat in Arimund Presbytero suprascripta Ecclesia, una cum edificia, casa, seu Curte & orto erga ipsa Ecclesia, in cujus esset potestatem officio peragendum, seu Missa & luminaria in ipsa Ecclesia faciendum, & res ipsius quondam Ratperti de quantum ipse Ratpertus per dotem decreverat medietas excepto personas hominibus. Nam ut dictum est; alia res medietas in ejus firmaverat potestatem usufructuandi una cum Rachipert & Austrualda filia ipsius Ratperti, & Curte, vel rem ipsa regendum, elemosina tribuendum, & post obito ipsorum Arimund, Rachipert, Austroalde, omnia tam ipsa Ecclesia & case & res in ejusdem Abbatis, vel ipsius Sancti Bartholomei Monasterii, & ad ejus Rectoris reverterent potestatem & dominationem. Unde tunc dum suprascripta monimina relegi fecimus & cognovimus eam continentem omnino ut supra declaravimus, continuo ipse Gisilari, qui causa* Curtis Domni Regis *peragebat, dixit*: Nihil nobis impediunt moniminam hanc, quas ostendistis, quia ego possum talem consignationem facere, quomodo pars Curtis Domni Regis de casis & res quondam Ratperti hic intra hanc Pistoriensem Civitatem investita fuit, & Austrualda exinde a parte Domni Regis servitium faciebat.

*Quapropter nos qui supra auditores judicavimus, & fecimus ipso Gisilari da parte Curtis Domni Regis a parte ipsius sacri Monasterii Sancti Bartholomei dare guadia consignatione ipsa faciendi, sicut dixerat. Unde dum postea in constituto die utrisque partibus revenerunt ante nos jam memorati auditores ipsis causatoribus: adduxit ipse Gisilari da parte Domni Regis testimonia: id sunt Fusulo filio quondam Bautoni, Formusulo filio quondam Guillerad, Maurello Ciaverio, & Gregorius. Qui nobis singulatim ac separatim ab invicem diligenter & studiose nos inquisiti equabiliter nobis testimonium unum dederunt.* Scimus de casa & res illa, que fuit Ratpert genitori Austroalde intra hanc Pistoriensem Civitatem, unde intentio est inter parte Domni Regis & pars Monasterii Sancti Bartholomei: quia exinde fuit parte Curte Domni Regis investita; & homines Curtis Domni Regis inivi intus erat: & ipse Austroalda exinde a parte Domni Regis, idest a Mulrichi & a Adalperti Comitibus servicium faciebat, & tutoris ejus erant Gisilari & Teudici, qui exinde a parte Regis causa peragebat. Et quod hoc simus, sunt annos quinque & amplius. *Sed quia non dixerunt ipsi testibus, quod casa & res ipsa pars Domni Regis per quinque annos possedisset, & qualiter ipsi testibus dixerunt, post sacramentum firmaverunt testimonium suum. Et insuper ipse Gisilari da parte Domni Regis jurato dixit*: Per hec Sancta Dei Evangelia, quia qualiter suprascripti de causa suprascripta da parte Domni Regis testimonium reddiderunt, veritatem dixerunt. *Proideo nobis sepe nominatis Auditores recte paruit, ideo judicavimus, & fecimus exinde secundum suprascriptum testimonium pars Curtis Regie investire, ita ut post revestitura adhuc exinde judicium haberent. Ob hoc post ipsa revestitura ipse Ildipert Abbas cum alio Procuratore suo, idest suprascripto Petrus Guasso Domni Regis reversus est ante nos jam nominatus Guillerad Episcopus, & Damiano Scabino de Barbarano in judicio in presentia ipsius Comitis, ubi erant nobiscum Johannes filius quondam Gregorii, Isserad Presbyter, Tassimano, Petrus filius Johannis, Averolphus Diaconus, Guitterad, & alii plures. Ibique coram nos omnes ipse Petrus asseruit suprascripto Gisilari contra partem Domni Regis dicens*: Ecclesiam beatissimorum Sanctorum Petri & Pauli & Anastasii & casas & rem ipsam, qui fuit quondam Ratperti intra hanc Pistoriensem Civitatem, unde vos jam suprascripte Ildipert Abbas injuste habetis: quoniam ecce monimminas pre manibus habemus, quomodo Monasterium Sancti Bartholomei legibus pertinere debent. *Et ideo nos sepe dicti Auditores fecimus eam ante nos relegi: cognovimus, quia suprascriptas moniminas erant, que jam superius circumscripta sunt. Et invenimus eas continentes omnino, sicut jam superius recensiti sumus. Sed quia jam memoratus Gisilari affa . . . . . . est*, nullum obstaculum nobis iste moniminas non faciunt, quia ego jam consignavi, quomodo exinde pars Domni Regis investita fuit, & pro ipsa consignatione & revestitura eas Ecclesiam & casas & res a parte Domni Regis avere volemus. *Proideo nos vicibus . . . . . Guillerad Episcopus, Damiano Scabino interrogavimus prenominato Gisilari, si potuisset aut per scripti, aut per testibus facere talem consignationem, quomodo suprascripta Ecclesia vel casas, aut res ipsas a parte Domni Regis dedisset, per quem eas parte Domni Regis legibus avere debeat. Tunc ipse Gisilari manifestus est dicens, quod nec per scripto, nec per testibus, nec per ullo modo alia consignatione facere non potuisset, quomodo Ecclesia vel casas aut res ipsas à parte Domni Regis debeat pertinere . . . . . . nisi dixit, quod per ista consignatione de ipsa revestitura eas Ecclesias & casas & res voluisset habere. Item interrogavimus ipso Gisilari, si potuisset aut per scripti, aut per testibus tale consignatione facere, quomodo suprascripto Ratperto non fuisset potestativus in Monasterio Sancti Bartholomei de re sua nullo modo facere. Sed ipse nobis statim dixit, quod tale consignatione nullatenus facere non potuisset. Propterea nobis suprascripti Guillerad Episcopus, Damianus Scabino optima comparuit lex. Ideo judicavimus, ut suprascripta Ecclesia & casas & res, unde ipsas intentiones inter sibi habuerunt, debeat habere Ildepertus Abbas &*

suos

*suos successores à parte ipsius felicissimi Monasterii Sancti Bartholomei secundum suprascriptas moniminas. Nam* pars Curtis Domni Regis *exinde permaneat quieta , contempta , atque remosa . Et sic ex ipsa portione Austrualde , unde suprascripto Gisilari, qui fuit Procurator Monasterii Sancti Bartholomei , in judicio soluta est . Unde qualiter . . . . . . presentia causa ipsa acta & conventa atque finium accepta est , presens notitia Judicati seu deliberationis , Gauspert Notarius scrivere admonuimus , ut in posterum exinde nulla oriatur intentio, sed omni tempore in eadem deliberatione debeat permanere .*

*Actum Pistoria , Regnum & Indictione suprascripta feliciter .*

*Ego Guillerad Episcopus in hunc Judicato à nos facto manu mea subscripsi .*

*Ego Damiano in hunc judicio dedi una cum Guillerad sanctissimo Episcopo , & manu mea propria subscripsi .*

*Ego Gualbertus Notarius & Judex sacri Palatii scriptor , qualiter in autenticum inveni , fideliter exemplavi .*

Ignota Ughellio fuit Charta hæc, qui proinde ad Annum DCCCI. *Wiltretradum* inter Pistorienses Episcopos recensuit . *Guilleradus* fuit ei nomen , ipsumque nunc habemus florentem Anno DCCCVI. Ceterum *Comitibus* quoque suam *Cameram* fuisse, sublucere videtur ex Lege 34. Ludovici Pii inter Langobardicas , ubi pertinaces in minime persolvendis Decimis ad judicium perduci jubentur , ut *ibi secundùm Legem ad Comitem , vel ad Partem Publicam componant* . Sub *Partis Publicæ* nomine num Fiscus Regius venerit , decernere non audeo . Profectò heic satis aperte eadem *Pars Publica a Comite* distinguitur . Verùm hac de re uberius agemus in Dissertatione XVIII. proxime sequenti .

# DE REPUBLICA, PARTE PUBLICA, ET MINISTRIS REIPUBLICÆ ANTIQUIS TEMPORIBUS,

Et an Civium Communitates, uti nunc, ita & vetustis Sæculis fuerint in Civitatibus Italicis.

## DISSERTATIO DECIMAOCTAVA.

# DISSERTATIO DECIMAOCTAVA.

INquirendum nunc mihi statuo, num antiquis Sæculis in Italicis Urbibus, quamquam illæ Regibus, aut Imperatoribus parerent, & ab eorum Magistratibus regerentur, aliqua tamen forma fuerit *Communis*, sive *Communitatis*: nos enim ita appellamus Universitatem & Corpus Civium, cui sunt proprii Magistratus, proprii reditus, & jura multa ac privilegia in regimine Urbium; *Commune Civitatis Mutinæ* (atque ita reliquarum Liberarum Civitatum) idem olim fuit, ac Respublica Mutinensis, dum nulli Principi, nisi Imperatori, libera Civitas parebat ac suberat. Postquam verò Principibus se se tradiderunt Civitates liberæ in Italia, perrexit adhuc durare nomen *Communis* & Universitatis Civium, fuitque illius nihilominus non levis auctoritas; atque erant, & adhuc sunt latifundia, vectigalia, ac tributa ad idem Commune spectantia. Præerat ac imperabat cunctis Princeps; sed supremum illius jus, vectigalia, atque auctoritas minime obstabant, quin & Commune seu Respublica suis, quamquam subjecta Principi, juribus ac prærogativis uteretur. Complures ex Urbibus Italicis adhuc retinent eumdem honorem, publicos fundos & vectigalia; atque in plerisque Nobiles tantùm viri, & Jurisconsulti adhibentur ad regimen Communis sive Universitatis Civium. Hoc præsertim Mutinæ & Regii Lepidi observatum videas. Certo certius est, sub Romanis Imperatoribus Civitates Italiæ non solùm Augustorum dominationi supremæ obnoxias fuisse, sed ab iis etiam accepisse Magistratus, à quibus regebantur: jusque dicebatur, sive hi Proconsules, sive Prætores, Præsides, &c. essent. Nihilo tamen secius sub Romanis rerum dominis pleræque ex iis Civitatibus quamdam Reipublicæ formam servarunt, variam sane, quum ex iis quædam Coloniæ, quædam Municipia, quædam fœderatæ essent, neque omnes eodem jure, iisdemque privilegiis fruerentur. Plerisque ergo Urbibus suus erat Senatus, sui Magistratus, conventus, & Leges, Decuriones, Duumviri, Ædiles, Quæstores, Censores, Curatores, Præfecti juri dicundo, aliique Magistratus e Civibus eligebantur, ita ut ibi species aliqua inspiceretur Romæ ipsius dominantis. Quæ regiminis forma amorem ejusmodi Civitatum diu Romanæ Reipublicæ, tum Imperatoribus ipsis non parum conciliavit. Neque fundi vectigalia, ac ærarium deerant hisce Universitatibus: quorum reditus præcipue impendebantur in mœnibus, pontibus, viis, turribus, thermis, theatris, aquæductibus, Palatiis Principis, aut Reipublicæ, Templis, aliisque ædificiis ac ornamentis Urbis & agri aut excitandis, aut restaurandis. Sub ipsis quoque Christianis Augustis politia ista viguit quamquam interdum aliquid in ea est immutatum. Habemus Lib. 10. Tit. 3. Codicis Theodosiani Legem primam, datam Anno CCCLXII. in qua Julianus Imperator *possessiones publicas Civitatibus* jubet *restitui*. Sed & Ammianus Marcellinus Lib. 25. Cap. 4. Histor. scribit ab eodem Juliano *Vectigalia Civitatibus restituta cum fundis*: quæ verba indicant etiam portoria, aliosque ejusmodi reditus, concessione Principis assignata fuisse Civitatibus ad publicorum operum restaurationem. Idem quoque teste Lampridio indulserat Severus Alexander Augustus. Vide etiam Capitolinum in Gordiano. In eodem Codice Theodosiano, eod. Tit. Lege 2. Valentinianus Anno CCCLXXII. *Curialibus omnibus conducendorum Reipublicæ prædiorum ac saltuum inhibet facultatem*. Ita eodem Tit. Lege 5. Arcadius & Honorius Augusti Anno CCCC. decernunt, *ut ædificia, horti, atque areæ ædium publicarum, & ea Reipublicæ loca, quæ aut includuntur mœnibus Civitatum, aut pomœriis sunt connexa*, semel uni legitime locata, ad alios minime transferantur. Adi & Lib. 15. tit. I. Legem 18. ejusdem Codicis Theodosiani, ubi de operibus publicis reficiendis aut inchoandis agitur, atque ad id solicitantur Rectores Provinciarum. *Quod si Civitatis ejus Respublica tantum in tertia pensionis parte non habeat, quantum cœptæ fabricæ poscat impendium, ex aliarum Civitatum Reipublicæ canone præsumunt*. Pariter eodem Tit. Lege 32. memorantur *reditus fundorum juris Reipublicæ*. Sunt & aliæ Leges ibi, uti & in Codice Justinianeo, immo & in Pandectis Lib. 50. Tit. 8. est *de administratione rerum ad Civitates pertinentium*. In hanc rem consulendi Sigonius, Gothofredus, atque ut alios præteream, Cl. Vir Augustinus Campianus Legum Interpres in Taurinensi Gymnasio, qui novissime de Romanorum Magistratibus eruditum Opus edidit. Egregie quoque de hisce nuper disserebat Clariss. Marchio Scipio Maffejus in Veronæ illustratæ Libris. Ego dumtaxat commemorabo Inscriptionem a Grutero productam pag. 164. num. 1. in qua Decretum exhibetur Vespasiani Augusti, concedentis Vectigal Quatuor-viris & Decurionibus Saborensis Civitatis in hæc verba.


CVM MVLTIS DIFFICVLTATIBVS
CIVITATEM VESTRAM IAM PREMI INDICETIS
PERMITTO VOBIS OPPIDVM
SVB NOMINE MEO
VT VOLTIS IN PLANICIEM EXTRVERE
VECTIGALIA QVAE A D. AVGVSTO
ACCEPISSE DICITVR, CVSTODIO &c.

Gothis Italiâ potitis nihil ferme immutatum est de pristinis moribus in Italici Populi regimine. Magni nempe animi atque ingenii vir Theodericus Rex, in nova Roma educatus, optime perspexit, nihil prudentius ac suavius instrui servarique posse, quàm quod Romanis antiquis tantum pepererat potentiæ ac laudis, diuque apud eos imperium stabile tenuerat.

Verùm alia fuit Langobardis in Italiam illapsis politicæ gubernationis ratio. Agrestis ac effera gens omnia turbavit, indigenas, illorumque instituta contemsit, eumque in Urbes ordinem regiminis invexit, qui barbaris ante erat majoribus suis. *Duces*, & *Judices*, qui interdum *Comites* appellati sunt, *Vicecomites*, *Gastaldios*, *Sculdascios*, *Actionarios*, aliosque hujusmodi Ministros Populis præfecere: eamdemque formam regiminis, paucis mutatis, observarunt deinde Franci & Germani Imperatores. Ejusmodi officia conferebat Rex, sive Cæsar, atque ii proinde Ministri Regis sive Imperatoris appellabantur. Nunc ergo perpendendum, num temporibus iis vestigium aliquod occurrat, Corporis, Collegii, aut Universitatis Civium, quod *Communis* nomine posteriora donarunt; antiqui verò, ut vidimus, *Rempublicam* appellabant. Et profecto in priscis illius ævi monumentis non rarò commemorari animadvertas *Rempublicam*, *Ministros Reipublicæ*, *Procuratores Reipublicæ*, *partem Publicam*, *Judices Publicos*. Exemplo erit Diploma, quod autographum in suo Chartophylacio adservant Canonici Cathedralis Parmensis.

## Berengarius I. Italiæ Rex confirmat duas Cortes Saluciolam & Evorianum Ecclesiæ Sancti Nicomedis de Fontana Broculi, Anno 899.

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Berengarius divina favente clementia Rex. Decet nostram pietatem prædecessorum nostrorum tramites sequi, & maxime Ecclesiarum utilitates reformare, quatenus eas mercamur habere apud Dominum intercessores, qui in præsenti Seculo nos cognoscunt suæ Ecclesiæ adjutores. Quapropter omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque præsentium scilicet & futurorum noverit sollertia*, Amolonem Taurinensem *venerabilem* Episcopum, *ac* Sigefredum *illustrem* Comitem, *dilectissimos fideles nostros suggessisse nostræ Serenitati, quatenus pro divino intuitu duas Curtes, quæ vocantur Saluciola & Evoriano, cum omnibus pertinentiis & adjacentiis, seu familiis suis prisco tempore pertinentes de Comitatu Parmensi, quas quondam* Karolus Imperator *Consuprinus & prædecessor noster, Ecclesiæ beati Nicomedis, quæ est in Fontania Broculi, per sua Præcepta . . . . . . . nostra auctoritate in ipso sancto loco confirmaremus. Quorum precibus libenti animo annuentes decrevimus ita fieri. Confirmamus igitur eidem Sancti Nicomedis Ecclesiæ præfatas Curtes cum omnibus pertinentiis & adjacentiis suis in integrum, mansis videlicet vestitis, atque absentibus, terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, montibus, vallibus, planiciebus, arboribus pomiferis & infructuosis, aquis, aquarumque decursibus, seu molendinis, Capella quoque in ipsa terra constructa, famulis etiam utriusque sexus, servis, ancillis, & aldionibus, omnia omnino cum judiciariis quæcumque dici vel nominari possunt, quæ juste & legaliter ad ipsas Curtes pertinere noscuntur. Præcipientes jubemus, ut nullus Judiciariæ potestatis Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdasius*, Locopositus, *aut quislibet* Reipublicæ Procurator, *neque aliqua persona cujuscunque ordinis aut dignitatis, parva vel magna, ex eisdem rebus quoquo modo se intromittere, aut devestire præsumat sine legali judicio: sed liceat Rectori prædicti sancti loci ad partem ipsius Ecclesiæ omnes easdem res jure proprietario perpetuis temporibus possidere, & quod Rectores providerint ad ejusdem sancti loci utilitatem peragere remota totius potestatis inquietudine. Si quis autem, quod minime credimus, hoc nostræ pietatis & confirmationis Præceptum quandoque insurgere temptaverit, sciat se compositurum auri optimi Libras triginta, medietatem Palatio nostro, & medietatem parti ipsius Ecclesiæ. Et ut ab omnibus verius credatur, & diligentius observetur, manu propria roboratum anuli nostri impressione subter jussimus sigillari.*

*Signum*  *Domni Berengarii gloriosissimi Regis.*




*Martianus Notarius ad vicem Petri Episcopi & Archicancellarii recognovi.*

*Data*

*Data VIII. Idus Martii, Anno Incarnationis Domini DCCCXCIX. Domni autem Berengarii gloriosissimi Regis XIII. Indictione II.*

*Actum Papiæ in Dei nomine feliciter. Amen.*

Legistin'? *quislibet Reipublicæ procurator* post *Duces, Marchiones, Comites, &c.* memoratur. Neque dispar est alterum Diploma Guidonis Augusti, quod archetypum vidi Brixiæ in Archivo Sanctimonialium Sanctæ Juliæ.

## Guido Imperator Fulchrodo fideli suo quasdam Corticellas donat, Anno 892.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Wido divina favente clementia Imperator Augustus. Cum nihil boni operis pereat ante Deum, idcirco dignum est semper ea exsequi, quæ digna sunt tanto remuneratori. Quapropter omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum noverit industria, quod Fulchrodus dilectus fidelis noster petiit celsitudinem Imperii nostri per* Wihbodum *venerabilem* Episcopum *Consiliarium nostrum, ut eidem concederemus jure proprietario Marinadem, ubi jam Corticella fuit, & nunc est absens, cum omnibus ad eamdem pertinentibus, scilicet cum Manentibus quatuor, & Sortibus octo. Etiam & Corticellam unam in Mojade cum quatuor Manentibus, & tribus Sortibus absentibus. Insuper & Corticellam unam, quæ vocatur Rodeni, infra Papiam, cum Manentibus decem. Cum omni integritate & pertinentiis earum, seu aldionariis, vel quicquid ad illas pertinere dinoscitur. Cujus precibus ob amorem Dei & devotionem ipsius Fidelis nostri aures nostræ serenitatis accommodantes, & ideo hoc nostrum asscribi jussimus Aedictum: per quod concedimus, perdonamus atque largimur supradictas Corticellas Marinadem, Mojadem, atque Curtem, quæ vocatur Rodeni, eidem Fulchrodo cum omni integritate & pertinentiis &c. faciatque is & heredes ejus in omnibus tamquam de aliis rebus suæ proprietatis ex nostra plenissima largitate. Ita sane precipientes, ut nullus Dux, Comes, vel* Minister Reipublicæ &c.

*Signum*  *Domni Widonis gloriosissimi Imperatoris Augusti.*

Signum Sigilli ✠ cerei deperditi.

*Rimpertus ad vicem Helbunchi Archicancellarii, jubente Domno Widone Imperatore recognovi & subscripsi.*

*Data XV. Kalendas Augusti, Indictione X. Anno Incarnationis Dominicæ DCCCXCII. Regnan Domno Widone Imperatore Anno Regni ejus IV. Imperii verò II.*

*Actum Parme in Dei nomine feliciter. Amen.*

Et heic post Duces & Comites habemus *Ministros Reipublicæ*. Quid, quæso, significant hujusmodi verba? Fontaninius Archiepiscopus Ancyranus me interrogantem præoccupavit in Libro, cui titulus: *L'Istoria del Dominio della Santa Sede sopra Parma e Piacenza.* Nam §. 12. part. 27. Diploma Caroli M. laudat à Campio evulgatum pag 455. Hist. Eccles. Placentinæ, in quo decernitur, *ut nullus Dux, Gastaldius, vel Actionarius, nec quilibet ex Ministris Reipublicæ de jam dicta Judiciaria aliquid sumere audeat.* Heic, inquit Fontaninius, *Reipublicæ* nomine designatur *Ducatus Romæ*, & *Exarchatus Ravennæ* simul conjuncti; atque adeo *Ministri Reipublicæ* nihil aliud erant, nisi *Ministri Sedis Apostolicæ*, Placentinam Urbem Romanæ Ecclesiæ subjectam, ejusque agrum regentes. Ita in Diplomate, quod Carolus M. Anno DCCLXXIV. Monasterio Vulturnensi concessit (uti legitur in Chronico Vulturnensi Part. II. Tomi I. Rer. Italic. pag. 349.) commemorantur *Reipublicæ Exactores*, idest, ut ille idem eruditus Scriptor nos docet, *Apostolicæ Sedis*, quandoquidem regio illa Romanæ Ecclesiæ jam dono data fuerat. In altero pariter Diplomate Ludovici II. apud eumdem Campium, concesso Placentinæ Ecclesiæ Anno DCCCLXXII. *Reipublicæ Ministros* reperias: itidemque in Bulla Stephani VI. data Bernardo Episcopo Placentino Anno DCCCXCI. *Reipublicæ Exactoribus* interdictum videas inferre molestiam Ecclesiæ Placentinæ. Sed ut sub *Reipublicæ* nomine ostendat Clariss. Fontaninius venisse Ducatum Romanum & Exarchatum Ravennatem, laudat Literas Romani Exarchi Anno DXC. ad Childebertum II. Francorum Regem datas, atque à Frehero & Duchesnio editas: in quibus ait, Deum Langobardis eripuisse *Altinum, Mutinam, Mantuam, Placentiam &c.* easque Urbes reparasse *Sanctæ Romanæ Reipublicæ*. Præterea Gregorius II. Papa in Literis ad Ursum Venetorum Ducem datis, apud Dandulum, Baronium, ac Labbeum legendis, eum ad decertandum incitat, ut Ravenna, à Langobardis, ad deditionem coacta, revocetur *ad pristinum statum Sanctæ Reipublicæ*. Gregorius quoque Magnus Romanus Pontifex *de Reipublicæ Judicibus* conqueritur. Hæc Ancyræ Archiepiscopus. Sed mirum est, quei vir tantæ eruditionis ista nobis propinare potuerit, quæ nisi ab homine pæne dixi cæcutire volente profecta esse videantur. Certo certius est, *Mutinam, Placentiam, Regium, Parmam*, à nullo Regum aut Imperatorum Sancto Petro umquam dono datas fuisse: & quum Ca-

rolus M. & Ludovicus II. Literas supra memoratas scripsere, nulla dubitatio est, quin Urbes illæ ad Regnum Italicum pertinerent. Præter illa, quæ jam supra disserui in Dissertat. II. *de Regno Ital.* hanc ipsam veritatem ipsa Diplomata meridiano Sole clariorem ostendunt, quum Carolus Magnus Placentino Episcopo donet *omnem judiciariam, vel omne teloneum de Curte Glussiano*; Ludovicus verò II. eidem largiatur partem *muri publici, & Viæ publicæ*, pariterque confirmet *Mercata, & reliqua, quæ a reliquis Antecessoribus nostris collata sunt jam sæpe dictæ Ecclesiæ*. At inquit Fontaninius, hæc Imperatores illi, tamquam *Advocati Romanæ Ecclesiæ* egerunt. Scilicet minime animadvertit ille, se non Advocatos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ nobis exhibere, sed sacrilegos Apostolicæ ditionis usurpatores. Ecquando enim licuit ejusmodi Advocatis veluti sua in alios transferre Ecclesiarum bona? Et nullâ quidem Advocatiæ mentione factâ, immo iisdem plane formulis, quibus in reliquis suæ supremæ dominationi locis subjectis tot alia donarunt. Ergo ex *Reipublicæ* mentione in iis tabulis numquam exculpas, temporalem Romani Pontificis ditionem significari, uti neque ex Vulturnensis Cœnobii monumentis, quum vel ipse Antistes Ancyranus norit, suamque habeat conscientiam testem, in Ducatu Beneventano situm fuisse ac esse Monasterium illud. Eum verò Ducatum tunc sui Duces regebant, obnoxii per aliquod tempus Augustis, sed numquam Apostolicæ Sedi, nisi post Nortmannorum adventum.

Quid ergo, petas, *Reipublicæ* nomine olim significatum est? Eâ voce significabatur Principatus, Regnum, Imperium, Fiscus. Neque aliud fuit *Romana Respublica*, nisi ditio Imperatoris Romanorum: nihil *Ministri, Exactores*, seu *Procuratores Reipublicæ*, nisi publici Principis seu Fisci Ministri, sive is Imperator, sive Rex, sive Princeps, aut Dux supremo jure dominans esset. Quæ Fontaninius ipse attulit, ad ejus sententiam jugulandam apprime faciunt, si quæ ille reticenda censuit, per nos apponantur. Gregorius II. Papa Ursum Ducem ad certamen contra Langobardos hortatur, *ut ad pristinum statum Sanctæ Reipublicæ in Imperiali servitio Dominorum filiorumque nostrorum Leonis & Constantini magnorum Imperatorum ipsa revocetur Ravennatium Civitas, ut zelo & amore fidei nostræ in statu Reipublicæ & Imperiali servitio firme persistere, Domino cooperante, valeamus*. Vel ipsi Romæ, nedum Exarchatui, ac tot aliis Provinciis tunc dominabantur Romanorum Imperatores Græci. Quid est ergo, quod contorqueamus *Reipublicæ* vocem ad significandum Exarchatum, Romanum Ducatum, ac Pontificiam ditionem? Porro, quod stupeas, plures Epistolas Gregorii Magni, quasi in iis Exarchatum aut Romanum Ducatum *Reipublicæ* vox indicaret, idem Scriptor laudavit: attamen in tot alias non incurrit, quibus longe latius protendere significationem suam vox ista deprehenditur. Ad Mauricium Augustum sanctissimus ille Pontifex scribit Epistolam XI. Lib. V. de pace cum Langobardis à se pertractata. *Ariulphus*, ut ipse ait, *toto corde venire ad Rempublicam paratus fuit* &c. *Piissimo Domino suggero, ut de utilitate Reipublicæ, & causa ereptionis Italiæ, non quibuslibet facile aures præbeat* &c. *Ante Constantinum Pagani in Republica Principes fuere* &c. *Pacem cum Langobardis in Tuscia positis, sine ullo Reipublicæ dispendio feceram*. Lib. 6. Epist. 16. ad eumdem Imperatorem: *Deus heic devictis hostibus, pacatæ vos imperare faciat Reipublicæ*. Epist. 25. ad Salonitanæ Ecclesiæ usurpatorem Maximum: *quod verò indicas, Serenissimos Dominos, ut illic debeat esse cognitio, præcepisse: nos quidem nullas eorum hac de re, nisi ut ad nos venire debeas, jussiones accepimus. Sed & si forsitan pro Reipublicæ suæ utilitate, quæ divinâ sibi largitate concessa est, multa cogitantibus, eorum est jussio per obreptionem elicita* &c. De Corsica nimio *exactionum gravamine* oppressa scribit ad Constantinam Augustam Lib. 5. Epistol. 41. atque ait: *Unde fit, ut derelictâ piâ Republicâ possessores ejusdem Insulæ ad nefandissimam Langobardorum gentem cogantur effugere*. Eodem Libro 5. Epist. 30. ad Mauricium scribit: *Deus longa vobis & quieta tempora tribuat, & pietatis vestræ felicissimam sobolem diu in Romana Republica florere concedat*. Ita Lib. primo Epistol. 75. Gennadium Exarchum in Africa laudat, quod bella gerat, *non desiderio fundendi sanguinis, sed dilatandæ caussâ Reipublicæ, in qua Deum coli conspicimus*. Libro quoque undecimo, Epist. 4. Mediolanensibus scribit: *Unde possunt alimenta Sancto Ambrosio servientibus Clericis ministrari, nihil in hostium locis, sed in Sicilia, & in aliis Reipublicæ partibus consistit*. Vide & Epistolam 66. Lib. 3. aliaque multa loca, quibus deflorandis supersedeo: neque enim ultra Lectori opus est, ut tamdem intelligat, Gregorium Primum, & Secundum nihil aliud vocabulo *Reipublicæ* intellexisse, quàm ipsum Romanum Imperium. Eâdem significatione hanc vocem adhibuit Cassiodorius Lib. 4. Epistol. 6. & alibi; uti & Paullus Diaconus Lib. 4. Cap. 37. de Gestis Langobardorum, cujus sunt verba: *Rempublicam Romanam Eraclius suscepit regendam*.

Cur verò Imperium Romanum *Reipublicæ* nomine donaretur, postquam sub Imperatoribus rerum Dominis Reipublicæ auctoritas a tanto tempore desierat, illud in caussa fuisse puto, quod Imperatores, quamquam suprema, immo fere cuncta Populi Romani jura in se transtulissent, nomen tamen Reipublicæ intactum sivere, ejusque Magistratus plerosque retinuerunt, Consules nempe, Senatum &c. Et quamvis in Monarchiam res transiisset, ii nihilominus videri voluere non Regio titulo ac potestate regnare, sed Reipublicæ velut adhuc stanti præesse. Et quoniam Ulpiano teste in l. quintadecima ff. de verbor. significat. ea tantùm *bona publica sunt, quæ Populi Romani sunt*, unde etiam *publica vectigalia* dicebantur, ex quibus vectigal Fiscus capiebat, & *Publicani* sic appellati fuere, quod *publica vectigalia* conducerent aut colligerent: idcirco vel sub ipsis Imperatoribus *Reipublicæ* nomen audiri, & *publica vectigalia* appellari perrexerunt. Ita apud Spartianum *cursus Fiscalis*, ab aliis *cursus Publicus* appellatur. Sunt & innumera alia exempla. Johannes Fridericus Gronovius Anno MDCLXXI. Dissertationem edidit de *Lege Regia* Populi Romani, quam ipse commenticiam ostendit. Neque enim ulla Lex umquam prodiit, per quam Senatus Populusque Romanus cuncta sua jura in Imperatores transtulerit. At simul evincit jura hæc sensim in ipsos Augustos transfusa, quamquam illi *Reipublicæ*, sive Romani Imperii nomine potestatem supremam, & reapse Regiam exercerent, & quamvis adhuc Senatus & Magistratus cum Romæ tum ali-

alibi perdurarent. Non absimile fortassis exemplum posterioribus hisce Seculis Respublica Florentina dedit. Factum propterea fuit, ut *Reipublicæ* nomen ad barbarica Secula pertransierit, non ut ea voce significaretur Romani Senatus ac Populi libera dominatio, qualis ante Julium Cæsarem fuit, sed Romanum Imperium, cui præerant Imperatores, non nomine, sed potestate Reges. Quibus positis, Anastasii Bibliotecarii in Stephani II. Vita mens nobis pateat, ubi narrat Exarchatum Ravennatem ereptum Romanis ab Aistulpho Langobardorum Rege, actumque esse, *ut Reipublicæ loca, diabolico ab eo usurpata ingenio, proprio restitueret domino*: ac Sephanum commendasse Pippino Regi *caussam Beati Petri, & Reipublicæ Romanorum redderet jura*. Contendebat olim prælaudatus Ancyræ Archiepiscopus, idem fuisse *Romanam Ecclesiam*, & *Rempublicam Romanorum*, ac propterea Exarchatum *restitutum* fuisse eidem Ecclesiæ. Atqui disertis verbis *Ecclesiam Romanam* à *Republica* distinguit Anastasius; & postrema hac voce Romanum Imperium designatum, post illa, quæ nuper attulimus, nemo non videt. Immo Anastasium ipsum suæ mentis interpretem luculentum habemus, quando auctor est in Zachariæ Pontificis Vita, Constantinum Augustum *duas Massas, quæ Nymphas & Nornias appellantur, juris existentes Reipublicæ, eidem sanctissimo Papæ, sanctæque Romanæ Ecclesiæ jure perpetuo possidendas* elargitum fuisse. Si geminæ illæ Massæ ad jus *Reipublicæ* antea spectabant, easque Imperator Romanæ in futurum Ecclesiæ concessit: ergo sub *Reipublicæ* nomine *Romanum* tantummodo veniebat *Imperium*. Quod & jamdiu agnovit Eminentissimus Baronius, dum ea ipsa verba in suos Annales intulit. Paria habet Fredegarii Continuator, de Aistulpho scribens: *Quod nequiter contra Rempublicam, & Sedem Romanam Apostolicam admiserat, nefarie nitebatur defendere*. Pollicitus deinde Aistulphus fuit, *se ulterius ad Sedem Apostolicam Romanam, & Rempublicam hostiliter numquam accessurum*. Gregorius autem Turonensis Lib. 2. Histor. scripsit, Gelisimirem Vandalorum Regem *à Republica superatum* fuisse, idest à Justiniano I. Augusto. Quibus ex rebus jam extra controversiam positum puto, apud modò laudatos Scriptores non alia significatione usurpatam fuisse *Reipublicæ* vocem, quàm *Romani Imperii*. Quod si quis pertinax adhuc contra sentiat, Valesios quæso adeat in Notis ad Lib. 16. Cap. 12. Ammiani Marcellini, & monentes comperiet, *Imperium Romanum Ammiano, aliisque Historicis sæpe Rempublicam absolute nuncupari, & exercitum Romanum, exercitum Reipublicæ*. Et sane id factum à Mario Aventicensi, à Jordane in Histor. Gothorum, à Johanne Abbate Biclarensi, à Procopio, & aliis. Quid plura? Prælaudatus Anastasius Bibliothecarius, seu quisquis sit antiquissimus Scriptor Vitæ Vigilii Papæ, hæc de Belisario memoriæ prodidit: *Veniens in fines Africæ sub dolo pacis interfecit Gundarum Regem Guandalorum, & redacta est Africa sub Rempublicam*. In cujusnam jura tunc cesserit Africa, eruditus quisque novit. Sed & in Vita Sancti Leonis IX. Papæ à Wiberto scripta, hæc de illo habentur: *Non modicus quoque ei inerat fervor in augenda Republica*. Quid hoc nomine Wibertus significet, sequentia produnt. Nempe curabat, *ne Hungari detrectarent solitâ subjectione Imperatori prisca persolvere tributa*. At quia preces à Sancto Leone prædicto pro eis adhibitas Henricus Augustus exaudire noluit, *ideo Romana Respublica subjectionem Regni Hungariæ perdidit, & adhuc dolet*.

Quamobrem nil mirum, si ipsi quoque Imperatores Franci hoc eodem *Reipublicæ* vocabulo usi fuerint, ad designandum non solùm Romani Imperii ditionem, sed etiam universa Regna suæ potestati subjecta. Immo quum sæpe *publici* vox in eorum & subsequentium temporum monumentis occurrat, juvabit heic animadvertere, quæ vis hujus vocis fuerit apud illorum Sæculorum Scriptores, & in Literis ac Præceptis Regum. Nimirum ibi *publici Judices, Palatia publica, Pars publica, Ministri Reipublicæ*, atque horum similia nomina leguntur, quorum sensum probe nosse, tum ad eruditionem medii ævi, tum ad intelligendum veterum sermonem conducit. Carolus Magnus, ut est in Lege Langobard. 121. Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum, se audivisse ait, *quod Juniores Comitum, vel aliqui Ministri Reipublicæ, aliquam redhibitionem, quasi deprecando, à Populo exigere soleant*. In Additamentis ad Capitularia ejusdem Caroli Magni pag. 113. nuper memoratæ Partis II. idem Augustus scribit *omnibus Ducibus, Comitibus, Castaldiis, seu cunctis Reipublicæ per Provinciam Italiæ à nostra mansuetudine præpositis*. Qui *Reipublicæ* nomen nuper ad Exarchatum, & Romanum Ducatum unice designandos contorquebat, habet heic unde opinionem male consutam exuere possit. *Ministros* nempe *Principatus, Ministros Regis*, appellare mos fuit *Ministros Reipublicæ*. Adhuc nos appellamus *Ministri del Pubblico*, quos Princeps statuit ad regendam Rempublicam. Idque elucere etiam potest ex Lege 34. Ludovici Pii Augusti inter Langobardicas, ubi decretum est, ut Decimæ *à Ministris Reipublicæ exigantur*. Et infra: *Negligentes, à Ministris Reipublicæ districti, singuli sex Solidos Ecclesiæ componant, & insuper dare Decimam cogantur*. Si verò denuo *rebelles vel contradictores esse voluerint, tunc à Ministris Regis in custodiam mittantur, usque dum ad judicium postmodum perducantur*. Profectò unum ac idem fuisse videas, qui antea *Ministri Reipublicæ* appellati sunt, & qui postea *Ministri Regis*. Ita in Lege 74. Lotharii I. Cæsaris inter Langobardicas statutum cernas, *ut nullus Judex publicus, aut Ministri publici, liberas personas contra legem audeant pignorare in bovibus, quia audivimus, quod multa damna propter hoc Populus noster sustineret*. Neque heic alios excogitare possumus fuisse Judices, aut Ministros *publicos*, nisi *Regis* Judices atque Ministros. Nisi enim suis Ministris interdixisset Lotharius boves titulo pignoris à liberis hominibus auferre, incommodis Populi nulla ratione Lex ista prospexisset. Sunt & aliæ Langobardicæ Leges, in quibus *Ministri & Actores Reipublicæ* memorantur; uti & Aquisgranense Concilium II. Anni DCCCXXXVI. & Capitularia quædam Caroli Calvi Imperatoris, ubi easdem voces deprehendas, nihil aliud significantes, quàm *Principis*, sive *Regis*, aut *Imperatoris Ministros*. Sunt & Diplomata Regum & Augustorum, Urbibus extra Exarchatum, & Ducatum Romanum sitis concessa, in queis nihilo secius *Reipublicæ Ministros* reperimus, quos certe nemini in mentem veniat, Romani Pontificis Ministros esse appellandos. Adeo hæc certa sunt, ut vel ipsi Principes Beneventani, ac Salernitani, *Reipubli-*

*publicæ* voce uterentur eâdem ratione, qua Reges atque Augusti. Rem prodet Diploma, quod in Tabulario insignis Monasterii Cavensis existit.

## Gisolfi I. Principis Salernitani donatio facta Ecclesiæ Sancti Maximi sitæ intra Salernitanam Civitatem, Anno 959.

*NOs Gisolfus divina protegente clementia Princeps gentis Langobardorum pro amore omnipotentis Dei & salvatione animæ nostræ, concedimus in Ecclesia Sancti Maximi sita intus hanc nostram Salernitanam Civitatem* a Domino Guaiferio Principe Bisavio meo, *de aquario antiquo* nostræ Reipublicæ *pertinente, constructo intus hanc Civitatem, hoc est quantum retinet de ipsa fistula, & usque totam terram præfatæ Ecclesiæ, quæ est a suptus ipsam Ecclesiam, qualiter conciatum & edificatum est, cum omnibus suis pertinentiis, & cum vice de via & andita sua. Pariterque & concedimus in jam dicta Ecclesia de aqua, quæ decurrit per ipsum aquarium usque ipsam fistulam tantum ut justa ratione sufficiat Rectoribus ipsius Ecclesiæ pro illorum utilitate, & omni tempore ipsa aqua decurrat per illud, quod de ipso aquario in ipsa Ecclesia concessimus absque cujuscumque contrarietate. Et hæc omnia a modo & in perpetuum sint de ipsa prænominata Ecclesia, ejusque Rectores, & pars ipsius Ecclesiæ habendum, possidendum, & omnia inde & ibidem faciendum, quod & qualiter voluerint, & ipsa aqua, ut dictum est, semper decurrat de ipsa fistula per ipsum aquarium usque in ipsam terram prædictæ Ecclesiæ, & neque a nostris Judicibus, Comitibus, Castaldeis, neque a quibuscumque agentibus habeant Rectores vel pars ejusdem Ecclesiæ de predicta nostra concessione aliquam contrarietatem, sed semper illud securiter habeant, & faciant exinde, ut prælegitur, quicquid voluerint. Hæc autem fecimus per rogatum* Domni Petri *venerabilis* Abbatis *ipsius Ecclesiæ in Anno Vigesimoquinto Principatus nostri, de Mense Aprilis, Indictione II.*

Agit heic Gisolfus de *Aquario*, hoc est canali, quem lateritius sive marmoreus paries utrinque constringit, & per quem aqua ad usus hominum aut molendinorum decurrit, *nostræ Reipublicæ pertinente*, idest juris Principatus seu Fisci nostri. Ita apud Ughellium Tom. 8. Ital Sacr. in Archiepiscop. Beneventan. Pandolphus & Landulphus Principes Beneventani Landolpho Beneventanæ Sedis Archiepiscopo Sipontinam Ecclesiam aliaque jura confirmant, ab ipso *perpetualiter habenda & possidenda, absque ullius Comitis, Gastaldei, seu Judicum Reipublicæ inquietudine*. Vide etiam Capitulare Sicardi Principis Beneventani Part. I. Tomi II. Rer. Italicarum, ubi non semel statuitur, ut nullum aliud vectigal *a parte Reipublicæ imponatur*. Sunt & alia id genus veterum monumenta, e quibus unum nolim omissum, hoc est Ludovici Pii Diploma Anno DCCCXVII. datum pro Monasterio Solemniacensi in Gallia, atque evulgatum a Baluzio in Appendice ad Tom. 2. Capitularium. Præcipit Augustus ille, *ut nullus Judex publicus, aut quilibet superioris aut inferioris ordinis Reipublicæ Procurator ad causas judiciario more audiendas* &c. Monasterii illius loca, *ingredi præsumat*. Qui eo tantùm nomine ditionem Pontificiam sibi visus est deprehendere Placentiæ, quod in Diplomatis Regiis, Placentinæ Ecclesiæ concessis, *Ministri Reipublicæ* memorentur, quid sibi de tam leviter a se constructa opinione sentiendum sit, jam tamdem intelligat. In Gallia quoque temporibus iis *Ministri Reipublicæ* erant, iique dicuntur *superioris, aut inferioris ordinis*, ut designentur tam Duces, Marchiones, & Comites, e quibus Principum chorus tunc constituebatur, quàm Gastaldii, Centenarii, Decani, Sculdascii, aliique minores Judices aut Regiæ Cameræ procuratores. Eâdem dicendi formulâ usi sunt Carlomannus Rex & alii. Sed ut omnem dubitandi ansam eripiamus, præstat intueri Henrici Regis Sancti, postea Imperatoris, Diploma, in quo disertissime *Rempublicam nostram* in Urbe Cremonensi memorat, hoc est *Fiscum* nostrum. Illud ego depromsi ex Regesto antiquo Episcopii Cremonensis.

## Henricus II. Germaniæ & Italiæ Rex sub suo Mundiburdio suscipit Landulphum Cremonensem Episcopum, Anno 1007.

*IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Henricus divine dignationis providentia Rex. Regalis dignitatis providentiam semper oportet Ecclesiarum Dei &c. noverit universitas, quod nos comperientes in Italia Ecclesiarum facultates, defuncto earum Præsule depredari, sanctamque Cremonensem Ecclesiam hoc quoque noviter passam defuncto Pastore, sub nostri mundiburdi defensionem recepimus* Domnum Landulfum *venerabilem* Presulem *ejusdem sancte* Cremonensis Ecclesie, *nostrumque dilectissimum Capellanum, cum omnibus Clericis suis ac familiis. Precipientes insimul, ut nulla nostri Regni magna parvaque persona post obitum ejus, suorumque Successorum predictam Ecclesiam, Clericos, & famulos inquietare vel molestare audeat. Si quis vero, quod non credimus, hujus nostri Mundiburdi violator extiterit, si Miles ipsius Ecclesie fuerit, omni benefitio, quod ex parte ipsius Ecclesie tenuerit, ipse & ejus heredes in eternum priventur, & centum Libras puri argenti*, medietatem nostræ Reipublicæ, *& medietatem prenominate Ecclesie se compositurum procul dubio cognoscat. Si vero Civis, aut suburbanus, sciat se perditurum omnia predia & possessiones suas*, medietatem a Parte publica, *& medietatem predicte Ecclesie. Si vero aliqua Regni persona contra fecerit, centum Libras optimi auri, medietatem nobis, & medietatem prefate Ecclesie procul dubio componat. Quod ut verius credatur &c.*

*Non adest Monogramma Henrici.*

*Everaraus Cancellarius vicem Villigisi Archicapellani recognovi.*

*.... Anno Dominice Incarnationis MVII. Indictione V. Anno Regni Domni Henrici Regis Secundi Regnantis VI.*

*Actum Polede feliciter. Amen.*

Hisce

Hisce denique accedat Diploma alterum, e supra laudati Cœnobii Casinensis Chartophylacio depromtum, in quo *Reipublicæ* mentio est.

## Guaimarii IV. Principis Salernitani Diploma, quo Ecclesiam Sancti Michaëlis Archangeli cum omnibus ad ipsam pertinentibus donat Monasterio Cavensi Sanctæ Trinitatis, ejusque Abbati primo Adelferio, Anno 1035.

*IN nomine Domini Dei eterni Salvatoris nostri Jesu Christi.* Waimarius *divina protegente clementia Langobardorum gentis Princeps, pro amore omnipotentis Dei, & pro salute nostræ animæ, nostræque Patriæ salvatione concedimus in Monasterio Sanctæ & individuæ Trinitatis, quod situm est in Crypta, quæ est in pertinentia Mitilianense, in quo* Domnus Adelferius *venerabilis* Abbas, *& spiritualis Pater & Orator noster præest, Ecclesiam Sancti Archangeli, quæ constructa est ultra fluvium Tuscianum, cum Codicibus & omni ornamento ipsius Ecclesiæ, cum vineis & terris vacuis per has fines & mensuras: a parte Meridiei incipiente a prædicto fluvio Tusciano, & abiente in parte Orientis rectum per terminos usque ad sepem, & deinde abiente juxta ipsam sepem similiter in parte Orientis, & revolvente in partem Meridie secus prædictam sepem, usque ad viam publicam majorem, sunt inde passus ducenti nonaginta usque ad aliam viam: & ab inde revolvente in parte Orientis per ipsam aliam viam passus quadraginta duo: deinde revolvente in parte Septentrionis circa finem de rebus nostri Palatii, & circa sepem, quæ discernit inter has, & res nostri sacri Palatii, passus centum usque ad aliam viam: & exinde revolvente in partem Occidentis per predictam aliam viam passus decem & octo: & ab inde revolvente in partem Septentrionis juxta finem supradicti nostri Palatii, sicut sepis discernit, passus octoginta octo a parte Septentrionis transcendente jam dictam viam majorem, & abiente in parte Occidentis per mediam sepem, & fossatum usque ad supradictum fluvium sunt passus centum quinquaginta. De aliis vero partibus fine sicut decurrit aqua predicti fluminis. Hæ autem supradictæ mensuræ justa passus hominis mensuratæ sunt. Has omnes supradictas res cum prædicta Ecclesia Sancti Archangeli cum Casis & Cellis & cum omni ordine & pertinentia ipsius Ecclesiæ, & cum omnibus infra se habentibus & suis pertinentiis, qualiter per ipsas fines & mensuras circumdata est, & cum vice de viis suis, sicut supra dictum est, prædicto Monasterio Sanctæ Trinitatis concedimus, ut amodo & deinceps per hunc nostrum roboreum Præceptum cunctam supradictam nostram concessionem prædictus Domnus Adalferius Abbas, ejusque successores habeant & possideant, & frudient, & de ipsis frudiis faciant omnia, quæ voluerint, absque omni nostra,* nostræque Reipublicæ *contrarietate. Et neque a nostris Judicibus, Comitibus, Castaldeis, vel a quibuscumque agentibus patiatur aliquam molestationem, sed perpetuis temporibus cuncta supradicta concessio permaneat in jam dicto Monasterio Sanctæ Trinitatis. Tantummodo si aliquando quæcumque humana persona suprascriptum Monasterium Sanctæ Trinitatis de dominio & defensione nostra,* nostræque Reipublicæ *quocumque modo subtraxerit, tota supradicta concessio revertatur ad potestatem nostram* nostræque Reipublicæ, *ad faciendum exinde omnia, quæ volu rimus.*

*Textum vero hujus nostræ concessionis in prædicta ratione scribere præcepimus tibi Truppoaldo Abbati & Scribæ nostri sacri Palatii, de Mense Julii, Indictione III. anuloque nostro insigniri jussimus, Anno, Deo propitiante, nostri Principatus XVII.*

*Locus Sigilli cerei* ✠ *cum Effigie Guaimarii, & epigraphe*

GVAIMARIVS PRINCEPS

Nunc autem memorandi mihi sunt *Reipublicæ Exactores*, quos in Diplomate Conradi I. Augusti apud Ughellium in Episcopis Bellunensibus, Astensibus &c. invenio, immo in aliis quoque Regum tabulis invenias. Geminas ego nondum editas producere heic statui. Primum Diploma authenticum adservatur in Tabulario Capituli Canonicorum Parmensium. Alterum mihi suppeditavit præstantissimus Toparcha Antonius Comes de Collalto, Augustissimi Cæsaris intimus Consiliarius.

## Ottonis II. Imperatoris Diploma, quo Canonicis Ecclesiæ Parmensis omnia illorum jura ac Privilegia confirmat, Anno 980.

„ IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. „ Otto divina favente providentia Imperator Augustus. Omnium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque presentium ac futurorum „ fidelium nover t industria, eo quod Canonici Parmenses sanctæ matricis Ecclesiæ, interventu ac petitione *Dominæ nostræ matris Adelaidæ* nostram efflagitantes celsitudinem, „ quatinus omnes Canonicales res sub nostri „ Præcepti confirmatione reciperemus. Quorum justam efflagitacionem considerantes, illud mente revolventes, quoniam si Deo famulantibus in omnibus nostra Magestas necessitatibus subvenerit, Deum nobis propitium „ habebimus, supradictorum videlicet Canonicorum assiduis precibus; unde tam Christi „ remuneratione, quamque matris amore, „ necnon illorum Sacerdotum intercessione „ omnes res prælibatæ Ecclesiæ tam infra Civitatem quam extra: videlicet omnes domos, „ quæ Papiæ habere videntur; Castellum Palasioni cum omnibus suis adjacentiis & operis „ tam de Castellanis quamque de Colonis, & „ cetera omnia servitia, quæ circumvicinis „ Oppidis ceteri Castellanis præsidentibus exhibent; ita ipsi superius dicti Castelli, & ceterorum omnium inferiorum Castellorum incolæ supradictis Canonicis omni tempore se-

„ cun-

„ cundùm morem locorum exhibeant : ſcilicet „ Macritulæ , Gajanum , Monticellum , Aqualatulam , Caſtellum de Sablone , quod nuncupatur Saſa Maſſa cum Corte , Caſtellum de Folliano , quod nuncupatur Mucletum cum Corte , Caſtellum de Monte Gibuli cum ſuis pertinentiis , & cum Colonis , qui habitant in Monte Acutulo , Caſtellum de Sala cum ſuis pertinentiis , & cum manſionibus , que ſunt in ſuburbano territorio Ferrariæ , & Cortem de Gavello , & manſiones infra Civitatem Bolloniam , cum Eccleſia & vineas & terras , quæ fuerunt Regizonis , & manſos duos de Al . . . manis : Corte de Monte cum omnibus ſuis pertinentiis : Cortem de Spaniaco cum Eccleſia : Cortem de Balloni cum ſuis pertinentiis & adjacentiis , & Runco Colombino : Cortem de Cornitulo cum valli : Cortem Temoncello juxta Blanconiſe , cum runcis , qui ſunt in Viaciolo , & cum omnibus pertinentibus terris : & Plebes duas , unam Sancti Proſperi , alteram Sancti Martini in honore dicatas , cum omnibus illarum pertinentiis & decimis : ſimiliterque decimas omnium hominum habitantium Parmam , laborantium ſuburbanas terras , quæ dividuntur a Plebibus : necnon etiam tertiam partem telonei ejuſdem Civitatis : necnon manſos in Gambiolo , & in campo Tuſatico & in Soleniano & Cirliano & in Noceto : ſive etiam Manſos , qui ſunt ultra Inciam , ſeu ubique locorum ſub noſtro imperio Italico , tam in planiciebus quam in montibus , molendinos , piſcationes , ſilvas , aqueductus , flumina , fontanas , tam quod in præſenti habent , quàm in antea Chriſti prerogativa adquirere poterunt uſque in finem ſeculi , eo tenore ſub noſtri confirmatione Præcepti recipimus , quatinus nullus Dux , Marchio , Archiepiſcopus , Epiſcopus , Comes , Vicecomes , Sculdaſius , Gaſtaldius , vel aliquis *Publicæ rei Exactor* , magna parvaque noſtri Imperii perſona , quovis in tempore de prædictis Caſtellis & Cortis paratas aut operas , aut aliquam publicam exactionem quærere præſumat , aut prædictos Parmenſes Canonicos de jam dictis omnibus rebus moleſtare , deveſtire preſumat . Et ſi quis umquam inventus fuerit , qui contra noſtri Præcepti confirmationem agere perperam temptaverit , ſciat ſe amiſſurum centum Libras auri obtimi , medietatem noſtræ Kameræ , & medietatem prælibatis Canonicis , quibus moleſtiæ . . . . . Et ut hoc verius credatur , & in poſterum diligentius ab omnibus Deum rite colentibus obſervetur , ſigilli noſtri impreſſione ſubtus juſſimus inſigniri .

„ Signum Domni Ottonis ſereniſſimi Imperatoris & invictiſſimi Auguſti .

*Locus* ✠ *Sigilli cerei* .

„ Johannes Cancellarius ad vicem Petri Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi .

„ Data V. Kalendas Januarii , Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXX. Indictione IX. „ Regni verò Domni Ottonis XXII. Imperii autem ejus XIII.

„ Actum Ravennæ .

## Otto III. Germaniæ & Italiæ Rex Rambaldo Comiti Tarviſino donat Regalia in quibuſdam locis Comitatus Tarviſini, circiter Annum 988.

*In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis . Otto Dei . . . . . Rex . Omnibus noſtris fidelibus tam præſentibus quam futuris notum facere volumus , eo quod* Raimbaldus Comes Tarviſii *noſtram adiens clementiam , & interventu* noſtræ *dilectiſſimæ* Matris Theophaniæ Imperatricis Auguſtæ *efflagitans , quatenus de ſex locis quicquid ad regium jus , cenſum , factionem pertinet , ſibi concederemus in Comitatu Terviſino : videlicet de Caubbio , Reſiano , Tu . . . . Anzado , Fovene , Servano . . . . quæ ſunt una Corticella cum caſalino , ſilvis , buſchilibus , aquis , aquativis . . . . . . . ſeu cum inferioribus & ſuperioribus ſuis . Quocirca reſpiciens dilectionem bonæ Matris , & fidelitatem ſupraſcripti Raimbaldi de bono . . . . . ſudantis in noſtro ſervitio , ſupradictam petitionem ei conceſſimus , prout juſte & legaliter valuimus , per Præceptum noſtræ donationis . Videlicet ea ratione , ut quicquid de prædictis ſex locis & de ſupraſcripta Corticella , ſicut ſuperius legitur , in integrum pertinet ad eamdem , in ejus jus & dominium transfundimus eo tenore , ut habeat poteſtatem tam ipſe quam ſui heredes donandi , vendendi , pro anima judicandi , vel quicquid ejus decreverit animus , faciendi , omni contradictione remota : ea lege indita , ut nullus Dux , Marchio , Archiepiſcopus , Patriarca , Epiſcopus , Comes , Vicecomes , Sculdaſſus , Gaſtaldius , vel aliquis* Publicæ rei *Exactor , magna parvaque noſtri Regni perſona inquietare , moleſtare , diſveſtire prædictum Raymbaldum vel ſuos heredes de factione publica ſupradictorum locorum præſumere faciat per ſuas ſummittentes perſonas , vel per ſe faciat . Et ſi inventus fuerit , qui hoc facere voluerit . . . . . . . centum Libras auri optimi compoſiturum , medietatem Cameræ noſtræ , & medietatem præfato Raybaldo dilecto noſtro fideli . . . . .* Cetera deſiderantur ,

Qui heic appellantur *Publicæ rei Exactores* , ſi Du-Cangium auſcultamus , *Publicani* fuere , qui nempe tributa Principis exigebant . Et profecto dubitandum non eſt , quominus & iſti ſub eo nomine comprehenderentur . Sed latius fortaſſe vis iſtius vocis excurrit , & complecti videtur omnes Patrimonii Regalis , & Fiſci Miniſtros , a quibus Regum vectigalia , tributa , prædia , ceterique reditus Fiſcales aut patrimoniales curabantur . *Actores* , *Agentes* , *Actionarii* , *Procuratores Reipublicæ* , aliaque ejuſmodi

voca-

vocabula, unam rem, ut suspicor, aut parum diversas significabant. Sed quod non satis interdum intelligas, mentio est *Publicæ partis*. Nam uti in Dissertatione præcedenti *de Fisco* animadverti, *ad Publicum devolvi*; *componere ad Publicam partem*; *remotâ Publicæ partis contradictione*, aliæque similes dicendi formæ, etsi me quoque fatente Fiscum & Ministros Regis indicare perpetuo censendæ sunt, alicubi tamen aliquid a Rege diversum innuere videntur. In supra laudata Lege 34. Ludovici Pii Imperatoris inter Langobardicas decretum est, ut refractarii ad persolvendas Decimas, *ad judicium perducantur & ibi secundum Legem ad Comitem, vel ad Partem Publicam componant*. Indicebat Comes, & colligebat multas ad Fiscum Regium spectantes: quid ergo *Pars Publica* fuerit, quæ a Comite heic distinguitur? Verùm uti in Dissertat. VIII. *de Comitibus* animadverti, portionem suam ex iis multis Comites percipiebant: erantque etiam ex iis nonnullæ, quæ integræ ad Comitem spectabant. In Diplomate Berengarii I. Regis Astensi Præsuli concesso apud Ughellium Tom. 4. Ital. Sacræ, præceptum fuit, *ut nullus Dux, Comes, Vicecomes, Scholdatio* (lege Sculdascius) *Gastaldio, Decanus, vel quilibet Publicæ partis Minister in rebus prælibatæ Ecclesiæ aliquam audeat inferre molestiam*. Ita in Diplomate Ludovici III. Regis postea Augusti apud eumdem Ughellium, Novocomensis Episcopus immunis esse jubetur *a Publica functione*, aliisque tributis, *quæ usque modo a Parte Puplica exacta sunt*. In eo Præcepto per Ughellium edito Tom. 4. pag. 257. primæ editionis *Ludovicus* appellatur *Tertius gratia Dei Rex*. A sciolo aliquo additum fuit illud *Tertius*, uti & *Deilberto* Episcopo nomen *Secundi*: quod in authenticis minime scriptum fuit, uti in Historia Novocomensis Ecclesiæ nostris temporibus prodidit P. Tattus e Somaschensi Congregatione. Eâque licentiâ interpolatæ sunt aliæ tabulæ Episcopatus Comensis, in quibus legitur *Ludovicus Primus, Lotharius Primus, Ludovicus Secundus, Leo Primus Episcopus* &c. Hæc obiter. Majores etiam tenebras offundere posse videatur Diploma, quod ex antiquo Regesto Cremonensis Episcopii olim ego describebam.

## Otto II. Imperator Episcopatui Cremonensi confirmat omnia illius jura & bona, Anno 978.

*IN nomine Domini Dei eterni. Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Si circa loca Deo dicata munificentiam nostre largitatis impendimus, id ad eterne recompensationis meritum nobis proficere non dubitamus. Quocirca omnium sancte Dei Ecclesie, nostrorumque presentium scilicet ac futurorum fidelium notum esse volumus universitati*, Odolricum *sancte* Cremonensis Ecclesie *venerabilem* Episcopum *nostram adiisse clementiam, quatinus pro Dei amore, nostreque anime remedio, omnem telonei, curature, aut portatici de eadem Civitate persolutionem ad* nostram *olim* Publicam *pertinente* partem, *eidemque sancte Ecclesie a nostris antecessoribus Regibus & Imperatoribus proprietario jure delegatum, tam de parte prælibati Comitatus, quàmque de parte Cortis Sexpilas; & quicquid* ad Publicam partem *in eadem Civitate vel foris usque ad quinque Milliaria de Comitatu Brixianensi, juste & legaliter olim pertinens Imperiali largitate ejusdem Ecclesie est contraditum pontificio, curaturam videlicet, portaticum, vel teloneum, una cum turribus & portis atque pusterulis, cum universarum integritate rerum eidem sancte Cremonensi Ecclesie juste & legaliter pertinentium, sibi suisque successoribus nostra Imperiali auctoritate confirmare & corroborare dignaremur. Cujus dignis supplicationibus aures nostre pietatis accommodantes, interventu ac petitione* Theophanie nostre *dilecte* Conjugis & consortis Imperii, *omnia predicta, teloneum scilicet, curaturam, portaticum, & quicquid in eadem Civitate vel foris usque ad quinque miliaria de Comitatu Brixianensi, vel de Corte Sexpilas per Imperialia decreta a nostris est concessum antecessoribus, Regibus, vel Imperatoribus*, Karolo *videlicet &* Berengario, *boneque memorie genitore nostro* Ottone, *una cum portis & turribus, pusterulis, seu cum universarum rerum integritate, ipsi Ecclesie pertinentium, jam dicto Odolrico Episcopo, suisque successoribus per hanc nostram preceptalem paginam confirmamus & corroboramus; statuentes, ut nullus* Publice aut Regie partis Procurator *infra muros prenominate Civitatis aliquam habeat potestatem aut curaturam, aut portaticum inibi tollant. Nemo etiam Comes, Vicecomes, Sculdasio, Gastaldius*, Decanus Publice, & Imperialis, aut Regie partis *infra muros Cremonenses vel foris circa Civitatem per quinque miliaria Placitum teneat, aut mansionaticum faciat absque voluntate & permissione jam dicti Episcopi, aut suorum successorum. Hac etiam nostra Imperiali auctoritate tam ipsi Episcopo quamque & suis successoribus confirmamus & corroboramus, ut habeat licenciam, vias publicas ibidem circumcirca adjacentes ad utilitatem ejusdem Civitatis incidendi, & fossaticos faciendi, & si mercata infra spacium Cremonensis Civitatis aut extra circumquaque facere potuerit cum mercato Sancti Nazarii, Imperialem nostre licentie habeat confirmationem presenti inscriptione: & ut eadem mercata juxta nostrorum antecessorum statuta sint simul cum mercato Sancti Nazarii in potestate Episcopi Cremonensis Ecclesie, volumus omni publica datione remota & contradictione Cortis Sexpilarum expulsa. Omnia denique Castella circa Plebes & Turres prelibati Episcopii Cremonensis hedificata sub nostram Imperialem majestatem ac mundiburdium recepimus, & ab omni publica functione & placito ac mansionatico & curaturis eadem Castella decernimus & diudicamus perpetuis temporibus esse excusata, & in potestate ipsius Episcopi suorumque successorum absque publico ministeriali permansura, & censemus & confirmamus Piscariam quoque ejusdem Ecclesie a Vulpariolo usque ad Caput Addue cum molendinis & portoris transitoriis &c.*

*Signum Domni Ottonis invictissimi Imperatoris Augusti.*

*Gerbertus Cancellarius advicem Huberti Episcopi & Archicancellarii notavit.*

*Data XIV. Kalendas Majas, Anno Dominice Incarnationis DCCCCLXXVIII. Regni verò Domni Ottonis Imperatoris Augusti XVIII. Imperii verò ejusdem XI. Indictione VII.*

*Actum est autem in Corte, que Altestet dicitur, feliciter. Amen.*

Si unum & idem fuit *Publica Pars*, & *Regia Pars*: cur amabo heic scriptum fuit, *ut nullus* Pub-

*Publicæ aut Regiæ Partis Procurator* &c.? Perinde ac duæ diversæ *Partes* sint istæ, expressa hæc fuisse videntur. Quare mihi dubitatio in præcedenti Dissertatione ingesta fuit, an sub *Publicæ Partis* nomine aut pars Comitis, aut quæ nunc Populi Communitas & Universitas appellatur, tunc venire potuerit. Verùm quæ hac de re sententia nobis futura sit, Præceptum ipsum nunc editum satis ostendere potest, videlicet unum Regalem Fiscum & Ministros regis vocabulo *Publicæ partis* commonstrari. Vulgo Regius Fiscus dicebatur *Publica Pars*: quum verò additur *aut Regiæ Partis*, id factum uberioris intelligentiæ causâ, quum aliquando Italiæ dominaretur Rex, nondum Imperiali dignitate auctus. Et diserte quidem Imperator commemorat *telonei, curaturæ, aut portatici persolutionem, pertinentem ad Nostram olim Publicam Partem*: & infra *quicquid ad Publicam Partem pertinens, Imperiali largitate ejusdem Ecclesiæ est contraditum pontificio*, ideft potestati. Non aliena, sed sua donarant Augusti Ecclesiæ Cremonensi. Infra etiam statuit, *ut nemo Comes, Vicecomes, Sculdascio, Gastaldius, Decanus Publicæ, & Imperialis, aut Regiæ partis* placitum ibi teneant. Alibi verò occurrunt *Publicæ Partis*, seu *Reipublicæ Exactores*, ideft Regiæ Cameræ ministri; uti & *Palatia Publica*; quæ eadem aliis in locis *Regia* appellantur; & *venire in Publicum* idem erat, ac Fisco addici. Apertissime autem stabilitam videas hanc sententiam a Lege XXIV. Liutprandi Langobardorum Regis Lib. 6. Ibi agitur *de possessione, quam aliquis de Publico habet*. Ad eam confirmandam possessor *dicat juratus ad sancta Dei Evangelia, aut de se, aut de patre, aut de avo, quod ipsa res per Principem data fuisset*. Et infra: *Si aliquid de servo aut aldione Regis comparaverit, & probata causa fuerit, relaxet ipsam rem in Publico*, ideft Fisco, seu Regi restituat. Rodulphus etiam Italiæ Rex Anno Christi DCCCCXXIV. (ut est apud Ughellium Tom. 2. Italiæ sacr. in Episcop. Parmens.) Eicardo Parmensi Episcopo, petenti *quamdam Curtem juris Regni nostri*, hoc est spectantem ad Fiscum & Cameram Regiam, *quæ Subloneta* (scribe *Sabloneta*) *dicitur*, elargitur *prælibatam Curtem de Subloneta, quæ semper nostræ Regiæ & Publicæ Parti pertinuit, & de nostra potestate & dominio in ejus potestatem & dominium omnino transfundimus*. Ita in Diplomate Anni DCCLXXIV. non verò DCCLXXIII. (uti legitur Tom. I. pag. 37. Veter. Scriptor. Martene & Durand) Carolus Magnus Monasterio Turonensi Sancti Martini donat *Insulam cum Castello Sermionense, quæ est sita in Lacu Manciadæ* (ideft *Benaco*, nunc *Lago di Garda*) *& Curtem Piscariam, ac Lionam, sicut in Publico, & ad Palatium visum est pertinuisse, & in antea Fisco nostro exciderit*. Quum verò in Vita Ludovici Pii ad Annum DCCCXIV. mentio fiat *Arcæ Publicæ*, quis aliud per ea verba significari arbitretur, nisi *Fiscum Regium*? Occurret etiam tibi in antiquis Diplomatis *Publica Potestas*, & *totius Potestatis contradictione remotâ*. Nihil aliud eo nomine innuitur, nisi *Ministri Publici*, qui Regis nomine Civitates regunt. In variis Caroli Magni Diplomatis scriptum est: *Nullus Judex Publicus Fisci nostri* &c. Mentio quoque est *Publicæ Potestatis* in Diplomate Ottonis III. Augusti, quod archetypum servant Ticinenses Virgines Deo sacratæ in Monasterio olim Sanctæ Mariæ Theodotæ, nunc *della Posterla*.

## Confirmatio jurium Monasterii Ticinensis Sanctæ Mariæ Theodotæ facta ab Ottone III. Imperatore, Anno 996.

*IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina protegente clementia Imperator Augustus. Si circa servos & ancillas Dei tuitionis nostræ magnificentiam, nostros predecessores imitantes, solerter habuerimus, Clementiam Dei promereri, & Regni nostri statum divina ope fulciri non ambigimus. Igitur omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque presentium scilicet ac futurorum noverit industria, qualiter* Petrus Episcopus noster Archicancellarius *obtutibus nostræ majestatis obtulit Præcepta dive memorie* Lodoici, Ottonisque Imperatorum, *nostrorum videlicet antecessorum, nostra pietate collata in* Waldradam Abbatissam *Monasterii, quod dicitur Deodote, sito infra Urbem Ticinensem, supplicitér postulans, ut iterum jam dictam* Waldradam, *quæ nunc est in eodem Cenobio Abbatissa, similiter nostrum emitteremus Preceptum. Quorum precibus &c. Damusque eidem Monasterio de Silva nostra Carbonaria & Gajo materiam ad reparationem ipsius Monasterii suscipere, ac ligna sive cerros ad usum ignis habere juxta temporis opportunitatem, quantum necesse fuerit. Et quandocumque necessitas emineat, naves ejus per Ticinensem Portum, tam per Portum Buricum, quàm per quemlibet alterum discurrere possint absque alicujus contradictione vel telonei exactione. Et quia contra voluntatem Dei aliquanta Monasteria a* Publica Potestate *propter navigium ad* Imperialem Potestatem *inquietantur, huic sancto Loco concedimus & largimur, ut deinceps in antea de ipsis navibus, & de omnibus publicis functionibus predicta Abbatissa quieta atque secura permaneat, & absque alicujus hominis inquietudine &c.*

*Signum Domni Ottonis*  *invictissimi Imperatoris Augusti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

*Heribertus Cancellarius vice Petri Episcopi & Archicancellarii recognovi.*


*Data Kalendis Augusti, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVI. Indictione IX. Anno Tertii Ottonis Regnantis XIII. Imperii Primo.*


*Actum Papiæ feliciter.*

Itidem in suo Tabulario Canonici Patavinæ Cathedralis Ecclesiæ autographum Diploma adservant Henrici inter Augustos Secundi, in quo formula occurrit, *omni Potestatum contradictione remotâ*. Vide etiam Dissertat. XLVI. *de Civitatum Italicar. Magistratibus*, ubi quàm antiqua sit vox *Potestas* ad designandum supremum Civitatis Magistratum, ostendam.

## Henricus III. Rex, & Imperator II. Canonicis Patavinis eorumque Ecclesiæ Privilegia renovat, Anno 1047.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si sacris & venerabilibus locis &c. Quapropter omnium fidelium Sancte Dei Ecclesie, nostrorumqne presentium scilicet ac futurorum comperiat industria*, Arnaldum *sancte* Pataviensis Ecclesie *venerabilem* Episcopum, *nec non & Bernardum nostrum Capellanum, ejusdemque Ecclesie Archidiaconum, nostram humiliter exorasse clementiam, quatenus pro Dei omnipotentis amore, & remedio anime nostre, nec non & rogatu Henrici nostri dilectissimi Cancellarii omnia Precepta, que ab antecessoribus nostris, seu instrumenta Cartarum, que a fidelibus viris sancte Patavensis Ecclesie nuper collata sunt, nostra auctoritate corroborare dignaremur. Quorum precibus tam pro Dei amore, quàm pro ejusdem Ecclesie veneratione libenter assensum prebentes, omnia que per Precepta aliorum Regum vel Imperatorum, nec non que per Cartarum instrumenta eidem Ecclesie dudum a fidelibus viris oblata sunt, per hanc nostram auctoritatem prefate Patavensis Ecclesie confirmamus. Nec non statuimus, ut Canonici ejusdem Eeclesie servientes nunc & successores illorum liberam habeant cum consensu Episcopi, qui pro tempore fuerit, potestatem de omnibus, que illis juste & legaliter pertinere visa sunt, aut visa fuerint, inter se, ut consuetudo fuit, dividendi*, omni Potestatum contradictione remotâ: *videlicet de Decimis Civitatis per omnia, cum titulis atque cum villis suis ad eamdem Civitatem pertinentibus. In primis Villa, que dicitur Limena, & Villa que dicitur Arzere, & Autikeria, & Turre & Noënta, & Villa que dicitur Bergomi, & Roncalia, & Ronco Liuteri, & Villa que dicitur Casale, & altera que dicitur Publitiano, & Villa que nominatur Albignaseca & Masserata &c. Concedimus etiam eidem Ecclesie, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdassio, Gastaldio, Decanus vel* quislibet Publicæ partis Minister, &c.

*Signum Domni Heinrici invictissimi*  *Romanorum Imperatoris Augusti.*



*Heinricus Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognovi & subscripsi.*

*Data V. Idus Maji, Anno Dominicæ Incarnationis MXLVII. Indictione XV. Anno autem Domni Heinrici Tercii, ordinationis ejus XVIII. Regnantis VIII. sed & imperantis Primo.*

*Actum Tridentino in Dei nomine feliciter. Amen.*

Accedat & alterum Diploma, quod ex Regesto Episcopii Cremonensis descripsi. Agitur heic de Insula Fulcherii, quam *tenuit Bonifacius*: quo nomine designari puto *Bonifacium Marchionem & Ducem Tusciæ*, patrem Mathildis inclytæ Comitissæ. Heic ille absque titulo Marchionis, quòd eum Anno MLII. vitâ functum Germani pro Tyranno haberent.

## Henrici Germaniæ & Italiæ Regis III. Diploma, quo districtum Insulæ Fulcherii concedit Hubaldo Episcopo Cremonensi, circiter Annum 1055.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Henricus divina favente clementia Rex. Quoniam Imperatorum & Regum est Ecclesiarum necessitates &c. Quapropter noverit omnium fidelium &c. industria*, Brunonem *inclitum* Presulem & consanguineum nostrum, *aput nostram Regiam majestatem obtinuisse, suggerente* Episcopo Hubaldo *nobis multum fidelissimo, quatinus pro dive memorie nostri Genitoris anima, Sancte Cremonensi Ecclesie, multis calamitatibus afflicte non solùm ab exteris, sed etiam a domesticis, necnon pro Regni nostri perturbatione pene pessumdate, omnem districtum de insula Fulcherii jure propietario & perpetua datione concedere atque largiri dignaremur. Nos vero tanti Pontificis ac consanquinei dignam petitionem considerantes, & assidua obsequia prelibati Hubaldi Episcopi, qui eidem Ecclesie præesse cognoscitur, & sancte memorie Genitoris nostri anime remedium adtendentes, totum predictum districtum de Insula Fulcherii, sicut* tenuit Bonifacius, *pretaxate Cremonensi Ecclesie concedimus, & perhenniter donamus atque investimus, & in Ecclesie jus & dominium omnino transfundimus, ac ad habendum & tenendum delegamus*, totius Potestatis contradictione remotâ. *Si quis &c.*

Desunt subscriptiones Imperatoris, & Cancellarii, nec non dies, Mensis, ac Annus dati Diplomatis

*Ego Ramundus Notarius hujus exempli exemplar vidi & legi.*

Exemplum etiam dabo *personæ Publicæ*: nempe Diploma Lotharii I. Augusti, quod archetypum mihi visum fuit apud Canonicos Cathedralis Arretinæ.

# Donatio Ecclesiæ Sancti Petri in loco Castello facta Ecclesiæ Arretinæ a Lothario Imperatore, Anno 833. aut 848.

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Hlotharius divina ordinante providentia Imperator Augustus. Quicquid divino amore ducti locis conferimus Deo dicatis, id nobis æternis munificentiis rependi minime dubitamus. Igitur notum sit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, scilicet præsentibus & futuris, quia nos ad deprecationem* Petri *venerabilis* Episcopi Aricienfis Ecclesiæ *concessimus ad Ecclesiam Sancti Donati, ubi ipse in corpore requiescit, & sedis Episcopii esse dignoscitur, pro emolumento animæ nostræ, quamdam Ecclesiam in honore Sancti Petri constructam, cum omnibus pertinentiis vel adjacentiis suis, sitam in loco, qui dicitur Castellus in territorio Ariciense, eam videlicet, quam pridem avunculo nostro* Pippino *glorioso* Regi *Barbatianus quondam Presbyter ex sua proprietate contulerat ad habendum, & præsenti tempore Aliprandus Presbyter sub annualem redibitionem ex nostra munificentia habere dinoscitur. Sed pro firmitatis gratia ad eumdem sanctum ac venerabilem locum hanc nostram auctoritatem fieri jussimus, per quam decernimus . . . . . . . . quæ mansurum sancimus*, ut nulla quælibet persona publica *præfatæ Ecclesiæ vel Rectoribus ejus ullo umquam tempore de præfata Ecclesia cum omni pertinentia vel aderenciis suis quamlibet præsumat inferre molestiam aut controversiam; sed quiete & secure liceat eamdem Ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis vel adjacentiis Rectoribus ejusdem loci possidere, atque secundùm illius loci utilitatem, pro ut libuerit, regere atque disponere. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus.*

*Signum*  *Hlotharii gloriosissimi Augusti.*

Locus Sigilli cerei ✠ cum effigie ipsius Imperatoris.

*Durctemirus Subdiaconus atque Notarius aa vicem Egisinari recognovi & subscripsi.*

*Data II. Nonas Octubres, Anno Christo propitio Imperii Domni Hlotharii Imperatoris XVII. Indictione XII.*

*Acta Papia Palatio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Visum, inquam, fuit archetypum: verùm notas Chronologicas Diplomatis, sine libris olim à me descriptas, dum in otio scrutor, aliqua mihi nunc injecta est difficultas. Anno DCCCXXXIII. Kalendis Septembris decurrere cœpit *Indictio XII.* & tunc etiam in cursu erat *Annus XVII.* Lotharii: ex quo is Anno DCCCXVII. consors Imperii renuntiatus a patre fuit. Sed tunc Lotharius in Francia versabatur, nefanda contra Ludovicum Augustum patrem suum moliens. Anno autem DCCCXLVIII. quo II. Nonas Octobris decurrebat *Indictio XII.* quæ Epocha *Annum XVII.* Lotharii referat, non video. Aliis nodum solvendum relinquo: aut Charta accuratius inspicienda erit. *Judiciaria* quoque *Potestas* occurrit in antiquis Chartis, eoque nomine Comites, Vicecomites, ceterique justitiam Populo ministrantes designabantur: nam & Comites olim *Judices* appellati. Hanc in rem producere mihi liceat Diploma, ex Archivo celeberrimi Monasterii Bobiensis depromtum.

# Donatio Sylvæ & Curtis de Monte Longo a Carolo Magno facta Monasterio Bobiensi ejusque Abbati Guinibaldo, Anno 774.

*CArolus gratia Dei Rex Francborum & Longobardorum. Si enim ex his, quæ divina pietas eterna fluenter tribuit, pro opportunitate servorum Dei locis venerabilibus concedimus, hoc nobis ad mercedis augmentum ac stabilitatem Regni nostri pertinere confidimus. Quapropter donamus ad Monasterium Ebobiense, ubi Sanctus Columbanus corpore requiescit, &* Guinibaldus Abbas *praeesse videtur, secundum amplius in futurum petitionem, donatumque in perpetuo ad eundem Sanctum locum esse volumus; hoc est Silva nostra una con Corte illa ibidem scita, quorum vocabulum est Monte Longo, cum omnibus adjacentiis vel appenditiis ad ipsa Silva vel ad ipsa Curte aspicientibus vel pertinentibus ibidem, una cum terris, domibus, edifitiis, mancipiis, vineis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus, omnia & ex omnibus, ut diximus, quidquid ad eandem Foresten vel Curtem nostram aspicere videbatur, plenissima voluntate a die presente indulsimus. Similiter adjungimus a prefato Monasterio Ebobiense Alpem aliquam, que vocatur ad Montem, inciniens enim de Rivo de CasaVeteri, ascendens per costam in summitate Cuchari minoris super Casalegri integra via pertransiens versùs Incerasiolam, ubi Banciola vocatur, quo terminus fi-*

*fixus est: aqua inde descendente in Caput Sirtarim usque ad mare: ex alio latere habens Rivum finalem descendentem de Montelongo intrantem in mare, vergiturque abhinc finis a petra Corice per summitatem Coste in via publica; ibique terminum stat, descenditque per finem Montis Petroni per summam Costam a Vallicula, que nuncupatur Castanetum, descendens in viam, que educit ad petram Corici juxta Montem in Navasco, caditque in aliam viam publicam, que vadit ad Castellionem, indeque repricat se in susum juxta Montem in cervice insignitum Cruce, & pertransit versùm in finem Sancti Michaëlis exeuntem de flumine Petrurio ad fines Montis Harimannorum super Olivetum, quod est via publica juxta Montem per Caunetum usque a Pirum agrestem. Et earum hec omnia per hoc nostre auctoritatis pragmaticum donamus atque concedimus tenentia capite uno in mare, & alio capite a fines Harimannorum, de uno latere Greganiam, & de altero latere Montelongo, una con pascuis suis atque curtiferis & olivetis; sicut ad Eduardo possessa fuisse dinoscitur. Propterea per hanc preceptionem nostram jubemus, ut nullus quislibet ab hodierna die ex* Judiciaria Potestate, *aut quislibet persona prefato Monasterio, suisque Rectoribus de ipsa Foreste & de Curte supradicta seu etiam Alpe prenominata, inquietare aut calumniam generare presumat, sed Abbas prefatus Guinebaldus, suique successores denominatas res teneant cum integritate, sicut de Palatio possessa sunt, tenere ac denominare vel regere debeant, & quidquid a prefato jam dicto Monasterio pro mercedis nostre augmento, vel pro luminariis ejusdem Ecclesie facere elegerint, liberum perfruantur arbitrium. Et ut hec auctoritas firmior habeatur, vel nostris futuris temporibus melius conservetur, manu propria subter eam decrevimus roborare.*

*Signum ✠ manus Charoli gloriosissimi Regis.*

*Sub die Nonas Junias, Anno Sesto . . . . . Regni nostri.*

*Actum Papiam Civitatem, in Dei nomine feliciter.*


*Enrichus recognovit & dedit.*

Habemus heic mentionem *Judiciariæ Potestatis*. Desideratur autem in exordio titulus *Patricii Romanorum*, quod in aliis Diplomatis occurrit. Sed nihili faciendus hic defectus. Nondum enim Anno DCCLXXIV. Carolus ejusmodi titulum usurpare cœperat, uti exempla à Mabillonio producta satis ostendunt. Potius Notæ Chronologicæ negotium facessant. Actum Diploma dicitur *Papiæ*, *Anno Sexto . . . . . Regni nostri*. Epocham Regni Francici exhibere hic potest à morte Pippini Patris. Verùm cur non & Regni Langobardici fit mentio, quum Ticini scriptum Diploma dicatur, & Carolus inscribatur *Langobardorum* quoque *Rex*? Attamen & heic respondeas, lacunæ interpositæ causâ subductum nobis fuisse Annum Primum Regni Langobardici. Sed insuetum est illud *Signum manus Charoli*, quum in aliis Diplomatis *Signum Caroli* tantummodo scribatur; & *Carolus*, non *Charolus Francorum & Langobardorum*; non *Franchorum & Longobardorum* in aliis occurrat. Quum tamen heic de apographo agatur, levia hæc uni Librario tribuenda videntur. Præterea in vetustissimis Chartis vidi ego interdum *Longobardorum*, & *Longobardia* scriptum. Quamobrem fidei Chartæ hujus detrahere ego nondum ausim. Interea nos ad Annum DCCLXXIV. habemus *Guinibaldum Abbatem Bobiensem*, quem Ughellius in Episcop. Bobiensib. Tom. 4. Ital. Sacræ, & Mabillonius in Annalib. Benedictinis ignorarunt. Quo tempore Urbem Ticinensem victor Carolus ingressus fuerit, investigabat Pagius in Critic. Baron. ad Annum DCCLXXIV. atque id evenisse eo Anno *post diem Nonum mensis Maji, sed ante Decimum tertium mensis Junii*, recte statuit. Propiores scopo Diploma istud, (dum legitimum foetum agnoscere velis) nos facit, indicans, Carolum illâ jam Urbe potitum ante *Nonas Junias*. Vidi etiam in Lucensis Arciepiscopii Tabulario Chartam exaratam *Regnante Domno Nostro Carulo gratia Dei Rex Francorum & Langobardorum, ac Patricius Romanorum, Anno Regni ejus, quo Langobardiam cepit, Vigesimo quinto, & filio ejus Domno nostro Pippino Rege, Anno Regni ejus Octavodecimo, IV. Idus Junias, Indictione VI. Manifestum est mihi Atripaldo Presbitero filio quondam Raperti de loco Rocca, quia per hanc Cartula pro remedio anime mee tali ordine, ut subter decrevero, offerre previdi Deo, & tibi Ecclesie Venerabili viro Johanni Episcopo, Ecclesiam meam Sancti Quirici, edificata à parentibus meis in suprascripto loco Rocca, una cum casis &c.* Scripta fuit Charta Anno Christi DCCXCVIII. die X. Junii. Ergo eodem die decimo Junii Anno DCCLXXIV. *Langobardiâ*, atque adeo Regiâ Ticinensi Urbe potitus jam fuerat Carolus Magnus. Contra dubitare licet, an decurrente Majo Regiam illam ad deditionem coëgerit, quum in eodem Lucensi Archivo altera Charta adservetur, scripta *Anno XXIII. Caroli Regis, & XVII. Pippini Regis, mense Majo, Indictione Quinta*; hoc est Anno Christi DCCXCVII. Quod & in aliis ejus ævi Chartis, ac præcipue Langobardicis animadverti, dies mensis minime adnotatus est. Ad hæc in Chartario Monasterii Veronensis Sancti Zenonis pergamena mihi visa est, scripta *Regnante Domno nostro Carolo excellentissimo Rege in Italia Anno Septimo, mensis Magii, per Indictione III. feliciter. Dulcissima adque amantissima mihi, & cum omni honore nominanda & felicia puella filia mea ego Felix Clericus filius bone memorie Johanni &c.* Ei multa donat. Itaque exarata fuit Charta illa Anno Christi DCCLXXX. ex qua, uti ex supra indicata, elucere videtur, nondum mense Majo Anni DCCLXXIV. Epocham Langobardicam Caroli Magni exordium cepisse. Redeo nunc ad *Judiciariæ Potestatis* mentionem, quæ diu locum habuit in Regum Cancellaria. En ipsam tibi offero in Diplomate Henrici inter Imperatores Primi, quod autographum inspexi in Archivo insignis Monasterii Sanctimonialium Lucensium Sanctæ Justinæ.

Con-

# Confirmatio jurium ac privilegiorum Aſceterii ſacrarum Virginum Lucenſium S. Salvatoris, facta Alpergæ Abbatiſſæ ab Henrico inter Auguſtos Primo, Anno 1015.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Quicquit locis divino cultui mancipatis noſtre liberalitatis munere conferimus, id nobis ad æternæ retributionis remunerationem prodeſſe minime diffidimus. Cognoſcat igitur omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, ſeu noſtrorum, preſentium ſcilicet, futurorumque ſollertia, qualiter nos interventu ac peticione* Cunigundæ Imperatricis, noſtræque *dilectæ* Conjugis *per hanc noſtri Præcepti paginam, prout juſte & legaliter poſſumus, confirmamus & corroboramus Monaſterium Sancti Salvatoris, quod eſt infra muros Urbis Lucæ conſtructum, una cum* Abbatiſſa *nomine* Alperga, *cum omnibus Sanctæmoniales ibi Deo famulantibus, quomodo ſunt, aut pro tempore Deo inibi famulantibus, cum omnibus eorum rebus & proprietatibus, ſcilicet & terris, vineis, pratis, paſcuis, ſilvis, paſcentes paſcuationibus, ac omnia ſubſtancia, que idem locus meretur habere, confirmamus per noſtræ Auguſtalis potentiæ, per quod Monaſterium illud res habitas, & adhuc in jure ipſius Monaſterii juſte manentes poſſint in futurum contineri. Statuimus ergo, ac per hoc noſtre confirmationis Præceptum, ut ab hinc & in futurum prefatum Monaſterium, una cum rebus vel familiis inibi juſte pertinentibus, vel quecumque in antea per dationem religioſorum virorum, ſeu devotarum fœminarum conlatum extiterit, ſub noſtri Præcepti confirmationem permaneat, & nullus quislibet de predictis rebus, quas tunc tenere quiete ac legaliter videbantur, aliquam inquietudinem ullo umquam in tempore facere preſumat, ſed per hanc noſtram auctoritatem omnes res ipſius Monaſterii ſint defenſate ſub noſtri Præcepti confirmationem. Volumus etiam, ut ſub noſtra immunitatem idem predictum Monaſterium noſtris & futuris temporibus exiſtat una cum omnibus rebus ac familiis ad eum juſte pertinentibus. Et ſi quando Abbatiſſa obierit, de ſuis ipſis eligant, quam bonæ converſationis invenerint meliorem Abbatiſſam. Precipientes quoque jubemus & jubendo præcipimus, ut nullus Judex publicus,* aut aliquis ex Judiciaria Poteſtate *infra ipſum Monaſterium, ſeu Eccleſias aut Villas, aut agros &c. Quod ut verius credatur &c.*

*Signum Domni Heinrici ſereniſſimi*  *invictiſſimi Imperatoris Auguſti.*

*Heinricus Cancellarius vice Everardi Epiſcopi & Archicancellarii recognovit.*

*Datum Anno Dominice Incarnationis MXV. Indictione XII. Anno Domni Heinrici Imperatoris Auguſti regnantis XII. Imperii ejus Primo.*

*Actum in Comitatu Piſano, in Villa quæ nuncupatur Faſiano, feliciter: Amen.*

Pendebat Bulla, quæ modò deſideratur.

Quamobrem quæ hactenus veterum monumenta delibavimus, nullum nobis veſtigium offerunt alicujus *Reipublicæ*, ſive *Univerſitatis*, aut *Communis*, ſub quo nomine Populi Ordo veniret, poſtquam Langobardi & Franci Italiâ potiti fuerunt. Immo nihil hactenus mihi obſervandum reſtat, unde certò perſuaderi poſſit, Italicas Urbes, hoc qualecumque decus ſub iis retinuiſſe, quo ſub Romanis olim, ut vidimus, fruebantur: Attamen aliquam Reipublicæ formam eo quoque ævo ſervatam in Civitatibus ipſis, ego hercle ſuſpicari adhuc pergo; juvatque rejicere minime perſpectæ rei cauſſam in monumentorum illius temporis inopiam. Quid ſuſpicionem meam foveat, paucis aperiam. Præcipit Lotharius I. Auguſtus in Lege 48. inter Langobardicas, *ut Miſſi noſtri, ubicumque malos Scabinos invenerint, ejiciant, & cum totius Populi conſenſu in eorum loco bonos eligant.* Ergo ad Scabinorum electionem concurrebat Populi conſenſus, ipſique Scabini Magiſtratuum Popularium ſpecies fuere, & aliquid in Populo auctoritatis privilegium oſtendunt. Atqui ad ejuſmodi electionem vix Populi conſenſus acceſſiſſe potuit, niſi aliquis in eo Ordo, Collegium, ſive Communitas excogitetur, quam regerent Magiſtratus ac primores Populi ejuſdem. Ad Populum quoque ſpectabat reſtauratio *viarum, portuum*, & *pontium*, interdum quoque & Regalis *Palatii*, ut habetur in Lege 41. ejſdem Lotharii. Romanis etiam Italiæ dominantibus, ut ſupra animadvertimus, ſingularum Civitatum Populus & Reſpublica ſuo ære idem curabat, ſuiſque Magiſtratibus in eam rem utebatur. Veri videtur ſimile, numquam in regimine Civitatum abolitam prorſus fuiſſe hanc Populi prærogativam, uti certe numquam abolitum onus fuit. Exploratum quoque eſt, ab ipſa naſcente Eccleſia ferme uſque ad Sæculum XIII. ſuas Populo partes fuiſſe in Epiſcoporum electione, ſive ipſe cum Clero eligeret, ſive à Clero electum collaudaret. Idque ſub Langobardis quoque & Francis in Italia conſtantiſſime obſervatum. Sunt centena veterum monumenta, e quibus conſtat, eam fuiſſe canonicam Epiſcopi electionem, quæ a *Clero* & *Plebe*, ſive *Populo*, concordibus ſuffragiis peragebatur. Hinc autem ſublucere videtur, Populum, non ſecus atque Clerus, Collegium & Corpus conſtituiſſe, cui Conventuum jura forent, & aliquis Magiſtratuum ordo ac electio. Gregorius Magnus Pontifex Lib. prim. Epiſt. 58., olim 56. ſcribebat *Arſicino Duci, Clero, Ordini, & Ple-*

*Plebi Civitatis Ariminensis*, ut quem digniorem invenirent, Episcopum eligerent. Lib. 2. Epist. 6. *Clero*, *Nobilibus*, *Ordini*, *& Plebi consistentibus Neapoli* paria scribit, uti etiam alibi *Clero*, *Ordini*, *& Plebi consistenti Crotonæ*, *Panormi*, *Nepæ*, *Æsii*, *Terracinæ*, & aliis in locis ac Urbibus. Et hæc quidem usitatior forma Pontificiæ Cancellariæ olim fuit; ita ut Gregorius II. Papa hanc etiam adhibuerit, ad Thuringiæ Populum scribens. Nomine autem *Ordinis* & *Plebis*, duo veluti Corpora, sive Collegia Populi in Civitate qualibet designata mihi videntur, quorum alterum Nobiles, appellati serius *Milites*, constituebant, alterum reliqua inferioris Populi pars. Nam in nonnullis Codicibus, uti adnotarunt Clarissimi Patres Benedictini Congregat. Sancti Mauri, titulus Epistolæ Sextæ supra memoratæ, tantummodo habet *Clero*, *Nobilibus*, & *Plebi*, *consistentibus Neapoli*. Et reapse Lib. 10. Epist. 62. scribit *Clero* & *Nobilibus Civibus Neapolitanis*. Liceat tamen cuicumque, prout ipsi rectius videatur, *Ordinem* interpretari Magistratuum publicorum cœtum, sive Senatum: nihil enim moror. Certe ante Barbarica tempora sub Romanis *Ordo* significabat *Decuriones*, & *Senatum* in Civitatibus. Attamen tam *Ordo*, quàm *Plebs*, sub uno *Populi* nomine sæpius venire consuevit, uti præter alios idem Gregorius Magnus ad Panormitanos scribens ostendit, Lib. 5. Epist. 23. Quibus junge Concilium Romanum sub Nicolao I. in quo sancitum est, ut Archiepiscopus Ravennas non consecraret *Episcopos per Æmiliam*, *nisi post Electionem Ducis*, *Cleri*, & *Populi*.

Nulla autem mihi dubitatio est, quin Reipublicæ sive Communitatis forma in Urbibus hucusque a Sancto Gregorio Magno enumeratis perduraret. Civitates enim illæ adhuc in fide Imperatoris Romanorum persistentes, Langobardorum jugum effugerant. Neque putanda est desiisse in iis prærogativa, quæ per tot ante Sæcula usu, ac Imperatorum veniâ comprobata fuerat. Ita Romæ *Senatus Populusque Romanus* cum Clero ad electionem Romani Pontificis sese jungebat. Sed quid de Urbibus in Langobardorum ditione positis? Idem Gregorius Magnus Lib. 3. Epist. 29. de electione facienda Constantii Archiepiscopi scribit *Presbyteris*, *Diaconibus*, *& Clero Mediolanensis Ecclesiæ*. Heic de Populo aut Plebe nihil. Sed animadvertendum, Gregorio redditas fuisse unius Cleri literas de negotio electionis, quibus ille respondet. Hoc autem minime excludit Populi societatem in eligendo ejus Urbis Archiepiscopo. Et sane Pontifex ipse Lib. XI. Epistolam quartam inscribit *Populo*, *Presbyteris*, *Diaconis*, *& Clero Mediolanensi*, ac dolet de morte Constantii, simulque gratulatur de electione Deusdedit. Rursus eodem Libro antequam Deusdedit fuisset *ordinatus*, scribit *Populo*, *Presbyteris*, *Diaconis*, *& Clero Ecclesiæ Mediolanensis*, commendans illis Arethusam clarissimam feminam, ut caussæ ab ea agitatæ finis tamdem statuatur. Profectò, si nulla tunc fuisset Urbium Respublica, nulla Civium Universitas, à suo Rectore, suisque Magistratibus recta & gubernata: quei ad *Populum* quoque literas dedisset sanctissimus Pontifex? Quis ex Populo accepturus, lecturus literas, & responsa daturus fuisset? Eadem ratione Johannes VIII. Papa Epist. 4. scripsit *Clero*, *Ordini*, *& Plebi sanctæ Valvensis Ecclesiæ*. Civitas hæc parebat Principibus Langobardis in Regno nunc Neapolitano. Ita ipso Pontifice testante in Epist. 260. ad Anspertum Archiepiscopum Mediolanensem ediscimus, ordinandum fuisse Astensis Ecclesiæ Rectorem *post electionem Cleri*, *& expetitionem Populi*. In Regno quoque Italico sita erat hæc Civitas. Apponere heic juvat exemplum Epistolæ, quam *Clerus & Populus* Civitatum conscribere olim consueverunt ad Romanum Pontificem, ab eo petentes consecrationem Episcopi à se electi. Illam hausi ex Pontificali Romano, ante annos ferme quadringentos manu exarato.

## Epistola Cleri & Populi ad Summum Pontificem de electo Episcopo consecrando.

*Ex Ordine consecrationis Episcopi. Epistola Populi & Cleri ad Domnum Apostolicum, qua petunt consecrationem Electi. Decretum appellabatur.*

„ Beatissimo Papæ illi N. N. Apostolicæ Sedis dignitate conspicuo *Clerus & Populus* ille N. N. Ecclesiæ totius devotionis famulatum. Credimus, non latêre Apostolatus vestri celsitudinem, quod nostra Ecclesia suo sit viduata Pastore, ac propter hoc sit solatio proprii destituta Pastoris. Quapropter ne Pastore absente grex Dominicus perfidorum luporum morsibus pateret, & ne improbi raptoris fieret præda, *communi voto atque consensu elegimus in Pontificem* illum N. N. Presbyterum nostræ Ecclesiæ, virum utique prudentem, hospitalem, moribus ornatum, castum, sobrium, mansuetum, Deo & hominibus per omnia placentem, quem ad Apostolatus vestri dignitatem ducere curavimus, *unanimiter* postulantes & obsecrantes, à vestra majestate nobis illum ordinari Pontificem, quatenus auctore Domino velut idoneus Pastor præesse valeat & prodesse, nosque sub sacro ejus regimine Domino semper militare possimus. Ut autem *omnium nostrûm vota* in hanc electionem convenire noscatis, huic Canonico Decreto propriis manibus roborando subscripsimus.

„ Ego D. N. N. subscripsi.

„ Ego D. N. N. subscripsi.

Ejusdem *Cleri*, *Ordinis*, *& Plebis* mentio quoque est in Placito magni faciendo, quòd multa præbeat ad eruditionem temporum barbaricorum pertinentia. Descriptum illud fuit ex Tabulario Casinensis Cœnobii, aliasque tabulas eorum temporum complectitur, & potissimum quas Alfanus I. Archiepiscopus Beneventanus scripsit ad *Clerum Alifanum de Viti Episcopi* consecratione. Monumentum profectò dignum, quod tenebris tamdem eripiatur.

Char-

# Charta concordiæ initæ inter Vitum Episcopum Civitatis Aliphanæ & Landonem Langobardum pro quibusdam Curtibus ad Monasterium Sanctimonialium Sanctæ Mariæ de Cingla, una cum aliis præcedentibus Chartis insertis, Anno Christi 1020.

„ IN nomine Domini nostri Jesu Christi. „ Quinto Anno Principatus Domni Paldol- „ fi, & Quartodecimo Anno Principatus „ Domni Paldolfi gloriosis Principibus, ambo „ fratres, & Primo Anno Principatus Domni „ Paldolfi filii superius dicti Domni Paldolfi „ magni & gloriosi Principis, Mense Julio, „ Tertia Indictione. Ideoque nos *Vitus* Do- „ mini gratiâ *Pontifex* Sanctæ Dei Genitricis „ & Virginis Mariæ Sanctæ *Sedis Aliphanæ*, „ declaramus, quia ante præsentia Petri Judici „ Capuanæ Civitatis, & aliorum testium, nos „ pro parte supradicti nostri Episcopatui, & „ erga nobiscum habendo Johannem Diaconum „ Abbocato ipsius nostri Episcopatus, exhorta „ fuit causatio inter nos & te, videlicet *Lan- „ donem Langobardum filium quondam Madel- „ frit Langobardi*, qui es habitator supradictæ „ Civitatis Capuanæ. Tu denique nomine Lan- „ do Langobardus pro parte Ecclesiæ, quæ est „ Monasterio Puellarum Sanctæ Mariæ, sita „ in loco, qui dicitur Cingla, finibus ipsius „ Alifanæ, ubi vir venerabilis Petrus Presby- „ ter custodem esse videtur, & in qua *Domna „ Sichelgaita* religiosa *Abbatissa* videtur esse, „ de Curtibus & territoriis, cultis & incultis, „ & montibus & collibus & aquis & molendi- „ nis, quæ esse videntur in finibus Prata, quæ „ est infra finibus & pertinentiis prædictæ Ali- „ fanæ, videlicet in loco, ubi dicitur Ailane, „ & in loco ubi dicitur Vicuvonelle, & in lo- „ co, ubi dicitur Aquavibola, secus ipsa He- „ te, & in loco ubi dicitur Gattocini. Et de „ Ecclesiis, quæ sunt constructæ infra his Cur- „ tibus & territoriis, videlicet Ecclesia Sancti „ Petri, & Ecclesia Sancti Johanni Baptistæ, „ & Ecclesia Sanctæ Mariæ, & Ecclesia San- „ cti Nicolai, & Ecclesia Sancti Felicis & „ Heusevii, quæ sunt constructæ, ibique in „ ipso loco Ailane, & Ecclesia Sanctorum „ septem Fratrum, que ibidem constructa est „ in loco supradicto Gattucini, & Ecclesia „ Sancti Johanni, quæ constructa est ibique „ in supradicto loco Aquavibola. Quarum „ prima ex prædictis Curtibus & territoriis & „ montibus & collibus & aquis, quæ esse vi- „ dentur in supradicto loco Ailane, finis ha- „ bet ab una parte fine Ribo, qui mergit de „ ipsa cripta antiqua, qui per tempus hiberni „ aqua decurrit: de secunda parte fine vertice „ montis, qui dicitur Coppola, & per verti „ cem de Monte Cimonia: de tertia parte fine „ Ribio, qui descendit de monte qui dicitur „ Merulus, & mittit in ipsa Palude: de quar- „ ta parte quomodo tradit de foris ipsa Palude „ usque in Ribio, & quo badit ipse Ribio, & „ perexiente in ipsa ripa, que est at meridie, „ & perexiente in ipsa via antiqua, quæ mittit „ in ipso Ribio, qui est fine priore. Secunda „ Curte & territoriis, cultis & incultis, & „ montibus & collibus & aquis de supradicto „ loco, qui dicitur Vicuvonelle, finis habent „ ab una parte fine Surgenza, quæ dicitur „ Aquavibola, qualiter vadit in fluvio, qui „ dicitur Hete: ex alia parte fine via antiqua: „ de tertia parte fine Tosone, qui dicitur Ca- „ legne, & fine Ribo, qui de hiberno aqua „ decurrit, & qualiter intrat in ipsa Hete: „ de quarta parte fine jam dicto fluvio Hete. „ Tertia Curte & territoriis, cultis & incultis, „ & montibus & collibus & aquis & molendi- „ nis de supradicto loco Aquavibola . . . . . . . „ Quarta Curte de supradicto loco Gattucini „ has habent fines: de prima parte fine prædi- „ cto fluvio Hete: alia parte fine bertice mon- „ tis: de tertia parte fine bertice alii montis, „ qui dicitur de Redolixi: de quarta parte fine „ Rabe, quæ descendit de ipso monte, & per- „ git in ipsa Hete. Et his prædictis quatuor „ Curtibus & territoriis & montibus & colli- „ bus & aquis & molendinis cum prædictis „ Ecclesiis infra jam dicti finis, simul cum „ omnibus supradictis rebus, quæ jam dictis „ quatuor Curtibus & territoriis, quæ ut di- „ ximus, at fines declarabimus, sicut infra „ aliis Curtibus & territoriis, cultis & incul- „ tis, & montibus & collibus & aquis & mo- „ lendinis, semet Ecclesiis præfati Monasterii „ pertinentibus, quorum omnium simul his „ majoris finis indicabimus habere: idest de „ una parte fine Serra de monte, qui dicitur „ Heremonio: de secunda parte fine fluvio „ prædicto, qui dicitur Hete: de tertia parte „ fine fluvio Volturno: de quarta parte fine „ Ribo, qui dicitur Cerbario: deinde quomo- „ do tradit per montes & valles usque in præ- „ dicta Serra de monte, qui dicitur Heremo- „ nio, quæ est prior fine.

„ Unde fuimus reconjuncti nos pro parte „ supradictæ nostræ Sedis, erga nobiscum ha- „ bendo supradictum Abbocato supradictæ no- „ stræ Sedis, cum ipsum Petrum Presbyterum „ & Custodem pro parte supradictæ Ecclesiæ „ & Monasterii erga secum habendo Petrum „ Clericum Abbocato supradictæ Ecclesiæ & „ Monasterii. Et causaberant contra nos, di- „ cendo, ut Servos prædictæ nostræ Sedis per „ nostram jussionem introissent infra jam dictis „ territoriis, quæ sunt infra jam dicti majoris „ finis pertinentes supradictæ Ecclesiæ & Mo- „ nasterii; & fossata ibidem fecissent, & ter- „ minos antiquos inde effodissent, & fruges „ malo ordine inde tulissent, baliente usque „ ad viginti Solidos. Inde a nos quereratum „ audire responsum & legem recipere. Unde „ nos quo auditi diximus pro parte jam dictæ „ nostræ Sedis, ut infra jam dicti majoris finis „ essent nobis pertinentes pro parte suprascri- „ ptæ nostræ Sedis, jam dictis quatuor Curti- „ bus & territoriis & montibus & collibus, & „ jam dictis Ecclesiis ibique constructis, per- „ tinentes legibus at partem supradictæ nostræ „ Sedis; & unde qualiter fuimus pro parte „ prædictæ Ecclesiæ, quatenus nos a parte „ nostra pro parte supradictæ nostræ Sedis pli- „ garemus nos cum ratione nostra, & cum ra- „ tiones prædictæ nostræ Sedis; & ipse qui su- „ pra Petrus Presbyter & Custus pro parte „ su-

„ supradicti Monasterii pligaret se cum ratio-
„ nem suam, & cum rationibns jam dicti Mo-
„ nasterii, & de jam dictis quatuor Curtibus
„ & territoriis &c. faceremus inter nobis exin-
„ de secundùm legem finem, unde inter nobis
„ pro parte fidejussorem posueramus. Et statim
„ nos qui supra Vitus Domini gratia Episco-
„ pus, erga nobiscum habendo supradicto Ab-
„ bocato jam dictæ nostræ Sedis a parte nostra
„ pro parte supradictæ nostræ Sedis ostensimus
„ ibidem in judicio duobus Præceptis sigillatis,
„ & unum Brebilegium, pertinentibus supradi-
„ ctæ nostræ Sedis, & dedimus ipsis in mani-
„ bus prædicti Judici pro parte nostræ Sedis,
„ & manifestabimus, ut plus scriptiones nec
„ Præceptis pro parte supradictæ nostræ Sedis
„ contra eis, nec contra parte supradicti sui
„ Monasterii at causandum non haberemus.
„ Set ipse qui supra Petrus Presbyter seu Cu-
„ stus interrogata a supradicto Judice, ut per
„ qua rationem pro parte suprascripti sui Mo-
„ nasterii ipsos habere voleret: quibus ille una
„ cum supradicto Abbocato jam dicti sui Mo-
„ nasterii dixerunt, ut per possessionem juxta
„ legem pro parte supradictæ suæ Ecclesiæ
„ ipsa habere voleret. Et tunc ipse Judex in
„ suis manibus deprehensit jam dictis Præcep-
„ tis, & ipsum Brebilegium & per ordinem
„ eos relegi fecerat.

„ Quorum primo ex ipsis Præceptis conti-
„ nentur inter cetera, quomodo *Domnus Pal-
„ dolfus* & *Domnus Landolfus* divina ordinan-
„ te Providentia *Langobardorum generis Prin-
„ cipes*, per obsecrationem *Audoaldi Comiti*
„ concesserant in præfato sancto Episcopio
„ inter alia, quæ ibidem legitur, omnes Aquas,
„ quæ conjuncta esse videbantur cum terris
„ præfati Episcopii, cum ripis & albeis &
„ cursus ipsius aquæ, at faciendum ibidem clu-
„ suriæ & molina & alia omnia, quæ at pars
„ præfati Episcopii necessaria fuisset, & cete-
„ ra, velut ibidem legitur; quod scripto est
„ per Adelghisi Scriba: ***Datum Pridie Nonas
„ Martias, Anno Vicesimo Hoctabo Principa-
„ tus Domni Paldolfi gloriosi Principis, &
„ Anno Tertio Principatus Domni Landolfi ejus
„ filii, Indictione Quartadecima.*** (a) ***Actu in
„ Civitate Capuana***. Et in qua ipse Domnus
„ Paldolfus Princeps per literas rubeas robo-
„ rato erat, & ab anulis ipsorum Principum
„ de intus & foris in cera sigillato erat. Ipse
„ alio Præcepto, quomodo in ***Sexto Anno Dom-
„ ni Paldolfi Principis, & Primo Anno Domni
„ Landolfi gloriosi Principis filius ejus, Men-
„ se Januario, Prima Indictione***, (b) ***& Quar-
„ to Anno Domni Alfani venerabilis Archiepis-
„ copi Beneventanæ ac Sipontinæ Sedis***. Et ipse
„ Alfanus Archiepiscopus dum me venerabi-
„ lem Vitum in sanctam Alifanam Ecclesiam
„ Episcopum consecraberat, concesserat mihi,
„ & pro me mee Eeclesie ea, quæ suæ san-
„ ctæ Ecclesiæ per Præcepta concessa erant a
„ cunctis Principibus, vel diversis Dignitati-
„ bus. Idest omnia, quæ in nostra sancta Ec-
„ clesia, & in ejus subjectis Ecclesiis qualiter-
„ cumque oblata erant, vel a quibuscumque
„ deinceps offerrentur. Et omnia, quæ præ-
„ dicta nostra Ecclesia possidere vel habere
„ videretur per quælibet monimina, tam
„ per offersiones seu hemptiones atque do-
„ nationes & obligationes seu manifestatio-
„ nes vel judicata atque definitiones, seu
„ & per quamcumque aliam rationem. Con-
„ cesserat denique in sancta Ecclesia nostra
„ & cetera, velut ibidem legitur; quod scrip-
„ to est per Vizantio Subdiacono & Viblio-
„ thecario, roborato per Rodegari Archipres-
„ biter & Abbas, & per alios Sacerdotes &
„ Clericos, sigillata in cera ab anulis Sanctæ
„ Dei Genitricis Mariæ figurantibus in una
„ parte signum Crucis cum A & Ω in utroque
„ Crucis latere, duabus columbe astantibus, at-
„ que in altera parte nomen Sanctæ Mariæ in
„ Cruce depictum affixerat roboratum; & in
„ qua ipse Alfanus Archiepiscopus manu pro-
„ pria subscripserat, quæ legitur *Bene Valete*.
„ Ipse Privilegio continentur inter cetera, quo-
„ modo ipse *Alfanus Archiepiscopus Clero,
„ Ordini, & Plebi consistenti in Alifis, dile-
„ ctissimis filiis in Domino salutem*, petentibus
„ sibi me Vitum venerabilem Diaconum,
„ quem consecraberat, atque per ipsius sui se-
„ riem confirmantes decreberat Alifanam Ec-
„ clesiam, ut olim semper quam habitura cu-
„ jus Episcop. . . . . infra amvitum subsequen-
„ tium finium perenni jure sine contradictione
„ successorumque suorum ita inviolabiliter habe-
„ remur. Ex una parte fine fluvio Albente,
„ indeque badit in ipsa Tora, & exit in ipsos
„ Arcus, dein progrediendo qualiter extendi-
„ tur in ipsas Pilas, quæ stare videbantur jux-
„ ta fluvium Vulturnum: ex alia parte latere
„ montis, qui Helere dicitur, amvitur: dein-
„ de progreditur per serras ipsius montis us-
„ que in montem, qui Gallus dicitur; dehinc
„ per descensum ipsius montis extenditur us-
„ que in fabrica Murimortui, & per eamdem
„ in fluvio Vulturno: ex tertia parte fluentis
„ ipsius fluminis dirimitur, dehinc descendendo
„ per eumdem fluvium conjungit se in priores
„ fines; & cetera, quæ ibidem legebatur:
„ Scriptum per manus ipsius Vizantii Subdia-
„ coni & Scriniarii & Vibliothecarii sanctæ
„ Beneventanæ Ecclesiæ, Mense Januario, Pri-
„ ma Indictione, (c) in Anno Quarto Archie-
„ piscopatus ejus, Annorum Principum, quo-
„ modo ibidem scriptum erat pro Indictione
„ suprascripta, Anno Dominicæ Incarnationis
„ Nongentesimo Octogesimo Secundo (d). Et
„ in qua ipse Archiepiscopus manu propria
„ scripserat, sicut ibidem esse videtur, quæ le-
„ gitur, *Bene Valete*, & ab anulo ejus plum-
„ beo sigillato est,

„ Relectis verò jam dictis Præceptis & ipse
„ Prebilegio, per ordinem querebamus nos ha-
„ bere & detinere pro parte supradictæ nostræ
„ Sedis infra jam dicti majoris finis, supra-
„ scriptis quatuor Curtibus & territoriis &
„ montibus & collibus & aquis & molendinis
„ & jam dictis Ecclesiis ibidem constructis,
„ per jam dictis Præceptis, & per eodem Bre-
„ bilegium: Et ipse qui supra Petrus Presby-
„ ter & Custus pro parte supradictæ suæ Ec-
„ clesiæ & Monasterii querebat ipsos totum
„ per jam dicti majoris finis habere juxta le-
„ gem per possessionem quadraginta annorum.
„ Et plurima intentio inter nos exinde habui-
„ mus. Sed propter quod pars supradicti Mo-
„ nasterii Sanctæ Mariæ possedit supradictis
„ Curtibus, territoriis &c. & omnibus illarum
„ pertinentiis supradictæ majoris finis jam su-
„ per quadraginta annos: & nos minime pote-

(a) idest Anno Christi 971.
(b) idest Anno 988.
(c) Idest Anno Christi 988.
(d) pro *Secundo* legendum *Octavo*.

" bamus in die habere pro ipsis Præceptis, &c
" per ipsum Prebilegium: Ideo antequam exin-
" de inter nobis legibus finem faceremus, per
" colloquia vonorum hominum venimus exin-
" de at conbenientia: ut ipse qui supra Petrus
" Presbyter & Custos pro parte supradicti sui
" Monasterii dimitteret & relassaret Cenami
" Langobardi pro parte supradictæ meæ Se-
" dis calumnias & questiones, sacramenta at-
" que compositiones, quicquid nos eis pro
" parte supradicti sui Monasterii facere debui-
" mus de supradicta sua questione pro pena
" . . . . . . componendum decemmillia auri So-
" lidos Constantinopolitani boni. Et nos qui
" supra Vitus Domini gratia Pontifes pro par-
" te nostræ Sedis, per convenientiæ hordine
" juxta legem manifestaremus nos tibi, qui su-
" pra Landoni Langobardi pro parte supradi-
" cti Monasterii in subscripta ratione de inte-
" gris jam dictis quatuor Curtibus & Territo-
" riis, cultis & incultis, & montibus & Ec-
" clesiis & aquis & molendinis de jam dictis
" locis. Et ideo ut conbenientia justa juxtam
" legem firmiter fieret, conbocabimus infra
" nobis supradictum Petrum Judicem, & sub-
" scriptos idoneos homines, qui se nobis cum
" interesse dixerunt, sicut in Lege scriptum
" est de conbenientia. Et ita fecimus & fir-
" mabimus infra nobis exinde hanc conbe-
" nientiæ Cartam.

" Idcirco nos qui supra Vitus Domini gra-
" tia Pontifes una cum consensum Sacerdotum
" & Clericorum supradictæ nostræ Sedis, &
" erga nobiscum habendo supradicto Abboca-
" to ejusdem nostræ Sedis, qualiter inter no-
" bis conbenit pro parte supradictæ nostræ Se-
" dis, per hanc Chartam conbenientiæ secun-
" dùm Legem manifestum facimus tibi, qui
" supra Landoni Langobardi pro parte supra-
" dicti Monasterii, quia integris jam dictis
" quatuor Curtibus & territoriis, cultis &c.
" per supradictæ fines, cum integris omnibus
" jam dictis Ecclesiis, quæ constructæ sunt
" infra superius dictæ fines & cum piscationi-
" bus, & cum omnibus earum pertinentiis,
" legibus sint pertinentes ipsius Monasterii
" Puellarum Sanctæ Mariæ per possessionem,
" & per alias rationes ipsius Monasterii perti-
" nentes, & nobis nec ad successoribus no-
" stris, nec ad partem prædicti nostri Episco-
" pii ipsos vel inde nullam est pertinens, ne-
" que per possessionem, nec per alias rationes
" ipsius Monasterii pertinentes, & nobis nec
" ad successoribus nostris, nec ad partem pre-
" dicti nostri Episcopii ipsos vel inde nullam
" est pertinens, neque per possessionem neque
" per scriptionem nec per nullam aliam qualis-
" cumque rationem vel humana astutia, eo
" quod manifestabimus nos tibi, qui supra
" Landoni Langobardi pro parte supradicti
" Monasterii, ut nullam aliam scriptionem de
" ipsos vel exinde non haberemus, nisi tantum
" ipsa duabus Præcepta & ipsum Prebilegium,
" & per eadem combenientia: obligamus nos,
" qui supra Vitus Domini gratia Pontifex nos
" & successoribus nostris & pro parte supradi-
" cti nostri Episcopii, tibique Landoni Lango-
" bardi, & ad tuis heredibus pro parte supra-
" dicti Monasterii, seu cui hæc Charta com-
" benientiæ pro parte ejusdem Monasterii in
" manu paruerit, taliter ut amodo & semper
" taciti & quieti maneamus nos & sucessores
" nostros vel partem supradicti nostri Episco-
" pii contra te, qui supra Landonem Lan-
" gobardum, & contra tuis heredibus pro
" parte supradicti Monasterii vel contra, cui
" hæc Charta combenientiæ & pro parte ejus-
" dem Monasterii, in manu paruerit, de in-
" tegris jam dictis quatuor Curtibus & Terri-
" toriis &c. per supradictarum finis, cum om-
" nibus illarum pertinentiis, ita ut nempe
" per scriptionem neque per possessionem, nec
" per nullam aliqualiscumque adibenta ratione
" vel humana astutia de integrum ipsos vel
" exinde contra te vel contra tuis heredibus,
" seu contra cui hæc Charta in manu paruerit,
" caussare aut contendere non queramus. In-
" super & taciti & quieti exinde faciamus esse
" & permanere set per nos, & successoribus
" nostris contra te, qui supra Landonem Lan-
" gobardum vel contra tuis heredibus pro
" parte supradicti Monasterii, videlicet Dom-
" num Alfanum Archiepiscopum prædictæ Be-
" neventanæ & Sipontinæ Sedis, & successori-
" bus suis, & omnibus aliis illis hominibus &
" partibus, quæ per partem vel datum no-
" strum vel de successoribus nostris, seu qui
" per partem vel datum ipsius Domni Alifani
" Archiepiscopi vel de successoribus suis, aut
" de parte prædictæ suæ, seu nostræ Sedis, de
" integris jam dictis quatuor Curtibus & Ter-
" ritoriis, planis & montibus, cultis & incul-
" tis, & Ecclesiis & aquis & molendinis, quæ
" sunt infra jam dicti majoris finis, de omni-
" bus supradictis, quæ pertinentes sunt jam
" dicti Monasterii, cum omnibus illarum per-
" tinentiis de integrum, ipsos vel exinde cau-
" sari vel contendere quesierint quibuscumque
" modis. Et quod ita inter nos conbenit,
" quia & per eadem combenientia ipse qui su-
" pra Petrus Presbiter & Custus pro parte su-
" pradictæ suæ Ecclesiæ & Monasterii dimisit
" & relassabit Cennami Langobardi pro parte
" supradictæ nostræ Sedis prædictas calumnias
" & quæstiones, sacramenta atque composi-
" tiones, quicquid nos ei facere debuimus de
" suprascripta sua quæstione pro supradicta
" pena obligamus componendum. Si autem
" nos, qui supra Vitus Pontifes vel successo-
" ribus nostris hanc Chartam combenientiæ,
" de quibus continet, aliquando per quale-
" cumque ingenium remobere quæsierimus, &
" si non compleberimus tibi, qui supra Lan-
" doni Langobardi vel ad tuis heredibus &
" omnia, quæ præleguntur, decemmillia auri
" Solidos Constantinopolitanos bonos pena
" nos & successoribus nostris tibi qui supra
" Landoni Langobardi vel ad tuis heredibus
" componere obligamus. Et hæc Charta con-
" benientiæ qualiter secundùm Lege stare po-
" test, sit firma, & taliter nos, qui supra,
" Vitus Domini gratiâ Pontifes, cum consen-
" su Sacerdotum & Clericorum supradictæ no-
" stræ Sedis, & erga nobiscum habendo su-
" pradicto Abbocato suprascripti nostri Epi-
" scopii, sicut inter nos combenit, secundùm
" Legem fecimus, & te Petrum Notarium,
" qui interfuisti, scribere rogavimus.


" ✠ Ego qui supra Petrus Judex.
" Ego Autoaldus.
" Ego Audoaldo.

Scripsi *Anno* 1020. quo decurrebat *Indictio* *III.* & Capuæ dominabantur Pandulfus II. Pandulfus IV. & Pandulfus V. Multa hinc discimus. Cum his enim dummodo nullus huc error Librariorum irrepserit, conferenda sunt, quæ de Principibus Capuanis scribit Camillus Peregrinius. Et primò *Pandulfum II.* & *Pandulfum IV.* is *patrueles* appellavit. Heic autem *fra-*

*fratres* dicuntur : sed fortasse *patrueles* quoque appellati olim fuere *fratres* . Secundò Peregrinius auctor est , Pandulfum I. Caputferreum iniisse Principatum Anno Chr. DCCCCXLIII. ejus verò filium Landulfum IV. Anno DCCCCLXVIII. tum Pandulfum II. Anno DCCCCLXXXI. & Landulfum V. Anno DCCCCLXXXVII. Cum hisce confer notas Cronologicas geminorum Diplomatum in Charta hac insertorum . Tertiò addendus est catalogo Episcoporum Alifanorum *Vitus* , quem in Italia Sacra Ughellius ignoravit . Quartò censuit idem Ughellius , Alfanum I. Beneventanum Archiepiscopum fuisse renuntiatum Anno Christi DCCCCXCVIII. sed fallitur . Hinc quippe eruimus , initium Archiepiscopatus ejusdem referendum esse ad Annum DCCCCLXXXIV. vel DCCCCLXXXV. quum Anno DCCCCLXXXVIII. decurreret *Annus* illius *Quartus* . Quinctò , controversiæ huic interest *Lando Langobardus filius quondam Madelfrit Langobardi , qui est Habitator supradictæ Civitatis Capuanæ* . Atque heic memini , me opinari in Antiquitat. Estens. Cap. 12. & 32. *Habitatoris* nomine eos olim designatos , qui Urbi aut Castello dominarentur . Sequutus sum in ejusmodi opinione Camillum Peregrinium Virum doctissimum. Verùm dum hasce Antiquitates Italicas , vetereſque Chartas heic editas accuratius perscrutor , nutare non semel vidi Peregrinii sententiam ; ac dubitare sum coactus , an tantummodo per vocem *Habitator* significatum fuerit *Incola* . Certe Lando iste Capuæ minime dominabatur . Qui verò tunc Principes Capuæ essent , ex primis Chartæ hujus lineis didicimus . Ad hæc nullum dominationis vestigium importat eadem vox in Diplomate Berengarii I. Italiæ Regis , quod autographum legi in Cartophylacio Monasterii Veronensis Sancti Zenonis, atque heic ad omnium eruditionem evulgatum volo .

## Berengarius I. Italiæ Rex Teudiberto fideli suo quasdam terras in Comitatu Veronensi donat , Anno 905.

IN *nomine Domini Dei æterni . Berengarius Rex. Si Predecessorum nostrorum morem imitamur , & fidelium petitionibus assensum præbemus , & devotiores illos in nostræ fidelitatis obsequium reddimus . Proinde cunctorum fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ , nostrorumque , presentium ac futurorum sollicitudo comperiat , quoniam* Grimoaldus illustris Vir , *ac devotus fidelis noster , suppliciter nostræ serenitatis clementiam adiit , petens , ut dudum fideli nostro* Teudiberto , Vallem Pruvinianum habitatori , *in Villa videlicet ejusdem Vallis , quæ nominatur Canciagum , vineas & terram arabilem in duobus locis , ubi nuncupatur ad Titulum , nec non & Fasenariam ex integro , cum montibus atque planiciebus, seu & quandam Silvam , Lamola vocitatur , & Panicum , cum omnibus finibus suis in integrum , prout dudum ad Comitatum Veronensem respiciebant* : pro Dei amore , & remedio animæ nostræ , *seu pro ejusdem Teudiberti sedulo servitio , per hoc nostræ auctoritatis Præceptum concedere dignaremur . Cujus dignis petitionibus nostræ serenitatis aures accommodantes , prænominatas vineas & terram arabilem in duobus locis , ubi ad Titulum dicitur seu & Fasenariam, cum totis suis confinibus , videlicet cum montibus & planiciebus ; nec non & Silvam , quam Lamulam dicunt ; nec non & Panicum , sub integritate , præfato . Teudiberto , jure proprietario , sicut dudum* Regiæ Parti *pertinuerunt , superius comprehensa , perhenniter hac nostræ auctoritatis pagina concedimus & largimur, ac de nostro jure dominioque in suum jus atque dominium omnino transfundimus & donamus , ut habeat , teneat, possideat, commutet, venundetur pro anima jam dicti , faciatque in omnibus & per omnia quidquid suus decreverit animus vel voluntas omni potestate vel contradictione remota . Si quis igitur hoc nostræ auctoritatis Præceptum &c.*

*Signum Domni*  *Berengarii serenissimi Regis .*

*Ambrosius Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi .*



*Data VII. Kalendas Junii Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCV. Domni verò Berengarii invictissimi Regis XVIII. Indictione VIII.*

*Actum Valle Pruviniano juxta Plebem Sancti Floriani, feliciter. Amen.*

Animadverte heic formulam *pro Dei amore, & remedio animæ nostræ*, adhibitam, quamvis in Sæcularem virum Berengarius se munificum præbeat; atque hæc junge illis, quæ attuli in Differt. LXVIII. *de Redemtione Peccatorum*. In viam regredior. Literæ prælaudati Alfani I. Archiepiscopi de consecratione Alifani Episcopi datæ fuerunt ad *Clerum*, *Ordinem*, *& Plebem*. Hic eorum temporum mos fuit. In his ergo specimen aliquod Corporis Popularis mihi videor videre, in quo suus esset locus tam Nobilibus, quàm Plebi, & jus ad conventus faciendos, & aliquis Ministrorum ordo. Syracusis fortasse uni Nobiles Rempublicam constituebant. Nam Gregorius Magnus Lib. 5. Epist. 22. inscriptâ *Nobilibus Syracusanis* prodit, suo arbitrio ab iis commissam fuisse Episcopi electionem. Profert etiam Campius Tom. prim. pag. 480. Histor. Eccles. Placentinæ decretum *Cleri & Populi Placentini* de electione Widonis Episcopi, Anno Ch. 904. peractâ, cui per ordinem subscribunt *Presbyteri*, *Diaconi*, *Subdiaconi*, & *Acolythi*, & denique Viginti sex *e Populo*. Hi Primores, Rectores, & Capita Populi fuerint. Ita in Diurno Romano *Decretale* appellatur Epistola *Cleri*, *& Populi* ad Romanum Pontificem, aut ad Metropolitanum, qua eum rogant, ut ab ipsis electum Episcopum consecratione donet. Ad ista accedat Charta Joannis Episcopi Mutinensis, quam authenticam Mutinæ adservant in Archivo suo Monachi Benedictini Monasterii Sancti Petri.

## Johannis Episcopi Mutinensis donatio facta Monasterio Sancti Petri, quod ipse fundarat, Anno 998.

*In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Johannes servorum Dei servus, sanctæ Mutinensis Ecclesiæ, divini muneris juvamine humilis Episcopus. Omnibus Dei Ecclesiæ fidelibus, presentibus videlicet ac futuris perspicue compertum notumque esse volumus, qualiter interventu venerabilium nostrorum fidelium, Sacerdotum videlicet ac Levitarum, nec non & Laicorum*, Johannes Sancti Petri *Apostolorum Principis venerabilis* Abbas *ejusdem Abbaciæ in suburbio sita, nostram humiliter adhierit clemenciam, juste obsecrans, & obnixe petens unanimis cum nostris predictis fidelibus, quatinus ipsi Abbaciæ, Deo favente, a nobis iniciatæ terram, quæ huic instituto subter est adnexa, concedere dignaremur. Nos autem pro Dei omnipotentis timore, Apostolorumque Principis Petri condigno honore, nostræque remedio animæ, ac nostrorum successorum piis petitionibus adquiescere humiliter curavimus, non minima fidelitate debite provisa, quamplurimum considerantes, & omni animi intencione sollicite perscrutantes, & vigili sollertia pensantes, dignum duximus, ut ea, quæ ad Sanctorum petuntur utilitatem, illari corde & celeri motu sunt offerenda. Itaque cum* consensu & noticia omnium ejusdem Sanctæ Mutinensis Ecclesiæ Canonicorum, ejusdemque Civitatis Militum ac Populorum, *in usum & sumptum Fratrum Monacorum, qui in supradicto Cœnobio beatissimi Petri Apostolorum Principis pro tempore famulati fuerint, habendum atque fruendum constitui: & nominatim singula, quæ obtuli, huic paginæ inserere curavi. Idest dompnicatum nostrum de Turri, vineas & terram arabilem, quæ ad nostram detineri videbatur manum. Statuimus eciam, ut ipsi nostri homines de Turri tam illi, qui nunc sunt, quam posteri perpetim ibidem morantes ad opus & jussionem predictorum Fratrum jam dictas vineas & terram excolere & laborare debeant, & pro tempore ipsas vineas vindemiare. Concedimus eciam Massariciam unam in Massa, que recta & laborata fuit per Dominicum Malapelle. Damus eciam eodem modo predicto Cœnobio Molendinum unum supra ipsam Civitatem Mutinam in loco, qui dicitur Cajolinus, cum decem jugeribus de terra, inter paludes silvasque, quinque super ipsum Molendinum, & quinque subtus cum accessione & aquario suo. Adjuro namque & obtestor tam Imperatores quàm Reges &c. Ideoque rata conscriptione hoc institutum confirmantes, quatinus nostri Successores affectum nostri pectoris devocionemque perpendentes, quæ semel sancto devovimus & mancipavimus Cœnobio, inviolata atque inlesa permanere concedant, ut nobis quasi inchoantibus, & illis perficientibus, una sit premii merces, eademque Regni cælestis retributio, illumque pariter beatissimum Apostolorum Principem, cujus hæc sunt digesta amore, apud Deum obtinere mereamur interventorem, & hi qui sancita stabiliunt. Si quis igitur Episcopus &c.*

*Actum est autem Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi Nongentesimo Nonagesimo Octavo, Domni verò Ottonis Imperatoris Tercio, Indictione XI. Præsulatu Domni Johannis Episcopi V.*

*Ego Johannes sanctæ Mutinensis Ecclesiæ indignus Episcopus huic instituto a me facto subscripsi.*
*Ego Sigefredus Archidiaconus manu mea subscripsi.*
*Ego Odo Archipresbiter manu mea subscripsi.*
*Ego Andrea Presbiter manu mea subscripsi.*
*Ego Mutinensus Presbiter manu mea subscripsi.*
*Ego Liuzo Presbiter manu mea subscripsi.*
*Ego Dominicus Presbiter & Vicedomino manu mea subscripsi.*
*Ego Garoaldus Presbiter manu mea subscripsi.*
*Ego Domninus Diaconus manu mea subscripsi.*
*Ego Johannes Presbiter manu mea subscripsi.*
*Ego Domninus Presbiter manu mea subscripsi.*
*Ego Geminianus Diaconus manu mea subscripsi.*
*Ego Johannes sanctæ Mutinensis Ecclesiæ Diaconus-*

*conus hoc institutum ex jussione Domni Johannis S. Mutinensis Ecclesiæ Præsulis scripsi, postque roboratum complevi & dedi.*

Heic habemus Episcopum donationem fecisse *cum consensu & noticia omnium sanctę Mutinensis Ecclesiæ Canonicorum, ejusdemque Civitatis Militum ac Populorum*. In duabus aliis Chartis, quas Sillingardus in Catalogo Episcopor. Mutinensium & Ughellius Tomo secundo Ital. Sacræ, evulgarunt, eadem dicendi formula repetitur. Immo in altera ex his Anno DCCCXCVI. scriptâ is *rogat tam Imperatores quàm Reges, ipsosque Duces, Marchiones & Comites, omniumque majorum Senatus, præsentes scilicet & futuros*, ut inviolata sit perpetuò a se facta donatio. Quinam sint hi *Senatus majorum*, inquirant alii. Tunc certe nondum Mutinensis Civitas Libertate arreptâ Rempublicam constituerat. Eadem autem phrasis occurrit in altera Charta Ingonis Episcopi è prælaudato Tabulario Benedictinorum Mutinensium depromta.

## Ingo Episcopus Mutinensis Monasterio Sancti Petri Mutinensis confirmat oblata, & nova ipse addit, Anno 1025.

*IN nomine Domini nostri Jesu Christi ....... Postquam omnium conditor me Ingonem omnium Sacerdotum Pontificum humillimum &c.* (a) *notum sit, qualiter* Ardericus prædicti Monasterii Abbas *nostram humiliter adierit clemenciam &c. Insuper concedimus illi prefato Cenobio Turricellam unam infra Mutinæ Civitatem cum Capella dedicata in beati Ambrosii honore cum introitu & sui accessione. Largimur etiam domum unam, quam tenebat Domninus Presbiter infra ipsam Civitatem; & foris Civitatem aliam domum simul & ortum, quam tenet Ursevertus Prepositus & Diaconus. Et in Castronovo tribuimus tabulas tres cum casa super se abente, quam tenet Martinus Ferarius, atque Martinus Calegarius. Concedimus namque peciam unam de terra prativa cum casa super se habente justa Fontanas Girelmi, quam tenet Araldus Castaldius. Tribuimus namque predicto Monasterio Molendinum &c. Ideoque donamus jugera duo in Palude in loco, qui dicitur Aquareto, cum lateribus, da sera Silva, quæ dicitur Vacilli, da meridie Palude, da mane Raginbaldi, de subto Runco de Waldemanni. Similiter concedimus prefato Cenobio terram illam, quam Domninus Presbiter venerabilis & Abbas, que ante os dies & annos ex nostro tenebat Episcopio per infiteosin in loco, qui dicitur Saliceto, cum casa super se abente; & terram illam, que est inter Fossam Mundam & Fossam Militariam, per scriptum aut sine scripto: & est ipsa terra vineata seu aratoria atque prativa cum frascario super se abente, inter tota jugera triginta cum omni integritate & Decimis ipsius terre & vinee. Adjungimus suprascripto Cenobio in Saliceto terram illam, quæ fuit recta & laborata per Martinum Ferrarium ex parte Sancti Geminiani. Insuper &c. Similiter largimur supradicto Cenobio Cortem unam, que dicitur Abrica, cum omni sua integritate, silicet cum quadam Ecclesia ibi fundata in beatissimi Georgii honore cum vineis, pratis &c. ac cum omnibus hedificiis factis, vel facturi sunt in prefata Corte. Tribuimus similiter quandam Ecclesiam predicto Cenobio in loco Alliano, que est consecrata in honore Sancte Marie Virginis cum terris &c. Adjungimus ei etiam Castrum de Adiano cum Ecclesia in eo hedificata ad honorem Sancti Michaëlis, cum terris & vineis: & aliam Ecclesiam fundatam prope eodem Castro in honore beatissime Marie Virginis cum omni honore & introitu & sui accessione, & quicquid nos pertinet ex parte Sancti Geminiani. Insuper eciam concedimus Ecclesiam unam, que est fundata in loco Psaltu, consecrata in honore Sancti Martini, cum terris &c. Concedimus etiam terram justa Castrumvetus &c. cum Capella, que est dedicata in honore Sancte Marie &c. Similiter adtribuimus prefato Monasterio Domnicatum nostrum de Curte Turri cum omni &c. Donamus jam dicto Cenobio terram aratoriam loco, qui dicitur Castellioni, que pertinet de suprascripta Corte, que est recta & laborata per Prando Lupicini & Rodulfo suo germano, seu ceteris hominibus habitantibus in Villa Salsina & in Runcis. Et pratum unum in loco, qui dicitur Isola Marzale cum omni sua integritate. Igitur adjungimus ipsi predicto Monasterio Capellam unam, que est fundata in honore beatissimi Patroni nostri Geminiani, quæ est de jam dicta Corte Turri cum terris &c.*

*Largimur igitur ipsi predicto Monasterio Capellam unam fundatam in honore Sancti Anastasii Martiris in Corte nostra de Saviniano, cum terris & vineis & frascario & aquario ad molendinum hedificandum, quod est simul terra arabilis & vineata & frascario jugeras decem & octo. Prima pecia, ubi Ecclesia est fundata &c. da sera fluvius Scultenna &c. Tercia pecia ibidem de ipsa Corte &c. de subto Sancti Silvestri. Quarta pecia infra Insula Scultenne &c. Hanc autem predictam terram de jam prefata Corte de Saviniano contulimus nos pro remedio anime nostre, seu antecessorum nostrorum, vel pro anima* Pipini Regis, *qui obtulit predictam Cortem Sancto Geminiano Mutinensi Presuli. Et nos similiter concedimus Cenobio beati Petri Apostolorum Principis illud tantum prenotatum, quod ex ipsa Corte carpsimus, cum Decimis ipsius terre &c. In Curte Massa donamus &c. Adjungimus justa ipsa Massaricia campum unum, qui est per mensura jugera duo, & staria quindecim. Insuper addimus in eadem Corte jugera octo in loco, qui dicitur Ronco de Ortica, quæ recta & laborata est per Petrum de Benedicto. Et in Finale Massaricia una, que est recta & laborata per Petrum & Johannem jugera decem. Et unam Massariolam in eadem Corte Finali jugera octo prope Castrum. Sex jugera in Corzano, que fiunt laborata per Carpesanum: & totidem in Finali, que fiunt laborata per Johannem Sacuzo & Dominicum Rospulum: & novem jugera, que laborantur per stabilem Archipresbiterum prope Sanctam Agatham; & Decimam illam, quam tenuit Ardingus Judeus in Saliceto: & sex*

(a) Ut in Charta donationis VVarini Episc. Mutinensis Anno 1005. infra edenda in Dissert. LXVII.

*sex jugera in Sorbaria, que fuit de cambio inter Sanctum Geminianum & Sanctum Benedictum de Leone. Sunt fines de mane Sancti Benedicti, da sera Sancti Geminiani, da meridie & de subto via. Concedimus etiam Decime Ingoni filius quondam Ragnerii de Feroniano, seu Ragnerii, sive Arimundi, atque Raimundi, de communi illorum domnicato quod ad Sancti Geminiani pertinet. Damus etiam in Colegaria peciam unam de terra, que est sestaria quatuor, quam tenet Martinus filius quondam Johannis Cunzacasa super se abente. Similiter offero jam predicto Monasterio ex mea proprietate, que me obvenit per Cartulam da parte Imilde conjugis Ugonis de Gandaceto, Massariciam unam infra Curte Gandaceto, loco, qui dicitur Villanova, que est recta & laborata per Johannem Galaita. Et insuper addamus infra Civitatem Regensem tabulas duas de terra, & foris Civitatem terra aratoria Sestaria viginti & duo. Hanc autem predictam terram de jam prefata Curte Gandaceto contuli pro remedio anime mee, seu Guidonis genitoris mei. Addimus eciam in Collegaria Massariciam unam, que est recta & laborata per Vitalem Capriolum. Et sex jugera, que laborantur per Petrum de Benedicto & fratrem ejus Felicem. Addimus quoque his pro remedio anime nostre, nostrorum successorum* per interventum nostrûm Clericorum seu Laicorum, *precatu Rozonis Clerici per quem ipsa terra detenta fuerat & laborata est, pecia una, scilicet quinque jugera & novem sestaria in loco, qui dicitur Aquaviola: & secunda pecia terre & vinee jugera duo in loco, qui dicitur A la Trixe: tercia pecia, cujus medietas laboratur per predictum Rozonem, & alia medietas a parte ipsius per Johannem Bibum & suos fratres, & est septem jugera & est septem sestaria: & quarta, que laboratur per ipsum Rozonem in loco, qui dicitur Gazata, & est unius jugeris. Et tres alias pecias, una juxta viam, que appellatur Viacava, & alia que est in loco, qui dicitur Albareta, & Solarium Isinbardi, & tertia, que est juxta flumen, quod dicitur Taverlo, & laboratur a parte Rozonis per Johannem Decanum, & per Martinum, & Michaëlem, & Albericum Liminosos, & suos consortes, que est octo jugerorum & modii unius. Data est hec terra a nobis Sancto Petro in presentia Johannis Archipresbiteri, & Petri Presbiteri Majoris Scholarum, & Rolandi Presbiteri Custodis Ecclesie, & Johannis Presbiteri de Ancilla Dei, & Iginulfi nostri fratris, & Ugonis nostri fidelis*. Adjuro namque & obtestor tam Imperatores quàm Reges, quàmque Episcopos, Duces, Marchiones, & Comites, omnesque Majorum Senatus *&c.*

*Actum est autem Anno Incarnacionis Domini nostri Jesu Christi Millesimo Vigesimo Quinto, VIII. Kalendas Maji, per Inditione Octava, Presulatus Domni Ingoni Episcopi Secundo.*

*Ingo Dei gratia sanctæ Motinensis Dei Ecclesiæ Presul in hoc Decreto a me facto spontanea voluntate confirmavi, atque omnibus Fratribus confirmandum tradidi & precepi.*

*Ego Aldbertus Archipresbiter manu mea subscripsi.*

*Ego Martinus Presbiter manu mea subscripsi.*

*Ursevertus Diaconus & Prepositus subscripsit.*

*Ursevertus Archidiaconus manu mea subscripsi.*

*Ego Alfredus Diaconus manu mea subscripsi.*

*Ego Lanfrancus Diaconus manu mea subscripsi.*

*Ego Adelbertus Presbiter manu mea subscripsi.*

*Ego Teutingus Clericus manu mea subscripsi.*

*Ego Johannes Mutinensis Ecclesie Presbiter hoc Instrumentum ex jussione Donni Ingoni sancte Mutinensis Ecclesiæ Presulis scripsi, postea roboratum complevi & dedi.*

Signum Bullæ pendentis deperditæ.

Atque hinc intelligimus, *Milites*, idest Nobiles, & *Populum*, quem *Plebem* appellari alibi vidimus, Mutinæ convenisse, quum de gravibus Reipublicæ negotiis res erat, suumque consensum præbuisse publicis deliberationibus: quod esse non levi indicio possit, antiquis etiam Sæculis viguisse specimen aliquod Reipublicæ, seu Senatus, sive Communitatis Civium Mutinensium. Et quandoquidem antea prodidimus, ejusmodi Civium Universitatibus sub Romanis rerum dominis suos fundos, redituusque proprios non defuisse: adeat Lector Dissertationem XLV. *de assumta a Civitatib. Italic. Reipubl. forma*, ubi producto Diplomate Henrici I. Imperatoris ostendi, *Bona Communalia* Anno MXIV. fuisse Populo Mantuano. Quod ea Civitas possidebat, opinari non immeritò possumus ne in reliquis quidem Italiæ Urbibus fuisse desideratum. Plura hanc in rem nobis latent, quod antiquæ Civitatum ac Sæcularium hominum Chartæ pleræque temporum injuriâ excisæ sint, illæsis tantummodo non paucis Ecclesiarum monumentis, e quibus non sat lucis redundat ad instituta ac mores veterum Sæculorum intime dignoscendos. Veri quoque simile est, nonnullos e minoribus Urbium Magistratibus præter *Scabinos* antea memoratos, Populi suffragio fuisse electos. Nam uti *Comites* suum sibi *Vicecomitem* statuebant, cui multum erat auctoritatis, ita & Populo fuisse jus eligendi quosdam ex Reipublicæ Magistratibus opinari licet. Ughellius quoque Tomo 4. Ital. Sacr. in Episcop. Cremonensib. literas adfert ab Henrico II. Augusto circiter Annum MXLVIII. *cuncto Populo Cremonensi* scriptas. Et sane ejus Urbis Populus ante ejusdem Henrici Regnum, & vivente adhuc ejus patre Conrado I. Augusto, immo & sub Henrico I. Imperatore, Landulphum Episcopum suum, munere Comitis Cremonæ fungentem, sed superbiæ facibus incensum, dejecerant, *Civitatem veterem a fundamentis obruerant, & aliam majorem contra Imperialis honoris statum ædificarant, ut ipsi Augusto resisterent*. Quæ omnia Conradus I. recenset in Diplomate per Ughellium nuper memoratum edito. Atque heic nolo mihi elabatur e manibus Diploma Caroli Crassi, *Papiæ, Anno ab Incarnatione Domini Octingentesimo Octogesimo, XII. Kalendas Aprilis, Indictione XIII.* scriptum: quo idem Rex Germaniæ ac Italiæ, postea Imperator, jura omnia Ambrosiano Mediolanensi Cœnobio confirmat, atque alia addit. Protulit illud Puricellius in Monument. Basilic. Ambrosian. num. 131. Sed frustra illud pertinere opinatur ad Annum Christi DCCCLXXXI. Ibi hæc habet Crassus: *Nullus scilicet Episcopus, Archiepiscopus, Dux Marchio vel Communitas, aliquam molestiam ei Monasterio inferat*. Hæc sane *Communitatis* mentio innuere videtur, Anno Christi DCCCLXXX. fuisse Mediolani, aliisque in Urbibus, Civium Corpus, cui auctoritas non deesset, quando *Communitas* numeratur cum *Episcopis*, *Ducibus*, ac *Marchionibus*, qui procul dubio potestate multâ fruebantur, ac Populum regebant.

bant. Verùm adeo peregrinum ac insolens mihi videtur eo in monumento *Communitatis* nomen, ut potius suspicer, vel *Comes* pro *Communitas* esse legendum, vel Diploma ipsum inter suppositicias Chartas esse referendum. Occurrunt illic & alia, quæ suspicionem falsi (ne gravius loquar) legenti ingerunt, cujusmodi sunt *Anathematis* denuntiatio, qua carere solent Diplomata Regum & Augustorum; & *Signum Domni Ansprandi Cancellarii, & Guidonis Episcopi, & Bosoni*: quæ omnia sub una linea referuntur. Subscribunt & alii Episcopi, & *Risus Cardinalis*, & *Petrus Vicecomes*. At ista abhorrent a ritibus Cancellariæ Imperatorum & Regum præsertim illius temporis. Et *Guido Episcopus Papiensis*, tabulis iis subscribens, ignotus fuit præcedentibus rerum Ticinensium Scriptoribus. Sunt & alia, quæ omitto. Ceterum non dissimulabo, apud Marculfum Auctorem, ut creditur, Sæculi Septimi, Formulam Septimam hisce verbis esse conceptam: *Piissimo ac præcellentissimo Domno illo Regi Commune illius*, scilicet *Civitatis*. Ibi autem postulat Populus successorem Episcopi defuncti. At istis verbis nihil aliud significari videtur nisi quod supra vidimus, *Ordo* & *Pleps Civitatum*, quibus jus erat in electione Episcoporum. Sed an & in regimine civili auctoritatis aliquid fuerit, incertum est. Solicite tamen adnotandus locus (si tamen ita Marculfus scripsit, quum Bignonius ita legendum censuerit) ut intelligamus, multâ vetustate niti nomen *Communis*. Atque hactenus a me congesta conjungenda erunt cum iis, quæ in prædicta Dissertat. XLV. *de assumta Reipub. forma* infra Lector accipiet.

# EXCERPTA
# HISTORICA
## EX COMMENTARIIS MStis
# BENEVENUTI
# DE IMOLA
## IN COMŒDIAM DANTIS,

Ab eo circiter Annum Christi MCCCLXXVI. compositis,

ET

## IN ESTENSI BIBLIOTHECA
## ADSERVATIS.

# IN EXCERPTA

## EX COMMENTARIIS MStis

# BENEVENUTI IMOLENSIS

## *PRAEFATIO*

# LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Qui mores hominum, qui ritus in Italia viguerint, dum barbarica Saecula fluebant, mihi potissimùm in hoc Opere investigandum proposui. Nullo autem ex Libro tantum lucis in ejusmodi inquisitione sperare possis, quantùm ex insigni Dantis Aldigherii Poëmate, sive Comoediâ Italicâ, scripta ante annos quadringentos & ultra. Verùm quae ibi metro conclusa sunt, atque ad illius temporis homines, & res gestas pertinent, ita interdum tenebris circumclusa se exhibent nobis, tam serò natis, ut nisi Interpretes opem ferant, coecutiamus ad non pauca necesse sit. Neque desunt, qui amplissimis Commentariis jamdiu se contulere ad illustrandum nobile Philosophi hujus Poëtae Opus: videlicet *Bernardinus Daniellus*, *Christophorus Landinus*, & *Alexander Vellutellus*, eorumque Libri non semel ex officinis typographicis publicum in diem prodiere. Alios ante se eodem munere functos, idem Landinus in Praefatione commemorat. Plures etiam, atque adeo omnes Dantis Interpretes recensuit Clariss. V. Apostolus Zenus Tom. VI. Diarii Literator. Ital. pag. 183. Praeterea circumfertur Commentarius Italicus in ejusdem Aldigherii Poëma, Annò Christi MCCCCLXXVII. typis Vendelini Spirensis Venetiis impressus, & *Benevenuto Imolensi* tributus: cujus etiam auctoritate non semel usi sunt Academici Cruscani in Vocabulario Italicae Linguae. At jamdudum praesenserunt eruditi Viri, falso titulo quaesitum fuisse honorem ejusmodi Commentario, quippe cujus minime auctor fuit Benevenutus, sed alter, qui fortassis ex Benevenuti labore profecit. Porro illud certissimum est, Benevenutum reliquisse post se amplissimum Latinum Commentarium in universum Dantis Poëma; ejusque exemplum in membranis scriptum adservari in Estensi Bibliotheca, uti & in Ambrosiana, & Florentina. Alibi quoque reperiri mihi persuasum est. Praeterea dubitari vix potest, quin Benevenutus, uti ceteris Dantis Interpretibus antiquitate, ita & eruditione praeiverit. Immo quae nuper laudati Scriptores congessere, ut Aldigheriano Poëmati lucem adferrent, omnia fere delibata fuere ex ejusdem Benevenuti Commentariis MStis, quamquam fatentem neminem habeamus, se illius scrinia expilasse.

Neque Benevenuto difficile fuit explicare, quae olim videbantur, eoque magis videri abstrusa possunt temporibus nostris in Poëmate Dantis. Is enim eodem Saeculo floruit, quo & ipse Dantes. Patria illi fuit Forum Cornelii, nunc Imola. Pater *Magnus Compagnus*, qui in ea Urbe, ut is ait ad Cant. XV. Paradisi, *legit tam laudabiliter, quàm utiliter juxta habitationem Liti de Alidosiis*. Fortassis illius pater appellatus, notusque fuit ex agnomine *Magna-Compagno*; nam Familia *de Rambaldis* Benevenuto tribuitur. Philosophiae, aliisque Artibus & Scientiis operam dedit, praesertim Bononiae, ubi ipse testatur, se per decennium fuisse versatum. Historiae verò potissimùm studuit, cujus etiam specimen ad posteros transmisit, hoc est, Libellum, *Augustalis* titulo donatum, quòd Romanorum Caesarum catalogum, & vitae compendium complectatur usque ad Vincislaum, suo tempore regnantem. Editum fuit Opusculum illud Argentorati Anno Christi MDLV. Visitur etiam inter Opera Francisci Petrarchae, cui perperam à nonnullis tributum fuit. Eumdem quoque Libellum in Tomum II. Germanicarum Rerum intulit Marquardus Freherus Anno MDCII. Singulari studio colebat Benevenutus Principes Atestinos Ferrariae ac Mutinae dominantes; inter quorum praerogativas Literarum ac Literatorum amor postrema nunquam fuit: ac propterea Nicolao II.

Marchioni Opusculum hoc dicatum voluit. Illud autem manu exaratum servat non tantùm Estensis, sed & Ambrosiana Bibliotheca cum hocce titulo: *Augustalis Libellus Clarissimi Historici Benevenuti de Rambaldis de Ymola ad nobilissimum illustrem Marchionem Ferrariae, Kalendis Januariis novo adventante Anno Christi Millesimo Trecentesimo Octogesimo Sexto: à Julio Caesare ad Vincislaum usque Imperatorem Caroli filium, Augustorum Vitam breviter scribit*. Editionem Freherianam contuli ego cum Estensi Codice, & in multis vitiatam aut mancam reperi. Quare Opusculum ipsum suae restitutum integritati, inter Scriptores Rerum Italicarum rursus evulgare decreveram. At quandoquidem non unam habemus ejusdem editionem, ac praeterea nullum aut exiguum emolumentum erudito homini inde sperandum est, consilium hoc tamdem abjeci. Porro ex dictis jam habes, quo tempore Benevenutus floruerit, hoc est Anno Christi MCCCLXXXVI. Sed longe antea ejus fama increbuerat, atque haec illi peperit arctam animi conjunctionem cum Francisco Petrarcha, celeberrimo aevi sui viro, quem constat è vivis sublatum Annò MCCCLXXIV. Vide ejusdem Petrarchae Epistolam XI. Lib. 14. Rer. Senilium, scriptam *Benevenuto Imolensi Rhetori suo*, ubi de Poëtis probis & improbis disputat. Is etiam Cant. XVIII. Infern. auctor est, ad Romanum Jubilaeum se fuisse profectum Anno MCCCL.

Quod tamen prae ceteris animadvertendum est, singulari familiaritate conjunctus fuit Benevenutus noster cum Johanne Boccaccio, clarissimo Scriptore Saeculi Decimiquarti, cui tantùm debet Italica Lingua. Hunc ille *Magistrum* suum appellare consuevit. Ad Cant. I. Infern. ait: *Dum semel portaretur quidam Pardus per Civitatem Florentiae, pueri currentes clamabant: Vide Lonzam, ut mihi narrabat suavissimus Boccaccius de Certaldo*. Sed praecipue de illo mentionem facit ad Cant. XVI. vers. 46. Paradis. in haec verba scribens: *Temporibus modernis floruit Boccaccius de Certaldo, qui suavitate suae sapientiae & eloquentiae reddidit ipsum locum Certaldi celebrem & famosum. Hic siquidem Johannes Boccaccius, veriùs Bucca aurea, venerabilis Praeceptor meus, diligentissimus cultor & familiarissimus nostri Auctoris, ibi pulcra Opera edidit. Praecipue edidit unum Librum magnum & utilem de Casibus virorum illustrium. Item Libellum de mulieribus claris. Item Librum de Fluminibus, & Librum Bucolicorum &c.* Quum tradit Benevenutus, Boccacium fuisse *diligentissimum cultorem & familiarissimum nostri Auctoris*, idest Dantis, ne puta, inter eosdem intercessisse amicitiam, aut studiorum communionem. Boccaccius enim natus dicitur Anno Christi MCCCXIII. Dantes verò Anno MCCCXXI. naturae debitum solvit, ac propterea puer ne illum quidem vidisse aut audisse potuit, & praecipue exulem, & Ravennae sedentem, ubi vitam cum morte commutavit. Itaque hisce verbis tantummodo Boccaccius multum Operae posuisse dicitur in legenda & explicanda Dantis Comoedia. Immo & in eam scribere Commentarium aggressus fuerat, quem tamen ultra primum Cantum minime produxit. Tanto autem Praeceptore & amico usus Benevenutus, nil mirum, si supra ceteros post se natos aptus fuit ad interpretanda plurima, quae Dantes brevibus innuit, & luce indigebant. Ad quod opus etiam adhibuit Interpres eruditus, quotquot potuit, Libros, è quibus hosce dumtaxat commemorabo, barbaricorum temporum Scriptores: neque enim refert vetustissimos quoque recensere, satis nempe notos. *Dini Compagni* Historia, quam primus ego edidi in Tom. IX. Rer. Italicarum, laudatur à Benevenuto ad Cant. VIII. Inferni. *Albertini Musatti* Tragoedia Ecerinis, edita à me Tom. X. Rerum Italicarum. *Ricobaldi Ferrariensis* Chronicon, quod evulgavi Tom. IX. Rerum earumdem. *Petri de Vineis* Epistolae, sed suppositiciae. *Chronica Ravennae, Genuae, Venetiarum*, & *Neapolis*, quorum Auctores nobis minime detexit. *Boccaccii* Liber de Montibus & Fluminibus. De Vita ac Moribus Dantis. Decameron, & alii, de quibus supra. *Guidonis Bonati* Opera Astrologica *Michaëlis Scoti* Astrologi, quo usus est Fridericus II. Augustus, Liber de Astrologia. *Godefridi Viterbiensis* Pantheon, impressum Tom. VII. Rer. Italicarum. *Gerii Arretini* Satyra contra mulieres Tuscas. *Guitonis Arretini* Liber Rhythmorum vulgarium. *Joachimi Abbatis Calabri* Liber Prophetiarum de Papis. *Hubaldi de Agughone* Liber de Guelphis & Gibellinis. Dolendum est, Librum hunc jamdiu excidisse, vel alicubi usque adhuc delitescere. *Bruneti Latini* Thesaurus Historicus. *Dantis Aldigherii* Liber quoque de Monarchia: ejusque Literae ad Henricum VI. Augustum.

Porro Commentarii hactenus memorati, quorum auctor Benevenutus Imolensis, manuscripti in membranis in fol. adservantur in Bibliotheca Serenissimi Ducis Mutinae. In calce legitur: *Explicit Commentum Magistri Benevenuti de Imola super Dantem Allegherii de Florentia, MCCCVIII. ultimo Augusti*. Haec tempus indicant,

cant,

cant, quo Librarius ad umbilicum perduxit Librum, ſpiſſum ſane Opus, quòd perpetua interpretatione textum Dantis proſequatur. Inde verò excerpſi, quae nunc publici juris facio. Et cur non integrum Librum? quiſquam petat. Inſtituti profectò mei non erat Lectoribus propinare heic tam immanem copiam rerum Grammaticalium, & Fabularum Ethnicarum, ſive tot Romanae aut Graecae Hiſtoriae monumenta jam nota, quibus Benevenuti Opus abundat. Qui haec omnia ſitit, & gratiam univerſae Reipublicae Literariae initurum ſe ſperat, edito integro Scriptoris hujus Commentario, provinciam hanc aggrediatur, quam ei liberam lubens relinquo. Mihi placuit, ea tantummodo ſeligere, quae ad mores, ad ritus, ad Hiſtoriam Saeculi praeſertim Decimi tertii & ſubſequentis pertinent apud Benevenutum, & ea Lectorum oculis unico veluti obtutu conſideranda exhibere, utpote quae oblectationem parere poſſe legentibus mihi creduntur, & certe uſui non mediocri eſſe poſſunt amatoribus barbaricae Eruditionis. Simul autem ex hoc ſpecimine palam fiet, quid ſentiendum ſit de recentioribus Dantis Interpretibus, qui aut è pennis Benevenuti, diſſimulato ejus nomine, ſibi laudem quaeſierunt, aut ejus luce deſtituti, ſumſerunt illuſtrandam egregii Poëtae Comoediam. Denique ſatis haec erunt, ut intelligas, quare Leander Albertus Ordinis Praedicatorum, in Italiae deſcriptione, ubi de Imola verba facit, inter illuſtres illius Urbis Scriptores appellarit *Benvenuto digniſſimo Filoſofo e Poeta, il quale chiosò le Comedie di Dante, ove dimoſtra non meno ingegno che dottrina.*

# EXCERPTA HISTORICA
## EX COMMENTARIIS
# BENEVENUTI DE IMOLA
## SUPER DANTIS POËTÆ COMŒDIAS,
### DESUMPTA EX CODICE MSto
# BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

Incipit Commentum Magistri Benevenuti de Imola super Infernum Dantis de Aldigheriis de Florentia Poëtæ. Et primo Epitaphium Dantis. Secundo Origo Dominorum Marchionum Estensium.

*Jura Monarchiæ, Superos Phlegetonta lacusque*
*Lustrando cecini, voluerunt Fata quousque.*
*Sed quia pars cessit, melioribus hospita castris*
*Auctoremque suum reddit felicior astris,*
*Heic claudor Dantes, patriis extorris ab oris,*
*Quem genuit parvi Florentia mater amoris.*

*Heic nitet* Estensis Nicolaus *laude sub ista,*
*Gloria Magnatum, Generis fulgore serenus,*
*Sed virtute magis certâ superare regentes,*
*Quos sua sublimis vincit clementia morum,*
*Qua decus eximium similem non comperit usquam*
*Italicos inter Proceres, Dominosque Potentes.*

QUoniam, præclarissime Princeps, testante Philosopho in sua Poëtria, jucundissima Ars Poëtica ab ipsis Naturæ principiis ab omni nobilitate manarit, cujus operâ efficitur, ut Illustrissimorum Virorum virtus extincta, fiat perpetuo rediviva tubæ Poëticæ præconio, totum prædicata per Orbem; Cujus ope nunc egent Illustrium tuorum facta Majorum, jam in tempore fere sepulta penuriâ Poëtarum, quorum copia (proh dolor!) ætate nostra rarior est Phœnice; Phœnix siquidem unica in Orbe, & unica in regione reperiri dicitur a magnis Sapientibus, licet nobis ignota; Poëta vero hac tempestate nullus usquam agnoscitur. Tuorum inquam inclyta gesta omnis eximius Vates materiam habet uberrimam. Ut enim perstringam plurima paucis, *Azo Primus* inclytus olim Princeps, formâ corporis, animique virtute præpollens, primus feracissimæ *Ferrariæ Principatum* adeptus; antiquissimæ *Mantuæ*, quæ Marone Latinorum clarissimorum gaudet alumno, Protector egregius; nobilis *Veronæ* regimen sibi sponte collatum, sed mox vi & fraude hostium injuste extortum, justâ irâ & indignatione fremens, equestri Marte collatis signis, infestis partibus debellatis, tam prudenter, quam potenter resumsit amissum, ubi egregiorum operum & vitæ finem feliciter posuit. *Aldrovandinus* ejus primogenitus, magnanimus adolescens, *Marchionatus Anconæ* titulum promeruit, militantis Ecclesiæ hostibus triumphatis, in ipso flore juventutis extinctus, decus insigne Virtutis, & eximię Pietatis. *Azo Secundus* ejusdem Primi Azonis filius, vir strenuus bello, prudens consilio, Romanæ propugnator Ecclesiæ, velut olim Romanæ libertatis divinus ille Scipio victor Hannibalis, domitor Carthaginis, Italiæ liberator, tremendas vires insolentissimi Friderici Secundi (qui non minus triginta annorum curriculo Romanam afflixit Ecclesiam, quàm olim Martius Hannibal Romanam Rempublicam sexdecim annorum spatio, cupidissime lacessivit) apud Victoriam victor armipotens pro magna parte confregit. Quo Principe Friderico post Carolum Magnum nemo major, aut formidolosior Romanum Imperium tenuit. Nec minori virtute & felicitate hic excelsus Azo cruentam superbiam Ecellini præfato Friderico fœderati, qui ut olim Dionysius ferox Siciliam, ita Marchiam Tarvisinam, omnium suppliciorum genere labefecit tortor iniquus, pro maxima parte delevit, potenti Patavio sibi prius erepto; Deinde apud Abduam Tyranno sevissimo strato, & cum omnium exultatione justorum, mortis ergastulo mancipato, in quo infelicem ani-

animam, si fides est, patri Diabolo, ex cujus stirpe creditur ortus, reddidit æternaliter cruciandam. *Opizo Primus* natus ex Raynaldo, dicti Azonis II. filio, mortuo in Secundi carcere Friderici, cujus altam potentiam nec Germania capiebat, nec tolerabat Italia, non contentus animosam virtutem suam intra Padi claustra & Adriæ litora coarctari, ad *Regium Lepidum*, *Mutinamque* bellacem, suæ dexteræ potentiam extendit, utriusque Urbis potitus imperio. Caroli I. veteris contra Manfredum Friderici natum, non minus patre infestum Ecclesiæ, incitator & adjutor exstitit ad illius meritum debitumque triumphum. *Azo Tertius* prædicti Primi Obizonis filius, magnifica multa strenue gessit, petitor gloriæ, contemtor pecuniæ, Bononiam opulentam, Parmamque potentem, variis bellis quassavit. Hujus Azonis III. *Aldrovandinus* frater egregius inclytam prolem genuit *Raynaldum*, qui Ferrariam a Catalanorum avidis faucibus liberavit, magna sanguinis madens ultione, & *Nicolaum* fratrem, cujus Tu fers nomen, Virorum utique amantissimum, ex eorum barbarorum captivitate detraxit. Genuit & *Opizonem* patrem tuum, præpotentem ac magnificum *Dominum Ferrariæ*, *Mutinæ*, *Parmæ*. Quamvis autem illustris tuorum Proavorum prosapia insigni antiquâ generositate præfulgeat, de cujus vetustatis primordialibus initiis memoria non extat, clarissimorum tamen Regum affinitate cumulatius honestatur. Roberti scilicet Serenissimi, patrum nostrorum temporibus Siciliæ Regis, quem, post Salomonem, Sapientissimum prædicat constans opinio plurimorum: Et Andreæ Regis Hungariæ, cujus uxor Beatrix, primi Aldrovandini filia, verè beata, si Virtus heroica beatam efficere potest, mulier animosa, a paterna & avita nobilitate non degener, viro suo Rege sene fato functo, ex illius semine, suo jam utero tumescente, virilem habitum mutuata, ut temporis necessitas suadebat, custodiâ Privigni solerter elusâ, in Germaniam commigravit, unde ad primos lares & tutior & liberior commeavit.

Præterea rescripta Principum, Privilegia Pontificum, quibus non generi plus eximiæ claritatis accrevit. Et ne plura tuorum prædecessorum gesta memoranda percurram, quamvis Clementia & Liberalitas, propria Virtus Principum, quasi hereditaria ipso jure naturæ in Estensi Familia semper effulserit, in Te tamen utraque tota confluxit, inconvulse tuo pectori radicata, ut omiserim ceteras, Æquitatem, Prudentiam, Modestiam, Constantiam, quæ nec successibus prosperis insolescit, nec adversis hebescit. Tu florentem ætatem præclarâ morum indole præsignasti. Robusta vero, ingentibus celebrata tropheis, de vitiorum hostilitate merentius triumphavit, juxta præsagium tui nominis gloriosi: *Nicolaus* namque *Victor laudabilis* interpretari solet, ut dicitur à quibusdam: O ergo te felicem! de cujus magnitudine animi præstatur bonis præmium, reis remissio sæpe, quamquam a quibusdam atrocissimas & intolerabiles injurias accepisti, etiam a clementissimis severissimas judicandas. Ut de te dicere audeam, quod de Cæsare inquit Cicero: *Nulla de Virtutibus tuis major Misericordiâ est*. Heic te, Clarissime Marchio, motum reor, ut illius fulgentissimi Solis (Dantem loquor) cujus perspicui ingenii radiis, suo meritorum prævio lucifero, noster Orbis Italicus præcipue illustratur, figmenta evolverem, figmentorum integumenta elicerem, elucidans etiam obscura variis velata figuris, multiplicibus sensibus involuta latentibus. Heic vero namque Historica & Poëtica, heic Naturalia, & Moralia, heic ardua & infima, heic antiqua & novissima; heic, ut breviter dicam, Divina pariter & Humana comprehenduntur. Nec ambigo, quin diversi diversa sint dicturi pro animorum affectione tam dissona quam diversa. Quid modo? Opus ne est respondere vulgarium linguis injuriosis, qui etiam excellentissimos Literatorum stilos temere carpere non verentur? Mihi tamen suffecerit peritiorum, ac Tui acquiescere votis. Cujus præceptis, tibi prius dilectus quam notus, nequeo contraire. Non est autem propositi mei in hoc Opere, omnium Exponentium dicta refellere, erronea, ridicula, falsa, aut saltem aliena, & omnino impertinentia facto. Et quum brevis in omnibus esse soleam, necessario forte nimius videbor interdum, quoniam multa & magna impossibile est breviter explicare. Igitur porrigam manum trepidam ad tam grande Opus in nomine Sanctissimæ & Divinæ Trinitatis, sic exordiens.

Et primo quæratur, quis Libri Auctor. Secundo, quæ materia. Tertio, quæ intentio. Quarto, quæ utilitas. Quinto, cui parti Philosophiæ supponatur. Sexto quis Libri Titulus. Ad primum dico, quod Auctor fuit Dantes Aldigherius Poëta Florentinus. Et multis vocabulis designatur; primo enim a vocabulo propriæ denominationis *Dantes* est vocatus. Et merito, quia nomen est consonans rei. Dictus est enim Dantes quasi dans se ad multa. Dedit namque se universaliter ad omnia, ut patebit in discursu hujus Operis. Et omnibus scientiis operam dedit. Et præcipue Poëticæ Scientiarum delectabilissimæ. Vel dictus est Dantes, quasi *dans Theu*, idest Dei & Divinorum notitiam. Nam quum Auctor iste in viridiori ætate vacasset Philosophiæ naturali & morali in Florentia, Bononia, & Padua, in maturæ ætate jam exul, dedit se Sacræ Theologiæ Parisius. Ubi adeo alte emicuit, quod ab aliis vocabatur Poëta, ab aliis Philosophus, ab aliis Theologus. Nullus autem fuit Poëta, qui Paradisum Poëtice describeret, nisi hic Poëta munificus, qui de se ipso profitetur in secundo Cantu Paradisi dicens, Vers. 7.

*L'acqua, ch'io prendo, già mai non si corse.*

*Aldigherius* nomen est cognationis. Fuit namque Dantes Majorum sanguine generosus, scilicet de Aldigheriis. Quod nomen fuit tractum ab Aldigheriis nobilibus de Ferraria, ut dicetur Cantu XV. Paradisi, ubi Auctor introducit quemdam nobilem Militem antiquum prædecessorem suum dicentem, vers. 137.

*Mia Donna venne a me di Val di Pado.*

Constat autem Ferrariam esse in Valle Padi. Aldigherii autem descenderunt ex Heliseis, unde idem dicit ibidem, Vers. 136.

*Moronto fu mio frate, & Heliseo.*

Et dicitur *Dantes Aldigherius*, quasi alta digerens, vel alia digerens quàm alii Poëtæ. Nemo umquam Poëtarum (nullum excipimus) habuit tam altam phantasiam, aut tam nobilem materiam scivit, vel invenire potuit, in qua tam eleganter tradit cognitionem rerum humanarum & divinarum, virtutum, & morum fere, actuum humanorum, & aquisibilium mundi. Quod autem quidam dicunt *Aldigherii*, *S* finale subtrahitur ex usu, & quod alii dicunt *Allagherii*, corrumpunt omnino voca-

vocabulum. Poëta nomen est professionis &c.

*Florentinus* vocabulum est propriæ nationis. Argumentum enim sumitur a patriâ Florentiâ juxta vocabuli allusionem. Florentissima Urbium hunc florem peperit mundo, qui attulit tantùm fructum, licèt non noverit, sed expulerit a se, quum erat in ipso flore ætatis, fortunæ, & dignitatis. Unde quemadmodum iste Poëta illustris in XI. Cant. Parad. Vers. 50. Beatum Franciscum appellat Solem, & locum originis illius Orientem, ita ego meritò ipsum Dantem dixerim Solem, qui modernis temporibus illuxit ambulantibus in tenebra ignorantiæ Poëticæ facultatis; & Florentiam Orientem, quæ hunc præclarissimum Solem emisit in Mundum. Natus est autem iste fulgentissimus splendor Italicus in præfata patria sua, vacante Romano Imperio per mortem Friderici II. famosi Imperatoris Romanorum, Anno salutiferæ Incarnationis Universi Regis MCCLXV. Sedente Urbano Papa IV. Et hæc de Auctore. Materia sive subjectum &c.

*Ad Cant: I. Inferni Vers. 31.*

*Et ecco quasi al cominciar dell' erta*
*Una Lonza leggera e presta molto;*

Pietas Pardi magis videtur convenire luxuriæ, ut patet ex dictis, tum quia istud vocabulum Florentinum videtur magis importare Pardum quàm aliam feram. Unde dum semel portaretur quidam Pardus per Civitatem Florentiæ, pueri currentes clamabant: *Vide Lonzam*; ut mihi narrabat suavissimus Boccatius de Certaldo.

*In Cant. II. Inferni, Vers. 8.*

*O mente, che scrivesti ciò, ch'i' vidi.*

Tria Auctor invocat fidenter in suum subsidium. Fuit siquidem ipse Auctor miræ capacitatis, & perspicui intellectus, & altissimi ingenii, & subtilis inventionis. Cujus animi qualitatem, corporis effigies mirabiliter arguebat. Fuit namque hic venerabilis Dantes staturæ mediocris. Et quum ad maturam ætatem pervenisset, ibat aliquantulum curvus. Incessus ejus erat gravis & mansuetus. Habitus honestissimus, & professioni suæ conveniens. Vultu longo, naso aquilino, oculis grossiusculis, maxillis grandibus, labro inferiore majore, colore fusco, capillis & barbâ densis & nigris & crispis, facie semper melancolicus, meditabundus speculabatur. Accidit ergo semel in nobili Civitate Veronæ, jam suâ famâ vulgatâ, & Inferno per eum descripto publicato, dum transiret per unam viam, ubi erant multæ Dominæ congregatæ, quod dixit una earum voce submissa, ita tamen ut audiretur: *Vide illum, qui vadit in Infernum, & revertitur inde, quum sibi placet, & reportat adhuc nova de iis, qui ibi sunt*. Cui respondit alia: *Verum dicis. Nonne vides, quomodo habet barbam crispam propter calorem, & fuscum colorem propter fumum, qui est ibi?* De quo Dantes risit, licèt rarò vel numquam ridere soleret. De cujus Vita varia & fortuna diversa, sicut ipse sæpe in hoc Libro scribit, dicetur alibi suis locis.

*Ad Vers. 10.*

*Incominciai: Poeta, che mi guidi &c.*

Auctor videns liberalia studia, potissime Poëtica, esse deserta a Principibus & Nobilibus, qui principaliter solebant in Poëticis delectari, & ob hoc Opera Virgilii, quibus Opera Poëtica solebant olim intitulari, & Opera aliorum excellentium Poëtarum, jacere neglecta & despecta, cautius & prudentius se reduxit ad stilum vulgarem, quum jam literaliter incepisset sic:

*Ultima Regna canam fluido contermina Mundo,*
*Spiritibus quæ læta patent, quæ præmia solvunt*
*Pro meritis cuique suis; &c.*

Alii aliter, & multi communiter dicunt, quod Auctor cognovit stilum suum literalem non attingere ad tam arduum thema; quod & ego crederem, nisi me moveret auctoritas novissimi Poëtæ Petrarchæ, qui loquens de Dante, scribit ad venerabilem Præceptorem meum Boccatium de Certaldo: *Magna mihi de ejus Ingenio opinio est, potuisse eum omnia, quibus intendisset.*

*Ad Cant. III. Inferni, Vers. 58. & seqq.*

*Poscia ch' io v'ebbi alcun riconosciuto,*
*Guardai, e vidi l'ombra di Colui,*
*Che fece per viltate 'l gran rifiuto.*

Ad propositum dicit Auctor, quod ex omnibus ipsis elegit & recognovit animam unius, qui ex vilitate fecit maximam renuntiationem. Sed quis fuerit iste magnus tristis, certe communis & vulgaris fere omnium opinio esse videtur, quod Auctor noster heic loquatur de Cœlestino V. qui vocatus est Frater Petrus de Morono. Quod multipliciter probari videtur. Primo quidem necessario videntur arguere, quæ Auctor dicit: *Il gran rifiuto*. Et sic antonomastice videtur debere intelligi de Papatu. Certum enim est, quod in Mundo Christiano nulla est major dignitas Maximo Pontificio. Præterea dicunt, quod Cœlestinus plus poterat promereri in labore & cura animarum, quam in quiete & otio eremi. Unde Petrus Apostolus dixit: *Laboravi, non fructificavi*. Ita quod sufficiebat bono animo laborare, licèt non multum proficeret. Præterea dicunt, quod, quantumcumque forte Cœlestinus fecerit hanc maximam renuntiationem bono & puro animo, tamen reputatum fuit sibi generaliter ad maximam vilitatem. Quod negari non potest. Sed breviter, quidquid dicatur, mihi videtur, quod Auctor nullo modo loquatur nec loqui possit, de Cœlestino. Primo quia licèt Cœlestinus fecerit maximam renuntiationem, non tamen ex vilitate fecit, immo ex magnanimitate. Fuit enim Cœlestinus, si verum loqui volumus, verè magnanimus ante Papatum, in Papatu, & post Papatum. Ante Papatum, quia statim auditâ electione sua, conatus est fugere cum uno Discipulo suo, nomine Roberto, juvene Salentino. Sed ex improviso circumventus subitâ multitudine Populi, non potuit efficere, quod optabat. Fuit etiam magnanimus in Papatu. Nam quamvis positus esset in summo culmine dignitatis, intra amplum & Papale Palatium, fecit sibi arctam & eremiticam camerulam, in qua per singulos dies certâ horâ vacabat dulci otio sanctæ contemplationis, ubi loquebatur cum Deo, inter tot laboriosos & armatos strepitus hominum, ita quod vixit humilis in alto, solitarius inter turbas, & inter divitias pauper fuit; & tanto magnanimior, quanto renuntiatio major. Petrus siquidem Christi primus Vicarius reliquit naviculam parvam & pauperem. Hic vero Petri successor, Petri navim maximam & ditissimam dimisit; & maxime eo tempore, quo erat in maximo pretio, quando scilicet magna ambitione ab omnibus petebatur. Ideo felicius sibi cessit, quam Bonifacio, qui onus istud tanto studio quæsivit, sub quo tamen erat infeliciter moriturus. Cognoscebat enim Vir sanctus Cœlestinus se inhabilem & inutilem officio, quod divinitus acceperat, tum quia erat inexpertus & ignarus ne-

negotiorum Seculi, assuetus diu contemplationi, in sylvis non in Urbibus; tum quia frustra sperabat posse facere fructum Ecclesiæ Dei, quum videret illos Cardinales incorrigibiles, insatiabiles, non posse revocari a Simoniis, & aliis cupiditatibus, quibus totum animum intenderant. Post Papatum magnanimissimus fuit. Nam depositâ Papali dignitate, quasi quadam gravissima sarcina, pristinam solitudinem tam avide repetebat, ut videretur captivus ab hostili carcere liberatus. Sicut enim narraverunt, qui eum viderunt, tanto gaudio & lætitia recedebat, ut non videretur subtraxisse humerum blando oneri, sed cervicem minaci securi. Nec mirum. Sciebat enim quo redibat; nec ignorabat, unde recederet. Recedebat enim ab Inferno viventium, & redibat ad Paradisum viventium; nisi sibi obstitisset astutia Bonifacii, qui illum captum retraxit, & retrusit in carcerem sub firma custodia. Ubi si locum mutavit, non tamen animum. Cujus mortui anima ascendens in Cœlum apparuit Roberto Discipulo suo superius memorato, & ei persuasit, ut in sancta solitudine perseveraret usque in finem, sicut a principio voluerat eum sequi, quando prius tractus fuerat ad Papatum. Et breviter. Ejus fama diffusa per totam Italiam, & ejusdem Ordo transcendit Alpes, multisque Conventibus suorum Fratrum relictis, multis claruit miraculis; propter quæ merita dignus exstitit Sanctorum catalogo numerari. Patet ergo ex his dictis, quod non sit standum opinioni vulgi. Nam vanæ voces vulgi non sunt audiendæ. Nec Vir sapientissimus Dantes credendus est, Virum sanctissimum damnasse ad opinionem vulgi ignari. Quis ergo fuerit iste tristissimus, dico brevius, secundùm judicium meliorum, quod fuit Esau. Iste enim fecit magnam refutationem, quando renuntiavit omnia primogenita sua fratri Jacob, &c. Si tamen quis velit omnino resistere & dicere, Auctorem intellexisse de Cœlestino, audebo dicere (nisi temerarius videar) quod honestius & sanctius de viro vili & voraci, quàm de sancto & animoso, loquutus fuerit. Et tamen pro excusatione Auctoris dicam, quod nondum erat sibi nota Sanctitas hominis. Fecerat enim Cœlestinus renuntiationem recentem forte per biennium, antequam Auctor ista descripserit, & nondum erat canonizatus. Nam Cœlestinus postea canonizatus fuit a Clemente Papa V. sub Anno Domini MCCCXIII. Præterea Auctor erat iratus Bonifacio, auctori exilii & expulsionis ejus. Qui Cœlestinus donaverat sponte ipsi Bonifacio summum Pontificatum. Unde Auctor sæpissime dicit de ipso Bonifacio magna mala, qui de rei veritate fuit magnanimus peccator. De cujus gestis multa dicentur in multis locis & Capitulis.

*Ad Cant. V. Infer. Vers. 79.*

*Si tosto come 'l vento a noi li piega.*

Sed ne procedam obscure in tractatu istorum duorum spirituum, est sciendum, quod in nobili provincia Romandiolæ in Civitate Arimini, Johannes Scancatus sic denominatus, qui erat mirè claudus, filius Domini Malatestæ Senioris, qui primus acquisivit dominium Arimini, vir corpore deformis, sed animo audax & ferox, accepit in uxorem Franciscam filiam Domini Guidonis Veteris de Polenta, Domini Ravennæ, Dominam pulcram corpore & vagam. In istam exarsit Paulus frater dicti Johannis, homo corpore pulcher & politus, deditus magis otio quam labori. Quum ergo dicti Paulus & Francisca conversarentur simul sine suspicione tamquam cognati, legebant semel in camera ipsius Dominæ in uno Libro vulgari de Tabula rotunda, in quo scriptum erat, quod Lanzalottus olim captus est amore Reginæ Ginevræ, & quomodo per mediatum Persicum, scilicet Galaotum Principem Insularum Longinquarum, conjuncti sunt simul ad conferendum de amore eorum. Et quomodo Lanzalottus virtute istius collationis cognito amoroso igne, fuit exosculatus ab ipsa Regina. Quum ergo prædicti Paulus & Francisca pervenissent ad dictum passum, ita vis istius tractatus vicit ambos, quod continuo deposito Libro pervenerunt ad osculum, & ad cetera, quæ sequuntur. Hæc autem in brevi significata Johanni per unum familiarem fuere. Ambos simul in dicta camera, ubi convenerant, mactavit.

*Ad Cant. VI. Infern. Vers. 58. & seqq.*

*Io gli rispoſi. Ciacco il tu' affanno &c.*

Ad hujus rei cognitionem est præsciendum, quod Florentia erat in majori flore & potentia, quàm umquam fuerit, in MCCC. quo Anno Auctor noster incepit istud opus floridum. Sed, ut plerumque fit, res secundæ pepererunt discordiam. Nam tota Civitas divisa est, primo inter Nobiles, secundo inter Populares, in duas Sectas, scilicet Alborum & Nigrorum. Quæ partialitas primo habuerat originem in Civitate Pistorii in domo magna & potenti Cancellariorum, sicut dicetur infra, Cantu XXXII. Sed cito iste morbus contagiosus transierat Florentiam, & infecerat totum corpus Civitatis, repletum malis humoribus. Nam ut dicit Valerius, ***nullum Vitium finitur ibi, ubi oritur***. Partis Albæ fuit principium & caput quidam Miles, nomine Verius de Circulis. Erant autem Circuli tunc temporis arrogantes & superbi, tum quod erant valde divites, & potentes, tum quod venerant paulo ante a rure ad Civitatem. Et nulla erat tunc major Societas in Florentia. Partis vero Nigræ fuit principium & dux alter Miles nomine Cursius de Donatis, qui tempore suo non habebat parem in Italia. Erant Donati Nobiles ab antiquo, non divites sed sagaces: Circuli habebant majorem Sectam in Populo, quia videbantur magis favere Reipublicæ; Ideo penes eos quasi totum erat regimen. Donati autem magis intendebant ad dominium. Sed Bonifacius VIII. volens obviare scandalo, quod parabatur Florentiæ, misit pro Domino Verio, & rogavit, quod faceret pacem cum Domino Cursio, & quod committeret rem sibi, promittens se facturum sibi unum Cardinalem, & multas alias gratias. Verius, licèt aliàs prudens, noluit parere Papæ; immo dixit, quod non habebat guerram cum aliquo. Et sic infecto negotio reversus est Florentiam. Et, ut breviter dicam, uno sero ad unum tripudium Dominarum ortâ lite inter aliquos de utraque parte, fuit amputatus nasus uni Recoverino de Circulis. Et hoc fuit principium magni mali. Aliâ vice Circuli invaserunt Dominum Cursium de Donatis, sed fuerunt repulsi turpiter. Deinde Cursius, celebrato consilio cum suis, decrevit mittere ad Papam, ut faceret venire unum de Domo Franciæ, qui deponeret Circulos. Quo scito fuit bannitus cum suis multis sequacibus, & multi cum eo relegati. Bonifacius ergo, procurante Domino Cursio, qui semper prosequebatur Curiam, & Domino Gerio de Spinis, qui erat Mercator Bonifacii, voca-

vocavit Carolum Sine Terra, qui erat frater Philippi Pulcri Regis Franciæ. Qui Philippus paulo post fecit mori istum Bonifacium; & fecit venire istum Carolum tamquam paciarium, ut pacificaret Florentiam, & deinde iret in auxilium Caroli II. contra Siciliam; dans sibi intelligere, quod faceret ipsum eligi Imperatorem Romanorum, vel saltem Locumtenentem Imperii. Carolus ergo in MCCCI. venit Anagniam ad Papam Bonifacium cum gentibus equitibus D. Francis. Et non intravit Florentiam propter partialitates prædictas. Regentes autem in Florentia, sentientes Carolum venire, miserunt Legatos ad eum. Quibus ille respondit benigne, quod veniebat pro bono pacis. Intravitque Florentiam cum gente inermi, & receptus fuit cum magno honore. Post paucos dies voluit dominium, & potestatem pacificandi Cives. Et continuo convocatis Prioribus & Nobilibus, & multitudine Populi, juravit conservare Civitatem in bono & pacifico statu; & continuò contrarium fecit de consilio Domini Musatti Francesii, Militis Florentini, qui venerat semper secum de Francia in Italiam, & suis expensis conduxerat eum, & corruperat magnis donis & denariis, quia erat pecuniosissimus in partibus Galliæ. Ante ergo quam reverteretur domum, Carolus fecit armari gentem suam, & introduxit Dominum Cursium de Donatis cum aliquot amicis suis. Tunc quidam Dominus Schiatta de Cancelleriis, Capitaneus Florentiæ, cum CCC. equitibus, offerebat se Prioribus & Circulis ire ad capiendum Dominum Cursium. Sed Dominus Verius dixit: *Permitte tantùm ipsum venire*. Confidebat enim in favore & furore Populi. Populus autem erat sine capite totus territus. Et breviter: Cursius sine resistentia, clamantibus suis: *Vivat Dominus Cursius*, ivit ad carceres, liberavitque captivos. Quo tumultu Priores timentes fugerunt de Palatio. Et sic discursum est ad prædam ad domos Alborum, & duravit quinque diebus cum magna ruina. Deinde pestis hæc transivit in Comitatum cum magnis incendiis & populationibus. Iis rebus gestis, Carolus reformavit Civitatem pro suo velle. Et Cardinalis Marcus de Aquasparta venit Florentiam, qui aliâ vice fuerat ibi, & non potuerat componere Partes. Et fecit fieri multas paces & affinitates. Et voluit ordinare officia communiter. Sed Nigri, qui erant fortes, non permiserunt. Unde ipse turbatus recessit, & dimisit Civitatem interdictam. Parum pax duravit. Nam Simon filius Domini Cursii interfecit quemdam Dominum Nicolaum de Circulis, & vulneratus ab eo decessit, qui Simon erat juvenis valentissimus. Tamdem aliqui Viri præcipui de Parte Alba citati, timentes comparere, recesserunt, alii Aretium, alii Pisas, alii Pistorium, qui adhæserunt Gibellinis exulibus de Florentia, de quorum numero fuit Dantes. Et eorum bona confiscata sunt per Carolum. Et sic vide, quomodo fuit destructa pars superba Alborum per Carolum Sine Terra in MCCCII. Carolus deinde cum Roberto filio Caroli II. ivit in Siciliam cum magna classe & numeroso exercitu. Sed inde cito recessit cum turpi pace, & redivit in Franciam, perditâ magna parte suorum militum, sicut dicetur ad Cant. XX. Purgatorii.

*Ad Vers. 79.*

*Farinata, e'l Teggiaio - - - - -*

Farinata fuit magnanimus Miles de Ubertis de Florentia, princeps Partis Gibellinæ; de cujus virtute & gestis dicetur plenius Cant. X. hujus Libri. Teghiajus nobilis & prudens Miles de Adimaris, de cujus consilio dicetur infra Cant. XVI. Infern. Et dicit:

*- - - - - - - - - che fur si degni.*

scilicet honore & laude. Et nota quod aliqui heic dicunt, quod Auctor loquitur ironice ibi: quod penitus est falsum. Quia licèt sint damnati propter aliqua vitia enormia, tamen sunt laudabiles & famosi in mundo, unde Auctor facit magnam commendationem de eis in locis suis.

*Ad Vers. 80.*

*Jacopo Rusticucci - - - - - - - -*

Iste fuit Miles prudens & liberalis, non tamen Nobilis, sed Plebejus de humili genere, de quo dicetur infra Cant. XVI.

*- - - - - - - - - e'l Mosca.*

Iste fuit Nobilis Miles de Lambertis de Florentia, de quo dicetur infra Cant. XXVIII. & dicit: *& fa, ch'io li conosca*: Quia non sunt prætermittendi silentio.

Ad Cant. VIII. Vers. 1.

*Io dico seguitando, ch'assai prima &c.*

Antequam descendam ad expositionem literæ, ad claram intelligentiam istius continuationis est præsciendum, quod Dantes, quando expulsus fuit de Patria, sicut plene jam patuit supra Cant. VII. fecerat de Opere suo solummodo Septem Capitula præcedentia. Quum autem more exulum, incertus suæ fortunæ, pluribus annis vagus, moraretur cum diversis Dominis, noluit divina Providentia, quod tam egregium Opus perderetur. Accidit ergo, quod quum quidam rimaretur inter certas scripturas Dantis, in quibusdam cofinis portatis ad loca sacra, quando ingrata turba magis avida prædæ quàm justæ vindictæ, cucurrerat ad domum ejus, reperit dicta Septem Capitula. Quibus cum admiratione lectis & inspectis, subtraxit sagaciter de loco, ubi erant, & portavit ad quemdam Civem nomine Dinum, (*a*) eo tempore famosum eloquentem in Florentia. Et breviter pro perfectione Operis imperfecti miserunt ista Capitula Marchioni Marcello Malaspinæ, cum quo tunc Dantes erat. Quæ ille satis intelligens Dominus bene notata ostendit fideliter Danti, rogans, ut non dimitteret sine fine Opus, cui fecerat tam altum principium. Dantes opere viso, fertur dixisse *Redditus est mihi maximus labor cum honore perpetuo*. Ergo fato volente, & Marchione instante, non sine magno labore conatus resumere altam phantasiam, quam omiserat, incepit de novo procedere, & continuare materiam inchoatam, dicens: *Io dico, seguitando*, idest prosequendo materiam intermissam propter exilium.

*Ad Vers. 42.*

*Dicendo, vie in costà con gli altri cani.*

Est ergo breviter sciendum, quod tempore Philippi Argenti, paulo ante expulsionem Auctoris, fuit in Civitate Florentiæ Ciaccus, maximus gulosus, de quo dictum est supra Cant. VI. & quidam alius Joculator leccator, nomine Blondellus, homo parvulus de persona, sed multum politus & ornatus, cum cæsarie capillorum flava, non habens pilum tortum in capite. Hic Blondellus una die, tempore Quadragesimæ, profectus ad piscariam, volebat emere duas Lampredas pro Domino Verio de Circulis, qui tunc erat Princeps Partis Albæ

(*a*) Is certe fuit Dinus Compagnus, Danti Poetæ syncronus, cujus Chronicon Florentinum a nobis editum fuit Tom. IX. pag. 463. Rer. Italicar.

Quod Ciaccus videns, accessit ad Blondellum, & petiit, quid esset. Blondellus subito finxit, quod heri de sero tres pulchriores Lampredæ præsentatæ fuerant Domino Cursio de Donatis, qui erat Princeps alterius Partis Nigræ. Et dixit, quod ideo emi faciebat alias duas, quia crastina die erat daturus prandium quibusdam Nobilibus. Petens: *Num venies tu?* Cui Ciaccus respondit: *Bene scis, quod veniam*. Ivit ergo Ciaccus die sequenti, horâ prandii ad domum Domini Cursii, quem reperit ante ostium suum cum quibusdam suis vicinis. Qui dixit: *Bene vadat Ciaccus. Quid vadis faciendo?* Et respondit Ciaccus: *Domine, venio pransurus vobiscum*. Et ille: *Vadamus, quia hora est*. Quum autem discubuissent, Ciaccus perpendens, quod nullus erat ibi forensis, putavit se deceptum. Sed multo majorem delusionem habuit, quando vidit se non habere nisi de ciceribus & de pisciculis Arni. Et continuo concepit facere vindictam de Blondello. Post paucos ergo dies ivit Ciaccus in Forum, ubi ex aliis Ribaldis elegit unum, qui visus est habilis sibi ad id quod volebat. Et explorans ab eo, si erat bene agilis in pede, promisit sibi unum Grossum, si faceret quod petebat. Imposuit ergo sibi, quod iret ad Logiam Adimarorum, cum uno flasco vitreo in manu, & diceret Domino Philippo Argenti, quod Blondellus mittebat eum, & rogabat, quod rubinaret sibi illud vas cum suo vino, quia volebat solatiari cum quibusdam suis zacarinis. Ivit ergo iste Ribaldus plene informatus a Ciacco, sequente Ciacco parum a longe. Et fecit ambasciatam Domino Philippo ex parte Blondelli. Et statim aufugit, ne ille jam insurgens injiceret manum in eum. Ciaccus, qui notaverat totum, dedit denarium Ribaldo, & recepit flascum suum. Et sine mora ivit, & invenit Blondellum, cui dixit, quod Dominus Philippus faciebat eum quæri. Quare ipse Blondellus ivit versùs Logiam Adimarorum. Et Ciaccus sequutus est eum, exspectans eventum rei. Sed Dominus Philippus, qui non potuerat contingere baratterium, stabat totus turbatus, & rodebat se ipsum in animo, existimans, quod Blondellus ad postam alicujus fecisset sibi hanc truffam. Et ecce interim Blondellum. Cui statim Dominus Philippus venit in occursum. Et quum Blondellus ignarus fraudis factæ contra eum, salutaret illum, Philippus, qui erat corpore magnus, fortis, & nervosus, iracundus & indignans dedit sibi cum pugno magnum ictum in faciem. Et Blondello clamante: *Heu me! Quid est hoc, Domine mi?* Philippus apprehendens eum per crines, abjecto caputio, fulminabat super eum manu, & linguâ clamabat; *Proditor! bene videbis, quid est hoc. Quare rubinare mittis tu ad me? Bene rubinabo te. Videor-ne tibi puer irridendus?* Et sic dicendo fregit sibi cum pugnis suis, qui videbantur sibi ferrei, totum visum, & totum caput repilavit, volutando ipsum per lutum. Et cum tanto furore repetebat verbera, quod numquam potuit Blondellus dicere unum verbum ad veram sui excusationem. Demum quum multasset eum multis buffis, multi concurrentes cum maximo labore extraxerunt illum de manibus suis, & dicebant Blondello, quod ipse fatue egerat mittendo Domino Philippo Ribaldum cum flasco & truffis, quia bene debebat scire, quod Dominus Philippus non erat homo mottezandus. Blondellus autem plorans, excusabat se, quod numquam miserat ad eum pro vino. Et statim cogitavit, hoc factum fuisse operâ Ciacci, quia solicitaverat eum, ut iret ad Dominum Philippum. Deinde refocillatus, reversus est domum, ubi pluribus diebus stetit, quia non potuit apparere tristis & dolens. Tamdem egrediens occurrit Ciacco, qui petivit, quale fuerat vinum Domini Philippi. Blondellus respondit: *Visæ fuissent tibi Lampredæ Domini Cursii*. Tunc Ciaccus subridens dixit: *In te amodo stat, si velis, mihi dare tam bene ad bibendum*. Ad propositum ergo vide, qualiter Philippus Argenti pro una vana buffa distratiavit crudeliter vilem homuncionem per lutum cum furore. Ideo bene nunc distratiatur viliter, ut canis rabidus ab aliis canibus per triste cœnum Infernale.

*Ad Vers. 45.*

*Benedetta colei, che 'n te s'incinse.*

Heic nota, Lector, quod mater Dantis fuit verè beata. Vocata est enim *Gemma*, & tamquam gemma pretiosa misit tantam lucem in mundum.

*Ad Cant. IX. Vers. 112.*

*Si come ad Arli, ove 'l Rodano stagna, &c.*

Modò ordina sic literam:

*Fanno i sepolcri tutto 'l loco varo,*

idest varium diversimode, sicut varia est diversitas colorum, qui sunt intra & prope murum istius Civitatis. *Si come*: supple faciunt *ad Arli*. Ista Civitas est in provincia Narbonensi, quæ literaliter dicitur Arelate, sita super Rhodano, longe ab Avinione forte per tres Leucas, juxta quam est maxima multitudo Arcarum diversarum formarum. De quibus dicitur communiter, quod olim tempore Caroli Magni, facto ibi magno conflictu inter Christianos & Saracenos, multis utrinque prostratis, volentes Christiani superstites ex pietate sepelire corpora suorum, rogaverunt Deum, ut ostenderet eos Christianos, qui in tanta communi strage non discernebantur ab infidelibus. Et continuo super quolibet Christiano apparuit cedula indicans quis ille esset. Et sic fecerunt sepulturas parvas & magnas secundum exigentiam cujuscumque. Sed quidquid dicatur, credo, quod hoc sit vanum & fabulosum. Et credo, quod erat ex consuetudine patriæ sepelire mortuos, sicut vidi apud alias multas Terras in partibus illis, licèt non in tanta multitudine. Sed forte hoc erat, quod Arelate est antiquissima Civitas, & fuit aliquando caput Regni, sicut vidi tempore Urbani V. quum Carolus modernus Imperator accessit ad istam Civitatem, & fecit se coronari Regem Arelatensem juxta Rhodanum. Ideo dicit:

*- - - - - - ove 'l Rodano stagna;*

idest inundat. Et ecce aliam comparationem:

*Si come a Pola presso del Quarnaro.*

Juxta Polam Civitatem est etiam magna multitudo Arcarum. Audio, quod sunt quasi DCC. numero. Et fertur, quod olim portabantur corpora de Sclavonia & Istria, sepelienda ibi juxta maritimam. Et dicit:

*- - - - - - - - presso del Quarnaro;*

Est enim Carnarium quidam Gulphus in Mari Adriatico in finibus Italiæ continens XL. milliaria. Et est locus periculosus valde; ideo dicit:

*Ch'Italia chiude, e' suoi termini bagna.*

*Ad Cant. X. Vers. 46.*

*Poi disse, fieramente furo avversi*

*A me, & a' miei primi, & a mia Parte.*

Nota, quod Dantes fuit Guelphus, & ex Guelphis parentibus, quamvis multi dicere & affirmare

mare contrarium conentur vel ex ignorantia, vel ex animositate. Et ut alias rationes omittam, Dantes non fuisset Florentiæ in magno statu, & in MCCC. unus de regentibus & regnantibus, si fuisset Gibellinus Nobilis, quum jam per tot tempora ante Gibellini essent expulsi de Florentia. Tamen Auctor noster Guelphus originaliter, post expulsionem suam factus est Gibellinus, immo Gibellinissimus, sicut aperte scribit Boccatius de Certaldo in suo Libello de Vita & Moribus Dantis. Unde, quod ridenter refero, quidam partificus, hoc audito, dixit: *Verè hic homo numquam facere potuisset tantum Opus, nisi factus fuisset Gibellinus*. Et probat Farinata ab effectu inimicitiam, quam habuit in communi cum prædecessoribus Dantis:

*Sì che per due fiate gli dispersi*:

quia scilicet expuli eos de patria. Unde nota, quod Farinata, princeps partis Gibellinæ, expulit bis Guelphos de Florentia, præcipue Nobiles tempore Friderici II. quando istæ partialitates fuerunt in magno fervore in Italia, & specialiter in Tuscia, & specialissime in Florentia. Unde vidi Literam, in qua Fridericus lætatur, quod Gibellini de Florentia amici sui expulerint Guelphos. Immo Fridericus quosdam Nobiles Guelphos captos duxit secum in Apuliam, quos omnes fecit exoculari & macerari in mari. Unde ipse Fridericus venit semel in Comitatum Florentiæ, sed numquam voluit intrare Civitatem, quia audiverat ab Astrologis suis, quod ipse erat moriturus Florentiæ. Sed mortuus est tamdem in alia Florentia, quæ est in Apulia. Sed Dantes reddidit sibi vicem, si ille objecerat sibi expulsionem suorum; unde dicit:

*Rispose a lui, l'una e l'altra fiata*;

Idest ego respondi illi Farinatæ, scilicet quod mei majores, & alii Guelphi

*- - - - - - - - e' tornar d'ogni parte*
*- - - - - - - - l'una e l'altra fiata*.

Et maxime tempore Caroli Veteris, qui vicit Manfredum filium prædicti Friderici. Cujus favore Guelphi redierunt Florentiam, Farinatâ expulso cum suis Gibellinis. Ad majorem contumeliam:

*Ma i vostri non appreser ben quell'arte*;

idest Uberti & alii Gibellini non bene didicerunt artem redeundi, sicut mei; quia scilicet numquam illi reversi sunt, immo dispersi sunt per totum mundum.

Ad Vers. 52.

*Allor surse a la vista soperchiata*
*Un' ombra &c.*

Auctor introducit alium spiritum Florentinum, manifestum Epicureum, qui inquirit de filio suo. Ad cujus cognitionem est sciendum, quod iste secundus spiritus fuit quidam Miles Florentinus nomine Cavalcantes de Cavalcantibus. Iste omnino tenuit Sectam Epicureorum, semper credens & suadens aliis, quod Anima simul moreretur cum corpore. Unde semper habebat in ore dictum Salomonis: *Unus est interitus Hominis & Jumentorum, & æqua utriusque conditio*. Iste fuit pater Guidonis Cavalcantis, qui fuit alter oculus Florentiæ tempore Dantis. De quo alibi dictum est, & dicetur. Ideo bene Auctor inducit heic istum Militem, qui magnus Epicureus fuit; & ut faciat memoriam de ipso Guidone viro excellente, fingit, quod ipse petiit de suo filio.

Ad Vers. 87.

*Tale oration fa far nel nostro Tempio*.

Debes scire, quod Florentiæ apud Palatium Priorum est una Ecclesia, quæ fuit olim Ubertorum Capella, & ibi sepeliebantur corpora sua. Modò in ista Ecclesia sæpe celebrantur Consilia. Et quando fiebat aliqua reformatio de bannitis reducendis, vel simili re, semper excipiebantur Uberti & Lamberti. Et ideo bene dicit Auctor, quod crudelitas facta apud Montem Apertum facit fieri tales orationes in Templo Ubertorum. Et nota pulcrum modum loquendi. In Templo enim solent fieri orationes ex amore pro hominibus. Heic autem fiebant orationes ex odio contra homines. Immo tantum fuit odium contra istos, quod sepulcra istorum Ubertorum, quæ erant in ista Ecclesia, fuerunt aperta, & ossa fuerunt in Arnum dejecta. Si ergo Farinata perdiderat Arcam in patria, Auctor dat sibi Arcam in Inferno.

*Poi ch'ebbe sospirando il capo mosso, &c.*

Heic Auctor ostendit, quomodo Farinata excusaverit se ab ista impietate, & memoraverit suam singularem pietatem erga patriam. Et breviter dicit, quod non fuit solus ad desolationem patriæ, sed bene fuit solus ad illius defensionem. Ad cujus rei cognitionem est breviter sciendum, quod semel Gibellini exules Florentini, & fere omnes alii Gibellini principales de Tuscia, convenerunt in Valle Elsæ apud Castellum, quod dicitur Empoli, quia habebant certum tractatum in Florentia. Et breviter deliberaverunt, si Civitas haberetur, quod factâ prædâ everteretur tota ferro & igne, quia non possent eam tenere, & quia Florentia erat incentivum & incitamentum omnium bellorum in Italia & totius Tusciæ. Tunc Farinata magnanimus libera voce contradixit, quod numquam hoc pateretur, & quod volebat potius perpetuo exulare, immo etiam mori, quàm nobilis Patria sua ita everteretur. Et evaginato ense dixit, quod qui de hoc verbum faceret, reciperet ferrum per pectus suum. Sequutus in hoc exemplum magni Scipionis Africani, qui apud Cannas Apuliæ factâ inauditâ strage Romanorum, nudavit gladium super quosdam Nobiles, qui consulebant de deserendo Patriam & Italiam, & sic retraxit eos a tam indigno proposito.

Ad Vers. 115.

*Dissemi: quì con più di mille giaccio*.

Illi Epicurei sunt innumerabiles, unde poterat ita dicere cum pluribus centum millibus, immo mille millibus. Ideo ex numero omnium elicit duos magnificos Epicureos, alterum scilicet Secularem, & alterum Sacerdotem, in magnis dignitatibus positos, quia fecerat mentionem solùm de duobus millibus privatis. Dicit ergo primo de Secundo Friderico. Ad cujus cognitionem est sciendum, quod Fridericus II. de quo multa & sæpe dicuntur in isto Opere, quantum spectat ad propositum, fuit vere Epicureus. Quoniam intendens potentiæ & imperio per fas & nefas, insurrexit ingrate contra matrem Ecclesiam, quæ ipsum pupillum educaverat, & exaltaverat ad Imperium. Et Ecclesiam ipsam variis bellis afflixit per spatium XXX. annorum & ultra. Pacem turpem fecit cum Soldano, quum posset totam Terram Sanctam recuperare. Multos Prælatos captos, venientes ad Concilium per mare, inhoneste tractavit, & in carceribus maceravit. Saracenos in Italiam induxit. Beneficia Ecclesiarum contulit, & bona earum usurpavit. Quum autem esset in Syria, captus est amore cujusdam Principissæ de Antiochia. Nam fuit multum

pro-

pronus in libidinem . Sed quum illa se excusaret assentire sibi, quia Fridericus habebat uxorem , ipse fraudulenter ordinavit ad tempus , quod venirent duæ Galeæ totæ nigræ cum velis , remis , & omnibus instrumentis nigris , & hominibus nigro indutis , qui dicerent , quod venirent de Occidente de Italia , & referrent cum planctu , quod Imperatrix uxor Friderici migraverat de hac vita . Et cum ista arte seduxit istam , quam optabat habere . Et habuit eam tamquam in legitimam conjugem . Et ex ea habuit filium , qui vocatus est Fridericus de Antiochia . Qui postea fuit aliquando Vicarius in Tuscia pro eo, & fuit missus a Friderico Florentiam cum MD. equitibus in subsidium Gibellinorum contra Guelphos . Fridericus itaque ut breviter dicam, mortuus est excommunicatus , & ut aliqui dixerunt , suffocatus a filio suo Manfredo . Et sic male finivit cum tota stirpe sua , ut patebit in Cant. III. Purgatorii , & in III. Paradisi . Fuit tamen valentissimus in mundo , ac potentissimus , ut sæpe , & præcipue infra Cant. XIV. dicetur . Nunc ad literam dicit ille Farinata :

*Quà entro è lo secondo Federico ;*

Dictus est Secundus ad differentiam Avi sui Friderici Barbarussæ , qui vocatus est Fridericus Primus , de quo etiam alibi sæpe dicetur & præcipue Cant. XIX. Purgatorii .

*Quà entro è - - - - - - - -*

Ideſt intra Arcam istam , in qua sum : Et cui non sufficiebant tot Regna in mundo, nunc jacet inclusus in isto carcere cæco . Postea nominat alium , scilicet Cardinalem Octavianum de Ubaldinis . Iste claruit post Fridericum II. Scilicet tempore Manfredi , & Caroli I. Veteris . Sed heic multi dubitant , & dicunt , quare debeo plus intelligere de Octaviano , quam de alio , ex quo Auctor dicit simpliciter *E'l Cardinale* , neminem nominando . Dico breviter : quia fuit vir valentissimus tempore suo, sagax, & audax , qui Curiam Romanam vexabat pro velle suo , & aliquando tenuit eam in montibus Florentiæ in Terris suorum per aliquot menses . Et sæpe defendebat palam rebelles Ecclesiæ contra Papam & Cardinales . Fuit etiam magnus protector & fautor Gibellinorum. Et quasi obtinebat quidquid volebat . Ipse fecit Archiepiscopum Mediolani , qui exaltavit stirpem suam ad dominium illius Civitatis , & alteram potentiam in Lombardia. Erat multum honoratus & formidatus . Ideo , quando dicebatur tunc , *Cardinalis dixit sic* : *Cardinalis fecit sic* ; intelligebatur de Cardinali Octaviano de Ubaldinis per excellentiam . Fuit tamen Epicureus ex gestis & verbis ejus . Nam quum semel petiisset a Gibellinis Tusciæ certam pecuniæ quantitatem pro uno facto , & non obtinuisset , prorupit indignanter & irate in hanc vocem : ***Si Anima est , ego perdidi millies pro Gibellinis ipsam*** . Et concludit Farinata :

*- - - - - - - & degli altri mi taccio .*

Quia nimis longum esset enarrare Viros magnificos de Secta Epicureorum . Et etiam esset inhonestum , & malum exemplum audientibus, infamare homines de tali hæresi , nisi sit omnino manifesta . Ah quot sunt Hæretici , qui simulanter videntur Catholici timore pœnæ vel infamiæ !

*Ad Cant. XII. Vers. 74.*

*Del sangue più , che sua colpa sortille.*

Proh dolor ! In hæc tempora infelicitas mea me deduxit , ut viderem hodie miseram Italiam plenam Barbaris & Socialibus omnium nationum . Heic enim sunt Anglici , Alemanni furiosi , Britones bruti , Vascones rapaces , Hungari immundi . Qui omnes currunt in perniciem Italiæ, non tam viribus , quam fraudibus & proditionibus Provincias vastando , & Urbes nobilissimas spoliando ,

*Ad Vers. 76.*

*- - - - - - - - & con la cocca*
*Fece la barba indietro alle mascelle .*

Ideſt cum sistiva , cum tacha . Cocha enim appellatur Florentiæ finis sagittæ . Et hoc fingit Auctor , ut ostendat , qualiter iste habebat magnam silvam pilorum circa os , quæ dependebat sibi usque ad pectus . Sic portant communiter isti militantes . Ideo ut posset expeditius loqui, detexit sibi os a barba densa .

*Ad Vers. 109.*

*Et quella fronte, ch' ha 'l pel così nero .*

Heic Auctor , nominato Tyranno antiquo de Sicilia, qui fuerat paulo ante tempora Alexandri Magni , nunc transit in Italiam , & nominat unum Tyrannum modernum , pessimum , scilicet Ecerinum de Romano . Ad cujus cognitionem breviter est sciendum , quod iste Ecerinus Tyrannus crudelissimus fuit tempore Friderici , de Romano Castello Comitatus Tarvisii , magnus Dominus & potens in ipsa Marchia Tarvisina tota, in qua exercuit magnas violentias & crudelitates , adeo quod quidam scripserunt , ipsum fecisse mori quinquaginta millia hominum . Sed inter alia millia mala impia , quum perdidisset Paduam , furoris rabie stimulatus, fecit crudelissime necari duodecim millia Paduanorum ferro , fame, & igne , quos habebat apud se . Regnavit Ecerinus Veronæ XXXIV. annis , de cujus potentia , nequitia, & gestis dicam Cant. IX. Paradisi . Ideo heic tam cito pertranseo . Nunc ad literam . Auctor describit Ecerinum ab habitu corporis dicens .

*Et quella fronte , ch' a'l pel così nero ,*

Ideſt nigram . Scribunt aliqui , quod Ecerinus fuit corpore mediocris , niger, pilosus totus . Sed audio , quod habebat unum pilum longum super nasum , qui statim erigebatur , quando excandescebat in iram , & tunc omnes fugiebant a facie ejus :

*E Azzolino. - - - - - - -*

Et heic nota, quod Auctor utitur vulgari Tusco , quin de rei veritate vocatus fuit Ecerinus, sicut scribit Mussatus Paduanus, Musarum amicus , in Tragœdia, quam fecit de Ecerino , in qua fingit, quod fuit genitus ex patre Diabolo.

*Ad Vers. 110.*

*- - - - - - - Et quell' altro, ch' è biondo .*

Heic Auctor nominat alium nimium modernum , qui fuit post Ecerinum , & sibi vicinum, scilicet Opizum Marchionem Estensem . Ad cujus intelligentiam est notandum , quod Auctor noster non describit istum a certa macula frontis , sicut fecerat Ecerinum, quia macula Opizonis fuerat accidentalis . Fuerat enim monoculus , non a natura , sed a casu, quum hastiluderet ob amorem cujusdam Dominæ . Ideo denominatus est Marchio Opizo ab oculo . Sed describit ipsum a pulcritudine corporis . Quia Domus Estensis habuit omnes naturaliter corpore pulcros , sicut Azonem I. qui fuit Dominus Veronæ , de quo dicetur Cant. VI. Purgatorii ; & Azonem II. filium primi , qui eripuit Paduam Ecerino pro Ecclesia & ipsum Ecerinum debellavit apud Abduam flumen Lombardiæ . Vicit etiam Fridericum II. apud Parmam , ut dicetur

tur alibi. Opizo ab oculo nepos istius Azonis II. natus est ex Raynaldo filio ejus in carcere II. Friderici in Apulia, quem pater dederat Friderico in obsidem. Et licèt sæpe Fridericus offerret reddere sibi, numquam voluit recedere ab Ecclesia propter recuperare unicum filium suum dilectum. Et ob hoc Opizo postea fuit fautor & Auctor Carolo I. contra Manfredum filium Friderici in vindictam patris. Hic Opizo habuit tres filios magnificos, scilicet Azonem primogenitum magnificentissimum, qui dictus est Azo III. de quo heic fit mentio, & alibi sæpe in isto Libro, & Franciscum, & Aldrovandinum; ex quo natus est Obizo, qui tenuit dominium diebus nostris, pater Nicolai nuper regentis, & Raynaldus, & Nicolaus. Ad propositum ergo dicit Auctor, & nominat Marchionem Opizonem ab oculo, & Azonem III. filium ejus, quia uterque visus est violentus tempore suo. Nam Obizo non contentus suum dominium intra aquas Padi contineri, Regium & Mutinam occupavit, & tenuit dominium Ferrariæ XXVIII. annis, ubi mortuus est in MCCXCIII. Itaque Opizo & Azo filius ejus regnaverunt tempore nostri Auctoris. Azo vero Bononiam & Parmam magnis bellis afflixit. Neutram tamen potuit obtinere. Immo videbatur subjugaturus Lombardiam potentiâ suâ & magnificentiâ, acceptâ in uxorem filiâ Caroli II. sorore Regis Roberti. Post modicum tamen amissis Mutinâ & Regio, in duobus diebus infirmatus & mortuus est in anxietate sine prole. Ex quo dominium ejus remansit in magna lite inter fratres & nepotes. Et filius Franciscus naturalis tenuit dominium modicùm, & magnum bellum fecit cum favore Venetorum, quia mater ejus fuit Veneta. Mortuus est Azo III. Anno Domini MCCCVIII. quum regnasset XV. annis. Nunc ad literam. Describit Opizonem ab habitu corporis, dicens:

*- - - - - - - - ch'è biondo*
*E' Obizo da Este: - - - -*

Et tangit mortem ejus violentam, quia in fama fuit, quod quum infirmaretur, Azo filius ejus fecerit ipsum juvari citius mori. Hoc autem habuit Dantes a Ricobaldo Ferrariensi, magno Chronista, qui tunc vivebat, & qui hoc scribit in Chronicis suis, quia dicit, quod Azo mortuus est in Castro Estensi, quum timeret necem sibi a familiaribus inferri, sicuti Opizoni patri occurrerat. Dicit ergo:

*- - - - - - - il qual per vero*
*Fu spento dal figliastro su nel mondo.*

Et heic nota, quod pulcre & honeste Auctor palliat istud factum, vocans filium filiastrum, quasi velit innuere, quod non posset cadere in mentem alicujus, filium præsumere aliquid contra patrem. Ideo dicit, quod verè fuit extinctus a privigno, non a vero filio, quia natura non patitur hoc.

*Ad Vers.* 118.

*Mostrocci un' ombra d'un canto sola*, &c.

Heic Auctor ostendit, qualiter Nessus ostenderit unum singularem violentum de gente ista, qui commisit homicidium nimis detestabile apud Civitatem Viterbii. Ad intelligendum clare crudele facinus, quod heic tangitur, expedit scire, quod Henricus Rex Angliæ, hujus nominis Tertius, bonorum Regalium dilapidator & prodigus, fecit Barones sibi rebelles. Quorum operâ Rex Franciæ misit in Angliam Simonem Comitem de Monteforte, virum strenuum & idoneum Regno, qui conjecit in vincula Henricum Regem, & Ricardum fratrem ejus, & filios Regis. Sed Eduardus primogenitus, vir inclytæ virtutis, evasit velocitate equi. Qui postea feliciter debellavit præfatum Simonem jam gravem Baronibus, quia superbe ad Regni solium aspirabat, quem fecit in partes desecari, & in ejus os pudenda ejus immitti. Sic Eduardus victor patrem, patruum, & fratres suos liberavit. Qui postea patri successit in Regno. Verumtamen contumeliosæ mortis Simonis Henricus filius Ricardi prædicti, consanguineus Eduardi, luit postmodum pœnas. Nam quum Philippus Rex Franciæ, filius Ludovici Sancti, rediens a Tunitio cum Carolo Rege Siciliæ, pervenisset in Italiam ad Civitatem Viterbii, Guido de Monteforti filius Simonis, interfecit ipsum Henricum, & ipsum deinde tractum, membratim laceravit, Anno Domini MCCLXX. Eduardus enim a Tunitio transierat Acon in subsidium Terræ Sanctæ, ubi mansit triennio, & iste Henricus revertebatur cum aliis Regibus, ut rediret in Angliam, cujus pater Ricardus electus erat Rex Romanorum, deposito Friderico II. Guido autem excommunicatus a Gregorio Papa X. tandem veniens ad mandata, traditus est carceri, a quo tamen evasit in terrenum ipsius Caroli. Tamen finaliter mortuus est mala morte. Et ulterius breviter est sciendum, quod Guido de Monteforti magnus Comes adhæsit Carolo Duci Andegaviæ, fratri Ludovici Regis Franciæ, & in brevi factus est sibi familiarissimus & carissimus, qui erat vir alti cordis, magni consilii, & magnæ probitatis. Accidit ergo, quod quum Carolus prædictus vocatus ab Ecclesia in Italiam contra Manfredum Regem, vellet venire Romam per mare ad Papam, commisit isti uxorem suam, & omnes suos, & totum exercitum ducendum per terram. Qui magnifice totum fecit, & cum Carolo semper fuit in omnibus bellis, periculis & laboribus, & fuit magna pars victoriarum ejus. Quapropter Carolus victor Regni Apuliæ & Siciliæ fecit Guidonem Vicarium suum in Tuscia, cujus Vicariatum habebat ab Ecclesia. Accidit deinde, quod Carolus semel venit Viterbium cum multis rebus. Qui revertebatur de ultra mare a Tunitio, ubi Ludovicus frater ejus erat mortuus. Inter alios Reges erat Philippus filius dicti Ludovici, qui portans ossa patris sui, revertebatur in patriam, scilicet in Galliam; Et Henricus filius Ricardi Regis. Reges isti fecerunt moram aliquot diebus Viterbii, ubi tunc vacabat Sedes Papalis, ut facerent, quod Cardinales, qui erant in discordia, eligerent novum Papam. Tunc pertractatum fuit nimis atrox facinus, sub custodia Regis Caroli. Nam quum Henricus prædictus esset in una Ecclesia Viterbii, dum elevaretur Corpus pretiosissimum Domini nostri Jesu Christi, Guido Comes Montisfortis, tunc Vicarius Caroli in Tuscia, manu propria cum mucrone impie transfixit Henricum prædictum, & munitus gente pedestri & equestri, fecit pejus. Nam dum unus ex militibus suis petiisset. *Quid fecisti?* ipse respondit: *Feci meam vindictam*. Et illo replicante: *Quomodo fecistis vindictam vestram, quum pater vester fuerit tractus per capillos?* continuo Guido reversus in Ecclesiam, cepit dictum Henricum per capillos, & turpiter traxit usque extra Ecclesiam. Et commisso tam horrendo sacrilegio & homicidio, evasit sospes in Maritimam in Terris Comitis Russi soceri sui. Ex hoc facto tota Curia fuit valde turbata.

ta. Infamantes & vituperantes Carolum, arguebant sic: *Si Carolus fuit facti conscius, nequissime fecit; & si ignoravit, cur tam abominabile scelus dimisit impunitum?* Corpus fratris sui portaverunt in Angliam, ubi sepultum fuit in Civitate Londræ in quodam Monasterio Monachorum, vocato ibi *Guamister*, in una Capella, in qua sepeliuntur omnes Reges Angliæ, & in circuitu Capellæ sunt imagines Regum. Ubi supra sepulcrum Henrici posita fuit una Statua inaurata, quæ in manu dextera tenet Calicem sive craterem aureum, in quo est cor dicti Henrici balsamatum, & supra cor stat gladius nudus, testis hujus necis. In manu vero sinistra tenet chartam cum isto versiculo:

*Cor, gladio scissum, do cui consanguineus sum.*
Scilicet Eduardo. Eduardus postea numquam fuit amicus Caroli, nec Domus Franciæ. Nunc ad propositum. Auctor damnat heic istum Guidonem ob istam inauditam violentiam. Licèt enim Guido iste fuerit magnus effusor sanguinis, & in multis bellis pro Carolo, tamen juste; sed istud fuit nimis excessivum homicidium, primo ratione loci, quia in Ecclesia Dei, & in Curia Romana, & vacante Sede; secundo ratione personæ, quia posuit manus in filium Regis; tertio quia injuste. Nam Rex Angliæ fecit mori patrem ejus culpabilem, tamquam reum majestatis ejus, *. quia infamiam & verecundiam Caroli Regis domini sui pertractabat. Ad Literam ergo dicit Auctor: Et ille Centaurus *Mostrocci un' ombra*, scilicet animam Guidonis de Monteforte; *da l'un canto sola*, propter singulare maleficium enormiter commissum;

*Dicendo; Colui fesse in grembo a Dio*,
Scilicet ante Altare, ubi elevabatur pretiosissimum Corpus Domini nostri Jesu Christi consecratum,

*Lo Cor che 'n su Tamigi ancor si cola.*
Idest colitur. Dat intelligi Civitatem per fluvium. Tamisius enim est fluvius, qui labitur juxta Londram Civitatem Regalem, quæ olim vocabatur Trinovantum, sicut scribit Julius Celsus, quod gens Julii Cæsaris transivit istum fluvium, quod non apparebant nisi capita eorum.

*Ad Cant. XIII. Vers. 31.*

*Allor porsi la mano un poco avante,*
*E colsi un ramuscello da un gran pruno:*
Et heic nota, quod erat heic inclusa anima magna viri magni. Ideo dat sibi arborem magnam. Iste etenim erat Petrus de Vineis magnus Cancellarius Friderici II. floridus dictator, de quo bene dictum est:

*Hic redit in nihilum, qui fuit ante nihil.*
Hic namque infimo genere ortus, puta ex patre ignoto, & matre muliercula abjecta, quæ mendicando suam & filii vitam inopem misere sustentabat; tamdem misere post studium Literarum pauper a casu perductus ad Imperatorem, sacrum Palatium ingenio, & fortunâ dives incoluit; tantumque processu temporis Imperiali favore, Arte dictandi, & Juris Civilis peritiâ floruit, ut quasi illo tempore non habuerit parem. Ex quo in oculis Imperatoris gratiosus & carus, magnæ Curiæ Protonotarius, Consiliarius, Judex, & Arcanorum conscius est factus. Cujus singularis familiaritatis apud Imperatorem fuit hoc mirabile signum, quod in Neapolitano Palatio effigiatus erat Imperator & Petrus: unus in solio, alter in sede: Populus [illegible] ad pedes Imperatoris procumbens, justitiam in causis sibi fieri postulabat his versibus:

*Cæsar, amor Legum, Friderice piissime Regum*
*Causarum telas nostrarum solve querelas.*
Imperator autem videbatur dare tale responsum his aliis versibus:

*Pro vestra lite Censorem Juris adite.*
*Hic nam jura dabit, vel per me danda rogabit:*
*Vinea .... cognomen, Petrus est sibi nomen.*
Quum autem esset in tanto culmine constitutus, infamiam proditionis incurrit. Ideo ab Imperatore carceri datus ac cæcatus, desperate vitam finivit. Et quia hæc infamia infidelitatis publica fuit, ideo bene Poëta inducit Petrum, petentem famam sibi reddi, & rumpit parvum ramusculum, ut faceret modicum damnum arbori, & tamen cum magno dolore patientis, unde statim ponit effectum, scilicet querelam istius spiritus inclusi dicens:

*E 'l tronco suo gridò, perchè mi schiante?*

*Ad Vers. 58.*

*Io son colui, che tenni ambo le chiavi*
*Del cor di Federigo, - - - - - -*
Heic Petrus de Vineis incipit suam narrationem, per quam primo describit suam felicitatem, deinde suam infelicitatem. Et ad utriusque intelligentiam bonum est præscire plenius, quis fuerit homo iste, & qualis ejus fortuna. Iste ergo fuit Petrus de Vineis, famosus Cancellarius Friderici II., qui fuit magnus Doctor utriusque Juris, magnus Dictator stili missorii, cursivi, Curialis. Et habuit naturalem prudentiam magnam, & laboriosam diligentiam in officio. Propter quod mirabiliter meruit gratiam Imperatoris, adeo quod sciebat omnia illius secreta. Et ejus consilia firmabat & mutabat pro libito voluntatis. Et omnia poterat quæ volebat. Sed nimia felicitas provocavit eum in invidiam multorum & odium. Nam ceteri quasi Curiales & Consiliarii videntes exaltationem istius vergere in depressionem ipsorum, cœperunt conjuratione facta certatim accusare ipsum fictis criminibus. Unus dicebat, quod erat factus ditior Imperatore. Alius, quod adscribebat sibi, quidquid Imperator fecerat prudentiâ suâ. Alius dicebat, quod ipse revelabat secreta Romano Pontifici, & sic de aliis. Imperator vero prædictorum suspectus & crudelis fecit ipsum exoculari, & bacinari, & trudi carceri. In quo ipse non valens ferre tantam indignitatem, quia

*Quæ venit indigne pœna dolenda venit;*
Se ipsum interfecit. Et scribunt aliqui, quod Petrus dum portaretur cum Friderico, eunte in Tusciam super unâ mulâ, ad Civitatem Pisarum depositus apud Castellum Sancti Miniatis, percussit caput ad murum, & mortuus est ibi. Alii tamen dicunt, quod Petrus ipse stans in Palatio, quod habebat valde altum, in Capua patria sua, præcipitavit se de alta fenestra, dum Imperator transiret per viam. Sed quidquid dicatur, credo, ut jam dixi, quod se interfecerit in carcere; quia non videbatur bene verisimile, quod Imperator post cæcitatem duceret eum inutiliter secum, aut quod dimiserit eum in libertate sua post cæcitatem, quia non erat cæcatus mente, & potuisset sibi cæcus multum nocere consilio suo, sicut Appius cæcus sapientissimus Romanus nocuit Pyrrho infestissimo hosti. Et breviter vult dicere, quod ipse considerans, quod *pro præmio veræ virtutis incurrerat pœnam falsi sceleris*, sicut dicit de se Boëtius in simili casu, ex summa indignatione se interfecit. Dicit ergo *Vers. 70.*

*L'ani-*

*L'animo mio per disdegnoso gusto ,*
*Credendo col morir fuggir disdegno ,*
*Ingiusto fece me contra me giusto :*

Quia ubi primo eram innocens , per impatientiam feci me nocentem . Quanto ergo melius & prudentius egit Boëtius , qui se ipsum fortiter & prudenter consolatus est in tanta indignitate ?

*Ad Vers.* 74.

*Vi giuro , che giammai non ruppi fede*
*Al mio Signor , che fu d'onor sì degno .*

Scilicet Friderico . Sed contra . Ipse Petrus in quibusdam Epistolis , quas fecit de infelicitate sua , profitetur se nocentem . Dico breviter , quod illæ Epistolæ non fuerunt suæ , licèt videantur habere conformitatem cum stilo suo . Et posito quod fuerint suæ , hoc faciebat Petrus ipse ad conciliandam sibi gratiam Principis . Et quia dicit ;

*- - - - - - - che fu d'onor sì degno .*

Contra . . Fridericus , ut dictum est Cant. X. fuit Hæreticus , Epicureus , excommunicatus. Quomodo ergo fuit honore dignus, quum honor exhibeatur in testimonium virtutis ? Dico breviter, quod Fridericus , sicut & omnis Dominus , est dignus honore , non ratione virtutis , sed dignitatis , quia Dominus repræsentat personam totius, multitudinis , & honor sibi exhibitus redundat in honorem Communitatis . Ideo bene dicit Apostolus : *Servi subditi estote Dominis etiamsi discolis* . Fridericus autem fuit summe gloriosus inter Principes modernos . Nam a Carolo Magno citra non fuit alius Imperator Romanorum magnificentior , aut potentior eo . Fuit enim Imperator Romanorum , Rex Alamanniæ , Rex Siciliæ , & Apuliæ , Rex Hierusalem , Dux Suaviæ , magnamque partem Syriæ tenuit . Fuit multum formidatus a Christianis & Saracenis mari & terrâ . Habuit inclytam prolem , scilicet Henricum primogenitum, qui fuit claudus corpore , sed integer mente . Habuit Conradum pulcherrimum . Habuit Manfredum liberalissimum , & Entium strenuissimum . Multa & magna Castella fecit , præcipue in Apulia . Fuit Fridericus staturæ communis , facie lætus, colore subrufus , habens membra quadra. Naturaliter prudens ; satis literatus : universalis in omnibus rebus . Erat enim peritus artifex omnium fere Artium Mechanicarum , quibus animum intenderat. Multarum Linguarum doctus . Scivit enim multa idiomata , scilicet Latinum , Teutonicum , Gallicum , Græcum , Saracenicum . Strenuus in armis . Satis liberalis . Rigidus punitor . Delectabatur valde aucupio Falconum , sed multo magis amplexibus mulierum . Habebat enim semper gregem pulcherrimarum . Et ut breviter dicam. Totus terrenus , magis cupidus Regni mundani, quam cœlestis. Qui imperavit annis XXX. & vixit annis LVII.

*Ad Vers. 76. & seqq.*

*Et se di voi alcun nel mondo riede*
*Conforti la memoria mia - - - - - -*

Heic nota , Lector , quod Auctor bene servavit promissum Petro , quia bene resuscitavit bonam famam mortuam , purgatâ infamiâ . Quia donec Liber iste vivet, semper dicetur , quod Petrus iste fuit injuste infamatus , & injuste punitus . Et credo , quod Auctor non fecerit hoc contra conscientiam ; quia ultra famam & scripturam aliquorum , habebat conjecturam verisimilem . Nam Fridericus II. filium suum primogenitum similiter innocentem , & falso crimine proditionis infamatum, fecit mori in carcere suo . Unde debes scire, quod Henricus primogenitus Friderici , operante patre , electus Rex Romanorum , ex conscientia cœpit cum humilitate & reverentia rogare patrem , ut cessaret a perturbatione Ecclesiæ , quæ ipsum pupillum educaverat , & promoverat ad culmen totius Imperii. Et quum precibus nihil proficere posset , cœpit eum etiam juste increpare , ut eum ab obstinata pertinacia revocaret . Fridericus autem accensus indignatione & ira , cœpit suspicari, ne filius faceret conjurationem cum Ecclesia contra se . Et imposuit sibi falso , quod iste Henricus voluerat sibi surripere Regnum Siciliæ , dum ipse iret ultra mare in Syriam . Et breviter , ipsum captum tradidit carceri , cum duobus filiis, ubi inter catenas & multa incommoda mortuus est. Alii tamen scribunt , quod Fridericus pœnitentiâ ductus misit pro filio, ut conciliaret ipsum sibi . Sed Henricus , dum duceretur in via , timens , ne pater crudelius tractaret eum , cujus crudelitatem jam satis fuerat expertus , præcipitavit se simul cum equo de quodam Ponte , sive saxo , & sic infeliciter exspiravit . Quod si verum est , patet , quod Henricus est similiter cum Petro de Vineis arborificatus in ista silva. Et si Fridericus ipse innocentem filium falso infamatum damnavit , quanto magis eum Cancellarium bene de se meritum ? Jure igitur Fridericus alium filium invenit crudelem in morte sua , qui tam crudelis fuerat in primum , Mithridatis Regis exemplo .

*Ad Vers.* 118.

*Quel dinanzi , or' accorri , accorri morte :*
*E l'altro , cui pareva tardar troppo ,*
*Gridava - - - - - - - - - - - -*

Heic Auctor ostendit , quomodo se habuerunt isti duo fugientes, unus post alium . Et primò de primo . Ad cujus cognitionem est breviter præsciendum , quod in MCCLXXVIII. Florentini cum aliis Terris Guelphis Tusciæ , videntes , quod Guilielmus de Ubertinis de Aretio , Episcopus Aretinus , vir valentissimus , faciebat caput in Aretio cum sequacibus Gibellinis de Tuscia , de Romandiola , de Marchia, & de Ducatu ; qui congregatâ gente equestri & pedestri belligerabant super Comitatum Florentiæ & Senarum : deliberaverunt resistere audaciæ Aretinorum , & collegerunt omnes vires suas . Nec umquam fecerant tantum apparatum , postquam pars Guelpha viguerat Florentiæ . Habuerunt enim MMDC. equites, & duodecim millia peditum . Et tamdem profecti super Aretium , ceperunt aliquot Castella , & præcipue Laterinam , ubi erat Lupus de Ubertis Capitaneus . Qui videns se circumvallari , reddidit Terram . Et quum multum increparetur a Gibellinis , quod viliter se reddiderat , excusavit se scommate lepido , dicens : *Quod Lupus non erat solitus stare inclusus* . Interim venerunt Senenses cum CCCC. equitibus , & MMMM. peditibus , & vastaverunt bona circa Aretium . Sed in Vigilia Baptistæ facta est furiosa tempestas cum turbine aquæ & grandinis , quæ multum offendit exercitum , & maxime Senensem , lacerando violenter & asportando per aërem papiliones, tuguria , & alia tentoria : quod fuit augurium proximæ stragis . Nam tertia die sequenti Florentini levaverunt campum , & suadebant Senensibus, ut venirent secum, quia essent tutiores . Senenses indignati se reputantes poten-

tes, iverunt per viam rectam. Tamen cum eis ivit Comes Alexander de Romena, Capitaneus illius ligæ. Tunc Capitanei Aretii, qui plures erant & probi, & præcipue Boncomes filius Comitis Guidonis de Montefeltro, & Guilielmus de Pazis Miles, præsentientes recessum Senensium separatim, posuerunt insidias CCC. equitum & MM. peditum ad vadum Plebis del Topo, ubi Senenses ibant inordinate. Et breviter aggredientes Senenses improvidos, posuerunt eos faciliter in conflictum, & trucidaverunt ultra trecentum de melioribus, & de civibus Senensibus, & nobilibus viris Maritimæ. Et sic Aretini vastati a Senensibus in rebus, vastaverunt eos in personis. Ex quo conflictu Aretini fuerunt multum resumti. Sed lætitia ista fuit brevis parti Gibellinæ. Quoniam anno sequenti Aretini receperunt terribilem illum conflictum apud Biblenam, in quo mortui sunt duo prædicti strenui Duces, scilicet Episcopus Aretinus, & Bonconte de Montefeltro, de quibus plene dicetur Cant. V. Purgatorii. Modò ad propositum. In isto conflictu Lanus, nobilis juvenis Senensis, qui ditissimus magnum patrimonium suum brevi tempore consumserat, ingessit se sponte in prœliantium globum, & ibi fortiter pugnans occisus est.

*Ad Vers.* 133.

*O Giacopo, dicea, da Sant' Andrea*
*Che t'è giovato di me fare schermo?*

Ideſt clypeum & reparaculum contra canes, abscondendo te in cespite meo. Quasi dicat; Nihil tibi profuit & magnum damnum mihi dedisti & fecisti, & nescio quare:

*Che colpa ho io de la tua vita rea?*

Quasi dicat: Si abjecisti tua, quare debeo ego pati pœnam pro te? Nonne sufficit mihi pœna mea? Ego enim abjeci sponte esse, & tu abjecisti æs, quod conservat ipsum esse. Ergo ad quid, quum tu pauper recurras ad pauperrimum? Quia si tu privasti te substantiâ, ego privavi me vitâ. Sed ne dimittam aliquid indiscussum, debes scire, quod iste Jacobus ita laceratus a canibus, fuit de potenti Civitate Paduæ, vir nobilis, de Capella Sancti Andreæ, à qua denominationem sumsit. Homo quidem ditissimus omnium privatorum suæ patriæ in campis, villis, pecuniis, animalibus. Qui inæstimabilem opulentiam divitiarum prodigaliter, immo proterve & insane perdidit & consumsit. Nam, ut audivi a fide dignis de Terra sua, fecit multas ridendas vanitates. Semel quum non posset dormire, mandavit, ut portarentur plures petiæ Pigolati Ciperani facti cum cola, & lacerarentur a familiaribus in camera, ut ad illum stridorem somnus provocaretur sibi. Ideo Auctor facit ipsum a canibus lacerari, non ad solatium, sed ad supplicium. Aliâ autem vice quum iret de Padua Venetias per flumen Brentæ in navi cum aliis juvenibus sociis, quorum aliqui pulsabant, aliqui cantabant, iste fatuus, ne solus videretur inutilis & otiosus, cœpit accipere pecuniam, & denarios singulatim dejicere in aquam cum magno risu omnium. Sed ne discurrendo per ista, videar tibi magis verborum prodigus, quam ipse nummorum, venio breviter ad magnam violentiam, quam insane fecit in bona sua. Quum enim semel esset in rure suo, audivit, quemdam Magnatem cum comitiva magna Nobilium ire ad prandium secum. Et quia non erat provisus, nec poterat in brevissimo temporis spatio providere, secundùm quod suæ prodigalitati videbatur convenire, subito egregiâ cautelâ usus est. Nam fecit statim mitti ignem in omnia tuguria Villæ suæ satis apta incendio, quia ex paleis, stipulis, & cannulis, qualia sunt communiter domicilia Rusticorum in territorio Paduanorum. Et veniens obviam istis, dixit, quod fecerat ad festum & gaudium propter eorum adventum, ut ipsos magnificentius honoraret. In hoc certe violentior & vanior fuit Nerone. Quia Nero fecit incendi domos Urbis, iste verò proprias. Nero, quamvis lætus, pulcritudine flammæ Iliadem decantaret, tamen fecit incendi domos, offensus angustiâ viarum, ut dicit Svetonius, quia scilicet timebat sibi insidias. Iste vero lætus gloriabatur incendio magno, quod fecerat vanissimâ causâ. Ideo bene Auctor inducit canes ad faciendam venationem de eo, qui sibi & alteri violentiam miserabilem intulerat.

*Ad Vers.* 143.

*Io fui della Citta, che nel Batista*
*Cangiò 'l primo padrone* - - - - - -

Nunc iste spiritus innominatus respondet ad quæsitum, ut reddat Auctorem pium ad congregandas frondes sparsas, sicut postea faciet. Et describit se a patria, & culpa, & sententialiter usque in finem. Nec vult aliud dicere nisi, quod fuit Florentinus natione, & quod suspendit se laqueo. Ad quod sciendum, quod bene non potest conjecturari, de quo Auctor loquatur heic, quia multi fuerunt Florentini, qui se laqueo suspenderunt eodem tempore, sicut quidam de Modiis nomine Ruchus, & quidam Dominus Lottus de Aglis, qui datâ unâ sententiâ falsâ ivit domum, & statim se suspendit; & multi alii, quorum nomina non memini. Et credo, quod Auctor de industria sic fecerit, ut posset intelligi de unoquoque talium, licèt forte posset intelligi potius de Judice, qui erat majoris pretii, & gravius deliquit. Dicit ergo ille spiritus describens patriam suam a protectoribus suis.

*Io fui della Città*, ideſt de Florentia, *che mutò il primo padrone*, scilicet Martem *nel Batista*, ideſt Johannem Baptistam, qui est hodie Patronus Florentiæ. Et ad hujus intelligentiam est sciendum, quod Civitas Florentiæ olim habuit Martem pro Deo præcipuo & Protectore suo. Et ut colligitur ex Chronicis Florentiæ, stetit sub Imperatoribus Romanis in lege Pagana per CCCL. annos. Et si qui erant Christiani, timore non propalabant se, usque ad tempus Constantini, quo tempore firmata est Ecclesiæ libertas, & Fides diffusa per totum. Florentini ergo Statuam Martis de Templo abstulerunt, & loco illius assumserunt Johannem Baptistam pro eorum Patrono & Protectore, non mutatâ formâ Templi. Statuam autem Martis posuerunt intactam in alta Turri, quia opinio constans erat omnium, quod quandocumque mutaretur, vel in aliquo læderetur, magnum periculum, & nova mutatio immineret Urbi. Tenebant enim adhuc aliquos mores Paganismi; immo semper tenuerunt hanc credulitatem vanam. Sed ista imago dicitur fuisse perdita, quando Florentia fuit destructa per Attilam. Postea tamdem reædificata Civitate, fuit reinventa, & posita in uno Pilastro in capite Pontis Veteris, ubi stetit usque ad tempora Auctoris, immo ultra usque ad Diluvium Arni, quod fuit in MCCCXXXV., quod tunc violenter dejecit Pontem, & asportavit imaginem, & alia multa &

& magna damna fecit, de quibus dicetur alibi. Sed quamdiu duravit ista Petra, duravit error induratus in mentibus multorum Civium. Unde narrabat mihi Boccatius de Certaldo, se sæpe audivisse a Senioribus, quod quando aliquis puer projiciebat lapidem vel lutum in Statuam, dicebatur ei: *Tu facies malum finem; quia ego vidi talem, qui hoc fecit, qui suffocatus est in Arno, & alium qui suspensus est laqueo*. Et subjungit Auctor unum valde mirabile, quod videtur consonare isti antiquo errori Florentinorum. Quia videtur expresse dicere, quod Mars, iratus propter injuriam sibi factam in mutatione ista, faciet semper Florentiam tristem. Dicit ergo

*- - - - - - - onde per questo,*

Ideſt ipse Mars propter hanc causam, quod desierunt colere Martem. & colunt Baptistam,

*Sempre con l'arte sua la farà trista*

Ideſt faciet eam semper infortunatam in bellis suâ influentiâ. Sed antequam ulterius procedam, Lector, volo te scire, quod præsens Capitulum non est minus artificiosum & obscurum, quam præcedens, ut patet ex dictis & dicendis. Ideo considera bene heic, quod Auctor non sequitur communem errorem Vulgi, quia nimis esset absurdum, immo saperet hæresim dicere, quod Florentia deberet recipere damnum, quia conversa sit ad Christianismum. Ideo dic, quod Auctor dat heic Florentinis suis unum scomma coopertum & mordax nimis. Et vult latenter dicere, quod postquam Florentia dimisit Martem, ideſt fortitudinem & virtutem armorum, & cœpit solùm colere Baptistam, ideſt Florenum, in quo sculptus est Baptista, ita quod dedit se in totum avaritiæ, erat infortunata in rebus bellicis. Ita quod breviter dicendo, Florentini olim quum intenderent rebus militaribus & laboribus, fuerunt strenui & victoriosi; sed postquam cœperunt intendere harpiis rapacibus & accumulationi, licèt visi sint ditiores & potentiores, tamen fuerunt parum honorati in gestis armorum, & receperunt magnos conflictus, & strages bellorum, continuo plus invalescente avaritiâ. Et addit ultimo ille spiritus, quod, nisi quod remanet adhuc aliquid de reverentia Martis, Florentia ipsa esset jam pluries destructa, postquam fuit reædificata post destructionem factam ab Attila; Unde dicit:

*Quei Cittadin, che poi la rifondarono*
*Sovra 'l cener, che d'Atila rimase,*

Ideſt super reliquiis & ruinis factis ab Attila, quando cremavit eam, ut statim dicam;

*Avrebber fatto lavorare in darno,*

Quia scilicet iterum destructa esset, vel destructa de novo

*Et se non fosse, che 'n sul passo d'Arno,*
*Rimane ancor di lui alcuna vista.*

Ideſt aliquod vestigium ipsius Martis, scilicet Idolum supra Pontem, per quem transitur Arnus principaliter. Et heic nota, ut ista litera concordet cum præcedenti expositione, quam feci, quod Auctor non habet heic respectum ad Idolum istud, sicut litera sonare videtur. Immo vult velatè dicere, quod nisi esset adhuc aliquid de virtute & probitate antiqua in aliquibus bonis Civibus, sæpe Florentia esset jam eversa. Et ita est in omni Civitate Mundi. Quia nisi Virtus, Prudentia, & Bonitas aliquot paucorum defenderet Civitates ab ira Dei & Cœli, certe tanta est multitudo malorum, quod sæpe subverterentur.

Ad Cant. XIV. Verſ. 40.

*Senza riposo mai era la Tresca:*

Et heic nota, ut bene videas, si Auctor venatus fuit ubique, quidquid faciebat ad suum propositum; quod *Trescha* est quædam Danza, sive genus tripudii, quod fit Neapoli artificialiter valde. Nam est Ludus nimis intricatus. Stant enim plures sibi invicem oppositi. Et unus elevabit manum ad unam partem, & subito alii intenti facient idem. Deinde movebit manum ad aliam partem, & ita facient ceteri. Et aliquando ambas manus simul: aliquando vertetur ad unam partem, aliquando ad aliam; & ad omnes motus ceteri habent respondere proportionabiliter. Unde est mirabile videre tantam dimicationem manuum & omnium membrorum. Ita isti miseri continuo dimicabant contra flammas coquentes eos, ducentes celeriter manus nunc sursum nunc deorsum, nunc ad dexteram nunc ad sinistram, nunc recte, nunc oblique, secundum quod flamma recens attingebat quemlibet in diversa parte corporis.

Ad Cant. XV. Verſ. 4.

*Qual' i Fiamminghi tra Guizante e Bruggia,*

Heic Auctor declarat formam istorum aggerum per duplicem comparationem. Et breviter vult dicere, quod aggeres isti sunt tales, quales fiunt in Flandria juxta Civitatem Brugiæ contra impetum maris, & quales fiunt in Italia apud Civitatem Paduæ contra impetum Brentæ. Et ad declarationem primæ comparationis est sciendum, quod Luna, quæ sæpius est vocata Regina Inferni ab Auctore, omni die naturali movet bis mare, & facit fluxum & refluxum in XXIV. horis, sicut iste Auctor tangit expresse Cant. XVI. Paradisi. Luna enim mater humoris, sicut Sol est pater caloris, attrahit aquam de longinquo, sicut Magnes attrahit Ferrum. Istum autem motum aquæ Luna facit mirabiliter in Occidente, maxime quando est Quintadecima. De quo summe mirantur magni Marinarii, quia non sic fit in Oriente, nec in Mari Mediterraneo. In tantum enim aqua maris excrescit in Occidente, quod sæpe facit flumina retrocedere cum magno impetu. Unde in Anglia, quæ est in Oceano Occidentali, ita supercrescit mare apud Londram Civitatem Regalem, quod aqua fluminis Tamisii supragraditur Pontem altum valde. Ad propositum ergo. In Flandria, quæ est juxta Oceanum, & respicit Septemtrionem, fit ita fortis fluxus, quod detegit litus aliquando per V. milliaria; & ita refluxus recooperit terram ita velociter, quod equus velocissime currens non posset evadere ad terram a tam furioso cursu, unde aqua crescit per V. millia passuum & plus & minus aliquando. Hoc autem accidit notabiliter in Flandria, quia ibi est bassissimum solum plusquam in aliqua parte, unde aër est crassus & humidus valde ita, quod aliquando pluit ibi per sex menses. Flandrenses ergo propinqui mari faciunt magnos & altos aggeres, ne mare inundet, & invadat eorum agros & domos. Et cum toto hoc aliquando mare inundavit totam Provinciam eorum. Ex quo maxima multitudo eorum conjuratione facta deliberaverunt venire ad occupandam Italiam Reginam eorum. Sed quid vado per extera vetera? quum paulo ante mare suffocaverit ibi plusquam quindecim millia hominum. Item faciunt Paduani in Italia juxta fluvium eorum, qui dicitur Brenta, contra alluvionem. Hoc præmisso, or-

ordina sic literam : *Quelli* , scilicet aggeres , qui erant ex utraque parte fluminis Phlegetontis , *eran fatti a tale imagine* , idest similitudinem , *Quali i Fiamminghi* , qui olim vocati sunt Cimbri,

*Temendo il fiotto , che ver lor s' aventa*,

Idest fluctum maris ab Oceano cum mirabili velocitate ,

*Fanno lo schermo , perchè 'l mar si fuggia*;

Idest reparaculum & obstaculum : *tra Guizante* , quæ est una Terra , sive Portus in Flandria , e *Bruggia* . Ista est Civitas famosissima in Flandria , sicut est Civitas Venetiarum in Italia . Ad quam Brugiam concurrunt undique Mercatores ex omnibus partibus Occidentis . Unde audio , quod navigia plurium regionum applicant illuc . *Perchè 'l mar si fuggia* , idest fugiatur ab eis , ita quod non lædat eos. *E quale* , supple *schermo* . *I Padoani* supple *fanno* , *lungo la Brenta* , idest prope fluvium eorum , qui dirigitur ex Alemannia in parte , quæ dicitur Carentana , ubi regnant quidam Domini , qui vocantur Duces Carinthiæ . Hic fluvius adveniente vere , liquescentibus nivibus intumescit. Ideo bene dicitur

*Anzi che Chiarentana il caldo senta*;

Vult dicere , quod Paduani provident sibi ante tempus , faciendo & reparando aggeres , quia frustra occurrerent adveniente alluvione . Et ecce quare id faciunt :

*Per difender lor Ville , e lor Castelli*

Ab inundatione Brentæ . Simile etiam faciunt Ferrarienses juxta Padum. Unde miror, quod Auctor potius non fecerit comparationem de aggeribus Padi , qui est fluvius nobilissimus Italiæ , de quo Vergilius suus facit tantam mentionem & commendationem . Similiter & Lucanus . Sed forte hoc fecit , quia aggeres Padi non ita bene serviebant comparationi suæ, sive quia sunt nimis alti & magni .

*Ad Vers.* 22.

*Così adocchiato da cotal famiglia* ,

*Fui conosciuto da un* - - - - -

Heic Auctor ostendit , quomodo ex illo grege invenit unum famosum modernum de Terra sua , quem familiariter noverat in vita . Ad cujus cognitionem sciendum est , quod iste spiritus erat quidam Civis Florentinus nomine *Ser Brunettus Latinus* , qui floruerat tempore Dantis , vir quidem magnæ intelligentiæ & eloquentiæ tempore suo in Florentia . Habuit tamen magnam opinionem de se ipso . Nam quum esset magnus Notarius , & commisisset unum parvum fallum in sua certa scriptura per errorem , quem poterat facile corrigere , voluit potius accusari & infamari de falso , quam revocare errorem suum , ne videretur deliquisse per ignorantiam . Unde propter hoc fuit coactus recedere de Florentia , & datum fuit sibi Bannum de igne . Sed ignem , quem evaserat vivus , dat sibi Auctor mortuo in isto loco : quo magis notatur infamia , quia noverat eum infectum turpitudine ista .

*Ad Vers.* 61.

*Ma quello 'ngrato Popolo maligno* ,

*Che discese da Fiesole* - - - - -

Nunc Ser Brunettus prænuntiat Auctori adversam fortunam , quæ est communiter inimica virtuosis . Et vult bene dicere , quod Populus Florentinus malignanter & ingrate se habebit erga eum ; reddens sibi malum pro bono , sicut est de more fere omnium Populorum erga benemeritos . Sicut Roma contra Scipionem , Civitas Athenarum contra Thesėum , & ita de aliis . Et circa istum passum aliqualiter est notandum . Multi enim istud Capitulum facile & apertum dicunt . Sed certe mihi videtur valde difficile & obscurum , & habet multos malos zapellos . Est ergo primo sciendum ad declarationem istius literæ, quod multi dicunt heic multa falsa , sequentes Chronica Florentinorum , quæ ponunt multa magnifica ficte ad exaltationem suæ patriæ . Nec miror, quia simile dicunt Chronica quasi omnium Civitatum , quæ viderim , sicut Ravennæ , Januæ , Venetiarum , & Neapolis . Quanto magis ergo Florentini eloquentissimi hominum studuerunt laudibus suæ Terræ ? Dicunt ergo, quod Civitas Fęsularum olim fundata fuit a Rege Atlante , qui veniens cum Apolline Astrologo suo magno , quæsivit fundare nobilissimam Civitatem in optimo situ Italiæ . Et quod hæc Civitas semper fuit amicissima Romanorum . Et quod inde fuit Dardanus primus Auctor Trojæ . Et ita de multis : quæ omnia reputo frivola . Quia Atlas Rex Africæ , qui fuit maximus Astrologus , & ob hoc fingitur subportasse cœlum , quem tamen Hercules superavit , nunquam fuit in Italia , quod invenerim umquam ; & Apollo multo minus . Nec Fęsularum Civitas fuit umquam nobilis , vel famosa ; immo de ea nulla fit mentio ; in actu magnificentiæ dico . Sed hoc dicunt in commendationem suæ originis antiquæ . Scio insuper, quod Livius scribit , quod Annibal inter Fęsulas & Aretium passus est validam tempestatem . Nec situs fuit optimus , immo pessimus , quia alpestris , nimis asper , & sterilis . Unde Radagasus Rex Gothorum olim cum infinita multitudine suorum barbarorum in Montibus Fęsulanis fame & frigore inter nives perierunt . Quid vetera quæro ? Scribit modernus Poëta Boccatius de Certaldo, quod lapides montis Fęsulani sunt plumbei , & dicit mirabile de eis , quod si exscindantur , in brevi temporis spatio certissime novis incrementis restaurantur . Quod , si verum est , satis attestatur naturæ ipsorum florum, quorum semen continuo germinat de radice. Dardanus autem non fuit de Fęsulis , sed de Coricho , ut alibi dictum est . De amicitia vel inimicitia, quam cum Romanis habuerint , quasi nihil scribitur ab Auctoribus . Memini tamen , quod Florus dicit : *de Fęsulis triumphavimus*, volens ostendere debiles veteres triumphos Romanorum . Et tempore Catilinæ Fęsulani fuerunt nequissimæ conjurationis. Fuit tamen antiquissima Terra . Hoc scio , quod aliquis dicet : *Dic ergo tu mihi , quis fuit fundator Fęsularum , quæ sic dicta est , quasi fiat sola ?* Dico, quod truffa est . Et quod nescio , quis fundaverit eam, nec quando ; quia principia maximarum Civitatum sæpe ignorantur . Sed credo certissime , si hæc Civitas fuisset tantæ nobilitatis , quod antiqui Scriptores aliquid tetigissent . Ulterius dicunt , quod Cæsar cum duodecim Principibus Romanis obsedit Civitatem Fęsulanam per septem annos , & quod tamdem destruxit eam a fundamentis , & ædificavit Florentiam partim ex Romanis , partim ex Fęsulanis ad similitudinem Romæ . Et quod Florentia fuerit in favorem Cæsaris in bellis civilibus . Et quod sine risu scribere non possum, dicunt , quod Lucanus, quum fecit mentionem de Sarno ( quæ omnia quantum sint vana unusquisque intelligens videat ) loquutus est de Arno . Nam quomodo Cæsar potuerit vacare constructioni nobilissimarum Civitatum tem-

tempore illius conjurationis pestiferæ, quum fuerat accusatus de conjuratione, & ipse se purgavit per testimonium Quincti Ciceronis, qui erat frater Marci Ciceronis tunc Consulis? Quomodo etiam Romani expendissent tantum tempus ad capiendam Civitatem Fęsularum illo tempore, quo Roma erat in tanto potentatu, quum spatio quatuor annorum tempore belli Socialis, omnes fortes Populos Italiæ reduxerant viribus armorum sub jugum Romanorum, qui conjuraverant contra Romam? Quomodo etiam Florentia fuerit de auxiliatoribus Cæsaris, quum tunc Florentia vix nasceretur? Sarnus etiam non est Arnus, ut alibi dicetur. Quis ergo ædificaverit Florentiam primo, ignoro. Nec credo, quod a Florentino nobili Cive Romano fuerit sic denominata, nec a Campo Florido, sicut etiam isti dicunt, quum dicat Plinius, quod Florentia olim Fluentia dicta est. Auctor non vult, quod Florentia habuerit ortum a Fęsulis. Sed quando, quomodo, vel per quem fateor me nescire.

*Ad Vers. 67.*

*Vecchia fama nel mondo li chiama orbi,*
*Gente avara - - - - - - - - - - - - -*

Ad intelligentiam hujus facti est sciendum, quod communis opinio omnium ipsorum Florentinorum est, quod Florentini sint vocati cæci propter delusionem, quam receperunt olim a Pisanis. Nam ut tradunt eorum Chronica, Anno Domini nostri Jesu Christi MCXVII. Pisani tunc temporis potentissimi in mari fecerunt magnam classem Galearum ad capiendam Insulam Majoricæ, quam occupaverant Saraceni. Et quum jam essent in itinere, ecce Lucenses venerunt cum exercitu ad invadendum Pisas. Quo audito, Pisani non audentes procedere, ne eorum Civitas vastaretur, & recedere ab incœpto videbatur eis inhonorabile & damnosum, quum vulgata esset fama & facta expensa magna, ideo habito inter eos consilio miserunt ad Florentinos tunc animosos eorumdem amicos, ut deberent venire ad custodiam Civitatis Pisarum. Florentini gratanter assumserunt defensionem contra Lucenses, & quoscumque volentes molestare dictam Civitatem. Et continuo miserunt gentes equestres & pedestres, quæ posuerunt castra prope Pisas per duo milliaria. Et Potestas eorum prudenter mandavit, ne aliquis intraret Civitatem; & quum unus contra præceptum intrasset, condemnatus fuit ad mortem. Quo audito, Seniores Pisarum venientes ad Potestatem, rogaverunt eum, ut eorum contemplatione remitteretur sibi pœna. Et non valentes flectere eum precibus, protestati sunt, quod nolebant ipsum interfici in territorio eorum. Tunc Potestas caute & occulte fecit emi agrum a rustico nomine Communis Florentiæ, & ibi fecit suspendi reum. Pisani autem reversi a recuperatione Majoricæ, egerunt gratias Florentinis de tam liberali & laudabili beneficio. Et obtulerunt, ut eligerent quod signum victoriæ potius vellent, vel Portas Æneas, vel Columnas de Porphyretico, quas portaverant a dicta Insula. Florentini petierunt Columnas. Et fertur, quod Pisani ex invidia incenderunt eas. Deinde illas fasciatas Scarlato sub specie honoris & pompæ tradiderunt Florentinis. Florentini spoliantes columnas, visâ fraude, cum summa indignatione cœperunt dicere: *Bene sumus cæci, qui fidimus vulpibus antiquis Pisanorum, qui nihil facere noverunt sine fraude.* Et postea dicti sunt cæci Florentini in Tuscia. Et has Columnas posuerunt ante Portam Sancti Johannis, ubi adhuc sunt. Certe quidquid dicatur, non videtur mihi, quod istâ de causâ Florentini vocandi sint cæci. Quia si fuerunt delusi ab iis, quibus fidebant, & quibus fecerant tam memorabile servitium, non video, quæ cæcitas sit ista. Alii ergo dicunt, quod Florentini dicti sunt cæci, quia olim Annibal inundationibus Arni fluminis perdidit unum oculum, sicut scribit Boccatius de Certaldo in suo Libro de Montibus & Fluminibus. Sed certe istud non est de intentione Auctoris, qui loquitur heic, quam pejus potest, de Florentinis, ut patet ex dictis & dicendis. Sed mihi videtur, quod maxima cæcitas Florentinorum fuit, quando crediderunt Attilæ, si verum est, quod jam scripsi supra Cant. XII. Audivi tamen unum Florentinum facientem heic pulcram expositionem, licèt non sit de mente Auctoris. Dixit enim, quod Florentini erant cæci active, non passive, quia scilicet faciunt alios cæcos.

*Ad Vers. 73.*

*Faccian le bestie Fiesolane strame &c.*

Ad hujus rei intelligentiam est sciendum, quod sicut scribit Boccatius de Certaldo in suo Libello *de Vita & Moribus Dantis*, post eversionem Florentiæ factam ab Attila, quidam Nobiles, qui fuerant de antiquis Civibus Florentiæ, congregati in unum miserunt ambasciatores ad Carolum Magnum, qui tunc erat Romæ, ut dignaretur dare operam reædificationi Florentiæ, & auxilium contra Fæsulanos hostes eorum. Et sic factum est. Unde aliqui Romani venerunt, inter quos venit quidam nobilissimus de stirpe antiquissima Romanorum, quæ vocatur Frangipanes, ex cujus sanguine descenderunt Helisei, & ex Heliseis descenderunt Aldigherii, de quibus fuit Dantes, sicut plenius dicetur Cant. XV. Paradisi. Et sic patet, quomodo Dantes per longam lineam genealogiæ fuerit de sanguine Romano. Ideo vult sequestrari a Fæsulanis pravis. Dicit ergo: *Le bestie Fiesolane*, idest vitiosi Florentini, qui servant mores Fæsulanorum.

*Ad Vers. 106.*

*In somma sappi, che tutti fur Cherci,*
*E Literati grandi,*

Idest magni viri studiosi & famosi. Nec dicas, quod debeat exponi Clerici, idest Literati, more Gallico, sicut quidam exponunt; & dicunt, quod omnis Literatus est Clericus. Quia tunc esset nugatio, & subtilis repetitio. Nam statim subsequitur, *E Literati*. Nec etiam dicas, sicut audivi aliquos dicentes, quod omnes agentes contra naturam, sunt Scholares vel Presbyteri, & dicunt: *Vide quod Dantes hoc dicit*, quia dicit, *tutti fur Cherci e Literati*. Dico, quod loquitur heic de omnibus, qui erant de grege, in quo erat ille Brunettus. Et de talibus Dantes petiverat, & de talibus Brunettus respondet, qui fuit magnus Literatus & famosus tempore suo in Terra sua. Unde Auctor ponit alium gregem peccantium contra naturam, de quibus dicetur plenius in cantu sequenti. Immo isti, de quibus heic dicitur, minus peccaverunt.

*Ad Vers. 110.*

*E Francesco d'Accorso anco - - - -*

Et nominat alium virum famosum, principale caput multorum, scilicet Franciscum Accursii. Ad cujus cognitionem est sciendum, quod Accursius excellentissimus Legum Doctor fuit natione Florentinus; sed Bononiæ fecit moram,

ram, & ibi legit, & scripsit. Concurrit autem cum Odofredo de Odofredis ex Nobilibus de Bononia excellentissimo Doctore. Ipse tamquam astutissimus, de industria inclusit se in domo, fingens se laborare morbo quatriduanæ febris. Et faciebat omni die venire Medicum ad colorandum factum. Et interim summopere & summo studio glossavit Leges cum maxima festinantia. Et celeriter accessit ad Curiam, & fecit publicari & authenticari suum opus. Quo facto & scito, Odofredus summe dolens, scripsit diffusius & copiosius eo, sed tarde. Ad propositum ergo: Franciscus filius Accursii primogenitus fuit etiam famosissimus Doctor Legum, qui laboravit morbo ardentioris & pejoris febris, quàm pater suus. Dicit ergo Auctor: *E Francesco d'Accorso anco*, idest etiam. Quem Auctor ponit istâ horrendâ ignominiâ maculosum, quia male servavit legem suam pulcherrimam, quam docebat aliis, quæ dicit: *Quum vir nubit in feminam, armentur Leges*. Et heic nota, Lector, quod vidi aliquando viros sapientes magnæ literaturæ conquerentes, & dicentes, quod pro certo Dantes nimis male loquutus est heic nominando tales viros. Et certe ego quando primo vidi literam istam, satis indignatus fui. Sed postea experientiâ teste didici, quod hic sapientissimus Poëta optime fecit. Nam in MCCCLXXV. dum essem Bononiæ, & legerem istum librum, reperi aliquos vermes natos de cineribus Sodomorum, inficientes totum illud Studium. Nec valens diutius ferre fœtorem tantum, cujus fumus jam fuscabat astra, non sine gravi periculo meo rem patefeci Petro Cardinali Bituricensi, tunc Legato Bononiæ. Qui vir magnæ virtutis & scientiæ detestatus tam horribile scelus, mandavit inquiri contra principales. Quorum aliqui capti sunt, & multi territi diffugerunt. Et nisi quidam Sacerdos proditor, cui erat commissum negotium obviasset, quia laborabat pari morbo cum illis, multi fuissent traditi flammis. Quis si vivi effugerunt, mortui non evadent, nisi forte bona pœnitudo extinxerit eas aquâ lacrymarum & compunctionis. Ex hoc autem incurri capitale odium & inimicitiam multorum. Sed divina Justitia me contra istos naturæ hostes huc usque benigne protexit.

*Ad Vers. eumdem.*

*- - - - - - e vedervi,*

*S'avesse avuto di tal tigna brama.*

Heic Ser Brunettus nominat alium Clericum Prælatum. Ad cujus cognitionem volo te scire cum non modico risu, quod iste spiritus fuit Civis Florentinus, natus de Modiis, Episcopus Florentiæ, qui vocatus est Andreas. Iste quidem vir simplex & fatuus, publice sæpe prædicabat Populo dicens multa ridiculosa, & inter alia dicebat, quod Providentia Dei erat similis muri, qui stans sub trabem videt quidquid sub se geritur in domo, & nemo videt eum. Dicebat etiam, quod Gratia Dei erat sicut stercus caprarum, quod cadens ab alto, ruit in diversas partes dispersum. Similiter dicebat, quod Potentia divina erat immensa; quod volens demonstrare exemplo manifesto, tenebat granum rapæ in manu & dicebat; *Bene videtis, quam sit parvulum istud granulum & minimum*. Deinde extrahebat de sub Cappa maximam rapam dicens: *Ecce quam mirabilis Potentia Dei, qui ex tantillo semine fecit tantum fructum*. Iste ergo magnus bestiarius a natura, laborabat isto vitio bestialitatis contra naturam. Nunc ordina sic literam, quæ est satis intricata. Dicit ille Brunettus Danti: *Et potei*, idest quod tu poteras *vedervi*, idest videre ibi in ista turba animarum, quæ velociter currens jam multum absentaverat se a conspectu eorum. Ideo sic loquitur: *Colui*, scilicet Episcopum Andream qui

*fu trasmutato d'Arno in Bacchiglione*,

Quasi dicat, quod ex Episcopo Florentino factus fuit Episcopus Vicentinus. Nam Arnus fluvius transit per Florentiam, Bacchilionus vero per Vicentiam. Et heic nota, quod non sine quare Auctor describit ipsum taliter ab ista trasmutatione. Nam debes scire, quod semel iste Episcopus Andreas, quum egregie prædicasset Populo suo dixit in fine: *O Domini & Dominæ. Sit vobis recommendata Monna Tessa, cognata mea, quæ vadit Romam. Nam in veritate si fuit per tempusculum satis vaga & placibilis, nunc est bene emendata. Ideo vadit ad Indulgentiam*. Hoc scito Dominus Thomas de Modiis frater ejus, magnus Jurista, non valens ulterius ferre ineptias ejus, & quia crescebat infamia vitii, dedit operam prudenter, quod transmutaretur in Episcopum Vicentinum per Papam Nicolaum de Ursinis. Ideo dicit

*- - - - - che dal Servo de' Servi*,

Idest a Papa Romano, qui inscribit se *Servum Servorum Dei*. Quem titulum Gregorius I. doctor eximius primo adinvenit. Et dicit, quod postea mortuus est ibi, unde dicit valde obscure:

*Ove lasciò li mal protesi nervi*.

Idest in Vicentia male extensos nervos. Hoc aliqui exponunt sic, scilicet quod nervi præ dolore extenduntur in moriente, & sic videtur velle dicere, quod ibi male mortuus est, sicut male vixerat. Alii vero dicunt quod erat podagricus, & sic habebat nervos male extensos.

*Ad Cant. XVI. Vers. 33.*

*Questi, l'orme di cui pestar mi vedi*, &c.

Heic spiritus ut reddat Auctorem avidiorem ad respondendum sibi, non exspectatâ responsione Auctoris, manifestat sibi socios & se. Et primo incipit a digniori, scilicet a Guidone Guerra; & circa istius descriptionem Lectori est aliqualiter immorandum, quia multi mirantur, immo truffantur ignoranter, quod Dantes, qui poterat describere istum præclarum virum a claris progenitoribus, & ejus claris gestis, describit eum ab una femina avia sua, Domna Gualdrada. Sed certe Auctor fecit talem descriptionem tam laudabiliter quam prudenter, ut heic implicite tangeret originem famosæ stirpis istius, & ut daret meritam famam & laudem huic mulieri dignissimæ. Ad cujus rei intelligentiam est sciendum, quod Otto IV. quum venisset in Italiam, ivit visitatum Florentiam tamquam florentissimam Civitatem & Terram Imperii. Et quum die quadam celebraretur solemne festum in Florentia, sicut festum Baptistæ, quo nullum fit celebrius, ibi Imperator cum quibusdam Nobilibus de Terra ivit ad festum. Et dum staret in via publica ad videndum puellas, quæ sunt ibi pulcherrimæ & plurimæ, ecce inter alias transibat una virgo elegantissimæ formæ. Cujus miro decore stupefactus Imperator, convertens se ad unum Militem probum antiquum spectatæ virtutis, cujus nomen erat Dominus Bilincionus, (hæc erat ejus filia unica de Ravignanis peti-

petivit ab eo, quænam esset illa tam nobilis indolis & vagæ apparentiæ. Respondit Bilincionus: *Inclyte Domine. Hæc est filia unius, qui si vellet, posset de præsenti facere vos osculari eam.* Puella autem, quæ incedebat, auribus arrectis, auditâ responsione patris, vertit se ad eum, & aperte ac verecunde dixit ei: *In veritate, Pater mi, parcat mihi reverentia vestra; numquam quisquam osculabitur me, nisi legitimus sponsus meus.* Imperator, audito tam nobili responso, & cognito, quod ista erat filia Domini Bilincioni, voluit quod istam posset aliquis honeste osculari, & mandavit patri, ut vocaret Domicellam ad se. Deinde vocavit ad se quemdam strenuum Militem, qui vocatus est Dominus Guido Vetus, qui erat in ejus consortio. Et tradito sibi annulo suo, fecit eam desponsari. Et dedit sibi in dotem & nomine dotis illum Comitatum Casentini, qui postea fuit diu Comitum Guidonum. Et ex isto Comite Guidone Vetere, & ex ista Domina descenderunt omnes Comites Guidones. Qui postea divisi sunt in multa membra, & fuerunt familia famosa & potens nimis. Qui tenuerunt magna & multa Castella citra & ultra Alpes, non solùm in Tuscia, sed etiam in Romandiola.

*Ad Vers. 36.*

*Nipote fu de la buona Gualdrada.*

Ad quod bene intelligendum, nota, quod Comes Guido Vetus habuit ex dicta Domina multos filios. Quorum unus vocatus est Guillielmus. Ex quo natus est Guido Novellus, qui tenuit partem Gibellinam, & fuit multum armiger, & multa fecit pro Parte Gibellina. De quo sæpe fit mentio in hoc Opere. Alius vocatus est Rogerius, ex quo natus est iste Guido Guerra. Ex quo patet, quod uterque Guido, scilicet Novellus & Guerra, est nepos dictæ Dominæ. Nota etiam, quod ista egregia juvenis vocata est primo nomine *Inghirdruda*. Auctor tamen utitur vocabulo communi & corrupto, quo utuntur mulieres & vulgares, qui dicunt *Gualdrada*; sicut ego vidi in quodam amico meo, qui volens vocare *Lucretiam* filiam suam, corrupte vocavit ipsam *Alegrinam*. Deinde describit Auctor dictum Comitem a nomine proprio, & ab agnomine proprio dicens: Et iste

*Guido Guerra ebbe nome - - - -*

Et bene sibi convenit utrumque, quia fuit magnanimus Dux multorum, & bene guidavit, & fuit magnus guerriger, & vir bellicosus multum. Ad cujus rei intelligentiam volo te scire, quod hic Comes Guido Guerra, tempore, quo Carolus I. vocatus ab Ecclesia venit in Italiam contra Manfredum, ivit fere cum CCCC. equitibus Florentinis exulibus obviam Guidoni de Monforte, qui ducebat exercitum Caroli per terram usque Mantuam. Deinde transierunt per Bononiam, Romandiolam, Marchiam, & Ducatum. Et non potuerunt transire per Tusciam, quia tota erat sub Parte Gibellina, & dominio Manfredi. Unde multum tempus expenderunt in via. Tamdem appulerunt Romam, ubi erat Carolus. Postea Guido cum suis fuit in expugnatione Sancti Germani. Deinde fuit in bello, quod habuit Carolus contra Manfredum apud Beneventum. Quibus visis Manfredus petivit: *Ubi sunt Gibellini, pro quibus tantum expendi & laboravi?* Et subdidit: *Verè gens illa non potest hodie perdere.* Hæc dixit, quia si Carolus vincebat, erant victores; & si Manfredus vincebat, fuisset eis amicus. Et verum dixit, quia Manfredo victo, Comes Guido Guerra cum favore & gente Caroli rediit Florentiam, & inde expulit Gibellinos. Ideo bene describit eum a prudentia & probitate, dicens:

*- - - - - - & in sua vita*

*Fece col senno assai e con la spada.*

Et est magna laus Guidonis, quia communiter fortes bellatores non inveniuntur prudentes, & e contrario. Iste autem erat audax in prœlio, & prudens in periculo, sicut recte dicit Livius de Annibale.

*Ad Vers. 39.*

*L'altro, che appresso me la terra trita.*

Heic Jacobus Rusticatius secundum socium sui tripudii pandit. Ad cujus cognitionem est sciendum, quod iste Teghiajus fuit Miles Nobilis Florentinus de Adimaris, homo sani consilii in re publica. Cui si sui Cives credidissent, non recepissent illam stragem magnam ad Montem Apertum, de qua scriptum est supra Cant. X. Nam quum Florentini tractarent in publico Consilio de eundo contra Senenses ad fulciendum Montem Alcinum, iste primus consuluit, quod nullo modo deberent ire, quia ibi erat latens proditio, & quod Senenses non poterant diu sustinere expensas gentis Theutonicæ, quam habebant a Rege Manfredo. Et multa similia dixit pro communi utilitate. Guido Guerra, qui eodem tempore floruit, idem dixit. Et alius Miles, nomine Dechus de Gherardinis pertinacissime contradixit similiter. Cui post longam contentionem finaliter fuit impositum silentium sub pœna capitis. Iverunt ergo Florentini contra consilia tot Sapientum, & fuerunt infeliciter debellati, sicut alibi dictum est, & dicetur. Dicit ergo Auctor: *L'altro, che appresso me &c.* cujus virtus & probitas notatur apposite heic,

*E' Tegghiaio Aldobrandi; - - - - - -*

Nomen adventitium ejus fuit, non nomen cognationis; quia, ut jam dixi, fuit de Adimaris, familiâ magnâ valde. Et dicit

*- - - - - - - - - - la cui voce.*

Idest fama

*Nel Mondo su dovria esser gradita;*

Quia homines deberent gratum audire de eo

*Ad Vers. 42.*

*Et io che posto - - - - - - - - -*

Heic iste spiritus ultimo describit se ipsum, & tangit causam suæ damnationis. Iste fuit Miles Florentinus, vocatus Dominus Jacobus Rusticatius, vir Popularis, sed tamen valde politicus & moralis, licèt cognominetur Rusticatius; homo valde dives & prudens, placidus, & liberalis. Qui poterat videri satis felix inter Cives suos, nisi habuisset uxorem pravam. Habuit enim mulierem ferocem, cum qua vivere non poterat. Ideo dedit se turpitudini. Unde narratur de eo, quod quum semel introduxisset puerum in cameram suam, ista mulier furibunda cucurrit ad fenestram palatii, & cœpit clamare alta voce: *Ad ignem, ad ignem.* Tunc concurrentibus vicinis, iste Jacobus egressus cameram, cœpit minari uxori mortem. At illa rediens ad fenestram, clamare cœpit: *Non veniatis, quia ignis extinctus est.* Et sic nota: cum quanta solertia & prudentia viri debeant ducere uxores. Vide, ad quid devenerit iste valens Miles. Verè acerbior pœna Inferni est suavis respectu malæ uxoris, per diem non habens bonum, per noctem pejus. Dicit ergo iste de se:

*Et io, che posto son con loro in croce,*

idest

Ideſt in eodem cruciatu & pœna ſicut ſum ſimiliter cum eis in eodem tripudio ,

*Jacopo Ruſticucci fui - - - - - - -*

Et ecce cauſam

*- - - - - - - - - - - - - e certo*

*La fiera moglie più ch' altro mi noce.*

Maledicatur iſta excuſatio . Fecit enim iſte more Orphei , qui, ut dictum eſt , perdita uxore ſua, cœpit in totum ſpernere fœmininum genus : propter quod mulieres totum illum crudeliter lacerarunt . Ita verè contingeret talibus , quia pauciores reperiuntur .

*Ad Verſ. 53.*

*Tanto che tardi , tutta ſi diſpoglia;*

Et heic adverte , quod heic aliqui dicunt imprudenter , quod Auctor heic innuit tacite , quod fuit fœdatus iſto morbo , in eo quod oſtendit ſe compati illis . Sed iſtud eſt omnino falſum & abſurdum nimis dicere . Quia Auctor oſtendit toties , ſe compati multis , ſicut uni deſperato , gratiâ caritatis patriæ , immo & extraneo . Unde finxit ſe non poſſe loqui Petro de Vineis præ nimia pietate , tum ratione virtutis , tum ratione innocentiæ . Et ita ſæpe videbis in multis aliis locis . Præterea Auctor fuit ſumme amoroſus , & nimis amator mulierum , ſicut oſtenſum eſt ſupra , ubi tractatum fuit de luxurioſis incontinentiæ . Ideo dico , quod Auctor compatitur infelicitati iſtorum , quaſi dicat : Quum iſti fuerint homines tantæ virtutis & probitatis , ad quam infamem culpam devenerunt ! Ergo bene dicit : Ego concepi magnum dolorem .

*Ad Verſ. 70.*

*Che Guiglielmo Borſiere , il qual ſi dole &c.*

Ad vituperandam avaritiam debes ſcire , quod Guillielmus Borſerius fuit quidam Civis Florentinus , faciens Burſas , vir ſecundum facultatem ſuam placibilis & liberalis ; qui tractu temporis odio habens Officium Burſarum, quibus clauditur pecunia , factus eſt homo Curialis , & cœpit viſitare Curias Dominorum & domos Nobilium . Accidit autem , quod ſemel applicuit ad Civitatem Januæ , ubi moram traxit pluribus diebus , retentus & honorifice tractatus a quibuſdam Nobilibus . Erat in diebus illis in Janua quidam Dominus Hernius de Grimaldis , qui in poſſeſſione divitiarum non ſolùm excedebat Januenſes , qui ſunt ditiſſimi , ſed etiam omnes Italicos . Et ſicut ſuperabat omnes in opulentia, ita cupiditate & miſeriâ alios excedebat , ita quod non ſolùm non honorabat alios, ſed pro ſe vivebat parciſſime , quum tamen Januenſes communiter vivant parce . Immo , quod turpius erat , induebatur viliter , quum tamen Januenſes generaliter induantur ſplendide . Iſte ergo Hernius, auditâ famâ Guillielmi , miſit pro eo , & introduxit eum in Salam cujuſdam pulcræ domus , quam fecerat noviter fieri . Et quia adhuc remanſerat in eo aliqua ſcintilla nobilitatis , dixit Guillielmo : *Domine Guillielme , Vos , qui multa vidiſtis , ſciretis me docere aliquam rem peregrinam numquam amplius viſam, quam poſſem facere pingi in iſta mea Sala ?* Guillielmus audiens, ſuum inconveniens loqui , reſpondit : *Domine , non crederem poſſe vos docere , niſi eſſent forte ſternuta , vel ſimilia his . Sed ſi placet , docebo vos unam , quam credo vos non vidiſſe umquam .* Hernius factus avidus , ſubito dixit : *Deh rogo vos , dicite mihi* ; non expectans ipſum reſponſurum , ut fecit : Cui Guillielmus : *Facite pingi Dominam Liberalitatem* . Hernius tunc audito ſcommate mordaciſſimo , transfixus fuit tam forti telo verecundiæ , quod quaſi mutavit malignum morem avaritiæ in laudem largitatis . Et dixit facie inflammatâ rubore : *Ego faciam pingi talem , quod nec vos , nec alius poterit rationabiliter dicere , quod numquam viderim , vel noverim ipſam* . Et ab illa die in antea tantæ fuit virtutis & efficaciæ verbum Guillielmi , quod poſtea fuit liberalior & gratior omnibus. Non tamen credas , quod factus ſit prodigus , ſicut poſtea fuit Dominus Carolus Grimaldi de domo ſua , qui factus Arcipyrata valentiſſimus , apud mirabile Caſtellum Monaci infeſtabat omnes navigantes per mare Leonis , formidatus etiam a magnis Principibus , nedum privatis Mercatoribus . Ad propoſitum ergo vide, quanta arte utitur heic Auctor , qui fingit , quod Jacobus Ruſticatius allegat Guillielmum Borſerium , qui dolet de Curialitate perdita in patria ſua , quia ipſe erat optimus Judex in tali cauſa, & bene noverat Curialitatem & Curiales ſuæ patriæ , & fuit ſatis infeſtus hoſtis Avaritiæ , ita quod in aliena Terra , ubi plurimum poteſt Avaritia , mirabiliter expulit eam de pectore hominis , in quo videbatur penitus indurata .

*Ad Verſ. 94.*

*Come quel Fiume , che ha proprio camino*
*Prima da Monte Veſo - - - - - -*

Ad declarationem iſtius eſt advertendum, quod inter Galliam & Italiam , ſupra Montemferratum & Januenſem ditionem , eſt Mons , qui dicitur Vexulus, principium Montis Apennini. Ex quo Monte Vexulo naſcitur nobilis fluvius Padus , qui colligit omnes aquas Lombardiæ , cadentes a ſiniſtra Apennini . Modò omnes tales aquæ non derivant per ſe ad mare , & immediate , quia omnia flumina Pedemontium & Lombardiæ primo decurrunt ad Padum . Deinde Padus portat omnia in mare . Primus autem fluvius , qui intrat ſine Pado in mare , eſt quidam fluvius, qui vocatur Aries ſive Montonus , qui labitur juxta mœnia Forlivii in Romandiola , & apud Ravennam intrat mare , & vocatur *Aqua Queta* in montibus . Sed poſteaquam incipit deſcendere ex Alpibus ad planum , vocatur Aries . Modò ad propoſitum . Vult dicere Auctor , quod ſicut fluvius Montonus , qui naſcitur in Alpe , labitur per loca montuoſa inter ſaxa , deinde deſcendit cum magno murmure ad plana loca, & mutat nomen , quia mutat locum ; Ita iſte Fluvius Phlegeton , qui naſcitur a montanea Ida , labitur primo per multa loca &c.

*Ad Cant. XVII. Verſ. 58.*

*E com' io riguardando tra lor vegno ,*

Nunc Auctor deſcribit aliquos Fœneratores in ſpeciali , & præcipue Florentinos ſuos , quorum ibi erat ſatis bonus numerus. Primo ergo deſcribit quemdam Militem Florentinum , qui factus eſt ditiſſimus ex uſura , quem deſcribit ab armatura ſuæ gentis . Iſte enim erat de Gianfigliaciis de Florentia , qui habent pro eorum inſignio Leonem Azurrum in campo citrino . Dicit ergo :

*- - - - - - - - - e vidi azurro,*

Scilicet colorem ,

*Che di Leon avea faccia e contegno :*

Ideſt apparentiam & continentiam , ſcilicet totum corpus *d' un Leone in una borſa gialla* , ideſt in campo citrino, quia iſta talis armatura erat depicta in burſa . Deinde deſcribit alium Civem ſuum dicens :

*Poi procedendo di mio ſguardo il curro ,*

ideſt

idest cursus mei intellectus, quia intellectus volvitur sicut currus.

*Et un, che d'una scrofa azurra e grossa.* Heic Auctor describit alium magnum Fœneratorem, quem similiter describit ab armatura suæ gentis. Et iste fuit quidam Miles Paduanus, qui vocatus est Dominus Raynaldus de Scrovignis, vir ditissimus in immensum. Scrovigni autem portant porcam azurram in campo albo, & inde denominati sunt, sicut quidam Nobilis Romanus cognominatus est Scroffa, ut refert Macrobius Lib. primo Saturnalium.

*Segnat' avea lo su' sacchetto bianco*

plenum pecuniâ multâ *d'una scroffa*, idest porca azurra & grossa:

*Mi disse; che fai tu in questa fossa?*

Scilicet arenâ, quasi dicat. *Quomodo vivis & sine pœna venisti huc, & ad quid?* Et quia Auctor poterat respondere: *Ego considero aliquos magnos Fœneratores*; ideo licentiat eum, & nominat ei duos alios maximos Fœneratores, unum Paduanum, alterum Florentinum. Dicit ergo:

*Or te ne va - - - - - - - - -*

Quasi dicat: *Frater mi, posses stare nimis heic. Magni Fœneratores sunt infiniti jam heic, sed dicam de duobus magnis magistris usuræ.* Dicit ergo:

*- - - - - - - - - e perchè se' viv' anco*

Quasi dicat: *Et quia tu es rediturus ad mundum, & narraturus ista*;

*Sappi, che 'l mio vicin Vitaliano*

Scilicet, *Civis meus Paduanus*

*Sederà quì, - - - - - - - - - -*

Scilicet, *in ista pœna mecum, & me sociabit*

*- - - - - - - - - dal mio sinistro fianco.*

Iste Vitalianus fuit Nobilis Miles de illis del Dente, qui vivebat adhuc. Ideo vaticinatur eum venturum ad consortium Fœneratorum, quia erat maximus artifex hujus artis fœneratoriæ; Et dicit:

*Con questi Fiorentin son Padovano,*

Quasi dicat: *Habeo præscriptos Florentinos in societate mea. Ideo expecto unum Paduanum de meis.* Et ultimo iste de Scrovignis nominat alium Fœneratorem summum & supremum omnium. Iste autem fuit quidam Miles Florentinus, qui vocatus est Dominus Johannes Baiamonte, qui excessit omnes sui temporis in actu usuræ. Ideo bene fingit, quod omnes Usurarii ibi damnati sæpe vocant ipsum tamquam Principem magnum istius Sectæ; cui meritò dat palmam & triumphum pugnæ pecuniariæ, quam iste semper fecit cum pugnis plenis & clausis. Dicit ergo iste Miles: *Isti Usurarii*

*Spesse fiate m'intronan l'orecchi,*

Scilicet, *turbant auditum meum clamore alto & terribili in modum tonitrui*:

*Gridando: vegna il Cavalier sovrano;*

Et sic vide, quod Dominus Johannes Baiamonte vivebat, sicut & Dominus Vitalianus del Dente. Quorum utrumque Auctor ponit pro damnato, quia verisimile videbatur, quod isti deberent venire ad augendum & supplendum numerum istorum defunctorum, quorum vestigia sequebantur in vita, immo excellebant omnes in fœnore. Ideo bene vocant illum tanto studio, ut tegat infamiam eorum, vel quia *solatium est miseris, socios habere pœnarum*. Immo pravi reputant sibi ad magnam gloriam, quando habent in genere suo unum excellentissimum in malitia, & ipsum quærunt, & diligunt & honorant, & delectantur esse in socie-



tate sua. Et describit istum Johannem, sicut & alios, ab armatura sua, quæ erat campus aureus, cum tribus hircis currentibus; unde dicit:

*Che recherà la tasca co' i tre becchi.*

Et sic nota, quod Auctor describit unumquemque ab eo quod potest, vel a nobilitate, vel a dignitate, vel ab immensitate divitiarum. Non a Virtute, quæ non erat in eis. Isti ergo magni Milites certaverant pro bono publico faciendo teneri magnos Bancos in magnis Civitatibus ad subveniendum generaliter indigentiis omnium: Describit etiam generaliter omnes ab Insignio suo. Et hoc facit, ut ostendat, quod ipsi profitentur sponte, & publice, & verecunde suum infame officium, manifeste tenendo Bancum, & extendendo vela in signum Artis. Immo faciunt publice præconizari, quid facere intendunt, licèt hodie plures sunt Usurarii occulti, quam manifesti. Quia usura transivit diebus nostris ad Campsores, Mercatores, & Artifices; immo, quod est pudibundum dicere, ad Prælatos, Sacerdotes, & Fratres.

*Ad Cant. XVIII. Vers. 28.*

*Come i Roman per l'esercito molto &c.*

Est breviter sciendum, quod in MCCC. in quo Anno Auctor incepit istud nobile Opus, Papa Bonifacius VIII. tunc sedens in Sede Petri, dedit generalem Indulgentiam peccatorum in Urbe, ad quam (sicut vidimus in MCCCL.) cucurrit maxima multitudo ex omnibus regionibus & nationibus obedientibus Ecclesiæ Romanæ. Unde propter nimiam pressuram gentium in transitu Pontis supra Tiberim, ne aliqui a lateribus caderent in aquam & suffocarentur, inventus est utilis modus, scilicet ut peregrini euntes per Pontem, facerent de Ponte duas partes per longum, ita ut qui ibant ad Ecclesiam Sancti Petri per unam medietatem Pontis, respiciebant versùs Castellum Sancti Angeli, & illi, qui redibant ab Indulgentia, ibant per aliam medietatem respicientes versùs Montem. Et ecce modum transeundi Romipetarum;

*Che da l'un lato tutti hanno la fronte*
*Verso 'l Castello;*

Scilicet, Sancti Angeli. Ad quod notandum est, quod istud Castellum, de quo fit heic mentio, fuit olim Sepultura Adriani Imperatoris. Nam illi Principes antiqui aliquando sepeliebantur in altum, sicut patet in Columna lapidis Numidici, in qua sunt cineres Julii Cæsaris; aliquando sepeliebantur in basso, sicut Augustus, qui est sub alta Turri. Ita ad propositum. Ista alta & mirabilis Sepultura facta fuit super muro Civitatis Adriano valentissimo Imperatori. Et istud mirabile opus vocatum est *Sepulcrum Adriani* per multa secula. Postea tempore Gregorii I. dicitur apparuisse in summitate ejus unus Angelus cum ense in manu. Ideo denominatum est ab isto eventu *Castrum Sancti Angeli*. Proh dolor! Illud sumtuosum opus destructum & prostratum est de Anno præsenti MCCCLXXXIX. per Populum Romanum, quia fuerat aliquando detentum per fautores Roberti Cardinalis Gebennensis. Qui facto schismate pessimo factus est Antipapa contra Urbanum Sextum. Dicit ergo:

*- - - - - - - e vanno a Santo Pietro,*

Scilicet, pro Indulgentia;

*Da l'altra sponda vanno verso 'l Monte.*

Scilicet, ex alia extremitate vel medietate pontis. Hunc actum notaverat Auctor Anno

prædicto Jubilæi, quum ivisset ad Indulgentiam.

*Ad Verf.* 40.

*Mentre io andava, gli occhi miei in uno*
*Furo fcontrati;* - - - - - -

Auctor defcribit unum modernum infamatum fingulari lenocinio circa tempora Auctoris. Ad cujus cognitionem eft fciendum, quod ifte fuit quidam Miles Bononienfis de Caccianimicis de Bononia, vir quidem nobilis, liberalis, & placibilis. Qui tempore fuo fuit valde potens in Bononia favore Marchionis Eftenfis, qui fuit Azo III. qui geffit magnum bellum cum Bononienfibus, de quo dicetur Purgatorii Cant. V. Et tamdem procuravit fibi facere magnam partem in Bononia. Quæ vocata eft ob hoc *Pars Marchiana*. Ifte ergo Miles, nomine Veneticus, habuit unam fororem pulcherrimam, quam conduxit ad ferviendum Marchioni Azoni de fua pulcra perfona, ut fortius promereretur gratiam ejus. Ideo Auctor bene folvit fibi de tali fervitio.

*Ad Verf.* 51.

*Ma che ti mena a sì pungenti Salfe?*

Ad intelligentiam hujus literæ, ut videas, quot funt occulta & incognita in ifto Libro, volo te fcire, quod *Salfæ* eft quidam locus bene concavus & declivus extra Civitatem, & prope Sanctam Mariam in Monte, in quem folebant projici corpora defperatorum, fœneratorum, & aliorum infamatorum. Unde aliquando audivi pueros Bononiæ dicentes unum alteri ad improperium: *Tuus pater fuit projectus ad Salfas*. Ad propofitum ergo Auctor vult dicere: Qui ducit te ad Vallem tam infamem, ficut eft Vallis Salfarum apud Patriam tuam? Non ergo capias heic *Salfas* pro fapore, ficut communiter omnes exponunt, quia metaphora effet alia a propofito, ut per fe patet.

*Ad Verf.* 55.

*Io fui colui, che la Ghifola bella,*

fcilicet fororem meam, nomine Ghifolam, quæ vocabatur pulcra per excellentiam. Quales multas vidi Dominas Bononiæ de domo illa excedentes ceteras in pulcritudine.

*Conduffi a far la voglia del Marchefe:*

Scilicet Azonis III. Marchionis Eftenfis. Et vide, quod dicit fimpliciter *del Marchefe*. Quia per excellentiam, quando dicitur *Marchio*, & non exprimitur nomen, debet intelligi de *Marchione Eftenfi*, ratione generofitatis & Principatus antiqui. Et ifte Azo fuit fumme magnificus, & pulcherrimus corpore. Ideo bene debuit convenire, cum pulcherrima ad extinguendum flammam ardentis amoris fui. Et dicit Veneticus:

*Come che fuoni la fconcia novella.*

Quomodocumque hiftoria ifta non pulcra narretur; hoc pro tanto dicit, quod diverfa erat fama hujus facti in vulgo. Aliqui enim mitius loquentes dicebant, quod ifta pulcra fuit seducta & fubtracta fraude præter confcientiam fratris fui. Alii vero dicebant, quod dictus Marchio incognitus mutato habitu ivit Boniam, & intrans domum iftius fui amici, manifeftavit fe & caufam fui adventus. Et Veneticus quamvis effet de Caccianimicis, nefcivit iftum familiarem inimicum dejicere. Vult ergo Veneticus dicere uno verbo: Quidquid dicatur, ego pro rei veritate fui confcius hujus rei & culpabilis.

*E non pur' io* - - - -

Nunc ifte Veneticus venit ad aliquam excufationem fui. Quia culpa & infamia videtur minor, quando eft confueta & communis, etiam in enormibus & in omnibus criminibus, nedum in levi, quale eft lenocinium.

*E non pur' io quì piango Bolognefe:*

Ideft, punior in ifta prima bolgia ob iftud vitium:

*Anzi n'è quefto luoco* - - - -

Ideft, ifta prima vallis major & ceteris capacior;

- - - - - - - - *tanto pieno,*
*Che tante lingue non fon' ora apprefe,*

Ideft, nunc aptæ & difpofitæ;

*A dicer Sipa tra Savena e'l Reno.*

Quafi dicat, quia plures Bononienfes funt heic puniti tali vitio, quàm omnes Bononienfes, qui nunc vivunt Bononiæ. Et heic nota, quod aliqui volentes colorare factum, dicunt, quod debet intelligi, quod non funt plures Bononienfes, dicentes actualiter iftud vulgare *Sipa*. Et tunc effet fenfus, quod effent valde pauci lenones Bononiæ, quia pauci funt, qui dicant nunc in uno inftanti iftud vocabulum *Sipa*. Sed ifta non eft intentio Auctoris; immo iftud participium *apprefe* dicit heic aptitudinem, & non aptum, ita quod Auctor vult dicere, quod tot linguæ non funt accenfæ, ideft aptæ natæ ad dicendum *Sipa*. Et ita de omnibus intelligit. Quia linguæ infantium naturaliter & potentialiter funt difpofitæ ad dicendum hoc, licèt modo actualiter non dicant. Et tamen non videatur tibi dicere rem magnam, quando dicit, quod plures funt Bononienfes mortui puniti heic hoc vitio, quam fint vivi in Bononia: Quia non credo, quod fit aliqua Terra tam parva in mundo, de qua non fint plures lenones in Inferno, quam fint uno tempore viventes in Bononia, & loquentes vulgare Bononiæ. Et ifta Civitas eft hodie fatis purgata hoc vitio. Et tamen Auctor facit citius mentionem de una Terra ftudiofa & famofa, quàm de alia. Certe multæ funt Terræ & magnæ, in quibus magis viget iftud vitium in Italia, ut nihil de Parifius in Gallia dicam. Nota etiam, quod Auctor defcribit gentem Bononiæ ab idiomate & a fluminibus. Bononienfes enim utuntur ifto vocabulo *Sipa*, ubi ceteri Lombardi dicunt *Sia*. Bononia etiam habet ab una parte, fcilicet Occidentis versùs Lombardiam, flumen, quod dicitur Renus, fed non intelligit de Rheno maximo flumine, quod olim dividebat Germaniam a Gallia. Et ifte Renus Bononienfium habet aquam bonam non folum potabilem, fed ad Molendina, pulcherrime utilem, ad molendum frumentum, ad faciendum firicum, & ad alia multa neceffaria ad fuftentationem & ornatum humanæ vitæ. Habet & alium fluvium, qui dicitur Savena ex alio latere Orientis versùs Romandiolam. Habet & alium parvum Torrentem, qui dicitur Apofa, qui interfecat ipfam. Habet & montem fertilem & amœnum a parte Meridiei, qui eft quafi clypeus contra ventum Auftrum, quem Auctor tetigit faciendo mentionem de loco Salfarum, qui eft unum præcipitium in monte. Ex his breviffime habes nobilem fitum hujus amœniffimæ Civitatis, cujus fertilitatem & bonitatem in omnibus rebus non defcribo, tum quod viderer recedere a propofito, tum quia notorium eft omni nationi in toto Occidente, quod & ipfum nomen teftatur. Dicitur enim Bononia, quafi bona per omnia. Ideo bene eft omnibus linguis laudanda Bononia pinguis. Et confirmat Veneticus dictum fuum; unde dicit:

Re-

*Recati a men il nostro avaro seno*,
idest avaritiam, & cupiditatem. Et heic nota, quod Auctor capit heic avaritiam large. Nam Bononienses naturaliter & communiter non sunt avari in retinendo, sed tamen in capiendo. Illi enim, qui sunt vitiosi, ibi prodigaliter expendunt ultra vires suæ facultatis vel lucri. Ideo faciunt turpia lucra, aliquando cum ludis, aliquando cum furtis, aliquando cum lenociniis, exponendo filias, sorores, & uxores libidini, ut satisfaciant gulæ & voluptatibus suis. Ideo dicit:

*E se di ciò vuoi fede o testimonio*,
Quasi dicat: Non oportet, quod quæras aliam probationem, quia experientia fecit tibi fidem & testimonium de hoc. Et Veneticus dicit hoc, pro tanto, quia Dantes fuerat Bononiæ in Studio ad tempus, & ista omnia viderat, & notaverat. Et forte emerat ibi aliquid de tali merce ab aliquo Bononiensi, sicut sæpe Scholares faciunt. Vult ergo dicere Veneticus: Tu debes bene scire ista tamquam expertus.

- - - - - *Qui non son femine da conio*.
Et heic ex omnibus dictis potes colligere, quod Auctor noster non notat Bononienses, nisi in infamia minorum criminum, & levioris culpæ: quia pro rei veritate Bononienses non noverunt fraudes serpentinas, nec violentias crudeles, quibus Auctor infamat multas Nationes. Et verè Bononienses sunt homines curiales, dulcis sanguinis, & suavis naturæ. Qui super ceteros Italicos familiarius tractant forenses, & benignius fovent & honorant. Utar argumento Dantis. Non quæro aliam probationem, nisi experientiam, quia fui ibi per decennium.

*Ad Vers.* 115.

*E mentre che là giù con l'occhio cerco*;
Heic Auctor incipit tractare in speciali de quibusdam unctis tam suavi unguento. Et primo nominat unum virum modernum. Iste fuit quidam Alexius Miles dignitate, nobilis genere, natione Lucanus, naturâ blandissimus. Fuit enim de Interminellis de Luca; de qua stirpe ex linea materna fuit ille strenuus Castruccius Tyrannus cordatus & multum formidatus in tota Tuscia, qui fuit magnus malleus Florentinorum, Dominus Pisarum, Lucæ, & Pistorii. De quo Auctor noster non facit mentionem in Opere suo, quia claruit paulo post mortem ejus. Iste ergo Alexius ex prava consuetudine tantum delectabatur adulatione, quod nullum sermonem sciebat facere, quem non condiret oleo adulationis. Omnes ungebat, omnes lingebat, etiam vilissimos & mercenarios famulos. Et ut cito dicam, totus colabat, totus fœtebat adulatione. Ideo Auctor bene describit eum totum unctum ista fæce, ita ut non discerneretur ab habitu. Erat totus fœdatus a capite usque ad pedes. Dicit ergo:

*Vidi un col capo sì di merda lordo*,
Turpem capellum habebat;

*Che non parea, s'era Laico o Cherco*.
Ideo non discernebatur, utrum esset Sacerdos, vel Secularis, quia scilicet sciri non poterat, si habebat capillos, vel clericam.

*Ad Cant. XIX. Vers.* 18.

*Fatti per luoghi de' Battezzatori*:
Idest Sacerdotum ibidem baptizantium. Et Auctor incidenter commemorat unum casum satis peregrinum, qui emerserat antea in dicto loco. Qui casus fuit talis. Quum in Ecclesia *Sancti Johannis Florentiæ* circa Baptisterium colluderent pueri quidam, ut est de more, unus eorum furiosior aliis intravit unum istorum foraminum, & ita & taliter implicavit, & involvit membra sua, quod nulla arte, nullo ingenio poterat inde retrahi. Clamantibus ergo pueris, qui illum juvare non poterant, factus est in parva hora magnus concursus Populi. Et breviter nullo sciente aut potente succurrere puero periclitanti, supervenit Dantes, qui tunc erat de Prioribus Regentibus. Qui subito viso puero, clamare cœpit. *Ah quid facitis, gens ignara! Portetur una securis*. Et continuo portata securi, Dantes propriis manibus percussit lapidem, qui de marmore erat, & faciliter fregit. Ex quo puer quasi revivifcens a mortuis liber evasit.

*Ad Vers.* 52.

*Et ei gridò: se' tu già costì ritto*; &c.
Heic Auctor ponit responsionem illius spiritus, qui subalternaverat ipsum Auctorem, accipiens ipsum loco Bonifacii. Ad cujus peregrinæ fictionis intelligentiam est prævidendum, quod Papa Nicolaus de Ursinis sciebat per quamdam Prophetiam, quam viderat vivus, vel per revelationem alicujus Dæmonis, quod Papa Bonifacius debebat stare in Papatu annis VIII. & mensibus IX. Et quia Bonifacius erat primus Simoniacus post eum, ideo bene Auctor subtiliter fingit, quod ille audiens Auctorem, credidit ipsum esse Bonifacium, quia ad illam bolgiam non erant soliti ire nisi solummodo Simoniaci. Et numquam post mortem ejus venerat alius Papa Simoniacus. Ideo expectabat eum. Nec poterat imaginari, quod iste requirens eum, esset alius nisi Bonifacius. Et tamen summe mirabatur de ejus adventu intempestivo, quia expectabat eum post aliquot annos. Nunc ad literam. Dicit Auctor: *Et ei*: scilicet Nicolaus Papa, *gridò*, totus stupefactus, petens cum admiratione

*Se' tu già costì ritto, Bonifacio?*
Quasi dicat: Es tu jam tam cito heic præsens? Et repetit bis, sicut faciunt admirantes. Et tangit causam justæ admirationis dicens:

*Di parecchi anni mi mentì lo Scritto*.
Idest scriptura Prophetiæ, quam vidi, mentita fuit, & dixit mihi falsum, si verum est, quod tu sis Bonifacius. Et bene dixit, quia Bonifacius mortuus est in MCCCIII. Et Auctor habuit hanc visionem in MCCC. Ergo Bonifacius erat victurus adhuc duobus annis & mensibus novem. Ideo bene dicit *di parecchi anni*. Et sic nota, quod Bonifacius vivebat adhuc. Et Auctor cognoscens ipsum Simoniacum, vult ostendere illum vivum ad Infernum. Ideo bene fingit alium Simoniacum damnatum, qui expectabat eum, prædicere sibi hoc. Immo Auctor, quando ista scripsit, viderat pravam vitam Bonifacii, & ejus mortem rabidam. Ideo bene judicavit eum damnatum. Sed videtur prophetare de eo, quia habet respectum ad tempus facti. Nota etiam quod Bonifacius non fuit primus Papa immediate post Nicolaum, sed fuit primus Simoniacus: Nam duo fuerunt intermedii Pontifices, scilicet Papa Martinus de Turso bonæ conscientiæ, licèt malæ gulæ; & Cœlestinus, vir Sanctæ Vitæ, de quo dictum est III. Cantu hujus Inferni, & dicetur statim heic.

*Se' tu sì tosto* - - - - - - -
Heic dictus Nicolaus improperat Bonifacio duo mala. Primo quia Sponsam Christi fraudulenter assumsit de manu simplicis Pastoris. Secundo quia etiam eam more meretricio tractavit, simoniace vendendo eam, & tyrannice tra-

tractando. Ad quorum plenam evidentiam est sciendum, quod Anno Domini MCCXCIV. quum Cardinales essent in Civitate Perusii, & multum arctati a Perusinis, quia etiam fuerant sine Pastore plus duobus annis, non valentes concordare in aliquo, qui esset de Collegio, finaliter elegerunt quemdam Sanctum Virum, qui vocatus est Frater Petrus de Morono. Hic erat de Aprutio. Qui agens pœnitentiam, ordinatis pluribus Monasteriis sui Ordinis, ivit ad Montem Muronis, qui montanea est supra Sulmonem. Iste vocatus Papa Cœlestinus V. creavit duodecim Cardinales de mense Septembri, pro magna parte ultramontanos, ad petitionem Caroli II. Quo facto ivit cum tota Curia Neapolim. Erat autem vir simplex, illiteratus, inhabilis officio. Ideo quærebat viam, qua posset renuntiare Papatui. Inter Cardinales erat quidam Dominus Benedictus de Anagnia Civitate de provincia Campaniæ, vir per oppositum astutissimus ad quæque magna negotia & imperia mundi. Qui etiam affectabat summam dignitatem. Iste sagaciter explorata voluntate Caroli & Cardinalium, qui obtabant omnes mutare Pastorem, persuasit Cœlestino, ut faceret unam Decretalem, quod quilibet Papa posset renuntiare Papatui, exemplo Clementis I. Quo facto, dictus Cœlestinus in Festo Beatæ Luciæ in præsentia Cardinalium se spoliavit dignitate Pontificali, & renuntiato Papatu, redivit ad pœnitentiam cum magna alacritate, postquam sederat mensibus V. diebus VIII. Sed postea Bonifacius fecit eum capi in Monte Sancti Angeli in Apulia in loco, ubi se reduxerat, & private posuit eum in Arce Sulmonis in Campania, ne ille vivens posset præjudicare suæ electioni. Nam multi Christiani reputabant Cœlestinum verum & rectum Papam, non obstante renuntiatione, dicentes, quod tali dignitati non potuerat renuntiare; & quod licèt Clemens renuntiaverit, tamen fideles tenebant eum pro Patre, & postea oportuit, quod esset Papa post mortem electi. Cœlestinus ergo in dicto loco parum vixit; & die, quo mortuus est, fuit sepultus in una parvula Ecclesia Sulmonæ, quæ erat de ordine suo, & paupercule fuit positus sub terra ultra decem brachia, ne ejus corpus inveniretur. Igitur eodem Anno Bonifacius tantum operatus est cum Cardinalibus, & Carolo II. qui habebat pro se XII. Cardinales factos per Cœlestinum, quod creatus est in Papam. Nam vadens ad Carolum, dixit: *Bone Rex. Tuus Papa Cœlestinus voluit servire tibi in bello Siciliæ, sed nescivit. Sed si tu das operam, quod tui amici Cardinales eligant me in Papam, ego volam servire tibi, promittens sacramento apposito totum posse Ecclesiæ*. Tunc Carolus promisit & ordinavit, quod duodecim Cardinales amici sui darent sibi voces. Et isto modo Benedictus fuit electus Papa in Civitate Neapoli, & vocatus Bonifacius VIII. in Vigilia Nativitatis Christi. Qui statim electione facta, recessit cum Cardinalibus de Neapoli, & venit Romam, & multum laboravit pro Carolo pro acquirenda Sicilia. Hic Bonifacius fuit nobilis genere, magnus animo, plusquam deceat Sacerdotem, dominativus, amator honoris & status Ecclesiæ. Suâ potentiâ & prudentiâ multum formidatus fuit; multum pecuniosus, amplectens lucra sine conscientia, allegans, quod licitum erat omnia facere pro exaltatione Ecclesiæ. Magnificavit & ditavit summe suos. Nunc ad literam descendendum est. Dicit ergo Nicolaus Bonifacio:

*Se tu sì tosto di quell' aver sazio*,

Idest de thesauro magno,

*Per lo qual non temesti torre a 'nganno*,

Quia tot fraudibus usus fuit, ut audisti, ut eriperet Ecclesiam de manibus Cœlestini, qui tamen deceptus fuit, quia decipi voluit; quia bene cognoscebat ambitionem Bonifacii, & cessit consilio ejus, & hoc ipse quærebat & orabat. Et etiamsi numquam decepisset Cœlestinum, constabat, quod ipse fraude, non rectâ viâ, pervenit ad optatum. Dicit ergo:

*La bella Donna, e di poi farne strazio?*

Idest Ecclesiam, quæ est pulcra Sponsa Christi, inhoneste tractando eam, & prostituendo tamquam meretricem. Aliqui tamen dicunt, quod potest intelligi de quadam Comitissa Margarita, quam Bonifacius tradidit cuidam Nepoti suo. Sed sive hoc fecerit, sive non, Auctor non loquitur de alia *Donna*, quàm de Ecclesia, per quam acquisivit thesaurum magnum.

*Ad Vers. 72.*

*Che fu l'avere, e quì mi misi in borsa.*

Et heic ad cognoscendum, quis fuerit iste Papa, de quo debuissem dicere prius, quam de Bonifacio, quia præcessit eum, est sciendum, quod iste loquitur heic de exaltatione suorum, quæ fuit Anno Domini MCCLXXXVI. quo fuit factus Papa Nicolaus III. de Ursinis de Roma, qui vocabatur Johannes Guatanus. Hic dum fuit Clericus & Cardinalis, fuit honestus homo, & bonæ vitæ. Sed factus Papa factus est magnanimus calore suorum consortum, & multa fecit ad magnificandum suam Domum. Nam fuit primus, in cujus Curia palam committeretur Simonia per suos attinentes. Quapropter multum ditavit eos possessionibus, pecuniis, & Castellis, super omnes Romanos. Et in parvo tempore, quo vixit, fecit VII. Cardinales Romanos, ut plurimum suos attinentes. Inter alios fecit Dominum Jacobum de Columna consanguineum suum, ne Columnenses adhærerent Annibalensibus inimicis suis Et fuit reputata magna res. Quia Columnenses fuerant privati omni beneficio Ecclesiastico per Alexandrum III. quia faverant Friderico I. contra Ecclesiam. Nam Columnenses fuerant olim de Alemania. Et fecit fieri nobilia & magna Palatia juxta Sanctum Petrum. Fecit etiam sibi donari Civitatem Bononiæ & Comitatum Romandiolæ a Rodulpho Rege Romanorum, quia non fecerat transitum in Italiam, sicut promiserat. Quæ donatio non fuit reputata justa. Quia Rodulphus impeditus aliis suis bellis & brighis non potuerat pervenire ad benedictionem Imperialem. Sed quod Clerici capiunt, raro dimittunt. Et fecit Dominum Bertoldum Nepotem suum Comitem Romandiolæ; & Cardinalem Latinum, filium sororis suæ natum ex Brancaleonibus Romanis, fecit Legatum. Ex dictis ergo patet, quod Papa Nicolaus de Ursinis fuit cupidus pro exaltatione suorum.

*Ad Vers. 79.*

*Ma più e'l tempo già, che i piè mi cossi.*

Nunc Nicolaus prædicit alium Pontificem Simoniacum sequuturum post Bonifacium. Et ad cognitionem istius oportet præscire longam Historiam, quam non possum magna brevitate perstringere, ne dicam cum Horatio.

- - - - - *Quum brevis esse laboro*,

*Obscurus fio* . - - - - - - -

Res ergo sic se habet. Post mortem Bonifacii ele-

electus fuit Papa Benedictus XI. de Triviſio, qui fuerat Frater Prædicator, quem Papa Bonifacius fecerat Cardinalem propter virtutem & ſcientiam ſuam. Qui vixit in Papatu ſolis octo menſibus cum dimidio. Qui bonus erat, & extintus eſt veneno, ut quidam dixerunt. Mortuo Benedicto & ſepulto Peruſii, magna diſcordia fuit inter Cardinales. Erant enim diviſi in duas Sectas quaſi æquales. Et unius erat caput Dominus Matthæus Rubeus de Urſinis cum Domino Franciſco Guatano Nepote Bonifacii. Et alterius erat princeps Dominus Neapoleo de Urſinis, & Cardinalis Nicola de Prato, qui fuerat Frater Prædicator, vir magnæ ſcientiæ & ſingularis prudentiæ, qui volebat reponere Columnenſes in ſtatu. Quum ergo Cardinales ſtetiſſent octo menſibus incluſi in Conclavi a Peruſinis, & non poſſent convenire, Cardinalis Pratenſis ſagaciſſimus perſuaſit in ſecreto Domino Franciſco Guatano, quod eligeret in Papam Dominum Raymundum de Ghotto, Archiepiſcopum Burdigalenſem, inimicum Regis Franciæ, propter offenſam factam illis de Domo ſua per Carolum de Valois, fratrem ipſius Regis in bello Vaſconiæ; ut ſic Cardinalis Matthæus de Urſinis conſentiret cum parte ſua; quia Rex Franciæ Philippus Pulcher erat amicus Columnenſium, cum quibus deſtruxerat Bonifacium. Quo facto, Cardinalis de Prato cum parte ſua, ignorante parte Urſinorum, miſit ſecretiſſime & feſtinantiſſime Curſorem a Peruſio Pariſius cum literis ad Regem Philippum rogantibus, quod ſi volebat recuperare ſuum ſtatum cum Eccleſia, & relevare Columnenſes amicos ſuos, faceret ſibi de inimico amicum Dominum Raymundum Archiepiſcopum Burdegalenſem, qui erat electus tamquam inimicus Regis per aliam partem. Philippus ſolicitus ſtatim miſit literam amicabilem in Vaſconiam ad dictum Archiepiſcopum, quod veniret ſibi obviam, quia ibat ad eum, loquuturus ſibi pro ſuo magno commodo & honore. Et breviter Rex infra ſex dies fuit perſonaliter cum Archiepiſcopo ſecrete cum paucis in una Abbatia forinſeca. Ubi auditâ Miſsâ juraverunt credentiam ſibi invicem ſuper Altari. Et Rex Philippus præmiſſis aliquibus verbis placidis ad reconciliandum ipſum Archiepiſcopum cum Domino Carolo de Valois fratre Regis, qui vocatus eſt Carolus Sine-Terra, de quo alibi dictum eſt, & dicetur, dixit: *Vide, Archiepiſcope: in manu mea eſt facere te Papam, ſi volo. Ideo veni ad te. Et ſi promittis mihi facere gratias, quas petam, faciam tibi iſtum honorem*. Et ad robur dicti ſui continuo oſtendit ſibi literas. Tunc Vaſco cupidus ſummæ dignitatis, quaſi ſtupefactus gaudio, dejecit ſe ad pedes Regis, & dixit: *Domine mi, nunc cognoſco, quod diligitis me pluſquam hominem mundi. Et vultis mihi reddere bonum pro malo. Veſtrum ergo eſt præcipere. Meum autem parere*. Tunc Rex erexit eum, & oſculato ipſo per os, dixit: *Hæ ſunt gratiæ, quas volo. Primo, quod recommunices me perfectè Eccleſiæ, & remittas facinus perpetratum in Bonifacium, & recommunices me & meos ſequaces. Secundo, quod concedas mihi, & dones Decimas Regni per quinquennium, in ſubſidium expenſarum, quas feci in bello Flandriæ. Tertio, quod debeas deſtruere & annullare memoriam Bonifacii. Quarto, quod reddas Cardinalatum Jacobo & Petro de Columna. Quinto, quod deſtruas Ordinem Templariorum. Sexto, gratiam ſervo mihi ad tempus*. Tunc Archiepiſcopus juravit ſuper Corpus Chriſti omnia hæc ſibi facere. Et ultra hæc dedit ſibi in obſides unum fratrem ſuum, & duos nepotes. Et Rex juravit eum facere Papam. Hoc facto receſſerunt, & Rex duxit ſecum dictos obſides ſub colore amoris, ut reconciliaret eos Carolo fratri ſuo. Et reverſus Pariſius, ſtatim reſcripſit Cardinali de Prato & amicis de parte ſua, quod ſecure eligerent Dominum Raymundum in Papam, tamquam perfectum amicum. Et ſic trigeſima quinta die reſponſione factâ, Cardinalis de Prato conſenſu omnium elegit prædictum Papam. Et utraque pars cum magno gaudio cantavit *Te Deum laudamus*, ignorante parte Bonifacii partem commiſſam. Hæc electio facta eſt in MCCCV. die V. Junii. Et vacaverat Sedes menſibus X. diebus XXVII. Nunc ergo conſidera, Lector, ſi iſte Papa fuit creatus cum majori fraude, quàm Bonifacius. Sed Cardinales Italici ſuis diſcordiis & culpis bene fuerunt caſtigati à Vaſconibus: quia Curia tranſlata fuit ultra montes. Nam Archiepiſcopus præfatus præſentatâ ſibi electione apud Burdegalam, ſtatim acceptavit libenter. Et continuo citavit Cardinales, quod debeant ire Lugdunum ad ejus coronationem ſupra Rhodanum. Et fecit ſe vocari Clementem V. Et requiſivit Regem Franciæ & Aragoniæ, & omnes Barones Gallicos, ut adeſſent. Cardinales Italici fuerunt ex hoc multum confuſi & gravati. Et Dominus Matthæus Rubeus, vir antiquiſſimus, Prior Cardinalium, detecta fraude, dixit Cardinali Pratenſi: *Veniſti ad optatum; ſed tarde revertetur Eccleſia in Italiam*. Et Cardinali Neapoleoni dixit: *Heu miſer! Infelix! Hodie feciſti Caput mundi de gente ſine capite*. Congregatis igitur Cardinalibus apud Lugdunum, Papa fuit coronatus die XI. Novembris, in præſentia Regis Franciæ. Quem Regem juxta promiſſum Papa recommunicavit, & reſtituit ad omnes honores & dignitates, quibus Bonifacius privaverat eum; & donavit ſibi Decimas totius Regni per quinquennium. Et ad petitionem dicti Regis fecit duodecim Cardinales Vaſcones & Francos omnes, & amicos & officiales dicti Regis. Reſtituit etiam duos Cardinales de Columna ad omnes honores & dignitates, quibus fuerant privati a Bonifacio. His geſtis receſſit cum Cardinalibus & tota Curia ad ſuam Civitatem Burdegalam, ubi omnes tam Cardinales, quàm alii Italici fuerunt male tractati, quia Cardinales Gallici & Vaſcones regebant totum. Et dignum & juſtum fuit, & certe hodie eſt digniſſimum, & ſanctiſſimum, quum quidam Antipapæ Gebennenſi viro omnium vitioſiſſimo . . . . . . . . (a) Non ergo mireris, ſi Auctor noſter fecit artificioſam deſcriptionem de homine iſto, tam rapaci ſimoniaco. Et vide, ſi Auctor habuit materiam faciendi mentionem, & materiam de Papis, quum tres tales viderit diebus ſuis ſimoniacos, ſcilicet Nicolaum, Bonifacium, & prædictum Clementem. Nunc hora eſt redeundi ad literam. Dicit Nicolaus de Urſinis, quod Bonifacius ſtabit modicum plantatus reſpectu ſui:

*Ma più e 'l tempo che i piè mi coſſi*,

Quia flamma continuo adurebat pedes ejus;

*E ch' io ſon ſtato così ſotto ſopra*,

Scilicet, plantatus cum capite deorſum. Et bene dicit, quia ſteterat jam circa decem annos iſto modo;

*Ch' ei*

(a) *Heic nonnulla deſunt in Cod. MS.*

*Ch' ei* (scilicet Bonifacius) *non starà piantato co' piè rossi .*
Et bene dicit , quia Bonifacius stabit multum sic .
*Che dopo lui verrà di più laid' opra*
*Di ver Ponente un Pastor senza legge ;*
Scilicet , Clemens prædictus, turpior operum, & pejor quam Bonifacius , qui totus dissolutus fuit ; & omnes sui Cardinales intenderunt ad cumulandum . Et dicit :
*Verrà dopo lui* , scilicet post Bonifacium ; *di ver Ponente* ,
Ideſt de Gallia , quæ est in Occidente ,
*Tal che convien che lui e me ricopra .*
Quia scilicet infamia ejus extinguet infamiam Bonifacii , & mei .
*Novo Jason sarà .* - - - - - -
Heic Nicolaus describit fraudem istius Pastoris venturi , per simile tangens implicite quam conventionem habuit Clemens a Philippo .

Ad Vers. 97.

*Però ti stà ; che tu se' ben punito .*
Heic Auctor specialiter vituperat Nicolaum de eo, quod dixerat supra, scilicet quod accumulaverat pecuniam pro exaltatione Ursinorum, commemorans sibi unum singulare , quod fecit ad magnificandum suam Domum . Ad cujus intelligentiam est sciendum , quod iste Papa Nicolaus tentavit contrahere affinitatem cum Carolo I. Veteri , & voluit dare unam suam Neptem uni Nepoti ejus . Cui Carolus respondit : *Licèt habeat calceamenta rubea , non est ejus sanguis dignus nostra affinitate* . Ex quo indignatus privavit eum Senatu Urbis , & Vicariatu Tusciæ , quem habebat ab Ecclesia vacante Imperio . Et clam omnibus erat sibi hostis infestus . Unde consensit rebellioni Siciliæ, pro qua recepit magnam quantitatem pecuniæ, per manus Domini Johannis de Procida , qui rebellionem illam sagacissime ordinavit , ut habebis plene Cant. VIII. Purgatorii . Nunc ad literam . Dicit Auctor : *Però ti sta* , scilicet , ista pœna æterna :
*E guarda ben la mal tolta moneta* ,
simoniace & illicite acquisitam ; quia si Carolus non fuerat dignatus eum affinitate sua, non debebat ideo consentire rebellioni Siciliæ, quam habuerat ab Ecclesia , & acquisiverat sibi in sanguine multo .
*Ch'esser ti fece contra Carlo ardito .*
Quia licèt Nicolaus optaret destructionem Caroli, tamen non fuisset ausus dare operam proditioni Siciliæ , nisi electuarium auri confortasset debile cor suum .

Ad Cant. XX. Vers. 19.

*Se Dio ti lasci , Lettor , prender frutto*
*Di tua lezione* - - - -
Et heic nota , quod fructus hujus lectionis est , quod Lector discat expensis istorum , non inquirere vane futura , & dicere multa mendacia cum perditione animæ , & irrisione sui . Unde bene Petrus de Ebano Paduanus, vir singularis excellentiæ , veniens ad mortem , dixit amicis , Magistris , & Scholaribus , & Medicis circumstantibus, quod dederat operam præcipuam diebus suis tribus scientiis nobilibus ; quarum una fecerat eum subtilem, & hæc erat Philosophia . Secunda fecerat eum divitem , scilicet Medicina . Tertia vero mendacem , scilicet Astrologia . Dicam ergo una cum Averroë : *Astrologia nostri temporis nulla est* . Sed statim dicit Astrologus : Averroës non scivit Astrologiam . Sed Astra non mentiuntur . Cui ego respondebo : Des mihi illum , qui bene sciverit : quod numquam diebus vitæ meæ aliquem vidi , quum tamen habuerim notitiam , & familiaritatem multorum . Certe fateor, quod Astra non mentiuntur . Sed Astrologi bene mentiuntur de Astris . Et specificat compassionem magnam , quam habebat ad istos , & reprehensionem Vergilii ad se . Dicit ergo : Verè , Lector, non poteram tenere oculos siccos, immo
*Certo i' piangea , poggiato ad un de' rocchi* ,
ideſt , adhærens uni saxo
*Del duro scoglio* - - - - -
scilicet , illius pontis ;
- - - - - - - - *sì , che la mia scorta*
scilicet , Vergilius
*Mi disse : Ancor se' tu de gli altri sciocchi ?*
Et tu etiam es de numero aliorum fatuorum , qui injuste compatiuntur istis ? Et nota, quod Vergilius securè poterat arguere Dantem de isto errore , quia multo plus ipse fuit deditus huic vanitati divinationis , sicut patet maxime in Libro Georgicorum. Ideo cognoscebat se sæpe fuisse mentitum . Et probat , quod non sit compatiendum talibus , subdens sententiam nobilem , quum dicit :
*Quì vive la pietà , quand' è ben morta .*
Quasi dicat . Scis tu , quæ pietas debet haberi istis ? nullo modo dolere de pœna eorum ; sicut a simili loquendo Catholici , non esset pium , sed impium deplorare animam Neronis vel Judæ . Ergo vera pietas est , non habere pietatem hoc loco , sed crudelitatem contra tam crudeles , quorum alter prodidit naturam, alter vero Dominum ipsius naturæ. Ita in proposito . Non debes habere compassionem erga istos , qui ultra facultatem naturæ humanæ in tanta caligine rerum positi voluerunt ascendere cœlum viventes , & usurpare sibi divinum officium , inquirendo futura, illi soli cognita. Et verè in uno maxime non merentur compassionem , quia sunt obstinatissimi hominum in proposito suo , sicut ego vidi in multis . Nam quanto plus mentiuntur , tanto plus dicunt se dicere verum . Sicut ego novi unum , qui delusus & confusus per suam Astrologiam, immo potius Diabologiam , dum increparetur familiariter ab amico , adhuc pertinacissime contradicebat , commendans continuo dulcedinem istius Artis , quæ etsi est vera , non tamen scita . Ideo bene dicit Vergilius :
*Chi è più scelerato di colui*
*Ch' al giudicio divin passion porta ?*
Quasi dicat, quod nullus est crudelior eo , qui miseretur damnatis , divinâ justitiâ declaratâ .

Ad Vers. 61.

*Suso in Italia bella giace un Laco ;*
Heic Vergilius volens ostendere , quomodo Mantho post longum discursum venit in Italiam ad partes suas , incipiens a longe , primo describit Lacum Benacum , ex quo nascitur Mincius fluvius , & Lacus Mantuanus , ut sic deveniat ad locum primum originis suæ. Unde nota , quod Auctor bene fingit , quod Vergilius faciat hanc descriptionem , tum quia fuit Mantuanus , tum quia facit mentionem de ista Mantho & Lacu Benaco IX. Lib.Æneid. Dicit ergo :
- - - - - - - - *& ha nome Benaco .*
Intelligas , olim . Nunc enim vocatur Lacus Gardæ , & est pulcherrimus Lacus . *Giace* , quia planus est , *suso* , scilicet in mundo viventium , quia Vergilius in Inferno positus sub terra dicit ista verba Auctori : *In Italia bella* , quia nulla est pulcrior regio in mundo .

A

*A piè del' alpe, che serra la Magna,*
Ideſt in confinio inter Alemanniam & Italiam.
*Sopra Tiralli* - - - - -
Qui eſt unus Comitatus in introitu Alemanniæ, ubi regnant hodie quidam Comites Theotonici, qui vocantur Turones.
*Per mille fonti* - - - - -
Heic deſcribit Lacum a fontibus, & a confinibus. Dicit enim, quod ille Lacus *ſi bagna dell'acqua che ſtagna*, ideſt ſtans, non currens, *nel detto Laco*.
*Per mille fonti credo, e più ſi bagna*.
Loquitur ſub credulitate, ne poſſit errare. Sed certe credo, quod ſint plures quam mille quingenti. Innumerabiles enim fontes intrant Lacum iſtum. Inter alios eſt unus fluvius, qui vocatur Sarcha, qui tam impetuoſe cadit in Lacum, quod ex confractione aquæ albeſcit, ita ut currus farinæ cadere videatur. Per multitudinem ergo fontium notat abundantiam aquarum. Hic ſiquidem Lacus habet in longitudine XXXII. milliaria, in latitudine XVI. ad plus & VI. ad minus. Et turbatur ſæpe ad modum maris. Et eſt lucidus & perſpicuus ut cryſtallus.
*Tra Garda* - - - - - - -
quod eſt Caſtellum in ripa dicti Lacus versùs Veronam. Habet enim Lacus ex utraque parte multa Caſtella, & homines magnos & audaces, ſicut ſcribitur in Libro *de Proprietatibus Rerum*. Et habet magnam copiam olivarum.
- - - - - - *& Valdimonica* - - - -
Eſt una Vallis ſive contrata in territorio Brixienſi.
- - - - - - - - *Pennino*.
Mons eſt, qui dividit Italiam per medium, & claudit cum altis Alpibus ex parte Galliæ & Alemanniæ. Unde jam dixit:
*A piè dell'Alpe, che ſerra la Magna*.
Et ſic dicit idem heic. Et ſubdit convenientiam finium, dicens, quod quaſi circa medium iſtius Lacus concurrunt confinia trium Diœceſium. Unde dicit:
*Luogo è nel mezzo là*, - - - ,
Confinium Epiſcopatuum,
- - - - - - - *dove il Trentino*
*Paſtore*,
Ideſt Epiſcopus Tridentinus,
- - - - - - - *e quel di Breſcia* - - - -
Scilicet Paſtor, vel Epiſcopus,
- - - - - - - *e 'l Veroneſe*,
Scilicet Paſtor, vel Epiſcopus
*Segnar poria* - - - - - - - -
Ideſt, Signum Crucis facere,
- - - - - - - *ſe foſſe quel camino*,
Ideſt, ſi tranſirent per illam partem. Hoc pro tanto dicit, quod de jure Canonico Epiſcopus non poteſt ſignare extra Diœceſim ſuam. Modò quia heic terminantur tres jurisdictiones Diœceſium, poſſunt ob hoc ſignare tres Epiſcopi prædicti.
*Siede Peſchiera* - - - - - - - -
Heic Vergilius deſcribit in ſpeciali unum Caſtellum, poſitum in fine iſtius Lacus, ut ſic ordinate veniat ad ortum & principium Mincii fluminis Mantuani. Ad quod eſt ſciendum, quod in principio iſtius Lacus eſt unum Caſtellum pulcherrimum, quod dicitur *Ripa*, Diœceſis Tridentinæ. In fine verò eſt Caſtellum forte & pulcrum, quod dicitur *Peſchiera*, Diœceſis Veronenſis. Et in ipſo Lacu longe a Peſcheria, forte per ſex milliaria, eſt una parva Inſula, quæ dicitur *Sermione*, ubi vidi veſtigia magna vetuſtiſſimorum ædificiorum ſub terra. In qua Inſula morantur ſolùm piſcatores. Nec ibi naſcitur niſi oleum, in quo frigunt piſces, qui dicuntur *Carpiones*, qui ſunt piſces boni, & diu conſervabiles. Nunc ad literam. Dicit Vergilius:
- - - - - - *Peſchiera bello e forte arneſe*,
Ideſt, ornamentum, licèt iſtud vocabulum videatur uſurpatum, tamen ſimilitudine dici poteſt, quod arneſium cedit ad ornamentum domus, ita Peſcheria ad ornamentum illius Riperiæ. Eſt enim Peſcheria Caſtellum ſatis novum, munitum multis turribus, & arcibus, quaſi tutela totius contratæ. Ideo bene dicit;
*Da fronteggiar Breſciani e Bergamaſchi*:
Ideſt ad obviandum Brixienſibus:
*Ove la riva intorno più diſceſe*.
In fine aqua eſt baſſior, & incipit efluere & facere fluvium Mincium.

Ad Verſ. 94.

*Già fur le genti ſue dentro più ſpeſſe;*
*Prima che la mattia de' Caſalodi &c.*
Heic Vergilius, deſcriptâ origine Urbis ſuæ, tangit illius florem, ne forte quis infirmiorem ejus ſtatum hodie cernens, ignoraret magnificentiam primam. Mantua enim ſicut eſt pulcra Civitas, ita fuit olim opulenta, populoſa, & plena uſque ad tempora Comitum de Caſalodi. Ad quod ſciendum eſt, quod Caſalodi eſt Caſtellum in territorio Brixienſi, unde fuerunt olim Nobiles Comites, olim dominatores Civitatis Mantuæ, quos Pinamontes de Bonacoſis, Civis Mantuanus, fallaciter & ſagaciter ſeduxit. Erat ſiquidem Pinamontes magnus & audax, habens magnam ſequelam in Populo. Et quum Mantuæ eſſet multa Nobilitas odioſa, & infeſta Populo, Pinamontes perſuaſit Comiti Alberto tunc regenti, ut mitteret certos Nobiles, præcipue ſuſpectos, extra per Caſtella ad certum tempus, & ipſe interim placaret furiam Plebejorum iratorum. Quo facto cum magno tumultu & plauſu Populi ipſe invaſit dominium Mantuæ. Et continuo crudeliter exterminavit quaſi omnes Familias nobiles & famoſas, ferro & igne domos evertens, viros mactans, & relegans. Inter quos fuerunt Comites de Caſali Alto, illi de Ripa, illi de Arlotis, illi de Ganfarris, illi de Zanceculis, illi de Cacciaviris, illi de Bobus, aliqui de Hippolythis, aliqui de Saviola, & alii plurimi. Dicit ergo bene: *le genti ſue*, ſcilicet Mantuanæ, *fur più ſpeſſe dentro*. Nam audio, quod fere L. Familiæ fuerunt deſtructæ per Pinamontem proditione ſua. *Prima che la mattia*, ideſt *mera mattezza*, *mattana*; quia Comes ille fuit ita ſimplex & credulus, ut dictum eſt. Aliqui tamen dicunt, quod debet dici *la natia*, ideſt nativa; ſed iſti volunt honeſtare dictum. Sed debet dici *la mattia*.

Ad Verſ. 115.

*Quell' altro, che ne' fianchi è così poco,*
*Michele Scotto fu*. - - - - - -
Heic Vergilius notat alium divinatorem Latinum modernum Michaëlem Scottum, famoſum Aſtrologum Friderici II. de quo jam toties dictum eſt, & dicetur. Cui Imperatori ipſe Michaël fecit Librum pulcrum valde, quem vidi, in quo aperte curavit dare ſibi notitiam multorum naturalium, & inter alia multa dicit de iſtis auguriis. Et nota, quod Michaël Scottus miſcuit Necromantiam Aſtrologiæ. Ideo creditus eſt dicere multa vera. Prædixit enim quæ-

quædam de Civitatibus quibusdam Italiæ, quarum aliqua verificata videmus. Sicut de Mantua prædicta, de qua dixit:

*Mantua, væ tibi, tanto dolore plena!*

Male tamen prædixit mortem Domini sui Friderici, cui prædixerat, quod erat moriturus in Florentia; sed mortuus est in Florentiola in Apulia. Et sic Diabolus quasi semper fallit sub æquivoco. Michaël tamen dicitur prævidisse mortem suam, quam vitare non potuit. Præviderat enim se moriturum parvi lapilli casu in caput suum. Ideo sibi providerat, quia celatam ferream semper sub caputeo ad evitandum talem casum portabat. Sed semel dum intrasset in unam Ecclesiam, in qua pulsabatur ad Corpus Domini, removit caputium cum celata, ut honoraret Dominum; magis tamen, ut credo, ne notaretur a vulgo, quàm amore Christi, in quo parum credebat. Et ecce statim cecidit lapillus super caput nudum, & parum læsit cutim. Quo accepto & ponderato, Michaël reperit, quod tanti erat ponderis, quanti præviderat. Quare de morte sua certus, disposuit rebus suis, & eo vulnere mortuus est.

*Ad Vers.* 118.

*Vedi Guido Bonatti* - - - - - -

Heic Vergilius nominat alium divinatorem modernum Italicum. Ad cujus cognitionem est sciendum, quod iste Guido Bonatus fuit magnus Astrologus Comitis Guidonis de Monte Feltro famosi; & quum ipse Comes teneret Forlivium, patriam ipsius Guidonis in Romandiola, ubi erat princeps partis Gibellinæ, utebatur consilio ipsius Astrologi in omnibus agendis. Et satis constans opinio multorum fuit, quod ipse obtinuerit multas victorias contra Bononienses, & alios adversarios suos, operibus istius Guidonis. Iste Guido quamvis reputaretur a vulgo fatuus & phantasticus, tamen sæpe mirabiliter indicabat. Nam fecit Comitem prædictum exire contra Gallos, & ipse exiens simul cum eo, prædixit se vulnerandum in coxa, & sic accidit de facto. Unde statim medicavit se cum ovo & stuppa, quæ omnia portaverat secum, sicut ipsemet Guido scribit de se ipso. Nam Guido iste fecit Opus pulcrum & magnum in Astrologia, quod ego vidi. In quo tam clare tradit doctrinam de Astrologia, quod visus est velle docere feminas Astrologiam. Tamen iste tantus Astrologus male scivit præservare istum Comitem in dominio suo, quia post annum perdidit totum, ut habebis infra Cant. XXVII. Attamen cum tota sua Astrologia iste fuit turpiter delusus ab ignorante quodam rustico. Res jucunda narratur. Nam, quum Comes prædictus staret una die in Platea Forlivii pulcherrima & magna, venit unus rusticus montanarius, qui donavit sibi unam salmam Pirorum. Et quum Comes diceret: *Sta mecum in cœna*; respondit rusticus: *Domine, volo recedere, antequam pluat, quia infallibiliter erit hodie pluvia magna*. Comes de isto rustico miratus, statim fecit vocari ad se Guidonem Bonatum, tamquam magnum Astrologum, & dixit ei: *Audis quod dicit iste?* Respondit Guido: *Nescit quid dicat. Sed expectate modicum*. Ivit Guido ad studium suum, & accepto Astrolabio consideravit dispositionem cœli. Et reversus dixit, quod erat impossibile, quod plueret die illa. Rustico autem perseveranter affirmante dictum suum, dixit Guido: *Quomodo scis tu?* Respondit Rusticus: *quia hodie asinus meus in exitu stabuli vibravit caput, & erexit aures: Et semper, quando est solitus sic facere, certissimum est signum, quod tempus cito mutabitur.* Tunc replicavit Guido: *Posito quod sic sit, quomodo scis tu, quod ista pluvia erit magna.* Dixit ille: *Quia asinus meus auribus erectis transvertit caput, & rotavit plus solito.* Recessit ergo Rusticus cum licentia Comitis festinanter, timens multum de pluvia, quamvis tempus esset clarissimum. Et ecce post horam, cœpit tonare, & facta est magna effusio aquarum quasi diluvium. Tunc Guido cœpit clamare cum magna indignatione & risu: *Quis me delusit? quis me confudit?* Et fuit diu magnum solatium in Populo. Et hunc honorem fecit dominus Agaso magno Magistro Astrologo. Dicit ergo Vergilius:

*Vedi Guido Bonatti* - - - - - -

Et heic nota, quod Auctor ponit istum singularem Astrologum solum, quia fuit excellens, immo non habuit parem tempore suo. Unde non debes numerare Guidonem inter divinatores mechanicos, sicut quidam ignoranter fecerunt, decepti ex eo, quod Auctor post eum nominat divinatorem vulgarem, dicens:

- - - - - - - - *Vedi Asdente.*

Iste fuit quidam Calcifex de Parma, qui dimissâ arte suâ dedit se totum divinationi. Et sæpe multa ventura prædixit, quæ ventura erant, cum magna hominum admiratione: credo ego potius a natura, quàm a literatura, quum esset Literarum ignarus. Nam aliqui habent a cœlo, quod sint Astrologi, quales multos sæpe vidi. Asdente ergo visus est in aliquibus esse Propheta. Unde de eo inter alia audivi, quod prædixit, licèt obscure, qualiter Fridericus II. debebat facere Civitatem, quæ dicta est Victoria, contra Parmam, ubi fuerat debellatus, sicut fecit de facto. Unde dicit Auctor:

*Che aver' inteso al cuojo & a lo spago*
*Ora vorrebbe* - - - - - - - -

Idest de præsenti ad suendum calceos, sicut prius solitus erat facere. Et dicit:

- - - - - - - - *ma tardi si pente.*

Quia pœnitentia tarda est in Inferno; vel loquendo moraliter, quia istos, ut jam dictum est, numquam pœnitet, nisi quando sunt omnino consumti, vel confusi, immo raro, vel numquam.

*Ad Cant. XXI. Vers.* 15.

*Chi terzeruolo, & artimon rintoppa.*

Duo genera velorum. Heic nota, Lector, ut videas, quantum sit propriissima comparatio prædicta; & mirabilem phantasiam Auctoris, qui locum istum tam curiose describit, quem sæpe notaverat in Civitate Venetiarum, & per ipsum nobis figuraliter repræsentat generale & universale vitium Barateriæ. Ergo per Arsenatam intellige omnem Curiam sive Communitatum, sive Dominorum. Et maxime mihi videtur vidisse optimum exemplum in Curia Papæ.

*Ad Vers.* 38.

*Ecco un de gli Anzian di Santa Zita,*

Idest de Rectoribus, qui vocantur Antiani Lucæ, sicut etiam Bononiæ. Sed Florentiæ appellantur Priores. Et dicit *di Santa Zita*, quia Cita fuit femina sancta in Civitate Lucana, quæ multis claruit miraculis in vita, & post mortem, cujus Corpus adhuc integrum colitur ibi cum magna veneratione. Et heic nota, quod Auctor in isto Cantu punit solùm Baraterios, qui barataverant suum Commune,

sicut

ſicut patet ex verbis literæ. Nota etiam, quod Civitas Lucana habet egregios Baraterios in Communi, licèt habeat communiter legales Mercatores. Fingit ergo Auctor, quod iste portatus a Dæmone erat unus præcipuus Officialis ex illis.

*Ad Verſ.* 41.

*Ogni uom' v'è Barattier, fuorchè Bonturo.* Et heic nota, quod Auctor potius includit iſtum in numerum aliorum, quia loquitur ironice, quaſi dicat: Bonturus eſt ſummus. Nam Bonturus fuit Archibaraterius, quia ſagaciter ducebat & verſabat illud Commune totum, & dabat Officia, quibus volebat. Similiter excludebat quos volebat. Unde dum ſemel iviſſet Legatus ad Papam Bonifacium, Bonifacius, magnus mareſcalchus hominum, qui cognoſcebat laqueos ejus, cepit eum per brachium, & vibravit. Cui ille reſpondit: *Tu quaſſaſti dimidiam Lucam*. Et iſte erat forte nunc portatus a Dæmone. Audivi tamen aliquos dicentes, quod Bonturus iſte fuit bonus in Communi, & quod Auctor loquitur pie: quod non credo, quia Bonturus fuit bonus Barattator. Et bene convenit ſibi nomen, quia bene ſciebat obturare unum foramen vacuum. Et bene ſciebat tergere unam maculam infamiæ. Et audi ſi ſunt boni Baraterii Lucæ, quia

*Del nò per li denar vi ſi fa ita*,

Hoc eſt, quod de negatione fit ibi affirmatio, quaſi dicat, quod de Falſo fiat ibi Verum per pecuniam. Sed certe iſta regina pecunia habet iſtam potentiam, & majorem non ſolùm in parva Curia Lucæ, ſed in maxima Curia Romana. Et finaliter oſtendit, quomodo Dæmon vocatis ſociis, & recommendato ſibi iſto magno Antiano, dejecit ipſum inter brancas eorum.

*Ad Verſ.* 48.

*Gridar: Quì non ha luogo il Santo Volto.* Quaſi dicat: Heic non eſt opus voto vel prece, quia non potes recurrere ad Vultum Sanctum, ſicut ſolent facere Lucenſes in rebus adverſis. Ad cujus rei intelligentiam eſt ſciendum, quod ſicut reperi in quadam ſcriptura, apocrypha tamen, quidam Venerabilis Epiſcopus, nomine Gualfredus, dum gratiâ devotionis iviſſet Hieruſalem, & loca ſancta reverenter viſitaret, vidit in ſomno Angelum dicentem ſibi, ut exquireret ſanctiſſimum Vultum Salvatoris in domo cujuſdam Seleucii viri Chriſtianiſſimi, adhærenti domui ſuæ. Quoniam Nicodemus poſt Reſurrectionem & Aſcenſionem Chriſti, flagrans ejus amore, aſſignavit ſibi unam Imaginem viſibilem illius, quem tenebat in corde, conſideratâ omni formâ & proportione membrorum. Ideo *Vultus* appellatur, quia facies hominis dat cognitionem ejus. Nicodemus autem reliquit Imaginem hanc cuidam nomine Iſacar, qui propter metum Judæorum illam occultiſſime reconditam quotidie venerabatur, & ſucceſſive pervenit ad manus multorum hæredum. Epiſcopus narratâ viſione ceteris, acceſſit ad Seleucium, a quo magnâ arte & ingenio difficillime obtinuit dictam Imaginem, quam cum ſumma veneratione detulit uſque ad litus Civitatis Joppe, quæ poſtea dicta eſt Acon. Ubi divinitus oblata navis cooperta & onerata, ſine ope remorum vel velorum, acceptâ in ſe Imagine, acceſſit ad Portum Civitatis Lunæ; Lucenſes miraculo ſtupefacti, navim aggreſſi, numquam illam attingere potuerunt. Tunc quidam Epiſcopus Lucanus, nomine Johannes, admonitus ab Angelo, acceſſit ad Portum Lucenſem. Cui navis ſe ſponte obtulit. Et ſic tantum donum, omnibus cum ſumma veneratione concurrentibus, portatum eſt Lucam, & ibi depoſitum in Eccleſia Sancti Martini, ubi multa miracula fecit, & facit, ut dicunt Lucenſes. Tu de hoc crede quod vis, quia hoc non eſt de articulis Fidei. Lucenſes ergo habent de more facere orationes & oblationes ad iſtum Vultum Sanctum, præcipue quando indigent ſuccurſu. Ideo iſti Dæmones nunc improperabant iſti, quod non erat amplius locus heic Vultui Sancto. Et aſſignant cauſam hujus, quia non eſt heic ſpes refugii, ſicut in fluvio Lucano. Ideo dicunt:

*Quì ſi nuota altrimenti che nel Serchio.* Serchius eſt fluvius Lucanus, qui deſcendens ex altis montibus, labitur juxta mœnia Civitatis cum impetu.

*Ad Verſ.* 93.

*Sì ch' io temetti non teneſſer patto.* Nota, quod Auctor pulcre heic fingit, quod raro vel nunquam iſti Baraterii ſervant quod promittunt, niſi ſit eis uncta manus. Et deſcribit Auctor formam ſui timoris per unam comparationem ſatis ignotam. Ad cujus cognitionem eſt breviter ſciendum, quod Anno MCCLXXXIX. Lucani cum Florentinis equitibus & peditibus iverunt de menſe Auguſti in exercitu contra Civitatem Piſarum, & obſederunt Caſtellum, quod dicitur Caprona. Tamdem famuli manipulares, qui erant ibi deputati ad cuſtodiam & defenſionem, dederunt ſe ſalvis perſonis. Iſti ergo recedentes, dum tranſirent per medium exercitum, videntes hoſtes armatos, ibant cum maximo timore, ne trucidarentur,

*Veggendo sè tra nemici cotanti*, ſcilicet Florentinos & Lucenſes.

Heic nota, quod Auctor fuit perſonaliter in iſto exercitu. Erat enim tunc juvenis XXV. annorum. Et ibi vidit iſtum actum. Ideo libentius fecit iſtam comparationem, ut de ſe memoriam faceret, quia aliquando tractaverat arma. Quamvis comparatio, etiam non habito iſto reſpectu, ſit valde propria. Sicut enim illi famuli erant incluſi intra Caſtellum, unde non poterant evadere niſi per manus inimicorum, & ſicut famuli de Caprona, datâ licentiâ ibant inter hoſtes armatos, quibus fecerant magna damna, ſicut ſæpe dictum eſt, timentes pacta non ſervari, ita iſti promiſsâ ſibi impunitate ibant inter Dæmones armatos, quibus fecerant magna damna.

*Ad Verſ.* 111.

*Preſſo è un' altro ſcoglio, che via face.* Nota, quod ſub iſta ſubtili fictione Auctor dat intelligi artem magni Baraterii, qui quum videret quaſi libere expediviſſe hominem, tunc procurat ipſum fortiori laqueo implicare ſub colore ſani conſilii. Dicit enim: *Fili mi, tu numquam poſſes pervenire ad finem optatum eundo per viam rectam, licèt habeas juſtam cauſſam: quare oportet ut vadas per aliam viam. Et vide, talem eſſe, qui poteſt & vult expedire pauperes, quia eſt frater Papæ, & eſt pater miſericordiæ & clementiæ*. Teſtis eſt mihi Deus, quod iſtum caſum ego ſum expertus in me ipſo in Curia Romana in Avinione. Nam Theſaurarius Major Urbani V. quum diu tenuiſſet me ſuſpenſum ſub certa ſpe victoriæ, oſtendens ſe affectuoſiſſimum ad juſtiſſimam cauſam meam, poſt tempus videns, quod nihil dabam, ut ſperabat, cœpit me reſpicere tor-

torvo oculo, quum tamen esset obliquus oculis corporalibus, sed multo magis mentalibus. Et breviter deseruit me in scopulo desperatum. Et sic fecit more Malacodæ, quia docuit me aliam viam, quæ non erat in rerum natura.

*Ad Vers. 112.*

*Per più oltre cinqu' ore, che quest' hotta, &c.* Est autem heic notandum, quod Auctor per istam descriptionem temporis tangit occulte tempus, in quo incepit istud arduum Opus. Incepit enim, ut jam toties dictum est, in MCCC. circa medium mensis Martii, in die Veneris Sancti, quia Pascha tunc fuit Martiaticum. Et vult dicere allegorice, quod sicut per Mortem & Resurrectionem Christi humanum genus revixit a morte ad vitam, ita ipse Auctor divinâ gratiâ in tali die de morte & tenebrâ vitiorum reductus fuit ad claram viam, & vitam felicitatis æternæ. Nunc ad computationem annorum veniendo, Christus mortuus est Anno XXXIII. suæ ætatis, & quarto incipiente. Ergo si 34. Annis addas 1266. habebis Annos 1300. Vel vis dicere, quod Auctor incipit Millesimum ab Incarnatione, sicut Tusci capiunt: & tunc non oportet calculare illum Annum imperfectum, quia erunt 34. ànni integri. Nunc veni ad literam obscuram, quam ut clare intelligas, considera, quod iste incipit numerum Annorum a Morte Christi, non a Nativitate, vel Incarnatione ejus, ita quod totum tempus vitæ ejus Domini Jesu Christi non ponitur heic; ideo dicit:

*Mille Dugento con Sessanta Sei*
*Anni compier.* - - - - - - -

Et heic adverte, quod quando iste loquebatur, erat prima Hora diei Sabbati Sancti.

*Ad Cant. XXII. Vers. 2.*

*E cominciare stormo, e far lor mostra.*

Sicut est de more in castris, multis de causis & fit cum aliquo instrumento.

*E talvolta partir per loro scampo.*

Idest, fugere ad evitandum damnum & verecundiam, ad quod etiam solet dari certum signum. Et subdit Auctor, se etiam vidisse unam Terram tumultuare, in qua tumultuatione datur aliquod signum a partibus. Et hunc actum dicit expresse se vidisse in Civitate Aretii, quæ est confinis suæ patriæ Florentiæ. Ideo apostrophat ad ejus Cives dicens:

*Corridor vidi per la Terra vostra,*
*O Aretini* - - - - - - - - -

Idest, homines currentes in furore populari per Aretium Terram. Ad quod sciendum, quod aliqui dicunt, quod hoc accidit tempore, quo Gibellini fuerunt expulsi de Florentia, quia tunc Guelphi percurrerunt Civitatem more prædonio. Sed istud videtur impossibile, quia tunc Auctor non erat natus, aut erat parvulus. Alii dicunt, quod hoc fuit quando Tarlati de Petramala fuerunt expulsi in MCCCVII. Nec istud videtur posse etiam stare, quum Auctor nondum vidisset ista in MCCC. quando habuit istam suam visionem. Et ideo est heic considerandum, quod propter partialitates, quibus jamdiu misera Italia laceratur, multæ mutationes, tumultus, & vani furores fuerunt ex omni parte, & specialiter in Tuscia, ut sæpe patet in Libro isto. Et maxime in Civitate Aretina, sicut diebus istis vidimus de facto, quod sæpe mutationes & innovationes factæ sunt: ex quo deducta est ad desolationem. Quæ antiqua & nobilis Civitas quondam unum ex capitibus Tusciæ habebatur, teste Livio. Auctor ergo in juventute sua ante sui expulsionem de patria viderat istum tumultum, quem reperit aliquo casu, vel aliqua de causa. Dicit ergo

- - - - - - *E vidi gir gualdane,*

idest, Masinatas, Brigatas, in dicto tumultu Aretii, vel etiam alibi. Et sequitur:

*Ferir torniamenti* - - - - -

Heic considera, quod aliqui glorificare volentes suam patriam, dicunt, quod ista torniamenta & equisternia facta sunt Aretii tempore Guidonis de Tarlatis de Petramala, qui vir valentissimus Terram illam maxime exaltavit, & exornavit viris, viribus, muris, & omni opere pulcro. Sub quo multi viri militares exercebant se in istis rebus bellicis. Sed quidquid dicatur, istud est alienum a proposito, quia dictus Episcopus magnificus non claruit tempore Auctoris, immo post ejus mortem. Nec dubito, si novisset gesta ejus, non tacuisset omnino. Ideo dico, quod Auctor non refert amplius dictum suum ad Aretium, immo ad alias Terras, quia Auctor poterat vidisse ista spectacula Florentiæ, Bononiæ, & alibi.

*Ad Vers. 47.*

*Domandollo, ond' ei fosse, e quei rispose:*

Ponit responsionem illius pleniorem, quia ille interrogatus de gente vel de patria, describit se a gente, a parentibus, ab officio, ac insuper a vitio, quo damnatus est. Et ad evidentiam hujus rei peregrinæ, volo te scire, quod, prout imaginor, Dantes habuit Parisius istud, quum esset ibi gratiâ studii post indignam expulsionem suam; & quia notaverat inauditas fraudes & profundas malitias istius Diaboli, qui plus sciebat omni Diabolo, decrevit facere perpetuam memoriam de eo. Unde nota, quod iste infelix fuit natione Hispanus de Regno Navarræ, natus ex nobili matre, & vilissimo patre. Qui quum dilapidasset omnia sua bona, ut audio, tamdem desperate laqueo se suspendit, ita quod dicitur arborificatus in circulo violentorum contra se. Iste ergo filius vocatus est nomine Ciampolus, quem Mater sua nobilis Domina posuit ad standum cum quodam nobili Magnate; qui scivit ita sagaciter se habere, quod factus est in brevi illi carissimus. Et sic famâ prosperante, & favore domini coadjuvante, iste intravit Curiam Regis Thebaldi, qui ultra Reges Navarræ fuit Rex singularis justitiæ & clementiæ. Et summa sagacitate tam mirabiliter adeptus est gratiam & favorem Regis, quod Rex amoratus de eo, commisit totam Curiam regendam manibus ejus. Ita quod conferebat beneficia, & omnia ministrabat. Tunc cœpit astutissime barattare & accumulare. Et licet sæpe fieret querela de eo, Rex nihil credere volebat. Et sic crescebat continuò audacia audacissimo. Nunc ad Literam. Dicit Ciampolus Vergilio:

*Io fui del Regno di Navarra nato.*

Hispania habet quinque Regna in se, scilicet Regnum Castellæ, Aragoniam, Navarram, Portugallum, & Granatam, quæ est infidelis, quia per Saracenos detenta est. Et tangit fortunam suam, dicens:

*Mia Madre* - - - - - - -
*Che m'avea generato d'un ribaldo,*

Et ego non degeneravi. Quia fuit ribaldior eo. Nam omne ortum attestatur ei, a quo oritur:

*Distrugitor di se e di sue cose* -

ex duplici violentia,

- - - - - - *a servo d'un Signor mi pose,*

idest

ideſt, ad ſerviendum cuidam Nobili, poſt mortem patris. Deinde tangit officium ſuum, quum dicit:

*Poi fui famiglio del buon Re Tebaldo.*

Et heic nota, quod hoc notanter tangit, quia tacite vult dare intelligi, quod licèt eſſet factor optimi Domini, tamen erat peſſimus. Et ſic eſt valde periculoſum, quando Dominus eſt bonus, & habet Officiales pravos, quod faciant ſibi verecundiam & damnum ſine ſui ſcientia vel culpa. Et de multis legi & vidi. Sicut non eſt diu, quod Dominus Cluniacenſis, Legatus Urbani V. in Bononia, de ſe erat vir nobilis, bonus, & prudens, & habuit in Vicarium Bartholinum Ruynum Baratterium ribaldiſſimum, qui ſemper fecit ſibi infamiam & odium multorum. Nec umquam, neſcio quo diabolo cæcante, volebat audire malum de eo, & invitus dimiſit eum cum magna indignatione. Quanto laudabilius & prudentius egit Cambiſes Rex Perſarum, qui Judicem ſuum, qui tulerat ſententiam falſam pro pecunia, fecit excoriari, & pelle ejus ſedem judiciariam cooperiri? Deinde filium ejus juſſit in eadem Sede ſedere, ut ſemper memor paternæ pœnæ ageret juſte & fideliter cum omnibus. Talem mortem merebatur Ciampolus, quem, quia multos excoriaverat in vita, Auctor facit nunc ſic excoriari. Ciampolus ultimo tangit ſuum judicium, dicens:

*Quivi mi miſi a far baratteria,*

ſcilicet in Curia dicti Regis, dando officia & honores pro pecunia, quæ poterat juſte conferre ex officio ſuo.

*Ad Verſ.* 81.

*Et ei riſpoſe. Fu Frate Gomita.*

Ad cujus cognitionem eſt ſciendum, quod iſte Frater Gomita, de quo fit heic mentio, fuit Vicarius & Locumtenens Judicis Nini Piſani in Sardinia, ſummus Baratterius, quem finaliter ipſe Ninus fecit ſuſpendi, quia relaxaverat & liberaverat certos inimicos ejus, quos habebat ſub cuſtodia, pecuniâ corruptus. Unde te oportet ulterius ſcire, quod olim Januenſes & Piſani, duo potentiſſimi Populi in mari, confœderati inter ſe magnâ claſſe recuperaverunt Inſulam Sardiniam de manibus Barbarorum infidelium Africæ. Inſulâ recuperatâ convenerunt inter ſe, quod Januenſes avidi prædæ aſportarent quidquid prædæ eſſet ſuper terram, Piſani verò haberent ſolum nudum. Quo facto Piſani, reparatâ & reformatâ Inſulâ diviſerunt eam in quatuor partes, quas appellaverunt Judicatus. Et conſtituerunt quatuor Rectores, quos appellaverunt Judices. Nomina autem Judicatuum ſunt iſta. Primus vocatus eſt *Logodoro*, ideſt Locus aureus, quia iſta eſt pars fertilior & amœnior. Secundus *Calari*, & eſt nomen antiquum retentum. Ibi fuit olim famoſa Civitas, ut dicit Pomponius Mela. Tertius Judicatus dictus eſt *Arborea*. Quartus & ultimus *Gallura*, ſic vocatus a Comitibus Piſanis, quibus datus fuit iſte Judicatus, qui portant Gallum pro armatura, de quibus fuit prædictus Judex Ninus, olim expulſus de Civitate Piſana; de quo dicetur Purgatorii Cant. VIII. Et de iſto Judicatu fuit iſte Frater Gomita. Nunc ad literam. Dicit Auctor: *Et ei*, ideſt, ille Ciampolus, *riſpoſe*: Ille a quo receſſi, infortunio meo fuit *Frate Gomita*. Deſcribit ipſum a nomine proprio, a loco, & a vitio. Unde dicit.

*Quel di Gallura, vaſel d'ogni froda.*

Ac ſi dicat: Erat totus conflatus ex omni genere fraudum, armarium malitiæ omnis. Ideo erat dignus ſocius Ciampolo, ſolitus converſari libenter ſecum ſub pice. Et tangit in ſpeciali una baratteriam, quæ impoſuit finem fraudibus ejus; ex qua fuit ſuſpenſus cum uno uncino ferreo. Unde dicit:

*Ch' ebbe i nimici di ſuo Donno in mano,*

ideſt Judicis Nini, Domini ſui in poteſtate & bailia ſua. Sardi enim & Siculi vocant Dominos ſuos *Donnos*, ſicut Hiſpani, ſub quorum dominio utraque Inſula aliquando fuit, ut ſæpe patebit.

*Ad Verſ.* 88.

*Uſa non eſſo Donno Michel Zanche*
*Di Logodoro. - - - - - - -*

Heic etiam nominat alium Magiſtrum Baratterium de eadem Inſula Sardiniæ. Ad cujus cognitionem eſt ſciendum, quod iſte alter Sardus vocatus fuit Michaël Zanche, Factor matris Regis Entii, filii naturalis potentis Friderici II. & Vicarius ipſius Regis Entii. Qui fuit adeo ſolemnis Baratterius, & ita ſcivit ſolemniter natare ſub pice, quod mortuo ipſo Rege Entio in carcere Bononiæ, ipſe Michaël accepit matrem ejus in uxorem, & ſic factus eſt Dominus Judicatus Logodori. Dicit ergo

*- - - - - Donno Michel Zanche*
*Di Logodoro; - - - - -*

quia fuit de illo nobili Judicatu:

*Uſa con eſſo - - - - - -*

ſcilicet cum prædicto Fratre Gomita. Et oſtendit quare libenter converſantur invicem, quia confabulabantur inter ſe de multis & magnis baratteriis, quas faciebant in Sardinia. Unde dicit:

*Le lingue loro non ſi ſenton ſtanche,*

ſcilicet, linguæ Gomitæ & Michaëlis numquam ceſſant

*- - - - - - a dir di Sardigna*

quomodo barattabant ille Galluram, iſte Logodorum. Et ego tertius, quando ſum ibi, loquor ſemper de Navarra. Et vult dicere breviter: Nos ſumus tres boni ſocii, qui fuimus tres præcipui Barattatores trium optimorum Dominorum. Sed Ciampolus ſciebat plus ceteris, & tenuiſſet omnes ad ſcholam, ut ſtatim audies.

*Ad Cant. XXIII. Verſ.* 60.

*Piangendo, e nel ſembiante ſtanca e vinta.*

ſcilicet, de pœna eorum, vel moraliter, quia Hypocrita plorat amariſſime de induſtria more mulierculæ, ut oſtendat ſe pium & ſanctum coram Populo, quem decipit. Sicut ego vidi de facto nobilem Hypocritam, qui prædicaturus Paſſionem Domini de mane, potavit ſe multâ Malvaſiâ. Et ſic planctu & lacrymis fundebat malignitatem ſuæ mentis, & multa milia hominum provocavit ad plorandum ſecum. Nec fuit aliquis ita durus, qui non ſociaret eum in plangendo Paſſionem Domini. Et talibus inſidiis extirpavit in brevi pecunias multas, quibus poſtea emit unum bonum Epiſcopatum, ita quod lucrum hypocriſis convertit in Simoniam. Et dicit: *nel ſembiante ſtanca, e vinta*, ideſt in apparentia exteriori, qua iſti Hypocritæ ſimulant doloſe, ſe ferre aſperiorem vitam, & facere duriorem pœnitentiam, quàm poſſint pati, portantes aliquando cilicium; immo ferrum ad carnes, & catenas, quibus ligant mulierculas & credulos, quamvis de rei veritate talis pœnitentia ficta debeat nimis gravare & fatigare conſcientiam ſuam.

*Elli avean cappe con cappucci baſſi*

*Dinanzi agli occhi - - - - - - -*
Heic Auctor describit habitum proprium Hypocritarum, qui datâ operâ portant vestes viles, abjectas, sordidas, ut videantur bene despicere mundum cum pompis suis. Ideo specificat cappas istorum per comparationem capparum, quibus utuntur Monachi in Alemannia, qui portant habitum ita ineptum & informem, ut non videatur habere aliquam formam vestis, immo videtur quasi unus saccus.

*Ad Vers. 65.*

*Ma dentro tutte piombo, e gravi tanto,*
Quia in mente sunt imperfecti & obscuri, sicut plumbum, vitiis occultis. Et manifestat gravitatem capparum per unam comparationem pulcherrimam. Ad cujus intelligentiam volo, te notare, quod Fridericus II. Princeps sævissimus punitor eorum, qui dicebantur rei Majestatis, immo sæpe innocentes injustissime pœnis affecit. Sicut primogenitum fecit carcere mori, & Petrum de Vineis exoculari, & alios diversis pœnis macerari. Aliquando autem novo genere pœnæ punivit, qui fecerant contra Coronam. Nam faciebat fieri unam tunicam ex plumbo grossiori quasi unius unciæ, qua faciebat illum indui, ita quod ad modum cappæ tegebat totum corpus a capite usque ad pedes. Deinde faciebat poni in unum vas, sicut in caldariam, & ignem subjici, ita quod calor liquefaciebat plumbum, & homo similiter fundebatur cum plumbo, carne frustatim cadente. Et ecce comparatio est propria, sicut de se patet, de cappa plumbea & ponderosa ad cappam plumbeam ponderosam, de damnato ad damnatum, de crimine ad crimen. Sicut ergo Fridericus Imperator Romanorum rigide puniebat proditorem suum, ita Imperator Deus rigide punit Hypocritam, qui prodit eum.

*Ad Vers. 94.*

*Et io a lor. I' fui nato, e cresciuto*
*Sovra 'l bel Fiume d'Arno a la gran Villa.*
Quia usque ad trigesimum quintum annum steterat in patria, quando natura hominis amplius non crescit. Istius Fluvii descriptio habetur Purgatorii Cant. XIV. Et appellat Civitatem Florentiæ Villam more Gallico. Quæ Florentia est decus totius illius riperiæ, magna ambitu, potentiâ & opulentiâ, amœnitate & civilitate, ut patet per se. Et confirmat illud, quod illi superius dicebant inter se, scilicet quod vere est vivus: Unde dicit:
*E son col corpo, ch' i' ho sempre auto.*

*Ad Vers. 103.*

*Frati Godenti fummo - - - - -*
Ad cujus rei intelligentiam est sciendum, quod, sicut ego collegi ex Regula istorum Fratrum, quidam nobiles & divites viri, sicut Lodoringus de Andalò, Civis Bononiensis, Guamons de Caccianimicis, Raynerius de Adelardis de Mutina, & plures alii de Civitatibus eorumdem congregati, inter se habito colloquio & consilio, supplicaverunt Urbano Papæ IV. quatenus dignaretur dare eis certum Ordinem & Habitum, sub quo possent vivere libere & quiete in otio sanctæ contemplationis. Quorum precibus Urbanus condescendens, constituit eis Ordinem, qui intitulatus est *Ordo Militiæ Beatæ Virginis Mariæ gloriosæ*. Et dedit eis certam Regulam cum multis præceptis & observantiis, videlicet quod ferrent fræna eorum simplicia, non deaurata, non deargentata, & quod non irent ad convivia Secularium; non personarent, nec donarent Histrionibus; nec irent sine socio, Fratre, vel Consorte, vel alia persona honesta. Et ita de multis, quæ tam inutile quam longum esset enarrare. Dedit eis habitum nobilem, qui habet magnam similitudinem cum habitu Prædicatorum. Et pro Insignio Scutum albi coloris cum Cruce rubea. Ad propositum dicit ergo unus Fratrum istorum: *Frati Godenti fummo*, & utitur vulgari Bononiæ. Et heic nota, quod iste denominat Ordinem suum a vocabulo notiori & usitatiori. Nam a principio multi videntes formam habitus nobilis, & qualitatem vitæ, quia scilicet sine labore vitabant onera & gravamina publica, & splendide epulabantur in otio, cœperunt dicere: *Quales Fratres sunt isti? Certe sunt Fratres gaudentes.* Ex hoc obtentum est, ut sic vocentur vulgo usque in hodiernum diem, quum tamen proprio vocabulo vocarentur Milites Dominæ. Dicto, qui fuerunt, dicit unde fuerunt, quum dicit:
*- - - - - - - e Bolognesi;*
Iste enim Ordo habet caput & fundamentum Bononiæ; unde habent suum Monasterium principale extra Bononiam apud locum, qui dicitur Castrum Britorum. Et quidam istorum Fratrum sunt Sacerdotes, alii verò sunt Conjugati. Et tangit nomina dicens:
*Io Catellano - - - - - -*
Iste fuit nobilis vir de Catelanis de Bononia:
*- - - - - e costui Loderingo:*
Iste fuit de Andalis;
*Nomati; e da tua Terra insieme presi.*
Heic Catellanus narrat culpam suam, quæ fuit magna pars damnationis eorum. Ad quod oportet breviter scire, quod invalescente divisione partialitatum Florentiæ, mortuo Rege Manfredo, pars Gibellina multum tepuit, & Guelpha intumuit Florentiæ. Unde Populus, qui magis erat Guelphus quam Gibellinus, cœpit murmurare, & Guelphi confinati & banniti cœpernnt reducere se versus Civitatem & tenere tractatum cum amicis intrinsecis. Unde Cives conquerebantur de dominio Comitis Guidonis Novelli, qui erat ibi Vicarius pro Manfredo, memores damnorum receptorum apud Montem Apertum, ubi unus dimiserat patrem, alius filium, alius fratrem. Quapropter principes partis Gibellinæ, quæ tunc regebat Florentiæ, ad sedandum & contentandum Populum, elegerunt duos Milites Fratres Gaudentes de Bononia, quorum unus vocatus est Frater Catellanus de domo Guelpha, alter Frater Loderingus de Andalò de domo Gibellina. Isti duo Fratres facti Potestates Florentiæ per Populum positi fuerunt in Palatio Populi, ut asservarent statum Civitatis, & caverent ab expensis superfluis. Qui licèt essent divisi animo partialitatis, tamen sub tegmine falsæ hypocrisis fuerunt concordes magis ad eorum commodum privatum, quam commune bonum. Ordinaverunt ergo, quod XXXVI. homines Mercatores & Artifices de majoribus & melioribus deberent consulere prędictis duobus Potestatibus, & providere expensis Communis. De quorum numero fuerunt Guelphi & Gibellini, populares & magnates, non suspecti, qui remanserant in Civitate tempore expulsionis, quando Gibellini dato conflictu ad Montem Apertum, reintraverant Civitatem viribus Manfredi, ut jam scriptum est sæpe Cant. X. & XVI. Isti ergo XXXVI. convenientes simul omni die fecerunt bona statuta & ordinamenta, creantes Capitaneos & Consules cum Confalonibus, & Insigniis, ut obviarent violentiis & rumoribus. Propter dictas novitates

tes factas per dictos Potestates, & prædictos XXXVI. homines, Gibellini magnates Florentiæ, sicut Uberti, Lamberti, Sifantes, Scholares, & alii magnarum domorum, ceperunt suspicionem partialitatis, quia videbatur eis, quod prædicti XXXVI. homines faverent Guelphis, qui remanserant in Florentia. Propter quod Comes Guido Novellus Vicarius territus de recenti victoria, quam habuerat Carolus de Manfredo, misit pro gentibus ad omnes Civitates amicas, scilicet Pisas, Senas, Aretium, Pistorium, Pratum, Vulterras. Quia tunc quasi tota Tuscia erat sub parte Gibellina. Ita quod cum D. equitibus accidit quod Comes Guido volebat, quod imponeretur collecta pro solvendo Theotonicis prædictis. Et dicti XXXVI. quærebant per alium modum invenire pecuniam cum minori gravamine Populi. Et quum distulissent pluribus diebus, quam videretur ipsi Comiti & magnatibus Gibellinis, illi suspicantes propter novum ordinem datum in Populo, decreverunt tumultuare & destruere Officium XXXVI. cum favore, & militia dicti Comitis Guidonis. Et primi, qui exierunt armati, fuerunt Uberti, clamantes: *Ubi sunt isti latrones XXXVI.?* Illi autem aggregati in loco solito, diffugerunt. Et sic totus Populus, clausis apothecis, fuit sub armis. Et ut cito dicam, Comes Guido videns, quod non poterat frangere Populum, venit cum tota militia ad Palatium, ubi erant duo Potestates, in Platea Sancti Apollinaris, & petiit claves Portarum ab illis. Quibus habitis, viliter recessit, quum tamen esset fortior & potentior Populo. Et de sero pervenit Pratum. Hoc autem factum est die Sancti Martini XI. Novembris, Anno Domini nostri Jesu Christi MCCLXVI. Exclusis ergo magnatibus Gibellinis, Florentini reformaverunt Civitatem, sicut eis placuit, & miserunt extra istos duos Potestates, qui consenserant tacite huic facto. De mense Januarii sequenti Florentini reduxerunt omnes in Civitatem, & fecerunt multa matrimonia ad firmandam pacem, quæ tamen modicum duravit. Nam Guelphi elati victoriâ Caroli, secrete miserunt ad eum pro gente, & pro uno Capitaneo. Qui misit Comitem Guidonem de Monforte, cum DCCC. militibus Franciæ. Qui pervenit Florentiam die Resurrectionis Dominicæ MCCLXVII. Cujus adventum Gibellini sentientes, nocte præcedenti exiverunt Florentia inredituri. Ad propositum ergo. Iste Frater Catellanus tangit causam & effectum vocationis eorum, quia scilicet fuerunt vocati ad præservandam pacem, & pepererunt perpetuum scandalum, corrupti a Guelphis. Et sic peccaverunt per hypocrisim & baratteriam, quæ punitur in bolgia præcedenti. Ideo noster Auctor meritò locavit istos vicinos baratteriis. Ex omnibus ergo narratis potes clare intelligere literam istam. Ad quam nunc revertere. Dicit ergo Frater Catellanus Danti: Nos duo *Presi*, ideft electi & accepti, *insieme*, ad unum officium, ad unum finem, *da tua Terra*, scilicet Florentiâ tuâ patriâ,

*Per conservar sua pace*, - - - -

quæ erat tunc in periculo & periclitatione. Et ecce quomodo fuerunt vocati a Florentinis,

*Come suole esser tolto un' uom solingo*,

ideft, solitarius, solus. Quasi dicat, sicut solet vocari Florentiam unus solus Potestas, nunc fuerunt vocati duo ad regimen Civitatis. Et non exponas *solingo*, ideft, solitarium, sicut aliqui exponunt, dicentes, quod aliquando solet accidere, quod homo solitarius abstrahitur a solitudine & religione ad sedandas discordias, vel gubernandas dignitates, sicut dictum est supra de Cœlestino Cant. XIX. Sed sic dicentes ignorant historiam facti. Unde nota, quod inter alia præcepta Regulæ istorum Fratrum est unum, scilicet quod non assumant publica Officia, nisi pro bono pacis, sicut heic; & quod non ferant arma, nisi pro defensione Fidei & Ecclesiasticæ libertatis. Et subdit, quomodo fecerunt contrarium, dicens:

- - - - *E fummo tali*,

ideft, tales Conservatores pacis,

*Ch' ancor si pare intorno dal Gardingo*.

Quasi dicat: adhuc apparent vestigia veterum ruinarum Florentiæ, quarum fuimus Auctores. Guardingus enim erat eo tempore una Contrata, ubi fuerunt Domus Ubertorum, quæ principaliter fuerunt destructæ a fundamentis, juxta Sanctum Petrum Scaradium, juxta Palatium Priorum, ubi stant hodie Leones Florentiæ. Sed de omni re cito est vindicta. Nam Loderingus Gibellinus, qui fuerat causa, quod nobiles Guelphi de Florentia expellerentur, & quod eorum Palatia destruerentur, postea fuit expulsus de Florentia cum suis consortibus, & aliis nobilibus Ghibellinis, & palatia eorum funditus eversa. Quorum ruinæ adhuc apparent Bononiæ juxta Studium Legistarum. Catellani in totum defecerunt, nec aliquid apparet de eis, nisi Turris satis alta, quæ sæpe solet fulminari.

*Ad Vers.* 120.

*Qualunque passa, come ei pesa pria*.

Per hoc autem Auctor pulcre figurat, quod hypocrisis istius fuit fundamentum omnium malorum. Quia ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, quantum in se est, capiunt & decipiunt. Nam sub colore boni faciunt magna damna & nocumenta aliis. Sicut quidam Cardinalis volens obviare, ne quidam Canonicus Sancti Petri promoveretur ad Cardinalatum dixit Papæ: *Pater Sancte; rem pessimam facis. Nam Ecclesia Petri remanebit desolata & deserta, quia homo iste est pater & patronus istius nobilis Ecclesiæ, diligens Custos Sudarii, & omnium rerum sacrarum Beati Petri*. Ita fecit Cardinalis de Prato in electione Clementis V. ut dictum est in Cant. XIX. Et ita possem dicere de mille.

*Ad Vers.* 140.

*Poi disse. Mal contava la bisogna*.

Ideft falso dicebat illud, quod expediebat nobis, quia fallaciter docuerat eos, quod irent ad dexteram, quia invenirent viam, & mentiebantur; sed volebant reducere eos in laqueum & retinere in Curia sua, sicut est de arte Baratteriorum, cum mendaciis detinere homines diu in Curia. Quod optime confirmat exemplo claro contingere in ipsa Curia Romana Poëta novissimus Petrarcha. Scribit enim quod tempore, quo erat in Avinione, duo de Cardinalibus, in quibus orbis terræ, & ostium Domus Dei vertitur, semel revertebantur a palatio Summi Pontificis, stipati densâ acie famulorum. Magna autem turba miserorum expectantium stabat ad portam, quibus illa Civitas, odiosa Deo, semper est plena perdendo spes vanissimas, animam, vitam, divitias, & omne tempus. Qui visis protectoribus suis, immo verius proditoribus, in quibus spem habebant, cœperunt circumstrepere, & quisque petere, quæ fortuna, & quis status rerum esset suarum penes Pontificem. [illegible]

unus Cardinalium, non mutatus in aliquo, in re subita, tamquam ille, qui jam dudum talibus assueverat, non tactus aliquâ verecundiâ suâ, vel miseriâ miserorum, mirabilis mendaciorum artifex, cœpit respondere singulis, quid spei haberet, aut quid Papa respondisset super negotio suo, & sic fronte meretricia omnes a se dimittebat. Quorum aliqui recedebant facie hilari, aliqui tristi pro qualitate responsi. Tunc alter Cardinalis nobilioris naturæ, & verecundioris animi, & qui, nisi fuisset de illo Collegio, potuisset esse vir bonus, convertens se ad collegam, jocose dixit ei: *Numne te pudet ludificare istos credulos, & pro libito tuo fingere responsa Pontificis, quem sicut scis, non solùm hodie, sed jam multis diebus elapsis non potuimus videre?* Ille verò Baratterius veteranus respondit: *Immo potius te pudeat esse tam tardum ingenio, ut tanto tempore mores Curiæ non potueris didicisse.* Quo audito, omnes audientes in risum prorumpentes, & laudantes nobile responsum illius nebulonis, dicebant istum esse virum sagacissimum, qui didicisset tam promte mentiri & fallere. Ipse verò Petrarcha præsens, hæc audiens, conversus est in stuporem, & inclinavit caput non cum minori indignatione & iracundia, quàm heic Vergilius detecto mendacio Malacodæ.

*E'l Frate - - - - - -*

Heic Auctor ostendit, qualiter Frater ille probavit Vergilio, quod non debebat fidere Diabolo, qui numquam dicit verum. Dicit ergo: *E'l Frate*, scilicet Catellanus, dicit Vergilio indignanti:

*- - - - I' udì già dir' a Bologna*,

a loco, quia Bononia est in Italia, Mater studiorum, & nutrix omnium Scientiarum.

*Del Diavol vitii assai, tra' quali udì*,

scilicet a Legentibus & Prædicantibus,

*Ch' egli è bugiardo, e padre di menzogna*:

juxta illud: *Diabolus est mendax, & pater mendacii*.

*Ad Cant. XXIV. Vers. 124.*

*Vita bestial mi piaque e non umana.*

Nota, quod iste fuit verè mulus naturaliter, & moraliter, quia fuit spurius, natus de spurio. Mulus enim nascitur ex damnato coitu, scilicet ex equa & asino; & plus sequitur asinum, quàm equam, licèt vocaverit se nepotem Equi coram Leone. Est etiam animal durum, aptum laboribus, & verberibus, retrogradum, pertinax. Et talis erat iste fur omnibus infestus. Mulus est irrationabilis & incorrigibilis. De quo dicit Propheta in Psalmis: *Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus* &c. Deinde describit se a nomine proprio dicens:

*Si come a mul, ch' io fui. Son Vanni Fucci, Bestia; - - -*

Deinde describit se a patria dicens:

*- - - E Pistoia mi fu degna tana*

Idest, fui natus de Civitate Pistorii, Terrâ dignâ de tali filio, quia scilicet aliquando producit Cives tam sceleratos. Et servat metaphoram. Quia enim vocaverat se feram, ideo patriam suam vocat tanam, idest cavernam talium spirituum serpentinorum.

*Ad Vers. 137.*

*- - - - - - - Perch' io fui*

*Ladro a la Sagrestia de' belli arredi.*

Heic fur explicat suum notabile furtum, per quod est damnatus heic. Ad cujus rei intelligentiam volo te scire, quod iste Vannes, venenosus serpens, fuit filius spurius Domini Fuccii de Lazaris de Pistorio, vir sceleratissimus; & ad omne facinus audacissimus. Et quia erat de nobili genere, multos excessus sæpe faciebat impune. Et quamvis bannitus sæpe propter multa maleficia enormia, nequiter & nefarie perpetrata, tamen aliquando de nocte stabat in Civitate, & cum pravissimis conversabatur. Accidit autem semel tempore Carnisprivii, quod, quum cœnasset cum quibusdam de sua conditione, qui fuerunt circa decem & octo numero, dixerunt isti inter se, quod volebant ire matutinatum ad procas eorum. Erat autem inter istos quidam Ser Vannes de la nóva, famosus Notarius Pistoriensis. Accesserunt ergo omnes ad matutinandum ad domum procæ istius Ser Vannis, qui stabat prope Episcopatum. Societate itaque sonante & cantante, Vannes Fucii, cujus animus non pascebatur talibus solatiis, acceptis duobus sociis secrete, ne ceteri perpenderent, accessit ad Episcopalem Ecclesiam, quæ vocatur Sanctus Jacobus. Et breviter, Sacerdotibus ibidem absentibus, quia forte iverant per tripudia, sicut est de more fieri tali nocte, vel fixe dormientibus, nimio cibo gravatis, Vannes iste vi & fraude intravit Sacristiam dictæ Ecclesiæ, & illam spoliavit pretiosis jocalibus. Et revertentes cum thesauro magno ad ejus socios propalaverunt furtum. Qui territi sunt nimis. Tamen quia factum erat, portaverunt jocalia ipsa ad domum illius Ser Vannis Notarii, imaginantes, quod numquam esset suspicio de tali homine bonæ famæ, & quia propinquior erat loco. Mane autem facto, notificato furto Potestati per Canonicos ipsius Ecclesiæ, magnum murmur fuit in Civitate de tam nobili thesauro. Potestas proclamatione facta cœpit facere diligentem inquisitionem. Et diu duravit, quod nihil poterat explorari. Finaliter instillatum est auribus Potestatis, quod quidam juvenis, nomine Rampinus, filius Francisci de Forensis nobilis viri de Pistorio, erat malæ conditionis & famæ, qui verisimiliter debebat rapuisse ista sacra. Rampinus continuo captus, positus fuit ad torturam; sed nihil manifestavit, tamquam insons facti & inscius. Parentes istius ob hoc conquerebantur in Populo amicis & omnibus, cum planctis & precibus, ne juvenis innocens moreretur injuste. Potestas contra istum induratus, statuit sibi terminum trium dierum ad resignandum furtum, aliter suspenderetur. Unde parentes & amici deliberaverunt, quod nocte præcedente diem Justitiæ, invaderent ferro & igne palatium Potestatis. Et in die termini Vannes, qui erat extra in Comitatu Florentiæ in Monte Carelli, misit pro patre Rampini, & narravit sibi totum factum. Ille reversus celeriter hoc retulit Potestati. Qui Potestas continue capi fecit illum Vannem Notarium primo Lunæ Quadragesimæ, quum ivisset ad unum Sermonem ad locum Fratrum Minorum. Qui captus est cum magno murmure omnium, quia erat homo bonæ famæ. Maleficio post hoc detecto, multi hujus conscii aufugerunt. Narravit ipse Vannes, quod sæpe cum fidis sociis tentaverat asportare dictum thesaurum; sed videbatur sibi semper videre familiam Potestatis, quæ perquirebat omnes. Scitâ itaque veritate, & recuperato thesauro, Rampinus fuit liberatus, & Vannes Notarius suspensus. Et nota, ne fallaris sub æquivoco, quod tres fuerunt Vannes in isto maleficio, scilicet Vannes Fuccii, principalis auctor furti, & Vannes de la Nova, reten-

retentor furti, & quidam tertius Vannes de Laminona Florentinus, socius furti. Nunc ad literam. Dicit Vannes Fuccii fur:

*I' non posso negar - - - -*

quia si possem, libenter facerem propter verecundiam;

*- - - - - quel, che tu chiedi.*

scilicet, dicere quâ culpâ heic sum damnatus, & cruciatus. Et ecce culpam:

*In giù son messo tanto, - - - -*

scilicet, in bolgia VII. furum, ubi debuissem esse positus multo superius, scilicet in circulo violentorum;

*- - - - - perch' io fui*

*Ladro a la Sagrestia de' belli arredi.*

Ideft, quia furatus fui pulcra arnesia Ecclesiæ Cathedralis de Pistorio. Et adverte, quod per excellentiam dicit pulcra. Quia fortè in tota Italia non est alia Sacristia ditior istâ, ceteris paribus. Et quia Vannes accusavit se, ideo excusat alium, qui fuerat falsò accusatus. Unde dicit:

*E falsamente già fu apposto altrui,*

scilicet, Rampino prædicto. Et sic nota, quod infamia facit credi omnia mala de homine, quæ numquam cogitavit. Nota etiam, quod pravorum conversatio inducit hominem ad tam infelicem finem. Nam Notarius iste, qui erat homo civilis & honoratus, contra velle suum factus est particeps furti, quod per se numquam somniasset, & tam infami morte peremtus est.

*Ma perchè di tal vista tu non godi;*

Heic Vannes prædictus, qui invite dixerat Auctori suam verecundiam præteritam, ideo nunc in vindictam prænuntiat sibi iniuriam in brevi futuram. Ad hujus intelligentiam oportet præscire, quod in MCCC. quo Anno Dantes incepit hoc Opus egregium, Civitas Pistorii erat in satis magno flore. Et in ea tunc præcipue vigebat Domus Cancellariorum, quorum familia erat numerosa valde, ita quod habebat ultra centum homines ex uno sanguine, & potens ultra omnes Domos, nedum Pistorii, sed totius Tusciæ. In qua erat magnus Militum numerus. Domus ergo ista ex lite natâ inter eos, quæ ortum habuit ab uno pessimo, de quo dicetur in Cant. XXXII. divisa fuit in duas partes, scilicet Albos & Nigros, & tota Civitas divisa est cum illis. Florentini autem timentes præjudicium Terræ, immiscuerunt se huic discordiæ intestinæ, & extraxerunt de Pistorio utramque partem, & miserunt Florentiam ad confinia, tam cæci judices eorum, quia statim ista contagio infecit eorum Civitatem. In qua statim factæ sunt eædem partes, de quibus dictum est supra Cant. VI. Anno verò sequenti pars Alba Pistorii de mense Madii cum favore & auxilio partis Albæ, quæ vigebat Florentiæ, perculit partem Nigram, & destruxit palatia eorum. Nigri deinde venerunt contra Pistorium, duce Marcello Marchione Malaspina. Contra quos exierunt Albi, & debellati sunt in campo, sicut Auctor videtur dicere in litera. Alii tamen volunt, quod Auctor respiciat ad unam obsidionem & captionem Pistorii, quæ fuit post aliquot Annos. Unde ulterius volo te scire, quod in MCCCV. quum pars Alba esset expulsa de Florentia, & quasi ubique de tota Tuscia, præterquam de Civitate Pistorii, quæ tunc tenebatur per partem Albam, cum favore Pisanorum, Aretinorum, & etiam Bononiensium, ubi vigebat pars Alba, Florentini

A dubitantes, ne cresceret eorum potentia, vocaverunt in Capitaneum Robertum Ducem Calabriæ, filium Caroli II. qui post fuit Rex Robertus; & fecerunt exercitum contra Pistorium cum Lucensibus & aliis sociis Tusciæ. Et breviter, magno conatu cinxerunt eam vallo & fossa, ita quod nullus poterat intrare vel exire. Sed intus erat quidam unus Tolosanus de Ubertis cum CC. equitibus & multis peditibus. Interim Papa Clemens misit suos ambasciatores Vascones, mandans exercitui & Duci, quod recederent ab obsidione. Robertus recessit dimisso exercitu, & ivit Burdegalam. Florentini noluerunt parêre. Pugna erat continuo dura & crudelis, quia intus erant multi valentes armigeri. Et quicumque egrediebatur, si erat vir, amputabatur sibi pes; si mulier, nasus. Et remittebantur in civitatem per quemdam Fratrem Landonum de Eugubio, virum sceleratum, & inhumanum. Pistorienses autem tam pertinaciter restiterunt, quod comederunt omnia horrenda usibus humanis. Tamdem deficientibus omnino victualibus, reddiderunt se, salvis personis, die X. Aprilis, Anno Domini MCCCVI. Florentini & Lucenses fecerunt prosterni mœnia & steccata Civitatis, & plures Turres, & multa fortilicia dirui. Et diviserunt Comitatum Pistorii inter se. Dominium verò Civitatis remansit Florentinis. Et tali modo deleta & destructa fuit arrogantia Pistoriensium. Et eodem Anno Bononienses ad suasionem Florentinorum facto tumultu expulerunt principes partis Albæ, & fecerunt ligam cum Florentinis & Lucensibus. Ad propositum ergo redeundo, Vannes Fucii, qui erat de parte Nigra de Pistorio, prænuntiat Danti, qui erat de parte Alba de Florentia, expulsionem primo partis Nigræ de utraque Terra, deinde reversionem ejusdem partis Nigræ ad Florentiam & Pistorium cum victoria. Nunc ad literam redeundum est, quam sic ordina. Dicit Vannes:

*Apri gli orecchi al mio annuntio, & odi,*

D ideft, meo pronostico, quia dicam rem displicituram tibi.

*Pistoia in pria de' Neri si dimagra,*

ideft, primo spoliabitur Nigris;

*Poi Firenze rinnova gente e modi.*

Quia scilicet ibi etiam expellitur pars Nigra, quæ postea revertitur. Et expellit aliam de Florentia, sicut clare scriptum est supra Cant. VI. Finaliter postea Nigra reintrat Florentiam, & expellit Albam: unde dicit: ***Marte***, ideft infusio Martis, qui est Deus belli, ***tragge vapor***, ideft ardorem bellicum, scilicet Marchionem Marcellum prædictum, virum strenuum armorum.

*- - - - - di Val di Magra.*

E Hæc Vallis appellatur hodie Lunisana a Civitate Lunæ antiquissima, de qua dictum est alibi. In qua Valle habitant Marchiones Malaspinæ antiquissimi, de quibus fit mentio & commentatio magna in Cant. IX. Purgatorii. Macra autem est fluvius impetuosus, qui labitur per dictam Vallem, ut dicetur ibi & alibi.

*Ch' è di torbidi nuvoli involuto,*

Ideft, qui vapor turbationibus bellicis.

*E con tempesta impetuosa & agra,*

Quia magno impetu irruet contra Pistorium, & more tempestatis, illius gentem prosternet impetuose. Et ecce tempestatem belli:

*Sopra campo Picen fia combattuto;*

Ideft, in agro Pistoriensi pugna fiet. Et heic nota, quod Picenus appellatur hodie illa regio

gio Italiæ, quæ nunc appellatur Marchia Anconitata. Et Picenum appellatus est campus apud Pistorium, in quo olim debellatus fuit Catilina. ut patet apud Sallustium. Et ut fertur, ibi est hodie Castellum, quod vocatur Picentium longe a Pistorio per tria milliaria.

*Ad Cant. XXV. Vers. antipenultimo:*

*Et era quei, che sol de' tre compagni,*
*Che venner prima, non era mutato.*

Quia, ut patuit supra, tres socii apparuerunt simul primò Auctori, scilicet Angelus, Bosius, & Puctius, quorum duo jam sunt mutati, scilicet Angelus, & Bosius. Restabat ergo Puctius solus, de cujus mutatione Auctor non intendit dicere, quia satis est ostensa triplex transformatio in triplici specie furum. Et ultimo specificat alium, qui erat nuper renovatus in hoc, scilicet Guertius de Cavalcantibus. Iste Miles vocatus est Dominus Franciscus Guertius de Cavalcantibus de Florentia, qui fuit occisus ab hominibus de quadam Villa Comitatus Florentiæ, quæ vocatur Gaville. Ex quo nata est magna guerra inter Cavalcantes, & prædictos. Et multi ex illis rusticis in vindictam interfecti fuerunt ab istis Nobilibus. Ideo Auctor apostrophat ad ipsam Villam dicens:

*L'altro era quel - - - - -*

scilicet, Guertius fur;

*- - - - - che tu Gaville piagni.*

idest, ploras, quia multas mortes tuorum vidisti per mortem istius unius: propter quod habes materiam planctus.

*Ad Cant. XXVI. ad Vers. primum.*

*Godi, Firenze, poi che se' sì grande.*

Hoc dicit in obprobrium, ac si dicat: Tu non potes lætari, immo debes tristari & verecundari; *poichè se' sì grande*. Est enim Florentia verè magna multiplicitate, ambitu murorum, altitudine domorum, & multitudine habitatorum. Ideo dicit:

*Che per mare e per terra batti l'ali.*

Idest, volas per mare & per terram. Hoc dicit, quia Florentini discurrunt fere per totum mundum, mare & terras. Et quod est pejus,

*E per lo 'nferno il tuo nome si spande.*

Et loquitur tam de Inferno morali, quam de essentiali, quia in omni genere pravorum vitiorum, in omni genere suppliciorum, Auctor ponit multos de gente sua. Quod facile patet discurrenti per totum Librum Inferni. Tamen plures posuit de suis, quos melius noverat, quam de aliis. Unde bene vidit de aliis magnis Civitatibus aliquos Nobiles simul sociatos ire ad furandum.

*Ad Vers. 7.*

*Ma se presso al mattin del ver si sogna;*

Heic Auctor ex præmissis arguit, quod male deberet succedere Florentiæ. Unde auguratur sibi infelicitatem de proximo eventuram, ostendens quod non erit impunita diu. Et reflectit ad suam visionem principalem, in qua fingit se prævidisse quidquid scribit. Et vult breviter dicere, quod si ejus visio non fuit vana, Florentia cito luet pœnas suorum scelerum propter multa ventura, quæ optant sibi multi. Dicit ergo:

*Tu sentirai di quà da picciol tempo.*

Hoc est dicere, in brevi;

*Di quel, che Prato, non ch'altri, t'agogna.*

Quasi dicat, de eo malo, quod vicini tui, subditi tibi, latrant contra te, imprecando tibi magna mala. Est enim Pratum nobile Castrum inter Florentiam & Pistorium. Cujus habitatores male contentabantur de dominio Florentinorum. Et sicut est de more subditorum, optabant illis destructionem, vel depressionem. Et dicit:

*- - - - - - non ch'altri,*

idest, nedum extranei, & inimici tui, sicut Pisani, Aretini, & alii multi. Et heic nota, quod aliqui ignoranter dicunt, quod Auctor nescíverit quid dixerit, quia ab isto tempore citra Florentia de die in diem semper fuit in magno flore, & multum extendit alas potentiæ suæ supra vicinos suos. Ergo non in brevi evenerunt ea, quæ sui vicini & adversarii imprecati fuerunt sibi. Ad quod potest responderi, quod ista prænuntiatio erat verificata, quando Auctor ista scribebat. Quia per ea tempora, quibus Auctor exulavit a patria, multa & magna mala evenerunt illi Urbi, sicut bella civilia, incendia, spolia, & alia magna dispendia & scandala. Et ut videas, quod de proximo ista mala evenerant, volo te scire, quod in MCCCIII. Cardinalis de Prato prædictus, nomine Nicola, vir astutissimus & sagacissimus, parum diligens Florentinos, missus est Florentiam a Papa Benedicto XI. qui successit Magistro Bonifacio, nam volebat pacificare Florentinos tunc discordes. Sed non valens concordare eos, dixit: ***Ex quo non vultis benedictionem, remanete in maledictione***. Et excommunicavit Civitatem. Anno sequenti, quum speraretur, quod Dominus Cardinalis poneret pacem inter Cives Florentinos, secundùm eorum morem antiquum, fecerunt in Kalendis Maji magnum festum. Et unusquisque certatim conabatur facere nova spectacula. Inter alios illi de Burgo Sancti Fridiani fecerunt proclamari publice, quod quicumque vellet scire nova de alio Mundo, deberet venire in Kalendis Maji ad Pontem Carrariæ. Et in Arno flumine ordinaverunt solaria super barchis & naviculis. Et fecerunt quamdam simulatam repræsentationem Inferni cum ignibus, & aliis pœnis & suppliciis; & homines transfiguratos, & Dæmones horribiles, & alios modos sub specie animarum. Et videbantur Dæmones mittere animas intra ista varia & crudelia tormenta cum maximis clamoribus & horrendis stridoribus visu & auditu. Novitate cujus spectaculi totus Populus cucurrit ad videndum. Unde Pons Carrariæ, qui tunc erat de lignamine, onustus magna multitudine, cecidit in Arnum cum iis, qui erant desuper. Ex quo multi mortui sunt & suffocati, & multi de persona destructi. Ita quod Ludus confictus conversus est in rem veram. Nam multi, qui spectabant Infernum simulatum, iverunt ad Infernum verum, & sciverunt nova de alio Mundo. Et juxta proclamationem banni, facti sunt veri planctus & stridores mortuorum, percussorum, & eorum, qui stabant ad videndum. Quia quilibet habebat, vel habere credebat sibi filium, vel fratrem, vel consanguineum, vel amicum. Et hoc fuit augurium alterius majoris damni de proximo venturi ipsi Civitati. Nam eodem Anno factum est bellum civile in Florentia inter Albos & Nigros. Et quum essent omnes sub armis, & Albi quasi essent victores, quia Dominus Cursius de Donatis non impediebat se, tum quod erat podagrosus, tum quia discors cum magnatibus de sua parte magna, non permisit Deus, quod incendium corporale extingueret incendium animorum in furore Civium. Nam flagrante rumore quidam de Abbatibus . . . . Clericus, Prior Sancti Petri

tri in Scaradio, vir sceleratus & dissolutus, immisit ignem artificialem primo in domos suorum Consortum in horto Sancti Michaelis; & fuit tam furiosus ignis, quod flante Austro, arserunt domus multarum clarissimarum Familiarum de Terra illa. Et in summâ tota melior pars Civitatis arsit. Et fuerunt circa duo mille & ducentae domus. Damnum thesaurorum, mercantiarum, & ceterarum supellectilium fuit inaestimabile. Et id, quod non urebatur, capiebatur manibus praedonum, qui continuo pugnabant in multis partibus Civitatis. Ex quo multae familiae, progenies, & societates fuerunt desolatae, & venerunt ad inopiam ex dicto incendio. Et praedicta pestis accidit Florentiae die X. Junii. Et ex hoc Cavalcantes, qui tunc erant Caporales illius Sectae, fuerunt banniti tamquam rebelles. Ex praedictis satis patet, quod magna mala cito venerunt super Florentiam, secundùm quod optaverant sibi illi de Prato. Et sicut dicebam, Auctor potuit habere respectum ad ista & ad alia mala, quae ista Civitas passa erat tempore suo. Et si habuit respectum ad futura, adhuc bene dixit. Quia tempus, quod videtur longum quantum ad vulgares, breve apparuit Astrologis. Et Auctor loquitur multum prudenter & caute, quia dat tempus incertum.

*Ad Cant. XXVII. Vers. 23.*

*Non t'incresca restare a parlar meco.*

Certe non dubito, quod Rex Latinus, Turnus, & Megentius, de quibus Vergilius fecit tot praeconia, ut de ceteris minoribus taceam, non valuerint tantum in rebus mundi, quantum iste Comes Guido, Malatesta, Maghinardus, & alii multi in Romandiola, de quibus statim dicetur in isto Cantu. Et probat, quod Vergilium non debeat taedere remanere ad locum istum secum, ostendens suam ardentem affectionem, quam habet ad loquendum cum isto Domino, dicens:

*Vedi, che non incresce a me, & ardo.*

Et heic nota, quod heic non habet locum loquendi de Inferno essentiali, quia numquam potest esse ibi alienatio poenae, sed debet intelligi moraliter. Aliquando enim contingit, quod quis non videtur quasi sentire poenam suam, quando loquitur cum viro eloquentissimo, cujus eloquii suavitas fecit ipsum oblivisci doloris, sicut vidi de facto, quod aliquando infirmans fecit sibi portari Dantem, quum arderet calore febris ad aliqualem recreationem.

*Se' tu pur mò in questo mondo cieco &c.*

Heic Guido Comes de Montefeltro suam petitionem patenter exponendo de statu Romandiolae dicit:

*Dimmi, se Romagnuoli han pace o guerra.*

Adverte, quod statim oritur dubium circa istam petitionem, quum iste Comes fuerit Dominus Urbini, & praedecessores & successores sui usque ad tempora moderna, & petit de statu Romandiolae, quum haberet dominium in Marchia Anconitana. Dicam breviter, quod dictus Comes, & totum genus suum fuit de Romandiola, scilicet de Montefeltro, ut ipse statim dicet. Praeterea ipse fecit magnalia sua in Romandiola, de quibus praecipue dicetur heic. Et dicit sic:

*Se tu pur mò in questo &c.*

idest, in istum Infernum, & specialiter in ista bolgia VIII. quae est maxime coeca. Quia isti licèt sint in flammis lucentibus, tamen nihil vident. Et ita in rei veritate, moraliter loquendo, in mundo nostro isti, qui reputantur ita subtiles & oculati, in fine reperiuntur aridiores & coeciores aliis.

*Caduto se' di quella dolce Terra*
*Latina; - - - - - -*

idest, de Romandiola, quae inter alias provincias Italiae est maxime amoena, & omnium bonorum fertilis.

*- - - - ond'io mia colpa tutta reco.*

idest, in ea Terra exercui magnas calliditates, quibus obtinui magnas victorias. Et hoc pro tanto dicit Comes, quia imaginabatur, quod Auctor esset aliquis astutus, damnatus, qui nuper venisset ad poenam. Unde ad intelligendam istam literam est breviter sciendum, quod iste Comes famosus & felix in proelio, saepe terram Romandiolae madefecit sanguine multo. Nam a multis notatum est, quod iste Comes factus Capitaneus belli in Romandiola, dedit decem & septem conflictus adversariis suis, & praecipue Bononiensibus, qui cum numeroso exercitu venerant ad vastandum agros Faventinorum, ubi Bononienses exules, qui dicebantur Lambertacii, erant receptati. Scilicet Anno Domini MCCLXXV. Comes Guido cum exulibus Bononiensibus & aliis suis invasit Bononiam apud Pontem Sancti Proculi, qui distat a Faventia per tria milliaria. Quorum Dux erat Malatesta Primus de Arimino. Equites Bononiensium ad primum aspectum hostium trepidantes, fugam rapuerunt. Acies vero peditum videntes suos praecipites fugerunt, & firmaverunt fugam. Comes superveniens fecit denuntiari eis, ut facerent deditionem, antequam crudeliter perderentur. Quod illi negantes, condensati sunt inter se taliter, quod stabant fixi quasi immobiles, ita ut vires non haberent ad arma movenda. Ex quo irruentibus hostibus facta est magna caedes, praecipue ab exulibus Bononiensibus magis astu contra, quam ferro, se se opponebant, & siti, calore, & angustiâ moriebantur. Hostes victores ditati spoliis sunt hostium. Aliqui tamen credunt, quod iste miserabilis conflictus non solùm operâ Comitis Guidonis, sed etiam operâ alterius Comitis, qui erat ex parte Bononiensium, evenerit. Nam quidam Comes de Panico dicitur proclamasse in fuga: *Popule marcide, lege Statuta*. Et subdit confirmationem suae petitionis, dicens. Ideo petitionem peto de Romandiola, quia fui de partibus illis. Unde dicit:

*Ch'i' fui de' monti,*

quasi dicat: *Fui di Monte Feltro*. Nam Mons Feltrus est una Contrata in Romandiola, continens multos montes & multa Castella, ut alibi: Et sic vide, quod isti Comites fuerunt de Romandiola, quum extenderunt suum dominium in Marchiam. Sicut & Malatesta de eadem Contrata diebus nostris, habuit & Anconam, quae est caput illius provinciae, & Esculum, quod fuit olim caput ejus, & alias multas Civitates & Terras. Et sicut Ugucio de Fagiola de eisdem montibus, qui habuit dominium in Tuscia in Civitate Pisana & Lucana. Et tangit confinia dicens:

*- - - - - - là intra Orbino.*

Urbinum est Civitas in Marchia Anconitana, circa confinia Romandiolae, ubi isti Comites dominati sunt jam per tot tempora, quod non exstat memoria.

*E'l giogo, - - - - - -*

scilicet, montis Arimini;

*- - - - - - di che Tever si disserra.*

idest, de quo jugo oritur fluvius Tiberis, qui ori-

oritur in Alpibus, quæ dividunt Romandiolam a Tuscia ex parte ipsius Tusciæ ex opposito Montis Feltri. Qui Tiberis est fluvius famosissimus, non tantum ratione suæ magnitudinis, quantum ratione Urbis Romæ, quam irrigat.

*Io era in giuso - - - - - -*

Ista est secunda pars generalis, in qua Auctor respondens ad petitionem Comitis describit statum Romandiolæ. Et primo describit, quomodo Vergilius nunc dedit sibi licentiam loquendi cum isto Comite, dicens:

*Io era in giuso ancor attento e chino*,

quia stabat in culmine pontis inclinatus ad audiendum attente verba Comitis.

*Quando il mio Duca mi tentò di costa*

idest, a latere, vel *discosto*, idest adstitit,

*Dicendo: parla tu: - - - -*

Quasi dicat: habe nunc tu vicem;

*- - - - - - Questi è Latino*;

Quia hucusque loquutus fui cum Ulysse Græco. Jam tu nunc loquere cum isto Comite Latino; cujus causa assignata est superius in præcedenti Cantu. Deinde tangit responsionem, dicens:

*Et io, ch'avea già pronta la risposta*,

quam præcontexeram, imaginans me responsurum illi;

*Senza indugio a parlar' incominciai*.

Quia bene sciebam, quomodo stabat tunc provincia Romandiolæ, contigua Tusciæ, cœpi ego dicere:

*O anima, che se' là giù nascosta*,

scilicet inclusa in igne, quam videre non possum.

*Romagna tua, - - - - - -*

in qua fecisti tibi famam,

*- - - - - - non è, e non fu mai*

*Senza guerra - - - - - -*

intellige, postquam cœpit habere Tyrannos;

*- - - - - - ne i cor de' suoi Tiranni*,

qui sæpe bellum meditantur:

*Ma palese nessuna or ven lasciai*.

Idest, nunc actualiter; quia in MCCC. nullum erat bellum patens in Romandiola, unde nota, quod iste Comes, tamquam ex parte, meritò mirabatur, quod Romandiola posset usquam stare in pace. Ideo sic petivit. Et Auctor sic respondit, & bene, quia Romandiola, postquam pervenit ad manus Tyrannorum, numquam requievit, & maxime postquam Papa Nicola de Ursinis fecit sibi dari istam provinciam a Rodulpho Imperatore, ut alibi dictum est, & dicetur. Quia Papa primo misit Bertoldum fratrem suum primum Comitem Romandiolæ, & Cardinalem Latinum Legatum suum. A quo tempore citra semper factæ sunt ibi variæ mutationes, & quotidie fiunt. Unde judicio meo mihi videtur, quod quatuor deduxerunt eam nobilem provinciam ad tantam desolationem. Primum est avaritia Pastorum Ecclesiæ, qui nunc vendunt unam Terram, nunc aliam. Et nunc unus favet uni Tyranno, nunc alius alteri, secundùm quod sæpe mutantur Officiales. Secundum est pravitas Tyrannorum suorum, qui semper inter se se lacerant & rodunt, & subditos excoriant. Tertium est fertilitas locorum ipsius provinciæ, cujus pinguedo allicit Barbaros & externos in prædam. Quartum est invidia, quæ viget in cordibus ipsorum incolarum, sicut Auctor noster pulcre describit Purgatorii Cant. XIV. ubi facta magna commendatione illius Romandiolæ indignanter exclamat:

*O Romagnuoli tornati in bastardi!*

*Ad Vers. 40.*

*Ravenna sta - - - - - - - -*

Nunc Auctor descripturus specialiter statum Romandiolæ, incipit a Ravenna, & generaliter vult dicere, quod nobilis & antiqua prosapia istorum de Polenta dominatur Ravennæ & Cerviæ. Unde debes scire, quod eo tempore regnabat Ravennæ quidam Dominus Guido Novellus de Polenta, vir quidem satis magnæ intelligentiæ & eloquentiæ. Qui multum honoravit Dantem in vita & in morte, ut dicetur alibi. Ideo loquitur de eo valde honeste, eum describens ab Insignio suæ Domus, unde dicit:

*Ravenna sta, come stata è molti anni*,

quasi dicat, in eodem statu, in quo fuit jamdiu & sub dominio eorumdem: quod declarat sic:

*L'Aquila da Polenta. - - - - - -*

Hoc dicit, quia illi de Polenta portant pro Insignio Aquilam, cujus medietas est alba in campo azurro, & alia medietas est rubea in campo aureo. Est autem Polenta parvum Castellum circa Bretenorium, unde isti Nobiles dicuntur olim fuisse.

*- - - - - - - - là si cova*:

Et est pulcra metaphora & propria. Vult enim dicere, quod iste Guido Novellus fovet & protegit Ravennates sub umbra alarum suarum, sicut Aquila filios suos. Et de rei veritate Ravenna tunc erat satis in florenti statu, quæ nunc in languido. Et nota, quod Auctor ideo primo incipit a Ravenna, quia nobilissima Civitas est ratione antiquitatis, si fama non est omnino falsa, de creatione dignitatis. Quia sola Ecclesia Ravennas habet Cardinales, sicut Romana. Et subdit Auctor;

*Sì che Cervia ricuopre co' suoi vanni*.

Quasi dicat, quod Aquila prædicta protegit Cerviam sub pennis ejus alis suis. Sunt enim *vanni* pennæ in alis. Est autem Cervia Civitatuncula in eodem litore maris, distans a Ravenna per XV. milliaria, quam Auctor subditam dicit Ravennæ, quia est sub eodem dominio. Habet hæc Civitas prærogativam Salis. Unde Cardinalis Ostiensis Dominus Bononiæ & Romandiolæ erat solitus dicere: *Plus habemus de Cervia parvula, quàm de tota Romandiola*.

*La Terra, che fe' già la lunga prova &c.*

Heic Auctor describit aliam Civitatem Romandiolæ, scilicet Forlivium. Quæ est quodammodo situata in medio Romandiolæ, major aliis; quæ quia habet gentem bellantem, & iste Comes habuerat diu Principatum ibi, & bella magna fecerat ibi: ideo in descriptione ejus inserit singularem victoriam, quam hic Comes cum Forliviensibus habuerat. Ad intelligentiam autem hujus literæ est præsciendum, quod Anno Domini MCCLXXXII. Papa Martinus III. del Turso de Regno Franciæ, misit in Civitate Romandiolæ quemdam Dominum Johannem de Apia, militem strenuissimum armorum, quo nullus erat bellicosior in Francia. Erat tamen impar sagacitatibus Romandiolorum, ut eriperet Romandiolam de unguibus Comitis Guidonis de Montefeltro, qui tunc erat ibi fortis & potens pro parte Gibellina. Hic ergo Johannes cum nobili exercitu Gallorum & Italicorum ingressus provinciam, primo recepit Faventiam datam sibi. Moras faciens, ibi faciebat acre bellum contra Forlivium, & credidit habere Civitatem per pro-

proditionem ; quam non poterat habere per obsidionem. Cujus tractatum ordinavit Comes Guido, qui astutissimus bene cognoscebat temeritatem Gallorum. Et ut breviter dicam, Johannes Kalendis Maji cum gente sua venit Forlivium de mane tempestive ante diem, credens habere ipsum. Et sicut erat ordinatum per Comitem Guidonem, fuit datus sibi introitus unius portæ. Johannes igitur intravit cum parte gentis suæ, & partem dimisit extra, dato ordine, quod si expediret, succurrerent ingressis. Quod si casus adversus accideret, mandavit, quod omnes glomerarentur in quodam campo sub umbra unius magnæ quercus. Ordine dato, Johannes cum Francis percurrit Civitatem sine resistentia. Comes autem Guido, conscius facti, cum tota gente sua exivit Civitatem, & invasit animose illos, qui erant sub quercu, & faciliter fudit. Johannes, qui intraverat Forlivium, credens esse Dominus, diripiebat interim Civitatem, & milites diffundebant se per domicilia. Et continuo Comes Guido reintravit Forlivium, dimissâ sua parte militiæ & gente pedestri sub quercu, turmatim glomerata eâ formâ, qua steterat prima gens Francorum. Tunc Comes Johannes, qui credebat libere habere Civitatem, visis hostibus, totus stupefactus est & territus. Et quicumque de gente Franca poterat recurrere ad equum, fugiebat extra Civitatem, & occurrebat ad quercum, credens ibi invenire suos, & incurrebat in manus hostium, a quibus erant cæsi. Et capti sunt illi, qui remanserunt in Civitate, & trucidabantur omnes. Et sic magna sagacitate Comitis Guidonis pulcra & magna gens Gallica fuit destructa. Et multi nobiles & magnates Italici ceciderunt in conflictu. Inter alios fuit unus Comes de Montefeltro, consanguineus Comitis Guidonis. Sed erat infestus ei propter litem, quam habuerat secum super hęreditate. Et Tebaldellus, qui aperuit Faventiam, quando dormiebant Cives, & plures alii. Johannes de Apia tamen cum paucis evasit. Et ita delusus & desertus reversus est Faventiam. Papa Martinus iratus misit novas gentes equestres & pedestres ad Comitem Johannem, qui recuperavit Forlivium Anno sequenti de mense Maji, & diruit omne fortilitium. Comes verò Guido recessit de Forlivio. Sic ergo patet, quod ingenium Comitis vicit vires fortissimi bellatoris, licèt tamdem succubuerit viribus Ecclesiæ. Nunc ad literam. Auctor describit istam Terram ab ista magna strage, & dominatione ejus. Et vult breviter dicere, quod ista Terra erat tunc subdita Ordelaffis de Forlivio, quorum familiam dat intelligi per signum, unde dicit: *La Terra*, scilicet Forlivium, *che fè già la lunga prova*, quia diu steterat in contumacia. Est enim gens Forliviensis magis promta ad rebellionem, & tardior ad deditionem, quàm aliqua gens Romandiolæ, ut probatum est in multis bellis. Et dicit;

*E di Franceschi sanguinoso mucchio*;

Nam ut aliqui asserunt, Comes Johannes habuit in isto prœlio circa DCCC. equites, de quibus facta est miseranda strages. Scio, quod aliqui dissimiliter scribunt istam pugnam. Sed ista, quam præmisi, videtur mihi verior, & magis consona viribus Comitis Guidonis.

*Sotto le branche verdi si ritrova*:

Ideſt sub potestate Ordelafforum, qui habent pro Signo Leonem viridem a medio supra in campo aureo, cum quibusdam listis a medio infra, quarum tres sunt virides & tres aureæ. Et tunc regebat Sinibaldus. Et heic nota, quod Auctor præterit Forum Pompilium, quasi dicat, quod erat sub eodem dominio, quia erat Civitas parvula, & jam declinabat. Quam diebus istis Dominus Sabinensis, Legatus Ecclesiæ, funditus evertit, & transtulit Bretenorium.

*E 'l Mastin vecchio*; - - - - - -

Heic Auctor describit aliam Civitatem nobilem, scilicet Ariminum, quam manifestat per Dominos suos. Et vult finaliter dicere, quod secundò Malatesta pater illius viri violentius teneat Civitatem Arimini. Ad quorum cognitionem est breviter sciendum, quod in provincia Romandiolæ, in Comitatu Montisfeltri, est unum Castellum, quod vocatur Penna Billorum, ex quo olim traxerunt originem Malatestæ. Quorum unus fuit Miles probus, Malatesta, qui propter magna beneficia factus est Civis Arimini, factis ibi pulcris domibus & donationibus magnis. Et ex prædicto natus est Malatesta Miles audax, qui acquisivit dominium Arimini, quum esset XXII. annorum. Qui vicit Comitem Guidonem apud Montem Clarum, & ab eo victus est apud Pontem Sancti Proculi. Hic genuit Johannem Sargatam, vel Sciancatum, qui interfecit Paulum fratrem suum simul cum Francisca uxore. Item genuit Malatestinum, qui fuit monoculus, astutissimus Tyrannus, qui successit patri in dominio. Et ex eo natus est Ferrantinus. Alius filius fuit ex præfato Malatesta, nomine Pandulfus, qui regnavit post Malatestinum una cum Ferrantino nepote suo. Ex Pandulfo nati sunt Dominus Malatesta sagacissimus Tyrannus, & Dominus Galeottus strenuus armorum, qui diebus nostris fuerunt Domini magnæ partis Marchiæ Anconitanæ. Dicit ergo: *Il Mastin vecchio*, ideſt Malatesta antiquus, qui fuit Avus istius Malatestæ, viri sagacissimi, qui regnavit Arimini temporibus nostris.

- - - - - - *E 'l nuovo da Verruchio*:

Ideſt, Malatesta Juvenis, qui vocatus est Malatestinus. Quorum utrumque appellat Mastinum metaphorice, quasi velit dicere magni magistri Tyrannidis. Mastinus enim fortis est & violentus & rapax, qui non de facili dimittit prædam, quam assumit: Et dicit: *da Verruchio*, ideſt, Malatesta. Quod Verruchium est unum Castellum in Comitatu Arimini, a quo Malatestæ denominantur, quod Ariminenses dederant olim cuidam Malatestæ antiquissimo, ob ejus magna merita in Rempublicam. Tamen de rei veritate Malatestæ non fuerunt originaliter de Verruchio, immo de Montefeltro, de quodam Castello, quod vocatur Penna Billorum. Sed Auctor nominat eos a loco notiori, de quo denominantur vulgo, & ipsimet se denominant. Et specificat utrumque Mastinum a quodam singulari actu tyrannico violentiæ.

*Che fecer di Montagna il mal governo*.

Ad quod sciendum, quod Montagna est proprium viri nomen. Fuit enim Montagna nobilis Miles de Parcitatis de Arimino, princeps partis Gibellinæ. Quem captum cum quibusdam aliis Malatesta tradidit custodiendum Malatestino filio. Postea petiit ab eo, quid factum esset de Montagna. Cui iste respondit: *Domine, est sub fida custodia: Ita quod si vellet se suffocare, non potest, quamvis sit juxta mare*.

*mare*. Et dum iterum & iterum peteret & replicaret, dixit; *Certe dubito, quod nescies ipsum custodire*. Malatestinus notato verbo, fecit ipsum Montagnam mactari cum quibusdam aliis. Ita bene vocat Malatestinum Mastinum novum ab isto genere violentiæ, & ab alia pejore, de qua dicetur in sequenti Cantu. Ubi etiam facit mentionem de Arimino. Ideo dicit:

*Là dove soglion, fan de' denti succhio*.

Idest, sugunt & mergunt facultates hominum in Civitate Arimini, ubi solent sugere.

*La Città di Lamone, e di Santerno*,

Heic Auctor describit duas alias Civitates Romandiolæ, scilicet Faventiam, & Imolam a Domino suo. Et vult finaliter dicere. Quod Maghinardus Paganus fuit nobilis Castellanus in montibus supra Imolam. Qui sua probitate & felicitate ex parvo Castellano factus est magnus Dominus in Romandiola, ita quod habuit tres Civitates, scilicet Forlivium, Faventiam, & Imolam, sed non omnes simul. Unde est sciendum, quod in MCCXC. Stephanus de Ghinazzano Romanus, Comes Romandiolæ pro Papa, fuit captus in Civitate Ravennæ ab illis de Polenta die XII. Novembris. Propter quod Maghinardus Paganus cepit Civitatem Faventiæ. Et Bononienses continuò sub certo cursu ceperunt Civitatem Imolæ, & rapuerunt steccata, & splanaverunt foveas. Post hæc Papa misit Comitem Bandinum de Comitibus Guidis de Romena, Episcopum Aretinum, qui reduxit Terram ad obedientiam per pacem & concordiam. Anno verò sequenti die XXIII. Decembris, die Dominica, de nocte dictus Maghinardus cum quibusdam Nobilibus, furto cepit Civitatem Forlivii in qua cepit Comitem Aghinulphum de Romena, fratrem dicti Episcopi. Deinde obsedit Cæsenam, ubi erat ipse Comes Romandiolæ. Post hæc Anno quinto, scilicet Anno Domini MCCXCVI. Maghinardus habens bellum cum Bononiensibus propter Forlivium, cujus dominium tunc tenebant Bonenienses, fecit confœderationem cum Azone III. Marchione Estensi, qui similiter parabat bellum contra Bononienses, de quo dicetur plenius Purgatorii Cant. V. Secundo Calendas Aprilis venit cum exercitu contra Imolam, quam tenebant Bononienses, ut dictum est. Recepit Civitatem non sine magno damno & dedecore Bononiensium, quorum cepit magnam multitudinem, quæ tunc erat ibi circa quatuor millium. Nunc ad propositum. Auctor describit ipsum Maghinardum a Signo suo, & duas Civitates, quas tenebat a fluminibus suis, dicens:

*Conduce il Leoncel dal nido bianco*,

Idest, Maghinardus de Susinana, qui portabat Leonem azurrum in campo albo.

*La Città di Lamone*;

Idest, Faventia. Amon enim est flumen, qui labitur juxta Faventiam, cujus Vallis fertilissima est.

*- - - - - - - e di Santerno*;

Idest, Imola. Santernus est flumen, quod oritur in Alpibus Apennini, qui olim vocabatur Santernus, sicut scribit Plinius in Naturali Historia. Et heic nota, Lector, quod Imola olim vocata est Forum Cornelii. Unde Augustus in Cosmographia, quam fecit fieri de toto Orbe, numerat Forum Cornelii inter Civitates famosas, sicut scribit Albertus Magnus in suo Libello de Natura Loci. Ideo autem sic dictum est, quia a Cornelio Romano de clarissima familia Corneliorum, de qua fuerunt illustrissimi Scipiones, ædificatum est. Hæc siquidem parva Civitas sæpe magna & nobilia producit ingenia. Sed ne suspectus testis videar in causa propria, audi breviter quod dicit Magister Legendarum: *Sunt*, inquit, *Cornelienses ingenio sagaces, facundiis eloquentes, viribus fortes, animis audaces. Catholica Fide pollentes* &c. Et nota, quod Auctor ponit istas duas Civitates simul, quia eo tempore erant sub uno dominio Maghinardi. Et sunt valde propinquæ per parvam distantiam. Et subdit Auctor unum, quod vulgò videtur credere, ad infamiam illius Maghinardi, scilicet quod erat Gibellinus in Romandiola, & Guelphus in Tuscia; unde dicit:

*Che muta parte da la State al Verno*.

Hoc pro tanto dicit, quia Romandiola magis respicit Septemptrionem, ideo est magis frigida; Tuscia vero magis respicit Meridiem, & per consequens magis calida. Et heic nota, lector, quod non miror, si unus de Calabria non intelligit istud Capitulum, quum ipsi habitatores provinciæ sæpe ignorant facta domestica, quæ sunt gesta in gremio patriæ. Unde volo te scire, quod iste Maghinardus Tyrannus fuit de natione Paganorum, Gibellinus in Romandiola, & ubique, Sed cum Florentinis erat Guelphus, & inimicus omnium inimicorum eorum, sive essent Guelphi, sive Gibellini. Et in omnibus bellis, donec vixit, fuit in obsequium & subsidium Florentinorum. Hoc autem non fecit Maghinardus sine justissima causa, quoniam pater ejus, nomine Paganus, tempore mortis relinquens puerum pupillum cum multis & magnis inimicis vicinis, scilicet Ubaldinis, Comitibus Guidis, & aliis Dominis Romandiolæ, dimisit eum sub custodia & tutela Communis Florentiæ, a quo fuit bene custoditus & educatus. Ideo ista de causa erat gratus & fidelis Communi Florentiæ. Quod bene probavit in conflictu apud Riperiam, in quo ita acriter superavit vires Partis Gibellinæ.

*E quella - - - - -*

Heic Auctor describit aliam Civitatem Romandiolæ, scilicet Cæsenam, quam ultimo reservavit, quia sola gaudens bono libertatis, sub nullius tyrannide tunc erat. Describit autem eam a flumine suo dicens:

*E quella, cui il Savio bagna il fianco*.

Scilicet Civitas Cæsena. Sapis enim est flumen, quod labitur ad latus Cæsenæ.

*Così, com' ella s'è tra il piano e 'l monte*
*Tra tirannia si vive, e stato franco*.

idest, libero; quia scilicet ab una parte erant Malatestæ, scilicet ab Oriente in Arimino, in alia parte versùs Occidentem erant Ordelaffi in Forlivio, a Septemtrione illi de Polenta in Ravenna. Ideo dicit: *Così com' ella s'è* &c. Cæsena enim est plana præter partem, quæ vocatur *Murata*, ubi est in monte pulcra Rocha. Et quum omnes Civitates Romandiolæ sint fertiles, ista præ ceteris est fertilissima, & producit ficus optimos. Et finaliter Auctor, facta responsione plena ad quæsita Comitis Guidonis, quærit ab eo, quis sit, dicens:

*Ora chi se', ti prego, che ne conte*.

Quod persuadet sibi dupliciter. Primo a benevolentia, qua usus est erga eum, dicit:

*Non esser duro più, ch' altri sia stato*.

scilicet, ad respondendum mihi durior, quàm ego fuerim ad respondendum tibi. Secundo adjurat ipsum per id, cujus viri illustres solent

esse

esse avidissimi, scilicet per famam; unde dicit:
*Se 'l nome tuo nel mondo tegna fronte.*
Si vigeat diu fama tua in posterum, quae nunc est satis magna.

*Ad Vers. 61.*

*S' io credessi, che mia risposta fosse*
*A persona, che mai tornasse al mondo*, &c.
Heic nota, quod multi mirantur, quod iste Comes renuit famam, quam quasi ceteri videntur petere & appetere. Dicendum breviter, quod ratio hujus videtur esse, quod iste erat relapsus, quia renuntiaverat mundo & pompis ejus, postea inciderat in poenas, redeundo ad fraudes antiquas. Unde sicut vestis sumtuosa & apparens decuisset ipsum Comitem, quum erat magnus Dominus in mundo; & tamen non decuisset eum, postquam factus est Frater Minor: ita astutia, quae debebat sibi famam ante conversionem ejus, dum erat Tyrannus, postea cecidit sibi ad infamiam. Unde subdit.
*Senza tema d'infamia ti rispondo.*
Quia non poteris deferre nova de me ad Mundum,
*- - - - per ciò che giamai di questo fondo*
*Non tornò vivo alcun - - - -*
Quia ex isto Inferno nulli est dare recessum:
*- - - - - - s' i' odo il vero.*
Et verum dicit, quia qui assuescit & senescit in istis fraudibus, raro vel numquam scit recedere. Iste Comes breviter narrat formam suae vitae praeteritae, dicens:
*Io fui uom d'arme - - - - -*
Quia gessi multa & magna bella, ut satis patuit ex jam dictis;
*- - - - - e poi fui Cordeliero,*
Idest, in fine fui Frater Minor. Nam Fratres Minores in Lingua Gallica vocantur *Cordeliers*, Cordellerii, a chorda, quam cinctam portant. Et ecce quare se fecit Fratrem Minorem:
*Credendomi sì cinto fare ammenda;*
Scilicet, sperans me sub tali habitu miseriae & paupertatis facere emendationem peccatorum; sed alii non crediderunt. Unde Dominus Malatesta, quum narraretur sibi a quodam familiari, quod Dominus Guido erat factus Frater Minor, providit, ne fieret Guardianus Arimini. Et dicit Auctor:
*Et certo il creder mio veniva intero;*
Signanter dicit certe, quia videbatur sine dubio emendatus. Nam de veste assumsit Habitum, humiliter servavit Regulam, & patienter tulit Paupertatem. Unde saepe visus est publice mendicando panem per Anconam, in qua mortuus est & sepultus. Et multa audivi de eo, per quae poterat satis sperare de sua salute.
*Se non fosse il gran Prete,*
scilicet Bonifacius VIII. Quamvis omnis Papa dicatur Summus Sacerdos, tamen Bonifacius, temporaliter loquendo, fuit non solùm magnus, sed maximus, quia primus fuit, qui vixit Imperialiter & magnifice. Et dicit Auctor:
*- - - - - - a cui mal prenda;*
idest, cui malum accidat; nam mortuus est in anxietate & rabie, ut saepe tangitur in Libro toto:
*Che mi rimise ne le prime colpe.*
Idest, in pristinas fraudes & artes belli. Et reddit auditorem attentum ad audiendum, dicens:
*E come & quare voglio, che m'intenda.*
Scilicet, tu, quicumque sis, astute quâ formâ, & qua de causa, Bonifacius retraxit me in malas culpas.
*Mentre ch'io forma fui d'ossa e di polpe;*

Nunc Comes volens narrare causam, quare Bonifacius requisivit eum, ostendit se primo visum fuisse idoneum, qui perageret illud; & quod iste poterat, quia scilicet expertissimus fuerat armorum in Seculo; sed tamen nova vita prohibebat sibi, quia factus erat Frater Minor. Dicit ergo:
*- - - - - - L'opre mie*
*Non furon Leonine, ma di Volpe.*
Quasi dicat, non tantum fui usus viribus in bellis, quantum fraudibus, ita quod non pugnabam aperte, sicut olim Galli, ut scribit Julius Caesar.
*Gli accorgimenti e le coperte vie*
*Io seppi tutte - - - - - -*
Quia fui totus circumspectus, & oculatus. Unde Valerius Maximus dicit, quod vafrities magis petit laudem occulto tramite, quam apertâ viâ.
*- - - - - - e sì menai lor' arte,*
idest tam perite & caute,
*Ch'al fine de la Terra il suono uscie.*
Idest, quod fama pervenit usque ad extremum Occidentis, quia fama fraudis Gallicas transcendit Alpes, & volavit per totam Galliam, ubi Johannes de Apia erat famosus, & sui strenui bellatores. Et ostensis, quae poterant movere Bonifacium ad requirendum eum, ostendit quae debebant removere eum, quia dimisso habitu militari induerat habitum Religionis, & paci maxime congruum. Unde tangit suam conversionem dicens; quod fecerat more periti nautae. Unde dicit clare i
*- - - - che pria mi piaceva, - - - -*
scilicet in aetate praedicta praeterita, & vita, quam duxerat in Seculo.
*- - - - - - allor m'increbbe,*
idest, displicuit;
*Quando mi vidi giunto in quella parte*
*Di mia età, - - - -*
scilicet, in senectute,
*- - - - dove ciascun dovrebbe*
*Calar le vele e raccoglier le sarte.*
Idest, funes. Et heic nota, quod metaphora est pulcherrima & propriissima. Sicut enim homo, qui dum navigavit, debet sibi providere de portu, in quo postea requiescat; ita homo, qui diu laboravit in isto mari fortunoso, ut acquirat potentiam, gloriam & honorem, debet declinare velum gloriae mundanae, & colligere funes, idest fraudes, quibus navigavit, idest vitam suam duxit in isto mundo amaro & procelloso, & providere sibi de portu salutis aeternae, jactando anchoras suae spei in Deum, & spernendo mundum, dicens cum Sapiente: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Unde subdit:
*E pentuto e confesso mi rendei;*
Quia scilicet dedicavi me Deo. Et heic nota, quod prima pars Confessionis est Contritio cordis, secunda est Confessio oris, tertia est Satisfactio operis. In qua tertia parte ipse asserit se impeditum a Bonifacio. Ideo conqueritur, & exclamat, dicens:
*Ahi miser, lasso! e giovato sarebbe.*
Quasi dicat: dolenter refero: heu me miserum! nisi fuisset Bonifacius.
*Lo Principe de' nuovi Farisei.*
Heic Comes ostendit, quare Bonifacius requisivit eum, & ad quid. Et dicit, ad aggrediendum bellum contra Columnenses. Ad cujus rei intelligentiam oportet primo scire, quod Anno Domini MCCXCVII. gravis seditio orta est Romae. Nam Papa Bonifacius, qui conceperat

rat implacabile odium contra illos de Columna, quia Jacobus & Petrus duo Cardinales de illa Familia fuerunt contrarii in electione ejus; & quia Sciarra de Columna robavit quasdam salmas sui thesauri: mandavit, ut illi Cardinales deponerent Capellos & insignia Cardinalatus. Quos, quum non parerent, & ceteros illius familiæ privavit omnibus Beneficiis & honoribus. Eorum insuper in Urbe fecit dirui Palatia, & Castella oppugnari, & capta æquavit solo, vel tradidit Ursinis, ut redderet eos infestos Columnensibus. Et bannitâ Cruce obsedit aliquot alia eorum Castra, quæ tamdem habuit cum certis pactis. Deinde non valens capere Præneste Civitatem inexpugnabilem, habito consilio audivit, quod Comes de Montefeltro, qui erat in Ordine Minorum, solus poterat ipsum facere compotem voti sui. Misit ergo pro eo, rogans & suadens, ut esset dux belli contra Cardinales sibi adversos. Quod quum constanter negaret, dixit Bonifacius: *Saltem me instruas, quomodo eos subjicere possim*. Tunc ille: *Multa promitte. Pauca serva de promissis*. Bonifacius inventis mediatoribus dixit, se misericordiâ usurum, dummodo facerent id, quod deceret magnitudinem status sui. Cardinales continuo exhilarati, assumtâ veste nigra, miserabili vultu supplices, ad pedes ejus procubuerunt, suam culpam confitentes, & veniam implorantes. Bonifacius illis increpatis promisit impunitatem, & primo restitutionem in integrum. Petivit Præneste & obtinuit. Quâ eversâ fecit fieri Civitatem in plano, quam vocavit Civitatem Papalem. Deinde nobilem & potentem virum Zannem de Ceccano, attinentem eorum, subito captum, duro carceri mancipavit. Quare Cardinales territi fugientes latuerunt per aliquot annos apud amicos eorum, ita ut nesciretur, utrum viverent, quia non audebant apparere aut se nominare. Papa istos tamquam iterum rebelles, relapsos, infra annum bannivit. Ceteri de familia Columnensium divisi sunt per regiones diversas, usque quo Bonifacius captus arte qua cepit alios, per Sciarram de Columna, finem vitæ infeliciter terminavit. Nunc ad literam. Dicit Comes: *Lo Principe de' nuovi Farisei*, idest Papa, caput Prælatorum & Clericorum, quos Auctor vocat novos Pharisæos metaphorice;

*Avendo guerra presso a Laterano*,

idest, cum Columnensibus, quorum domus sunt juxta Lateranum. Et aggravat istud bellum, tamquam injustum, dicens:

*E non con Saracin, nè con Giudei*,

Quasi dicat, immo cum Christianis, cum quibus misericorditer erat agendum. Et declarat suum dictum, dicens:

*Che ciascun suo nemico era Cristiano*.

Quasi dicat: nullus eorum fuerat infidelis, cum mercimoniis conferendo eis lucra vel commoda aliqua, in quibus casibus Prælati solent præcedere Christianos. Sed ne dimittam aliquid obscurum, debes scire ad claram intelligentiam hujus literæ crudele excidium Civitatis Acon. Quod breviter fuit tale. Anno Domini MCCXC. Soldanus Babyloniæ Ægypti, facto maximo apparatu, cum innumerabili exercitu transito deserto, venit in Syriam, & obsedit Civitatem Acon. Causa autem hujus obsidionis, sicut retulerunt multi & magni mercatores, qui fuerunt eo tempore ibi, dicitur fuisse talis. Satis constat, quod Saraceni ante istud tempus abstulerant Christianis Civitatem Antiochiæ, Tripolim, & alias Terras, quas Christiani tenere solebant ad maritima. Quapropter Acon multum erat amplificata viris & mercibus, quia alia Terra non tenebatur in Syria per Christianos; ita quod Rex Hierusalem, Rex Cypri, Principes Antiochiæ, Congregatio Templi, Hospitale Sancti Johannis, & aliæ Aulæ, Legatus Papæ, & Præsides, qui remanserunt ibi pro Rege Franciæ, & Angliæ, omnes faciebant caput in Acri, ubi erant ibi forte decem & septem dominia. Et singula habebant jurisdictionem sanguinis. Quod pariebat magnam confusionem. Eo tempore fuerat treugua inter Christianos & Saracenos. Et in Acon erant plusquam decem & octo millia peregrinorum hominum signatorum Cruce. Qui deficientibus stipendiis Dominorum & Communium suorum, cœperunt violare viduas, prædando & jugulando Saracenos, qui veniebant Acon, sub securitate treuguæ, cum eorum mercibus & victualibus. Similiter ibant in prædam per loca circumvicina. Propter quod Soldanus graviter offensus, misit Legatos ad res petendas, & puniendos violatores treuguæ, sicut est de antiquo jure gentium. Sed negato jure, Soldanus cum maximo potentatu venit supra Civitatem. Unde ejus exercitus occupabat per duodecim milliaria. Et cum multitudine gentium replevit fossas profundas. Ex una parte receperunt primum ambitum murorum, & secundum fecerunt cadere cum curriculis & operibus. Et ceperunt magnam Turrim, quæ vocabatur Maledicta. Sed cum toto hoc non poterat capi Civitas, quia illud quod faciebant Saraceni de nocte, Christiani reficiebant de die, & obstipabant caveas cum saccis lanæ & bambacis. Et Magister Generalis Templi, qui habebat custodiam, multâ prudentiâ & probitate defendebat Terram. Sed fato faciente vulneratus in brachio cum una sagitta toxicata, ex eo vulnere intra paucos dies exspiravit. Cujus morte Christiani territi, facti sunt inordinati & discordes in defensione & custodia Civitatis propter confusionem antedictam. Ex quo cœperunt omnes, qui poterant refugere ad mare, recedere. Ideo Saraceni sine intermissione insistentes intraverunt Civitatem cum furore, omnes trucidantes, omnia rapientes, & abduxerunt in servitutem viros & mulieres viventes. Et inter homines utriusque sexus LX. millia & ultra fuisse referuntur. Damnum rerum & personarum fuit infinitum. Et demum Civitate sic spoliata, prostraverunt mœnia; igne & ferro vastaverunt Terram; ex quo Christianitas tota recepit magnum damnum. Nam propter exterminium unius non remansit aliqua Terra in Terra Sancta pro Christianis. Et omnes nobiles Urbis receperunt magnum præjudicium propter bonum situm illius Civitatis, quia erat in fronte maris in medio Syriæ quasi in centro mundi prope Hierusalem per LXX. milliaria; & erat frons & portus omnium mercantiarum tam Orientis quam Occidentis, & omnis generis hominis mundi omnium idiomatum, itaquod erat quasi quoddam alimentum mundi. Et nota, Lector, quod istud non videtur accidisse sine justo judicio Dei, quia hæc Civitas velut sentina erat repleta omni genere sordidorum vitiorum, plusquam alia, quæ tunc esset in Orbe Christiano. Nota etiam, quod hæc Civitas Acon, olim vocata est Joppe. Et olim capta & dirupta fuit a Cestio Duce Romanorum tempore Neronis, deinde a Vespasiano Duce ejusdem Neronis, sicut scribit Josephus in

in Libro de Bello Judaico . Ex dictis ergo videre potes, quod Comes Guido volens oſtendere , quod Columnenſes non commiſerunt tam acre delictum , ut tam durum ſupplicium paterentur , dicit , quod nullus ipſorum præſens fuerat excidio Acon . His viſis nunc venio ad verbum principale :

*Nè ſommo officio , nè Ordini ſacri*
*Guardò in ſe ; - - - -*

Quia erat Sacerdos & ſummus Sacerdos .

*- - - - nè in me quel capeſtro ,*

ſupple , reſpexit , illum funem Beati Franciſci,

*Che ſolea far' i ſuoi cinti più macri .*

Scilicet , Fratres Minores , qui ſolebant eſſe macriores , quam ſint . Sic vide , quod Comes tangit tria , quæ non bene competebant rebus bellicis : ſcilicet Summus Pontificatus, & Ordo Sacerdotalis ex parte petentis, & Habitus Sancti Franciſci ex parte ejus , a quo petebat .

*Ma come Coſtantin chieſe Silveſtro* &c.

Nunc oſtendit Comes, quomodo Bonifacius requiſivit eum , per unam nobilem comparationem . Et dicit breviter & clare , quod ſicut Conſtantinus ſummus Imperator petivit Silveſtrum Papam , ut daret ſibi conſilium contra moleſtum morbum ſuum , ita Bonifacius ſummus Pontifex petivit Comitem ipſum, ut daret ſibi conſilium contra ardorem mentis ejus . Dicit ergo :

*Così mi chieſe queſti per maeſtro ,*

Scilicet, Bonifacius; quia fueram magnus practicus armorum longâ experientiâ & exercitio bellorum :

*A guarir de la ſua ſuperba febre .*

Appellat febrem metaphorice iram Bonifacii , quæ inflammabat & incrudelibat animum ejus injuſte ſicut febris a ſimili in corpore , ſcilicet

*- - - Come Coſtantin chieſe Silveſtro*
*Dentro Siratti - - - -*

Ideſt , Montem Soractem, qui mons olim Hirpinorum , vel ſecundùm alios Faliſcorum , diſtat ab Urbe Rómana per XL. milliaria ; unde Conſtantinus revocavit Silveſtrum

*- - - - - a guarir de la lebbre .*

quia ejus caro erat infecta . Et Heic nota , quod Mons Soractes eſt valde ſilveſtris & aſper . Sic clarus habebatur apud Paganos , quia fuit olim conſecratus Apollini , ut patet apud Vergilium ; & apud Chriſtianos , quia in eo latuit Pontifex Silveſter re & nomine , quia ſolitarius ibi fuit . De quo loco Silveſter tunc pauper recepit dotem , quæ poſtea miniſtravit alimentum uberrimum vitiis Prælatorum, quia fecit Bonifacium tam ſuperbum. In hoc eodem monte latuit per biennium Carlomannus patruus Caroli Magni , relicto Regno Franciæ Pippino fratri ſuo. Et ultimo nota, quod comparatio proprie ſervit propoſito . Quia ſicut Conſtantinus Imperator quæſivit Silveſtrum Papam Romanum , qui latebat intra Montem ad agendam pœnitentiam , ut liberaret ipſum a lepra , ita Bonifacius Papa Romanus quæſivit Comitem Guidonem Urbinatem , qui erat intra clauſtra ad agendam contemplationem , ut curaret ipſum a ſua febre , ideſt ſuperbia & ambitione. Et ſicut Silveſter timebat ire ad Conſtantinum timore mortis corporalis ( timebat enim ne fieret Martyr , ſicut quaſi omnes prædeceſſores ſui ) ita Comes Guido recuſat accedere ad Bonifacium timore mortis mentalis. Sed Silveſter dedit ſanum conſilium, & utilius remedium Conſtantino, quam Comes Guido Bonifacio; quia ille docuit Conſtantinum aſſumere bonam Fidem & veram ; hic verò docuit Bonifacium fallere fidem datam . Et declarat , quomodo fuit requiſitus , & quomodo denegavit , dicens :

*Domandommi conſilio , ed io tacetti ,*

Scilicet prima facie recuſans :

*Perchè le ſue parole parver' ebbre .*

Ideſt , ebriæ irâ & malivolentiâ .

*E poi mi diſſe : - - - - - - - -*

Heic Comes oſtendit , quomodo Bonifacius excuſſerit ſuſpicionem , quam habebat ortam in animo ſuo, quæ videbatur impedire reſponſum ejus . Unde dicit : *e poi mi diſſe* , ſcilicet , quum nollem ſibi dare conſilium :

*- - - - - Tuo cor non ſoſpetti ,*

Ideſt , non dubites mihi reſpondere propter peccatum , quia

*Fin' or t'aſſolvo , - - - -*

Ideſt , jam nunc te abſolvo , ſcilicet a peccato commitendo .

*- - - - - e tu m'inſegna fare*
*Si come Peneſtrino in terra getti .*

Quia jam conceperat deſtruere Præneſte , ſicut poſtea fecit . Fuit autem Præneſte Civitas antiquiſſima prope Romam . De qua ſæpiſſime facit mentionem Titus Livius . Quæ ſæpe rebellavit Romanis , & ſæpe capta eſt . Similiter & Civitas Nepeſina , quæ fuit in confinibus Tuſciæ de qua dictum eſt paulo ſupra . Sed ſubdit confirmans dictum ſuum ratione , ſe poſſe abſolvere eum ante peccatum perpetratum , quia Papa poteſt omnia , & quædam alia , unde dicit :

*Lo Ciel poſs' io ſerrare e diſſerrare ,*

Ideſt , aperire clauſum propter peccatum ,

*Come tu ſai : - - - - -*

Ideſt , ſcire debes , quia es Chriſtianus , & Frater Minor :

*- - - - Però ſon due le Chiavi ,*

Scilicet , ſcientia & auctoritas . Quaſi dicat : Tu ſcis , quod ſum Papa , & homo magnæ ſcientiæ . Et ſic erat . Et dicit :

*Che 'l mio anteceſſor non ebbe care .*

Scilicet , Cœleſtinus . Quaſi dicat per irriſionem . quod fuit unus ignarus . Ita dicebat Julius Cæſar de Lucio Sylla , quod ignoraverat literas , quia renuntiaverat Dictaturæ . Bonifacius autem numquam potuit compelli metu mortis renuntiare Papatui .

*Allor - - - - - - -*

Heic Comes narrat , quomodo fuerit perſuaſus verbis Bonifacii , dicens :

*- - - mi pinſer gli argomenti gravi :*

Ideſt , fortes rationes iſtius graviſſimi Sancti Patris, quæ tamen erant inefficaces in hac parte, quia contra dictum Evangelii : nam *Quodcunque ligaveris ſuper terram* , debet intelligi Clave non errante . Quia id poſſumus , quod de jure poſſumus .

*La ve' 'l tacer mi fu avviſo il peggio .*

Scilicet, ad ſatisfaciendum voluntati, quia male videbatur mihi reſpondere : ſed pejus tacere . Quaſi dicat : Bonifacius aſtutiſſimus circumvenit me aſtutiſſimum verbis ſuis , quia non poteram ulterius honeſte vel tute me excuſare , quia nolebam negare poteſtatem Summi Pontificis , qui eſt Deus in terris, aut ejus ſcientiam & magnam prudentiam . Et ſic Comes , dum nititur ſe excuſare , accuſat ; quia voluit potius contra conſcientiam complacere Bonifacio , quam diſplicere illi pro ſalute animæ ſuæ . Ideo dedit conſilium placitum ei ; unde dicit :

*E diſſi : Padre , da che tu mi lavi*
*Di quel peccato , ove mò cader deggio :*

Ideſt,

Ideſt, o Pater, qui dicitur Pater Patrum, & vocatur Pater Sanctus;

*Lunga promeſſa con l'attender corto*,

Ideſt, cum brevi & parva obſervatione;

*Ti farà trionfar nell' alto ſeggio*.

Ideſt, in Sede Papali, in Civitate Romana, qua nulla eſt altior inter Criſtianos. Sed certe nullus Dux Romanorum injuſtius umquam triumphavit de hoſtibus, quam iſte de Civibus ſuis. Pro quibus devictis non dabatur olim triumphus a Romanis, ut patet plene apud Valerium de jure triumphi. Et dicit: *Da che tu mi lavi*. Tota aqua Tiberis non laviſſet eum: *di quel peccato, ove mò cader deggio*. Bene cognoſcebat ſe peccaturum. Et heic nota, quod aliqui volentes ſubtilizare in rebus groſſis, dicunt, quod iſtud conſilium poteſt trahi ad bonum ſenſum, ita ut litera exponat ſic: *Promittas magna, & obſerva cito quæ promiſeris, & adimple*. Sed quidquid dicant, totum eſt falſum, & ridiculum. Nam pervertunt penitus mentem Auctoris; quia, ut patet evidentiſſime ex iſta litera, vult quod Comes per iſtud conſilium ſit damnatus. Unde dicit paulo infra:

*Perchè diede 'l conſiglio frodolente*.

*Ad Verſ.* 117.

*Dal quale in quà ſtato gli ſono a' crini*.

Ulterius debes ſcire, quod Comes Guido Anno Domini MCCLXXXVI. quum diu tenuiſſet Romandiolam ad obedientiam Eccleſiæ & Papæ, venit Honorius, qui tunc ſedebat, & miſit eum in confinia in Pedemontium ad Civitatem Aſtenſem. Et miſit pro Comite in Romandiola Guilielmum Durandum de Provincia, qui fuit magnus Juriſperitus. Fecit enim Librum, qui intitulatur *Speculum in Jure utroque*, unde & a Juriſtis ipſis vocatur *Speculator*. Sed poſt duos annos Comes Guido ruptis confinibus venit Piſas, factus Capitaneus Piſanorum. Qui cum ampla poteſtate fuit tempore acerbæ mortis Comitis Ugolini.

*Ad Cant. XXVIII. Verſ.* 13.

*Con quella, che ſentìo di colpi doglie*,

Nunc Auctor tangit bellum magis modernum. Ad cujus intelligentiam oportet præſcire, quod Anno Domini ML. Robertus Guiſcardus, filius Ricardi Ducis Normandiæ, non habuit dominium paternum, ſed dimiſſa hæreditate Ricardo fratri ſuo primogenito, ſecundum conſuetudinem regionis, tamquam magnanimus voluit experiri virtutem & fortunam ſuam. Ideo pauper & egenus veniens in Italiam appulit Apuliam. Quo tempore quidam Robertus Apulus erat Dux Apuliæ. Cujus Robertus Guiſcardus primo factus eſt Scutifer. Poſtea probitate ſua accinctus Militiâ; pro quo multa victorioſe fecit, quum haberet bellum cum Principe Salerni. Guiſcardus itaque magnifice remuneratus, redivit in Normanniam. Et oſtentans divitias & delicias Apuliæ, duxit equos frænatos frænis argenteis. Propter quod multi nobiles animati cupiditate lucri & gloriæ, ſequuti ſunt eum. Ipſe reverſus in Apuliam, fideliter pugnabat pro dicto Duce Apuliæ. Et non poſt multum temporis Robertus Dux Apuliæ veniens ad mortem, de voluntate ſuorum Baronum reliquit Guiſcardum ſucceſſorem in Ducatu. Et ſic Ducatum, quem dimiſerat in Normannia, recuperavit in Italia. Robertus igitur acceptâ filiâ Roberti in uxorem, ſicut promiſerat, vi armorum ſubjugavit Apuliam, Calabriam, & totum Regnum. Deinde Regnum Siciliæ, quod occupaverat Alexius Imperator Græcorum. Deinde ſuccurrit Eccleſiæ; veniens Romam in favorem Gregorii VII. contra Henricum III. Hujus ſucceſſores regnaverunt in Sicilia uſque ad Henricum patrem Friderici II. De Roberto Guiſcardo plura dicentur Paradiſi Cant. XVIII. Nunc ad literam; dicit:

*Con quella, che ſentìo di colpi doglie*,

quia ſcilicet gens illa fuit trucidata,

*Per contraſtare a Roberto Guiſcardo*.

Et heic nota, quod Robertus non habuit magnam reſiſtentiam in acquirendo Apuliam, quia Apuli faciliter ceſſerunt ſibi. Sed in acquirendo Siciliam plus laboravit.

*E l'altra, il cui oſſame ancor s'accoglie*.

Heic Auctor tangit quartum bellum, quod geſtum eſt contra Manfredum per Carolum I. Ad cujus prænotitiam eſt breviter ſciendum, quod Carolus frater Ludovici Regis Franciæ, Dux Andegaviæ, & Comes Provinciæ, de quo ſupra dictum eſt, & ſæpius dicetur, vocatus ab Eccleſia contra Regem Manfredum, qui poſt Friderici II. patris ſui, & Conradi fratris mortem, occupaverat Siciliæ Regnum & Apuliæ, venit per mare Romam cum paucis, & ejus exercitum duxit per terram Comes Guido de Monforte Anno Domini MCCLXV. Qui ſuſceptus honorifice a Romanis, exſpectans gentem ſuam per totam æſtatem, conſultabat, quomodo intraret Regnum Manfredi. Et coronatus deinde a Papa, cœpit ire versùs Apuliam per Campaniam. Manfredus dolens, gentem Caroli intraſſe libere per Lombardiam, ubi habebat magnam gentem ad obviandum, dedit operam ad cuſtodiam Pontis Ceperani. Sed Carolus tranſito Ponte per fraudem, cepit Aquinum ſine reſiſtentia, deinde Sanctum Germanum viribus. Manfredus audito excidio Sancti Germani, de conſilio ſuorum Comitum venit Beneventum, quia ibi poterat melius eligere partitum pugnandi, & impedire Carolum, qui non poterat intrare Principatum, nec tranſire in Apuliam niſi per Beneventum. Carolus hoc ſentiens receſſit a Sancto Germano, & non tenuit iter versùs Capuam per Terram Laboris, quia non potuiſſet tranſire ad pontem fortiſſimum Capuæ, quem fecerat fieri Fridericus II. ſed tranſivit Vulturnum apud Tulivernum, ubi poterat vadari, & per aſpera itinera montium Beneventanorum cum maximo labore & defectu victualium pervenit Beneventum prope per duo milliaria. Manfredus ſtatim cepit conſilium pugnandi, ne permitteret hoſtibus feſſis tempus refocillandi. Sed certe electio fuit pernicioſa ſibi. Quia ſi diſtuliſſet tantum uno vel duobus diebus, gens Caroli erat perdita ſine cæde, ex defectu victualium hominum & equorum. Nam de præcedenti vix potuerant milites vivere ex foliis caulium, & dare thyrſos equis ſuis. Et præterea gens Manfredi erat valde diſperſa. Unde ſi aliquantulum diſtuliſſet, multum creviſſent vires ejus. *Sed quem Deus odit, infatuat.* Manfredus ergo egreſſus Beneventum, tranſivit per Pontem flumen, quod dicitur Calor. Et in plano, quod dicitur Sanctæ Mariæ *de la Granella*, in loco dicto Petra Aroſeti, fecit tres acies. Prima ex Theotonicis mille ducentorum, quibùs multum fidebat. Et huic aciei præfecit Comitem Gualvagnum. Secunda ex Normannis, Tuſcis, & aliis Theotonicis mixtim, quam tradidit ducendam Comiti Jordano, qui erat ſibi junctus affinitate, & fidelitate junctiſſimus. Tertia fuit ex Apulis & Saracenis Noce-

Noceriæ, quos pater suus Fridericus ex Sicilia posuerat ibi. Et hanc aciem ducebat ipse Manfredus. Quæ erat ex mille trecentis militibus, absque arciferis, Saracenis, & peditibus cum magno numero. Carolus autem videns Manfredum paratum ad bellum, Consilium habuit suum. Plures persuadebant, quod differendum erat prœlium in crastinum ad resumtionem militum & equorum. Carolus avidus pugnæ clamavit alte supra suos, dicens: *Venit dies, quam tamdiu desiderastis*. Et ipse tres acies contra prædictas ordinavit. Primam ex militibus Francis, numero mille, cujus fuit dux Philippus de Monforte. Secunda fuit ex nongentis militibus electis, quam Carolus retinuit sub suo ducatu, & Guidonis de Monforte. Tertia fuit acies, quam recepit Robertus Comes Flandriæ, gener Caroli, & Aegidius Brunus Conestabilis Franciæ, Magister ejus, quia adolescentulus erat. Et ista acies constabat ex Flandrensibus, Brabantionibus, Picardis, & Italicis, nempe Romanis, Campanis, & Tuscis. Concursum est utrimque magno ardore animorum, & acris pugna inchoata inter primas acies duorum exercituum Theotonicorum & Francorum. Sed Theotonici fortiores Francis, fecerunt eos magno impetu resilire. Tunc Carolus videns Francos suos, in quibus spem posuerat, tam dure opprimi, non servato ordine succurrit sibi cum sua acie. Similiter Comes Flandriæ cum Magistro suo & acie sua. Et diu fuit prœlium dubium, quia Theotonici mirabiliter cum magnis ensibus suis trucidabant: Sed subito ortus est clamor inter Francos: *Cum mucronibus feriantur equi*. Quo facto, Germani cœperunt deficere vulneratis equis. Tunc Manfredus cœpit hortari suam aciem Apulorum, ut sequerentur eum probiter in bello. Sed male fuit auditus, quia pro magna parte Barones Regni deseruerunt eum, aliqui ex vilitate, aliqui ex illegalitate. Manfredus remanens cum paucis equitibus, tamquam magnanimus, elegit potius mori in prœlio, quam viliter fugere. Et ingerens se in magnam aciem densissimam hostium, fortissime dimicans, cecidit in prœlio. Carolus victor adveniente nocte, persequens gentem victam fugientem, cepit Beneventum. Multi ex militibus Manfredi capti sunt: uxor, soror, & filii Manfredi, qui erant Nuceriæ, redditi sunt Carolo, quos omnes fecit mori in carcere suo. De sepultura Manfredi dicetur plene Cant. III. Purgatorii. Nunc ad literam. Dicit Auctor: *E l'altra*, supple, & si congregaretur alia gens cæsa in prœlio, *il cui ossame ancor s'accoglie a Ceperano*, idest ad Pontem Ceperani. Et heic nota, quod ista clades non fuit apud Ceperanum, sed apud Beneventum, ut clare patet ex jam dictis. Sed passus permissus Carolo apud Ceperanum fuit causa istius conflictus. Nam Carolus non poterat debellare Regem, nec obtinere Regnum, si fuisset sibi vetitus transitus Ceperani. Ideo ulterius debes scire, quod Manfredus deputaverat ad custodiam Ceperani Comitem Jordanum, & Comitem Casertæ cum duobus millibus militum. Sed Comes Casertæ fraudulenter consuluit Comiti Jordano, ut permitteret transire partem inimicorum, quia postea facilius & tutius debellarent ceteros. Et quum aliquot transissent, dicebat Comes Casertæ: *Non est amplius tempus, quia nimis multi transierunt*. Et continuo cum sua acie divertens, rediit Casertam. Erat enim jam in conventione cum hostibus. Comes Jordanus cognitâ proditione, non valens per se resistere, reversus est Beneventum. Et sic vide, quomodo Manfredus fuit derelictus apud Ceperanum & apud Beneventum, sicut a Comite Acerræ, qui sentiebat cum Comite Casertæ. Et multi alii dimiserunt Manfredum; qui postea spoliati fuerunt eorum Terris & Castellis. Ideo bene dicit Auctor:

*- - - - - - là dove fu bugiardo*
*Ciascun Pugliese: - - - - - -*

Quia nullus dixit sibi verum, nec servavit sibi promissam fidem. Ideo Manfredus forte cognoscens mores eorum, acceleravit prœlium.

*- - - - - - E là da Tagliacozzo*;

Heic tangit quintum prœlium modernum, quod sequitur in ordine ad præcedens, quia gestum fuit per dictum Carolum contra Conradinum nepotem Manfredi. Et ad hujus prœlii magni memorabilis cognitionem est præsciendum, quod Carolus præfatus post victoriam de Manfredo habitam obtinuit libere Regnum. Et vocatus est Rex, & elatus. Nam factus generalis Vicarius Imperii per Papam in Tuscia, cœpit movere bellum contra Civitatem Pisarum. Pisani facta confœderatione cum Senensibus, & cum Domino Henrico fratre Regis Hispaniæ (hic tunc Senator Urbis erat inimicus Caroli, licèt esset Consanguineus ejus) miserunt in Alemanniam pro Conradino. Et dederunt operam, quod multæ Terræ rebellarent Carolo in Regno & Sicilia. Et miserunt Conradino centum millia Florenorum, qui erat juvenculus XVI. annorum. Qui recedens de Alemannia contra voluntatem matris, filiæ Ducis Austriæ, transivit in Italiam, & pervenit Veronam, sociatus decem millibus Germanorum. Ex quibus elegit tria millia & quingentos, ceteris remissis in Germaniam. Deinde transiens per Papiam & Januam, per Pisas, per Senas, pervenit Romam. Qui ubique receptus fuit magnifice tamquam Imperator. Idem postea Carolus recedens de Tuscia, pervenit in Apuliam, dimisso Marescalco suo in Tuscia ad obviandum Conradino. Qui procedens ab Urbe cum magno exercitu Germanorum & Italorum, sociatus cum Domino Henrico, qui habebat octingentos fortes milites Hispanos, noluit facere viam per Campaniam, quia sensit quod passus Ceperani erat bene munitus. Sed fecit viam inter montes Aprutii & Campaniæ per Vallem Cellæ, & sine aliqua resistentia transiens pervenit in planum Sancti Valentini in Contrata, quæ dicitur Tagliacozzo. Carolus sentiens adventum Conradini, recessit a Luceria, ubi erat in obsidione, & magnis dietis pervenit Aquilam. Qua Civitate confirmata in fide sua per transversum montium pervenit prope exercitum Conradini in dicta planitie. Et habebat minus tria millia hominum, & solum flumen erat in medio duorum exercituum. Tunc quidam Miles Francus senex, bonus & prudens, vocatus Dominus Alardus, qui rediens de ultra mare a Terra Sancta illis diebus appulerat in Apuliam, videns parvam gentem Caroli, & parvos viros, dixit fideliter Carolo, quod si volebat esse victor, oportebat eum magis uti arte belli quam viribus. Carolus multum fidens prudentiâ senis, commisit Alardo totum negotium illius belli. Alardus ergo ordinavit de gente Caroli tres acies. Et de prima fecit Capitaneum Dominum Henricum de Consentia Militem, magnum corpore. Quem fecit armari

mari armis & superfignis regalibus, loco Caroli, qui ducebat Provinciales, Lombardos, Tuscos, & Campanos. Secunda acies fuit ex Francis, cujus fecit ducem Guillielmum Ordandum, & posuit Provinciales ad custodiam dicti fluminis, ne exercitus Conradini posset transire impune. Et tertio mandavit, quod Rex Carolus cum flore totius Nobilitatis reponeret se in insidiis in uno vallabulo post unum colliculum. Et fuerunt DCCC. strenuissimi bellatores. Et ipse Alardus remansit cum ipso Carolo. Ex alia parte Conradinus similiter fecit tres acies; unam ex Germanis, cujus caput fuit ipse, & Dux Austriæ cum multis Comitibus & Baronibus. Secundam aciem fecit ex Italicis, cujus fuit dux Comes Galvagnus. Tertia acies fuit ex Hispanis, cujus fuit dux Dominus Henricus. Conradinus igitur suis ordinatis aciebus, plenus spe tentavit transire flumen, ut pugnaret cum Carolo. Habebat enim quinque millia militum. Et stante acie Provincialium, cujus erat dux Provincialium Henricus de Consentia ad custodiam pontis, & resistente Domino Henrico de Hispania, Hispani cœperunt transire flumen, & repellere aciem Provincialium. Conradinus & sui videntes, quod Hispani transiverant, cœperunt transire cum furore Theotonico, invadentes gentem Caroli. In brevi hora fuerunt omnes prostrati, ita quod acie Provincialium in fugam versâ, & interfecto Domino Henrico de Consentia, qui mentiebatur personam Caroli, Dominus Henricus credens vicisse Regem, invasit aciem Francorum & Italorum. Ex quo fugientibus omnibus ex parte Caroli, & deserentibus campum, Germani victores asperiter cœperunt currere per campum, & rapere prædam. Tunc Carolus, qui erat in colliculo cum Domino Alardo, & Guidone Comite de Monforte, videns utramque aciem suam: multis fugientibus ad eum, videbatur mori præ dolore, & volebat omnino succurrere suis. Sed prudens Alardus cum magno moderamine retinebat eum, persuadens, quod exspectaret, donec gens Germana avida prædæ spargeretur per campum. Videns Germanos nihil sibi timentes dispersim intendere prædæ, dixit: *Tempus est*. Tunc veniente acie Caroli, Conradinus cum suis putans, quod esset de gente sua, non occurrit illi. Quod videns Carolus cum sua acie stricta irruit super aciem, ubi erat Conradinus, ubi fuit acre prœlium, sed breve, quia gens Conradini erat pauca & fatigata, ceteris sparsis ad prædam. Unde acies ejus continuo diminuebatur, & acies Caroli augebatur, quia multi, qui fugerant e primo conflictu, revertebantur ad eum, cognoscentes insignia Regalia. Et cito gens Conradini fuit fusa. Conradinus videns fortunam belli tam cito mutatam, de consilio Baronum suorum exposuit se fugæ cum Duce Austriensi, & quibusdam Comitibus. Tunc circumspectus Alardus cernens fugam hostium clamabat altis vocibus, rogans Regem & Duces, ne recederent ab acie persequendo hostes, aut capiendo prædam, timens ne gens Conradini dispersa colligeretur, ac detegerentur insidiæ. Et bene opus erat tam salubri admonitione, quia statim Dominus Henricus, qui cum suis Hispanis sequuti fuerant fugam Provincialium & Italicorum per unam Vallem, & nihil viderat de pugna Caroli & fuga Conradini, collecta gente sua revertebatur ad campum. Qui videns aciem Caroli, credens esse Conradini, tamdem appropinquans, cognita fraude stupefactus, sed tamquam vir cordatus, non territus in tanto discrimine, restrinxit se cum suis. Ita & gens Caroli fessa, non tentavit invadere aciem ejus, ne fortunam suam exponeret periculo. Unde acies stetit firma contra aciem forte per horam. Sed Alardus astutus apposuit cautelam contra eum, quia per similitudinem fugæ cum paucis electissimis recessit ab acie. Hispani tracti vana spe digressi sunt ad persequutionem illorum. Carolus invasit Hispanos & Germanos jam dissolutos. Et Alardus cum suis recollectis, reconjunxit se aperte cum acie Caroli. Tunc reintegratum est ad terminum prœlium. Jam Hispani bene armati non sternebantur ictibus ensium. Sed Franci cœperunt eos amplecti, quia velociores & expeditiores erant. Et retrahebant eos ab equis. Et obtinuerunt victoriam. Multi ex utraque acie ceciderunt. Dominus Henricus fugit cum paucis ad Montem Casinum, & captus est ab Abbate illius Terræ. Et Dominus Carolus cum suis de consilio Domini Alardi remansit in acie usque noctem, ut sui recolligerentur, & reportaretur plena victoria. Hic conflictus fuit in Vigilia Sancti Bartholomæi die XXIV. Augusti, currentibus Annis Domini MCCLXVII. Et in loco dictæ victoriæ Carolus fecit fieri unam nobilem Abbatiam pro anima mortuorum ibidem, vel ad memoriam sui & gloriam. Quæ vocatur *Victoria*. Postea bellum solum remansit contra Pisanos. Sed Rex Franciæ Ludovicus frater Caroli consiliavit Carolum, ut haberet iter securum, quia volebat facere passagium in Barbariam, ut posset habere victualia & necessaria de Sardinia, quam tenebant tunc Pagani. Carolus inflatus tot victoriis, decrevit invadere Imperium Constantinopolitanum, sed infeliciter sibi cessit, sicut dicetur plene Cant. VIII. Paradisi. De morte vero Conradini dicetur plene Cant. XX. Purgatorii. Modò ad literam. Dicit Auctor, quod si congregarentur adhuc totæ istæ acies, seu gens earum, quæ fuit cæsa;

*- - - - e là da Tagliacozzo,*
*Ove senz'arme vinse il vecchio Alardo.*

Qui bene ostendit prudentiam similem: *Vinse senz'arme*. Et non intelligas, quod Alardus inermis pugnaverit, sicut multi exponunt. Immo armatus intravit aciem, sicut & reliqui. Sed Auctor vult dicere, quod victoria parta extorta fuit de manibus hostium, non tam viribus armorum Caroli, quam consiliis Domini Alardi de Vallati, senis prudentissimi, ita quod laus illius victoriæ fuit singulariter Domini Alardi.

*Ad Vers. 55.*

*Or dì a Fra Dulcin dunque, che s'armi.*

Heic Auctor nominat alium spiritum modernum ejusdem speciei; & artificiose fingit, quod Mahomettus, maximus princeps Schismatis, audiens quod erat Auctor vivus, & ad mundum reversurus, imponit sibi, quod prædicat uni amico suo, licèt ignoto, quod provideat sibi de proximo viventi. Ad cognitionem autem istius Mahometti novi est sciendum, quod sedente Bonifacio VIII. in Sede Petri, circa tempora, in quibus Auctor incepit istud sacrum Poëma, ortum est in Lombardia pravum Schisma, futurum perniciosum, nisi fuisset occursum. Cujus causa fuit *Frater Dulcinus Novariensis*. Hic siquidem Dulcinus, ut ab origine repetam vitam suam, fuit de Comitatu No-

Novariæ, de vico qui dicitur Pratum, quod subest Castro Romagnano juxta flumen Sicidæ. Infantulus venit Vercellas, ubi nutritus est in Ecclesia Sanctæ Agnetis juxta Portam Sarini fluvii, in quem intrat Sicida, sub Presbytero, qui vocatus est Augustus, qui eum misit ad scholas sub Magistro Ston . . . . Professore Grammaticæ. Erat enim acutissimi ingenii iste Dulcinus, ita quod in brevi factus est optimus Scholaris. Sed non diu occultavit pravitatem, quæ latebat sub egregia indole. Quum esset parvæ staturæ, facie lætus, & omnibus gratus. Nam surripuit furto Sacerdoti præfato certam pecuniæ summam, quia nimis fidebat ei. Ideo, ut sæpe accidit, Sacerdos imputabat hoc furtum cuidam familiari suo, cui nomen erat Patras. Qui moleste ferens injustam infamiam, clandestine Dulcinum captum compulit terrore privatæ torturæ ad confessionem furti, & iratus juste volebat ducere Dulcinum ad publicum supplicium. Sed Sacerdos Augustus prohibuit, ne fieret irregularis. Dulcinus autem territus recessit inscio Sacerdote, & contulit se ad extrema Italiæ ad Civitatem Tridenti. Ibi in montibus illis inter gentes rudes & credulas cœpit fundare novam Sectam in habitu Fraticelli sine Ordine, prædicans se verum Dei Apostolum, & quod omnia debebant communicari in caritate. Et quod licebat omnibus uti mulieribus indifferenter, ita quod nullus concubitus erat damnatus, nisi in matre & filia. Dicebat etiam & alia multum his similia. Episcopus Tridentinus sentiens errorem hunc pullulare in sua Diœcesi, expulit eum de montibus, in quibus inveniuntur aliquæ . . . . . . . . hujus Fratris Dulcini. Qui inde recedens transivit per montes multarum Civitatum Lombardiæ, crescente omni die multitudine magna, quia semper ibat per loca tuta, in quibus non posset faciliter capi. Unde fecit aliquam moram in montibus Brixiæ, Bergomi, Comi, ac Mediolani. Et tamdem ex omnibus expulsus, reversus ad partes natalis soli, sedem suam posuit in monte alto inter Novariam & Vercellas. Ubi habuit ultra tria millia hominum robustæ juventutis. Inter quos erant aliqui nobiles & divites. Nec mirum tamen; quia voluptates sectabantur, quarum erat ibidem officina plena; & quia Frater Dulcinus erat intelligens, & eloquentissimus, eo quod suavissimâ facundiâ suâ ita ligabat auditores, quod nullus accedens ad eum semel, poterat umquam recedere. Dulcinus igitur sentiens bellum parari contra se, munivit montem, qui usque in hodiernum diem denominatur ab eo Mons Gazari; & Villam vocatam Triverium ad radices montis juxta flumen Seserum, transportaverunt in Montem, & alias Villas circumstantes, & omnia victualia & necessaria, quæ tumultuarie poterant reperire. Tunc Populi Novariæ & Vercellarum cinxerunt montem obsidione cum machinis & aliis instrumentis bellicis aptis ad oppugnationem arcium. Et multi Crucesignati venerunt non solùm de Terris Lombardiæ, quæ olim vocabatur Gallia Cisalpina, sed etiam de Gallia Transalpina, sicut de Vienna, Sabaudia, Provincia, & Francia. Feminæ porrexerunt manum huic bello. Nam viduæ feminæ miserunt D. balistarios. Et ut breviter dicam, oppugnatio fuit dura & diuturna. Nam inclusi se pertinaciter defendebant. Sed tamdem fame, quæ expugnat omnes terrores, urgente, non potuerunt ulterius pati arctissimam obsidionem. Nam habebant magnam copiam pecuniarum, sed inopiam victualium. Comederunt enim usque ad pellicias. Tunc quidam consulentes saluti suæ redierunt ad veritatem, & dederunt se. Sed obsidio prædicta duravit per annum & diem. Et Schisma duravit per biennium. Tamdem Dulcinus captus cum uxore sua Margarita, quæ erat Tridentina, & quibusdam aliis, & ductus Vercellas, & carceri mancipatus, multum & diu persuasus a magnis Magistris, numquam potuit converti, ut vellet revocare errorem suum. Propter quod volente justitia cum tenaculis ignitis truncantibus carnes & spoliantibus usque ad ossa, fuit crudeliter laceratus, & ductus vicatim per Civitatem. Et quod notatum fuit a videntibus, & est mirabile dictu, inter tot & tam varia tormenta, dicitur numquam mutavisse faciem, nisi semel in amputatione nasi, quia strinxit parum spatulas; & in amputatione virilis membri juxta Portam Civitatis, quæ dicitur Picta, ubi traxit maximum suspirium cum contractione narium. Poterat Martyr dici, si pœna faceret Martyrem, & non voluntas. Quum autem lacerabatur tormentis, continuo hortabatur suam Margaritam, licèt absentem, ut esset constans. Illa vero imbuta doctrinâ ipsius Dulcini numquam deseruit mandata illius. Ideo pertinacius eo fuit firma in hoc errore, consideratâ sexus infirmitate. Nam quum multi Nobiles quærerent eam in uxorem, tum propter pulcritudinem illius immensam, tum propter ejus pecuniam magnam, numquam potuit flecti. Unde pari pœna cum Dulcino suo dulcissimo, ferro & igne lacerata, illum audacter sequuta est ad Inferos. Hujus Dulcini fuit Medicus Magister Raynaldus de Bergomo, cujus Nepos multa mihi narravit de homine isto. Nunc ad literam. Dicit Mahomettus Danti:

*Tu, che forse vedrai il Sol di breve,*

idest, qui cito redibis ad mundum viventium, ubi lucet Sol, qui nobis latet nec splendet. Et dicit forte, dubitative, vel quia non credebat illum rediturum aliquo modo ad mundum; vel si credebat, nesciebat, si cito an tarde; *Or dì a Fra Dolcin dunque*. Nomen conveniens sibi, quia venena propinans, *che s'armi*, idest muniat & fulciat.

*Sì di vivanda - - - - - -*

Ita victualibus, quia, ut patet ex narratis, fuit expugnatus fame;

*- - - - che stretta di neve,*

Hoc dicit, quia adveniente hyeme, deficientibus omnino victualibus, in monte frigido, non potuerunt ulterius tolerare molestiam famis, aliorumque incommodorum.

*Non rechi la vittoria al Noarese:*

Idest, non reddat eum victum vel captum Novariensibus Civibus suis. Et assignat rationem:

*Ch'altrimenti acquistar non saria leve.*

Quasi dicat, quod si non fecerit de armando se & providendo sibi; nam esset facile acquirere unde aleret & sustentaret se & gentem suam. Et dicit:

*S'egli non vuol qui tosto seguitarmi.*

Quasi dicat, si non vult cito mori, & venire ad eam pœnam, qua heic crucior tamquam bene meritus.

*Ad Vers. 64.*

***Un' altro, che forato avea la gola.***

Ista est tertia pars generalis hujus Capituli, in qua Auctor introducit unum spiritum modernum, qui seminavit schismata inter Dominos. Qui nominavit etiam alium Schismaticum, qui idem

idem fecit. Ad cognitionem autem primi est sciendum, quod Petrus de Medicina, quem Auctor introducit heic ad loquendum, fuit pessimus seminator scandali in tantum, quod se aliquandiu magnificavit & ditavit dolose ista arte infami. Et ecce modum gratiâ exempli. Si sensisset Petrus de Medicina, quod Dominus Malatesta de Arimino tractabat contrahere affinitatem vel societatem cum Domino Guidone de Ravenna, ivisset Petrus casu ad quemdam familiarem Domini Malatestæ, & petivisset affectuose: *Quomodo convalet Dominus meus?* Et post longam confabulationem dixisset ei in fine. *Dicas ipsi Domino meo Domino Malatestæ, quod mittat mihi fidum nuntium, cumque loqui possim, sicut secum, aliqua non spargendo in vulgo*. Advenienti tali nuntio petito dicebat Petrus: *Vide, carissime; Male libenter dicam, quia de honore meo esset fortè tacere. Sed sincera affectio, quam habeo ad Dominum meum Malatestam, non permittit me amplius dissimulare. Res sic se habet. Caveat sibi Dominus Malatesta ab illo de Ravenna, alioquin inveniet se deceptum*. Et statim remittebat dictum nuntium sic informatum. Et deinde illud idem falso fingebat apud Dominum Guidonem de Ravenna, persuadens, ut caveret sibi ab illo de Arimino. Tunc ergo Dominus Malatesta concepta suspicione ex verbis Petri, incipiebat remissius agere cum Domino Guidone, & paulatim incipiebat revocare quod cœperat. De quo perpendens Dominus Guido, dicebat: *Bene dicebat mihi verum Petrus de Medicina*. Et e contrario dicebat Dominus Malatesta. Et sic uterque deceptus mittebat ipsi Petro equos, jocalia, & munera magna. Et uterque habebat ipsum in amicum, qui erat familiaris inimicus: quo nulla pestis pejor est ad nocendum, ut ait Boëtius.

*Ad Vers.* 70.

*E disse: Tu, cui colpa non condanna,*

Idest, o Dantes, qui non es damnatus ad pœnam propter culpam, sicut ego & alii infelices:

*E cui già vidi su in Terra Latina,*

idest, in Medicina patria mea, quæ est inter Bononiam & Imolam. Et dicit:

*Se troppa somiglianza non m'inganna.*

Hoc dicit, quia nimia similitudo sæpe decipit hominem. Quasi dicat: Si non fallor, videtur mihi, te vidisse in vita mea in patria mea. Et verum dicit, & non fallitur. Unde debes ulterius scire, quod Medicina est Villa grossa & pinguis inter Bononiam & Imolam. Et est territorium per se, & habebat olim Arcem fortem. Et ibi regnaverunt olim quidam nobiles & potentes, qui vocati sunt Capitanei de Medicina, quorum hodie nullus exstat. Et de hac Domo fuit iste Petrus. Et ad domum istorum pervenit sæpe Dantes. Et interrogatus, quid sibi videretur de Curia illa, respondit, se non vidisse pulcriorem in Romandiola, si ibi esset modicum ordinis. Ideo Petrus nunc reducit se ad memoriam, sic sibi dicens:

*Rimembrati di Pier da Medicina.*

Utitur vocabulo regionis, & dicit:

*Se mai torni a veder lo dolce piano,*

Scilicet, Lombardiæ & Romandiolæ, quæ est terra plana & suavis, ac dulcis. Et tangit confinia, dicens:

*Che da Vercelli a Marcabò dichina.*

Hoc pro tanto dicit, quod Civitas Vercellarum est in extremo Lombardiæ, & Marchabò quasi in fine fluminis Padi Unde scias, quod Marchabò fuit unum Castellum, quod ædificaverunt Veneti in agro Ravennate juxta fauces Padi, ut haberent illum passum in potestate sua, ut per manus eorum transirent omnia, quæ devehuntur per mare in Padum. Istud autem Castellum Dominus Robertus de Polenta cepit, & evertit a fundamento post conflictum, quem receperant Veneti apud Ferrariam in MCCCVIII. Vult ergo dicere Petrus Auctori: Si contingat umquam, te videre terram a Vercellis usque Ravennam. Et hoc dicit Petrus signanter, quia ipse erat solitus texere retia sua inter Dominos Lombardiæ & Romandiolæ.

*E fa saper a i due miglior di Fano;*

Heic Petrus prædicit Auctori enorme facinus, quod committendum erat per unum Dominum Romandiolæ contra Dominos nobiles suos vicinos. Hoc autem fingit Auctor, ut ostendat, quod iste erat solicitus noscere secreta Dominorum, & revelare. Ideo heic detegit unum malum futurum. Ad cujus intelligentiam debes præscire, quod Malatestinus Tyrannus in Civitate Arimini, quem Auctor vocat Mastinum novum in Cant. præcedenti, ordinavit fallaciter unum parlamentum in Vico, qui dicitur Catholica. Ad quod invitavit duos præcipuos Cives de Civitate Fani. Qui quum venirent per mare in navi, & pervenissent ad plagiam juxta montem, qui vocatur Focaria, fuerunt præcipitati in mare, & suffocati ab iis, qui erant in navi, sicut præordinatum erat per dictum Malatestinum. Dicit ergo Petrus Auctori: *E fa saper a i due miglior di Fano*, idest, duobus Nobilibus de Civitate, quæ dicitur Fanum, in litore maris Adriatici, distans ab Arimino per XXX. milliaria: scilicet

*A Messer Guido, & anco ad Angiolello,*

Guido erat nobilis Miles illo tempore in dicta civitate, qui vocatus est Dominus Guido del Casaro. Angiolellus fuit alius nobilis qui vocatus est Agnolellus de Carignano; & hi ambo erant principes dictæ Civitatis.

*Che, se l'antiveder qui non è vano,*
*Gittati saran fuor di lor Vasello.*

Idest, de corpore, vel de navi. Utrumque enim verum est, quia fuerunt projecti de navi in aquam, & privati simul vitâ. Ideo dicit:

*E macerati presso a la Catolica.*

Catholica enim est Terra satis deserta hodie juxta mare inter Ariminum & Pensaurum. Et specificat auctorem hujus mali, dicens:

*Per tradimento d'un Tiranno fello.*

Scilicet, Malatestini ferocis. Verè audax homo fuit, qui Tyrannum tam astutum, tam potentem, & sibi vicinum, non erubuit tam aperte infamare adhuc viventem. Et dicit: *Che, se l'antiveder quì non è vano*: quasi dicat, si damnati in Inferno possunt prævidere futura.

*Ad Vers.* 89.

*Poi farà sì, ch' al vento di Focara*
*Non farà lor mestier voto nè preco.*

Ad intelligentiam hujus debes scire, quod Focaria est una alta montanea prope Catholicam supra mare, ubi solent esse magnæ tempestates, & fieri mala naufragia. Unde navigantes solent facere magna vota & preces. Unde conversum est in proverbium illud: *Deus custodiat te a vento Focariensi*. Vult ergo dicere Petrus in effectu, quod non casu fortuito, vel divino Judicio, submergerentur in undis vi ventorum, sed fraude hominum suffocabuntur ibi. Et ideo Auctor nunc exquirit a prædicto Petro de illo magno Schismatico antiquo, de quo incidenter fecerat mentionem, dum vellet nominare Ariminum. Et primo Auctor adjurat Petrum, ut sibi dicat, quis est ille, qui numquam voluisset vidisse Ariminum. Unde

Unde adnectens partem sequentem præcedenti, dicit :

*Et io a lui : - - - - - -*

Scilicet , dixi Petro :

*- - - - Dimostrami e dichiara ,*
*Chi è colui da la veduta amara .*

Ideft, qui amare vidit Ariminum, & malo suo.

*Se vuoi , ch' io porti su di te novella .*

Scilicet , ad Mundum . Hoc enim petierat Petrus supra , quando dixit ; *Rimembrati di Pier da Medicina* . Et nota quantâ arte utitur Auctor heic , qui fingit , quod Petrus de Medicina ita infamet & accuset unum Tyrannum de Arimino , quia noverat eum , & ejus mala . Et deinde confirmat & accusat unum antiquum , qui seminavit discordiam perniciosam Arimini , ubi ipse aliquando idem fecerat ibi inter Dominos de Arimino & alios de Romandiola .

*Ad Verf.* 103.

*Et un , ch' avea l'una e l'altra man mozza ;*

Ista est secunda pars generalis , in qua Auctor describit duos Spiritus modernos , quorum alter seminavit magnum schisma in patria, alter inter parentes . Describit ergo primum a sua speciali pœna . Ad cujus cognitionem est sciendum , quod iste fuit quidam Nobilis Miles de Lambertis de Florentia , nomine Musca , qui persuasit palam in Consilio Nobilium Gibellinorum de Florentia , ubi erant Uberti , Lamberti , Amidei , & multi alii , quod quidam egregius juvenis , vocatus Bondelmonte de Bondelmontibus trucidaretur , quia dimissâ temere unâ de Amideis , quæ erat sibi promissa, duxerat aliam de Donatis in uxorem. Et quum quidam seniores in Consilio illud dissuadentes, dicerent, quod finis erat prospiciendus, Musca dixit illud vulgare proverbium : *Res facta finem capit*. Deinde ipse cum quibusdam aliis de parte sua iverunt & trucidarunt dictum Militem Bondelmontem . Ex quo postea nata est tanta lis , quod magnates de parte Gibellina sunt expulsi . Hæc Historia tangitur plenius Cant. XVI. Paradisi ; ideo breviter eam prætermisi . Ad literam ergo dicit Auctor: *Et un, ch' avea l'una e l'altra man mozza* . Et heic nota quod Auctor dat isti debitam pœnam , quia ex consilio ejus deventum est ad sanguinem, ad mortem , ad vulnera ; & quia Musca non solùm lingua , sed cum manibus procuravit dictam discordiam . Ideo bene ab Auctore ponitur sine manibus .

*Ad Verf.* 117.

*Sotto lo sbergo del sentirsi pura*

Heic Auctor præmissa laudabili excusatione describit ipsam pœnam nobilem . Ad cujus intelligentiam claram oportet præscire, quod iste Schismaticus ultimus commisit pessimum particulare schisma . Fuit igitur quidam Nobilis Miles de Anglia , vel ut aliqui dicunt , de Guasconia , nomine Beltrandus del Bornio , datus & deputatus ad curam & custodiam Johannis filii Henrici Regis Angliæ,qui Johannes cognominatus est Juvenis . Hic Juvenis,quum puer educaretur in aula Regis Franciæ, accidit, quod quidam Nobilis petivit quamdam gratiam Regi Franciæ, cui Rex omnino denegavit. Ex quo iste erubescens recedebat confusus . De quo Rex perpendens, convertens se ad circumstantes dixit : *Est ne aliquid tam grave & molestum , quantum est petere , & negare* ? Tunc Juvenis reverenter respondit : *Certè , inclyte Princeps . Negare est molestius egregio animo* . Rex admiratus grave responsum, quod prodierat ex ore Juvenis , commendavit magnifice puerum , asserens ipsum futurum verè magnanimum . Quod cuncti audientes confirmaverunt . Revocato itaque illo , qui petierat gratiam , fecit sibi libere , quod petebat, contemplatione pueri . Beltrandus tunc captus amore pueri , decrevit vivere & mori cum puero , & numquam dimittere ipsum usque ad mortem . Juvenis ergo pubescens factus est liberalissimus & munificentissimus omnium, & omnia effusione erogabat, nemini aliquid denegando ; propter quod Henricus pater assignavit sibi certam partem Regni , secundùm quam cito pauperavit sua liberalitate immensa . Deinde pater transtulit eum ad aliam partem Regni . Sed nulli reditus sufficiebant largitati illius , immo continuò accipiebat mutuo ab aliis , & semper erat debitor multis . Quum autem fatigasset fere Regnum liberalitate sua , Beltrando semper laudante & confirmante , factus est odiosus patri, qui venit contra eum cum exercitu. Et quum obsedisset eum in quadam Terra , quæ vocatur Altaforte , Rex Juvenis die quadam egressus , valenter pugnans , percussus est lethaliter cum balista . Et relatus intra fortilitiam cum suis , dixerunt ei , quod disponeret de factis suis . Dicebat Juvenis : *Quid habeo disponere , quum nihil habeam* ? Tunc quidam Factor unius magnæ Societatis de Florentia , scilicet Bardorum , qui præstiterat sibi magnam summam forte centum millium Aureorum , lacrymabat dicens : *Et ego , bone Domine, quid faciam* ? Tunc Juvenis suspirans dixit: *Tu solus cogis me facere testamentum*. Et continuò vocato Notario condidit testamentum . Et inter alia fecit mirabile legatum , dicens : *Relinquo animam meam Diabolo , ni pater meus integre solverit omnia debita mea* . Rege Juvene mortuo , Castrum redditum est Regi Henrico patri , & Beltrandus captus . Cui Rex fertur dixisse : *Beltrande , audio te sæpe inaniter jactasse , quod numquam fueris operatus medietatem tuæ prudentiæ . Nunc opus est , ut exerceas totum scire tuum* . Cui Beltrandus sagacissime respondit : *Inclyte Domine , mortuo Rege Juvene, mortua est omnis Prudentia mea, Ingenium , & cautela* . Tunc Rex pietate motus libere pepercit sibi . Deinde quum Rex familiariter increparet Beltrandum , cur numquam reprehenderat & revocaverat Juvenem a vanis operibus suis , respondit Beltrandus prudenter : *Numquam vidi ipsum errare in re minima* . Tunc renovatus est ploratus patris super mortem nobilissimi filii sui .

*Ad Verf.* 135.

*Che diedi al Re Giovanni i mai conforti .*

Heic nota , quod Juvenis fuit quasi alter Titus Vespasiani filius , qui teste Svetonio dictus est *amor & deliciæ generis humani*. Et fuit liberalissimus , ut ille , & placidissimus , pulcherrima schemata semper faciens . Et parum vixit , sicut & Titus , & mortuus est in bellis . Cui successit Ricardus strenuissimus bellorum , qui fecit magnalia in capiendo Civitatem Acon . Et dicit :

*E perchè tu di me novella porti ,*

Ideft , hoc dico , ut possis portare nova ad mundum , ad quem audio te rediturum . Et specificat formam suæ culpæ , dicens :

*Io feci il Padre e 'l figlio in se ribelli .*

Ideft , feci Regem Juvenem , & Henricum veterem ejus patrem hostes infestos inter se .

*Ad Cant. XXIX. Verf.* 27.

*Et udil nominar Geri del Bello .*

Ad cognitionem istius nominati est sciendum, quod iste Gerius vir nobilis fuit frater Domini Cioni del Bello de Aldigheriis; qui homo molestus & schismaticus fuit interfectus ab uno de Sacchettis nobilibus de Florentia, de quibus fit mentio Cant. XVI. Paradisi. Qui seminaverat discordiam inter quosdam. Cujus mors non fuit vindicata per spatium XXX. annorum. Finaliter filii Domini Cioni, & nepotes præfati Gerii, fecerunt vindictam, interficiendo unum de Sacchettis in ostio suo. Et respondit Vergilius quasi tacite. Quia enim Dantes dicere posset, quomodo ego non vidi ipsum? dicit Vergilius:

*Tu eri allor sì del tutto impedito*,

Idest, penitus occupatus cum oculis defixis

*Sovra colui, che già tenne Altaforte*.

Scilicet, Beltrandum del Bornio, qui unum Oppidum in Anglia olim tenuit. Et nominat istam terram nunc incidenter, quia non nominaverat eam supra, ubi agebatur de principali materia;

*Che non guardasti in là, sì fu partito*.

Et bene dicit, quia de rei veritate Auctor debuit esse saltem abstractus in fictione profunda, quam superius fecit in descriptione illius pœnæ mirabilis. Ideo menti suæ occupatæ circa illam speculationem non occurrit Gerius del Bello, qui videbatur nominandus inter istos schismaticos vulneratos & laceratos; qui in vita fuit truncatus ferro ob istam culpam. Et post mortem cæditur a Diabolo, sicut & alii.

*Ad Vers.* 36.

*E ciò m'ha e' fatto a se più pio*.

Quasi dicat: In hoc magis doleo & compatior, quia pulcrum & pium videtur facere vindictam de parentibus in isto mundo. Et heic volo te notare, quod quum omnes homines naturaliter tendant ad vindictam, Florentini ad hoc maxime sunt ardentissimi & publice & privatim. Quod bene ostenderunt iis temporibus Ecclesiæ Romanæ, cui fecerunt rebellare magnam partem Italiæ, cum magna desolatione omnium Terrarum & excidio multorum. Unde credo quod signanter fecerit heic Auctor istam fictionem singulariter ista de causa, in qua ostendit, istum spiritum Florentinum adeo indignari de vindicta non facta de eo, & se absentare illi. Bene audivi, optimos Florentinos maxime damnantes genus Florentinorum animo & appetitu vindictæ. Ideo Auctor bene introducit Vergilium sapientem virum, qui sibi hoc dissuadebat.

*Ad Vers.* 46.

*Qual dolor fora; se de gli Spedali*
*Di Valdichiana* - - - - - -

Ad hoc est sciendum, quod Chiana est quædam Vallis palustris, mortua, & marcida in Tuscia, inter Clusium, Aretium, & Cortonam, in territorio Civitatis Senarum. Quæ reddit aërem pestilentem in æstate, quando est intensus calor. De qua etiam fit mentio in Cant. Paradisi. Juxta autem Vallem istam erat illo tempore Hospitale de Altopassu, ubi solebant esse multi pauperes infirmantes, & per consequens magnus dolor;

- - - - - - *tra 'l Luglio e 'l Settembre*.

Idest de mense Augusti. Sicut enim locus est causa infirmitatis, ita & tempus maxime Augustus est infirmus mensis, etiam in locis sanis. Et dicit:

*E di Sardinia e di Maremma i mali*,

Idest; qualia mala exeunt de Maritima. In Maritima enim Romana solent multi infirmari dicto tempore. Similiter multi infirmantur in Sardinia. Et heic nota, quod in prædictis locis causa infirmitatis est corruptio aëris & aquæ propter ventos meridionales, & excessivum calorem. Unde Insula Sardiniæ habet aërem pestilentem, maxime circa extrema litora sua. Non sic in mediterraneis montibus & locis. Et tamen Sardi magis habitant litora ad defensionem Insulæ, quæ est ex opposito Barbariæ. Unde Medici & Mercatores de Italia in Sardiniam accedentes, cito infirmantur & moriuntur.

*Ad Vers.* 58. *& seqq.*

*Non credo già, ch'a veder maggior tristizia*
*Fosse in Egina il Popol tutto infermo*.

Hæc est breviter fictio, quæ pro magna parte continet historiam veram. Et primo quidem pestis ista fuit olim magna, quæ spoliavit quasi totam Civitatem habitatoribus primis. Sicut simile vidimus diebus nostris in multis Terris. Et de aliquibus audivimus. Sicut in MCCCXLVIII. quæ orta est in partibus Orientis, ita fatigavit humanum genus, quod multæ Terræ destructæ sunt etiam in Occidente nostro. Et præcipue Sicilia fuit vexata istâ epidimiâ, & Sardinia multo plus. Quia ex decem, novem periisse dicuntur. Postea in MCCCLXII. fuit alia pestis magna; & pridie alia tertia. Hæc autem pestis inguinum provenit ex multa corruptione aëris. Ideo bene fingitur, quod fuit causata ex ira Junonis, quia Juno dicitur Dea aëris a Poëtis.

*Ad Vers.* 81.

*Del pizzicor, che non ha più soccorso*.

Sciendum, quod metalla sunt differentiata inter se solùm per accidentalem formam, & non per substantialem, quoniam omnia metalla generantur ex argento vivo & sulphure. Natura autem in suo principio intendit adducere perfectionem metalli, quia agit propter finem, ut dicitur Secundo Physicorum. Manifestum est ergo, quod adducit aliud quam perfectionem, hoc est præter intentionem, & sic per accidens. Igitur in generatione auri concurrit sulphur rubeum mundum, & argentum vivum purificatum in . . . . . . . . putrida terræ. Unde inter omnia metalla duo sunt solummodo perfecta, scilicet aurum & argentum. Et ista producuntur secundùm intentionem Naturæ. Cetera propter corruptionem Naturæ & suarum partium, insana & imperfecta. Quam malitiam si Alchimista intendit sanare, reducendo illam in suas primas partes, scilicet in sulphur & in argentum vivum, cum calcinatione vel distillatione, non peccat. Et ista purgatio refrigeratur simul cum certis aquis vel herbarum succis. Verumtamen licèt Ars ista forte sit vera, tamen non videtur possibilis apud modernos. Unde videmus de facto, quod omnes veniunt consumti. Et si reperitur aliquis antiquorum, nullus tamen modernorum, quem adhuc scire potuerim, consequitur finem suum. Et heic loquendo de Inferno morali, omnes Alchimistæ, sive licite sive illicite operentur, habent pœnam suam, quia semper frustra laborant, ut acquirant inopiam & egestatem.

*Ad Vers.* 109.

*Io fui d'Arezzo. Et Albero da Siena*.

Heic Auctor ostendit, quomodo unus illorum responderit, specificans se per nomen, & causam suæ mortis, & aliam causam suæ damnationis. Ad cujus cognitionem est breviter scienda res jocosa. Fuit ergo in nobili Civitate Senarum circa tempora Auctoris Magister Griffolinus

finus de Aretio, magnus Naturalis & Alchimista. Qui astutissimus traxit magnam familiaritatem cum quodam filio Episcopi Senensis, cui nomen erat Albarus; a quo sagaciter emungebat pecuniam & munera multa. Quia ille cum lingua sua mirabili promittebat illi simplici & fatuo facere mirabilia magna. Inter alia, dum Albarus iste levissimus miraretur & laudaret Griffolinum, dicens: *O quale est ingenium tuum!* dixit Griffolinus: *Certe ego scirem facere impossibilia per Naturam. Quid dices, si me videres patenter volare more avis per aërem?* Albarus pinguis & pecuniosus expensis Crucifixi, cœpit rogare, ut doceret eum Artem volandi artificialiter, qui tamen erat per naturam levissimus ad volandum cum sua mente inanissima. Multa ergo dabat, & plura promittebat. Sed Griffolinus ludificabat eum, & dabat illi verba in solutum. Tamdem Albarus videns se delusum & deceptum, conquestus est Episcopo patri suo. Qui accensus indignatione magna, fecit formari unam inquisitionem contra eum, qualiter exercebat Magicam, quam tamen ille ignorabat. Et sub isto colore fecit eum igne cremari. Nunc ad literam. Dicit Auctor:

*Rispose l'un - - - - - - -*

scilicet, Griffolinus petitioni meæ: *Io fui d'Arezzo*. Et est argumentum a loco. Quia Aretium communiter habet acuta ingenia. *Et Albero da Siena*, quæ Civitas aliquando producit gentem vanam:

*- - - - - - mi fe' metter' al fuoco.*

Et hoc dicit, ad extenuandam suam infamiam, quæ fuit causa, quia combustus fuit in Mundo, alia qua est damnatus tamen in Inferno. Unde dicit:

*Ma quel, perch'io morì, quì non mi mena.*

Scilicet, culpa Artis Magicæ non me duxit ad istam pœnam. Sed certè causa vera, quare fecit me mori, fuit, quod

*Ver' è, ch'io dissi a lui, parlando a gioco*,

scilicet, illi Albaro, pro ludo, quia habebam solatium de ejus fatuitate:

*I' mi saprei levar per l'aere a volo.*

Quasi dicat: Tantum scio, quod scirem volare per aërem, si vellem. Et statim avis inescata est ad blandum sonum aucupis. Unde dicit:

*E quei ch'avea vaghezza e senno poco*;

Scilicet, Albarus, vere arbor magna sine sensu; qui habebat multum lasciviæ & nihil providentiæ;

*Volle, ch'io gli mostrassi l'arte*,

scilicet, volandi,

*- - - - - - - - - - - - e mi fece*

*Ardere a tal, che l'avea per figliuolo.*

Idest, Episcopo Senensi, qui habebat ipsum Albarum pro filio, licèt forte non esset, quia genitus ex meretrice. Et si erat, non audebat dicere, quia sæpe Sacerdotes consueverunt filios suos dicere Nepotes.

*Ad Vers.* 121.

*Et io dissi al Poeta. Or fu giamai*
*Gente sì vana, come la Sanese?*

Auctor gratiâ præmissæ vanitatis facit unam digressionem, hoc est unam invectivam mordacem & irrisoriam contra Senenses, vanissimos hominum; Unde dicit. *Et io*, idest ego Poëta Dantes considerans dementiam illius Albari Senensis, & patris ejus, qui non erubuit tradere hominem flammis igneis pro una bussa, de qua debebat potius ridere, & dissimulare, si volebat consulere honori suo; ubi sic præcipitanter agendo, incurrit perpetuam infamiam, ne dicam pœnam. *Dissi al Poeta*, scilicet Vergilio: *Or fu giamai gente sì vana come la Sanese?* Quasi dicat: Nulla gens fuit tam vana in aliquo tempore, vel in aliquo loco. Et continuo specificat vanitatem Senensium per comparationem ad gentem Gallorum. Et respondens sibi ipsi dicit sic:

*Certo non la Francesca sì d'assai.*

Quasi dicat: licèt Gallici sint communiter vanissimi omninm Nationum, non tamen sunt vani, sicut Senenses. Ad cujus intelligentiam est sciendum, quod Galli sunt genus vanissimum hominum ab antiquo. Sicut patet sæpe apud Julium Cæsarem, aliàs Celsum. Et hodie patet de facto. Videmus enim, quod omni die adinveniunt novos habitus, & novas formas vestium. Unde non est mirum in eis, quod non habeant suam fogiam. Portant enim catenam ad collum, circulum ad brachium, punctam ad calceum, pannos breves, ita quod ostendunt culum, & partem obscœnam corporis occultandam, & caputium ante faciem ad tegendam partem corporis honestam potius manifestandam. Et ita de multis vanitatibus. Unde miror, & indignor animo, quando video Italicos, & præcipue Nobiles, qui conantur imitari vestigia eorum, & discunt Linguam Gallicam, asserentes quod nulla est pulcrior Lingua Gallicâ: quod nescio videre. Nam Lingua est bastarda Linguæ Latinæ, sicut experientia docet. Nam quum possint bene proferre *Cavaliero*, dicunt *Chevalier* corrupto vocabulo. Similiter quum nesciant dicere *Signore* dicunt *Sir.*, & ita de ceteris. Hujus rei testimonium habemus, quod adhuc quando volunt dicere: *loquere vulgariter*, dicunt, *loquere ratione*; & eorum vulgaria appellant *Romancia*. Non ergo deberent Italici Nobiles subjicere suam nobilitatem ignobilioribus. Nota, quod aliqui dicunt, quod Auctor meritò comparat Senenses Gallis, quia ab eis originem habuerunt. Scribit enim Johannes Anglicus in suo Policrato Lib. VI. quod Senonenses Galli Urbem condiderunt Senarum ex senioribus & debilioribus suis. Et dicit, quod hoc arguit ad hanc similitudinem, quia Senenses in lineamentis membrorum, & formositate faciei, & gratia coloris, & moribus ipsis, videntur appropinquare ad Gallos, licèt vetustas temporis, plaga Orbis, situs regionis, conversatio vicinorum, quibus sanguine & moribus permixti sunt, mutaverint eos ex magna parte. Verumtamen quidquid dicatur de Senensibus, non videtur verum, quia Civitas illa non est tam antiqua, nec est nominata apud Titum Livium, vel alium Historicum antiquum, quem noverim. Sed credo, quod Auctor iste fallatur sub æquivoco, sicut in aliquibus aliis. Nam Guascones bene condiderunt Senogaliiam in litore maris Adriatici, quæ prius vocata est Sena, sicut clare scribit Titus Livius, quod Claudius Nero Consul Romanus veniens cum exercitu in subsidium Livii Salinatoris collegæ sui contra Asdrubalem, pervenit Senam, deinde vicit Asdrubalem prope fluvium Metaurum. Qui Metaurus distat a Senogallia forte per XII. milliaria. Unde heic Auctor introducit secundum socium confirmantem dictum, sic dicens:

*Onde l'altro lebbroso, che m' intese*,

Scilicet, Alchimista, leprosus, quia habebat scabiem incrustatam ad modum lepræ, qui intellexit me ita loquentem vera de vanitate Senensium. Iste autem spiritus Alchimista fuit quidam Magister Capochius Florentinus, vir inge-

ingeniosus ad omnia, maxime ad transmutandum metalla. Qui adhuc ut quidam dicunt, fuit combustus in Civitate Senarum. Ideo Auctor dat bene ipsum in socium Magistro Griffolino prædicto, quia fuit sibi par in Arte culpâ & pœnâ.

*Rispose al detto mio. - - - -*

Ad intelligendam istam literam obscuram, volo te scire, quod Auctor non contentatur narrasse unam singularem vanitatem unius Senensis. Fingit alium ex transverso narrare aliam magis memorabilem & dignam censoriâ notâ, quæ breviter est talis. In Civitate Senarum facta est per tempora moderna quædam Societas vanissima, quæ voluit appellari Nobilis, & Curialis, & vulgo appellata est *Spendaritia*. Fuerunt enim, ut audivi, duodecim juvenes omnes ditissimi, qui convenerunt concorditer inter se de faciendo rem, de qua omnium linguæ loquerentur cum risu, ad quorum notitiam pervenirent. Posuerunt ergo singuli decem & octo millia Florenorum, unde in summa posuerunt ducenta sexdecim millia Florenorum in cumulum. Et statuerunt, quod quicumque expenderet aliquid parte, statim tamquam indignissimus expelleretur de tam liberali sodalitio. Conduxerunt ergo datis legibus inter se pulcherrimum palatium, in quo quilibet habebat cameram commodissimam cum ordinatissimis arnesiis & supellectilibus; ubi conveniebant omnes simul, bis in mense epulantes splendide & sumtuose. Et ut tangam breviter generales observantias, ad omne convivium apponebantur tria mensalia. Primum quorum colligebatur per domicellos, discumbentibus convivis nobilibus, & cum omnibus jocalibus, vasis, cultellis aureis & argenteis, projiciebantur per fenestram. Secundum mensale, in quo comedebant epulas, servabatur; similiter & tertium, quo tergebant manus. Faciebant autem cibaria varia insolita & incognita humanis usibus; quomodo, & qualiter, nescio; quamvis audiverim narrari multa de eis, quæ vel ficta sunt, vel aliorum dicta fuerunt. Explorabant autem diligenter, quando veniebat aliquis magnus Dominus, vel vir magnæ nobilitatis. Et euntes illi in occursum, deducebant illum cum magna celebritate ad eorum palatium, cum magna pompa, & honorabant eum, donantes munera magna & cara. Et heic suum potissime posuerunt finem insanissimæ vanitati, quæ duravit solùm per decem menses. Nam cito devenerunt ad inopiam, & facti sunt fabula vulgi, paritura semper risum ad memoriam audientium. Unde factæ sunt duæ Cantiones placibiles de eis; quarum altera continet delicias eorum & delectationes eorum; altera verò calamitates & miserias, quas habituri erant. Nam de rei veritate aliqui eorum iverunt ad Hospitale. Ideo Auctor voluit dimittere memoriam aliis in exemplum, ut considerato fine, quem habuerunt, sibi caveant. Sponte hoc tetigi breviter heic de vanitate quorumdam Senensium in particulari. Sed de vanitate eorum in communi dicetur Cant. XIII. Purgatorii. Nunc ad literam. Dicit Auctor, quod Magister Capochius respondit sibi, adjurans eum contra Senenses:

*- - - - - - Tranne lo Stricca,*

Idest, excipe mihi, & excipere debes Stricca, quod nomen est unius Senensis:

*Che seppe far le temperate spese.*

Et loquitur ironice & irrisive, ac si dicat: qui fecit immensas & vanas expensas. Et nominat alium, dicens:

*E Niccolò; - - - - - - - -*

Supple: & excipe mihi Nicolaum. Iste fuit unus de Bonsignoribus de Senis, quem describit a nova inventione, mali moris, dicens:

*- - - - - - che la costuma ricca*
*Del Garofano prima discoperse.*

Qui primus id reperit. Et nota, quod aliqui dicunt, quod iste Nicolaus faciebat, famulum assistentem mundare sibi Garofanum. Sed istud est vanius dicere, quam fuerit facere. Alii dicunt, quod faciebat poni Gariofolum in assatis; Sed ista non fuisset inventio nova, nec expensa magna. Alii dicunt, quod faciebat assari Phasianos & Capones ad prunas factas ex Cariophylis. Et hoc credo verum. Quia ista fuit expensa maxima, novissime vanissima adinventa. Sicut & aliæ similes narrantur. Qui faciebant coqui Florenos in sapore, & illos apponentes ori sugebant & abjiciebant. Et dicit signanter:

*Ne l'orto, dove tal seme s'appicca:*

In Civitate Senarum, ubi vana gulositas seminata cito pullulat & germinat. Et de rei veritate hæc Civitas est velut hortus, florida & amœna. Et subdit Capochius. Et ut cito dicam:

*E tranne la brigata - - - - - -*

Quasi dicat: excipere non debes artificia vanitatis,

*- - - - - - - - in che disperse*
*Caccia d'Ascian la vigna, e la gran fronda.*

Idest; in qua Societate vana Caccia (nomen est proprium viri) de Asciano, (Ascianum est Nobile Castrum, unde fuit oriundus iste Caccia, qui ita expulit a se squammas suas more Alchimistarum, sed vanius & ridiculosius). Unde dicit: *Disperse la vigna, e la gran fronda.* Habebat enim iste pulcherrimam & præclaram possessionem, quam vendidit, & consumsit in ista brigata fatua. Ideo dicit:

*E l'abbagliato il suo senno proferse.*

Idest, propalavit abbacinatus. Quia post istud factum apparuit ejus dementia, quum primo reputaretur prudens.

*Ma, perchè sappi, chi sì ti seconda*
*Contra Senesi, aguzza ver me l'occhio,*

Heic prædictus Capochius manifestat se ipsum a nomine, ab ingenio, a vitiis, dicens: *aguzza l'occhio*, scilicet speculationis tuæ; *ver me*, ut cognoscas hominem valde acutum:

*Sì, che la faccia mia ben ti risponda,*

Scilicet, ut possis melius cognoscere me. Hoc dicit, quia erat totus scabiosus & fumigatus. Unde dicit:

*Sì vedrai, ch'io son l'ombra di Capocchio;*

Quem tu bene vidisti in vita,

*Che falsai li metalli con l'Alchimia:*

Et sic vide, quod iste fuit usus Alchimiâ illicite, quia dicit *falsai*. Et hoc dico, *perchè sappi, chi sì ti seconda*: idest quia scias, quis est qui te ita sequitur confirmando dictum tuum *Contra Senesi*. Hoc dicit, quia libenter male loquitur de eis, quia fuit ibi combustus. Et concludit tangens acumen ingenii.

*E ti dè ricordar, se ben t'adocchio;*

Idest, si cum oculo bene te respicio, quasi dicat, si bene te recognosco, quia fui tibi notus in vita. Nam semel die quodam Veneris Sancti quum staret solus abstractus in quodam Claustro, effigiabat sibi totum processum Passionis Domini in unguibus mira artificiositate. Et quum Dantes superveniens quæreret: *Quid est quod fecisti?* iste subito cum lingua delevit quid-

quidquid cum tanto labore ingenii fabricaverat. De quo Dantes multum arguit eum, quia istud opus videbatur sibi non minus mirabile, quam opus illius, qui totam Iliadem tam subtiliter descripsit, quod in testa nucis claudebatur. Et alius fecit formicas eburneas. Ideo breviter dicit:

*Com' io fui di natura buona Scimia.*

Scilicet, contrafaciendo omnia, sicut Scimia facit. Ultimo nota, Lector, quod Dantes appellat istum Scimiam. Verè mihi videtur fuisse nobilior Scimiâ, quàm umquam aliquis alius, quum sciverit tam mirabiliter & subtiliter cognoscere naturas omnium hominum cujuscumque conditionis, professionis & fortunæ, & eorum mores, actus, & proprietates, tam utiliter, quam delectabiliter repræsentare.

*Ad Cant. XXX. Vers.* 40.

*Questa a peccar con esso così venne* &c.

Heic Griffolinus comparat Myrrham furiosam Vanni Schicchi furioso, de quo jam fecerat mentionem. Et hoc facit magnâ arte, ut revertatur ad declarandum, quid fuerit prædictus Vannes, & quid fecerit, propter quod sit punitus furore simili cum Myrrha. Nam fuerant socii in una specie culpæ, ideo ponit eos socios in eodem genere pœnæ, licèt distantes per longissima temporum spatia. Igitur ad cognitionem istius Vannis est sciendum, quod Bosius de Donatis de Florentia, licèt esset nobilis Miles, & de familia præclara, fuit tamen ad tempus cum aliis nobilibus . . . . ., sicut clare ostensum est supra Cant. XXV. Et ex furto fecerant magna lucra. Propter quod veniens ad mortem, pœnitentia ductus, relinquebat ex testamento multa & magna legata multis. Ex quo Simon filius ejus sentiens se gravatum hereditate, subornavit Vannem Schicchi de Cavalcantibus, qui intravit lectum dicti Bosii, & fecit testamentum, quia habebat vocem & loquelam simillimam illi. Ille inter alia legata legavit sibi ipsi quamdam equam pulcherrimam, quâ nulla erat pulcrior in Tuscia, nec carior. Erat enim in pretio mille Florenorum. Reliquam formam testamenti fecit sicut præordinatum erat cum prædicto Simone, quem reliquit universalem heredem.

*Ad Vers.* 64.

*Li ruscelletti, che de' verdi colli*
*Del Casentin discendon giuso in Arno,*

Fluvium famosum Tusciæ, de quo tam sæpe dictum est & dicetur: *de' verdi colli del Casentin*. Est enim Casentinum contrata inter Florentiam & Aretium, quod territorium erat tunc temporis Comitum Guidonum, pro dote nobilis jugalis Gualdradæ, sicut scripsi supra Cant. XVI. Arnus autem fluvius dividit Casentinum, & colligit omnes aquas cadentes hinc inde de montibus illis, quas claras & gelidas verè est delectabile bibere sitienti. Ideo dicit:

*Facendo i lor canali freddi e molli.*

Labendo per mundos lapides cum dulci murmure salientis aquæ.

*Ad Vers.* 73.

*Ivi è Romena, la dov'io falsai* &c.

Heic Magister Adam manifestat locum specialem, ubi ipse deliquit, dicens *Romena*, quæ est Terra pulcra in Casentino, ubi regnabant tunc Comites Guidones, estque sita juxta flumen Arni: *Ivi*, ideit in Casentino; *la dov'io falsai la lega suggellata*, idest informata *del Batista*, quod est dicere: ubi ego falsavi Florenos de Florentia, in quibus est sculpta imago Johannis Baptistæ, qui est patronus Florentiæ. Et heic nota, quod sicut scribit Philosophus Primo Politicorum, olim antequam esset usus pecuniæ, fiebat commutatio rerum, sicut frumentum in vinum, & vinum in oleum, & ita de aliis. Et hic modus, sicut ipse dicit, adhuc servatur apud aliquos barbaros. Sed quia ista commutatio non erat commoda humano generi, quia homo non potest portare secum necessaria de longinquo, oportuit inveniri aliquod pulcrum portabile, quo haberentur omnia commoda. Tale autem est numisma, quod est mensura omnium rerum. Ideo factum est de auro vel argento, quæ sunt perfecta metalla, sicut dictum est in præcedenti Cantu, ut esset carum, & parvi ponderis, & ut posset portari, in forma sphærica, quæ est perfecta. Sed quia difficile erat in omni emtione ponderare pecuniam, sculptum fuit aliquod signum, per quod sciretur, quanti ponderis & quanti pretii esset. Sicut Baptista in Italia sculpitur in Floreno Florentinorum, & Sanctus Marcus in Ducatu Venetorum, & ita de aliis. Iste ergo fallavit Florenum in Romena: ideo dicit:

*Perch' io il corpo su arso lasciai,*

scilicet, in Mundo, in tua Civitate Florentiæ:

*Ma s' io vedessi - - - - - - -*

Heic Adam ostenso, quod ubi peccavit, augetur pœna ejus, nunc ostendit, quod maxime relevet sitim. Et dicit, quod pœna Dominorum ipsius loci visa ibi, maxime sedaret ejus sitim, unde dicit:

*Per Fonte Branda non darei la vista.*

Idest, visionem ipsorum, *pro fonte* ubi desidero bibere. Est enim Fons amœnissimus in pulcherrima Civitate Senarum in Platea pulcherrima. Quasi dicat, si ego viderem heic Auctores meæ pœnæ, magis sedaretur sitis mea ex tali visione, quàm si ego biberem aquam Fontis Brandi. Et sic vide, quod reddebat sibi in mentem aquam sedativam sitis. Quasi dicat: Non permutarem illam visionem pro ista bibitione, tantum esset mihi grata. Vel expone sic: *Non darei la vista*, idest, oculos meos non commutarem pro Fonte Brandi, quasi dicat, non desiderarem bibere ad dictum Fontem: ita visio eorum satiaret meam sitim & pœnam ipsorum. Est tamen idem effectus. *Ma s' io vedessi qui*, scilicet in ista Bolgia,

*- - - - - - l'anima trista*
*Di Guido, o d'Alessandro, o di lor frate.*

Fuerunt enim tres fratres Comites Romenæ, scilicet Guido, Alexander, & Aghinolphus. Hoc dicit, quia solatium est miseris socios habere pœnarum. Et maxime quando sunt in pœna cum illis, qui fuerunt causa impulsiva culpæ, pœnæ, & infamiæ eorum. Et subjungit Adam, quod licèt audiverit, quod jam unus illorum fratrum mortuus est, & jam pervenit ad pœnam, tamen parum profuit, ad relevandum sitim, quia non poterat accedere ad videndum eum. Unde dicit:

*Dentro c'è l'una già - - - - - -*

Scilicet, anima Alexandri in Inferno, quia est inter proditores consanguineorum, ut videbitur infra Cant. XXXII. ubi nominat Alexandrum. Sed certe non bene video, de quo loquatur. Quia ille Alexander, quem nunc Auctor reponit in glacie, non fuit de Comitibus Guidis de Romena, sed de Comitibus Albertis, ut potest patere intuenti.

*Ad Cant. XXXI. Verſ. 136.*

*Qual pare a riguardar la Gariſenda .*

Heic Auctor oſtendit inclinationem Anthei per unam nobilem comparationem . Ad cujus intelligentiam eſt ſciendum , quod in nobili Civitate Bononiæ , in loco qui dicitur Porta Ravignana , eſt una parva Platea , in qua ſunt duæ Turres , altera quarum altiſſima vocatur Turris Aſinellorum , altera juxta ipſam vocatur Turris Gariſendorum , valde plicata ad modum ruentis . Modò nubibus tranſeuntibus ſuper Gariſendam , ſi quis ſtans in oppoſito reſpiciat nubes , turris videtur cadere ſuper eum . Ad propoſitum .

*Tal parve Anteo a me , che ſtava a bada ,*

qui exſpectabam reſpiciens ,

*Di vederlo chinare - - - - - - -*

qualis videtur Gariſenda Turris , quæ ſic nominatur a Gariſendis nobilibus de Bononia :

*Sotto 'l chinato , - - - - - - -*

ideſt ſub curvatura ,

*- - - - - - - quando un nuvol vada*

*Sovr' eſſa sì , che della incontro penda .*

Ideſt , in contrarium . Et heic nota , quod comparatio bene facit ad factum . Quia ſicut Gariſenda curvata videtur cadere ſuper reſpicientem , & tamen non cadit ; ita Antheus , velut alta Turris, curvatus videbatur nunc cadere ſuper Dantem reſpicientem eum , & tamen non cadebat . Nota etiam, quod comparatio erat magis propria , quia Auctor heic ſcripſit , quia iſta Turris curvata , erat tunc multo altior quàm modò ſit . Nam pars magna ejus dirupta fuit per Johannem de Olegio de Vicecomitibus de Mediolano , qui gigas magnus & ferox crudelem tyrannidem exercuit ibi . Nota etiam , quod Auctor notaverat iſtum actum , quum eſſet juvenis Bononiæ in Studio .

*Ad Cant. XXXII. Verſ. 54.*

*Diſſe : Perchè cotanto in noi ti ſpecchi ?*

Ad cognitionem proditorum , quorum eſt heic magna copia , ideo dicam tibi citò de prædictis & aliis . Deſcribit Auctor iſtos duos fratres a loco , a parentibus , & a parricidio . Ad cujus rei cognitionem eſt ſciendum , quod iſti fuerunt duo fratres , quorum unus vocatus eſt Neapoleon , & alter Alexander , ambo filii Comitis Alberti de Comitibus Albertis , qui venientes ad diſcordiam propter hereditatem , ſe invicem interfecerunt . Dicit ergo ille proditor .

*Se vuoi ſaper chi ſon coteſti due :*

Ideſt , iſti duo fratres conjunctiſſimi , dicam tibi breviter .

*La Valle , onde Biſenzio ſi dechina ;*

Biſentius eſt fluvius parvulus , qui oritur in montibus in Comitatu Florentino , qui labitur juxta Pratum , Caſtrum pulcherrimum inter Florentiam & Piſtorium , & longe a Florentia per ſex milliaria cadit in fluvium Arnum.

*Del padre loro Alberto , e di lor fue .*

Qui fuerunt heredes ejus . Et aggravat delictum iſtorum , dicens : Iſti

*D'un corpo uſciro . - - - - - - -*

Quaſi dicat : Fuerunt fratres uterque & conſanguinei , ex eodem patre & ex eadem matre oriundi . Videmus enim communiter , quod fratres , qui ſunt ex diverſis matribus , non ita faciliter conveniunt inter ſe . Et ideo concludit , quod ſunt digniſſimi omnium ſtandi in prima parte glaciei , quam Tanaim vocat.

*Al Verſ. 63*

*Non Focaccia - - - - - - -*

Heic nominato ſpiritu peſſimo , qui commiſit peſſimam proditionem in patrem , nominat alium damnabiliſſimum proditorem , qui commiſit pernicioſam proditionem in patruum ſuum & ſtirpem ſuam ; ex quo ſequutum eſt magnum ſcandalum . Ad cujus rei cognitionem eſt ſciendum , quod , ſicut jam ſæpe dictum eſt , erat in MCCC. in Civitate Piſtorii Domus Cancellariorum florentiſſima , in qua inter alios erant tres fratres Milites , quorum unus habebat filium perditiſſimum , nomine Focacciam, ad omne nefas promtiſſimum . Accidit autem caſu , quod pater Focacciæ , tempore hyemis , quum luderetur ad nivem , verberavit unum puerum nepotem ſuum , filium unius fratrum , quia ille dicebatur percuſſiſſe inepte alium puerum . Ex quo puer poſt aliquos dies ſimulans ſe velle loqui iſti patruo ſuo , dedit illi alapam in vindictam . Pater pueri dolens de temerario exceſſu filii , miſit ipſum ad fratrem , ut faceret correptionem de eo ad placitum . Et ille tamquam prudens riſit , & remittebat filium patri , nec niſi ſolo oſculo . Sed Focaccia ſceleratus exſpectans puerum in limine domus, traxit ipſum ad ſtabulum patris , & amputavit illi manum impie cum enſe ſuper præſepe equi . Et non contentus iſtâ crudelitate indigniſſimâ , continuo acceſſit ad domum patris pueri , qui erat patruus ſuus , & illum crudeliſſime obtruncavit . Ex quo tam deteſtabili parricidio nata eſt pernicioſa diſcordia in Domo illa , in qua facta eſt tunc illa partialitas Alborum & Nigrorum . Quæ poſtea tranſivit Florentiam , ſicut jam ſæpe dictum eſt , & dicetur alibi , quia Dantes fuit de parte Alba , & ob hoc factus eſt exul . Ideo noluit præterire Focacciam , qui accendit tantum focum , magnâ ſanguinis effuſione extinguendum . Nunc ad literam . Dicit ergo iſte proditor . *Non Focaccia* , ideſt non invenies Focacciam magis dignum figi in geliditium , quamvis fecerit multa mala præter prædictam proditionem , quæ prætermitto , quia non faciunt ad propoſitum .

*- - - - - - Non queſti , che m'ingombra*

*Col capo sì ; - - - - - -*

Heic ſpiritus iſte tranſit a Piſtorio Florentiam. Et nominat alium triſtem proditorem . Ad cujus cognitionem eſt breviter ſciendum, quod iſte fuit quidam Civis Florentinus de Familia Tuſcorum ; qui ut haberet hereditatem unius fratris ſui, fraude occidit unicum filium ſuum, propter quod fuit clavatus in una vegete , & ductus per totam Florentiæ Civitatem , & poſtea fuit decapitatus. Dicit ergo : *Non queſti* , ideſt, non invenies iſtum magis dignum figi in geliditium ; *che m' ingombra* , ideſt impedit me , *col capo* , quia habebat caput ejus ante eum .

*- - - - - - ch' io non veggio oltre più.*

Ideſt videre non poſſum *più oltre* . Et ſpecificat eum a nomine proprio, dicens :

*E fu nomato Saſſol Maſcheroni .*

Et verè ſaxeus fuit , abolens jura conſanguineitatis . Quia ſi Mordettus prodidit , hoc fecit cupiditate dominii . Si Focaccia , hoc fecit ex appetitu vindictæ . Sed iſte vilis , ut haberet vilem hereditatem . Et dicit :

*Se Toſco ſe' , ben ſai omai , chi fu.*

Quaſi dicat : bene potes ſcire , quis fuit, quia fuit tuus Florentinus , & per conſequens Tuſcus , quia de provincia Tuſciæ fuit ; & etiam Tuſcus , quia de ſtirpe Tuſcorum . Et nota , quod

quod Auctor quum dicit, quod isti tres proditores non sunt magis digni glacie, quam prædicti duo fratres, loquitur hyperbolice, ad summe detestandum eorumdem fratricidium.

*E perchè non mi metti in più sermoni*;
Heic prædictus spiritus, qui nominavit tot proditores, nunc nominat se, & unum consanguineum suum. Et iste fuit quidam Miles de Pazzis nobilibus de Valle Arni, vocatus Dominus Ubertus Camisonus, qui occidit proditorie Dominum Ubertum consanguineum suum. Dicit ergo sic:

*Sappi, ch' io fui il Camiscion de' Pazzi*,
re & nomine. Et hoc ideo dico tibi, *perchè non metti in più sermoni*.
Quasi dicat Camisonus: bene scio, quod tu petes a me: *& tu? qui tot proditores non rogatus sponte nominasti*: ideo volui prævenire te. Et ad excusationem sui Camisonus accusat unum consortem suum, qui magis deliquit, prodendo consanguineitatem suam.

*Et aspetto Carlin, che mi scagioni*.
Ad hujus literæ brevis, sed obscuræ, intelligentiam oportet scire, quod in MCCCII. quum Florentini cum Lucensibus essent in obsidione Pistorii, quod tunc tenebatur per partem Albam, quidam Carlinus de Pazzis prædictis tradidit unum Castellum, quod dicitur Castellum Plani inter vineas in Valle Arni, in cujus occupatione occisi sunt seu fuerunt unus frater patris, & unus consanguineus ejus. Et in dicto Castello cum prædicto Carlino incluserunt se aliqui ex melioribus Gibellinis exulibus, & aliqui ex Albis magnatibus & popularibus, qui faciebant magnam guerram in Valle Arni. Ob quam causam Florentini sunt compulsi recedere a Pistorio. Et continuò iverunt in Vallem Arni ad dictum Castellum de mense Junii, quod obsederunt XXVIII. diebus. Et in fine proditione dicti Carlini, corrupti pecunia Florentinorum, obtinuerunt Florentini dictum Castellum Plani. In quo multi, præcipue exules Florentini, & alii, fuerunt interfecti & capti. Hoc facto equitaverunt in Mughellum contra Ubaldinos, qui cum Gibellinis & Albis rebellaverant Communi Florentiæ, & vastaverunt eorum bona citra & ultra Alpem. Et nota, Lector, quod Auctor poterat heic loco istius nominare aliquem alium antiquum proditorem, vel modernum, digniorem infamiâ; sed potius voluit nominare istum, qui offenderat suos, & Albos exules, de quorum parte erat ipse Dantes.

*Ad Vers. 75.*

*Et io tremava ne l'eterno rezzo*.
Subdit querelam istius percussi, qui tangit proditionem perfidam, quæ fuit causa suæ damnationis & pœnæ. Et ad intelligentiam hujus literæ debes videre ea, quæ jam scripsi Cant. XIII. de terribili conflictu, quem receperunt Florentini a Senensibus & exulibus suis, quando iverunt sub colore succurrendi Monti Alcino, ubi facta est magna strages hominum, & maxima præda rerum. Nam ultra ruinam hominum, sexaginta millium Salmariorum perdita sunt, qui portabant victualia & alia necessaria, causâ fulciendi Castellum, quod erat infestum Senensibus, & causâ alendi exercitum. Fuit autem ista pestis apud Montem Apertum operâ Domini Bocchæ de Abbatibus, qui incepto prœlio amputavit cum ense proprio manum Militis Florentini, qui vocabatur Dominus Jacobus del Nachacha de Pazzis de Florentia, qui portabat Insignium Militum. Ideo dicit Auctor, unde in despectum percussit eum in caput; postea laceravit cum manu, & vituperavit cum lingua turpius.

*Ad Vers. 113.*

*Ma non tacer, se tu di quà entro eschi*.
Ad sciendum autem, quis fuerit iste proditor, est sciendum, quod iste fuit quidam Miles Cremonensis, vir prudens & potens tempore suo, vocatus Dominus Bosius de Dovaria, princeps partis Gibellinæ in Cremona. Qui corruptus pecuniâ commisit patentem proditionem contra partem suam. Nam tempore, quo Carolus I. venit in Italiam contra Manfredum, Ubertus Palavicinus affinis Manfredi cum Cremonensibus, & auxilio aliorum Lombardorum, qui erant confœderati cum Manfredo, paraverat se ad custodiam passus cum tribus millibus equitum Theotonicorum & Lombardorum, ne Guido de Monforte, qui ducebat gentem Caroli per terram, & armatam turmatim, posset transire. Sed Bosius iste de Dovaria, non aliâ de causâ quàm solâ cupiditate avaritiæ, dedit operam, quod exercitus Manfredi non impediret militiam Caroli. Ex quo postea Cremonenses destruxerunt domos illorum de Dovaria. Ad propositum ergo dicit Bocca de Bosio:

*Ei piange quì l'argento de' Franceschi*.
Nam uxor Caroli veniens cum Guidone de Monforte, portabat secum magnam pecuniam, cum qua venenavit magnam avaritiam & mentem Bosii. Sed si Bosius certe luit heic argentum Francorum, bene luerat ipsum prius in vita. Nam post modicum expulsus de Cremona, reduxit se ad unum suum Castellum, nomine Rotera, ubi congregaverat magnas divitias. Ubi diu obsessus, finaliter recessit cum modica pecunia; & senex & exul & pauper finivit vitam suam, odiosus Guelphis, quorum erat hostis; & Gibellinis, quia fecerat recedere Marchionem Ubertum de Cremona, & fuerat ad exterminium Eccelini. Nam cum Marchione prædicto Palavicino adjuverat Azzonem Marchionem Estensem II. in debellatione Eccelini, ut dicetur Cant. IX. Paradisi. Et dicit iste Bocca Danti:

------ *Potrai dir* ------
Scilicet, quum fueris reversus ad Mundum, unde vivens venisti;

*I' vidi* (*potrai dir*) *quel da Duera*,
Scilicet, Dominum Bosium de Dovaria;

*Là, dove i peccatori stanno freschi*.
Idest, proditores in glacie, pœna sibi convenienti.

*Se fossi dimandato: altri chi v'era*,
Heic Bocca nominato proditore, nominat alium Lombardum similem. Ad cujus notitiam est sciendum, quod Anno Domini MCCLVIII. quum pulsi fuissent Uberti & Gibellini de Florentia, prima vice, de mense Julii, Populus Florentinus, de mense Septembris, fecit capi Abbatem Vallis Umbrosæ, qui vocatus est Thesaurus, & erat magnus Nobilis de illis de Beccaria, qui erant Domini Papiæ; objicientes sibi, quod tractabat proditorie reducere Gibellinos in Florentiam. Et multis cruciatibus fecerunt ipsum confessum decapitari publice in Platea Sancti Apollinaris: propter quod Florentia fuit excommunicata, & multi Florentini fuerunt destructi, quum transirent per Lombardiam ab eisdem Dominis de Papia. Ad literam ergo. Dicit Bocca iste Danti sic: *Se fossi dimandato; altri chi v'era?* idest, quis alius

alius proditor erat ibi cum Bosio de Dovaria;

*Tu hai dal lato quel di Beccheria,*

*Di cui segò Fiorenza la gorgiera.*

Idest, cui Florentia amputavit guttur, quia fecit eum decollari, & nihil sibi valuit Clerica. Et heic nota, quod aliqui dixerunt, quod iste Abbas non fuerit conscius, & quod propter istud peccatum, intollerabilemque superbiam, Florentini habuerunt postea conflictum ad Montem Apertum, de quo dictum est paulo supra. Tamen Auctor numerat istum Papiensem inter proditores patriæ. Et iste poterat dici Florentinus, ratione incolatus, quia erat ibi Beneficiatus.

*Gianni del Soldanier, credo che sia.*

Heic Bocca præfatus nominat alium proditorem concivem suum. Et ad sciendum, quomodo iste prodidit, debes recordari, qualiter tempore, quo Fratres Gaudentes fuerunt Potestates Florentiæ, Uberti, Lamberti, & alii Gibellini insurrexerunt contra Regentes tunc Populum. Ex quo tunc Populus fuit totus sub armis. Et reduxerunt se omnes in viam largam Sanctæ Trinitatis. Et Dominus Johannes de Soldaneriis de Florentia, nobilis Miles, licèt esset Gibellinus, & de Domo Gibellina, fecit se caput Populi, ut ascenderet ad magnum statum, non respiciens finem, qui fuit destructio Partis Gibellinæ. Nam duce dicto Johanne, post longam pugnam, Gibellini coacti sunt exire Civitatem, ut jam dictum est alibi. Hunc proditorem partis suæ Auctor tangit a nomine, & cognomine, dicens: *Gianni del Soldanier*. Ista fuit antiqua Familia Florentiæ, de qua dicetur Parad. Cant. XVI.

*- - - - - - - - E Tribaldello,*

*Ch' aprì Faenza, quando si dormia.*

Ultimo ipse Bocca nominat alium socium, qui similiter prodidit partem & patriam suam. Et ad cognoscendum istum, debes scire, quod iste nequam proditor Thebaldellus fuit de Zambranis nobilibus de Faventia, cujus tempore Gibellini Bononiæ, vocati Lambertacii, expulsi de patria, reduxerunt se Faventiam; in qua tunc vigebat & regnabat pars Gibellina. Accidit ergo, quod aliqui ex istis Lambertaciis furati fuerunt duos porcos pulcherrimos isti Thebaldello. Iste sæpe conquestus, quum nullam posset habere emendationem, juravit se ulturum. Ordinavit ergo tradere Faventiam Bononiensibus. Quod sagaciter adimplevit. Nam introduxit eos tempore nocturno, nullis advertentibus, aut sapientibus tale quid. Ex qua Lambertacii aufugerunt nudi de lectis pro magna parte cum uxoribus & filiis. Propter quod fuerunt per varias partes dispersi per Italiam. Et sic vide, quomodo Thebaldellus ex minima offensa fecit tam odiosam vindictam. Ad propositum ergo Auctor describit ipsum a nomine & proditione, dicens: *E Tribaldello*. Iste licèt nobilis, tamen spurius erat: *Che aprì Faenza, quando si dormia*: Scilicet Bononiensibus antiquis hostibus suis. Unde adhuc dicitur in partibus meis, quando videtur unus, qui habeat malum aspectum. *Iste videtur ille, qui Faventiam prodidit*. Et nota, quod iste proditor in præmium suæ proditionis fuit factus Miles a Communi Bononiæ. Sed non diu lætatus est istâ victoriâ. Nam post modicum trucidatus fuit in strage Gallorum facta apud Forlivium per Comitem Guidonem de Montefeltro, ut alibi dictum est.

*Noi eravam partiti già da ello;*

Ista est quarta & ultima pars generalis hujus Cantus, in qua Auctor agit & tractat de duobus magnis proditoribus in speciali. Quorum unus prodidit partem & patriam, & fuit proditus ab altero. Unus fuit Comes Ugolinus de Pisis. Alter Archiepiscopus Rogerius de Ubaldinis. Et fingit Auctor subtiliter, quod dictus Comes cum dentibus crudeliter rodat cerebrum dicti Archiepiscopi a tergo, qui fecit eum crudeliter mori, sicut patet Cant. sequenti.

*Ad Cant. XXXIII. Vers. 16.*

*Che per l'effetto de' suo' ma' pensieri &c.*

Est ergo sciendum, quod in MCCXCVIII. nata erat magna dissensio in Civitate Pisana. Nam unius Sectæ Guelphorum erat princeps Judex Ninus de Gallura de Scottis; alterius vero Sectæ Guelphorum erat princeps Comes Ugolinus de Gherardeschis; tertiæ vero partis Gibellinæ erat Dux Archiepiscopus Rogerius de Ubaldinis, cum Lanfranchis, Guallandis, & Sismondis. Comes verò Ugolinus, ut solus posset principari in Urbe illa, adhæsit Archiepiscopo Rogerio, & prodidit Ninum, filium sororis suæ. Et ordinavit, quod pelleretur de Pisis. Quare Judex Ninus sentiens se impotentiorem, recessit cum sequacibus suis ad unum suum Castellum, & colligavit se cum Florentinis & Lucensibus. Comes igitur Ugolinus ficte recesserat de Civitate, ut cederet expulsioni Judicis Nini. Quo expulso, cum magno gaudio rediit Pisas. Fertur etiam, quod fecit venenari Comitem Anselmum de Capraria consortem suum, ne eriperet sibi dominium. Comes igitur Ugolinus in totum Dominus Pisarum, in florenti statu ordinavit in die sui natalis celeberrimum festum & sumtuosum convivium cum magnis donis & pomposis indumentis. Et quum inter festa dictus Comes Ugolinus duceret Marcum Lombardum virum curialem, prudentem, & circumspectum valde, ostentans sibi magnificentiam suam, petivit a Marco, quid sibi videretur? Qui statim respondit, sive divinitus, sive humanitus prophetans: *Vos estis recepturi pejorem amicitiam, quàm aliquis Dominus Italiæ*. Et continuò Comite territo, petente: *quare?* respondit: *quia nihil deficit vobis, nisi ira Dei*. Quod in brevi verificatum fuit. Nam Archiepiscopus, cujus favore se fultum sperabat, statuit depellere ipsum de dominio. Et in furore Populi fecit ipsum invadi ad Palatium; dans intelligere Populo, qualiter ipse Comes Ugolinus volebat prodere Pisas, dando Castella Florentinis atque Lucanis. In tumultu autem fuit interfectus filius unus naturalis ejus, & unus nepos, verè felices, quia non reservati sunt ad illud crudele infortunium suorum. Comes vero dedit se captivum: Et cum duobus filiis & duobus nepotibus traditus est carceri. Et omnes ejus consortes & familiares pulsi sunt, & eorum sequaces, sicut Obriachi, Guatani, & aliæ Familiæ Guelphorum nobilium. Ex prædictis patet, quomodo Comes Ugolinus prodidit consanguinitatem, Civitatem, & partialitatem. Ideo proditor proditus est a proditore. Nam ex ista mutatione Pisarum, pars Guelpha in Tuscia fuit in magna declinatione propter vires Aretinorum, & potentiam Domini Jacobi de Aragonia cum Siculis & Catalanis contra heredem Caroli. Comes igitur infelix cum filiis & nepotibus positus est in Turri super Plateam juxta Palatium

tium Antianorum, & clausâ portâ dejectæ sunt claves in Arnum. Et denegatus est eis omnis victus, ità quod omnes in brevi mortui sunt fame.

*Ad Vers.* 28.

*Questi pareva a me Maestro e Donno.*

Heic Comes narrat formam somnii. Ad cujus intelligentiam volo te scire, quod iste Comes, dum vivebat, ante ejus ruinam, videbatur videre in somnis, quod ipso florente & regnante, Archiepiscopus Rogerius tollebatur in dominium super alios Magnates Gibellinos de Pisis, qui ad montem prope Pisas venabatur unum lupum cum catulis suis, & post brevem fugam canes venantium attingebant lupum & lupulos, & crudeliter omnes necabant. Nunc ad literam. Dicit Auctor sic: *Questi*, scilicet Archiepiscopus, *pareva a me Maestro e Donno*, idest Major & Dominus in venatione. Nam Pisani fecerunt eum Capitaneum & Ducem eorum:

*Cacciando 'l lupo,*

idest Tyrannum, scilicet me ipsum Comitem Ugolinum. Nam lupus figurat Tyrannum, juxta illud:

- - - - „ *hi regnant qualibus Urbe Lupi.*

- - - - - - *e' Lupicini al monte,*

idest filios Comitis Tyranni, tyrannunculos similes Patri. Ideo bene dicit ille, qui portabat lupos parvulos ad vendendum, rogatus ab uno emtore, ut daret sibi unum bonum, respondit: *Omnes sunt Lupi. Al monte*, idest juxta montem, qui est medius inter Lucam & Pisas, qui hodie appellatur Mons Sancti Juliani. Ideo dicit:

*Perch'e' Pisan veder Lucca non ponno.*

Quæ tamen est eis vicina per decem milliaria, & sæpe expoliata & subjugata, juxta illud vulgare proverbium:

„ *Buona Terra è Lucca;*

„ *Ma Pisa la pilucca.*

Et dicit:

*Con cagne magre, studiose, e conte.*

Istæ canes figurativè erant fames, sitis, & alia incommoda, quæ in brevi attigerunt & laceraverunt istos. Et nominat socios principales, quos habebat Archiepiscopus ipse in hac venatione, idest persequutione Comitis, dicens: Et ille Archiepiscopus,

*Gualandi con Sismondi e con Lanfranchi*

*S'avea messi dinanzi da la fronte.*

Hæ sunt præcipuæ Domus Gibellinæ in Pisis, ad exsequutionem sui tamquam fautores & factores hujus rei ad sui defensionem.

*Ad Vers.* 43.

*Già eran desti, e l'ora s'appressava;*

scilicet, ipsi filii mei, horâ Tertiarum:

*Che 'l cibo ne soleva essere addotto.*

Quasi dicat: appropinquabat hora, qua eramus soliti prandere, antequam essemus capti. Vel dic: hora, qua solebat nobis afferri cibus, antequam poneremur in Turri. Quia non statim fuerunt adjudicati huic supplicio extremo, nisi post adventum Comitis Guidonis de Montefeltro, qui factus est Capitaneus Pisarum cum ampla potestate, ut alibi dictum est. Et dicit:

*E per suo sogno ciascun dubitava.*

Quia quilibet filiorum fecerat somnium simile Patri. Et subdit primam horam mali:

*Et io sentì chiavar l'uscio di sotto*

*A l'orribil Torre.*

Intellige cum clavis ferreis, ne amplius aperiretur. Quia jam clavatum fuerat cum clavibus, quas abjecerant in Arnum.

- - - - - - *Ond'io guardai*

*Nel viso a' miei figliuoi, senza far motto.*

Quasi dicat: tacite nos stabamus sic. Et dicit:

*Io non piangeva - - - -*

Idest, plorare non poteram:

- - - - - - *sì dentro impetrai.*

Idest, induravi ad modum petræ.

*Piangevan' elli;*

tamquam teneriores:

- - - - - - *& Anselmuccio mio,*

Qui erat unus ex filiis meis;

*Disse: Tu guardi sì, padre: che hai?*

Et dicit:

*Però non lagrimai;*

Immo magis induratus sum. Et non solùm non potui emittere lacrymas, sed nec verbum Unde dicit:

- - - - - - *Nè rispos'io*

*Tutto quel giorno, nè la notte appresso.*

Per unam diem naturalem:

*Infin che l'altro Sol nel Mondo uscìo.*

Idest, usque ad alium ortum Solis.

*Come un poco di raggio si fu messo*, &c.

Heic Comes narrat, quomodo invalescente dolore, secunda die, factus est rabidus visis filiis suis. Unde dicit:

*Ambo le mani per dolor mi morsi.*

Scilicet, tunc quum

- - - - *un poco di raggio si fu messo*

*Nel doloroso carcere - - - -*

Scilicet, per fissuram, vel fenestram.

- - - - - - *e io scorsi,*

Idest respexi,

*Per quattro visi il mio aspetto stesso.*

Idest, in quatuor faciebus filiorum meorum. Filius enim & Pater una persona & eadem censentur; vel quia erant simillimi Patri. Et subdit, quomodo filii se habuerunt erga Patrem hoc viso, dicens:

*E quei - - - - - - - -*

Scilicet filii mei,

- - - - *pensando, ch'io 'l fessi per voglia*

*Di manicar, - - - - - -*

Idest, ex rabie famis potius, quam ex rabie doloris. Et tamen contrarium erat.

- - - - - - *di subito levorsi,*

*E disser: Padre, - - - - - -*

Magis tetigerunt animum suum, quàm si dixissent: O Comes,

- - - - - - *assai ci fia men doglia,*

*Se tu mangi di noi - - - - - -*

Supple, quàm si comedas de te.

- - - - - - *Tu ne vestisti*

*Queste misere carni, e tu le spoglia.*

Et heic nota, Lector, verba motura esse cor saxeum, quæ sine lacrymis scribere non possum. Sed numquid isti juvenes dixerunt ea? hoc non credo. Sed Auctor, tamquam bonus Orator scivit ea bene dicere; & ponit effectum pietatis dictorum verborum, dicens:

*Quetàmi allor, - - - - - -*

Scilicet, cessando a rabie, ut non provocarem ipsos ad rabiem;

- - - - - - *per non farli più tristi.*

Et ideo dicit,

*Quel dì, e l'altro stemmo tutti muti,*

Scilicet, indurati dolore. Ideo Comes prorumpit in exclamationem, dicens:

*Ahi dura terra! perchè non t'apristi?*

Ut ostenderes, te sentire tam impiam crudelitatem, & clamare vindictam ad Deum. Et heic nota, quod non solùm cibus corporis fuit

istis

istis denegatus, sed quod fuit crudelius, cibus spiritualis, quum sæpius petiissent.

*Poscia che fummo - - - -*

Nunc Comes narrat mortes filiorum, & sui, dicens:

*- - - - al quarto dì venuti,*

*Gaddo mi si gittò distesо a' piedi.*

Qui erat unus ex filiis meis;

*Dicendo: Padre mio, che non m'ajuti?*

Scilicet, tu, qui paulo ante pascebas multa millia hominum pane tuo, cur modò permittis, me fame mori? Ac si dicat tacite: tu conduxisti te ipsum & nos ad tam miserabilem finem.

*Quivi morì: - - - -*

Scilicet, ante pedes meos, me vidente & audiente. Et ita alii. Unde dicit:

*Vid'io cascar li tre, - - - -*

Idest, alios tres fratres Gaddi,

*- - - - ad uno ad uno,*

Scilicet, ad augmentum doloris sui:

*Tra 'l quinto dì e 'l sesto, - - -*

*- - - - come tu mi vedi.*

Quasi dicat: sicut tu vides nunc me loquentem coram te, ita ego vidi illos coram me morientes. Infelix pater! qui si præmortuus fuisset, poterat videri felix in medio cunctarum felicitatum. Et subdit ultimo mortem suam, dicens:

*- - - - Ond'io mi diedi*

*Già cieco - - - - - -*

Scilicet, factus cæcus:

*- - - - a brancolar sovra ciascuno.*

Idest, ad palpandum. Et continuo auget infelicitatem, dicens:

*E tre dì li chiamai, poi che fur morti.*

Et sic videtur Comes Ugolinus vixisse octo diebus sine nutrimento cibali. Et concludit ipse Comes, dicens:

*Poscia più che 'l dolor potè il digiuno,*

Idest fames; ac si dicat, quod fames prostravit eum, quem tantus dolor interficere non potuerat nec vincere.

*Quand' ebbe detto ciò - - - -*

Heic Auctor facit finem huic materiæ, ostendens quomodo Comes Ugolinus redivit ad primum suum officium. Unde dicit:

*- - - - con gli occhi torti,*

Idest, torvis, & inflammatis ira.

*Riprese - - - - - -*

Idest, iterum cepit

*- - - - 'l teschio misero co' denti,*

Scilicet craneum capitis cum tanto furore,

*Che furo a l'osso, come d'un can forti.*

*Ahi Pisa! - - - -*

Auctor iratus de tanta impietate facit mordacem invectivam contra Civitatem Pisarum dicens: *Ahi*! idest dolenter refero.

*- - - - vituperio delle genti,*

hoc est, dedecus & infamia æterna gentium Italicarum. Unde dicit

*Del bel paese là - - - -*

Scilicet, Italiæ, qua nulla est pulcrior regio toto orbe terrarum, ut aliàs dictum est, & dicetur

*- - - - dove 'l Sì suona,*

Quia generaliter omnis gens Italica utitur isto vulgari, scilicet *Sì*, ubi Germani dicunt *Ja*, & Gallici aliqui dicunt *Ouy*, & aliqui *Hoc*. Quidam autem Italici Pedemontani dicunt *Ol*. Vel dicas: *del bel paese*, scilicet Tusciæ, quæ est ornatissima pars Italiæ, *là dove 'l sì suona*, idest in qua res ista inepta resonat. Et heic nota, Lector, quod Auctor considerans tam impiam crudelitatem, & videns, quod nullus parabat se ad vindictam, invocat insensibilia nominata ad destructionem Pisanæ Civitatis, dicens:

*Muovasi la Capraja e la Gorgona.*

Scilicet, de locis suis. Isti sunt duo scopuli in mari longe a Portu Pisano, versus Sardiniam.

*E faccian siepe ad Arno in su la foce.*

Idest, claudant ostium Arni, ubi Arnus intrat in mare, ita quod aqua redundet & effundatur,

*Sì ch' egli anneghi in te ogni persona,*

Idest, omnes in te habitantes, ut locus tam infaustus reddatur inhabitabilis. Et dicit:

*Poich' e' vicini a te punir son lenti.*

Sicut Florentini & Lucani, jam dudum inimici sui, pigri & tardi. Sed certe vindictam, quæ videbatur tardari tempore Auctoris, videtur facta diebus nostris. Nam operâ Florentinorum ista Civitas antiquissima, & olim potentissima mari & terra, deducta est ad infimum, & infirmum statum, licèt diu ante istud peccatum fuisset fracta insolentia Pisanorum, & libertas conculcata viribus Januensium, ut dicetur alibi. Et sic victrix facta est victa. Sic res hominum fortuna versat. Sic omnia faciunt cursum suum, & senio cuncta marcescunt. Hæc enim Civitas erat florentissima, antequam Florentia adhuc fundata esset. Et heic nota, Lector, quod Auctor videtur indigne facere istam invocationem, quia iste proditor merebatur omnem pœnam, ut ex dictis patet: Ergo juste punitur. Ad quod dico breviter, quod Auctor non negat hoc de eo, sed de filiis, ut statim dicet.

*Che se 'l Conte Ugolino aveva voce,*

Heic Auctor assignat causam justæ exclamationis factæ, dicens:

*Non dovei tu i figliuoi porre a tal croce.*

Idest, non debebas ponere filios Comitis ad talem cruciatum; *se 'l Conte Ugolino aveva voce*, idest, infamiam

*D'aver tradita te de le Castella.*

Ad hujus literæ evidentiam est notandum, quod Comes Ugolinus de Comitibus Gherardeschis adeptus dominium Civitatis Pisarum, sicut dictum est supra, ad confirmandum statum suum, dedit unam suam filiam Comiti Guidoni de Battifolle Guelpho. Et ne ex hoc haberetur suspectus, dedit aliam Comiti Aldobrandino de Sanctaflore, ut fertur. Et nomine dotium ipsarum filiarum, & ut melius fiderent de eo, dedit aliqua Castra Comitatus Pisarum, videlicet Comiti Guidoni Castrum Ripæ Fractæ sub custodia Lucanorum, & Domino Comiti Aldobrandino Castrum Siverotti sub custodia Florentinorum. Propter quod Gibellini sumta suspicione, suggerente Archiepiscopo, fecerunt postea de ipso, sicut dictum est. Et probat, quod Civitas Pisarum non debebat ita desævire in filios propter peccatum paternum, dicens:

*Innocenti i facea l'età novella,*

Idest juvenilis ætas.

*Novella Tebe, Uguiccion e 'l Brigata,*

Nomina sunt duorum filiorum Comitis istius Ugolini, quos nondum nominaverat. Ideo eos heic nominat.

*E gli altri due, che 'l Canto suso appella.*

Idest Gaddum & Anselmuccium, quos Capitulo superiori nominavit istos filios, licet supra dictum sit, quod duo erant filii & duo nepotes. Unde Lex Civilis appellat filios & nepotes liberos, vel forte fuerunt tantum filii, sicut alii scribunt.

Ad

*Ad Verf.* 118.

*Rifpofe adunque : Io fon Frate Alberigo* .

Ad fciendum ergo , quis fuerit ifte fpiritus , oportet fcire, quod ifte vocatus eft Frater Albericus de Faventia Civitate de Manfredis Nobilibus & potentibus , qui fæpe habuerunt dominium illius Civitatis . Et fuit ifte de Fratribus Gaudentibus , de quibus alibi dictum eft fupra . Fuerunt autem in Domo prædicta tres confanguinei eodem tempore , fcilicet Albericus ifte prædictus, Albergettus, & Manfredus. Accidit autem, quod in MCCLXXXVI. Manfredus ifte , juvenis animofus , cupiditate regnandi , ftruxit infidias Fratri Alberico . Et quum deveniffet ad graves verborum contentiones , Manfredus ductus impetu iræ , dedit Fratri alapam magnam , fcilicet Fratri Alberico . Sed ipfe Frater Albericus fagacior illo rem hanc aliquandiu diffimulavit & tulit . Et tamdem quum ifte credidit injuriam hanc excidiffe a memoria illius , finxit velle reconciliari fibi . Deinde Manfredus ipfe dixit , quod parcendum erat calori juvenili . Factâ igitur pace , Albericus ipfe fecit convivium , cui interfuerunt Manfredus & unus filius ejus . Finitâ cœnâ cum magna alacritate dixit Albericus : *Veniant fructus* . Et fubito eruperunt famuli armati , qui latebant ibi poft unam cortinam , qui crudeliter trucidaverunt patrem & filium , Alberico vidente & congaudente . Et heic nota, quod iite Frater Albericus in hoc fequutus eft exemplum Abfalonis , qui fimili modo diffimulatâ injuriâ ad tempus fecit trucidari fratrem fuum ad menfam . Ideo Frater Albericus debebat heic ftare fub umbra ejus, licèt Abfalon pejus fecerit, quia reconciliatus patri , voluit eripere fibi regnum , & poftea cum illo expulfo bellum geffit , ut alibi fcriptum eft . Dicit ergo ifte Albericus , tangens culpam fuam :

*Io fon quel da le frutta del mal orto* .

Appellat Faventiam malum hortum , quæ produxit aliquando tam malos fructus in Nobilibus fuis. Unde Auctor ponit duos nobiles proditores de Faventia in ifta glacie, fcilicet Thebaldellum de parte Gibellina , qui prodidit patriam & partem , & Albericum de parte Guelpha, qui prodidit confanguineum ad menfam . Aliqui tamen dicunt , quod ifta cœna maledicta facta eft in quodam horto .

*Ad Verf.* 137.

*Egli è Ser Branca d'Oria* .

Ad quod fciendum eft , quod hic fpiritus , de quo loquitur Albericus , fuit quidam Miles nobilis & ftrenuus de Janua , nomine Branca de domo illorum de Oria , qui fuit gener Domini Michaëlis Zanchæ . Qui poft mortem Regis Entii occupavit Judicatum Sardiniæ, qui dicitur Logodoro , de quo dictum eft fupra , ubi tractatum eft de Baratteriis . Ifte ergo Branca fecit homicidium tale , quia interfecit ad menfam prædictum Michaëlem focerum fuum, ut haberet ejus immenfas divitias .

*Ad Verf.* 146.

*Nel corpo fuo , e d'un fuo proffimano* ,

Ideft unius confortis fui de domo fua . Ifte fuit unus Nepos ejus , qui fimul fecum interfecit dictum Michaëlem . Unde dicit :

*Che'l tradimento infieme con lui fece* .

Et heic nota , quod Januenfes generaliter & communiter & naturaliter funt cupidiffimi , & avaritia impellit eos ad omne malum . Tamen putantur valentiffimi in mundo . Unde de ifta eadem Familia fuit Lampa , vir magni animi , qui quum gereret bellum navale contra Venetos hoftes , ftans in puppi Galeæ fuæ , filius fuus ftrenue pugnans percuffus in prora telo in pectore cecidit moribundus . Quo cafu acerrimo concuffi focii funt & territi funt omnes . Tunc Lampa in medio ardore belli oblitus filii , memor patriæ , & gloriæ fuæ , fubito cucurrit ad locum, & magnifice increpans omnes trepidantes , juffit filium abjici in mari, & exhortans ceteros , dixit : *Numquam habuiffet tam pulcram fepulturam in terra* . Quare integrato acrius prœlio factus eft victor , imitatus quodammodo exemplum Torquati Romani , qui filium victorem vitâ privavit .

# INCIPIT COMMENTUM MAGISTRI BENEVENUTI DE IMOLA

## *Super Purgatorio*

## IN LIBRO DANTIS ALDIGHERII

## Poëtæ Florentini clariſſimi.

*Ad Cant. II. Purgatorii , Verſ.* 91.
*Caſella mio , per tornar' altra volta &c.*

AD quod ſciendum , quod iſte ſpiritus , cum quo Auctor tam amicabiliter loquitur , fuit quidam ſuus Florentinus nomine Caſella , qui fuit famoſus Cantor tempore ſuo , vir quidem curialis, & affabilis, ad quem Dantes ſæpe ſolebat accedere in vita ad recreandum ſpiritum cantu illius , quando erat fatigatus ſtudio , vel ſtimulatus paſſione amoris . Ideo Poëta introducit eum heic ; quod multum facit ad propoſitum ſuum , ut ſtatim videbis . Nec dicas , ſicut audivi ab aliquibus . Multi fuerunt excellentiores Cantores ante iſtum & poſt : de quibus Poëta juſtius poterat facere mentionem . Sed nihil ad rem . Quia Auctor potius voluit facere memoriam & famam de amico , cui tenebatur , & adducere ſe ipſum in exemplum in materia Cantus, quo fuit ſumme delectatus, ut ſtatim videbis . Dicit ergo : *Diſs' io* , illi Caſellæ :

- - - - - - *fo io queſto viaggio* ,

Ideſt , Purgatorii ,

- - - - - - *per tornar' altra volta* ,
*Là dove ſon* , - - - - - -

Quaſi dicat : Ideo facio hoc in vita , ut merear in morte per Purgatorium pervenire ad Vitam æternam .

*Ad Verſ.* 110.
*L'Anima mia, che con la ſua perſona*
*Venendo quì , è affannata tanto .*

Quum uſus Muſicæ naturaliter ſit amicus omnibus ætatibus , & omnibus moribus , maxime juvenes & melancholici indigent delectatione ſecundùm Philoſophum . Et heic Poëta fuit valde melancholicus a natura & ſtudio , ſicut communiter fuerunt viri ſapientes . Unde Ariſtoteles Libro Problematum , petit , quare quicumque fuerunt viri excellentes aut ſecundùm Philoſophiam , aut ſecundùm politiam , aut poëſim , aut artes , videntur eſſe melancholici . Qualis fuit Hercules &c.

*Amor , che nella mente mi ragiona* ,

Heic Poëta oſtendit formam & ſuavitatem cantus iſtius Caſellæ . Et breviter dicit , quod Caſella benivolus non tardavit vel negavit cantare , ſicut eſt commune vitium omnium Cantorum , quando ſunt rogati , ut ait Horatius. Sed ſtatim cœpit canere . Unde dicit :

*Cominciò egli allor sì dolcemente* ,

Scilicet Caſella cantando : *Amor , che nella mente mi ragiona* . Et heic nota , quod Dantes fecit iſtam Cantionem de virtutibus & pulcritudine Beatricis . Ipſe enim nimium delectatus ab ipſa juventute ſonis & cantibus , muſicus fuit , amicus omnibus optimis Muſicis & Citharœdis ſui temporis , & præſertim iſti Caſellæ , qui intonavit multos ſonos ejus . Et prædictam Cantilenam de amore Beatricis intonavit cum ſumma delectatione ipſius Dantis. Unde dicit .

- - - - - *sì dolcemente* ,
*Che la dolcezza ancor dentro mi ſona* .

Quia impreſſio remanſit in anima, quæ mirabiliter delectatur Muſicâ .

*Ad Cant. III. Purgatorii , Verſ.* 26.
*Lo corpo , dentro al qual' io facea ombra* .

Heic nota , Lector , quod ſicut Poëta noſter fecit in Inferno Vergilium deſcribere patriam, in qua natus eſt , ſcilicet Mantuam , in honorem & laudem Vergilii , quia Mantua eſt nobiliſſima Civitas : ita nunc in Purgatorio fingit Vergilium tangere patriam, qua maxime delectatus eſt in vita , & apud quam ſepultus eſt , ſcilicet Neapolim .

*Napoli l'ha , e da Brandizio è tolto* .

Eſt enim Neapolis Civitas litorea nobiliſſima , non dicta ab Ænea , ſicut dicit vulgus, immo potius ab hoſtibus Trojanorum , ſcilicet a Græcis . Eſt enim Græca Civitas , quæ olim vocabatur Parthenope , a Virgine conditrice , Civitas olim dilecta Vergilio , cujus ipſe meminit in fine Libri Georgicorum , ubi dicit :

- - - - - - „ *illo me tempore dulcis amabat*
( alibi *alebat* )
„ *Parthenope* . - - - - - - -

Ab una parte Neapolis , non longe a Puteolis eſt mons Falernus, celebratus carminibus Poëtarum propter prærogativam vini . Et inter Falernum & mare eſt quidam mons ſaxeus , manibus hominum excavatus , quem vocant Cryptam Neapolitanam , quem vulgus dicit a Vergilio magicis incantationibus perforatum , ſicut & in ceteris , quæ miranda videntur viſui . Sic etiam dicunt , quod Caſtellum Ovi factum eſt ab eodem Vergilio . Unde noviſſimus Poëta Petrarcha ſcribit , quod interrogatus ſemel a Sereniſſimo Rege Roberto , quid de hoc ſentiret , reſpondit ridenter , ſe numquam legiſſe Vergilium fuiſſe marmorarium , aut lapicidam . Quod Rex approbans , ait , non veſtigia Magicæ , ſed ferri illic eſſe . Eſt ergo via publica arcta longiſſima per medium hujus montis tenebroſa , & horribili nocte ſemper obſcura . De qua etiam dicit vulgus aliud

aliud mirabile, scilicet, quod inviolata est tempore belli, & nullis latrociniis attentata. Cujus in Epistolis ad Lucillum Seneca facit mentionem. In fine vero hujus obscuri itineris, ubi primo incipit videri Cœlum, in alto monte videtur Sepulcrum Vergilii, operis antiqui. Et ex hoc forte nata est opinio, quod Vergilius fuerit auctor hujus Caveæ. Vergilius enim peregre moriens, dum proficisceretur in Græciam, infirmatus in via, inter extrema suspiria recordatus est suæ Neapolis. Et obtinuit reduci ad eam, ut, quam vivus amaverat, defunctus coleret. Ab alia parte Neapolis est alius mons, olim dictus Vesævus, hodie verò vulgo vocatur Summa. Hic mons biceps, imperante Nerone, factus est ardens, & per multa Secula ignem emisit. Ad quod spectaculum olim accessit Plinius Secundus Veronensis, causâ videndi & cognoscendi causas incendii. Sed vento cinerem & favillam excitante, oppressus est. Sicque illud ardens ingenium vivum sepultum est in cineribus illis. Sic Neapolis ex una parte custodit Vergilium Mantuanum, ex alia Plinium Veronensem, virum multiplicis scientiæ & floridæ eloquentiæ. Est autem iste mons mirabilis fructu multarum rerum, sed præcipue ubertate vini, quod Græcum appellatur, quia illa pars Italiæ olim a Græcis possessa Magna-Græcia vocabatur. Et nota, quod tota illa regio, quæ hodie dicitur Terra Laboris, fuit olim pars Campaniæ, & utraque appellatio ab Urbe facta est a camporum fertilitate & terrarum cultu, quoniam Ager Campanus non solùm pulcherrimus Italiæ, sed etiam orbis terrarum, ut ait Livius. Hoc ideo diffusius tetigi, ut videas, quod Poëta digne fecit memoriam de Terra fertilissima, in qua jacent ossa fructiferi ingenii & alti eloquii, in montibus fructiferis & altis apud Neapolim. Nunc ad literam. Dicit Vergilius:

*Napoli l'ha, e da Branditio è tolto.*

Scilicet illud corpus meum sepultum. Quia Vergilius mortuus est Brundusii, & ejus ossa relata sunt Neapolim, ubi præceperat sepeliri. Alii tamen scribunt, quod mortuus sit apud Tarentum. Hæc omnia & ejus opera tanguntur in illius brevi epitaphio, quod tale est:

***Mantua me genuit. Calabri rapuere. Tenet nunc Parthenope. Cecini Pascua, Rura, Duces.***

*Ad Vers.* 49.

*Tra Lerici e Turbia, la più diserta*
*La più romita via* - - - - - -

Lerice est una Terra Januensium in Riperia versùs Orientem. Turbia est unum Castellum fortissimum in fine Italiæ in introitu Provinciæ supra Monacum. Verè Turbia, quasi turbans viam volentibus intrare vel exire Italiam. Et verè qui fecit ista itinera alpestria Riperiæ Januæ, potest imaginari, quod Poëta non poterat plus exprimere asperitatem locorum, per quæ habebant modò ire: Ideo dicit:

- - - - - - *è una scala*
*Verso di quella agevole e aperta.*

Idest, facilis & plana respectu ripæ illius montis.

*Ad Vers.* 103.

*Et un di loro incominciò. Chiunque &c.*

Poëta introducit unum spiritum modernum illustrem, qui fuit maxime infestus Ecclesiæ. Et primò præmittit orationem illius ad se, dicens; *Et un di loro*. Hic erat Rex Manfredus, dux principalis hujus sectæ animarum. *Incominciò*, supple, dicere mihi. *Chiunque tu se'*: idest, quicumque tu sis, in quo tantum relucet gratia Dei, quod vivus vadis velociter ad montem; *così andando*, scilicet, ne perdas tempus: *volgi 'l viso*; quia jam Poëta vertebat sibi tergum, recedens:

*Pon mente, se di là mi vedesti unque.*

Scilicet, in Mundo viventium. Et subdit, quomodo paruit illi, dicens:

*I' mi volsi ver lui, e guardail fiso.*

Cum oculo speculationis, ut viderem, si faceret ad propositum meum. Ideo statim describit Manfredum ab habitu corporis, dicens:

*Biondo era, e bello, e di gentil' aspetto.*

Ad quod nota, quod Manfredus iste fuit corpore pulcher, probus, & prudens, & fuit pulsator, cantor, amator, joculator, & curialium & pulcrarum puellarum amicus. Semper vestiebatur vestibus viridibus: liberalis, curialis, & lætus; ideo multum amabilis & gratiosus. Sed claritatem harum virtutum dehonestabant turpia vitia. Erat enim luxuriosus, Epicureus, nihil spirituale sapiens, sed solas voluptates sectans; ambitiosus nimis, nullum scelus omittens cupiditate regnandi, ut qui in ore semper haberet illud Cæsaris: *Nam si violandum est jus, regnandi gratiâ violandum est. Ceteris rebus pietatem cole*. Fuit ditissimus ex thesauro patris Friderici, & Conradi fratris, & ex Regno opulentissimo. Et in omnibus bellis, quæ habuit cum Ecclesia, scivit laudabiliter gubernare Regnum suum, & in bono statu conservare. Propter quod multum exaltatus est in potentia mari & terra. Manfredus fecit Civitatem antiquam Siponti in Apulia, quæ propter paludes habebat aërem infirmum, & carebat Portu. Et transtulit ipsam longe per duo milliaria in ripa maris, quam a suo nomine Manfredoniam vocavit. Et fecit ibi Portum cum muro amplissimo intra mare, quem Molum vocant. Et breviter potest dici de Manfredo illud, quod dicit Livius de Annibale. *Has tantas viri Virtutes magna Vitia æquabant*. Hic Manfredus natus est ex nobili Domina de Marchionibus in Lombardia, cum qua Fridericus rem habuit. Et quia Poëta tetigerat pulcritudinem Manfredi, statim ostendit, qualiter ista pulcritudo & nobilis aspectus deformata sunt in morte illius violenta, unde dicit:

*Ma l'un de' cigli un colpo avea diviso.*

Idest, vulnus ensis, ita quod habebat turpem cicatricem in facie.

*Quand' io* - - - - - -

Heic Poëta ostendit, qualiter Manfredus manifestaverit se sibi, quia ipse non cognoscebat eum. Unde dicit:

- - - - - - *Ei disse* - - - - - -

Scilicet, ille Manfredus mihi:

- - - - - - - - *Or vedi*,
*E mostrommi una piaga a sommo il petto.*

Ita quod videtur habuisse mortalia vulnera in prœlio, unum supra oculum, aliud supra cor, ubi est fons totius vitæ.

*Quand' io mi fui umilmente disdetto*,

Dicendo; non vidi te unquam, & reverenter, propter Regalem aspectum. Unde dicit:

*D'averlo visto mai* - - - - - -

Idest, vidisse umquam ipsum vivum. Et verum dicit Poëta, quia numquam viderat eum, neque vidisse potuerat. Quoniam Dantes natus est eo Anno, quo mortuus est Manfredus. Et subdit, quomodo Manfredus descripsit se a nomi-

nomine, ab origine, a vitio. Et dicit breviter, quod est Manfredus, nepos Constantiæ Imperatricis. Ad cujus literæ evidentiam est sciendum, quod Fridericus II. natus ex Constantia & Henrico filio Barbarossæ, ut dicetur plenius Cant. III. Paradisi, fuit electus Imperator contra Ottonem IV. & coronatus & consecratus ab Honorio III. Anno Domini nostri Jesu Christi MCCXX. Qui imperavit XXX. annis. Quo tempore semper fuit infestus Ecclesiæ, tamquam filius ingratitudinis contra matrem, quæ nutriverat ipsum pupillum, & exaltaverat ad Romanum Imperium. Quare tam ratione vitiorum suorum, de quibus alibi dictum est, quam avaritiæ Prælatorum, qui omnia sibi volunt, quando possunt, & præsunt: numquam potuit habere bonam pacem cum Ecclesia, quæ fecerat ipsum nasci fatalem sibi ex Monacha vetula contra legem naturæ, & omnia jura humana & divina; non memor persequutionum patris ejus Henrici, & avi ejus Friderici I. Sic ergo videre potes, quare Manfredus heic subticet nomen patris, qui fuit semper flagellum Ecclesiæ. Et ipse reconciliatus est Deo in morte; & quia fuit naturalis filius, & quia fuit conscius mortis ejus. Nunc ad literam. Dicit Poëta, quod iste

*Poi disse sorridendo: - - - - - -*

quia salvus erat; quod Dantes non putabat.

*- - - - - - Io son Manfredi,*

*Nipote di Gostanza Imperadrice.*

Potius denominat se ab ista sancta femina, quàm a patre peccatore. Et facit Manfredus, sicut Mulus, qui interrogatus a Leone, cujus filius esset, dicebat: *Sum nepos Equi*, quum ipse esset filius Asini. Simile est enim quod scribit Statius de Polinice. Qui interrogatus ab Adrasto Rege Argivorum, nolebat propalare nomen patris sui Oedipi, qui infamis genuerat eum ex matre propria. Unde dicit:

„ *Sed mens sibi conscia facti;*
„ *Cunctatur proferre patrem - - - - - -*
„ *Est genitrix Jocasta mihi. - - - - -*

Sic ergo patet, quod Manfredus fuit nepos Constantiæ, non filius vel privignus, ut quidam glossant: Hoc dicto, Manfredus facit suam petitionem Danti, dicens:

*Ond' io ti priego, che quando tu riedi,*

Idest, reverteris ad Mundum vivorum, quia vivus es;

*Vadi a mia bella figlia - - - - - -*

Ista fuit alia Constantia Magna, quæ fuit filia Manfredi, & uxor Domini Petri Regis Aragonum strenuissimi. Cui successerunt tres filii, scilicet Alphonsus, qui adolescentulus mortuus est; ideo non nominat eum, & Jacobum, & Fridericum. Ideo dicit;

*- - - - - - - - - - genitrice.*

Idest, matrem,

*Dell' onor di Cicilia e di Ragona,*

Idest, honorabilium Regum. Quia Domnus Fridericus fuit Rex Siciliæ, & Domnus Jacobus Rex Aragoniæ. De patre & filiis dicetur infra Cant. VII. & alibi sæpe. Et dicit:

*E dichi a lei il ver, s'altro si dice.*

Scilicet, qualiter sum salvus, licèt fortè contrarium credatur, quia mortuus sum excommunicatus indignatione Ecclesiæ. Et assignat causam suæ salvationis, dicens:

*Poscia ch' i' ebbi rotta la persona,*

Idest, corpus vulneratum,

A

*Di due punte mortali; - - - - - -*

Altero ictu in facie, altero in pectore, ut jam dictum est;

*- - - - - - - - i' mi rendei*

*Piangendo a quei, che volontier perdona.*

Scilicet, ex contritione cordis Deo clementissimo, *cujus est proprium misereri & semper parcere.*

*Orribil furon li peccati miei.*

Nunc Manfredus ad confirmationem dicti sui, confitetur in genere peccata sua, ut ostendat infinitam misericordiam Dei. Ad sciendum autem plene horribilitatem peccatorum Manfredi in particulari, est sciendum & memorandum, quod Manfredus peccavit in patrem, & fratrem, & nepotem, & matrem Ecclesiam. Solus enim præsens morti paternæ, ut aliqui scribunt, prævenit horam. Quod si verum fuit, Fridericus II. recepit a filio naturali, quod crudeliter fecerat in filium legitimum. Conradus autem audita morte patris descendit ex Alemannia in Italiam, & venit Veronam cum favore Eccelini de Romano. Deinde transiens in Regnum, recuperavit Siciliam, & omnia præter Neapolim. Quem Manfredus læte recepit, licèt dolens animo, quia ipse volebat dominium. Conradus continuo obsedit Neapolim magnis viribus. Quâ tamdem obtentâ, omnes rebelles sibi amicos Ecclesiæ tam religiosos quam seculares contrivit. Ex quo si diutius supervixisset, videbatur futurus persequutor Ecclesiæ non minus patre, avo, & proavo. Sed fatum suæ viæ & stirpis trahebat illum. Nam quum regnasset duobus annis, infirmatus est, & venenatus operâ Manfredi per unum Medicum in uno clysterio. Ex quo remansit parvulus filius Conradinus in Alemannia natus ex filia Ducis Bavariæ, cui pater, licèt excommunicatus, reliquit Ecclesiam tutricem anno IV. post mortem Friderici. Mortuo Conrado Manfredus remansit gubernator Regni; quo tempore Innocentius Papa IV. cum magno exercitu intravit Regnum. Sed non multo post mortuus est Neapoli & sepultus. Manfredus autem propter longam vacationem Ecclesiæ, quæ duravit plus duobus annis sine Pastore, occupavit omnia. Et magnopere studuit contrahere & confirmare amicitias fidelium Imperii in Tuscia & Lombardia. Volensque se facere Regem, conciliavit sibi animos Baronum Regni. Usus est ergo fraude honesta. Nam convocatis Magnatibus, finxit, se habuisse per litteras, qualiter Conradinus nepos infirmabatur ad mortem. De quorum consilio misit legatos in Germaniam ad explorandam veritatem. Legati ergo profecti in Germaniam, invenerunt, quod mater Conradini solicita de salute filii, tenebat eum cum aliis pueris coætaneis in eodem habitu. Quæ videns magna munera missa a Manfredo, timens, ne filius biberet de eo poculo, quo pater, subornavit alium loco pupilli. Cui Ambasciatores dederunt venenum in confectione quadam, ex qua puer mortuus est. Ipsi verò credentes verè interfecisse Conradinum, reversi Venetias, fecerunt fieri Galeæ suæ velum & cetera instrumenta nigra, & ipsi assumserunt vestimenta nigra. Post magnum planctum, cum favore amicorum, & magno consensu totius multitudinis, factus est Rex in Sicilia Manfredus apud Montem Realem, Anno Domini nostri Jesu Christi MCCLV. Post mortem Innocentii, & longam vacationem, electus est Papa Alexander IV. de Anagnia, qui sedit

ſedit annis VII. Et videns Manfredum Regni ſolio florentem abſque auctoritate Apoſtolica, excommunicavit eum contumacem. Contra quem miſit unum Legatum. Sed mortuo Alexandro creatus eſt Urbanus IV. de Civitate Turonenſi in Francia. Qui vir ignobilis genere, ſed nobilis animi virtute, videns Eccleſiam conculcatam viribus Manfredi quaſi in tota Italia, qui poſuerat exercitum Saracenorum in Patrimonio Petri, fecit prædicari Crucem contra eos, quos repulit in Apuliam. Et, ut cito dicam, celebravit Concilium. in quo propoſuit, quomodo Eccleſia erat ſubjugata a Manfredo, qui non degenerabat a majoribus ſuis, qui ſemper tribulaverant Eccleſiam. Ideo ad revocandam libertatem videbatur ſibi mittere pro Carolo fratre boni Ludovici Regis Franciæ, de quo facta eſt mentio ſupra. Et demum multis dictis in commendationem Caroli, cum magno aſſenſu omnium Carolus vocatus eſt contra Manfredum. Qui veniens in Italiam, quaſi feliciter habuit victoriam de Manfredo apud Beneventum. Poſtea de Conradino, ut ſcripſi Cant. XXVIII. Inferni. Ex dictis ergo vides, ſi magna fuerunt peccata Manfredi. Sed major eſt miſericordia Dei. Ideo ipſe dicit:

*Ma la bontà infinita ha sì gran braccia*
*Che prende ciò, che ſi rivolge a lei.*

Scilicet, per pœnitentiam, quia recipit etiam illos, quibus Eccleſia claudit gremium.

*Se 'l Paſtor - - - - -*

Heic Manfredus tangit implacabile odium Prælatorum Eccleſiæ contra ſe, quia etiam poſt mortem quæſiverunt vindictam de eo, faciendo oſſa ejus abjici extra Regnum. Unde dicit.

*Se 'l Paſtor di Coſenza, - - - - -*

Ideſt, Archiepiſcopus Conſentinus

*- - - - - ch' a la caccia*
*Di me fu Meſſo per Clemente allora,*

Ideſt legatus Papæ ad inquiſitionem & perſequutionem corporis mei,

*Aveſſe in Dio ben letta queſta faccia.*

Scilicet, miſericordiæ Dei. Ideſt ſi vidiſſet, me miſericorditer receptum, & ſalvum, ſicut tu me vides;

*L'oſſa del corpo mio ſarien' ancora,*

Scilicet, ſepulta, quia non abjecta fuiſſent

*In co' del Ponte - - - - -*

Fluminis, quod dicitur Calor,

*- - - - - preſſo a Benevento.*

Hæc Civitas Samnii olim vocata eſt Maleventum. Sed poſtea per rationes mutato nomine dicta eſt Beneventum, ut dicit Livius. Et dicit:

*Sotto la guardia de la grave mora.*

In hoc tangit miſeram ſepulturam ſuam. Ad cujus intelligentiam, quia litera iſta eſt male intellecta, eſt ſciendum, quod Manfredus in ultimo prœlio, quod geſſit cum Carolo apud Beneventum, deſertus & derelictus a ſuis, ingeſſit ſe in medium furorem belli, ſicut ſcriptum eſt Cant. XXVIII. Inferni. Ubi pugnans probiter, proſtratus fuit; quæſitus tribus diebus, nec poterat inveniri, quia intraverat aciem ſine inſigniis Regalibus. Nec poterat ſciri, ſi eſſet mortuus vel captus, aut ſi evaſerat. Tamdem unus ribaldus de ſua gente recognovit eum per multa ſigna corporis ſui, in medio campi, ubi fuerat acrius prœlium. Et ponens nobile corpus per tranſverſum unius aſini, veniebat clamando cum exultatione: *O ego inveni Manfredum*. Sed unus Baro Caroli indignans, percuſſit eum fuſte, & corpus præſentavit Carolo. Carolus continuo faciens vocari omnes Barones captos petivit, ſi illud erat corpus Manfredi. Qui omnes timide reſpondebant, quod ſic. Sed potens res eſt amor. Non timet conſpectum Regis victoris, non arma militum victricia, non ſupplicium, non carcerem, non mortem. Nam Comes Jordanus videns corpus amati Regis factum fortunæ ludibrium, manibus percuſſit ſibi faciem, & clamans cum planctu dixit: *Heu mihi, Domine mi! Quid eſt, quod video?* Ex quo fuit valde laudatus a Militibus Franciæ. Hic Jordanus fuit vir Nobilis de Pedemontio in Lombardia, affinis Manfredi, acceptus & carus ſibi ex ſua probitate & fidelitate. Ideo Manfredus fecerat illum Comitem, & dederat illi Terras in Regno, ex quo fecerat illum magnum Dominum. Et tamen Carolus miſit eum in Provinciam, & mori fecit in carcere duro. Carolus rogatus a Militibus ſuis, ut faceret honorem funeris tanto Regi: *Libenter*, reſpondit, *facerem*, *niſi eſſet excommunicatus*. Nec voluit quod ſepeliretur in Sacrato. Sed ſepultus eſt velut miles gregarius apud pedes montis Beneventi, ſine ulla pompa exequiarum; & ſuper foſſam ejus ſinguli de exercitu Caroli jecerunt ſingulum lapidem, ex quo facta eſt ibi magna maceries lapidum. Et hoc eſt quod dicit:

*Sotto la guardia de la grave mora,*

pro mola ſepulturæ. Nec tamen oſſa Manfredi diu quieverunt ibi. Immo remota a terra abjecta ſunt in aquam. Dicit ergo:

*Or le bagna la pioggia, e move 'l vento.*

Quia ſunt inſepulta.

*Di fuor dal Regno, quaſi lungo il Verde.*

Et ecce locum. Prope flumen dictum Viride, quod inter Regnum & Campaniam deſcendit in mare Tyrrhenum. Et dicit:

*Dove le traſmutò a lume ſpento.*

Scilicet, ille Paſtor Conſentiæ, candelis extinctis, cum excommunicatione & maledictione. Et heic nota, quod Conſentia fuit olim Civitas Lucaniæ. Unde fuit Henricus Miles, qui pro Carolo præfato ſubornatus, geſtavit regale diadema in prœlio contra Conradinum. De iſta Civitate frequenter facit mentionem Livius.

*Ad Verſ.* 135.

*Mentre che la ſperanza ha fior del verde.*

Heic nota, quod aliqui dicunt, quod Manfredus in extremo redivit ad Deum. Sed certe iſtud ſcire non potuit Poëta, quia Manfredus incognitus mortuus eſt in medio ardore belli. In vita tamen voluit aliquando concordare cum Eccleſia, & facere affinitatem cum Carolo. Sed Papa prohibuit, ut ego vidi in quibuſdam epiſtolis ejus. Dico ergo, quod Dantes hoc fingit, quia ſub iſta fictione intendit hanc concluſionem, quod nullus eſt tam ſceleratus, & tam excommunicatus, qui in extrema morte non poſſit redire ad Deum.

*Ad Verſ.* 139.

*Per ogni tempo, ch'egli è ſtato, trenta,*
*In ſua preſontion. - - - -*

Et heic nota, quod Poëta ponit numerum pro numero. Ita enim poterat dicere decem, vel viginti, ſicut dixit triginta. Manfredus enim duodecim annis, quibus regnavit, fuit in contumacia Eccleſiæ. Ideo ſi ponis pro ſingulo anno XXX. habebis magnum numerum annorum. Et ſic vult dicere, quod diu [illegible] differt pœnitentiam, & tardius recipit gratiam, & multiplicantur peccata ejus, quia unum peccatum eſt cauſa alterius. Et vere, Lector,

quicumque præsumit contra Ecclesiam, gravius punitur in isto mundo, etiam historice loquendo; sicut memorabile exemplum habemus in ista illustri stirpe Sueviæ. Ne alia exempla quæramus, potes videre manifestum judicium Dei super eam. Primo namque Fridericus I. post multa adversa, transiens mare, suffocatus est in flumine Antiochiæ Oronte, quod hodie dicitur Ferrum. Henricus filius post multas infelicitates infelicius debellatus est. Fridericus II. omnium priorum suorum & posteriorum potentissimus, a filio proprio dicitur suffocatus. Henricus primogenitus Friderici II. factus hostis patri, in illius carcere obiit, vel se occidit; & ejus duos filios Manfredus fecit in carcere mori. Conradus alter filius Friderici II. in Italia venenatus est per Manfredum. Manfredus victus a Carolo peremtus est in prœlio. Cujus filios & filias Carolus fecit in carcere mori. Conradinus adolescentulus, Conradi prædicti filius, victus a Carolo, decapitatus fuit; infelix, qui evaserat ab insidiis Manfredi, lictoris gladio reservatus. Hentius mortuus est in longo carcere Bononiensium. Conradus de Antiochia, qui descenderat de stirpe Friderici, captus in Sicilia per Guidonem de Monforte, cæcatus, castratus, & suspensus fuit. Hunc finem habuit Domus Sueviæ, toto orbe inclyta. Suevi ab olim fuerunt potentissimi omnium Germanorum, ut sæpe patet apud Julium Celsum. Unde Julius Cæsar, qui primus Romanorum Ducum transivit Rhenum in Germaniam, vicit Ariovistum Regem Suevorum superbissimum. Ex his ergo vide, quod Poëta noster in ista materia, in qua tractat de rebellibus Ecclesiæ, de industria elegit sibi hanc Domum, qua nulla umquam fuit infestior Ecclesiæ. De qua Domo potest dici illud, quod dicit Lucanus de Domo Pompejana:

*O miseranda Domus* &c.

Et subdit Manfredus, quod licèt sic dixerit de longo tempore relegationis, potest breviari precibus justis. Unde dicit:

- - - - - - *se tal decreto*,

Idest, judicium Dei,

*Più corto per buon preghi non diventa*.

Et ultimo concludit orationem suam dicens:

*Vedi oggi mai, se tu mi puoi far lieto*,
*Revelando a la mia buona Gostanza*,

Scilicet, filiæ suæ, quæ vivebat adhuc, & in qua sola sperabat in mundo, quæ fuit clementissima Domina, de qua sæpe adhuc dicetur in isto Libro. Et meritò vocat Constantiam bonam, quæ noluit mori in indignatione Ecclesiæ, sicut pater suus Manfredus. Unde venit Romam cum Rege Jacobo filio suo, & recommunicata est Ecclesiæ.

*Come m'hai visto* - - - -.

idest, qualiter vidisti me salvum.

*Ad Cant. IV. Vers. 25.*

*Vassi in San Leo, e discendesi in Noli*.

Ad quod sciendum, quod Sanctus Leo est Civitas Romandiolæ in Monte Feltro, jam satis deserta tempore nostri Poëtæ, & hodie plus: in altissimo monte sita, montibus altissimis aggregatis circum circa, ita quod colligit intra fortilitium fructus, & omnia necessaria ad victum & sustentationem humanæ vitæ. Sicut & Santarinum Castrum, naturali situ munitissimum, optimum, distans a Sancto Leone per quatuor milliaria, & ab Arimino per decem, mirabile fortilitium. Et nota, quod comparatio est propriissima. Nam recte Civitas Purgatorii est similis Sancto Leoni, quia est in altissimo monte situata, & est deserta, habens raros habitatores, ubi Infernus est frequens gentibus. Et est fortissima, tuta ab insidiis & insultibus hostium, sicut Sanctus Leo. Et dicit: *E discendesi in Noli*. Noli est quædam Civitas antiqua in Riperia Januæ supra mare, subjecta monti altissimo scabroso, ad quam est difficillimum iter, ut Noli videatur recte dicere descendenti: *Noli ad me accedere*. Quasi dicat Poëta tacite: Ego descendi cum pedibus usque in profundum abyssi, sed huc non poteram ascendere sine alis, quia difficilius est ascendere quam descendere, ut dicetur infra. Et dicit:

*Montasi su Bismantova*. - - - -

Et heic oportet scire, quod Bismantova est petra montanea in montibus Regii, tota saxea viva, altissima, ita quod superat omnes colles vicinos. Et habet unam solam viam in circuitu, quam pauci defenderent a toto mundo. In cujus summitate est planicies, quæ colitur, quando est opportunum. Et loca circumvicina sunt silvestria & aspera. Unde inhabitantes in plano inferius, refugiunt ad istum locum tutissimum tempore belli. Accidit autem, quod tempore, quo Henricus VI. venit in Lombardiam, quum Gibertus de Corrigia Dominus Parmæ convenisset cum eo, quem tamen postea deseruit, Nobiles Regini multum timentes sibi ab Henrico, deliberaverunt, relictâ patriâ, sicut olim Athenienses fecerunt, reducere se ad dictam petram inexpugnabilem. Et ibi exspectare ad tempus ad evitandum impetum belli. Sed non fuit expediens, quia Dominus Gibertus recedens a campo Imperatoris, incitavit Bononienses, Florentinos, & alios contra illum. Erat autem Civitas Regina in magno flore, frequens multitudine Populi, abundans multis nobilibus Domibus. Quæ in tam brevi cursu devenit ad tantam desolationem, quod ejus Cives sunt dispersi per totam Italiam. Et heic nota, quod hic mons Bismantovæ videtur habere similitudinem cum Monte Purgatorii; quia est altissimus mons, elatus ad sidera, fortissimus, ex vivo saxo, ad quem non ascenditur, nisi per unam viam tortuosam; & in summitate est fertilis, ubi homo stat tutus ab hostibus, circumsonantibus undique strepitibus bellorum. Et hæc omnia invenies in isto Monte Purgatorii, si voles perspicaciter intueri. Unde homo stans in summitate hujus petræ, videtur omnia sub pedibus habere, ita quod terra inferior videtur esse Infernus infimus illi. Ita vir positus in summitate Montis Purgatorii, idest in perfectione virtutis, videt Infernum sub pedibus suis, qui est locus suppositus & oppositus isti. Et sic propinquus cœlo speculatur alta & divina. Ergo bene dicit Poëta: *Montasi su Bismantova*, idest usque ad summitatem, quæ plana est. Et addit:

- - - - - *e in cacume*.

Hoc dicit, quia in ista summitate est una pars in extremo eminens & altior. Modò vult dicere Auctor, quod non solùm ab homine potest iri ad summitatem ipsius montis, sed etiam ad cacumen particulare. Non ergo dicas, sicut aliqui ignoranter, quod *Cacume* sit alius locus distinctus ab isto, scilicet unum Castellum altissimum, nescio ubi: quod totum est vanum & præter intentionem Poëtæ. Et ut cito dicam, iste est singularis locus fortissimus in Lombardia, sicut Samarinum in Romandiola.

*Ad*

*Ad Verf.* 98.

*Una voce da preffo fonò* . - - - -

Heic eft fciendum , quod ifta fuit vox cujufdam pigri , qui vocatus eft Bilaqua . Ifte fuit de Florentia , qui faciebat citharas , & alia instrumenta mufica . Unde cum magna cura fculpebat , & incidebat colla & capita citharaum , & aliquando etiam pulfabat . Ideo Dantes familiariter noverat eum , quia delectatus eft in fono . Unde ficut fuperius in Cant. Secundo pofuit unum amicum Cantorem , ita nunc ponit alium Sonatorem . Et quia noverat iftum tam pigrum ad omnia , nec tamen pravum , fed fatis purum , ideo cum bona confcientia fingit ipfum falvum .

*Ad Cant. V. Verf.* 64.

*Et uno incominciò . Ciafcun fi fida* &c.

Poëta agit & tractat de uno fpiritu moderno in fpeciali , qui procuravit fibi mortem fua temeritate . Et ad intelligentiam hujus literæ , quæ eft fatis male intellecta apud externos, volo te fcire , quod Azo III. Marchio Eftenfis magis famatus fuit apud modernos , quam Azo II. vel Azo I. non ratione majoris virtutis , fed potentiæ & magnificentiæ ; fuit enim Dominus Ferrariæ , Mutinæ , & Regii , & cognatus Regis Roberti . Quo tempore cœpit bellum grave contra Civitatem Parmæ & Bononiæ , quæ tunc temporis erant florentes & potentes . Caufa belli fertur fuiffe, quod Marchio quærebat dominium Parmæ , fperans per hoc faciliter occupare Bononiam . Quapropter Bononienfes cum Parmenfibus fecerunt confœderationem inter fe , ut obviarent conatibus Azonis . Pars illorum de Sancto Vitali de Parma , quæ favebat rebus Azonis , expulfa eft cum Epifcopo , qui erat de Domo illa . Et Marchio indignans conabatur reducere eam . Igitur Anno Domini MCCXCV. Marchio convertens totum impetum belli fupra Bononiam, invafit eam a duobus lateribus . Nam ex una parte colligavit fe cum Maghinardo Pagano Domino Faventiæ , & aliis Gibellinis de Romandiola , fcilicet cum Scarpetta de Ordelaffis de Forlivio , Uguiccione de Faxola , & Lambertatiis exulibus Bononiæ. Maghinardus, contractis undique auxiliaribus cum fubfidio equeftri & pedeftri Azonis , venit contra Imolam, quam tunc tenebant Bononienfes , numero quatuor millia . Qui exiverunt obviam, ut impedirent tranfitum fluminis Santerni , quod tunc intumuerat valde, ficut eft de more illius fluvii . Sed Maghinardus audax & intrepidus compreffo impetu aquæ , cum fortibus equis , ficut olim Cæfar in tranfitu Rubiconis , tranfivit flumen , & Bononienfes convertit in fugam , & Imolam cepit , capta magna parte Bononienfium . Ex altera parte Marchio faciebat reædificari unum Caftellum nomine Bazanum , quod ex antiquo pacto facto inter Bononienfes & Mutinenfes debebat ftare deftructum perpetuo . Sed Bononienfes, qui iverant ad impediendam illius ædificationem , audito finiftro rumore Imolæ , reverfi funt . Et fic eodem die Imola perdita eft , & Bazanum reædificatum contra Bononienfes : unde dictum eft :

*Quam propriam norat , Imolam Bononia plorat .*
*Azo Bazanum relevat quod Marchio planum .*

Igitur Azo lacefcens , & laceffitus bello, quum non videret poffe confequi victoriam fperatam procuravit fibi magnos amicos . Et facta magna parte in Bononia, breviter res eo deducta eft , quod qui regebant rem publicam Bononienfium , cœperunt vocare Rectores & Officiales de parte Gibellina , quia Guelphi erant favorabiliores Marchioni . Sed poftea in brevi fecit pacem cum Parmenfibus primo , deinde cum Bononienfibus . Tempore igitur belli Bononienfes elegerunt in Poteftatem eorum ad jura reddenda nobilem Militem Dominum Jacobum del Caffero de Civitate Fani . Qui vir temerarius, & qui non bene didicerat regulam Juris : *Potentioribus pares effe non poffumus* ; femper obloquebatur temere de dicto Domino, femper vocans eum proditorem Eftenfem, quia reliquerat Gibellinos Romandiolæ . Marchio fæpe audiens hæc & indignans dixit : *Certe ifte agafo Marchianus non impune feret imprudentiam fuam afininam, fed caftigabitur fufte ferreo* . Dedit ergo operam , quod certi famuli idonei ad hoc perfequerentur illum , quocumque pergeret , finito officio Bononiæ . Quum autem ille iret de Venetiis Paduam , in confinio territorii Veneti & Paduani , invafus a famulis , qui latebant in infidiis , nefciens , quo fugeret , ignarus viarum & locorum , trucidatus eft , ut aperte tangitur in litera ifta. Nunc ad literam . Dicit Poëta : *Et uno*, fcilicet, prædictorum fpirituum, qui erat Jacobus del Caffero : *incominciò* , fupple , dicere , captans benivolentiam : *Ciafcun fi fida* .

*Del beneficio tuo* , - - - - - -

quod tu offers ;

- - - - - - *fenza giurarlo* .

Et heic nota , quod Juramentum non debet fieri nifi urgente neceffitate ; nec tunc debet quis jurare per Creaturam , fed per Creatorem , quia Juramentum eft fpecies Latriæ , ideft divini cultus . Quum enim homo jurat , invocat Deum in teftem , fcilicet , quod verum dicit ; & in hoc præftat reverentiam Deo .

*Ond' io , che folo innanzi a gli altri parlo* ,

tamquam avidior :

*Ti prego : fe mai vedi quel paefe* ,

Scilicet , Marchiam Anconitanam ;

*Che fiede tra Romagna , e quel di Carlo* ,

Quæ fituata eft a parte Occidentis , & Regni Caroli II. qui tunc regnabat ;

*Che tu mi fia de' tuoi preghi cortefe* ,

Ideft , ut roges Deum pro me , ut citius poffim pervenire ad Purgatorium .

*In Fano , sì che ben per me s'adori* .

Et heic nota , quod Fanum eft Civitas fatis amœna in litore maris Adriaci in introitu Marchiæ Anconæ , fertilis vino , & oleo , fed non hodie hominibus civilibus . Quæ fic denominata eft , quia Fanum Græce , Latine dicitur Templum . Ibi enim fuit olim Templum famofum Fortunæ , quæ modicum favit ifti fuo Civi nunc . Falfum ergo dicit Gotifredus Viterbienfis , ficut & alia multa , qui fcribit in fuo Libro , qui dicitur Pantheon , quod apud Fanum fuit olim Templum Dei Fauni , ad quod vifitandum veniebant olim peregrini de partibus Galliarum .

*Quindi fu' io* - - - - - -

Heic dictus fpiritus fpecificat locum fuæ originis , & violentæ mortis , dicens : *fui io* , ideft de prædicta Civitate Fanenfi ;

- - - - - - *ma li profondi fori* ,

ideft , foramina & vulnera multa facta mihi , penetrantia totum corpus ,

*Ond' ufci 'l fangue* , - - - - - -

ideft , ex quibus effluxit ,

- - - - *in*

*- - - - - - in sul qual' io sedea .*

Scilicet , sanguine vivebam , quia sanguis est sedes animæ , unde aliqui Philosophorum opinati sunt , quod Anima esset Sanguis ,

*Fatti mi furo in grembo a gli Antenori .*

Idest , in territorio Paduanorum , quos sic denominat ab Antenore . Ad quod notandum , quod Civitas Paduana est nobilissima ratione antiquitatis & potentiæ . Quoniam , sicut scribit Vergilius primo Aeneidos , Antenor post excidium Trojanæ Urbis veniens in sinum maris Adriaci , subjugavit Euganeos Populos habitantes in montibus . Cujus rei indicium adhuc est opinio ; quia Villa prope Paduam usque in hodiernam diem vocatur Burgogania, quia ex Burgensibus Euganeorum condita est. Primum ergo nomen hujus Urbis fuit Euganea . Deinde vocata est Patavium , demum Padua. Est etiam potentissima ab olim . Quam olim invasit Cleoninus Rex Illyrici , idest Rex Sclavoniæ . Sed male sibi cessit , sicut scribit Titus Livius Paduanus, nobilissimus Historicorum . De hac dicetur alibi , Cant. IX. Paradisi . Et dicit :

*Là dov' io più sicuro esser credea ;*

quia inter Venetias & Paduam , duas florentissimas Urbes , ubi solet iter esse tutissimum. Et subdit auctorem suæ mortis , dicens :

*Quel da Esti 'l fè far . - - - - - -*

Idest, Azo Marchio Estensis per famulos suos. Et *qui per alium facit , per se ipsum facere videtur* . Et heic nota , quod Este est nobilissimum Castrum antiquum & fertile , distans a Padua per XXV. milliaria . Unde olim traxit originem , & denominationem clarissima Domus illustrium Marchionum Estensium , per multa secula florens , & ubique famosa , quæ dignissime denominatur ab Est . Hoc enim solum verbum *est* : appellatur verbum substantivum , ubi cetera appellantur accidentalia . Immo , ut Theologi volunt , istud verbum est proprie prædicatum de solo Deo. Ista ergo Domus Estensis sola est in flore inter Domus antiquas istius partis Italiæ , quales fuerunt Domus de Camino & de Romano, & similes. Et dicit :

*- - - - - - che m'avea in ira .*

Et merito, quia ira est appetitus vindictæ, maxime contra parvipendentem , ut vult Philosophus . Et dicit :

*Assai più là , che 'l dritto non volea .*

Hoc exponunt aliqui , idest, ulterius quam jus exigebat , quia scilicet extra terminos suæ jurisdictionis . Tu vero dic, ulterius quam ipse Marchio volebat , quia volebat , quod fieret Venetiis . Et subdit iste spiritus , quomodo poterat faciliter evadere , si recto cursu fugisset versùs Paduam ; unde dicit :

*Ma s'io fossi fuggito in ver la Mira ,*

quæ est quædam Villa ultra Oriagum per duo milliaria ;

*Quand' io fu' sovragiunto ad Oriaco ;*

ubi erant insidiantes ;

*Ancor sarei di là , dove si spira .*

Idest , in Mundo viventium . Et vult breviter dicere : si ego arripuissem fugam per ripam fluminis Brentæ, directè versùs Paduam, adhuc essem inter vivos , quia poteram faciliter evadere cum equo veloci a manibus illorum peditum , perveniendo citò ad locum habitationis, ubi fuissem tutus . Sed contrarium fecit . Unde dicit :

*Corsi al Palude - - - - - -*

relictâ viâ rectâ per transversum ,

A

*e le cannucce e 'l braeo , - - - - - -*

ipsius Vallis ,

*M' impigliar sì ,*

idest , me implicaverunt ,

*- - - - ch' io caddi , - - - -*

scilicet , ab equo , ubi habilius & tutius me trucidarunt . Unde dicit :

*- - - - - - E lì vid' io*

*De le mie vene farsi in terra laco .*

Quia sanguis meus totus effluxit ibi .

*Ad Vers.* 88.

*Io fui di Montefeltro . - - - - - -*

Ad sciendum, quis fuerit iste spiritus, & unde, debes scire , quod Mons Feretus est quædam Contrata in Romandiola , continens in se multas Terras, sicut Civitatem S.Leonis, de qua dictum est in Cant. præcedenti , Samarinum , & alia Castella . Ex qua Contrata habuerunt olim originem Comites famosi , vocati usque in hodiernam diem Comites de Monte Feltro. De quorum primordio non habetur memoria . Sed de Domo ista multi fuerunt viri strenui ; quorum unum antiquissimum reperio quemdam Dominum Montefeltranum, qui genuit Boncontem, & ex Bonconte natus est Montefeltranus Miles . Ex Montefeltrano natus est famosissimus Comes Guido , de quo tam multa dicta sunt Cant. XXVII. Inferni . Ex isto Guidone natus est Boncontes , de quo heic fit mentio , juvenis strenuissimus armorum , qui in conflictu Aretinorum apud Bibienam, missus a Guillelmino Episcopo Aretino ad considerandum statum hostium , retulit , quod nullo modo erat pugnandum . Tunc Episcopus , velut nimium animosus , dixit : *Tu numquam fuisti de Domo illa* . Cui Boncontes respondit : *Si veneritis , quò ego , numquam revertemini* . Et sic fuit de facto, quia uterque probiter pugnans remansit in campo . Dicit ergo iste :

B

*- - - - - Io son Buonconte .*

Bonus bellator fuit manu , uti pater ingenio . Ex isto Bonconte non remansit aliqua stirps . Ideo dicit, quod nullus est, qui roget pro eo. Unde dicit :

C

*Giovanna , - - - - -*

quæ erat uxor sua , quæ poterat sibi invenire alium virum :

*- - - - - o altri non ha di me cura .*

Quasi dicat : consortes mei parum curant de mortuis , quia sunt dediti dominiis & potentatibus temporalibus . Nam Comiti Guidoni successit Comes Fridericus , secundus genitus ejus, vir valentissimus , qui magis tyrannice tenuit Urbinum , quam aliquis prædecessorum vel successorum suorum . Unde fuit trucidatus ab Urbinatibus . Qui habuit multos filios, scilicet Comitem Galassium , Comitem Nolphum , & alios , de quibus non prosequor , ne elonger a proposito . Et dicit Boncontes :

D

*Perch' io vo tra costor con bassa fronte .*

Scilicet , ex dolore & pudore . Quia nullus est in seculo , qui roget Deum pro me .

E

*Et io a lui . - - - - -*

Heic Poëta ostendit , quomodo inquisiverit a Bonconte de ejus sepultura , quæ numquam fuit scita . Et ad declarationem hujus literæ , quæ non est bene intellecta , est præsciendum, quod Anno Domini MCCLXXXIX. Florentini sociato Carolo II. qui revertebatur Neapolim , veniens de Aragonia , ubi fuerat captivus , ut dicetur alibi , iverunt contra Aretium cum Duce , quem dederat eis dictus Carolus , qui Dux vocatus est Aimericus de Narbona , vir probus & prudens in prœlio , contractis undique

que viribus Guelphorum de Senis, Luca, Pistorio, Vulterris, & de Bononia. Et inter alios venit in subsidium Florentinorum Maghinardus Paganus, vir peritus armorum, de quo dictum est paulo supra. Ex altera parte Episcopus Aretinus de Ubertinis, Boncomes de Montefeltro, & Comes Guido Novellus, tunc Potestas Aretii, cum exercitu venerunt Bibienam, & fidentes viris valentibus, quia habebant secum duodecim excellentissimos, quos Palatinos vocabant, petiverunt pugnam cum Florentinis, non timentes numerum hostium, qui erant duo millia equitum, & duodecim millia peditum. Ipsi verò habebant solùm octingentos equites, & octo millia peditum. Ex quo Aimericus de Narbona fertur dixisse: *Aut sumus proditi, aut isti sunt viri insani*. Et continuò mutavit totum ordinem belli. Aretini tamen parvi pendebant hostes, temere dicentes, quod Florentini molles erant, magis familiares Veneris, quàm Martis, licèt esset antiquus Patronus eorum. Quum autem quidam seniores suaderent, non esse bellandum, unus juvenis Aretinus, nimis calidus, dixit: *Qui timet, fugiat*. Tunc Miles antiquus Florentinus dixit: *Neri, Neri* (quia sic vocabatur) *tu habes rostrum citrinum, quia tu es nimis juvenis. Tu fugies, & ego remanebo*. Et ita fuit de facto. Et breviter ordinatis aciebus, hinc inde cum magna deliberatione concursum est cum tanto ardore animorum, quod primi percussores Florentinorum fuerunt finaliter debellati. Tunc Cursius de Donatis, strenuus Miles, licèt pœna capitis esset moventi se ab acie, magnanimiter ingessit se in hostes transversaliter cum impetu tanto, quod fuit principium victoriæ suorum. Magnis viribus pugnatum est. Tamdem Florentini victoriam obtinuerunt. Ex hostibus occisa sunt plusquam duo millia. Inter alios Guillielmus Episcopus, & alius Guillielmus de Paccis, vir strenuissimus, illo tempore nepos ipsius Episcopi, & Boncontes de Montefeltro. Ex hac victoria non solum arrogantia Aretinorum, sed tota pars Gibellina fuit multum attenuata. Ad literam ergo dicit Poëta: *Et io a lui*, supple, dixi illi Bonconti:

*- - - - Qual forza, o qual ventura*
*Ti traviò sì fuor di Campaldino?*

Istud prœlium factum est apud Poppium & Bibienam in Contrata, quæ dicitur Certus mundus, in planitie, quæ appellatur planities Campaldini.

*Che non si seppe mai tua sepoltura?*

Nam corpus ejus numquam potuit inveniri. Sed Poëta fictitie facit sibi sepulturam. Et subdit responsionem Boncontis narrantis formam suæ mortis & sepulturæ. Et primo ostendit, quid traxit eum de Campaldino, describens fluvium ibi vicinum. Unde dicit:

*O, rispos' egli, - - - - -*

Scilicet, ille Boncontes:

*- - - - a piè del Casentino,*

non longe a Bibiena,

*Traversa un' acqua, - - - - -*

ideft, fluvius,

*- - - - ch' ha nome l'Archiano.*

Et tangit originem illius aquæ, dicens:

*Che sovra l'Ermo nasce in Apennino.*

Ad quod nota, quod inter Aretium & Florentiam in Contrata Casentini est quædam devotissima solitudo, ubi est Eremus Sancta Camaldulensis, quam fundavit ibi vir venerabilissimus Romualdus de Ravenna, Institutor illius Ordinis nobilis. De quo Viro & Ordine dicam plene Paradisi Cant. XXII. Ideo vide, quod Poëta noster volens magnificare istum parvum fluviolum, de industria fecit mentionem de ista nobili Eremo, quæ verè locus est nobilissimus.

*Là 've 'l vocabol suo diventa vano.*

Heic Boncontes præmissa descriptione fluvii, explicat locum suæ mortis, dicens:

*Arriva' io forato ne la gola,*

ideft, vulneratus ad mortem,

*Fuggendo a piede, e sanguinando 'l piano,*

ideft, a conflictu, perdito equo in prœlio Campaldini, *arrivai là 've 'l vocabol suo diventa vano*, ideft, ad faucem, qua Archianus intrat in Arnum, quia ibi perdit nomen suum. Et dicit:

*Quivi perdei la vista e la parola.*

Ideft, in fauce dicti fluminis, vitam

*Nel nome di Maria finì.*

*Ad Vers.* 115.

*Indi la Valle, come 'l dì fu spento,*
*Di Pratomagno.*

Heic debes scire, quod Pratum Magnum est una magna Montanea, quæ recedit a recto colle Apennini a Meridie, & videtur tantæ altitudinis, quantæ Apenninus. Ideo Sol videtur tardius recedere ab illo Monte. Et in isto Monte est alia magna Eremus Vallis Umbrosæ. Ideo Poëta libentius fecit mentionem de Pratomagno. Scias etiam, quod Pratum est pulcherrimum Castrum inter Florentiam & Pistorium, de quo dictum est Cant. XXVI. Inferni. Est & aliud Pratum, quod dicitur Vetus, in Casentino juxta Arnum, non longe a Prato Magno.

*Ad Vers.* 133.

*Ricordati di me, che son la Pia.*

Nunc ultimo Poëta subadnectit quemdam tertium spiritum de numero prædictorum. Et ut præsens litera sit clarior, est primo sciendum, quod anima ista fuit quædam nobilis Domina Senensis de Stirpe Ptolomæorum, quæ fuit uxor cujusdam Nobilis Militis, qui vocatus est Dominus Nellus de Panoschis de Petra, qui erat potens in Maritima Senarum. Accidit ergo, quod dum semel cœnasset, & ista Domina staret ad fenestram palatii in solatiis suis, quidam domicellus de mandato Nelli cepit istam Dominam per pedes & præcipitavit eam per fenestram, quæ continuo mortua est, nescio qua suspicione. Ex cujus morte crudeli natum est magnum odium inter dictum Dominum Nellum, & Ptolomæos consortes ipsius Dominæ. Nunc ad propositum. Ista Domina rogat Dantem, ut roget pro ea, si umquam venerit in Tusciam ad Civitatem Senarum. Dicit ergo:

*Seguitò 'l terzo spirito - - - -*

Scilicet, Dominæ Piæ, impie interfectæ,

*- - - - - - al secondo,*

Ideft, loquutus est successive post spiritum Boncontis, qui secundario loquutus fuerat post primum.

*Ricordati di me: - - - -*

Et ut possit bene recordari ejus, continuo tangit suum nomen, locum originis, locum mortis, & mortis auctorem: dicens,

*- - - - - - che son la Pia.*

Ista Domina vocabatur Pia, quam impiè minister necis occidit.

*Siena mi fe. - - - -*

Ideft, genuit me. Est enim patria principium generationis, quemadmodum est pater. Quasi di-

dicat: fui femina de Civitate Senarum, de principibus illius Civitatis.

- - - - *Disfecemi Maremma.*

Ideſt, Maritima Senarum interfecit me. Et ecce quomodo.

*Salſi colui*; - - - -

Ideſt, vir meus bene ſcit ſibi hoc, & bene conſcius eſt meæ mortis, licèt diceret, & dici faceret, quod ego cecideram caſualiter de feneſtra.

- - - - *che 'nnanellata pria*,

Ideſt, qui primo poſuerat mihi anulum,

*Diſpoſando m'avea con la ſua gemma.*

Sicut fit tempore matrimonii. Anulus enim facit ad matrimonium illud, quod circulus ad tabernam.

*Ad Cant. VI. Purgatorii Verſ. 13.*

*Quivi era l'Aretin, che da le braccia* &c.

Heic Poëta deſcribit quoſdam ſpiritus modernos notabiles. Et primo nominat unum magnum Juris Conſultum de Aretio, qui fuit tempore illo famoſus, & acutus in Civili Sapientia, audax nimis. Unde ſemel interrogatus a Scholaribus ſuis Bononiæ, de quodam puncto juris, non erubuit dicere: *Ite, ite ad Accurſium, qui imbrattavit totum Corpus Juris*. Unde dicit: *Quivi era l'Aretin*. Hic vocatus eſt Dominus Benincaſa; licèt male ceſſerit ſibi. Et fuit de uno Caſtello, quod dicitur Laterina. Et tangit occiſorem ejus, virum omnium ſui temporis violentiſſimum, quem notanter deſcribit a ferocitate ſua; dicens:

- - - - *che da le braccia*

*Fiere di Ghin di Tacco ebbe la morte.*

Ideo, Lector, volo, quod ſcias, quod iſte Ghinus non fuit ita infamis, ut aliqui ſcribunt, quod fuerit magnus ſicarius, & ſpoliator ſtratarum. Iſte namque Ghinus Tacchi fuit vir mirabilis, magnus, membratus, niger pilo, & carne fortiſſimus, ut Scæva læviſſimus, ut Papirius Curſor prudens & largus. Fuit de Nobilibus de la Fratta, Comitatus Senarum. Qui expulſus viribus Comitum de Sancta Flora occupavit Caſtrum nobile Radicofani contra Papam. Et cum ſuis famulis manipulariis faciebat multas & magnas prædas, ita quod nullus poterat ire tutus Romam vel aliò per partes illas. Sed ferè nullus incurrebat in manus ejus, qui non recederet contentus, & amaret & laudaret eum. Et audi morem laudabilem in tali arte latrocinandi. Si mercator erat captus, Ghinus explorabat placabiliter, quantum ille poterat ſibi dare. Et ſi ille dicebat quingentos Aureos, auferebat ſibi trecentos, & reddebat ducentos, dicens: *Volo quod poſſis negotiari & lucrari*. Si erat unus Sacerdos dives & pinguis, auferebat ſibi mulam pulcram, & dabat ei unum triſtem roncinum. Et ſi erat unus Scholaris pauper vadens ad ſtudium, donabat ſibi aliquam pecuniam, & exhortabatur ipſum ad bene agendum & proficiendum in ſcientia. Et certe ſi iſte nobilis Ghinus numquam feciſſet aliud laudabile, niſi quod tam egregie medicavit Abbatem Cluniacenſem delicatiſſimum & ditiſſimum, & curavit optime a morbo ſtomachi, pro quo ibat ad balnea cum ſuperbo apparatu Gallico, ut pulcherrime ſcribit vir placidiſſimus Boccatius de Certaldo ſermone materno in Libro ſuo, qui dicitur *Decameron*, ſatis eſſet laudandus. Sed ut cito veniam ad propoſitum, accidit ſemel, quod quidam frater Ghini captus, adjudicatus eſt ſuſpendio per prædictum Judicem Benincaſam, qui erat tunc Aſſeſſor in Civitate Senarum. Sed timens ferocitatem Ghini, finito officio, factus eſt Auditor Papæ, ut ſic tutior eſſet. Quum autem ſederet ſemel pro tribunali ad bancum in Sala, in qua erant millia perſonarum, ecce Ghinus Tacchi incognitus, velut Scævola, magis timendus, quam timens, invaſit eum mirabiliter, aliàs terribiliter, & gladio transfoſſum præcipitavit ab alto. Et fugiens evaſit, tranſiens velut fulmen ardens per medium turbarum. Et hoc eſt, quod dicit Poëta nunc de Benincaſa, *che da le braccia fiere di Ghin di Tacco ebbe la morte*. Et nota, quod ipſe Ghinus habuit mortem violentam ab alio. Nam Papa Bonifacius magnanimus, auditâ naturâ mirabili iſtius hominis, relatu & rogatu præfati Abbatis Cluniacenſis miſit pro eo, & petivit, quare tam nobilis animus ſic ſe inhoneſtabat arte prædandi. Qui Ghinus reſpondit Papæ Bonifacio, quod exercebat artem rapinæ, ut poſſet uti virtute liberalitatis. Tunc Bonifacius videns, quod iſtud erat vitium fortunæ, non animi, fecit eum Militem Sancti Johannis, & dedit ei magnum beneficium, quo poſſet facere magnificentias. Semel autem ſtans ad Aſinam Longam in Comitatu Senarum inermis, invaſus a multis armatis, probiter pugnans interfectus eſt. De quo audivi illud mirabile, quod ſcriptum eſt de Cæſare, ſcilicet, quod omnes percuſſores ejus in brevi mala morte obierunt. Ideo forte Dantes nominat eum heic, ut ponat eum ſalvum. De homine iſto plura non dico, de quo poſſet fieri Tragœdia. Deinde Poëta addit alium Aretinum. Et ad ſciendum, quis fuerit iſte innominatus, debes ſcire, quod in Civitate Aretii ex nobilibus de Petra-Mala fuit unus Dominus Tarlatus antiquus, qui genuit Angelum primogenitum. Ex quo natus eſt Guido Epiſcopus Aretinus, famoſus Dominus Aretii, vir magnanimus & magnificus, nihil habens Clericale. Qui Aretium patriam ſuam magnis honoribus & multis commodis decoravit. Ex dicto Tarlato natus eſt filius alius nomine Zutius (*vel Cionius*) patruus dicti Epiſcopi, juvenis ſtrenuus armorum. Hic, quum Tarlati gererent bellum cum Boſtolis Nobilibus de Aretio, qui exules recipiebant ſe in Caſtello, quod dicitur Rondine in Valle Arni, equitavit contra illos; & quum perſequeretur quoſdam, equus fortiſſimus tranſportavit ipſum in Arnum, & ſuffocatus eſt in quodam pelago. Cujus corpus inde extractum Boſtoli ludibrio ſagittaſſe dicuntur. Quapropter acerbum odium natum eſt inter partes. Dicit ergo bene:

*E l'altro, che annegò, correndo in caccia.*

Ideſt, Aretinus, in flumine Arni, dum perſequeretur hoſtes, vel illi eum.

*Quivi pregava* - - - - - -

Heic Poëta nominat alium juvenem nobilem, & ſtrenuum. Iſte, ut cito dicam, fuit filius Domini Guidonis Novelli de Comitibus Guidonibus de Caſentino, quem occidit quidam Fumajolus, vel Fornariolus filius Domini Alberti de Boſtolis prædictis. Dicit ergo:

- - - - - - *con le mani ſporte*

*Federico Novello*; - - - - -

inter alios rogantes expanſis manibus, ut rogarem pro eo. Et non credas, quod Auctor nominaverit heic iſtum juvenem niſi quia, ſicut & ille de Petra Mala, fuit multum probus.

- - - - - *E quel da Piſa.*

Tangit quemdam alium ſpiritum Piſanum, non tantum ut faciat mentionem de eo, quantum ut

ut faciat commendationem de patre ejus. Et heic volo, te notare, quod invenio communiter multos dicentes, quod iste fuit alter Fridericus, quem Marciuccus pater Domini Johannis Scornigiani terribili ictu interfecit, quia ille Pisanus occiderat filium ejus. Ego autem audivi a bono Boccatio de Certaldo, cui plus credo, quod Marciuccus fuit quidam bonus vir in Civitate Pisarum, Fraticellus de domo, cujus filio Comes Ugolinus Tyrannus fecit truncari caput, & mandavit, quod corpus relinqueretur insepultum. Sed iste Turricellus de sero humiliter accessit ad Comitem, & velut quidam externus, quem negotium non tangeret, dixit sine lacrimis, sine dolore & signo doloris aliquo: *Certe, Domine, esset de honore vestro, quod pauper ille occisus sepeliretur, ne esca canibus crudeliter relinquatur*: Tunc Comes recognoscens eum, stupefactus dixit; *Vade, quia patientia tua vincit duritiem meam*. Et continuo Marciuccus ivit, & tradidit filium sepulturæ. Dicit ergo: *E quel da Pisa*, supple, etiam rogabat me;

*Che fe parer lo buon Marzucco forte*,

in morte filii ejus occisi. Et loquitur de fortitudine vera animi, non corporis; quia verè hic pater fuit fortis & constans, non minus quam Anaxagoras Philosophus, qui obitum filii animo patienti tulit.

*Vidi Conte Orso* - - - - -

Heic Poëta nominat alium nobilem spiritum inter rogantes. Iste Comes Ursus fuit filius Comitis Neapulionis de Acerbaja, qui acerbe fuit interfectus velut ursus tractatu Comitis Alberti de Mangona consobrini. Qui Ursus, quia vir valens, ponitur a Poëta in Purgatorio; & ille proditor dicitur esse in Inferno in Caina. Et nominatis istis Tuscis de Italia, Poëta ultimo subnectit quemdam nobilem spiritum de Gallia, indigne infamatum & occisum. Ad cujus cognitionem debes scire, quod spiritus iste fuit quidam Gallicus vocatus Petrus de la Broccia, intimus Consiliarius & Secretarius Philippi Pulcri Regis Franciæ; qui quia omnia poterat apud Regem suum, sicut Petrus de Vineis apud Fridericum II. Imperatorem Romanorum, incurrit odium Curialium ex invidia. Et ipsa Regina concepit grave odium contra eum, quem vir suus tantum diligebat. Unde falso accusavit ipsum Regi, quod scripserat sibi literas venereas. Propter quod Rex nimis credulus, subito accensus ira & furore, fecit innocentem injuste suspendi. Sicut legitur de Ottone Imperatore, qui fecit decapitari Militem suum optimum falsa accusatione uxoris suæ, quam tamen postea cremari fecit, veritate aperta. Dicit ergo Poëta;

- - - - - *e l'anima divisa*

*Dal corpo suo per astio, e per inveggia*;

Scilicet, violenter separatam invidiâ,

*Come dicea, non per colpa commisa*.

idest, non quia de rei veritate esset in culpa, cujus accusatus fuerat. Et dicit; *Come dicea*; idest, sicut ipse referebat mihi. Tamen infamiâ laborabat contra eum vulgo. Sed Dantes, qui fuit Parisius, post exilium suum, exploratâ diligenter veritate hujus rei, dignum duxit, ipsum ponere salvum in Purgatorio, & reddere sibi bonam famam, sicut fecerat Petro de Vineis in Inferno. Et quia Poëta erat lautus nimis, clause declarat se, dicens:

*Pier de la Broccia, dico*, - - - - -

Et quia ipse nunc describit Purgatorium, & tendit ad pœnitentiam; ideo invitat ipsam Reginam ad pœnitentiam hujus peccati in vita, dicens;

- - - - - *la Donna di Brabante*,

idest, Regina Franciæ, quæ erat filia Ducis Brabantiæ,

- - - - - *quì proveggia*,

scilicet, ut pœnitentiam agat in mundo de morte innocentis, quem falso accusavit per invidiam,

*Mentre è di quà*, - - - - -

Scilicet, in hac vita;

*Sì che però non sia di peggior greggia*.

Quasi dicat; ne sit de grege damnatorum in Inferno.

*Ad Vers.* 58.

*Ma vedi là un' anima* - - - - -

Nunc Poëta describit virum singularem, compatriotam Vergilii. Ad cujus intellectum debes prius scire, quod hic novus spiritus fuit quidam Civis Mantuanus nomine Sordellus, Nobilis & prudens Miles, & Curialis, & ut aliqui volunt, tempore Eccelini de Romano; de quo audivi (non tamen affirmo) satis jocosum novum, quod breviter est talis formæ. Habebat Eccelinus quamdam sororem suam valde veneream, de qua fit longus sermo Paradisi Cant. IX. Quæ accensa amore Sordelli, ordinavit caute, quod ille intraret ad eam tempore noctis per unum ostiolum posterius juxta coquinam Palatii in Civitate Veronæ, & quia in strata erat turpe volutabrum porcorum, sive pozzia brodiorum, ita ut locus nullo modo videretur suspectus, faciebat se portari per quemdam servum suum usque ad ostiolum, ubi Cunitia parata recipiebat eum. Eccelinus autem hoc scito, uno sero ornatus sub specie servi, transportavit Sordellum, deinde reportavit. Quo facto, manifestavit se Sordello, & dixit: *Sufficit. De cetero abstineas accedere ad opus tam sordidum per locum tam sordidum*. Sordellus terrefactus suppliciter petivit veniam, promittens numquam amplius redire ad sororem. Tamen Cunitia maledicta traxit eum in primum fallum. Quare ipse timens Eccelinum formidabilissimum hominum sui temporis, recessit ab eo, quem Eccelinus, ut quidam ferunt, fecit postea trucidari. Nunc ad literam. Dicit Vergilius Danti: *Ma vedi là*, scilicet, seorsum,

- - - - - - *un' anima, ch' a posta*

*Sola soletta* - - - - - - -

Et heic nota, quod Poëta ponit Sordellum separatum a multitudine magna ceterarum animarum, ratione excellentiæ. Quia fuit vir singularis virtutis in mundo, licet impœnitens in vita. Ergo ponit Sordellum solum, sicut Saladinum in Inferno. Vel ponit hanc animam solam, idest solitariam; unde audio, quod fecit Librum, qui intitulatur *Thesaurus Thesaurorum*, quem numquam vidi. Et dicit:

- - - - - *verso noi riguarda*,

Et non currit ad videndum nos, sicut alii fecerunt, quia non videbat umbram, vel quia magnanimus erat. Et dicit:

*Quella ne 'nsegnerà la via più tosta*.

idest, leviorem ascensum. Et ostendit, quomodo venerunt ad eam, dicens:

*Venimmo a lei. O anima Lombarda*,

quia de Mantua erat, Civitate Lombardiæ. Quasi dicat: o anima admirabilis inter Lombardas!

*Come ti stavi altera e disdegnosa*.

Quia Sordellus fuit indignantis naturæ, & alti animi, quando videbat vel audiebat turpia

& inhonesta . Unde dicit :

*E nel mover degli occhi onesta e tarda .*

Quia erat vir bene compositus , & bene moratus .

*Ad Vers. 76.*

*Ahi serva Italia , di dolor' ostello !*

Poëta facit unam digressionem , per quam invehit contra Italiam , & principales auctores desolationis ejus . Primo ergo sumta occasione ab actu duorum proborum Civium, qui ostenderunt habere tantam caritatem ad patriam , considerans discordias civiles Italicorum in generali , ex amara indignatione exclamat : *Ahi* adverbium dolentis , quasi dicat : dolenter dicam : *Serva Italia* , quæ solebas esse libera , & liberrima , & donare libertatem gentibus , ut dixi Cant. I. hujus Libri . *Di dolore ostello*, idest , hospitium , & domicilium .

*Nave senza nocchiero - - - - - -*

idest , carens Principe gubernatore .

*- - - - - in gran tempesta .*

*Non Donna di Provincie . - - - -*

Quæ solebas esse Regina Regnorum ,

*- - - - - ma bordello !*

Et nota metaphoram pulcram . Sicut enim in lupanari venditur caro humana pretio sine pudore , ita *meretrix magna* , idest Curia Romana , & Curia Imperialis vendunt libertatem Italicam . Sicut etiam ad postribulum vadunt indifferenter omnes volentes cum delectatione , ita ad Italiam concurrunt omnes barbaræ nationes cum aviditate ad ipsam conculcandam tamquam meretricem prostitutam . Et assignat Poëta causam suæ exclamationis dolorosæ ; dicens :

*Quell' anima gentil - - - - -*

idest , Sordellus , verè nobilis virtute an[illegible] , ut audisti ;

*- - - - - fu così presta*

*Sol per lo dolce suon de la sua Terra ,*

scilicet , Mantuæ ,

*Di fare al Cittadin suo quivi festa ,*

scilicet , Vergilio . Et tamen uterque erat mortuus , & unus numquam noverat alterum , quum Vergilius fuerit per tot secula ante Sordellum .

*Et ora in te non stanno senza guerra*

*Li vivi tuoi - - - - -*

Scilicet , moderno tempore , qui nunc vivunt in te , Italia . Et quod pejus est , non sine civili bello & plusquam civili . Bene dicit :

*- - - - - e l'un l'altro si rode ,*

tamquam canes ,

*Di quei , ch' un muro & una fossa serra .*

idest , qui habitant in eâdem Civitate , vel Terra , & eadem domo , & eâdem arcâ . Quia multi in morte sepeliuntur simul , qui non possunt stare simul in vita .

*Cerca , misera , - - - - -*

Heic Poëta revertitur ad exclamandum contra Italiam , & confirmans quod dixit , dicit , *misera* , scilicet , Italia , cujus nullus miseretur .

*- - - - - intorno da le prode .*

idest , ripas ,

*Le tue marine , - - - - -*

idest , Terras marinas ,

*- - - - - - e poi ti guarda in seno ,*

idest , in medio , scilicet , Terras mediterraneas ;

*S' alcuna parte in te di pace gode .*

Et heic , Lector , me excusabis , qui antequam ulterius procedam , cogor facere invectivam contra Dantem . O utinam , Poëta mirifice , revivisceres modo ; Ubi pax , ubi tranquillitas in Italia ? Faciliter videbis , o Dantes , quod aliqua particularia mala tuo tempore premebant Italiam . Et illa quidem parva & pauca . Numeras enim inter damna Italiæ carentiam Principis , & discordiam quarumdam Familiarum . Nunc autem pejora facta nos premunt , ita ut dicere possim de tota Italia , quod Vergilius tuus de una Urbe dixit :

*Crudelis ubique*
*Luctus , ubique pavor , & plurima mortis imago*

Pro certo Italia non est passa talia tempore tuo , non tempore Annibalis , non tempore Pyrri , non tempore Gothorum aut Langobardorum . Atila enim non legitur transisse Apenninum, nec Totila Padum , sed solùm vastavit Regnum & Romam . Quanto ergo excusabilius , si fas esset , possem exclamare ad Omnipotentem , quam tu , qui in tempora felicia incidisti , quibus nos omnes nunc viventes in misera Italia possumus invidere ? Ipse ergo , qui potest , mittat amodo Veltrum , quem tu vidisti in somno , si tamen umquam venturus est .

*Che val - - - - - -*

Heic Poëta aggravat miseriam Italiæ . Quia si Italia olim fuit oppressa a Barbaris post Imperium translatum in Græciam , tamen habuit al[illegible]uando relevantem & reformantem eam . [illegible] ergo : *che val ?* quasi dicat , nihil .

*- - - - perchè ti racconciasse il freno*

*[illegible]ustiniano - - - - - -*

Ju[illegible]us Imperator gubernaculum & regimen Legibus fecit , quæ constringunt hominum vitas ; & armis , quia liberavit Italiam de manibus Gothorum , ut pulcre scribitur Paradisi Cant. VI.

*- - - - se la sella è vota ?*

Scilicet , sessore , idest , si Sedes Imperii caret Imperatore , qui stat in Germania , ut statim patebit . Et dicit :

*Senz' esso fora la vergogna meno .*

Idest , verecundia foret minor sine ipso fræno . Simile dicit Bachonus de Romanis , quod si fuissent semper servi , ut multi barbari , minus moleste ferendum esset . Et continuo invehit contra Pastores Ecclesiæ , qui non permittunt Imperatorem regnare in Italia . Dicit ergo :

*Ahi , gente , - - - -*

Idest , dolenter refero , gens Sacerdotalis . Et non dicas , gens Italica , sicut quidam exponunt , & non bene :

*- - - - che dovresti esser divota ,*

Scilicet , Deo , & vacare spiritualibus, & temporalia dimittere Imperatori . Unde dicit :

*E lasciar seder Cesare in la sella ,*

quæ est vacua sessore . Nota, quum dixit Christus : *Reddite quæ sunt Cæsaris , Cæsari , & quæ sunt Dei , Deo* , quasi dicat : si non vis aliter intelligere & exponere illud dictum Domini Jesu Christi . Et heic nota , ut videas , quod Poëta juste increpat prohibentes Imperatorem esse in Italia . Quod in MCCXCVIII. Albertus Dux Austriæ , Rodulphi Cæsaris primogenitus , peremto Adulpho electo , in prœlio , successit illi in Regno . Qui anno sequenti misit Legatos ad Bonifacium , significans se velle venire ad Sedem Apostolicam , suscepturus de more Coronam . Quibus Papa respondit , quod Albertus non erat electus legitime , & quod erat indignus Imperio , quia adversus Regem Dominum suum bellum injuste moverat , & proditorie illum occiderat . Et sedens armatus in solio , & ense cinctus , & habens in

in capite Imperiale Diadema, tenenſque manum ad capulum enſis cincti, dixit: *Nonne ego poſſum Imperii jura tueri? Ego ſum Cæſar.* Poſtea ortâ diſcordiâ inter eum & Philippum Regem Franciæ, Bonifacius fecit fœdus cum Alberto, & ipſum vocaverat. Eo tempore captus eſt in ſua Civitate Anagniæ.

*Guarda com'eſta fiera è fatta fella* &c.

Heic Poëta invehit contra Albertum prædictum, qui neglexit venire, quum poſſet, ad liberandum Italiam. Ordina ſic literam, & deſcende infra, & dicas:

*O Alberto Tedeſco - - - -*

Electe Imperator,

*- - - - ch'abbandoni*

*Coſtei, - - - - -*

Ideſt, Italiam,

*- - - - ch'è fatta indomita e ſelvaggia,*

Ideſt, rebellis, & inobediens Imperio, quia non veniſti ad illam domandam;

*E dovreſti inforcar li ſuoi arcioni.*

Ideſt, equitare eam:

*Guarda com'eſta fiera - - - -*

Scilicet, Italia,

*- - - - è fatta fella.*

Ideſt, prava,

*Per non eſſer corretta da gli ſproni.*

Ideſt, Imperialibus;

*Poi che poneſti mano a la predella.*

Ideſt, poſtquam aſſumſiſti regimen iſtius feræ belluæ & frænum. Scio tamen, quod communiter alii trahunt iſtam literam ad ly *gentem*, non ad *Albertum*. Et exponunt ſic: Tu Papa reſpice, quomodo Italia facta eſt fellea, quia tu non permiſiſti Imperatorem venire, & aſſumſiſti in te regimen.

*Giuſto giudicio, - - - -*

Heic Poëta imprecatur Alberto malum ob dictam culpam, dicens:

*- - - - da le Stelle caggia,*

*Sovra 'l tuo ſangue.*

Scilicet, judicium divinum veniat ſuper te. Et heic nota, quod iſtud evenit de facto. Nam in MCCCVIII. Calendis Maji Albertus prædictus fuit gladiatus ab uno ſuo nepote proditionaliter in tranſitu unius fluminis, deſcendens de navi. Cauſa fuit, quod dictus Albertus occupabat ſibi partem hereditatis Ducatus Auſtriæ. Ponit ergo hoc factum tamquam futurum, quia habet reſpectum ad tempus ſuæ viſionis, non ad tempus, quo ſcripſit, ſicut ſæpe idem oſtendi in Inferno in multis dictis, quæ videntur prophetica, quum tamen non ſint. Et ideo dicit:

*- - - - e ſia nuovo & aperto,*

quia bene fuit judicium ſatis extraneum & manifeſtum; & dicit:

*Tal che 'l tuo Succeſſor temenza n'aggia.*

Ideſt, territus exemplo tui, deſcendat in Italiam. Et certe Henricus de Lucimborgo bene ſtuduit reformare Italiam; licèt non potuerit, morte præventus, ut ſcribitur Paradiſi Cant. XXX. Et aſſignat cauſam imprecationis factæ, dicens:

*Ch'avete, tu - - - -*

ideſt, o Alberte, qui debebas magis accendi ad veniendum per mortem Bonifacii, quia promiſeras ſibi, & in odium Regis Franciæ;

*- - - - e'l tuo Padre, ſofferto,*

Scilicet Rodulphus, qui fuit potentiſſimus & valentiſſimus, de quo dicetur plene Cant. ſequenti. Et oſtendit ſe venire, & omnes Italici fuerunt valde territi, & Florentini deliberabant parere mandatis. Ideo Dantes vult dicere tacite: Si Rodulphus veniſſet Florentiam, non eveniſſent illa ſcandala, & ego non eſſem exul. Vos, dico,

*Per cupidigia di coſtà diſtretti,*

Scilicet, in Alemannia. Quaſi dicat: Tu & pater tuus, capti & retenti cupiditate amplian di Regnum & potentiam in Alemannia, *avete ſofferto*, ideſt ſuſtinuiſtis, quod Italia deſtrueretur, quum tamen ceteris curis poſtpoſitis debuiſtis potius totis viribus intendere ad reformandam Italiam, quæ ſola poterat vobis dare Imperium orbis terrarum. Ideo dicit:

*Che 'l giardin dell'Impero ſia diſerto.*

Ideſt, Italia. Et heic nota bene, quod Italia eſt pulcrior domus mundi, cujus arx, ſive caput eſt Roma, cujus gloriæ totus orbis terrarum anguſtus fuit, Tuſcia eſt ejus Camera, quia eſt pars ornatiſſima & ordinatiſſima hujus mundi, vel domus, in qua morantur pulcræ puellæ, ſicut in camera. Et ubi fiunt ſecreta conſilia, ſicut in camera. Lombardia eſt Sala, quia ibi ſunt magnæ Potentiæ. Ibi fiunt magnifica convivia. Amplæ enim ſunt gulæ Lombardorum communiter. Romandiola eſt Hortus Romanus, tota virens, tota fertilis & amœna. Marchia Anconitana eſt Cellarium, quia ibi ſunt vina ſuaviſſima omnium, olea, mela, ficus. Apulia eſt ſtabulum, quia ibi ſunt nobiliſſimi equi: ibi paleæ, fœna, ſtramina, camporum planities: & ibi facta ſunt magna bella campeſtria, ut Auctor jam dixit Cant. XXVIII. Inferni. Marchia Triviſana eſt Viridarium hujus nobiliſſimæ domus, habens arbores altas floridas, Venetias, Veronam, & Paduam. Habet etiam iſta domus multas alias pulcras & accommodas manſiones, de quibus eſſet longum proſequi. Sed principaliora tetigi: Sed hæc Italia fuit ſemper magnis bellis ſonans. Bene ſcribit Vergilius, quod Anchiſes pater Æneæ, veniens in conſpectum Italiæ, viſo equo a longe, clamavit:

*- - - - „ bellum Terra hoſpita portas!*

*Vieni a veder - - - -*

Heic Poëta improperat quædam particularia damna Urbium Italiæ, quorum ipſe videtur cauſa, & qui poterat faciliter medicari. Dicit ergo:

*- - - - Montecchi e Cappelletti.*

Iſtæ fuerunt duæ claræ Familiæ Veronæ, quæ habuerunt diu bellum cum alia Familia nobiliſſima, ſcilicet cum Comitibus de Sancto Bonifacio. Nam Monticuli Comites cum favore Eccelini de Romano ejecerunt Azonem II. Marchionem Eſtenſem Rectorem illius Civitatis. Sed ipſe in manu forti cum Comite Umberto Sancti Bonifacii, Monticulis acie debellatis, reintravit Veronam, ubi finem vitæ feliciter terminavit. Et dicit:

*Monaldi e Filippeſchi: - - -*

Iſtæ fuerunt duæ nobiliſſimæ Domus de Urbe Veteri.

*- - - - uom ſenza cura.*

Quia tota die inter ſe rixantur, nec eſt qui curet. Et dicit:

*Color già triſti - - - -*

Scilicet Monticulos, quia jam exules & diſperſos.

*- - - - e coſtor con ſoſpetti.*

Scilicet, Monaldi & Filippeſchi, quia timent ſibi de eorum ruina. Et ex indignatione ingeminat exclamationem, & dicit:

*Vien crudel, vieni. - - -*

Crudelis, quia negligens curam tot Nobilium privilegiatorum ab antiquis Imperatoribus Romanis. Unde dicit:

*- - - - E vedi la preſſura*

*De' tuoi gentili . - - -*
Ideſt, oppreſſionem tuorum Nobilium.
*- - - - e cura lor magagne .*
Quia ſunt ſine cura. Et inter ceteros,
*E vedrai Santafior, come ſi cura .*
Iſti Comites de Sancta Flora fuerunt olim potentiſſimi in Maritima Senarum. Et jam tunc Senenſes diſtribuebant eos. De qua materia dicetur infra Cant. XI.
*Vien' a veder - - - -*
Heic ultimo objicit Alberto aliud majus malum, quod præponderat ceteris, ſcilicet, deſolationem almæ Urbis, quæ eſt caput Orbis. Unde dicit:
*- - - la tua Roma,*
Quia diceris Rex Romanorum.
*Che piagne,*
ideſt, deplorat ſuam deſolationem.
*Vedova ſola - - -*
Sine Principe, Sponſo, & Protectore ejus. Sicut olim primi Principes Alamanni, ſicut Ottones, conſolati ſunt eam, ideo invocat auxilium tuum. Unde dicit:
*- - - e dì e notte chiama,*
*Ceſare mio - - -*
ideſt, Imperator,
*- - - perchè non m'accompagne ?*
Ne fiam præda omnium. Et ut cito dicam:
*Vieni a veder la gente - - -*
ſcilicet, Italicam,
*- - - - quanto s'ama .*
Et quia Albertus poſſet dicere ad ſui excuſationem: Non amo vos, ex quo non amatis vos invicem, reſpondet:
*E ſe nulla di noi pietà ti move,*
hoc eſt, ſi aliqua compaſſio noſtrarum miſeriarum,
*A vergognar ti vien de la tua fama .*
Quia reputaris pius, & non es; & quia preſſura ſervi cedit in dedecus domino. Sed certe prædicti duo Cæſares minus male fecerunt in non veniendo in Italiam, quàm hic modernus Imperator Carolus de Lucimborgo, nepos boni Henrici VI. de quo dictum eſt. Qui bis venit in Italiam, maxime ſecundâ vice, tempore Urbani V. cum terribili exercitu, ab omnibus exſpectatus, & ſervitrices Harpyas præſeferens loco triumphalium Aquilarum, ab omnibus pecunias accepit, & omnium libertates, quas potuit, vendidit. Vivet ergo infamia ſemper ejus.
*E ſe licito m'è .*
Nunc Poëta iratus & turbatus ex prædictis, quæ videntur contingere ſine ullo ordine divinæ Providentiæ, quæ non videtur curare jacturas naufragantis Italiæ, exclamat ad Deum dicens: *E ſe licito m'è*, ſupple, dicere. Et facit colorem, qui dicitur Licentia, quia non licet:
*- - - - - o ſommo Giove :*
ideſt, Omnipotens Aeterne Deus. Et loquitur poëtice. Nam Poëtæ gentiles capiunt Jovem pro ſummo Deo:
*Che foſti in terra per noi crocifiſſo,*
& ideo non deberes ita avertere oculos tuos a nobis. Unde petit:
*Son li giuſti occhi tuoi rivolti altrove ?*
quàm ad Italiam? Quaſi dicat: An videris removiſſe oculos tuæ pietatis ab Italia, & benigne reſpicere aliam partem? An eſt verum, quod tu facis hoc in tuo ſecreto conſilio, quia permittis aliqua mala fieri, ut inde elicias aliquem bonum effectum occultum & incognitum nobis? Unde dicit:

*O è preparation, - - - - - -*
ideſt, præordinatio,
*- - - - - che ne l'abiſſo,*
ideſt, in profunditate, quia Judicia Dei abyſſus multa,
*Del tuo conſiglio, - - - - -*
ideſt, Providentiæ tuæ. Et ecce quare;
*- - - - - fai per alcun bene*
*In tutto da l'accorger noſtro ſciſſo .*
Ideſt, totaliter diviſum & alienum a cognitione noſtra, quia oculus noſter infirmus non valet cernere. Alia tamen litera habet:
*In tutto per corregger noſtro ſciſſo,*
ideſt, ut omnino corrigas noſtram diviſionem. Sed prima litera eſt melior, & magis de intentione Poëtæ. Et aſſignat Poëta cauſam exclamationis factæ in Deum, ne videatur nimis temerarius. Unde dicit:
*Che le Città d'Italia, - - - - -*
non aliarum provinciarum communiter,
*- - - - - - tutte piene*
*Son di Tiranni . - - - - -*
Immo etiam Tyrannulis. Unde dicit, & quod multo pejus eſt,
*- - - - - Et un Marcel diventa*
*Ogni villan, che parteggiando viene .*
Vult Poëta dicere tacite, quod ſicut olim Marcellus ex magna affectione præſumſit & inſurrexit contra Cæſarem primum Imperatorem, ita hodie omnis Caſtellanus & Villanus præſumit & inſurgit contra Imperatorem. Et bene judicium venit ſupra dictum Marcellum, nam quum Cæſar clementiſſime donaſſet ſibi vitam, quidam ſervus ejus crudeliſſime gladio eripuit.
*Fiorenza mia - - - - - -*
Poëta noſter, ne videatur oblitus ſuæ Florentiæ, de qua nihil dixerat adhuc in iſto Purgatorio, facit ſpecialem invectivam contra eam, quam inter Civitates Italiæ præſens negotium tangit. Et alloquitur eam pulcris ſcommatibus, continuo ironizans; unde dicit:
*Fiorenza mia, ben puoi eſſer contenta &c.*

*Ad Verſ.* 142.

*Verſo di te, che fai tanto ſottili*
*Provedimenti, ch' a mezzo Novembre*
*Non giunge quel, che tu d'Ottobre fili .*
Quaſi dicat, quod aliquando Statuta & Ordinamenta tua non ſervantur per menſem cum dimidio. Et non videatur tibi irridenda metaphora, quia eſt propria. Vult enim dicere: Opera tua ſunt feminea, & parum durant, & cito rumpuntur, ut filum mulieris, licèt videantur ſubtilia. Et hoc declarat petens:
*Quante volte - - - - - -*
ideſt, multoties,
*- - - - - Del tempo, che rimembre,*
ideſt, tempore noſtro recordaris,
*Hai tu mutato*
*Legge, - - - - - -*
Quia omni die fiunt ibi novæ Reformationes; quod eſt peſſimum, quoniam, ut dicit Philoſophus, *aſſueſcere mutare Leges, eſt aſſueſcere non obedire Legibus*; ideo Leges etiam minus bonæ ſunt ſervandæ.
*- - - - Moneta, - - - -*
Quia novas pecunias fecerunt.
*- - - - & Officio - - - -*
Quia nunc Conſules, nunc Antianos, nunc Priores habuerunt.
*- - - - - - e Coſtume .*
Quia mores mutantur ibi de die in diem, quia Florentini diſcurrentes per mundum, reportant varios mores alienigenarum in partibus ſuis, ſci-

scilicet in patriam suam, ut potes videre in mulieribus eorum.

*Ad Cant. 7. Vers. 89.*

*Da questo balzo meglio gli atti e' volti*
*Conoscerete voi di tutti quanti,*
*Che ne la lama giù tra essi accolti.*

Idest, quàm si essetis aggregati cum eis intra illam planitiem cavatam, ad denotandum, quod fama istorum interdum magis sonat a longe, quàm a prope, juxta illud Claudiani.

„ - - - - *minuit præsentia famam.*

*Colui, che più siede alto,* - - - - -

Heic Sordellus nominat spiritus electiores, & primo principaliorem Principem, scilicet unum Imperatorem. Ad cujus cognitionem est primo sciendum, quod Rodulphus genere Germanus, Comes, pater Alberti, sua probitate factus est Dux potentissimus. Nam acquisivit Austriam, quæ vacabat morte Ducis, qui fuerat decapitatus similiter cum Conradino. Cujus fecit Ducem Albertum filium suum. Et regnavit Rodulphus annis XX. Et electus Imperator habuit grave bellum cum Rege Bohemiæ potentissimo Anno Domini MCCLXXVII. Qui potentiâ & opulentiâ suâ indignabatur parem sibi. Propter quod Rodulphus cum magno & forti exercitu ivit contra eum. Cui Rex potenter occurrit, & commisso acerrimo prœlio inter tam fortes gentes, Rex Bohemiæ acie peremtus est cum magna strage bellatorum. Et sic Regnum Bohemiæ venit sub jugum Rodulphi. Sed postea fecit pacem cum filio Regis mortui, & fecit ipsum venire ad se sedentem in sede per medium luti. Et illum stantem genibus flexis in luto conciliavit sibi, præsentibus omnibus Baronibus. Et dedit sibi filiam in uxorem, & Regnum restituit. Et sic superbum humiliavit, & humiliatum exaltavit die XXVI. Augusti. Et sic vide, quare Poëta ponit ipsum salvum. Nam Rodulphus iste fuit magnanimus, magnificus, justus, sine dolo, timens Deum, victor in bello, multum formidatus ab Alamannis & Italicis. Et certe si voluisset venire in Italiam, sine resistentia erat Dominus. Ideo Auctor arguit eum negligentiæ heic & in præcedenti Cantu. Ad literam igitur. Poëta præmittit Rodulphum cunctis, quia habuit Principatum Romanum, quo nullus est altior in Orbe Christiano; sed arguit eum negligentiæ, dicens: *Colui, che più siede alto*, supereminens omnibus, quia Imperator,

- - - - - *e fa sembianti,*

idest, ostendit in apparentia,

*D'aver negletto ciò, che far dovea.*

Nam debebat venire Romam, ut reciperet Coronam Imperii, & visitare & corrigere Italiam, deinde facere transitum ad recuperandam Terram Sanctam; immo principaliter ad istum finem Papa Gregorius X. de Placentia fecerat ipsum eligi in Imperatorem. Quæ omnia facere neglexit cupiditate potentiæ in Germania, ut Auctor tetigit Cap. præcedenti; immo visus est diminuere jura Imperii in Italia, quia resignavit Bononiam, & Romandiolam Ecclesiæ & Papæ Nicolao de Ursinis. Ideo dicit:

*E che non muove bocca a gli altrui canti.*

Quia dolet & erubescit de negligentia sua;

*Ridolfo Imperador fu* - - - - -

electus,

- - - - - *che potea*
*Sanar le piaghe,* - - - - - -

idest, partialitates & divisiones,

- - - - - - *ch' hanno Italia morta;*

ita quod forte numquam reviviscet.

*Sì che tardi per altro si ricrea.*

Idest, reformatur per Henricum Imperatorem de Lucimborgo, qui licèt descenderet cum bono animo, non potuit erigere Italiam, ut tactum est in præcedenti Capitulo, & tangetur plenius Cant. XXX. Paradisi.

*L'altro,* - - - - - -

Heic Sordellus nominat alium, scilicet Regem Bohemiæ, qui fuit gener dicti Rodulphi, & eodem tempore, satis magnæ virtutis.

- - - - *che ne la vista lui conforta;*

sicut confortaverat eum in vita, ut perficeret dicta sua debita;

*Resse la Terra,* - - - - -

scilicet, Bohemiam, quam describit a fluminibus suis, dicens:

- - - - *dove l'acqua nasce,*

scilicet, fluvius Melottus, (*vel Moldava*)

*Che monta in Albia,* - - - -

Idest, expressa inferius. Albia est flumen, quod derivatur ab Alamannia, de quo Lucanus in Secundo. Vel secundum aliam literam *Molta* a mulgeo, sicut *Monta* a mungo. Vel est ipsum nomen fluvii.

- - - - *& Albia in mar ne porta.*

Melottus est fluvius magnus, qui labitur per medium Pragæ Urbis, ubi Imperator habet hodie sedem. Et exprimit nomen & virtutem ejus, dicens:

*Ottachero ebbe nome;* - - - -

Et dicit, quod pater fuit melior filio multum, unde dicit:

- - - - - - *e ne le fasce*
*Fu meglio assai,* - - - -

idest, in regalibus honoribus,

- - - - - - - *che Vincislao suo figlio.*

*Barbuto,* - - - - - - -

qui tunc regebat, & habebat barbam valde magnam juxta illud:

*Est bene barbatus, sub Mercurio generatus.*

Vel dic, & verius, quod pater fuit melior in infantia, quando ligatus in fasciis vagiebat in cunabulis, quam filius, postquam fuit juvenis jam barbatus. Loquitur hyperbolice. Quod optime probat, dicens:

- - - - *Cui* - - - - - -

idest, quem Vinceslaum;

- - - - *lussuria & ozio pasce.*

Quia adhuc vivebat. Quæ duo vitia sunt valde detestabilia in uno vulgari, nedum in Rege. Nam otiositas & voluptas arma sunt hostis antiqui, ad miseras animas captivandas.

*E quel Nasetto,* - - - - - -

Heic Sordellus nominat alios duos Reges simul. Ad cognitionem primi oportet heic scire, quod multi dicunt, quod iste, qui mortuus est, deflorando Lilium, fuit bonus Ludovicus Franciæ Rex, qui fecit passagium primo contra Soldanum in Aegyptum, ubi fuit captus & dimissus; secundo in Barbariam contra Tunitium, ubi amisit magnam partem exercitus pestilentiâ, & ipse infirmatus, mortuus est etiam in itinere. Sed nullo modo potest intelligi de prædicto, tum quia non est mortuus deflorando Lilium, fugiens, tum quia iste fuit vir Sanctus, & est positus in Catalogo Sanctorum. Ideo non debet poni heic in numero negligentium. Dicendum ergo est, quod potius Poëta loquitur de filio ejus, qui vocatus est Philippus Nasellus. Ideo ulterius debes scire, quod iste Philippus fuit cognatus Donni Petri Regis Aragonum, quia habuit sororem ejus

ejus in uxorem. Qui auditâ rebellione Siciliæ, quam dictus Petrus eripuerat Carolo I. patruo ejus Philippi, juravit facere vindictam de proditione, quam fecerat Domui, scilicet Franciæ. Igitur Anno Domini MCCLXXXIV. Philippus, Sancti Ludovici filius, facto maximo apparatu, cum numeroso exercitu viginti millium equitum & octuaginta millium peditum Crucesignatorum Francorum, Provincialium, & Theotonicorum, cum maximo thesauro recessit de Francia cum Philippo, & Carolo suo filio, & cum uno Cardinali Legato Papæ, & ivit Narbonam, causâ subjugandi Aragoniam. De qua Carolus filius ejus erat privilegiatus ab Ecclesia Romana. Et per mare armavit in Provincia centum viginti inter Galeas & alia ligna. Et conjunxit se cum Domino Jacobo fratre Petri & inimico, quia abstulerat sibi Insulam Majoricæ, de qua coronaverat Alphonsum primogenitum suum. Anno sequenti recessit a Narbona, & post multos labores perveniens in Cataloniam, obsedit Civitatem Girundæ, quam tamdem cepit per famem. Petrus prudenter considerans vires Regis Franciæ, quibus se imparem sentiebat, noluit committere se prœlio campestri. Sed tantum intendebat ad impediendum victualia. Et quum semel posuisset se in insidiis, occurrente sibi acie electissimorum equitum Francorum, Rex Petrus victus est, & vulneratus in facie cum una lancea, & equo ejus capto per habenas, ipse probus & providus, non obstante vulnere faciei incidit habenas cum ense, & urgens equum calcaribus, exivit de pressura, & evasit a captura. Sed non gerens bonam curam de vulnere, reversus est ad Villamfrancam, ubi post modicum mortuus est VIII. die Novembris Anno Domini MCCLXXXV., & sepultus honorifice in Barcellona. Philippus amisit classem suam, quam Rogerius de Loria, valentissimus Amiraglius Donni Petri veniens de Sicilia, cum classe invasit, & incendit. Quapropter Philippus videns fortunam sibi adversam, cremato navigio, quo victualia portabantur, concepit tantum dolorem, quod infirmatus est ad mortem. Ex quo Franci compulsi sunt recedere, portantes Regem eorum infirmantem. Magna pars exercitus periit fame, & peste. Et Rex Petrus ante mortem rehabuit Gerundam. Exercitus Philippi fugiens venit Perpinianum, ubi Rex expiravit die II. Octobris. Et sepultus est apud Sanctum Dionysium. Deinde factus est Rex Philippus filius ejus, qui agnominatus est Pulcher, cum Regina Johanna de Navarra uxore sua. Nunc ad literam. Dicit Sordellus: *E quel Nasetto*, idest Philippus Nasellus. Aliqui tamen textus habent: *Nasuto*; sed male;

*- - - - che stretto a consilio*

*Par con colui*,

idest loquitur cum illo, in sensu opposito, vel *parla*, idest, videtur ibi in sensu diviso. Est tamen eadem sententia.

*- - - - ch' ha sì benigno aspetto*.

Iste erat Guillielmus Rex Navarræ, filius boni Regis Thebaldi.

*Morì fuggendo, e disfiorando il Giglio*.

Signum Regum Franciæ, idest minorando, quia Philippus iste fecerat majorem apparatum contra Aragoniam, quàm umquam aliquis prædecessorum suorum. Et istud bellum fuit cum majori amissione hominum & equorum, & impensa pecuniarum, quàm umquam per alia tempora in Regno Franciæ. Nam Rex sequens & plures Barones fuerunt semper postea in debitis. Ideo notanter Poëta dixit: *e disfiorando il Giglio*. Dicit ergo:

*Guardate là, come si batte il petto*,

dolens de suo infortunio, & filio vitioso simul cum prædicto Guillielmo. Unde dicit:

*L'altro vedete, che ha fatto a la guancia*
*De la sua palma sospirando letto*.

Scilicet, Guillielmum prædictum, quia scilicet in gena reclinabat, & pausabat in palma, sicut in lecto, quia ipse etiam dolebat de Philippo genero suo vitioso, licèt non tantum. Et declarat, qui fuerunt isti duo Reges, dicens:

*Padre - - - -*

scilicet, Philippus Nasellus.

*- - - e Suocero*

scilicet Guillielmus Rex Navarræ, socer Philippi Pulcri tunc viventis;

*- - - - son del mal di Francia*.

idest, Philippi Pulcri mali, immo pessimi omnium Regum Francorum. Ideo dicit:

*Sanno la vita sua - - -*

idest, illius mali Regis.

*- - - viziata e lorda*.

Multa & enormia crimina istius Philippi tanguntur infra Cant. XX. Ideo dicit:

*E quindi viene 'l duol, che si gli lancia*.

idest, dolor ferit ad vivum.

*Quel, che par - - -*

Heic Sordellus nominat simul duos alios Reges modernos Occidentis contemporaneos. Quorum uterque fuit valentissimus, & fuerunt in vita hostes acerrimi. Scilicet Donnus Petrus Rex Aragonum, & Carolus I. cui eripuit Siciliam, pro qua mortuus est ipse Petrus, & Philippus Nasellus, ut patet ex jam dictis; & ipse Carolus etiam mortuus quasi in uno anno dicta de causa. Unde debes scire, quod Carolus revertebatur de Provincia cum magno apparatu, & cum magna classe, ut iret in Siciliam, & obsideret Messanam. Sed in brevi omnibus sibi adverse cedentibus, concepit tantum dolorem, qui, ut creditur, fuit causa accelerandæ mortis. Nam postea mortuus est VII. Januarii die sequenti post Epiphaniam Anno Domini MCCLXXXV. cum vera pœnitentia & contritione, & sepultus est Neapoli. Nunc ad literam: Sordellus describit Petrum prædictum ab habitu corporis & animi, scilicet a virtute, & dat sibi in socium Carolum prædictum, quem describit ab habitu corporis. Dicit ergo:

*Quel che par sì membruto, - - -*

scilicet, Petrus Rex Aragonum. Et heic nota, quod hic Petrus fuit valorosissimus Regum Occidentalium suo tempore, strenuissimus in armis, formidatus plusquam alicuis Regum a Christianis & a Saracenis, considerato paupere & parvo Regno suo. Et dat sibi socium valentissimum dicens:

*- - - - e che s'accorda*,

licèt in vita discordasset, quia modò sunt in loco pœnitentiæ: ideo remiserunt sibi injurias.

*Cantando con colui dal maschio naso*.

Idest, cum Carolo I. virili valde. Et heic nota, quod iste Carolus fuit magnus & membrutus, colore oleagino, & magno naso, ferocis aspectus, rigidus in justitia, multum vigilans, parum dormiens, solitus dicere, quod dormiendo perdebat tantum temporis; cupidus regni & pecuniæ; probus, alti cordis, audax, & constans; verax in promissis, tardiloquus, num-

numquam nimium ridens, honestus & Catholicus, magnus pugil Ecclesiæ. Qui majora fecisset, si non habuisset fortunam adversam in fine, ut dicetur plene Paradisi Cant. VIII.

*D'ogni valor portò cinta la corda.*

Idest, quia ille Petrus fuit cingulo Militiæ decoratus, armatus omni scientia belli, & disciplina militari.

*E se Re dopo lui - - - -*

Heic Sordellus nominat post Petrum filium ejus primogenitum, commendans eum, & vituperans fratrem ejus. Unde dicit:

*Ben' andava il valor di vaso in vaso.*

Idest, bene transfundebatur virtus de patre in filium, si

*Lo giovinetto, che retro a lui siede,*

scilicet, Alphonsus,

*- - - Re dopo lui fosse rimaso:*

idest, supervixisset diutius in Regno. Unde nota, quod tempore mortis, Petrus reliquit in testamento Alphonsum primogenitum Regem Aragoniæ, & Jacobum II. Regem Siciliæ. Sed Alphonsus parum vixit post mortem patris. Ex quo Jacobus II. frater successit in Regno Aragoniæ, & Fridericus tertius frater habuit Regnum Siciliæ. Ideo Poëta dicit improperium istorum duorum;

*Che non si puote dir de l'altre rede;*

quod probat, quia

*Jocomo e Federigo hanno i Reami.*

Quod hereditarium est fortuitum. Sed

*Del rettagio miglior nessun possiede.*

Quia neuter istorum duorum possidet de hereditate paterna virtutem; sed Alphonsus virtuosus fuit patri similis, & nobilis. Sordellus ex hoc subjungit nobilem sententiam dicens:

*Rade volte risurge per li rami*
*L' umana probitate. - - -*

idest, virtus a radice, sicut a patre in filios. Et est ratio, quia anima non est a trunco, sed a Deo. Ideo assignans causam, dicit:

*- - - - E questo vole*
*Quei, che la dà; perchè da lui si chiami.*

idest, recognoscatur a Deo, non ab alio.

*Anco al Nasuto - - - -*

Heic Sordellus, quia vituperat utrumque successorem Petri, degenerantem a paterna probitate, nunc reflectit sermonem suum ad socium ejus Carolum, & dicit:

*Anco al Nasuto vanno mie parole.*

idest mordentia ad Carolum præfatum, quem superius describit a masculo naso, quia habuit magnum nasum, & virilem animum.

*Non men ch' a l'altro Pier - - -*

Regem Aragonum,

*- - - - che con lui canta:*

quum tamen contenderit secum in vita de Regno Siciliæ occupato ab eo, & vocaverit eum proditorem, & provocaverit ad singulare certamen. Sed assignato loco & tempore, Petrus non comparuit, allegans locum suspectum. Hoc autem creditur fecisse sagaci fraude, ut interponeretur tempus, quo firmaret statum suum in Sicilia, sicut fecit. Vult ergo dicere Sordellus: Idem dico de uno herede Caroli, quod jam dixi de duobus heredibus Petri. Ideo dicit:

*Onde - - - - - -*

a quo Carolo,

*- - Puglia e Proenza già si dole.*

Propter mortem ejus, quia heres debilis, scilicet Carolus Claudus, successit sibi in Regno Apuliæ & Provinciæ, quorum primum Carolus vindicaverat a Rege Manfredo, secundum habuerat ex dote uxoris, quæ fuerat filia Raymundi Beringerii Comitis Provinciæ, ut dicetur plene VI. Cant. Paradisi. Et declarat Sordellus vilitatem heredis Caroli per unam comparationem sub litera satis intricatam. Et vult sententia dicere, quod Carolus Claudus est tantò vilior patre, quantò Petrus Aragonum est melior filiis suis. Dicit ergo:

*Tanto è del seme suo minor la pianta,*

idest, filius ejus, qui velut planta descendit ex semine patris, tantò minor est probitate, & virtute, quantò

*Gostanza, - - -*

quæ fuerat filia Regis Manfredi, de qua plene dictum est Cant. III. hujus Libri,

*- - - di marito ancor si vanta.*

Idest, gloriatur de meliore marito, scilicet Donno Petro valentissimo.

*Quanto più che Beatrice e Margarita.*

Istæ duæ erant Nurus dictæ Constantiæ, altera uxor Donni Jacobi, altera Donni Friderici, quarum neutra poterat gloriari de probo viro, quia ut patet ex dictis, isti duo degenerabant a virtute paterna. Alii tamen dicunt, quod istæ duæ fuerunt sorores Constantiæ: quod non credo.

*Vedete il Re - - - -*

Heic Sordellus nominat alium spiritum, illustrem Regem Angliæ. Iste fuit Henricus, filius Ricardi valentissimi, qui mirabilia fecit strenue contra Saladinum. Qui Henricus fuit vir bonus, & bonæ fidei possessor, sed habuit heredem meliorem, scilicet per contrarium Petri & Caroli, scilicet Adoardum virum valentissimum. Dicit ergo:

*- - - il Re de la semplice vita*

simplex, & purus, sed non strenuus, sicut pater & filius, scilicet

*Seder là solo, Arrigo d'Inghilterra.*

Ponit ipsum solum, quia solus fuit simplex in numero Regum Angliæ, qui fuerunt communiter astuti valde; vel quia solitarius non gaudebat conversatione hominum, vel quia Anglicus. Anglia enim angulus terræ est reposita in Oceano Occidentali. Unde Vergilius:

„ *Et penitus toto divisos Orbe Britannos.*

*Questi ha ne' rami suoi miglior' uscita.*

Scilicet, Rex Henricus Siciliâ, & aliis Insulis meliorem filium, scilicet Eduardum, qui tunc vivebat.

*Quel, che più basso - - -*

Heic ultimo Sordellus nominat ultimum spiritum minoris gradus. Ad cujus cognitionem est sciendum, quod iste fuit Guillielmus Marchio Montisferrati, vir ferox & crudus, tamen potens & valens. Qui fuit aliquando Capitaneus Mediolani contra Papiam. Iste Anno Domini MCCXC. quum ivisset cum paucis ad Civitatem Alexandriæ, Alexandrini ad instantiam Astensium, quibus Marchio erat inimicus, ceperunt eum proditorie, acceptis magnis pecuniis ab Astensibus, qui sunt pecuniosiores omnibus Italicis, ceteris paribus, quia sunt maximi Usurarii. Et mortuus est in carcere prædictorum captivus. Immo unus Civis saltavit crudeliter super corpus defuncti, & cepit caput ejus cum manibus, & percussit ad terram. Alexandrini reputantur homines nimis temerarii in Lombardia, quia interfecerunt Episcopum suum. Ego credo, quod Civitas facta sit ex colluvione multarum gentium, ut dicetur infra Cant. XVIII. Ad literam ergo dicit Sordellus:

*Quel, che più basso tra costor s'atterra,*

Po-

Ponit eum bassiorem, quia non fuit tantæ dignitatis & potestatis, sicut prædicti. Et si fuit superbus, bene humiliatus est in vita & in morte.

*Guardando in suso - - - -*

scilicet, ad Cœlum ex devotione,

*- - - è Guglielmo Marchese.*

Iste cognominatus est Spata-Longa.

*Per cui - - - -*

idest, propter cujus capturam,

*- - - - & Alessandria - - -*

scilicet, Alexandria *della Paglia* in Lombardia, Civitas valde nova,

*- - - e la sua guerra*

idest, ipsius Alexandriæ,

*Fa pianger Monferrato;*

Quia spoliatus est Domino suo, qui mortuus est sine herede masculo, & hereditas pervenit ad Imperatorem Constantinopolitanum, qui habuit unam filiam Guillielmi. Est autem Monsferratus in finibus Lombardiæ Contrata amœna, habens infinita Castella in collibus fertilibus.

*- - - - - - e Canavese.*

Contrata est contermina Montiferrato, quæ clauditur a duobus brachiis fluminis, quod dicitur Dura, a tertia parte clauditur Pado, a quarta ab Alpibus, & habet fortè CC. Castella. Quæ est etiam valde fertilis. Et ipsa similiter plorat mortem Domini sui.

*Ad Cant. VIII. Vers. 45.*

*E Sordello anco. Or' avalliamo omai*
*Tra le grand' ombre, e parleremo ad esse.*

Idest, loquemur aliquibus ex nostris Italicis, ut patebit. Et assignat causam, quia

*Grazioso fia lor vederti assai.*

Idest, quia erit satis gratum, immo gratissimum istis, videre duos tantos Poëtas, qui possint facere de eis memoriam & famam, sicut sapientissimus Rex Robertus honoravit & laureavit novissimum Poëtam Petrarcham, qui ubique facit altas commendationes de eo.

*Ad Vers. 52.*

*Ver me si fece, & io ver lui mi fei.*

Et manifestat nomen ejus gratulans suæ salvationis. Ad cujus cognitionem debes scire, quod iste Ninus fuit nobilis genere & potens, Pisanus origine, qui fuit de Scottis de Pisis. Et fuit Judex Galluræ in Sardinia. De quo dictum est Inferni Cant. XXII. Et expulsus de Civitate Pisarum proditione Comitis Ugolini, ut dictum est Inferni Cant. XXXIII. confœderavit se cum Florentinis & Lucanis, & magnum bellum fecit, tamquam strenuus, contra Pisas, scilicet in MCCC., sed paulo post mortuus est in Castro Sancti Miniati. Ideo Poëta, qui noverat benignam naturam hominis in vita, & ejus bonam dispositionem in morte, ponit ipsum salvum. Dicit ergo:

*Giudice Nin gentil. - - - - -*

*Ad Vers. 64.*

*L'uno a Virgilio, e l'altro ad un si volse,*
*Che sedea lì - - - - - -*

Scilicet, Conrado Marchioni Malespinæ, qui erat sibi socius & familiaris, sedens cum aliis in loco bello, quia iste erat Italicus, & vicinus suus, & magis par, quam illi Principes & Magnates. Ideo statim Ninus convertit se ad illum, ex admiratione,

*- - - - - gridando: Su Currado &c.*

*Ad Vers. 72.*

*Là dove a gl' innocenti si risponde.*

Quia Deus exaudit preces innocentum justas. Et ista erat virgo puella puera. Unde ad intelligentiam claram istius literæ & sequentis; debes scire, quod iste nobilis Ninus habuit in uxorem illustrem Dominam Beatricem, sororem Domini Marchionis Estensis Azonis III. famosi, de quo jam supra facta est mentio Cant. V. hujus Libri, & alibi sæpe. Ex qua genuit filiam, quæ vocata est Johanna. Ipse verò mortuus est sine masculina prole. Post cujus mortem uxor ejus nupsit Domino Galeatio Vicecomiti, Capitaneo Mediolani, & filia ejus nupsit Domino Ricardo de Camino, Domino Tarvisii. Ideo Ninus rogat Dantem, ut dicat filiæ suæ, quod roget pro eo, quia uxor sua non videtur amplius curare de eo.

*Non credo - - - -*

Heic Ninus ostendit, quare non recommendat se uxori, quia non credit, quod amplius curet de eo, sicut simile dixit supra Boncontes de Montefeltro de Johanna uxore sua. Dicit ergo: Et dico de filia, quia non credo,

*- - - - che la sua madre - - - -*

idest, Beatrix uxor mea, quæ sic vocata est a Beatrice quondam Aldrovandini Marchionis filia, quæ nupsit Andreasio Regi Hungariæ, mulier magnanima valde,

*- - - - - - più m'ami.*

Sicut prius amabat in vita;

*Poscia che trasmutò le bianche bende,*

quas portabat in viduitate; idest postquam transvolavit ad secundas nuptias Domini Galeatii. Per hoc nota, quod Poëta tacite tangit vanam curam quorumdam, qui ex nimio amore, quem habent ad uxores, a quibus videntur diligi in vita, non credunt, quod post mortem servetur par debitum, æqualis amor, & mutua fides conjugii: ideo iste divinat sibi malum, dicens:

*Le quai - - - - - -*

scilicet, bindas albas,

*- - - - convien, che misera ancor brami.*

Quia scilicet deveniet ad talem statum, quod vellet libenter esse in primo statu viduitatis. Et sic fuit de facto. Quia vir suus secundus expulsus de Mediolano, factus est stipendiarius Castruccii in Tuscia, ubi mortuus est. Et ex hoc Ninus arguit ab uxore sua ad alias instabilem amorem mulierum, dicens:

*Per lei assai di lieve si comprende.*

Idest, per unam faciliter cognoscitur de aliis.

*Ad Vers. 79.*

*Non le farà sì bella sepoltura.*

Heic Ninus probat, quod ista non bene fecerit nubendo secundo viro, quia non erit sibi tam honorabile post mortem dici uxor Galeatii, sicut si diceretur uxor Nini. Dicit ergo:

*La Vipera - - - - - -*

Insignium Vicecomitum de Mediolano:

*- - - - - - che i Milanesi accampa;*

idest, quam Mediolanenses portant in campo, quia Galeatius erat tunc Dominus Mediolani;

*Non le farà sì bella sepoltura,*

hoc est tam honorabilem,

*Com' avria fatto il Gallo di Gallura.*

Nam Gallus est insignium Judicum Galluræ. Quasi dicat: Pulcrius fuisset sibi, quod in epitaphio sui in titulo sepulturæ legeretur: *Heic iacet Beatrix, uxor Judicis Nini de Gallura*, quàm quod legatur, *Uxor Domini Galeatii de Mediolano*. Et dicunt communiter Exponentes, quod Ninus erat nobilior & melior illo. Sed de hoc non facio curam heic; sed dico, quod loquitur subtilius, & vult dicere: Major ho-

nor

nor erat huic illustri mulieri, dici uxor unius viri tantum, scilicet primi, quàm secundi; ita quod tacite tangit eam, quod nupsit secundo. Sed ulterius non erit superfluum considerare heic, quod Poëta noster non sine quare descripsit heic incidenter istam Domum Mediolanensium ab Insignio; quia Armatura ista terribilis, & Domus fuit nimis potens diu in Lombardia. Circa potentem Domum est sciendum, quod primus promotor Domus Vicecomitum, fuit Cardinalis Octavianus de Ubaldinis, qui fecit fieri Ottonem Vicecomitem, Capellanum suum, Archiepiscopum Mediolani. Qui vir astutissimus rogavit eumdem, ut faceret fieri Raymundum de la Turre Patriarcham Aquilejæ, ut illi de domo sua sequerentur eum. Et sic factum est. Qui Raymundus tenuit Patriarchatum XXVI. annis. Et fuit frater Domini Alamanni, qui primus fuit Capitaneus Mediolani. Qui diu fuerant potentissimi. Otto cum suis intravit Mediolanum cum isto modo & pacto, quod plures ex nobilioribus Domus eligerentur Capitanei, qui regerent Civitatem successive, quorum primus fuit Dominus Maffæus nepos ejus, ob reverentiam ejus. Quum autem Maffæus diceret in fine anni patruo suo, officium finiri, Otto extraxit gladium de vagina nepoti, & dixit: *Eripe a me, si potes, hunc gladium*. Ille notavit dictum, & continuavit regimen. Iste Maffæus fuit prudentissimus Tyrannus. Et suâ solertiâ fecit multa magnalia, & vixit ultra XC. annos, & usque ad mortem viguit magno intellectu. Quum autem Maffæus vellet omnia sibi, & non participaret Consortibus suis & aliis, expulsus fuit de Mediolano. Et illi de la Turre cum viribus Patriarchæ venerunt super Mediolanum cum magno exercitu & magnis Potentibus Lombardiæ. Et breviter operâ Alberti Scotti de Placentia, Guidottus de la Turre intravit Mediolanum. Et paulo post factus Capitaneus duxit asperum dominium valde. Et multum persequutus fuit Maffæum & filios, ita quod eos quasi reduxit ad nihilum. Unde fugientes paupercule de Terra in Terram, tamdem reduxerunt se ad unum parvum Castellum in Comitatu Ferrariæ, propter affinitatem Beatricis, de qua dictum est. Guidottus non contentus persequutione, illudens fortunæ Maffæi, de sui industria misit hominem curialem sagacem ad eum, qui fecit Maffæo duas petitiones: scilicet, quomodo stabat, & quando sperabat redire Mediolanum. Maffæus prudens lepide respondit ad primum. Et subito dixit: *Videtur mihi bene stare, quia scio vivere secundùm tempus*. Ad secundum dixit: *Quando peccata Domini tui præponderabunt meis, tunc revertar Mediolanum*. Guidottus factâ sibi relatione per virum curialem, dixit: *Bene lucrifecisti Palafredum & Robam*. Et ista bene sunt verba prudentissimi Maffæi. Et sic fuit in brevi. Nam Maffæus reintravit Mediolanum, quando minus sperabat, reductus per Henricum VI. Iste Maffæus habuit quinque filios, quorum primus fuit Galeatius, qui successit patri in dominio, & Azo filius ejus tenuit dominium post eum. Secundus fuit Johannes Archiepiscopus Mediolani, vir satis simplex, sed multum regebatur consilio suorum Consiliariorum. Et fuit Dominus cum Luchino tertio genito, & defuncto Luchino (qui fuit justissimus Tyrannus) Johannes solus regnavit. Hic fuit potentissimus. Nam ultra Terras Lombardiæ, quas tenuerat Luchinus, habuit Bononiam & Januam cum omni jurisdictione sua.



Quartus fuit Marcus Miles strenuissimus armorum. Quintus Stephanus, qui dum propinaret poculum Bavaro, & vellet illi dare venenum, ut ordinatum erat cum fratribus, Bavarus præsentiens, dixit: *Bibe tibi*: qui coactus bibere mortuus est. Hic Stephanus fuit pater Bernabovis & Galeatii, qui duo diebus nostris ita lacerant Lombardiam.

*Ad Vers. 116.*

*Di Valdimagra, o di parte vicina.*

Heic nota, quod Macra est fluvius rapax, innavigabilis, ut dicit Lucanus. Qui labitur apud antiquam Civitatem desertam Lunæ. Unde hæc eadem Vallis hodie appellatur vulgariter Lunisana. Et est ibi fluvius & finis Tusciæ. De quo alibi dictum est, & dicetur. Ideo dicit:

*- - - - o di parte vicina*,

sicut de Tuscia, & Liguria. Et manifestat se a loco, a nomine, a virtute, ut reddat Poëtam sibi magis benivolum. Et dicit:

*Sai: dillo a me, che già grande là era.*

Quasi dicat: Fui magnus Dominus in vita, illâ in Valle Macræ. Et audi, quis fui.

*Chiamato fui Currado Malaspina.*

Ad quod sciendum, quod hic Conradus erat Major Domus Malaspinæ virtute armorum, clarus tempore suæ mortis. Habuit autem Avum ejusdem nominis, qui suis gestis magnifice exaltavit familiam suam. Et magna præmia promeruit apud Ottonem Imperatorem. Et hic nepos studuit imitari probitatem Avi. Et heic nota, quod in Chronica Januensium multa scripta sunt de antiquitate, nobilitate, virtute, & potentia istius clarissimæ Familiæ Marchionum Malaspinarum. De qua Familia multi fuerunt viri illustres. Et multi fuerunt Conradi viri valentes. Ideo ad tollendam æquivocationem, quæ multis inducit errorem, sicut patet in Cæsaribus, Scipionibus, & mille Familiis illustrium, ille Conradus dicit.

*Non son l'antico! - - - -*

qui fuit valde virtuosus.

*- - - - Ma di lui discesi*;

per rectam lineam sanguinis. Nec degeneravit ab eo, sicut Auctor dicit in Cant. præcedenti de filiis illustrium. Unde Conradus tangit singularem actum virtutis suæ, dicens:

*A' miei portai l'amor*,

idest, caritatem,

*- - - - che quì raffina.*

Idest, qui inducit me ad Purgatorium, ubi anima affinatur, sicut aurum in igne. Unde nota, quod notatur de isto Conrado, quod veniens ad mortem sine prole, omnia sua Castella condivisit inter Consortes suos, & prædia donavit, exhortans eos ad custodiam concordiamque. Et tamen discordia hodie conturbavit istam Domum. Sicut & quasi ceteras Italiæ. Alii tamen exponunt istam literam aliter, & dicunt, quod Conradus vult dicere, quod in tantum amavit suos, & exaltationem Domus suæ, quod neglexit opera meritoria, intentus circa temporalia, de quo heic expectat purgari.

*O, dissi lui, - - - -*

Heic Poëta ponit suam responsionem ad Marchionis petitionem, & extollit gloriam suæ Domus ex generali fama omnium hominum. Unde dicit: *Dissi lui*, idest, illi Conrado: *O* admirative loquitur.

*- - - - per li vostri paesi*
*Giamai non fui*:

Scilicet, per Vallem Macræ. Et verum dicit:

 quia

quia in MCCC. numquam fuerat ibi. Sed post expulsionem suam citò fuit ibi. Sed licèt non fuerim ibi personaliter, tamen audivi semper vera de Domo vestra. Unde dicit:

*- - - - ma dove si dimora.*

Idest, in qua parte sit habitatio.

*Per tutta Europa - - -*

ubi est maxime Orbis Christianus,

*- - - ch'ei non sian palesi?*

idest, publice cognita, propter singularem virtutem vestrorum? Et declarat se, dicens:

*La fama, che la vostra Casa onora,*

idest, honorabilem reddit in testimonium virtutis.

*Grida i Signori, - - -*

idest, celebrat & prædicat Marchiones Malaspinas,

*- - - e grida la Contrada,*

*Sì che ne sa chi non vi fu ancora.*

Et sic fama, quam omnes famant, non est omnino perdita, ut vult Philosophus.

*Et io vi giuro. - - -*

Heic Poëta in singulari extollit Domum Marchionum a duplici virtute, quæ maxime competit viris illustribus, scilicet Liberalitas & Probitas, adeo quod etiam aliquos vitiosos reddidit gloriosos. Et adjurat sic esse, per id quod maxime fuit adjuratus a Conrado. Unde dicit:

*Et io vi giuro, s'io di sopra vada,*

scilicet, ad summum Montis operâ Vergilii, & gratiâ Dei,

*Che vostra gente - - -*

idest, genesis, suum genus Malaspinorum,

*- - - onrata non si fregia,*

idest, honorata non deornatur & spoliatur

*Del pregio de la Borsa e de la Spada.*

idest, Liberalitatis & Probitatis.

*Ad Vers. ultim.*

*Se corso di giudicio non s'arresta.*

Iste Conradus videbat, quod in futurum ex judicio Dei Dantes factus exul, erat recipiendus honorifice a consanguineo suo. Et sic fuit de facto. Quia expulsus de patria pervenit in Terras istorum Marchionum, & ibi liberaliter tractatus a Marchione Moroëllo, & per ipsum reductus fuit ad istud nobile Poëma, quod omiserat per exilium suum, cujus principium credebat esse amissum, sicut plene notatur in Inferni Cant. VIII. circa principium. Ideo non mireris, Lector, si Poëta noster fecit tam operosam commendationem de illa stirpe illustri. Certe morbo ingratitudinis laborasset, si ita nude præteriisset.

*Ad Cant. IX. Vers. 6.*

*Che con la coda percuote la gente.*

Heic nota, quod istud Signum Scorpionis non dat homini minus nigrum & pestiferum venenum, quam Scorpio animal frigidum. Scribit enim Guido Bonati Foroliviensis, magnus Astrologus, se vidisse in Arabia unum Astrolabium mirabilis magnitudinis, in quo erant figurata omnia Signa Zodiaci; & in Signo Scorpionis erat figuratus unus Æthiops, tenens stercus ad nasum, ad indicandum, quod nati ascendente Scorpione delectantur fodere in stercoribus, & rebus putridis, quales multos sæpe videmus.

*Ad Cant. X. Vers. 32.*

*- - - - Sì che non pur Policleto.*

Heic nota, quod iste Polycletus fuit excellentissimus Statuarius Græcus. De quo scribit Plinius Lib. XXXIV. Natural. Histor. dicens, quod Polycletus Sycionius Agelladis discipulus multa opera mirabilia de ære fecit, adeo quod solus hominum Artem istam fecisse judicatur. Fecit duos pueros ludentes nudos, qui fuerunt in atrio Titi Imperatoris, quo opere nullum perfectius multi judicaverunt. Ego autem vidi Florentiæ in domo privata statuam Veneris de marmore mirabilem in eo habitu, in quo olim pingebatur Venus. Erat enim mulier speciosissima nuda, tenens manum sinistram ad pudenda, dexteram vero ad mamillas. Et dicebatur esse opus Polycleti: quod non credo, quia, ut dictum est, Polycletus sculpsit in ære, non in marmore.

*Ad Cant. XI. Vers. 58*

*Io fui Latino - - - - - -*

Heic prædictus spiritus, ut inclinet facilius animum Auctoris ad se, manifestat se a Provincia generali & speciali, & parentibus, & nomine proprio. Et ad hujus rei intelligentiam est sciendum, quod in maritima Civitatis Senarum fuerunt olim Comites nobilissimi de Sancta Flore Castello; adeo potentes in Tuscia, quod solebant gloriari, quod poterant omni die anni mutare locum, & stare in loco tuto: tot Castella fortia habebant. Sed habuerunt diu bellum cum dicta Civitate. Per quod jam tempore nostri Poëtæ erant in magna ruina. Et hodie sunt quasi omnino exterminati. De hac stirpe illustri fuit iste Umbertus, qui heic loquitur, juvenis quidem strenuus & animosus valde. Qui quum exivisset prohibitus probiter contra inimicos ad unum avisamentum, interfectus fuit in campo apud unum suum Castellum, quod dicitur Campagnaticum. Ad literam ergo dicit iste, *Io fui Latino*; idest, Italicus; nam in Italia primum natum est nomen Latinum.

*- - - - e nato d'un gran Tosco:*

idest, nobilis & potentis Comitis in Tuscia. Et ecce patrem.

*Guiglielmo Aldobrandesco - - - -*

sic cognominatus,

*- - - - - - fu mio padre:*

Et dicit:

*Non so se 'l nome suo giamai fu vosco.*

Quasi dicat: Credo, quod sic, quia fuit satis famosus in Italia. Iste Umbertus audiverat Vergilium loquentem Latine. Ideo sic loquitur:

*L'antico sangue, - - - - -*

Heic Umbertus narrat, quod præstabat sibi superbiam magnam. Et dicit, quod fuerunt duo, scilicet Nobilitas & Virtus suorum clarorum progenitorum. Dicit ergo: *L'antico sangue*, idest, nobilis,

*- - - - - e l'opre leggiadre,*

idest, gesta strenua,

*De' miei maggior,*

idest, prædecessorum; Antiquitas enim facit Nobilitatem, ut dicit Philosophus Libro Rhetoricorum.

*- - - - mi fer sì arrogante.*

Idest, fecerunt me tam superbum.

*Ad Vers. 74.*

*- - - - non questi, che parlava.*

Quasi dicat: Non magnus & magnificus, sicut Comes Umbertus, sed quidam spiritus parvus erat & plebejus. Et erat unus Miniator Librorum.

*Sì torse sotto 'l peso, che l'impaccia.*

Quia non permittit erigere caput.

*Ad Vers. 79.*

*O, diss'io lui; Non se' tu Oderisi,*

Iste Oderisius fuit magnus Miniator in Civitate Bono-

Bononiæ tempore Auctoris. Et erat valde vanus jactator de Arte sua, non credens habere parem. Ideo Dantes, qui optime noverat animum illius avidum laudis & gloriæ, de industria commendat eum super omnes, ut experiatur, si deposuit ventum, quo solebat esse inflatus; dicens:

*L'onor d'Agobbio*,

Quasi dicat; quod multum honoras patriam tuam & Artem tuam. Et dicit;

- - - - *e l'onor di quell' Arte*.

Scilicet, miniandi:

*Ch' alluminar è chiamata in Parisi?*

Parisius enim dicitur *illuminiare*, ubi in Italia dicunt *Miniare*. Et heic nota, quod *Miniare* est magis proprium. Sic enim dicitur a colore minio, qui olim fuit aliquando in maximo pretio. Unde Scipio Africanus, ducens gloriosissimum triumphum de victo Annibale, intravit Urbem cum facie tincta minio, ut scribit Plinius.

*Frate, diss' egli*, - - - - -

Heic Poëta ponit responsionem illius ad se, qui humiliter confitetur falsam gloriam, quam quærebat. Et concedit ipsam alteri. Dicit ergo: *diss' egli*, scilicet, ille Odorisius dixit:

- - - - *più ridon le carte*,

idest, florent:

*Che penelleggia* - - - -

idest, miniat cum pennicillo:

- - - - *Franco Bolognese*.

Hic fuit alius Miniator de Bononia excellentior eo, concurrens secum, sicut apparet in quibusdam Libris Miniatis per eum. Ideo dat sibi palmam hujus Artis, dicens:

*L'onore è tutto or suo, e mio in parte*.

*Ad Vers.* 94.

*Credette Cimabue*. - - - -

Heic Poëta confirmat dictum suum per exempla moderna, quæ clare manifestant expositionem factam. Et primo ponit exemplum duorum Concivium suorum, quorum unus nomine Cimabos. Et fuit excellens Pictor. Alter nomine Giottus, qui fuit excellentior illo; ideo citò derogavit gloriæ ejus. Ad literam ergo dicit Poëta; videlicet Odorisius: Cimabos tuus Florentinus credidit

- - - - *ne la Pittura*

*Tener lo campo* - - - -

idest, victoriam gloriæ in Arte pingendi. Sed spes ejus est delusa, quia non reperit se in ætatibus grossis immo nec in subtilioribus. Unde dicit:

- - - - *Et or' ha Giotto il grido*,

idest, rumorem famæ & gloriæ:

*Sì che la fama di colui oscura*.

Scilicet, Cimabovis. Et heic nota, Lector, quod Poëta noster meritò facit commendationem Giotti ratione Civitatis, ratione Virtutis, & ratione Familiaritatis. De isto namque Giotto faciunt mentionem alii duo Poëtæ Florentini, scilicet Petrarcha & Boccaccius, qui scribit, quod tanta fuit excellentia ingenii & artis hujus nobilis Pictoris, quod nullam rem rerum Natura produxit, quam iste non repræsentaret tam proprium, ut oculus intuentium sæpe falleretur, accipiens rem pictam pro vera. Accidit autem semel, quod dum Giottus pingeret Paduæ, adhuc satis juvenis, unam Capellam in loco, ubi fuit olim Theatrum sive Arena, Dantes pervenit ad locum. Quem Giottus honorifice receptum duxit ad domum suam. Ubi Dantes videns plures infantulos ejus summe deformes, & (ut citò dicam) patri simillimos, petivit: *Egregie Magister, nimis miror, quod quum in Arte Pictoria dicamini non habere parem, unde est, quod alias figuras facitis tam formosas, vestras verò tam turpes!* Cui Giottus subridens præsto respondit: *Quia pingo de die, sed fingo de nocte*. Hæc responsio summe placuit Danti, non quia sibi esset nova, quum inveniatur in Macrobio Libro Saturnalium, sed quia nata videbatur ab ingenio hominis. Iste Giottus vixit postea diu. Nam mortuus est in MCCCXXXVI. Et sic nota, quod Giottus adhuc tenet campum, quia nondum venit alius eo subtilior, quum tamen fecerit aliquando magnos errores in picturis suis, ut audivi a magnis ingeniis. Ista Ars pingendi & sculpendi habuit olim mirabiliores Artifices apud Græcos & Latinos, ut patet per Plinium in Naturali Historia.

*Così ha tolto* - - - -

Heic Poëta adducit aliud exemplum aliorum modernorum, quorum uterque fuit pulcher Inventor Rhitmorum in Lingua materna. Quorum unus vocatus est Guido Guinicellus de Bononia, de quo & cujus laudibus habes infra Cant. XXVI. Alter verò vocatus est Guido de Cavalcantibus, sine comparatione excellentior eo, quia fuit magnus Philosophus, de quo jam multa dicta sunt Inferni Cant. X., ubi Poëta commendavit eum a scientia. Heic verò commendat eum ab eloquentia, dicens:

- - - - *l'uno a l'altro Guido*,

Scilicet, Cavalcantes *ha tolto così*, idest simili modo, sicut Giottus Florentinus, *a l'altro Guido*, de Guinicellis Bononiensi,

*La gloria de la Lingua* - - - -

idest, dicendi in Lingua materna. Et heic nota, quod iste Guido, sicut & Dantes, fuit homo multum speculativus, tardiloquus, faciens subtilia & subita schemata. Accidit autem, quod semel Guido cogitabundus deambulabat solus juxta Sanctum Johannem in Florentia. Et quidam Miles Florentinus nomine Bettus de Brunelleschis superveniens cum aliis sociis, clamavit super eum, dicens: *Ecce, o Guido, quum tantum cogitaveris, quod inveneris Deum non esse, quid feceris?* Cui Guido præsto respondit: *Domini, potestis dicere mihi juxta domum vestram quidquid placet*. Et continuo evolavit a facie eorum, quia erat agillimus ut capreolus. Tunc illi respicientes unus alterum, cœperunt dicere, quod Guido erat unus immemor, quia id, quod responderat, nihil portabat, quum non haberet plus facere ibi, quam ceteri Cives, nec Guido minus, quam ipsi. Quibus Dominus Bettus dixit: *Immo vos estis immemores, qui non intellexistis eum. Ipse dixit vobis honeste maximam verecundiam; quia, si bene advertitis, arcæ sunt domus mortuorum, quas dicit esse vestras domos, ad innuendum, quod nos & alii vulgares ignorantes ad comparationem scientiatorum sumus pejus quam homines mortui & sepulti; & ideo quum simus heic, sumus ad domum nostram*. Tunc illi intelligentes coopertum scomma Guidonis, laudaverunt Auctorem & interpretem ejus. Et subdit Poëta.

- - - - *E forse è nato*,

scilicet, aliquis excellentissimus eloquens. Et dicit signanter *fortè*, quia verecunde loquitur de se ipso:

*Chi l'uno e l'altro*, - - - -

scilicet, utrumque Guidonem

- - - - *caccerà di nido*.

Idest, de domo Famæ, quam pulcre describit Ovi-

Ovidius. Et certe hic Poëta præclarus non solùm expulit istos de possessione, sed & omnes alios ante se, & post se usque in hodiernam diem. Aliqui tamen volunt, quod Poëta noster loquatur heic de quodam tertio Guidone, scilicet de Domino Guidone de Polenta Novello, sub quo vixit & mortuus est. Qui fuit vir satis intelligens & eloquens. Sed non credo.

*Ad Vers.* 102.

*E muta nome, perchè muta lato.*

Quia unus & idem Ventus habet multa nomina & diversa, & diversas vires in partibus diversis; ita est recte de Fama & Gloria. Quia illud, quod est laudabile apud unam Gentem, est vituperabile apud aliam. Sicut enim Dux Venetiarum, qui est tam venerabilis apud suos, si accederet ad partes vicinas, ne dicam barbaras, certe irrideretur cum Cornu suo, quod portat in capite. Sicut etiam Ventus venit interdum cum magno impetu, & omnia prosternit, ita & Fama sæpe facit magnos motus, sed cito deficit, & sicut Ventus vanescit.

*Ad Vers.* 109.

*Colui, che del camin - - - -*

Poëta describit alium spiritum modernum, superbum ratione status, & potentiæ temporalis, ut ostendat brevitatem vanæ gloriæ in eo. Ad cujus intelligentiam est sciendum, quod iste fuit quidam nomine Provincianus Silvanus, Dominus nobilis Civitatis Senarum, qui cum gente Regis Manfredi dedit illum terribilem conflictum Florentinis ad Montem Apertum. De quo plene dictum est Cant. X. & XXXII. Inferni. Hic Provincianus in MCCLXIX. cum Comite Guidone Novello, & cum gente Manfredi, venit in obsidionem ad quoddam Castrum, quod dicitur Colle, in Comitatu Florentiæ, & habuit MCCCC. equites & octo millia peditum. Tunc Florentiæ erat quidam Vicarius Caroli Veteris, nomine Zannes Bertaldus, qui cum sua gente Gallica & Florentinis ivit contra prædictos. Senenses timentes sibi, voluerunt recedere: sed in recessu fuerunt invasi ab hostibus & faciliter debellati. Provincianus captus, decapitatus fuit, & in campo, per dictum Zannem Bertaldum. Cujus caput abscissum affixum fuit hastæ longæ, & circum portatum per campum. Ex quo fuit verificatum & declaratum responsum Auguris sive Dæmonis, qui prædixerat sibi:

*Ibis. Pugnabis. Non. Morieris. In. Prœlio.*
*Et Tuum.Caput.Erit.Sublimatū.Super.Cetera.*

Paucis Senensibus parcitum fuit a Florentinis, in vindictam eorum, qui fuerant occisi paulo ante ad Montem Apertum. Nunc ad literam. Dicit Odorisius nostro Poëtæ:

*Colui, che del camin sì poco piglia,*
quia ibat totus contractus per Cornicem:
*Dinanzi a me,*
quia præcedebat ipsum:
*- - - - Toscana sonò tutta,*
quia fuit ad tempus famosus in tota Tuscia:
*Et ora - - - - - -*
idest, nunc de præsenti, MCCC.
*- - - - A pena in Siena se n pispiglia*

Idest, vix susurratur & murmuratur de eo tacite, *in Siena*, idest in patria sua, ubi fuit magnus & magnificus Dominus. Quanto minus ergo in Florentia vel alibi? Et ostendit gloriam ejus per victoriam magnam, quam habuit de superbia Florentinorum; dicens:

*Ond' era Sire - - - -*

A idest, cujus Civitatis Senarum erat Dominus:

*- - - - Quando fu distrutta*
*La rabbia Fiorentina, - - - -*

idest, Plebs furiosa, quæ tunc erat intolerabilis, debellata & prostrata. Et sic una superbia punivit aliam, ut est de more. Unde dicit:

*- - - - che superba*
*Fu a quel tempo - - - -*

Quia contra consilium omnium Sapientum voluit pertinaciter ire contra hostes ad exterminium suum.

*- - - - sì com' ora è putta.*

Idest, lasciva, vana, avara, sicut meretrix.

*Ad Vers.* 132.

B *Come fu la venuta a lui largita?*

Ad hujus rei evidentiam claram volo, te scire, quod quum quidam amicus Provinciani, captus in conflictu Conradini, detineretur in carcere Caroli victoris, adjudicatus morti, nisi intra certum breve tempus solvisset decem millia Aureorum, ipse Provincianus exposuit se ad mendicandum suffragia pro redemtione amici. Nam posito banco cum tapeto in platea Civitatis, cœpit humiliter rogare unumquemque, ut conferret redemtioni istius. Et sic in brevi collectâ pecuniâ necessariâ liberavit amicum. Ad literam ergo dicit Poëta: Ille Odorisius

C *disse*: Provincianus prædictus *liberamente s'affisse*, idest firmavit & collocavit se *nel campo di Siena*, idest in platea Senarum, quæ vulgo appellatur ibi Campus. Et est pulcherrimum Forum, quasi circulare, circum cinctum magnis Palatiis, & in ejus circuitu solent deambulare Nobiles, & honorabiles Cives, in medio verò Negotiantes.

*Ad Vers.* 136.

*Egli per trar l'Amico suo di pena.*

Iste vocabatur Vinea, qui captus apud Tagliacozium, exspectabat decapitari. Ideo dicit:

*- - - - - - di pena,*
*Che sosteneva ne la prigion di Carlo,*

idest, Caroli Regis veteris. Et sic vide, quod

D Provincianus redemit amicum de manibus Caroli, qui non potuit postea se redimere de manibus Vicarii illius. Et concludit Odorisius:

*Quest' opra gli tolse quei confini.*

idest, opus tantæ humilitatis & caritatis liberavit eum a loco confinatorum extra Purgatorium.

*Ad Cant. XIII. Vers.* 104.

*Se tu se' quelli, che mi rispondesti.*

Heic Poëta ponit responsionem illius spiritus ad se, qui respondet de loco, & de nomine, de quibus fuerat interrogatus, & ultra hoc de culpa, qua heic purgatur. Et heic adverte, quod si Poëta noster petendo, dixit pauca verba & bona, ista mulier, tamquam Senen-

E sis, ei vana multa & frivola confabulatur super invidia sua. Ideo non mireris, si Poëta fingit istam facere longam orationem ad se, quia mulier est naturaliter loquax & garrula: Et ista in speciali erat parum prudens. Dicit ergo. Et ille spiritus:

*Io fui Senese, rispose, - - - -*
idest, de Comitatu Senarum fui:
*- - - - e con questi*
*Altri rimondo quì la vita ria,*
per bonam pœnitentiam:
*Lagrimando a Colui, - - - -*
scilicet, ad Deum:
*- - - - Che se ne presti:*

idest,

idest, concedat se videndum nobis. Et dicit, quod suum nomen non fuit consequens rei, immo per antiphrasim. Unde dicit;

*Savia non fui, avegna che Sapía*
*Fossi chiamata, - - - -*

Sapía vocabatur ista Domina, accentu producto. Et tamen non fuit sapiens, immo insipiens, & insana, saltem in isto actu, ut audies statim. Unde dicit:

*- - - - e fui de gli altrui danni,*

idest, de adversis:

*Più lieta assai, che di ventura mia.*

Scilicet, de prosperis, quod est proprium Invidiæ.

*E perchè - - - - - -*

Heic longo sermone Sapía narrat formam suæ malignantis Invidiæ. Et ad intelligentiam claram hujus literæ debes scire, & memorare illud, quod scriptum est supra Cant. XI. Purgatorii, de Provinciano Silvano, qui quum venisset cum suis Senensibus contra Castrum Comitatus Florentiæ, quod dicitur Colle, ista Domina ardens odio Senensium, ex sola invidia posuit se ad fenestram unius palatii in Castro suo satis vicino loco belli, exspectans eventum, & optans audire ruinam suorum. Audito ergo rumore sinistro conflictus, & morte Ducis miseranda, exultans gaudio immenso, animo gratulanti, erexit caput temere contra cœlum, & dixit sic: *De me amodo quidquid vult, faciat mihi Deus quam pejus potest, quia amodo vivam læta, & moriar contenta*. Modò ad propositum ista Sapía ad confirmandum, quod dixerat, primo proponit suum fallum in generali, dicens Danti:

*E perchè tu non credi, ch' io t'inganni,*
*Odi, se fui, come ti dico, folle.*

Idest, temeraria. Et aggravat factum, dicens:

*Già discendendo l'arco de' miei anni,*

quasi dicat: jam declinante ætate mea; ita quod istud non erat vitium ætatis, sed animi. Et heic nota, quod mulier inclinatur facilius ad pietatem & benivolentiam quam vir; & citius lacrymatur, & est magis invida, quàm vir; & magis contentiosa, & magis mendax; & in rebus honestis & regimine est magis stulta, quàm vir, ut dicit Avicenna. Unde proprium subjectum non habet in eis virtus & honestas, & sunt ut plurimum mali judicii. Homo vero inter cetera animalia magis attingit profectum Naturæ.

*Eran' i Cittadin miei - - - -*

Heic Sapía narrat in speciali formam facti, dicens: *i Cittadin miei*, idest Senenses cum Provinciano Duce eorum:

*- - - - presso a Colle,*

quod est Castrum magnum in principio fluminis Elsæ, de quo dicetur in fine hujus Purgatorii:

*In campo giunti co i loro aversari;*

scilicet, Florentinis:

*Et io pregava Dio di quel, che volle.*

Scilicet, quod essent conflicti: Et sic fuit. Unde dicit;

*Rotti fur quivi - - -*

in campo, ubi erant in obsidione:

*- - - - e volti ne gli amari*
*Passi di fuga. - - - -*

Sicut enim est maxime dulce victori persequi fugientem, ita est summe amarum victo fugere a facie persequentis; de quo paulo ante duxerat speciosum triumphum apud Montem Apertum:

*- - - - E veggendo la caccia,*

idest, persequutionem de fenestra;

*Letizia presi ad ogni altra dispari.*

Scilicet, lætitiis. Quasi dicat: Numquam habueram similem in vita mea. Unde dicit:

*Tanto ch' io volsi in sù - - - -*

scilicet, versùs Cœlum:

*- - - - - - l'ardita faccia*

insane:

*Gridando a Dio. Omai più non ti temo.*

Et dicit, quod fecit a simili,

*Come fe 'l merlo per poca bonaccia.*

Dicitur fabulose, quod merulus post sævitiem hyemis, superveniente tranquillo garrit: *Più non ti temo, ch' uscito son del verno*. Ita ego pro parva victoria præsumsi loqui contra Deum. Audivi, quod ista maledicta mulier erat insuriata mente, quod conceperat & prædixerat se præcipitaturam desperanter de fenestra, si Senenses fuissent illa vice victores. Erat enim Sapía nobilis Domina de illis de Bigotio, quod est unum Castellum in territorio Senarum longe a Colle de Valdese fortè per quatuor milliaria. Quæ nimis oderat Populum Senensem, sicut Zanganella Populum Florentinum. Et hoc ideo, quia invidebat Populo diu florenti & diu victori. Erat enim Provincianus tunc valde potens & famosus. Et heic nota, quod ubi est major virtus & major gloria, ibi est major Invidia. Et tamen nulla est tam humilis fortuna, quæ non malignitatis dentibus mordeatur; sed sola miseria caret Invidiâ.

*Pace volli con Dio - - - -*

Heic Sapía, narratâ culpa suæ invidiæ, narrat causam suæ salvationis, scilicet pœnitentiam, licèt seram. Unde dicit: *Pace volli con Dio*, cum quo habueram inimicitiam suadente Invidiâ inimicâ Caritatis, quam Deus semper præcipit & suadet:

*- - - - - - in su lo stremo*
*De la mia vita.*

quando non poteram amplius peccare. Et quia Dantes poterat statim dicere: quomodo ergo non es extra Purgatorium cum aliis tardantibus? respondet:

*- - - - - - E ancor non sarebbe*
*Lo mio dover - - - - - -*

idest, debitum, scilicet peccatum:

*- - - per penitenzia scemo:*

idest, diminutum. Quod est jam satis scemum, quia jam steti diu in pœna purgatoria; sed adhuc nondum venissem huc;

*Se ciò non fosse, ch'a memoria m'ebbe*
*Pier Pettinajo - - -*

Hic fuit quidam sanctissimus Eremita tunc magnæ famæ, qui modò apud Florentiam dicitur Sanctus Petrus Pettinarius.

Ad Vers. 138.

*Che già lo 'ncarco di là giù mi pesa,*

Heic nota, quod Poëta noster a juventute fuit superbus, ratione nobilitatis, scientiæ, & boni status. Sed certe bene portavit onus suum in vita, onus dico exilii, paupertatis, & invidiæ aliorum. Et certe de me audeo dicere cum bona conscientia illud idem, scilicet quod fui aliquando magis superbus, quam invidus. Sed certe jam bene portavi saxum in Mundo isto.

Ad Vers. 150.

*Ch'a' miei propinqui tu ben mi rinfami.*

Sciebat ista Domina, infamiam remansisse de se in patria de odio magno, quod congesserat contra Cives suos. Et docet, ubi et inven-

venturus consanguineos suos, dicens:

*Tu gli vedrai - - -*

idest, videre poteris:

*- - - tra quella gente vana,*

idest, in genere Senensium, de quorum vanitate Poëta noster dixit in speciali ad Cant. XXIX. Inferni. Heic vero dicit magis in communi. Et tangit duas notabiles vanitates illius Civitatis, dicens:

*Che spera in Talamone. - - -*

Ad quod sciendum, quod Talamon est unum Castellum Senensium in Maritima, ubi Senenses expenderunt aliquando multum, & sæpe fecerunt cavari Portum cum magnis laboribus & expensis; sed perdebant operam, quia Portus cito replebatur, & propter corruptionem aëris locus non est bene habitabilis. Et tamen semper habebant in ore Talamonem. & de ipso confabulabantur. Sed spes eorum erat vana. Unde dicit:

*- - - - e perderagli*

*Più di speranza, ch'a trovar la Diana.*

In hoc tangit aliam majorem vanitatem. Diana dicebatur esse fluvius, de quo fuit olim opinio in Civitate Senarum, quod laberetur sub terra. Ideo diu laboraverunt, & cavaverunt multum pro ipso inveniendo. Nec adhuc inventus est. Et concludit:

*Ma più vi perderanno gli Ammiragli.*

Et heic nota, quod isti, quos vocat heic Admiralios, ut audivi a quodam Senensi viro magno autorista & Dantista, erant quidam, qui volentes lucrari, conducebant a Communi tot cannas vel perticas ad cavandum pro certo pretio; quorum aliqui consumti sunt. Aliqui tamen referunt, hoc ad dictum Castellum Talamonis, non ad fluvium Dianæ; & dicunt, quod Poëta loquitur de Admiraliis navium, qui applicantes ad Portum istum falso laudatum, receperunt aliquando magna damna. Et sic tetigit de vanitate Senensium in communi. Sed quid dixisset Poëta noster, si vidisset, non est diu, Zaninum Senensem, qui permisit sibi persuaderi tam facile, quam vane, quod erat Rex Franciæ? Et jam dabat dignitates, & promittebat officia, dimissa propria hereditate.

*Ad Cant. XIV. Vers. I.*

*Chi è costui, che'l nostro Monte cerchia,*

Poëta introducit duos Nobiles de Romandiola inquirentes de eo. Et ad aperiendam viam ad hanc materiam, est primo sciendum, quod isti duo spiritus nobiles erant unus quidam nobilis vir & prudens Romandiolus de Bretenorio, vocatus Guido del Duca. Alter verò erat vir probus de Forlivio de nobili Domo Calbulensium; qui ambo audito colloquio Dominæ Sapìæ cum Dante, & ex hoc cognito, quod erat vivus, cœperunt loqui cum admiratione de ipso, & inquirere de eo. Nunc ad literam. Dicit Poëta, quod duo ex illo Orbe audientes, Sapìam dicere, quod Dantes portabat oculos apertos, & Dantem respondentem, quod oculi adhuc clauderentur sibi, illi comprehenderunt, quod erat vivus ibi cum corpore & omnibus sensibus. Et admirantes de tali gratia, desiderabant scire ejus conditionem. Ideo unus eorum. scilicet Dominus Guido del Duca de Bretenorio, incipit admirative dicere socio suo Raynerio de Calboli: *Chi è costui* &c.

*Ad Vers. 16.*

*Et io. Per mezzo Toscana si spazia.*

Heic Poëta ponit suam responsionem dicto spiritui. Et primo respondet primæ parti petitionis, scilicet unde veniat. Et dicit breviter, quod venit de Tuscia de Valle Arni. Et ad intelligentiam hujus literæ & sequentis, oportet prius scire, quod Poëta sæpissime nominat eum, & heic specialiter describit, quod Arnus fluvius est Tusciæ, qui oritur ex dextro latere Apennini de Monte, qui vulgo dicitur Falcerona, currens versùs Occidentem. Et a principio labitur per præcipitia vallium cum modica aqua per Casentinum. Deinde adjutus ab aliis aquis factus grandiusculus, a sinistris relinquit Aretium, deinde intrans agrum Florentinum labitur juxta Ancisam, Castellum, unde traxit originem clarissimus Poëta Petrarcha diebus nostris. Deinde transiens per medium Florentiæ, florem totius Tusciæ, intrat Pisas antiquissimam Civitatem, quam dividit in duas partes. Et non longe ab ea cadit in mare Tyrrhenum. Nunc ad literam dicit Poëta. *Et io*: supple, dixi illi Guidoni petenti.

*Un Fiumicel,*

scilicet, Arnus. Et bene dicit, quia Arnus non est fluvius magnus, nec navigabilis, nec piscosus. Est tamen famosus, quia labitur per Terras famosas. Et quia viri famosi dederunt sibi famam, ipsum describentes, sicut Dantes, Petrarcha, Boccaccius, & alii Florentini, qui discurrunt per mundum multùm.

*- - - che nasce in Falcerona.*

Ex eodem Monte Apennino nascitur Tiberis.

*- - - - - - si spazia,*

idest, vagatur:

*- - - per mezzo Toscana - - -*

quia quasi per medium fluit Tusciæ, quæ est longa sed arcta. Et tangit ejus cursum, dicens:

*E cento miglia di corso nol sazia.*

Nam extenditur quasi per CXX. milliaria. Intellige quantum ad cursum aquæ. Nam si eatur a loco suæ originis usque ad casum suum per terram, est multo brevius spatium. Nam Arnus, qui nascitur fortè per XX. milliaria longe a Florentia, retro flectit se, & retrograditur per multa spatia.

*Ad Vers. 43.*

*Tra brutti porci più degni di galle.*

Heic Poëta incipit a primis habitatoribus. Et dicit, quod Arnus primo transit per porcos, idest Comites Guidones, quos appellat porcos propter fœdam luxuriam. Et meritò. Ubi nota, quod isti Comites olim habuerunt dominium in Civitate Ravennæ. Sed fuerunt fere omnes trucidati in furore Populi propter effrænatam libidinem eorum. Quia, ut dicit Philosophus, *propter injurias uxorum, multæ Tyrannides perierunt*. Deinde ex uno stipite restaurati in numerosam prolem, facti sunt potentissimi citra Apenninum in Romandiola, & ultra Apenninum in Tuscia. Sed hodie pro magna parte defecerunt viris & viribus per potentiam Florentinorum.

*Ad Vers. 46.*

*Botoli trova, poi venendo giuso,*

Heic nominat secundos habitatores Arni, scilicet Aretinos, quos assimilat canibus illis, qui in sua specie sunt parvi naturaliter, sed clamosi. Dicit ergo: Et illa Vallis *poi venendo giuso*, scilicet Aretium, vetustissimam Civitatem, quondam unum caput Tusciæ; *trova Botoli*. Et verè Aretini possunt appellari canes alio respectu, scilicet propter eloquentiam & sagacitatem, sicut Mercurius pingebatur olim in specie canis. Et dicit:

*Ringhiosi più - - - -*

idest,

ideſt, rixatores:

*- - - che non chiede lor poſſa*,

quia præſumunt ſupra vires eorum: juxta illud Senecæ: *Canibus imbecillioribus mos eſt, ut ſemper durioribus latratibus inhorreſcant*. Et dicit:

*Et a lor diſdegnoſa torce 'l muſo*.

Vult dicere, quod Arnus juxta Aretium deflectit ad Orientem, & recedit ab Aretio fortè per tria milliaria, ita quod videtur ad modum indignantis dicere: *nolo ad te venire*.

*Vaſſi caggendo - - - -*

Heic Guido nominat tertios habitatores Arni, ſcilicet Florentinos ſuos, quos digne vocat lupos, ab inſatiata cupiditate avaritiæ. Dicit ergo, magis aggravans factum:

*La maladetta e ſventurata foſſa*:

ſcilicet, Vallis Arni: *Vaſſi caggendo*, ideſt, deorſum labitur:

*- - - e quanto ella più ingroſſa*

ex rivulis & aliis fluminibus:

*Tanto più trova di Can farſi Lupi*.

Canes enim ſunt naturaliter inimici Luporum. Et ita Aretini Florentinorum; & ſæpe momorderunt eos. Sed Lupi fortiores proſtraverunt Canes. Et heic nota, Lector, quod illud, quod Poëta noſter heic dicit de habitatoribus iſtis, poterat dicere, immo dicit pro magna parte de habitatoribus Italiæ, immo mundi. Unde ſemel interrogatus, quare Dantes poſuerat plures Chriſtianos, quam Paganos in Inferno, breviter reſpondit, quia melius Chriſtianos norat; & plures poſuerat Italicos, quia ſunt magis digni famâ & praviores; & ita plures Tuſcos; & ita plures Cives ſuos, quia melius noverat eos.

*Diſceſi poi - - - - - -*

Heic Poëta deſcribit quartam gentem, quæ ultimo inhabitat Vallem Arni, ſcilicet Piſanos, quos aſſimilat Vulpibus. Sicut enim Vulpes naturaliter fraudulenta dolo ſuo ludificata eſt ſæpe Lupum, ita Piſanus Florentinum. Sicut jam ſcriptum eſt Cant. XV. Inferni. Dicit ergo: Et illa Vallis, ſive foſſa Arni

*Diſceſa poi per più pelaghi cupi*,

quia multos gurgites facit profundos, vel moraliter loquendo per pelaga cupa intelligere potes avaros profundos;

*Trova le Volpi sì piene di froda*,

*Che non temono ingegno, che l'occupi*.

Quia ſcilicet ſæpe vicerunt ingenia ſubtilia Florentinorum. Sed certe omnis aſtutia, & tota potentia Piſanorum annihilata videtur, quia Civitas iſta vetuſtiſſima velut decrepita videtur feciſſe curſum ſuum. Unde volo te ſcire, quod in MCCLXXXII. Civitas Piſarum erat in florentiſſimo ſtatu, habens maximum decus nobilium potentum in ſe fortè pluſquam Terra Italiæ. Erant enim ibi Cives Judex Ninus de Gallura, Judex Arborex, Comes Ugolinus, Comes Fatius, Comes Nerius, Comes Anſelmus. Et ſinguli tenebant Curiam magnam, & habebant caudam floridam & ſequelam. Et eorum nobilitate & potentia dominabantur Inſulæ Sardiniæ, Corſicæ, & Elbæ, ex quibus habebant maximos reditus publice & privatim. Et dominabantur mari cum eorum navigiis & mercimoniis: Et ultra mare in Civitate Acon erant potentiſſimi. De qua expulerunt Januenſes vicinos ſuos, eorum vico igne cremato, & unâ turri in mari tinctâ ſanguine Januenſium. Sed [illegible], ut [illegible] de more, ſuperbia deſtruxit ſuperbiam. Nam poſt multas injurias hinc inde receptas, Januenſes cum terribili claſſe & valida juventute venerunt contra Piſanos, cum quibus navali prœlio concurrerunt apud Meloram ſcopulum ſupra Portum Piſanum. Ubi, ut cito dicam, Piſani fuerunt infeliciter debellati, duodecim millia capta, & quatuor millia peremta; & graves leges & duræ conditiones navigandi ſunt impoſitæ eis. Et ab illo tempore ſemper eſt diminuta potentia Piſanorum propter bella civilia & externa, quæ habuerunt cum Florentinis, & alia ſiniſtra fortunarum.

*Nè laſcerò di dir - - - - - -*

Nunc Guido deſcriptâ Valle Arni ab omnibus habitatoribus ſuis, deſcribit ſingularem turbationem in brevi eventuram Florentiæ. Et ad hujus literæ veram intelligentiam eſt breviter ſciendum, quod in MCCCII. eſt Pars Nigra reducta in Florentiam per Carolum ſine Terra, ſicut plene ſcriptum eſt Cant. VI. Inferni. Et quum ſic reducta eſſet, principes Partis ipſius Nigræ vivebant in magna ſuſpicione, quia ſentiebant Partem Albam eſſe potentem in Florentia. Et exules ſæpe ſcribebant Civibus de parte ſua. Ideo dederunt operam, quod Fulcerius de Calbulo tunc Poteſtas Florentiæ, fultus favore eorum, ſubitò cepit quoſdam Cives de Parte Alba prædicta, inter quos fuerunt Dominus Bethus de Gerardinis, Maſius & Donatus de Cavalcantibus, Nellus de Adimaris, Tignoſus de Macis, duo de Scholaribus; & objiciens illis, quod tenebant tractatum proditionis cum exulibus Albis, ſive quæſtione tormentorum, ſive eſſent conſcii, ſive non, fecit eos confiteri, quod volebant prodere Civitatem. Sed ille Tignoſus ex nimia corpulentia ſuffocatus eſt in tortura. Ceteros condemnatos decapitavit. Et ad inſtantiam Domini Muſatti Franceſii, magni Caporalis, voluit capere aliquos de Albertis inimicis Muſatti; ſed illi præſentientes evaſerunt. Ideo omnes de Albertis condemnavit pro rebellibus, qui numquam fuerunt poſtea Cives Florentiæ. Ex quo magna turbatio nata eſt in Civitate, & conſequuta ſunt multa mala & ſcandala. Ex dictis ergo ſatis patet, quare Dantes nunc deteſtatur nequitiam Fulcerii, qui ita male tractavit ſuam Partem Albam eo tempore quo forte ipſe reintraſſet Florentiam. Nunc ad literam. Guido prædictus dicit Raynerio de Calbulo, cujus Fulcerius fuit Nepos:

*Nè laſcerò di dir, perch' altri m'oda*,

ideſt, non tacebo unum, quod occurrit mihi nunc dicendum, quamvis iſte Tuſcus vivus audiat, & attente me auſcultet. Et dicit:

*E buon ſarà a coſtui, - - - - -*

ideſt, utile erit iſti Tuſco:

*- - - - - s'ancor s'ammenta*,

ideſt, recordatur:

*Di ciò, che vero ſpirto mi diſnoda*.

Ideſt, ejus, quod mens mea nunc præſagit, quia poterit fortè providere ſibi, quum ſit expellendus; vel, ne, quum erit expulſus, quærat redire, ad faciendum ſe decapitari; vel bonum erit, ut det infamiam Nepoti tuo.

*Io veggio tuo Nipote, - - - - -*

Heic Guido narrat factum, futurum cito, dicens: *Io veggio tuo Nipote*, ſcilicet, Fulcerium, virum verè ferocem:

*- - - - - - che diventa*

*Cacciator di que' lupi - - - - -*

ideſt, perſequutor Florentinorum:

- - - *in*

- - - - - - *in su la riva*
*Del fiero Fiume* , - - - - - -
scilicet , Arni :
- - - - - - *e tutti gli sgomenta* .
Ideſt , disturbat . Et ostendit , quomodo , dicens :
*Vende la carne loro , essendo viva* ;
Quia Musattus Francesius , qui pecuniâ suâ corruperat Carolum fratrem Regis Franciæ , qui venerat Florentiam tamquam partiarius , bene potuit corrumpere Fulcerium , qui venerat Florentiam tamquam Rector :
*Poscia gli ancide , come antica belua* .
Ideſt , bestia , sicut bos in senectute innocens securi percutitur .

Ad Verſ. 78.

*Però sappi ch' io son Guido del Duca* .
Vir Nobilis , & liberalis de Bretenorio .
*Fu il sangue mio* - - - - -
Heic Guido , nominato se , nominat culpam , quâ heic purgatur , dicens : *il sangue mio* , ideſt , ego vivens in vita , quando scilicet anima sedebat in sanguine .
- - - - - - *d'invidia sì riarso* ,
quia *invidus invidiâ comburitur intus & extra:*
*Che se veduto avesse uom farsi lieto*
ex aliqua prosperitate :
*Visto m'avresti* - - - - - -
ideſt , videre me potuisses :
- - - - - - *di livore sparso* .
Ideſt , colore livido respersum in facie ; quia statim pallescebam dolore .

Ad Verſ. 85.

*Questi è Rinier* : - - - - - -
Nominat socium suum , & repetit in commendationem ejus
- - - - - - *Questi è 'l pregio e l'onore*
*De la Casa da Calboli* , - - - - - -
nobili , & honorabili .
- - - - - - *ove nullo*
*Fatto s'è reda poi del suo valore* .
Quia nullus in dicta Domo fuerat successor illius in virtute usque ad tempus illud ; immo omnes degeneraverant .
*E non pur lo suo sangue* - - - - - -
Heic Guido deplorat generalem depravationem Nobilium Romandiolæ . Et facit commendationem multorum virtuosorum , quibus hæc Provincia paulo ante abundabat . Et primo dicit , quod omnis Nobilitas Romandiolæ est spoliata bonis , honorabilibus & laudabilibus , & est repleta pravis moribus . Unde dicit : *lo suo sangue* , ideſt nobile genus Raynerii de Calbulo : *non pur*
- - - - - - *è fatto brullo* ,
ideſt , denudatus , & pauperatus :
*Del ben richiesto al vero* - - - -
ideſt , bonis animæ :
- - - - - - *& al trastullo* .
Ideſt , bonis corporis , & exterioribus bonis . Quasi dicat : bono honesto , utili & delectabili , quæ regnabant in Romandiola tempore de proxime præterito . Nam Raynerius mortuus erat fortè per quinque annos ante . Nam fuit interfectus . Et Johannes frater ejus , quum intrasset Forlivium cum multis Ravennatibus & Ariminensibus . Et hoc dico in Romandiola , quam describit a confinibus suis , dicens :
*Tra 'l Pò , 'l monte , e la marina e 'l Reno* .
Nam Romandiola a Septemtrione habet Padum fluvium , & Mare Adriacum ; a Meridie habet Alpes Apennini ; ab Occidente habet Rhenum fluvium , qui labitur juxta Bononiam, ab Oriente vero habet Marchiam Anconitanam . Et verè credo , quod in mundo non sit pulcrior pars terræ quàm illa , quæ est a Bononia usque Ariminum inclusive . Unde adverte , quod ista Provinciola est nobiliter situata , quia habet a tergo Alpes Apennini contra Austrum ventum inimicum naturæ; a fronte habet liberum & apertum aspectum versùs Boream ventum amicum generationis . Habet in se collectum quidquid bonorum reperitur alibi sparsum , sicut mare , terram , montem , planum , flumina frequentissima , fontes , valles , silvas , aërem salubrem , vina , olea , mella , carnes , pisces , copiam annonæ , multitudinem habitatorum , magnitudinem divitiarum . Quæ in tam parvo spatio habet tot amœnas Civitates, Castella , Rura , Vicos . Et confirmat dictum suum per effectum , dicens :
*Che dentro a questi termini* ,
ideſt , prædictos confines :
- - - - - - *è ripieno*
*Di venenosi sterpi* , - - - - - -
scilicet , Tyrannis parvis & magnis , verè pestiferis , qui more stirpium pungunt cum invidia , & more serpentum se mordent & lacerant, nec umquam inter se possunt habere bonam pacem, sicut jam dictum est Cant. XXVII. Inferni . Et non solùm sunt mali , sed multi . Unde dicit :
- - - - - - *sì che tardi*.
*Per coltivar' omai verrebber meno* .
Ideſt , deficerent omnino , *per coltivar* , aliquâ bonâ culturâ . Et bene dicit : nam licèt aliqui ad tempus videantur exstirpari , tamen in brevi repullulant , velut capita hydræ .
*Ov' è* - - - - - - - -
Heic Poëta noster considerans , quia vera laus patriæ est sola Virtus civium, unde describens Vergilius felicitatem Romanam , dixit eam *felicem prole virorum* ; nunc volens describere laudem Romandiolæ , percurrit breviter aliquos viros illustres de diversis Terris Romandiolæ . Et primo fingit , quod Guido del Duca incipit quasi a centro Romandiolæ , scilicet a Bretenorio patria sua . Et nominat duos Nobiles , dignos famâ . Unde dicit :
*Ov' è il buon Licio* , - - - - - -
quasi dicat : non est alius similis . Et verè fuit bonus & prudens Miles . Nec reliquit ex se heredem . Nam Dominus Licius de Valbona , nuntiatâ sibi morte unius sui filii imbecillis , non mutato vultu dixit : *Hoc non est mihi novum , quia semper fuit mortuus . Sed nuntia mihi pro novo si est sepultus* . Nec minus ejus prudentia emicuit in filia sua Catherina pulcherrima . Quam quum ipse senex reperisset conjunctam amorose cum Ricciardo nobili juvene de Mainardis de Bretenorio , ex astutia puellæ & simplicitate materna, prudentissime fecit eam desponsari sine diminutione honoris , sicut jucunde scribit Boccaccius de Certaldo . Et nominat secundum : dicens ;
- - - - *& Arrigo Manardi* .
Iste de Mainardis de Bretenorio vir prudens & nobilis similiter fuit in vita socius istius Domini Guidonis , qui loquitur . Qui eo mortuo fecit secari lignum per medium , in quo soliti erant ambo sedere; asserens, quod non remanserat alius similis in liberalitate & honorificentia . Ideo bene quærit de eo , ubi sit . Quasi dicat : non invenitur similis . Deinde nominat alios duos spiritus illustres . Et primo Petrum Traversarium . Hic fuit Dominus Civitatis Ra-

Ravennæ, vir magnanimus & magnificus. Qui filiam suam tradidit in uxorem Stephano Regi Hungariæ. Floruit tempore Friderici II. Et ausus est recedere ab eo. Post cujus mortem Fridericus obsedit Ravennam, & cepit. Ideo bene quærit iste Guido,

*Pier Traversaro*, - - -

ubi est. Quasi dicat: quis est hodie Dominus in Romandiola similis sibi, amator suæ Civitatis? Et nominat alium, dicens:

- - - *e Guido di Carpigna?*

Iste fuit nobilis vir de Montefeltro, qui omnes sibi pares liberalitate superavit. De quo audio, quod, quum fecisset solemne convivium in Bretenorio, deficiente pecunia, fecit vendi dimidium caræ culcitræ, quam habebat. De qua re increpatus a familiaribus, curialitatem suam conduxit scommate, dicens: quod *in æstate præ calore tenebat pedes extra, in hyeme verò præ frigore tenebat crura contracta*. Ideo iste Guido del Duca, considerans tales viros in Romandiola, dignos Romana Civitate, exclamat cum dolore:

* *O Romagnuoli tornati in bastardi!*

Nimis curialiter loquitur iste: immo debuisset dixisse, in spurios, immo in mulos, specie permutatâ.

*Quando in Bologna* - - -

Guido nominat alios duos virtuosos de Romandiola. Et primo unum Bononiensem, dicens:

- - - *un Fabbro si rallìgna*.

Iste fuit nobilis Miles de Lambertacciis de Bononia, vir sapiens & magni consilii. Et est heic Faber nomen proprium. Nec intelligas de quodam Fabro Tribuno Plebis, qui trucidatus fuit Bononiæ: *quando si rallìgna*, idest, renascitur; quasi dicat, tarde *in Bologna*, quæ est nidus Philosophorum, & mater Legum, omniumque bonorum fertilis, humanitatis piissima nutrix. Et nominat alium, Faventinum virum plebejum sanguine, sed nobilem virtute animi, dicens:

*Quando in Faenza un Bernardin di Fosco*,

Iste Bernardinus fuit filius Fusci, viri rustici, sed virtute sua honoratus in patria, ad quem non erubescebant nobiles Faventini accedere, ut audirent ejus bonas sententias & pulcra schemata. Et ejus dicta moralia & notanda allegabant. Ideo bene dicit:

*Verga gentil di picciola gramigna*.

Quasi dicat: nobilis planta nata ex vili erba. Et ex hoc non minus colenda sicut aurum, quod oritur ex terra, & rosa ex spina. *Quando in Faenza*, supple, *si rallìgna*. Faventia olim dicta est Forum Favii a Favio Romano. Quam Fridericus II. cepit post Ravennam. Hæc diebus nostris quum esset opulenta in bono flore sub dominio Pastorum Ecclesiæ, exclusis omnibus Civibus, sine cæde tota spoliata est & detenta ultra anni circulum intra manus Barbarorum latronum.

*Non ti maravigliar*, - - -

Heic Guido convertens sermonem suum specialiter ad Dantem, nominat duos alios de Romandiola, vicinos patriæ ejus Florentiæ. Unde dicit:

- - - - *s'io piango, Tosco*,

idest, o Dantes. Et non appellat eum nomine proprio, quia ipse noluerat se nominare, ut patuit supra:

*Quando rimembro* - - - -

*Ugolin d'Azzo* - - - -

Iste fuit vir nobilis & curialis de Ubaldinis, clarissima stirpe in Romandiola. Qui fuerunt diu potentes in Alpibus citrà Apenninum, & ultra, prope Florentiam: sicut & Comites Guidones, de quibus jam dictum est supra. Et dicit:

- - - - *che vivette vosco*.

Scilicet, tempore vestro bono, quando in Romandiola vigebat vera nobilitas & multa curialitas.

- - - - *con Guido da Prata*,

Iste Guido fuit alius vir probus de una Villa, quæ dicitur Prata, in eisdem partibus, homo magni valoris, qui familiariter vixerat cum isto de Ubaldinis, ut dicetur plenius in Cant. XXIV. Est etiam alia Villà in Romandiola inter Faventiam & Ravennam, unde quidam volunt fuisse istum Guidonem. Sed prior expositio est magis consona, quia Poëta colligavit istum Guidonem cum illo de Ubaldinis.

*Federigo Tignoso* - - - -

Heic Guido nominat alium Romandiolum. Iste fuit vir nobilis & dives de Arimino, cujus domus erat domicilium libertatis, nulli honesto clausa. Conversabatur læte cum omnibus bonis. Ideo Dantes describit ipsum a societate sua, quæ erat tota laudabilis. Dicit ergo: *Federigo Tignoso*. Audio, quod iste habebat pulcherrimum caput capillorum flavorum. Ideo per antiphrasim sic dictus est:

- - - - *e sua brigata*

de Arimino: Et heic nota, quod Ariminum est nobilis & antiqua Civitas Romandiolæ super mare Adriaco, quondam fidelissimus Portus Romanorum, ut sæpe patet apud Livium. Habuit Theatrum, ubi hodie dicitur Forum; & Arcum Triumphalem, qui adhuc apparet; & Pontem pulcherrimum.

*La Casa Traversara* - - - -

Heic Guido non contentus nominasse supra solum Petrum Traversarium de Ravenna, nunc nominat ipsam stirpem, quæ fuit tota clara: unde dicit: *la Casa Traversara*. De ista Domo fuit alius Miles magnus Princeps in Ravenna, scilicet Paulus Traversarius, qui simul cum viribus Venetorum expulit Salinguerram Principem de Ferraria.

- - - - *e gli Anastagi*.

Isti fuerunt magni, nobiles, & potentes. A quibus una Porta in Ravenna usque hodie denominatur Porta Anastasia. De ista Domo fuit nobilis Miles Dominus Guido de Anastasiis, qui mortuus est præ impatientia amoris cujusdam Dominæ honestissimæ, quam numquam potuit flectere ad ejus amorem. Fuerunt & aliæ Familiæ claræ in Ravenna, sicut Familia Honestorum, de qua fuit nobilis adolescens Anastasius de Honestis, qui amoratus de filia pulcherrima Pauli Traversarii, tamdem illam habuit in uxorem, sicut honeste scribit Boccaccius, curiosus inquisitor omnium delectabilium historiarum. Et heic nota, Lector, quod Poëta noster facit istum Guidonem nominare aliquos viros claros seculares, modernos, quia sic conveniebat viro Militari. Sed alios viros illustriores antiquiores genuit hæc patria, sicut Petrum Damiani, de quo Poëta scribit Cant. XXI. Paradisi, & Romualdum de Honestis, de quo scribit Poëta Cant. XXII. Paradisi. Nota etiam, quod Ravenna est tota sphærica, habens muros antiquissimos, amplissimos magis infra terram quàm supra: signum magnæ vetustatis. Ubi quondam Cæsar facturus civile bellum, moram traxit, tamquam in confinio Provinciæ suæ, ut scribit Suetonius.

Quam duo flumina amplectuntur, quæ ibi conjunguntur in unum. Habuit Portum capacissimum, qui modò repletus est. Ravenna Templorum multitudine & pulcritudine est decorata, Fide Catholica insignita. Nam ab initio Fidei, Petrus misit Apollinarem Discipulum Ravennam ad seminandum Fidem. Ex quo tempore fuit postea potentissima. Tempore Gothorum, Langobardorum & Vandalorum habuit sæpe Reges. Multa & magna prœlia fecit, & tulit: hodie est tantum languida & exhausta, quod decrepita amisit vires suas, proxima occasui. Sicut enim scribitur in Libro Chronico Ravennæ, qui dicitur *Pontificalis*, Ravenna condita est a pronepotibus Noë post Diluvium, ante Nativitatem gloriosissimi Redemtoris nostri Domini nostri Jesu Christi per annos duo millia quadringentos nonaginta novem. Quod non credo. Quia de tam longa antiquitate nulli Auctores authentici, quos ego viderim, aliquid scribunt; quos ego vidissem saltem, si per alios visi fuissent. Ravenna enim fuit Colonia Sabinorum, ut dicit Plinius. Et dicunt quidam sequentes opinionem communem, quod sic dicta est, quod ratibus venientes condiderunt eam. Non mirum ergo, si Poëta nobilis elegit sibi vivere & mori in nobili Civitate hac, ubi jacet apud locum Minorum in tumulo valde gravi. Et certe dignius quiescit Dantes in Terra madida sanguine Martyrum, in qua fuit honoratus in vita, quàm in Terra maligna & ingrata, ut ipse ait, de qua vivens indigne factus est exul. Et concludit Poëta de duabus Familiis præcipuis de Ravenna.

*E l'una e l'altra gente - - -*

idest, gens Traversariorum, & Anastasiorum:

*- - - - - - è diredata ,*

quia non exstat heres suus. De quo dolendum est.

*Le donne - - - - -*

Heic Guido memorat gesta & festa gentis Romandiolæ, dicens: *e quando rimembro*.

*Le donne e i Cavalier - - - - -*

qui multi erant in Romandiola. Et dat singulis officia sua, dicens:

*- - - - - gli affanni e gli agi ,*

idest, exercitia armorum, honesta convivia, tripudia, & alia solatia, quorum aliqua magis competunt viris, aliqua mulieribus. Et dicit:

*Che ne 'nvogliava - - - - -*

idest, quæ prædicta inducebant nos in voluntatem:

*- - - - - amor' e cortesia ,*

quia amor & liberalitas duo sunt, quæ inducunt homines ad pulcra & delectabilia. Et dicit:

*Là dove i cor son fatti sì malvagi*

Idest, in qua Romandiola animi sunt ita mutati ab amore in odium, a curialitate in cupiditatem. Et vide, quod aliqui referunt totum istud dictum solummodo ad Ravennam. Sed hoc non videtur. Immo referendum est ad totam Romandiolam. Unde statim ostendit, quod amor & liberalitas recessit de patria sua.

*O Bretinoro - - - - -*

Heic Guido cum dolore convertit sermonem ad patriam suam, dicens cum exclamatione: *o Bretinoro*! Istud est nobilissimum Castellum, quasi in centro Romandiolæ in monte situm supra Forlivium, habens pulcherrima mœnia, & loca amœna & fertilia

*che non fuggi via ? - - - - -*

quasi dicat: Cur non recedis de Contrata?

*Poi che gita se n' è la tua Famiglia ,*

idest, tam nobilis & curialis defecit:

*E molta gente - - - - -*

quæ erat bona:

*- - - - - per non esser ria .*

idest, recessit, ne reservaretur ad ista tempora prava. Et heic nota, ut videas; si magna nobilitas vigebat paulo ante in Bretenorio, quod tempore istius Guidonis, quando aliquis vir nobilis & honorabilis applicabat ad Terram, magna contentio erat inter multos Nobiles de Bretenorio, in cujus domum ille talis forensis deberet declinare. Propter quod concorditer convenerunt inter se, quod columna lapidea figeretur in medio plateæ cum multis annulis ferreis. Et omnis superveniens esset hospes illius, ad cujus annulum alligaret equum.

*Ben fa - - - - -*

Heic Guido commendat unam Terram ab eo, quod adhuc retinet suos Nobiles depravatos. Dicit ergo:

*Ben fa Bagnacaval - - - - -*

Magnum Castrum est inter Imolam, Ravennam & Faventiam, & quod habuit olim Comites nobiles, curialitate plenos:

*- - - - - che non rifiglia ,*

idest, non gignit amplius dulces filios suos, quòd jam sui nobiles tempore Auctoris pro magna parte defecerant:

*E mal fa Castrocaro , - - - - -*

Nobile Castrum, & verè clarum, supra Forlivium in Valle Montoni. Cujus Comites hodie defecerunt. Sed tunc adhuc vigebant, sed degenerabant a nobilitate majorum.

*- - - - - e peggio Conio ,*

Istud fuit Castellum longe ab Imola per sex milliaria, quod hodie omnino non exstat. Sed multi Comites ejus erant tempore Auctoris, & adhuc hodie sunt. Ideo dicit: *e peggio Conio*; supple, facit, quia quanto habuit meliores, tanto nunc pejores. Ideo dicit:

*Che di figliar tai Conti - - - -*

idest, parere tam degeneres:

*- - - - - più s' impiglia .*

Et tamen isti adhuc hodie de virtute antiqua multum retinent in strenuitate armorum.

*Ben faranno - - - - -*

Heic Guido commendat nobilem aliam stirpem de Romandiola, scilicet Paganos, qui habuerunt dominium in montibus supra Imolam & Faventiam, quorum territorium vocabatur *Podere Paganorum*. De quorum stirpe erat tunc unus nomine Maghinardus, qui nobilis genere, pulcher corpore, fortis viribus, strenuus armorum, habebat dominium Faventiæ & Imolæ, audax ut leo, cujus gestabat Insignium. Modo dicit iste:

*Ben faranno i Pagan - - - - -*

Quorum familia habuit aliquos claros viros, sicut Petrum Paganum, & alios; quæ erit tunc felix, quando deficient omnino, quia Maghinardus infamat eam nunc vivens. Ideo dicit

*- - - - - da che 'l Demonio*

*Lor se n girà . - - - -*

idest, quando Maghinardus morietur, quem vocat Dæmonem per pulcherrimam metaphoram. Dæmon enim interpretatur sciens. Et est Dæmon bonus & malus apud Græcos, sicut Angelus bonus & malus apud Latinos, ut sepissime patet per Augustinum de Civitate Dei, & per Chalcidium super Timæo Platonis. Iste autem

autem fuit astutissimus & sagacissimus hominum. Quales aliqui alii fuerunt in Romandiola, quos ab astutia Poëta noster numeravit cum Ulysse Cant. XXVII. Inferni. Sicut enim Romandiola habet aliqua ingenia Angelica, ita habet aliqua Diabolica. Ideo dicit:

*- - - - - ma non però che puro*

idest: non tam ita bene facient Pagani per mortem Maghinardi:

*Che mai rimanga d'essi testimonio.*

Idest, bona fama de Maghinardo in mundo viventium. Hoc ideo dicit, quia infamia erat vulgo de Maghinardo, quod ipse tenebat partem Guelpham in Tuscia, & Gibellinam in Romandiola. Et istam infamiam Poëta facit durabilem, donec durabit iste Liber, quia dixit in Inferno de eo:

*Che muta Parte dalla State al Verno.*

Et hæc infamia verè fuit falsa, sicut plene declaratur in illo Cantu Inferni. Nam si Maghinardus fuit contra Gibellinos in favorem Florentinorum, ex hoc potius meretur laudem quàm infamiam, quia debebat illis totum esse & posse suum. De Maghinardo non remansit proles mascula: sed quædam filiæ, quæ intraverunt in Familiam Ubaldinorum.

*O Ugolin - - - - -*

Heic Guido prædictus nominat ultimum spiritum de Romandiola, & illum consolatur, quia non reliquit filios ex se, qui possent degenerando offuscare famam ejus. Unde apostrophat sermonem suum ad eum: dicens:

*O Ugolin de' Fantolin - - - -*

Iste fuit de Faventia, vir singularis bonitatis, & prudentiæ:

*- - - - - sicuro*

*E' il nome tuo - - - - -*

quod remansit de te clarum, *è sicuro*, scilicet ab infamia:

*- - - - - da che più non s'aspetta*

aliquis heres vel successor:

*Chi far lo possa tralignando oscuro.*

idest, degenerando a vera virtute, sicut accidit in Nobilibus aliis de Faventia. Unde vide, quod Poëta noster posuerat duos nobiles de Faventia in glacie. Heic verò ad redimendam infamiam nominat duos Plebejos famosos Et heic nota, quod Poëta nobilis nullam Provinciam de mundo tantum honoravit quantum istam. Nam in isto eodem Capitulo describens Lombardiam, solummodo tres exceptabat a regula. Ego verò nullum inveni umquam Au ctorem antiquum, qui hanc Provinciam in ali quo culpaverit. Immo Romandiola olim vocabatur Flaminia a frequentia & multitudine Flaminum, idest Sacerdotum. Parva verò Romandiola, quasi Hortus Romanus. Sed quid plura loquor? quum nulla fere pars ejus hodie floreat præter Ariminum. Certe magis quam hic Romandiolus fecerit, miserabilem it tum illius deplorarem, nisi desolatio jam tr nsiisset ad ceteras fere provincias Italiæ.

### Ad Cant. XVI. Vers. 28.

*Così per una voce detto fue.*

Ista uxor erat Marci Lombardi.

### Ad Vers. 27.

*Partissi ancor lo tempo per Calendi.*

Mortui non dividunt tempus, quia tempus non currit eis; sed Viventes sic, nam dividunt tempus per Calendas mensium, & per dies, & per Nonas juxta illud:

„ *Sex Nonas Majus October, Julius, & Mars,*
„ *Quatuor. At reliqui tenet Idus, quilibet octo.*

### Ad Vers. 46.

*Lombardo fui, e fui chiamato Marco.*

Nunc Poëta ponit responsionem illius spiritus ad utrâmque petitionem. Et primo ad primam, videlicet quis fuerit. Et ad hujus primæ plenam responsionis intelligentiam est præsciendum, quod iste Marcus Lombardus, qui loquutus est nunc cum Poëta, & loquitur usque in finem Capituli, fuit quidam Miles Curialis de nobili Civitate Venetiarum, quia non more nebulonum modernorum vacabat rebus obscœnis, sed honestis. Fuit enim vir nobilis animi, claræ virtutis, sed facilis iræ & indignantis naturæ. Audivi autem nobilem indignationem de homine isto, qualis reperitur in nobilibus ingeniis. Nam quum semel esset captus, & impositâ sibi immensâ talliâ ultra posse, misit per nuntium suum ad Dominum Rizzardum de Camino, tunc Dominum Tarvisii, rogans suppliciter, quod non permitteret eum mori in angustia carcerali. Qui misertus indignæ sorti amici, statim scripsit multis Dominis Lombardis, in quorum Curiis Marcus ipse erat solitus conversari, quod deberent conferre redemtioni ejus liberaliter. Quo audito Marcus magnanimiter indignatus, remisit continuo nuntium ad Dominum Rizzardum, dicens: quod volebat potius mori in captivitate, quàm esse servus tot & tantorum. Tunc Dominus Rizzardus pudore confusus, damnans vilitatem suam, solvit de propria pecunia summam, & liberavit Marcum. Ad literam ergo dicit Poëta: Et ille spiritus describens se a prænomine, proprio nomine, & virtute,

*Così rispose - - - - - -*

sub tam curiali forma verborum:

*Lombardo fui - - - -*

Et heic nota, quod iste denominat se a gente, quia fuit de Lombardia inferiori, quæ dicitur Marchia Tarvisana. Vel dic, & melius, quod denominatus est Lombardus, quia familiariter conversabatur cum Dominis Lombardiæ tempore suo, inter quos tractabat sæpe concordias, paces, affinitates, & confœderationes. Aliquàndo etiam transibat Apenninum in Tusciam. Unde audisti alibi, qualiter prophetavit Comiti Ugolino Tyranno Pisarum iram Dei venturam super eum. Et dicit:

*- - - - - e fui chiamato Marco.*

Quo nomine multi inveniuntur Venetiis. Et iste Marcus fuit vir prudens, affabilis, expertus agibilium mundi. Ideo bene dicit:

*Del mondo seppi, - - - - -*

quia magnam notitiam rerum humanarum habuit:

*- - - - - e quel valore amai*

scilicet, virtutem, quæ est omnino derelicta.

### Ad Vers. 54.

*Dentro ad un dubio, s'io non me ne spiego.*

Ad cujus literæ obscuræ intelligentiam claram volo te scire, quod Poëta noster audiverat similem sermonem alibi, scilicet in secundo circulo Purgatorii Cant XIV. a Guidone del Duca, spiritu Romandiolo invido. Qui loquens de habitatoribus Arni, qui fugiunt Virtutem tamquam serpentem, dixit hoc esse vel ex infelicitate loci, vel ex pravo usu hominum. Et nunc audiebat idem a Marco spiritu Lombardo iracundo, qui hoc dicit de omnibus in generali, & in particulari de habitatoribus Padi & Athesis. Per quæ loca dixit posse transire tute, quicumque verecundatur appropinquare bonis.

*Ad Vers.* 80.

- - - - - - *e quella cria*

*La mente in voi, che'l Ciel non ha in sua cura.*
Scilicet, Natura, vel Deus creat ab initio animam rationalem in hominibus. Quia anima, quæ est res divina, non est a generante, sed a Deo creante, licèt infusa corpori moveatur secundùm complexionem corporis. Nimis absurdum ergo videtur, quod homo subjiciatur cœlo, quum potius astra sint facta propter hominem, quàm e contrario. Unde ad confirmandum propositum occurrit mihi res jocosa. Floruit, non est diu, in Civitate Paduæ quidam Petrus de Abano, eximius Philosophus, Astrologus, & Medicus. Qui ad tempus fuit in ista opinione prava. Accidit autem semel, quod accensus irâ contra servum suum, qui nimis tarde redierat domum, volebat in furore injicere manus in eum. Tunc servus sagax subitò usus est ingenio, & dixit: *Fateor, magister mi & domine, me errasse. Sed unum verbum precor, audire digneris, antequam a me pœnam meritam exigas. Audivi sæpe, ut bene recolo, te dicentem, quod omnia eveniant de necessitate. Quomodo ergo poteram citius venire?* Petrus magis iratus, porrigens manum ad baculum, clamare cœpit: *Necesse est, serve nequam, quod te dure corripiam de contumacia tua.* Tunc servus non territus, applicans manum ad capulum, dixit: *Et certe, magister insane, necesse est, quod infigam gladium in viscera tua.* Petrus autem timore temperante iram, dixit: *Semper stabis mecum, si voles; & promitto tibi, quod numquam de cetero habebo opinionem istam, nec aliquando suadebo.*

*Ad Vers.* 102.

*Di quel si pasce, e più oltre non chiede.*
Heic nota, quod Poëta noster juste conqueritur de malo regimine Prælatorum, quod est quasi causa omnium malorum. Quia, ut videmus de facto, Populus a moribus Sacerdotum facilius contrahit vitia quam virtutes. Unde arguitur sic: Prælati, Pastores, Sacerdotes, & Religiosi, qui sapientissimi hominum docent nos mandata Dei & Leges Sanctarum Scripturarum, petunt & appetunt ista temporalia, puta pecunias, voluptates, & talia. Ergo aut cognoscunt ea esse bona, aut Deum clementissimum pro omnibus fore passum. Ideo Prælati tenentur de animabus subditorum, qui sequuti sunt eorum mala exempla. Ideo subdit Marcus:

*Ben puoi veder* - - - - - -

Ex his, quæ dixi:

- - - - - - *che la mala condotta*,

scilicet, Pastoris

*E' la cagion, che 'l Mondo ha fatto reo.*

*Ad Vers.* 108.

*Facean vedere e del Mondo e di Deo.*
Ita reddebant quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo; sicut patuit in Constantino & Silvestro, & Justiniano, & Agapito, & Carolo Magno, & Adriano. Et ita postea in quibusdam Ottonibus Germanis, & Papis Romanis. Ideo bene Justinianus Imperator ait: *Magna in hominibus sunt dona Dei a superna collata clementia, Sacerdotium & Imperium. Illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ex uno eodemque principio utraque manantia.* Et subdit, quod nunc contrarium accidit cupiditate & ambitione Pastoris; dicens:

*L'un l'altro ha spenta* - - -

Scilicet, Papa Imperatorem, & Imperator Papam, sicut patuit in Friderico II. qui omnia spiritualia tyrannice usurpavit, & Gregorio IX. qui occupavit Regnum Friderici eo absente, ut statim dicetur. Potest tamen intelligi præcipue de Bonifacio, qui cinxit sibi ensem, ut patuit supra Cant. VI. Ideo dicit:

- - - - *Et è giunta la Spada*,

idest, potestas temporalis:

*Col Pastorale*, - - - - - -

idest, cum potestate spirituali, quæ figuratur per virgam Pastoralem. Hoc idem vidit ipse Poëta paulo post in Clemente V. contra Henricum VI. quum tamen duos gladios sufficere Imperio Christiano Evangelii testetur auctoritas. Ideo dicit:

- - - - *E l'un e l'altro insieme*

simul confusa:

*Per viva forza mal convien che vada.*

Quia non potest unus tam diversa officia bene exercere. Et assignat causam, dicens:

*Però che giunti* - - - - - -

scilicet, Ensis & Pastoralis virga

- - - - *l'un l'altro non teme.*

Nec reverentur. Quod probat per exemplum de proximo, dicens:

*Se non mi credi*, - - - - - -

quia videar tibi homo curialis, novorum fictor:

- - - - *pon mente a la spiga*,

idest, respice ad effectum:

*Ch' ogni erba si conosce per lo seme.*

Nam propter discordiam, quæ fuit inter Papam & Fridericum II. Lombardia, flos Italiæ, fuit quasi destructa.

*In sul Paese* - - - - - -

Heic nobilis Marcus ad dilatandam hanc materiam, pro confirmatione dicti sui describit mutationem Lombardiæ, quæ propter discordiam Papæ & Imperatoris, amisit bona temporalia & spiritualia. Et ad hujus literæ expositionem oportet breviter perstringere aliqua de Friderico II., de quo aliqua scripsi Purgatorii Cant. III. Fridericus ergo elatus magnâ potentiâ multorum Regnorum, & nobili prole proborum filiorum, temporalia & spiritualia conculcabat. Propter quod fuit excommunicatus ab Honorio III. Papa, & stetit contumax sex annis. Honorio mortuo successit in Pontificatu Gregorius IX. de Anagnia, qui sedit XIV. annis. Quo tempore Fridericus habuit inexorabile bellum secum. Post hoc Fridericus magna classe transivit ad Terram Sanctam, ubi privavit Regno Hierusalem Johannem Brenensem socerum suum. De quo fecit se coronari Anno Domini MCCXXXV. Gregorius IX. audita pace ficta, quam Fridericus fecerat cum Soldano, dedit operam, quod dictus Rex Johannes intraret Regnum Apuliæ, quod totum fecit rebellare Friderico. Sed Fridericus, velut ardens fulmen belli, cum summa celeritate revolavit in Italiam cum duabus Galeis, & totum Regnum celerius recuperavit: & ultra hoc occupavit Patrimonium Sancti Petri, Ducatum Spoleti, & Marchiam Anconæ, ducens secum Saracenos de Nuceria, quos traxerat de Sicilia de montibus Drepani, ut Sicilia esset tutior, & Apulia subjectior. Deinde quum Gregorius ordinasset Concilium contra Fridericum, magnus numerus Prælatorum veniens de partibus Galliæ, captus fuit ad Pisas, quos postea Fridericus pauperrime dimisit, instante Ludovico Re-

Rege Franciæ . Et tunc natum est bellum inter Januenses & Pisanos . Post hoc Fridericus aspirare cœpit ad dominium Lombardiæ . Unde sentiens , quod Mediolanum , Parma , & Bononia , & plures aliæ Terræ Lombardiæ & Romandiolæ conjuraverant cum Ecclesia contra eum , descendit de Regno in Lombardiam magnis viribus . Et post multa prœlia Mediolanenses totis viribus suis , Ecclesiæ , & colligatorum, quum venissent in auxilium Brixiensium , concurrerunt cum Friderico in loco dicto Curte Nova . Et post acre prœlium Mediolanenses debellati sunt cum magno damno suorum , & exaltatione Friderici , qui in illa pugna strenue se gesserat . Cujus rei dolore Gregorius infirmatus , mortuus est Romæ paulo post . Fridericus vero victor cepit magnam partem Lombardiæ & Romandiolæ. Quo tempore habuit Elephantem , ad quem videndum confluebant multi de Populis Lombardiæ. Tamdem creatus est Papa Innocentius IV. vir nobilis Januensis ex nobilibus de Flisco, Anno Domini MCCXLI. Qui sedit annis XI. Et replevit Ecclesiam multis Cardinalibus ex diversis partibus Christianitatis . Quo audito Fridericus turbatus, fertur dixisse : *Heu ! perdidi amicum meum* : præsagiens quod futurum erat. Nam Innocentius , prudens & magnificus , videns potentiam & contumaciam Friderici , qui quasi totam possidebat Italiam , fecit armari apud Januam XX. Galeas per consortes suos . Et cum Cardinalibus & Curia ivit de Roma Lugdunum supra Rhodanum . Ubi celebrato Concilio , cui interfuit bonus Ludovicus Rex Galliæ , damnavit & excommunicavit Fridericum . Interim consanguinei Innocentii & amici Ecclesiæ , expulsi de Parma , intraverunt Parmam cum consensu Populi . In quorum auxilium continuo venit Gregorius de Monte Longo Legatus Ecclesiæ cum Mediolanensibus , Placentinis , & Mantuanis . Et paraverunt se ad defensionem . Fridericus indignatione plenus & ira , contractis magnis viribus , & Eccelino de Romano, obsedit Parmam , & fecit ibi Bastitam magnam in formam Civitatis , quam Victoriam appellavit , jurans numquam recedere , nisi Parmâ captâ , quam conceperat destruere , & transferre Victoriam . Igitur Friderico impugnante & Ecclesia defensante Parmam per spatium sex mensium , sævitia hyemis cogente , militia Civitatum utrinque ad propria remeavit . Fridericus vero remansit in Victoria , exspectans tempus æstatis , spe expugnandæ Civitatis , quæ penuriâ victualium parvo tempore poterat resistere . Ideo Fridericus , parvipendens obsessos , die quadam iverat extra Victoriam ad Falconem . Tunc Parmenses quasi desperati furiose exeuntes , invaserunt Victoriam , quam captam ferro & igne destruxerunt , & prædâ magnâ ditati sunt . Fridericus verò Cremonam fugiens vix evasit , amissis jocalibus suis & Corona , quam habuerunt Parmenses . Hæc gesta sunt die Martis prima Februarii Anno Domini MCCXLVIII. Et Anno sequenti Henricus filius ejus bellicosus captus est a Bononiensibus apud Mutinam . Quâ victoriâ Bononienses elati sunt valde . Deinde altero Anno Fridericus mortuus est , nihil de tanta potentia secum trahens , nisi sarcinam peccatorum . Nunc descendendum est ad literam , quam sic ordinabis :

- - - - *valore e cortesia* - - - -

idest , viri valentes & liberales :

- - - - *Trovarsi solea*
*In sul Paese* , - - - -

scilicet , in Marchia Trivisana & Lombardia :

- - - - *ch' Adice e Pò riga* ,

idest , balneat . Quia Athesis nobilis fluvius labitur per Marchiam Tarvisanam , per Civitatem Veronæ . Quæ regio dicto tempore fuit crudeliter afflicta per Eccelinum de Romano , confœderatum cum Friderico ; sicut Padua , Verona , Vicentia , Tarvisium . Padus vero nobilissimus fluvius dividit Lombardiam per medium . Quæ regio fuit miserabiliter lacerata per Fridericum, ut patet ex dictis . Et heic nota , quod iste Marcus bene noverat Dominos & viros Nobiles utriusque riperiæ , quam solebat sæpe frequentare ; & mores laudabiles virorum & mulierum referre . Unde semel discurrens per riperiam Padi , dum iret de Ferraria Ravennam , audiens multum commendari Margaritam consanguineam Azonis III. Marchionis Estensis , intravit Argentam , ubi ille erat tentaturus veritatem . Margarita autem valens , & bene morata , quum audisset de fama Marci , recepit ipsum lætanter . Cui Marcus magnifice loquens , ait : *Illustris Domina : alta virtus tua ubique nota conduxit me huc , ut gloriari possim vidisse & audivisse Dominam , quæ excedit ceteras nobilitate generis & virtute animi* . Marchionissa volens experiri circumspectionem Marci , prudenter respondit subito : *Certe , Marce , non possum de te dicere illud bonum , quod tu de me dicis*. Et Marcus continuo dixit : *Immo bene potuissetis , si voluissetis de me mentiri , sicut ego mentitus sum de vobis* . Ex quo Domina subridens , perpendens verum fore , quod de Marco audiverat , donavit illi certum jocale , & permisit ire ad viam suam . Et heic nota , quod Marcus novit facere mirabilia schemata ; quia bonum schema debet mordere auditorem ut ovis , non ut canis ; & debet fieri præsto & sine mora . De hujus materia pulcre tractat Macrobius in Libro Saturnalium . Et dicit Marcus :

*Prima che Federigo avesse briga* .

Idest , bellum cum Innocentio IV. & Ecclesia. Et subdit Marcus , nunc esse contrarium in Marchia & Lombardia . Unde dicit :

*Or può sicuramente indi passarsi*

per dicta loca , quæ sunt derelicta a bonis :

*Per qualunque* - - - - - -

scilicet , pravum :

- - - - - - *lasciasse per vergogna*
*Di ragionar co' buoni* , - - - - - -

quia sunt ibi rari :

- - - - - - *o d'appressarsi*

illis bonis . Quasi dicat : Quicumque verecundaretur colloqui & conversari cum bonis & curialibus , potest audacter transire per has partes , quia invenit multos de suis , viles & vitiosos .

*Ben v'è* - - - - - - - -

Heic Marcus , quia videbatur fecisse regulam generalem de Lombardis, & mordaci schemate , ut redimat pudorem eorum , facit exceptionem specialem . Et dicit , quod in dictis duabus provinciis supervivunt tres viri valentes , retinentes adhuc de curialitate & virtute antiqua . Unde dicit :

*Ben v'è tre vecchi ancora* - - - -

in quibus est antiqua virtus , de quibus dignum videtur facere schema seu famam. Unde dicit :

- - - *in*

*- - - - - in cui rampogna*

*L'antica età la nuova , - - - -*

idest , improperat & vituperat modernos ; & summe dolent ita mutatam naturam suorum comprovincialium . Unde dicit :

*- - - - - e par lor tardo ,*

*Che Dio a miglior vita li ripogna .*

Scilicet , vitæ futuræ . Quasi dicat : mors videtur eis tarda . Et loquitur hyperbolice . Vel dic : quod optant reponi ad meliorem vitam , idest , virtuosiorem , quàm sit vita modernorum . Et declarat ipsos nominatim , dicens :

*Currado da Palazzo - - - -*

Hic fuit nobilis de Civitate Brixiæ , de cujus strenuitate audivi , quod quum esset Vexillifer pro sua Republica , in prœlio truncatis sibi manibus, numquam deseruit publicum Signum, immo perseveranter cum truncis retinens , non prius illud , quàm vitam , abjecit . Et sic videtur fecisse fortius, quàm Dentatus, qui amissa manu in pugna fecit sibi aliam ferream :

*- - - - - - e 'l buon Gherardo ,*

Iste fuit nobilis Miles de clarissima Domo illorum de Camino , qui sæpe habuerunt Principatum illius Civitatis . Hic fuit vir totus benignus , humanus , curialis , liberalis , & amicus bonorum . Ideo antonomastice dictus est Bonus :

*E Guido da Castel - - - - -*

Iste fuit de Regio Lombardiæ , de Robertis , quorum tria erant membra , scilicet illi de Tripoli , illi de Castello , & illi de Furno . Ideo denominat ipsum a vocabulo speciali, per quod erat notus . Et ita publice vocabatur . Iste florebat in Regio , tempore nostri Poëtæ, quum Civitas illa esset in magno flore , & regeretur libere . Fuit autem vir prudens & rectus , sani consilii , amatus , & honoratus , quia zelator erat Reipublicæ , & protector patriæ , licèt tunc alii essent potentiores in terra illa . Fuit liberalis . Cujus liberalitatem Poëta noster expertus est semel , receptus & honoratus ab eo in domo sua . Fuit etiam Guido pulcher inventor in Rythmo vulgari , ut pulcre apparet in quibusdam dictis ejus . Ideo in commendatione ejus dicit :

*- - - - - che me' si noma*

idest , qui Guido melius nominatur:

*Francescamente il Semplice Lombardo .*

Exponunt aliqui , quia de curialitate sua tanta fama crevit per Franciam , quod vocabatur *Simplex Lombardus* . Sed istud est vanum dicere . Immo debes scire , quod Gallici vocant omnes Italicos Lombardos , & reputant eos valde astutos . Ideo bene dicit , quod proprie vocaretur Gallice *Simplex Lombardus* . Simile dixit supra de Henrico Rege Anglorum , ubi dixit :

*Vedete il Re da la semplice vita .*

Et dicit :

*Di oggi mai - - - - -*

Heic ultimo Marcus , repetens & declarans principalem conclusionem , docet Poëtam, quid amodo debeat respondere interrogantibus de dicta quæstione . Unde dicit :

*Di oggi mai , che la Chiesa di Roma ,*

idest , Pastor Ecclesiæ :

*Per confondere in se due reggimenti ,*

Et sic non habet ungulam fissam :

*Cade nel fango - - - -*

idest , in peccatum :

*- - - - - e sè brutta , e la soma .*

Et sic fœdat regimen Christianæ Religionis . Et verè turpe est videre Sacerdotem togatum armatum . Et subdit Poëta , quomodo ipse confirmavit dictum Marci , auctoritate Sacræ Scripturæ . Dicit ergo :

*O Marco mio , diss' io , ben' argomenti :*

ex commixtione gladii , & clarè arguis caussam per effectum . Et hoc video ex bono testimonio . Ad cujus evidentiam sciendum est , quod sicut posset colligi ex multis Libris sacris, & ex Josepho Libro Antiquitatum , Levi fuit unus ex duobus filiis Jacob , natus ex Lia , a quo denominati sunt Levitæ . Hanc Tribum Moyses segregavit ab aliis , & sacravit, ut simpliciter vacaret sacrificiis , & vacaret ab officio militiæ . Moyses ergo Levitarum Tribum servituram Deo separavit a prœliis , & constituit Populum dare eis Decimas annuorum fructuum . Vide ergo , quid Poëta vult dicere heic , quum dicit :

*Et or discerno - - - -*

Et nunc perpendo :

*- - - - perchè dal retaggio*

*Li figli di Levì furon' esenti .*

Sicut Moyses , Aaron , & alii Levitæ , divisi & remoti a dominio , & hereditate Terræ Sanctæ, quam promiserat Deus Abraam, Isaac, Jacob , & semini eorum : Deinde Poëta movet dubium Marco circa unum nominatorum , quia vocaverat eum simpliciter Gherardum , quum multi alii possent esse in illa regione & patria ejusdem nominis . Unde dicit :

*Ma qual Gherardo è quel , che*

tu mihi dicis :

*- - - - - - tu per saggio ,*

idest , pro sagaci & sapienti :

*Di ch'è rimaso de la gente spenta ,*

idest , mortua :

*In rimprovero del Secol selvaggio ?*

idest , in improperium & dedecus pravi temporis ?

*O tuo parlar - - - -*

Heic ultimo Poëta ponit responsionem Marci ad quæsitum , dicens : Ille Marcus

*Rispose a me : - - - -*

*O tuo parlar m'inganna , o e' mi tenta .*

Et ecce quomodo :

*- - - - che parlandomi Tosco*

*Par che del buon Gherardo nulla senta .*

Quasi dicat : Miror de te , quod licèt sis Tuscus , non Lombardus , non videris scire , quis fuerit Gherardus , cujus curialitas & bonitas jam transivit Apenninum , & per famam pervenit in Tusciam . Et subdit :

*Per altro sopranome io nol conosco*

Sed heic statim oritur dubitatio . Diceret aliquis : Quomodo Marcus dicit , se non nosse istum ab alio cognomine , quum tamen cognomen illorum de Camino esset tunc famosum in Lombardia , immo in tota Italia ? Et præcipue Marcus fuit familiarissimus istius Domus , & Domini Rizzardi , cujus pater fuit iste Gherardus ? Dicendum breviter , quod Poëta hoc fingit de industria duplici ratione . Primo , ut ostenderet ejus eximiam bonitatem . Vult enim dare intelligi tacite , quod Gherardus debet esse magis notus bonitate sua , quàm nobilitate Familiæ illorum de Camino . Secundo , ut faceret memoriam de vanitate filiæ ejus . Unde addit :

*S'io nol togliessi da sua figlia Gaja ,*

quasi dicat ; neque nobilitas neque bonitas facit eum ita notum , sicut filia ejus notissima . Ita enim erat famosissima in tota Lombardia , quod ubique dicebatur de ea : Mulier quidem verè gaja & vana . Et ut breviter dicam , tota

Tar-

Tarvisina, & amorosa. Quæ dicebat Domino Rizzardo fratri suo: *Procura tantum mihi juvenes procos, & ego procurabo tibi puellas formosas*. Multa jocosa sciens prætereo de femina ista dicere, quæ pudor prohibet.

*Ad Cant. XVI. Vers. 13. & seqq.*

*O imaginativa, che ne rube &c.*

Heic nota, quod licèt Poëta legisset sæpe dictam forti imaginatione in Socrate, Democrito, Carneade, & aliis multis, tamen in se ipso fuerat mirabiliter expertus. Accidit enim semel sibi in Civitate Senarum, ostenso sibi Libello famoso, nec amplius viso per ipsum, quum non posset habere commodius copiam de eo, adhæsit cum pectore banco unius Speciarii, & cum tanta attentione percurrit Libellum totum, persistens fixus sine motu oculorum ab hora Nona usque ad Vesperam, quod nihil extrinsecus sensit, quum tamen fieret ibi prope festum nuptiale cum plausibus, cantibus, & sonis. Et interrogatus, quomodo potuerat se continuisse, ne respiceret tam celebre festum, ubi erat suavis aspectus tot mulierum Senensium, dulcis melodia tot instrumentorum musicorum, respondit, se nihil sensisse. Ex quo post primam admirationem magnam sequuta est major, quum ipse esset naturaliter amator amorosorum cantuum.

*Ad Cant. XVIII. Vers. 118.*

*Io fui Abate - - - - -*

Ad intelligentiam plenam hujus literæ est primo sciendum, quod iste spiritus dicit se fuisse tempore Barbærussæ, quo Fridericus I. de Suevia, de quo alibi facta est mentio, imperavit Annis XXXVII. Qui prius fuit amicus Ecclesiæ, sed postea habuit litem cum Alexandro III. Senensi, qui excommunicavit eum. Quo tempore multa bella habuit in Italia cum Lombardis faventibus Papæ. Et victor omnium destruxit Spoletum, & Terdonam. Laudum transmutavit. Ædificavit Cremam, & Cremonam recepit per deditionem. Et inter memoranda gesta, Mediolanum per obsidionem cepit Anno Domini MCLXII. quod prostratis mœniis totum igne cremavit, & fecit arari, & seminari Sale. Et fecit de Romanis miserabilem stragem. Propter quæ Alexander timens furorem potentiæ ejus, confugit Venetias, ubi reverenter receptus moram fecit. Cujus favore Mediolanenses reædificaverunt eorum Civitatem eversam, Anno Domini MCLXVII. Deinde paulo post ipsi cum auxilio Cremonensium, Placentinorum, & aliorum Lombardorum, amicorum Ecclesiæ, fundaverunt novam Civitatem contra Papiam semper inimicam Mediolani, quæ faverat Friderico. Et hanc Terram in contemtum Papiæ Alexandriam vocaverunt. Et Dux Venetiarum magna classe gessit bellum navale cum Henrico Imperatoris filio, quem victum & captum duxit Venetias. Fridericus videns fortunâ mutatâ se continuo declinare, & Alexandrum exaltari, favore Ludovici Regis Franciæ & Henrici Regis Angliæ generi sui, & Guillielmi optimi Regis Siciliæ, Venetorum, & Lombardorum, per Legatos petiit pacem & veniam. Et veniens Venetias procidit ad pedes Papæ. Cujus gutturi Papa applicans pedes, dixit illud Psalmistæ: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*. Et Imperatore dicente: *Non tibi, sed Petro*; Papa respondit: *Ego sum Vicarius Petri*. Demum Fridericus pro satisfactione cum universo exercitu transivit in Syriam ad recuperationem Terræ Sanctæ, & suffocatus est in flumine Antiochiæ, quum se lavaret calore æstivo. Nunc veniendo ad literam, dicit iste spiritus:

*Io fui Abate - - - - -*

& vocatus est Abbas Albertus, vir bonus moribus & vita. Quem quia Poëta agnoverat, fuisse valde accidiosum (quo vitio laborant multi Prælati) ideo ipsum introducit heic sic loquentem. Et tangit locum, dicens:

*- - - - - in San Zeno a Verona.*

Ad quod nota, quod Zeno fuit Episcopus Veronæ vir magnæ Sanctitatis, scientiæ, & eloquentiæ. Qui multa & pulcra volumina edidit in Sacra Scriptura. Nota etiam, quod Sanctus Zeno est in tribus locis in Verona, scilicet in Monte; alius juxta Athesim, & est parvum Oratorium sive parva Capella. Et de isto credo, quod non loquatur Beatus Gregorius in Dialogorum Libro, ubi scribit, quod quum semel Athesis fluvius inundasset Civitatem Veronæ, aqua non intrabat per fenestras Sancti Zenonis, seu Ecclesiæ ejus. Et est tertius Sanctus Zeno longe a flumine quasi per jactum teli. Cujus Ecclesiâ nullam vidi pulcriorem in Verona. Et de isto debet intelligi heic per excellentiam, & quia hæc Ecclesia habet Monachos. Et ibi fuit Abbas iste Albertus, qui heic loquitur. Et describit tempus a Principe, dicens:

*Sotto l'Imperio del buon Barbarossa.*

Vocat Fridericum bonum, quia fuit vir virtuosus, strenuus, largus, triumphator, & corpore pulcher, & a colore denominatus est *Barbarossa*. Et tangit singularem victoriam ejus, dicens:

*Di cui dolente ancor Milan ragiona.*

Quia dolenter memorat ruinam suam. Nam ejus eversione octuaginta duo millia hominum dispersa dicuntur. Ita ut aliqui transierint ad barbaras nationes. Et hoc de mense Martii. Et stetit sic destructum quinque annis. Fuit autem Mediolanum olim potens Civitas, & jam florens tempore magni Marcelli, qui Regem eorum Viridomarum manu sua obtruncavit. Sed Papia postea fuit potentior tempore Regni Langobardorum. Fuit enim sedes Regni eorum. Hodie tamen est subjecta Mediolano cum majori parte Lombardiæ.

*E tal' ha già - - - -*

Heic dictus Abbas, quia fecerat mentionem de Sancto Zenone, cujus Monasterium ipse egregie gubernaverat, dolenter fecit memoriam de alio quodam Abbate successore suo, qui nequiter tractabat illud dives & nobile Templum. Et ad intelligentiam hujus literæ oportet scire, quod mortuo Eccelino de Romano, Mastinus de la Scala factus est Dominus Veronæ. Quo trucidato ab æmulis, Albertus frater ejus successit in dominio, & vindicavit mortem fratris. Ex Alberto natus est Capitaneus Bartholomæus, Alboinus, & Canis Grandis. Habuit & filium naturalem, qui vocatus est Joseph. Hic fuit Abbas Sancti Zenonis. Vir probus & integer a principio, sed consilio medicorum tractâ muliere, vel inquinatus pice Diaboli, factus est sceleratissimus. Nam quum Alboinus, qui successit Bartholomæo in dominio, vellet ex pusillanimitate reducere Comites Sancti Bonifacii in Veronam, Abbas, conquerente Cane, tamquam animosus increpans amare Alboinum, armata manu ivit, & trucidavit multos ex dictis Comitibus ad Villam eorum, quæ Insula Comitum primo, postea vocata est Insula de la Sca-

Scala. De isto ergo Abbate loquitur heic prædictus Abbas. Et dicit dolens de mala tractatione sui Monasterii. *E tal*: scilicet, Albertus de la Scala.

*- - - - ha già l'un piè dentro la fossa*,

quia fessus senio videbatur jam proximus morti:

*Che tosto piagnerà quel Monistero*,

quia scilicet morietur, & luet pœnam injuriæ factæ sancto loco. Unde dicit:

*E tristo fia d'avervi avuto possa*.

Scilicet, in ipsum nobile Monasterium. Et in hoc tacite arguit Dominos temporales, qui injuste occupant bona Ecclesiarum, aut indignissimis tradunt. Et assignat causam dicens:

*Perchè suo figlio, - - - - -*

scilicet, Josephum:

*- - - - - mal del corpo intero*,

hoc dicit, quia erat claudus:

*E della mente peggio, - - - - -*

quia erat pravus animo:

*- - - - - e che mal nacque*,

quia ex damnato coitu conceptus fuerat:

*Ha posto il luogo di suo Pastor vero*.

Quum tamen esset lupus rapax. Fuit enim homo violentus, de nocte discurrens per suburbia cum armis, rapiens multa, & replens meretricibus locum illum. Et fuit alius Abbas Joseph in dicto loco, spurius Alberti junioris fratris Mastini, sceleratior illo primo. Ideo bene dicebat quidam Veronensis, quod Sanctus Zeno expellebat dæmones, & habebat eos intra domum. Hoc dicitur, quia mulier, quando est dæmoniaca, ducitur ad Sanctum Zenonem. Et ultimo Poëta concludit, quod non potest plura referre de dicto spiritu. Unde dicit:

*Io non so, se più disse, o s'ei si tacque,*
*Tanto era già di là da noi trascorso*;

quia numquam dimiserat cursum propriloquii.

*Ma questo intesi, e ritener mi piacque*.

Quasi dicat: hoc unum notavi, ut memoriam faciam ad arguendum violatores sacrorum.

Ad Cant. XIX. Vers. 99.

*Scias, quod ego fui successor Petri*.

Sed non pauper, ut Petrus; deinde describit se a nobilitate generis. Et ad evidentiam sequentis literæ debes scire, quod in MCCLXXIII. Adrianus V. natione Januensis de famosa & potenti Domo illorum de Flisco, qui primo vocatus erat Octobonus, electus est ad Papatum tempore Rodulphi electi ad Imperium Romanorum. Sedit in Cathedra Petri uno mense & octo diebus. Unde morte præventus nec Sacerdos ordinatus est. Dicit ergo Adrianus:

*Una fiumana bella - - - - - -*

sic dicta a flumine Lavagno:

*- - - - - - - - s'adima*,

idest, avillatur, seu abassatur:

*Intra Siestri e Chiaveri - - - - - -*

quæ sunt duæ Terræ Riperiæ Januensis:

*Lo titol del mio sangue - - - - - -*

idest, illorum de Flisco:

*- - - - - - - - fa sua cima*.

Idest, apicem sui culminis nobilitatis & potentiæ magnæ:

*- - - - - - - - e del suo nome*:

quia scilicet dicti Nobiles vocantur Comites de Lavania, seu di Lavagno. De quorum genere fuerunt multi viri valentes, præcipue alius Papa, qui dictus est Innocentius IV. vir quidem magnificus, & destructor Friderici II. & scientificus in utroque Jure, & in Sacra Scriptura. Et hujus Innocentii fuit Nepos iste Adrianus ex fratre. Qui suis exultantibus de promotione sua dixit: *Melius erat vobis habere Cardinalem vivum, quam Papam mortuum*.

*Un mese - - - - - - - -*

Heic Adrianus ostendit, qualiter modicâ experientiâ cognovit importabile pondus Papalis dignitatis, dicens:

*- - - - - - e poco più provai io come*
*Pesa 'l gran manto*,

Per mantellum Petri dat intelligi Papatum, & maxime

*- - - - - - a chi del fango il guarda*.

Sicut a labe avaritiæ, gulæ, & luxuriæ, quæ fœdant virtutes omnes, ut jam dictum est in prima parte. Et heic nota, quod verè laboriosum est onus Pontificale, si debeat bene servari immaculatum. Et magis experte poterat credere Adrianus sanctissimo Papæ Gregorio I. qui in multis Libris & locis dolet & deplorat istud gravamen. Ex quo ostendit sarcinam illam nimis molestam esse omnibus, qui custodiunt illam illæsam. Ideo bene Cœlestinus V. quasi mortifero fasce deposito, cum gaudio & lætitia solitudinem repetebat, nisi retractus fuisset operâ Bonifacii. Et tamen in illo privato carcere sancte vixit, & animam feliciter Deo reddidit: ubi Bonifacius infeliciter & desperate vitam finivit. Et confirmat dictum suum per comparationem claram, dicens:

*Che men mi sembra tutte l'altre some*.

Idest, quia cetera onera, quantumcumque gravia videantur, videntur levissima in comparatione ad istud. Et heic nota, quod verè nullum onus est par isti. Nam qui Summum Pontificatum adeptus est, omnium curas, omnium sarcinas, in se ipsum transtulit. Quoniam intravit mare magnum cum parva navicula, quæ semper agitatur turbine omnium ventorum. Et ex libero factus servus, in magnam miseriam incidit. Omnium enim linguæ de eo loquuntur, & lacerant ejus vitam. Et quidquid mali fit, totum ex illo, quasi uno fonte malorum, provenisse dicitur. Ideo bene alius Papa Adrianus, natione Anglicus dicebat, quod Pastor erat similis ventri, contra quem olim omnia membra injuste conjuraverunt, ideo juste defecerunt. Nam stomachus, quasi servus publicus dispensans omnia omnibus alimenta subtraxit. Ideo ut breviter concludam, Summus Pontificatus, si bene geritur, est summus honor, summum onus, summa servitus, summus labor. Si verò male; est summum periculum animæ, summum malum, summa miseria, summus pudor. Ergo dubium est ex omni parte negotium. Ideo bene præfatus Adrianus Papa IV. dicebat, Cathedram Petri spinosam, & Mantum ejus acutissimis per totum consertum aculeis, & tantæ gravitatis, ut robustissimos premat & conterat humeros. Et concludebat: *Nonne miseriâ dignus est, qui pro tanta pugnat miseria?* Et dicit: *Un mese e poco più*, quia stetit in Papatu fortè XL. diebus. Et heic nota, quod quum omnis hominum vita sit brevis, Regum est brevior, Pontificum brevissima. Unde multo major numerus Pontificum, quam Imperatorum invenitur. Quia raro aliquis vocatur ad culmen tantæ dignitatis, nisi senex vel vergens in senium.

*La mia conversion - - - -*

Heic Adrianus ostendit, quando & quare recognoverit errorem suum, dicens: *La mia*

*mia conversion* , scilicet ad Deum
- - - - *o me ! fu tarda* .
Heu mihi ! quia solùm circa finem : Unde dicit ;
*Ma come fatto fui Roman Pastore* ,
ideſt , Papa Romanus :
*Così scopersi la vita bugiarda* .
Quia avaritia mendax promittit homini sufficientiam , & parat sibi indigentiam . Et tangit causam , quare detexit vitam fallacem in Papatu , quia venit sibi in mentem : Ecce , quid petisti ? tot laboribus , tot viribus cunctis diebus vitæ tuæ studens semper cupiditati , ut pervenires ad istum amarum gradum ? Dicit ergo :
*Vidi , che lì* - - - - - - - -
ideſt , in tanta altitudine :
- - - - - - *non si quetava il core* ;
sicut falso spectaveram :
*Nè più salir poteasi in quella vita*,
ideſt , non poteram pervenire ad altiorem gradum dignitatis in vita temporali . Et heic nota, quod Adrianus fecit optimam rationem. Cui enim Regi vel Principi est tanta dignitas vel potestas ? Ceteri habent regere mortalia ; hic spiritualia gubernare . Alii habent præeminentiam ab homine , hic ab æterna Sapientia Dei .

*Ad Vers.* 127.

*Io m'era inginocchiato , e volea dire*
ad excusationem meam : Sanctissime Pater , parcat Sanctitas Vestra justæ ignorantiæ meæ, quia nesciebam vos esse Papam . Unde nota , quod nulli inter Christianos exhibetur reverentia major , quantumcumque ille sit vilissimus vel vitiosissimus : quod pro miraculo habetur a multis . Hoc autem eleganter tetigit hic Poëta semel in Civitate Veronæ . Nam quum ibi cœnaret cum quibusdam honoratissimis viris , unus curiosus petiit : *Unde est , vir doctissime , quod vir semel naufragus reintrat mare ; quod mulier semel puerpera vult amplius concipere ; & quod tot millia pauperum non deglutiunt paucissimos divites ?* Cui prudentissimus Dantes , veritus parere errorem convivis minus intelligentibus, sagaciter vitavit solutionem . Et respondens petenti dixit : *Adde quartum ; quod scilicet Principes & Reges Terræ reverenter osculantur pedem filio lotricis & tonsoris , quum fuerit factus Papa* .

*Ad Vers.* 142.

*Nipote ho io di là , ch' a nome Alagia* ,
*Di là*, scilicet, in Tuscia in Valle Macræ. Ista Neptis Papæ Adriani fuit uxor Marchionis Marcelli Malaspinæ , quæ multum honoravit eum tempore sui exilii , ut alibi dictum est . Et ista Domina multum complacuit tunc Danti . Unde quidam volunt , quod Poëta loquatur de ea infra Cant. XXIV. ubi dicit , quod una mulier faciet sibi placere Civitatem Lucanam . Sed non credo . Et dicit Adrianus :
*Buona da se* : - - - - - -
quia naturaliter pudica & honesta ;
- - - - - *pur che la nostra Casa*
*Non faccia lei per esemplo malvagia* .
Ideſt , lubricam , & impudicam : Et vide , quod iste Sacerdos loquitur honeste & caute . Dicit enim quod Neptis est bona , nisi imitetur exemplum aliarum de Domo sua . Per hoc enim dat intelligi caute , quod mulieres illorum de Flisco fuerunt nobiles meretrices ; qualis ( si fama non mentitur ) fuit uxor Petri de Russis de Parma , strenuissimi Militis . Quid dicam de Isabella uxore Domini Luchini potentissimi & justissimi Tyranni in Lombardia ? Et concludit Adrianus .
*E questa sola m'è di là rimasa* .
In qua sperare possum ; quia illi de Domo mea sunt dediti avaritiæ , sicut ego fui , tum quia Januensis , tum quia Sacerdos . Ideo rogo te ; recommenda me sibi , & bonis operibus suis .

*Ad Cant. XX. Vers.* 46.

*Ma se Doagio* - - - - - -
Heic Ugo Ciapetta probat , quod dixit per Regem tunc regnantem . Nam Philippus Pulcher pessimus Regum Franciæ, ut dicetur paulo post , Anno Domini MCCXCVI. invasit Comitatum Flandriæ , & cepit Brugiam , Lillam, & alias Terras vastavit. Et Anno MCCC. quum Comes Flandriæ cum duobus filiis venisset ad eum , Rex eos carcerari fecit , & abstulit eis Comitatum Flandriæ. Sed post biennium sequuta est vindicta , quam Ugo huic oravit . Quia Flandrenses fecerunt magnam stragem de exercitu ejus Regis . Dicit ergo Ugo :
*Ma se Doagio , Guanto , Lilla , e Bruggia*
*Potesser , tosto ne saria vendetta* .
Vindicta ista jam erat facta , quando Poëta scripsit . Sed respicit ad tempus suæ visionis , quando fingit ista se audivisse ab Ugone . Et dicit :
*Et io la chieggio a Lui* , - - - -
scilicet, Deo :
- - - - - - *che tutto giuggia* .
Ideſt , vindicat ; quia Justus Judex vindictam facit de omni injustitia . Vel respicit ad mortem Philippi , ut dicit alibi .
*Chiamato fui* - - - - - -
Heic Ugo manifestat se & suos a nomine , dicens :
- - - - *di là* - - - -
ideſt , in Mundo mortalium :
- - - - *Ugo Ciapetta* .
Ugo præfatus cognomento Ciapetta , sive Caputii , dictus est , quod pueris ipse puer caputia ludo auferre solebat . Cum quo Robertus filius regnavit XI. annis, & post obitum patris annis XXXIV. vir quidem pius & literatus .
*Di me son nati i Filippi , e i Luigi* ,
quia plures de linea sua fuerunt Reges Philippi & Ludovici . Nam de ista genealogia tertia Ugonis fuerunt multi Philippi , sicut Philippus I. Philippus II. Philippus III. potentissimus, victoriosus , Philippus IV. dictus Nasellus , Philippus V. Philippus VI. & Philippus VII. qui , ut credo , dictus est Pulcher . De quo tanta mala hic dicit . Multi etiam Ludovici fuerunt de stirpe Caroli Magni, quæ defecit in Ludovico V. Postea de stirpe Ugonis fuerunt alii Ludovici ; scilicet Ludovicus Grossus , Ludovicus VII., Ludovicus VIII. qui fuit pater Ludovici Sancti. Et dicit .
*Per cui novellamente è Francia retta* .
Franciæ est provincia parva in Gallia , quæ multas alias provincias habet subjectas , sicut Provinciam , Burgundiam , Normandiam , Picardiam , Aquitaniam , Vasconiam &c. Deinde scribit se ab origine sua , dicens :
*Figliuol fui d'un Beccaio di Parigi* :
Et heic nota , quod aliqui dicunt , quod iste fuit nobilissimus Miles de Normandia . Aliqui, quod fuit Dux Aureliani . Sed Dantes curiosissimus investigator rerum modernarum , quum esset Parisius , gratiâ studii , reperit, quod iste Ugo de rei veritate fuerat filius carnificis. Ideo reputat fictum quidquid aliter dicatur , ad colorandam vilitatem originis , sicut multi faciunt.

ciunt. Et tangit tempus, dicens:

*Quando li Regi antichi venner meno*

descendentes a Carolo Magno. Hoc autem fuit Anno Domini DCCCCLXXXVII.

*Tutti fuor ch' un venduto in panni bigi.*

Dicunt aliqui, quod iste erat Frater Minor. Quod est impossibile, quia nondum erat Ordo Minorum. Sed erat Monachus cum pannis vilibus grisis. Et eo tempore dicit Ugo

*Trova'mi stretto ne le mani il freno*

*Del governo del Regno;*

scilicet, Franciæ;

*- - - - - e tanta possa*

*Di novo acquisto, - - - -*

quia erat pecuniosus & dives nimis:

*- - - - e sì d'amici pieno;*

Iste Ugo Ciapetta recte fecit sicut Tarquinius Priscus, qui natus patre mercatore de Corintho, suâ prudentiâ & opulentiâ pervenit ad Regnum Romanum. Dicit ergo:

*Ch' a la Corona vedova - - - -*

idest, vacanti:

*- - - - - promossa*

*La testa di mio figlio fu. - - - -*

Scilicet, Robertus: Ugo enim, ut quidam scripserunt, noluit coronari, ut successio sua plus extenderetur. Audiverat enim, quod sui regnaturi erant in septimam generationem. Et dicit:

*- - - - - dal quale*

primo Rege:

*Cominciar di costor le sacrate ossa.*

Quia inunguntur & consecrantur Reges. *Di costor*, scilicet, Philipporum & Ludovicorum.

*Mentre che - - - - -*

Heic Ugo incipit narrare mala suorum facta per avaritiam. Et primo tangit magnam occupationem factam ab eis avarè. Ad quod sciendum, quod Ludovicus, qui postea fuit Sanctus, & Carolus frater ejus, qui fuit postea Rex Siciliæ, habuerunt in uxores duas filias Raymundi Berengerii de Tholosa. Et sub nomine & colore dotium usurpaverunt totam Provinciam Narbonensem. Ille ultra Rhodanum, iste citra, sicut dicetur plenius Paradisi Cant. VI. Modò usque ad istud tempus descendentes Ugonis erant aliqualiter avari, sed non ita quod usurparent alienum injuste. Dicit ergo in litera:

*Poco valea, - - - -*

idest, parum erant valentes & virtuosi.

*- - - - ma pur non facea male.*

scilicet, per avaritiam, violentiam, & fraudulentiam.

*Mentre che la gran dote Provenzale*

& verè magna. Nam Plinius summe commendat istam Provinciam:

*Al sangue mio non tolse la vergogna,*

non intelligas, ut quidam falso exponunt, quod Domus ista non esset potens ante istam dotem. Sed vult dicere, quod ante istud factum ista Domus habebat unam verecundiam, quia dicebatur de obscuritate & ignobilitate originis. Sed post istud factum cœperunt homines dicere de avaritia, & injustitia, in verecundiam istorum, ita quod major verecundia & infamia abstulit primam, ita quod amplius non dicebatur de Macellario. Quod autem ista sit intentio Poëtæ, declarat sequens litera, dum subdit:

*Li comincio - - - -*

ab illa dote & præda magna:

*- - - - con forza, e con menzogna*

*La sua rapina; - - - -*

Quia cœpit tunc primò rapere violenter & fraudulenter:

*- - - - e poscia per ammenda*

vi, & fraude:

*Ponti e Normandia prese e Guascogna.*

Et dicit: *per ammenda*; loquitur ironice, quasi dicat, ad emendationem primæ rapinæ factæ de Provincia fecerunt aliam de aliis Provinciis.

*Carlo venne - - - - -*

Heic dictus Ugo damnat duas molestias factas crudeliter per Carolum prædictum. Ad cognitionem primæ debes scire, quod Conradinus debellatus in campo, consilio & arte senis Alardi, ut plene dictum est Inferni Cant. XXVIII. fugiens pervenit cum quibusdam Proceribus ad plagiam Romæ, ad Castellum dictum Asturi, ubi armata subito fugitiva tendebat in Siciliam, quæ rebellabat Carolo. Sed captus a quodam Johanne de Frangipanibus de Roma, præsentatus fuit Carolo. Carolus post aliquot menses consulte & deliberate in foro Neapolis fecit decollari ipsum Conradinum & Ducem Austriæ cum multis Comitibus & Baronibus. Quorum corpora vetuit sepeliri in sacro. Dicit ergo: *Carlo*, scilicet, Vetus, primus, victor Manfredi:

*- - - - venne in Italia*

vocatus ab Ecclesia:

*- - - - e per ammenda*

*Vittima fè - - - -*

idest, sacrificium:

*- - - - di Curradino, - - - -*

quia ipsum adolescentulum innocentem, velut agnum, immolavit: *per ammenda*, loquitur ironice; quasi dicat, ad emendationem occupationis Provinciæ mactavit inhumane Conradinum. Et heic nota, Lector, quod valde miror de quibusdam, qui arguunt Poëtam, dicentes, quod injuste infamat justum Regem. Sed certe non culpat in eo non culpanda: Nonne jam ipsum posuit gloriose inter Reges & Principes Christianos, tamquam pugilem Ecclesiæ? Sed certe hunc actum damnaverunt omnes sapientes, & amici Caroli. Nam Robertus filius Comitis Flandriæ, gener ipsius Caroli, transfixit mucrone impune Judicem, qui tulerat talem sententiam. Nonne hic Carolus impunitum tulit Guidonem de Monforte, qui interfecit consanguineum Regis Angliæ in gremio Dei? Nonne condemnavit ad perpetuum carcerem Dominum Henricum fratrem Regis Hispaniæ, consanguineum ipsius, quem tamen fecerat sibi hostem per avaritiam, quum nollet sibi reddere magnam pecuniam, quam mutuo habuerat ab eo? Nonne prohibuit, ne ille obtineret Sardiniam ab Ecclesia? Deinde tangit aliam violentiam enormem. Ad cujus intelligentiam debes scire, quod Carolus prædictus habens suspectum Thomam de Aquino Ord. Prædic. vel quia offenderat Comites consanguineos ejus, vel quia Thomas iturus ad Concilium Generale in Galliam Lugdunum, habuerat dicere, quod non taceret oppressiones Regnicolarum, timens sibi ab illo, fecit eum venenari in via per quemdam Physicum familiarem suum; qui mortuus est apud Abbatiam Fossæ Novæ in Regno. Dicit ergo:

*- - - - - - e poi*

*Ripinse al Ciel Tomaso per ammenda.*

Quia Vir Sanctus redivit ad Cœlum, unde venerat. *Per ammenda*, loquitur ironice, quasi dicat: ad emendationem primæ victimæ, quam fece-

fecerat gladio, immolavit alium juvenem Doctorem veneno. Sed justo judicio Carolus ante mortem habuit magna adversa. Quia quum elatus successu magnarum victoriarum speraret majores, vidit rebellionem Siciliæ, & captivitatem filii sui, qui poterat interfici in vindictam Conradini, si hostis voluisset abuti victoriâ, sicut ipse fecerat. Et mortuus est cum dolore, filio adhuc carcerato.

*Tempo veggio io - - - -*

Heic Ugo valde detestatur vilem avaritiam alterius Caroli. Iste Carolus de Valois cognominatus Sine-Terra, frater Philippi Pulcri, vocatus in Italiam per Bonifacium sub nomine pacificandi Florentiam, & gerendi bellum contra Siciliam, ipsam Florentiam summe disturbavit, ut plene scriptum est Inferni Cant. VI. Deinde armatâ magnâ classe apud Neapolim, cum Roberto filio Caroli II. ivit contra Siciliam. Sed in brevi facta simulata & infami pace, reversus est in Franciam, perdita magna parte suæ gentis. Ideo bene in ejus improperium dictum est: *Carolus venit in Tusciam pro pace, & reliquit ibi bellum. Et ivit in Siciliam pro bello, & reportavit inde ignominiosam pacem*. Dicit ergo Ugo:

*Tempo veggo io non molto dopo anchoi*

quia per annum postea fuit istud factum:

*Che tragge un' altro Carlo fuor di Francia,*
*Per far conoscer meglio e sè e' suoi.*

Qui sæpe per avaritiam nimis deliquerunt. Quod continuo declarat, quum dicit:

*Senz' arme n'esce, - - - -*

quia sub titulo pacificandi exivit a Francia: & non usus est apertis viribus more Gallorum, sed perfida proditione. Unde dicit:

*- - - - e solo con la lancia,*
*Con la qual giostrò Giuda;*

Et videtur optima comparatio. Quia sicut Judas prodidit Christum pro pecunia, ita iste corruptus pecuniâ prodidit Bonifacium, qui vocaverat eum. Unde dicit:

*- - - - - - e quella ponta*

idest, impingit illam lanceam:

*Sì, ch'a Fiorenza fa scoppiar la pancia.*

Et est propriissima comparatio, quia eo tempore Florentia erat valde corpulenta, plena civibus, inflata superbiâ. Et iste Carolus scidit eam per ventrem, ita quod fecit inde exire intestina vitalia, scilicet præcipuos Cives; de quorum numero fuit iste præclarus Poëta. Ideo bene solvit sibi heic. Unde ad exaggerandum factum dicit:

*Quindi - - - - -*

ex ista proditione:

*- - - - non terra - - - -*
*Guadignerà. - - -*

quia si volebat fallere fidem, debebat capere sibi illam florentissimam Terram, & non tradere Cursio de Donatis:

*- - - - - ma peccato & onta,*

quia Deum & multos homines offendit. Et dicit:

*- - - - - per se tanto più grave,*

scilicet, peccatum:

*Quanto più lieve simil danno conta.*

idest, reputat esse *simil danno*, scilicet, Siciliæ, *più lieve*, scilicet, peccatum.

*L'altro - - - - -*

Heic Ugo tangit temeritatem & vilitatem alterius Caroli junioris, qui fuit primogenitus Caroli I. unde vocatur Carolus II. Et ad declarationem literæ est sciendum, quod dum Carolus ipse ivisset in Provinciam, ad armandam classem, pro recuperanda Sicilia rebelli, Rogerius de Loria, Admiralius Regis Petri, peritissimus & victoriosissimus in bello navali, cum magna classe venit super Neapolim intra portum, sagittando intra Civitatem, & exprobrando, ut eliceret Carolum Principem ad pugnam. Præsciebat enim tamquam vigilantissimus Dux, quod Rex Carolus cum magna classe rediens de Provincia jam erat in mari Pisano. Sicut ergo petebat & optabat, juvenis improvidus & calidus, cum proceribus & omni militia, ascendens navim exivit contra Rogerium. Rogerius sagacissimus mandavit suis, ut non intenderent ad persequutionem fugientium, sed solum ad Galeam, ubi erat regale Signum. Quo facto, in primo congressu belli, multis navibus juvenis fugientibus, ipse cum suis proceribus inutilibus navali certamini, tam faciliter quam celeriter debellatus & captus est, cum novem navibus longis. Et ductus Messanam in Siciliam, ubi plusquam CC. ex suis nobilibus gladio sunt necati in vindictam Conradini, ipso Carolo cum paucis reservato. Hac victoria potitus est Rogerius Anno Domini MCCLXXXIV. Die sequenti Carolus pater applicuit Cajetam; qui accepto sinistro rumore filii, accensus ira, dixit; *Vellem ipsum esse mortuum, quia non servavit præceptum meum*. Mandaverat pater filio, ut nullo casu committeret se pugnæ marinæ vel terrestri in absentia sua. Deinde Carolus, mortuo patre, concordans cum Rege Aragonum, reversus est in Regnum suum. Et tradidit filiam suam Azzoni III Marchioni Estensi, factâ sibi magna donatione propter nuptias. Nunc ad literam dicit Ugo:

*L'altro, - - - - - - -*

scilicet, Carolum Claudum:

*- - - - che già uscì preso di nave,*

& certe fuisset occisus, nisi prohibuisset Regina Constantia:

*Veggio vender sua figlia;*

quam tradidit viro pro pecunia:

*- - - - e pattegiarne,*
*Come fan li Corsar de l'altre schiave.*

quas vendunt pro certo pretio. Sed quid dixisset Poëta noster, quod Johannes Rex Franciæ, captus ab Anglicis diebus nostris, vendidit filiam suam Domino Galeatio Tyranno de Mediolano? Et ex hoc Ugo dolore intrinseco tactus, exclamat contra avaritiam potentissimam, dicens:

*O avarizia! - - - - -*

regina vitiorum:

*- - - - che puoi tu più farne,*

quasi dicat; nil majus:

*Poiè' hai il sangue mio a te sì tratto,*
*Che non si cura de la propria carne?*

Et heic nota, quod iste maxime dolet de avaritia istius Caroli, quia fuit valde liberalis inter Reges sui temporis. Sed certe amor pecuniæ vincit amorem naturalem, & res impossibiles facit possibiles. Unde infelix, in quo avaritia fixit radices suas. Pacisceretur enim cum quocumque de quota parte vitæ suæ, si posset vendere alteri tempus sibi datum a natura:

*Perchè men paja il mal futuro, e 'l fatto.*

Heic Ugo amarè commemorat facinus impium, quod prægravat ceteris. Ad cujus intelligentiam est utile scire, quod Philippus Pulcher, Rex Franciæ, conceperat indignationem contra Bonifacium VIII. qui promiserat, facere Carolum de Valois, fratrem suum, Imperato-

rem Romanorum, quando venit pro Paciario in Tusciam. Sed nihil servaverat; quia audisti, quam valenter se habuerit; immo eodem Anno confirmaverat Albertum Ducem Austriæ. Ideo Philippus indignatus, superbe tenebat & honorabat Stephanum de Columna, inimicum ejus, & Beneficia conferebat in Francia pro voto suo. Propter quod Bonifacius magnanimus & alti cordis, factus est palam sibi infestus. Et ad justificandam causam suam, fecit citari Prælatos Franciæ ad Concilium, & Philippum prohibentem & contumaciter recusantem se subditum Ecclesiæ, temporaliter excommunicavit. Philippus objiciens multa crimina Bonifacio, dicebat ipsum fore deponendum. Sic hinc inde accenso igne irarum & discordiarum, alter in alterius perniciem conjurabat. Bonifacius irritabat Flandrenses contra Regem, & Albertum electum invitabat in Italiam. Philippus pejora meditans, de consilio Stephani misit quemdam Legatum suum in Tusciam cum Musatto Francesio Milite Florentino. Qui venientes in Comitatum Florentiæ, ad Stagiam Castellum dicti Musatti, simulabant sagaciter agere de bono pacis; & clandestine cum magnis pecuniis & donis, corruptis multis Proceribus Campaniæ & Anagniæ, ordinaverunt capere Bonifacium in patria. Ubi stans intrepidus nihil tale sentiebat. Quo facto Sciarra de Columna cum CCC. equitibus & multis amicis & mercenariis peditibus, sub Vexillo Regis uno mane intravit Anagniam cum clamore. Et ingratus Populus sequutus est Signa regalia, & traxit ad Papale Palatium. Bonifacius audito tumultu, omnium auxilio destitutus, dixit secum: *Ex quo debeo mori per proditionem, ut Christus: moriar, uti Vicarius Christi*. Et continuo assumto habitu Pontificali cum clavibus, conscendit Papalem Sedem, Sciarra & sui, volente Deo, ut sancta dignitas servaretur intacta, non injecerunt manus in eum, sed illum solis verbis lacessitum, sub honesta custodia relinquentes, conversi sunt ad rapiendum thesaurum. Post tertiam diem Populus Anagniæ recognoscens errorem suum, ruens in arma, duce, ductoreque Luca de Flisco Cardinali, expulit Sciarram cum complicibus. Bonifacius autem more Christi non potuit lætari, indurato corde dolore. Sed recedens cum Curia, venit Romam ad Sanctum Petrum, cum intentione celebrandi Concilium, & faciendi altam vindictam de injuria atrocissima sibi per Regem illata. Sed intenso dolore superante animum ejus, conversus in rabiem furoris, cœpit se rodere totum. Et sic verificata est Prophetia simplicissimi Cœlestini, qui prædixerat sibi: *Intrasti ut Vulpes. Regnabis ut Leo. Morieris ut Canis*. Vide igitur, si juste Poëta detestatur tam crudele scelus in Philippo. Dicit ergo:

*Veggio in Alagna intrar lo Fior d'aliso*

idest, Lilium, quasi flos de aliis, quod est Armatura Regis Franciæ, *intrar in Alagna*; Civitate Bonifacii;

*E nel Vicario suo Cristo esser catto*.

Et hoc dico, fiet, *perche 'l mal futuro e 'l fatto paja men*, idest ut minora videantur mala fienda & jam facta: quia verè omnia peccata præterita & futura videntur parva vel nulla in comparatione ad istud. Unde subdit:

*Veggiolo un' altra volta esser deriso*,

quia captus ab hostibus:

*Veggio rinovellar l'aceto e 'l fele*,

per amaros dolores Bonifacii:

*E tra vivi ladroni esser anciso*.

Idest, inter satellites Regis & Sciarræ. Vel ut aliqui dicunt, inter Cardinales, quia volunt, quod aliquis Cardinalis fuerit conscius hujus facti. Mortuus autem est Bonifacius in MCCCIII. die XII. Octobris, & sepultus in Sancto Petro.

*Veggio* - - - - -

Heic ultimo Ugo subadnectit aliud magnum malum, quod fecit idem Philippus contra quosdam fautores Bonifacii. Et ad aperiendum istam literam, quæ multis clausa videtur, oportet scire historiam memoriâ dignam, cujus hæc est summa. Quidam Jacobus, Burgundus origine ex Dominis Molai genitus, juvenis animosus, quum frater primogenitus secundùm consuetudinem Gallicam haberet dominium omnium, contulit se ad Militiam Templariorum, qui erant magni pugiles Fidei. Ubi factus Magister illius Ordinis potentis, incurrit odium Philippi Pulcri, cujus erat compater, quia videbatur favisse Bonifacio; sed verius ob avaritiam. Factum est ergo, permittente Clemente V. qui promiserat Philippo destructionem Templariorum, quod principales Templariorum eadem die capti sunt de mandato Philippi per omne Regnum suum, & eorum Templa, Castella, thesauri, & omnia occupata. Quibus ductis Parisius multa crimina objecta sunt, quæ omnia illi perseveranter negabant, dicentes, se contrarium probaturos sub justo Judice, si daretur. Tunc Rex ira ardens, mandavit, ut tormentis extorqueretur, quod adulationibus non poterat. Sed quum nihil proficeret, Magistro cum tribus sociis reservato, ceteri palam damnati sunt in incendio, si in proposito starent. Erant omnes robusti juvenes & animosi. Ideo alligatis singulis palis ignis est appositus. Et præcone promittente impunitatem & liberationem confitentibus, nullus potuit flecti terrore vel prece, ut cederent irato Regi, & confessione parcerent vitæ suæ. Sed quum omnes concorditer sæpe dicta firmarent, cœperunt tortores singulis apponere ignem primo ungulæ pedis, & paulatim ascendendo deducere per omnia membra. Illi autem jactantes voces in cœlum, clamabant, se Christianos veros, & eorum Religionem semper sanctissimam fuisse. Nec unus usque ad mortem potuit a tam constanti proposito removeri. Jacobus vero Magister longo carcere maceratus, tamdem ductus Lugdunum, multis exhortationibus persuasus, confessus fuit aliqua Clementi Papæ. Quare retractus Parisius, quum coram duobus Legatis ex latere & Rege sententia legeretur, in qua continebatur Magistri liberatio, & Ordinis damnatio, ipse cum uno ex sociis, qui erat frater Delphini Viennæ, petivit alta voce silentium. Quo concesso, audiente multitudine præsente testati sunt, quod morte dignissima morerentur, non quia commisissent ea, quæ legebantur; sed quia permiserant se seduci suasionibus Clementis Papæ & Regis Tyranni, contra honorem Ordinis sui tam sancti & tot Sanctorum Patrum auctoritate probati; & tot egregios fortes commilitones & socios ante se, pro veritate consumtos viliter fraudassent. Sed durâ sententiâ latâ Jacobus cum fratre Delphini igni datus est, sicut primi. Et ambo, Rege vidente, constanter & intrepide in supplicium iverunt. Alii duo viliter confitentes evaserunt. Quinquaginta sex fuerunt, qui tamquam Martyres innocentes perierunt. Hanc flebilem historiam

ſtoriam multi fide digni notaverunt, & præ ceteris Boccaccius de Certaldo elegantiſſime deſcribit, laudabiliter commendans conſtantiam & fortitudinem iſtorum ultra virtutem virorum fortium ab antiquo laudatorum. De iſtis & de origine Ordinis eorum dicetur Paradiſi Cant. XVIII. Nunc eſt ad literam veniendum. Dicit ergo Ugo:

*Veggio 'l nuovo Pilato - - - - -*

ſcilicet, Philippum. Et heic nota, quod Poëta propriiſſime vocat Philippum novum Pilatum. Sicut enim Pilatus, qui fuit de Lugduno, injuſte condemnavit innocentem Chriſtum: ita iſte apud Lugdunum condemnavit injuſte iſtum innocentem Militem Chriſti & pugilem Fidei. Et ſicut Pilatus fecit alligari Chriſtum ad columnam, & crudeliter flagellari: ita Philippus fecit iſtum protectorem Chriſti alligari ad palum, & crudeliter concremari cum ſociis, non contentus primo Bonifacium cepiſſe per Sciarram de Columna. Dicit ergo:

*- - - - sì crudele,*

*Che ciò nol ſazia: - - - -*

ſcilicet, acerba mors Bonifacii:

*- - - - ma ſenza decreto*

*Porta nel Tempio le cupide vele*

Ideſt, contra Templarios, qui erant ditiſſimi. Et dicit *ſenza decreto*: dicunt aliqui, ſcilicet, Papæ, ſed non bene; quia Papa hoc conſenſit. Sed vult dicere, injuſte, quia fecit ſibi de voluntate legem, & de furore decretum. Hæc facta ſunt in MCCCVII. Et concludit Ugo propter horrenda peccata hujus Philippi apoſtrophans ad Deum:

*O Signor mio - - - -*

ſcilicet, Deus:

*- - - - quando ſarò io lieto,*

ſcilicet, egreſſus hinc, tecum in Paradiſo:

*A veder - - - - -*

in te, ſicut in ſpeculo:

*- - - - la vendetta - - - - -*

quæ cito erit de Philippo:

*- - - - che naſcoſa*

ideſt, occulta:

*Fa dolce l'ira tua nel tuo ſecreto?*

Et heic nota, quod Poëta loquitur heic occulte. Quia quando homo paſſus injuriam, ſcit & recognoſcit vindictam, quam faciliter & cito faciet de illo, lætatur in ſecreto mentis ſuæ. Et dicit: Vade tantum cum Deo, quia bene ſolvam tibi. Ita a ſimili dicit iſte de ira Dei, quæ veniet juſte, & in brevi, ſuper Philippum & prolem ſuam, ut dicetur ſuo loco in præſenti compilatione.

*Ad Cant. XXIII. Verſ. 37.*

*Già era in ammirar, che sì gli affama,*

Poëta introducit unum ſpiritum modernorum guloſorum; ſeu deſcribit unum ſpiritum modernum de ſecta guloſorum. Ad cujus cognitionem eſt primo ſciendum, quod iſte fuit quidam concivis ſuus, nomine Foreſius, natione Florentinus, & genere nobilis, frater famoſi Militis Curſii de Donatis, amicus & affinis noſtri Poëtæ. Cum quo vixerat ad tempus familiariter. Et quia noverat eum multum laboraſſe vitio gulæ, licèt eſſet aliter vir bonus, ideo introducit eum heic ita maceratum. Et primo oſtendit, quomodo fuerit primo cognitus ab illo, dicens:

*Per la cagion' ancor non manifeſta;*

de odore pomorum & aquæ:

*Ad Verſ. 76.*

*Et egli a me - - - -*

Heic Poëta ponit reſponſionem Foreſii ad ſe, qui breviter dicit, quod interceſſio uxoris ſuæ citius fecit eum aſcendere. Ad quod ſciendum, quod Foreſius præfatus habuit in vita unam uxorem ſuam, cui nomen fuit Anella, mulier quidem ſobria, & pudica, quæ temperanter vixit cum iſto guloſo, cui habebat ſemper præparare delicata cibaria: in quo magis virtus ejus enituit. Et ſicut in vita numquam ceſſabat revocare eum ab errore ſuo, ita poſt mortem numquam ceſſavit orare pro eo; quum tamen mulier ſoleat faciliter oblivíſci priorum affectuum, ut Auctor alibi jam dixit. Dicit ergo: *Et egli a me*, ſupple, reſpondit Foreſius:

*La Nella mia - - - -*

vetula uxor, ſic vocata:

*- - - - sì toſto m'ha condotto*

*A ber lo dolce aſſenzio de' martiri &c.*

*Ad Verſ. 82.*

*Tanto è a Dio più cara - - - -*

Heic Foreſius extollit ſingularitatem virtutis Anellæ, quæ paucas habet ſocias inter tot honeſtas mulieres Florentinas. Et ut videas, quid Auctor noſter ſentiat ſub nomine unius, debes notare, quod nihil eſt melius, nihil utilius muliere pudica. Multa enim ſunt, quæ per ſe nobilitant clara ingenia virorum; at mulierum propria virtus eſt pudicitia. Ideo ſumme laudanda, quia bene meretur de majoribus, quorum ſanguinem furtiva ſoboles non vitiat; bene de filiis, qui non habent erubeſcere de matre, nec dubitare de patre; bene primo de ſe, quam liberat a contumelia alieni corporis. Ergo principaliſſime mulier debet habere curam pudicitiæ. Quâ amiſsâ ruit omnis virtus illius. Hæc pauperem commendat, divitem extollit, deformem redimit, pulcram exornat. Ergo beatus fuit iſte Foreſius, cui contigit, talem habere mulierem in uxorem. De qua dicit

*La vedovella mia, - - - - -*

ſcilicet, Annella uxor mea, quam annulo deſponſaveram:

*- - - - - che tanto amai,*

& bene reamavit me viventem, & defunctum:

*Tanto è a Dio più cara e più diletta,*

*Quanto in ben' operar' è più ſoletta;*

in patria noſtra, in qua mulieres noſtræ nimis vane operantur. Et confirmat, quod dixit de mulieribus Florentinis per comparationem ad quaſdam mulieres barbaras, quæ dicuntur eſſe in Sardinia, ſine pudore, & ſine habitu civili. Dicit ergo:

*Che la barbagia di Sardigna aſſai*

Montanea eſt altiſſima in Inſula illa, in qua habitat gens ſilveſtris ſine lege, ſine religione vera: quæ dicitur remanſiſſe ibi, quando Inſula fuit recuperata de manibus barbarorum de Africa, quorum mulieres ſunt nimis lubricæ & impudicæ, permittentibus viris. Nam præ calore & prava conſuetudine vadunt indutæ panno lineo albo, excollatæ ita, ut oſtendant pectus, & ubera. Et recte more Florentinarum talis, inquam, *barbagia aſſai*

*Ne le femine ſue è più pudica.*

*Ad Verſ. 104.*

*Cui biſognaſſe, per farle ir coverte,*

*O ſpiritali o altre diſcipline.*

ideſt, vel ſpirituales, ſicut excommunicatio; vel habitus bonus, qualem dedit Beatus Gregorius mulieribus Romanis, ſub quo honeſte latent; vel diſciplinæ temporales, ſicut Statutum Civitatis, vel pœna Officialis, quæ vetat inhoneſtam & enormem deciſionem pannorum cir-

circa collum. Sicut aliquando factum est Florentiæ propter istas Barbagienses. Et heic nota, quod Poëta noster meritissime facit invectivam contra istas. Nam nulli Artifices in mundo habent tam varia organa, & diversa instrumenta, & subtilia argumenta pro exercitio suæ artis, sicut mulieres Florentinæ pro cultu suæ personæ. Non enim contentæ naturali pulcritudine, semper conantur addere, & contra omnes defectus incredibili arte sagaciter se armant. Nam parvitatem adjuvant cum planula alta. Carnem nigram dealbant. Faciem pallidam faciunt rubicundam. Capillos faciunt flavos. Dentes eburneos. Mamillas breves & duras. Et ut breviter dicam, omnia membra artificiosa componunt. Quid mulierum Tuscarum mores referam, de quibus Gerius de Aretio Satyram fecit ad imitationem Apuleji? Non solùm autem mulieres Tuscæ, sed ubique terrarum intemperantes factæ sunt, sicut Seneca ostendit de mulieribus Romanis. Feminæ autem Florentinæ comedunt & bibunt, antequam vadant ad nuptias vel ad Ecclesiam.

*Ma se le svergognate - - - - -*

Ultimo Foresius prænuntiat mala eventura in brevi super Florentia, quæ mulieres Florentinæ habebunt deplorare. Unde dicit: *Ma se le svergognate*; bene dicit, quia verecundia est frænum mulierum, & silentium est ornamentum earum, quæ de raro duo hæc inveniuntur in mulieribus Florentinis.

*- - - - - - fosser certe*

sicut ego sum:

*Di quel, che 'l Ciel veloce loro ammanna,*

idest, cito præparat & destinat eis, sicut cædes virorum, & filiorum, bonorum direptiones, & incendia domorum, quæ omnia in brevi imminebant illi Urbi:

*Già per urlar - - - - - -*

quia sunt uxores luporum:

*- - - - - - avrian le bocche aperte.*

Vociferantes in Cœlum. Et ecce quare:

*Che se l'antiveder qui non m'inganna*

idest, si prævidere futura non est hoc falsum: quod non credo:

***Prima fien triste, che le guancie impeli***
***Colui - - - - - - - -***

scilicet, infans:

*- - - - che mò si consola con nanna.*

Idest, qui vagit in cunabulo, & quietatur ad cantum mulieris; quæ dicunt *nanna*; aliæ *nina*. Et dicit *impeli le guancie*, idest, inducat lanuginem; quasi dicat: antequam ille, qui modò est puer, fiat barbatus. Et heic nota, Lector, quòd audivi aliquos temere dicentes, quod istud prognosticum est vituperium Poëtæ, quia jam transiverunt tot tempora, quod non evenerunt ea; quæ præsagire videtur in tam brevi spatio. Ad quod respondeo, quod Auctor loquitur heic de præteritis & jam factis, non de futuris modò fiendis. Sed videtur prophetare, quia respicit ad tempus suæ visionis, quæ fuit in MCCC. sicut jam toties dictum est. Magna etenim mala sequuta sunt post istud tempus, sicut intestina discordia, civile bellum, & expulsio partium, quæ fuerunt secundo & tertio Anno sequenti; & Anno quarto venerunt de novo ad arma Albi & Nigri. Et flagrante furore belli, accensus est ignis, sive casualis, vel artificialis, ut multi dixerunt, operâ cujusdam Presbyteri Nerii de Abbatibus, qui ipsum primùm immisit in domum suam. Et breviter cremata est melior pars Civitatis, plusquam duo millia domuum, cum damno inæstimabili. Nec interim cessatum est ab armis. Sed continuo factæ sunt magnæ prædæ. Et Anno quintodecimo receperunt illam terribilem stragem apud Montem Catinum ab Uguiccione de Fagiola.

*Ad Cant. XXIV. Vers. 20.*

*- - - - e quella faccia*
*Di là da lui più che l'altre trapunta,*

Heic Foresius nominat alium spiritum, qui fuit altissimus gurges gulæ. Iste fuit Papa Martinus Gallicus. Ideo fuit multum favens Carolo I. contra Siciliam. Et misit Francos contra Forlivium. Vir bonus & prudens, nimis tamen splendide vivens. Nam quum haberet Curiam in Italia in Civitate Viterbii, faciebat suffocari anguillas optimas illius Lacus in vino optimo Vernaccino, & illas sapidissimas avidissime comedebat. Nec minus bene bibebat cum illis, quia anguilla vult natare in vino in ventre. Dicit ergo Foresius, describens istum spiritum a dignitate, & a propria gulositate. *E quella faccia di là da lui*, scilicet post Bonagiuntam de Luca; *più che l'altre trapunta*, idest, magis macra, quia gravius deliquit; quia varia arte laxabat ventrem, cui utilior erat fames, & utilissima sobrietas, dum in fœdo & misero sacculo tot pretiosa confundebat:

*Ebbe la Santa Chiesa in le sue braccia.*

Plus tamen habuit curam anguillarum, quàm animarum.

*Dal Torso fu;*

Scilicet, Turonis. Civitas est Franciæ:

*- - - - e purga per digiuno*
*L'anguille di Bolsena - - - -*

Lacus est Ecclesiæ inter Perusium, & Viterbium:

*- - - - - e la Vernaccia.*

Istud vinum plus ceteris nutrit & impinguat. Et nascitur in montibus altissimis Januæ. De quo non fit mentio apud Auctores, quia illa loca non erant olim culta. Et heic nota, quod utilius erat isti magno Sacerdoti, si bibisset de illo vino, in quo erant anguillæ necatæ. Quia qui bibit de tali vino, semper fastidit vinum. Unde dicit Magnus Albertus idem. Et ego experientiam vidi in uno magno Episcopo. Et subdit Poëta:

***Molti altri mi nomò, - - - - -***

idest, nominavit mihi ille Foresius:

***- - - - - ad uno ad uno,***
***E del nomar parean tutti contenti,***

propter causam assignatam:

***Sì ch' io però non vidi un' atto bruno***

alicujus turbationis.

*Vidi per fame - - - - - -*

Heic Poëta nominat alium spiritum modernum de genere gulosorum. Iste fuit quidam Nobilis Miles de clara Familia Ubaldinorum, de qua fuerunt multi valentes viri. Ipse fuit liberalis & civilis, frater Cardinalis Octaviani magnifici, qui semel duxit Papam cum tota Curia in montes Florentiæ ad domum & Castellum istius Ubaldini, & ibi stetit pluribus mensibus. Modò Poëta posuit Cardinalem in Inferno, tamquam Epicureum; & istum posuit in Purgatorio pro guloso. Dicit ergo:

*Ubaldin - - - - - - - -*

Nomen est proprium, & cognomen, quia fuit de Ubaldinis. Et dicit:

*- - - - da la Pila - - - -*

Nomen est loci, a quo unum membrum istius Domus. Ubaldini fuerunt Florentini, quibus datæ

datæ ſunt Alpes Florentiæ ſub gubernatione & defenſione. Sed ipſi ſciverunt continuare poſſeſſionem per longa tempora. Et diebus iſtis ſunt deſtructi per Commune Florentiæ.

*- - - - - a voto uſar li denti*,

ideſt, in vanum, *per la fame*. Et bene dat iſti hunc actum, quia fuit prodigi ingenii ad omnia irritamenta gulæ. Ipſe enim de more ſuo quotidie inquirebat ab expenſore ſuo, quid ordinaſſet pro prandio vel cœna. Et illo reſpondente hoc & illud, reſpondebat: *Facias etiam ſic*. Nec umquam ille poterat tam varia ordinare, quin iſte ſemper adderet aliquid.

*- - - - - - - - e Bonifazio*

Heic nominat alium magnum Gallicum, qui poterat ſtare cum Papa Martino Gallico. Quem bene ponit heic, quia Gallici ſunt omnes amici gulæ & vini. Et quia Prælati maxime laborant morbo gulæ. Iſte autem fuit Archiepiſcopus Ravennæ. De cujus gula Auctor audiverat multa, dum ſtaret Ravennæ. Dicit ergo: *Vidi Bonifazio*: non dicas, ſicut multi dixerunt, quod hic Bonifacius fuerit filius Ubaldini prædicti. Et deſcribit eum ab inſignio ſingulari magnæ dignitatis ſuæ, dicens:

*Che paſturò col rocco molte genti*.

Quia Archiepiſcopus Ravennas eſt magnus Paſtor, qui habebat ſub ſe multos Epiſcopos ſuffraganeos ab Arimino uſque Parmam. Et dicit: *col rocco*; nam quum ceteri Paſtores habeant virgam Paſtoralem retortam, iſte habet totam virgam rectam, & in ſummitate rotundam ad modum Calculi, ſive Rocchi.

*Vidi Meſſer Marcheſe - - - - -*

Heic ultimo Poëta nominat alium virum potentem. Et tranſit de Ravenna Forlivium, ubi ſunt meliores potatores; & meliora vina. Iſte fuit nobilis Miles de Argugliofis de Forlivio, pater Dominæ Lætæ, quæ fuit mater Domini Bernardini de Polenta, qui fuit Dominus Ravennatum. Fuit iſte vir curialis, & placidus multum. Unde quum ſemel adjuraret Pincernam ſuum, ut ſibi diceret, quid diceretur de eo, & illo reſpondente trepide: *Domine, dicitur, quod numquam facitis, niſi bibere*; dixit ridenter: *Et quare numquam dicunt, quod ſemper ſitio?* Dicit ergo deſcribens eum a nomine proprio: *Vidi Meſſer Marcheſe*. Quum Auctor nominet tam multos Milites in toto Poëmate ſuo, numquam facit iſtum honorem *Meſſere*, ideſt Dominum, niſi duobus, ſcilicet Domino Guidoni de Fano, & iſti Domino Marcheſio, qui fuit tam valens in bibacitate. Et ecce quomodo:

*- - - - - - - ch' ebbe ſpazio*
*Già di bere a Forlì - - - - - -*

quia dives & potens in patria ſua, ubi ſunt vina magna & fumoſa:

*- - - - - - con men ſecchezza*;

quia tunc habebat copiam vini, & præveniebat ſitim. Nunc verò in tanta ſiti non poteſt bibere unam guttam aquæ.

*Ad Verſ. 34.*

*Ma come fa chi guarda, e poi fa prezza*

Poëta inducit primum ſpiritum nominatum ſuperius per Foreſium. Et primo oſtendit, quomodo elegerit de numero multorum, & requiſierit eum, ut loqueretur clare ſecum. Iſte autem fuit Bonagiunta de Urbiſanis, vir honorabilis, de Civitate Lucana, luculentus Orator in Lingua materna, & facilis inventor Rhythmorum, ſed facilior vinorum, qui noverat Auctorem in vita, & aliquando ſcripſerat ſibi. Ideo Auctor fingit, eum ita familiariter loqui ſecum de ipſo & de aliis inventoribus modernis. Dicit ergo:

*- - - - fe' io a quel da Lucca*

ſcilicet, Bonagiuntæ:

*Che più parea di me aver certezza*

vel ſecundùm aliam literam

*- - - - di me voler contezza*

a ſimili:

*- - - - come fa, chi guarda, - - - -*

multitudinem hominum:

*- - - - e poi fa prezza*
*Più d'un che d'altro, - - - -*

per ſigna, quæ videt in illo. Et ecce quomodo;

*Ei mormorava; - - - -*

De Dante intelligas, ut patebit paulo poſt:

*- - - - - e non ſò che Gentucca*
*Sentiva io - - - - -*

ideſt, gens obſcura. Nam turbæ animarum erant ſecum, ut patebit infra, ita quod *gentucca*, ſive genticula, dicit heic diminutionem in qualitate, non in quantitate vel numero. Et dicit:

*- - - - là ov' ei ſentia la piaga*
*De la giuſtizia, che sì li pilucca*.

Quaſi dicat, ibi prope arborem, ubi ſentiebat pœnam, quæ juſte macerat eos. Vel dic, *ibi*, ſcilicet in guſtu a gutture ſurſum, ibi ſentiebat cruciatum famis & ſitis. Et ponit petitionem ſuam ad Bonagiuntam, dicens:

*O anima, diſs' io, che par sì vaga*

ideſt, avida:

*Di parlar meco, fa sì ch' io t'intenda,*
*E te e me col tuo parlare appaga*.
*Femina è nata - - - -*

Heic Poëta ponit reſponſionem Bonagiuntæ ad petitionem ſui, qui loquitur de materia, de qua primo murmurabat. Bonagiunta enim in illo ſuo murmure dicebat de Dante in tertia perſona: Iſte, qui aliquando temere loquutus fuit de Civitate Lucana, cito veniet ad videndum eam, & morabitur ibi. Dicit ergo:

*Cominciò ei - - - - -*

ſupple, dicere ille Bonagiunta:

*Femina è nata, e non porta ancor benda*,

quia eſt innupta puella. Iſta vocata eſt *Pargoletta*, de qua Auctor facit mentionem infra Cant. XXXI. Cujus amore captus eſt, dum tempore exilii ſui veniſet Lucam. Ideo dicit:

*- - - - che ti fa piacere*,
*La mia Città, - - - -*

ſcilicet, Luca. Et dicit

*- - - - come ch' uom la riprenda*.

Hoc dicit, quia Dantes ita arguit Civitatem Lucanam de baratteria, ubi dixit de Antianis Sanctæ Cittæ. Et quia loquutus fuerat obſcure, ſubdit:

*Tu te n'andrai con queſto antivedere*,

ideſt, cum iſto prognoſtico; in quo tacite prædixit ſibi exilium ſuum. Et dicit:

*Se nel mio mormorar prendeſti errore*,

credens, quod dicerem de alia materia:

*Dichiareranti ancor le coſe vere*.

Quaſi dicat: cito videbis effectum, & recordaberis verborum meorum, quæ videntur modo clauſa.

*Ma dì - - - - - -*

Heic Bonagiunta, quia fecerat mentionem de amore futuro Auctoris, nunc facit mentionem de amore præterito ejus. Sciebat enim, quod Dantes fuerat mirabiliter amoratus, & fecerat nobi-

nobiles Cantiones de amore. Ideo loquitur de eo tamquam de quodam tertio, dicens: Ego quidem dixi tibi de quo murmurabam, *Ma dì*, idest, sed tu dic mihi:

- - - - *s'io veggio quì colui*, - - -

scilicet, Dantem. Erant enim ibi tres Poëtæ sine pœna. Sed solus Dantes vivus, quem iste bene cognoscebat. Unde dicit:

- - - - - - *che fuore*

*Trasse* - - - - - -

idest, in publicum:

- - - - *le nuove Rime cominciando*

unam Cantionem, quæ incipit:

„ *Donne, ch'avete intelletto d'Amore*,

„ *Io vo' con voi della mia Donna dire, &c.*

Et in simili dicit Poëta suam responsionem, & si Bonagiunta fuerat loquutus caute, quasi dicens tacite: *Es tu ille Dantes, qui tam egregie loquutus fuisti de materia amoris?* Ipse respondet caute & honeste, dicens, quod scripserat, secundum quod amor dictavit sibi. Dicit ergo:

*Et io a lui*: - - - -

supple, respondi:

- - - - *Io mi son un, che quando*

*Amore spira*, - - - -

idest, inspirat mihi. Et non intelligas de Amore divinæ Gratiæ, sicut quidam falso exposuerunt; immo de Amore lascivo:

- - - - *noto*, - - - -

scilicet, in mente:

- - - - *e vo' significando*

extra per versus Amoris:

- - - - *a quel modo*,

*Che detta dentro* - - - -

scilicet, secundùm quod ipse Amor inflammat me, sicut olim Apollo dicebatur intrare pectora Poëtarum, & dictare materiam scribendam. Et heic nota, quod olim fuit solummodo dictamen Literale tam in Prosa quàm in Metro. Postea fortè a ducentis Annis citra inventum est dictamen Vulgare. Et fuit a principio inventum pro materia amoris. Sed hic Poëta ipsum mirabiliter traxit ad materiam honestissimam, qualis est in suo Poëmate:

*O Frate*, - - - -

Heic Poëta ostendit, quomodo Bonagiunta extollit eum, & dat sibi palmam super omnes contemporaneos inventores. Unde dicit:

- - - - *diss' egli* - - - -

ille scilicet Bonagiunta:

- - - - *issa vegg' io*, - - - -

idest, nunc video & cognosco:

- - - - *il nodo*,

idest, impedimentum:

*Che 'l Notajo, e Guittone, e me ritenne*

Iste vocatus est Jacobus de Allentino, & per excellentiam propter perfectionem Artis dictus est Notarius. *E Guittone*: Iste vocatus est Frater Guittonus de Aretio pulcherrimus inventor in Lingua materna, non tam ratione stili, quàm gravium sententiarum, quibus usus est nudis verbis. Cujus Librum ego vidi. *E me ritenne*, scilicet, Bonagiuntam

*Di quà dal dolce stile nuovo, ch' io odo.*

Circa stilum nostrum dulcem. Quasi dicat: Nullus nostrûm potuit attingere altum & delectabilem modum Dantis.

*Ad Vers. 82.*

*Or va, diss' ei, che quei, che più n'ha colpa &c.*

Heic Poëta ostendit & ponit consolationem Foresii super desolationem patriæ, dicens, quod cito veniet judicium Dei super illum, & quæ erit causa & principalis auctor istius turbationis. Et ad intelligentiam hujus literæ, quæ multis videtur obscura, est sciendum, quod Cursius de Donatis Miles probatissimus animo, manu, & lingua, qui princeps Partis Nigræ, reductus in Florentiam per Carolum Sine-Terra deposuerat Partem Albam, quum esset in magno flore & potentatu, factus est suspectus regentibus Populum, vel quia videbatur esse Dominus, non Socius; vel quia videbatur non digne tractari, quum fuisset recuperator Partis Nigræ; sed præcipue odiosus Populo, quia factus fuerat Socer Uguiccionis de Fagiola Domini Pisarum, potentissimi hostis Florentinorum. Quare concitato tumultu Populi, timentis animosam audaciam ejus, in furore fuit citatus, bannitus, & condemnatus in parva hora. Sub Vexillo Justitiæ, cum Potestate, Capitaneo, & aliis Magistratibus itum est ad eum, tamquam reum majestatis. Qui præsentiens impetum iratæ multitudinis, præmuniverat se cum suis in Burgo Sancti Petri. Et potenter restitit usque in Vesperam. Tamdem destitutus sperato auxilio Soceri, deseruit domos, quæ continuo sunt eversæ. Et fugiens solus, quum non posset flectere precibus vel promissis Milites Catalanos persequentes eum, timens fieri ludibrium hostium, quum esset podagricus, permisit sponte se cadere ab equo, vel casu cecidit, ut aliqui volunt. Et quum equus traheret eum, retento pede in stapeda, percussus est lethaliter in gutture ab uno milite. Quem moribundum quidam Monachi portaverunt ad Abbatiam Sancti Salvii, ubi sepultus est sine honore funeris.

*Ad Cant. XXVI. Vers. 25.*

*Sì mi parlava un d'essi* - - - -

quia fuerat vir affabilis in mundo. Iste quidem fuit Miles Bononiensis de clarissima familia principum, vocatus Guido Guinicellus. Guinicelli enim fuerunt unum membrum de principibus pulsis de Bononia seditione civili, quia Imperiales erant. Fuit ipse Guido vir prudens, eloquens, inveniens egregie pulcra dicta materna. Sicut autem erat ardentis ingenii & linguæ, ita ardentis luxuriæ, quales multi inveniuntur sæpe. O quot viri virtuosi cetera bona hac labe deformaverunt! Ideo bene fingit Poëta, quod ipse captus persuasione ejus, subito respondisset, si non intervenisset impedimentum.

*Ad Vers. 92.*

*Son Guido Guinicelli* - - - -

Nobilis genere, scientia, & eloquentia:

- - - - *e già mi purgo*,

in isto igne a rubigine nigra:

*Per ben dolermi, prima ch' a lo stremo.*

Quasi dicat, quia juste pœnitui ante mortem, ideo non sum relegatus in pede montis inter tardos.

*Ad Vers. 97.*

*Quand' io udì nomar se stesso il padre*

*Mio*; - - - - -

Guidonem, quem vocat patrem suum ratione ætatis, scientiæ, & virtutis:

- - - - *e de gli altri miei miglior*,

loquitur humiliter:

- - - - *che mai*

*Rime d'Amor' usar dolci e leggiadre.*

idest, Majores mei. Quasi dicat Poëta: non mirum si lætatus sum de salute Guidonis, qui fuit quasi quidam pater mei & aliorum Dicitorum meliorum me. Et sic multum honorat istum Guidonem heic, quum alibi supra dixerit,

xerit, quod expulit de nido utrumque Guidonem

*Ad Verf.* 115.

*O Frate, diffe quefti, ch' io ti fcerno*

Heic Poëta inducit dictum Guidonem laudatum ab eo, ad commendandum quemdam fpiritum modernum, quem præfert fibi & aliis in arte inveniendi. Ad cujus cognitionem volo, te fcire, quod ifte magnus inventor fuit quidam Provincialis tempore Raymundi Berengerii boni Comitis Provinciæ, nomine Arnaldus, & cognomine Daniel: vir quidem curialis, prudens & fagax. Qui invenit multa & pulcra dicta vulgaria. A quo Petrarcha fatebatur fponte fe accepiffe modum & ftilum Cantilenæ de quatuor Rhythmis, & non a Dante. Hic, dum fenuiffet in paupertate, fecit Cantilenam pulcherrimam, quam mifit per nuntium fuum ad Regem Franciæ, Angliæ, & ad alios Principes Occidentis, rogans, ut quemadmodum ipfe cum perfona juverat eos delectatione, ita ipfi cum fortuna fua juvarent eum utilitate. Quum autem nuntius poft hoc re portaffet multam pecuniam, dixit Arnaldus: *Nunc video, quod Deus non vult me derelinquere*. Et continuò fumto habitu Monaftico, pro biffimæ vitæ femper fuit. Ad literam ergo dicit Poëta: *diffe*, ille Guido; *quefti*, qui eft in focietate mea ob fimile vitium, *ch' io ti fcerno*, ideft, oftendo tibi

*Col dito* - - - - - -

*Fu miglior fabbro* - - - - - -

ideft, artifex & Magifter:

*Del parlar materno*.

Ideft, Vulgari. Et nota, quod quamvis Lingua Provincialis non fit pulcra, tamen eft difficilis; & fententiæ iftius bonæ erant, ita quod Dantes nunc poterat dicere de dictis Arnaldi illud, quod olim Vergilius fertur dixiffe de fcriptis Ennii, qui dixit: *Lego aurum in ftercore Ennii*. Et facit Auctor parenthefim.

- - - - (*& additò un fpirto innanzi*)

ideft, digito oftendit unum, qui præcedebat eum. Et confirmat Guido, quod dixit, dicens; ille Arnaldus

*Soverchiò tutti* - - - - - -

ideft, fuperavit & exceffit:

*Verfi d'Amor*, - - - - - -

nam Verfus Vulgares principaliter inventi funt propter materiam amoris:

- - - - *e Profe di Romanzi*, - - - -

ideft, Vulgarium; unde Gallici omnia Vulgaria appellant *Romantia*: quod eft adhuc fignum idiomatis Romani, quod imitari conati funt:

- - - - *e lafcia dir gli ftolti*;

Heic Guido Guinicellus volens oftendere, Arnaldum effe commendabiliorem ceteris, ex indignatione irridet opinionem ignorantium, præferentium quemdam alium Gallicum ipfi Arnaldo. Unde dicit: *e lafcia dir gli ftolti*, qui temere opinantur:

*Che quel di Lemosì credon, ch' avanzi*.

Ideft, quod quidam alius Inventor Lemovicenfis excedat Arnaldum in arte dicendi. Ifte novus Inventor vocatus eft Giraldus Brunellus, qui fuit de patria Lemovicenfi, de qua diebus noftris fuerunt plures Pontifices, Cardinales, & Prælati magni, Ecclefiam Chrifti nimis lubrice tractantes. Et bene eis, fi purgantur in ifto igne. Et oftendit, quid moverit vulgus ad talem opinionem: Et dicit, quod nulla ratio, fed folùm multorum affirmatio. Unde dicit: illi ftulti ignorantes

*A voce più ch' al ver drizzan li volti*;

ideft, oculos: quafi dicat: refpexerunt famæ magis quàm veritati. Ideo damnans tales, dicit:

*E così ferman fua opinione*,

& pertinaciter tenent & defendunt:

*Prima ch' arte o ragion per lor s'afcolti*.

Et heic nota bene veriffimam fententiam noftri Poëtæ, qui tam jufte mordet vulgus infanum. Nam in omni Profeffione videmus accidere, quod multi multa falfa & vana dicunt. Et interrogati a peritis, fi noverunt talem Artem, vel fi habent aliquam rationem, per quam tam certe affirment dictum fuum, nefciunt aliud refpondere, nifi: *Omnes fic dicunt*: Et fic judicium multitudinis imperitas faciunt fcutum fuum. Et exclufo uno Inventore Gallico, qui per famam, quæ fæpiffime eft res falfiffima, præferebatur Arnaldo, nunc excludit unum Italicum, qui diu habuit famam ex opinione vulgi. Et vult dicere in effectu, quod ficut opinio Provincialium fuit fallax in illo de Lemosì, ita opinio Tufcorum in Fratre Guittono, donec veritas per peritiores fuit demonftrata. Unde dicit:

*Così fer molti antichi di Guittone*:

Ifte vocatus fuit Frater Guittonus de Aretio. Bonas fententias adinvenit, fed debilem ftilum, ficut poteft intelligi ex Libro, quem fecit, ut vidi. Unde dicit:

*Di grido in grido pur lui dando 'l pregio*,

per multum tempus:

*Fin che l'ha vinto 'l ver con più perfone*.

Quia multi fapientes tamdem vicerunt errorem cum arte & ratione.

*Or fe tu hai sì ampio privilegio*,

Nunc Poëta oftendit fervitium, quod ultimo petivit Guido ab eo. Et breviter dicit, quod Guido jam erat contentus de fama, quam dederat fibi Poëta.

*Ad Verf.* 139.

*Ei cominciò liberamente a dire*:

fcilicet, ille Arnaldus, in fuo idiomate Provinciali:

*Tan m'abbelis* - - - - - -

ideft, tantum placet mihi

- - - - - - *votre cortois deman*;

ideft, veftra curialis petitio. Quafi dicat Latine: *Tanto m'abbellifce voftra cortefe dimanda*;

*Chi eu non puis, ne voil a vos cobrire*.

Ideft, quod non poffum nec volo vobis celare vel tegere me: Et ideo dico:

*Jeu fuis Arnault, che plor e vai cantan*,

ideft: ego fum Arnaldus, qui ploro, & vado cantando, ficut & alii, qui purgantur:

*Con sì toft vei la fpaffada folor*;

ideft: cogitando vado præteritam ftultitiam five folliam:

*E vei giaufen le ior che fper denan*,

ideft: video gaudens diem, quem fpero in antea; ficut fi jam effet coram me: Et facit petitionem, dicens:

*Ara vus preu pera chella valor*,

ideft: vos precor & adjuro per illum valorem, ideft virtutem:

*Che vous ghida al fom de la fcalina*,

ideft: qui valor vos ducit ad fummum fcalæ Purgatorii, in cujus fine fumus pofiti. Et cito pervenietis ad cœlum:

*Sovegna vous a temps de ma dolor*.

Ideft: veniat vobis in mentem, & recordamini mei fuo tempore, & doloris mei, rogando Deum pro me medicum, ficut petivit Guido ante me. Quafi dicat breviter: Dicatis etiam unum alium *Pater nofter* pro me, ut bre-

brevietur pœna iſtius ignis. Et concludit Poëta & finit Capitulum, dicens:

*Poi s'aſcoſe nel foco, che gli affina.*

Sicut aurum affinatur in fornace. Et videtur, quod Poëta noſter inſeruit heic iſta verba Provincialia ad decorem Latinitatis, & ut oſtenderet ſe de omnibus aliquid ſciviſſe.

*Ad Cant. XXVII. Verſ. 94.*

*Ne l'ora (credo) che de l'Oriente.*

Nunc Poëta deſcribit ſomnium, in quo fingit ſe vidiſſe mulierem pulcram & pudicam cantantem. Ad intelligentiam autem iſtius nobiliſſimæ fictionis, quæ communiter male exponitur, eſt ſciendum primo, quod Poëta deſcribit heic occulte præclariſſimam Comitiſſam Mathildam. Ideo pro exigentia rei aliqua compendioſe dicam, exordiens ab ipſius ortu. Fuit ergo quidam nobilis Princeps de partibus Tuſciæ in Comitatu Lucenſi ortus, ſtudens ſui nominis gloriam ampliare. Igitur Longobardorum fines ingreſſus, multas Civitates, Terras, & Caſtella potenter acquiſivit. Hujus filius Atho Caſtrum Canoſſæ inexpugnabile condidit in Comitatu Regino, ubi poſtea Mathildis ſæpe moram fecit, & multa ibi magnifice egit. Ex Athone natus eſt Thedaldus, virtutum paternarum imitator, cui Papa conceſſit Civitatem Ferrariæ. Ex Thedaldo autem natus eſt inclytus Bonifacius, cui pater reliquit theſaurum & dominium magnum. Hic Bonifacius claruit magnis virtutibus, vir ſtrenuus, ſapiens, in omnibus providus, & liberalis. Qui ex Beatrice uxore probiſſima genuit Mathildim. Et mortuus Anno Domini MLII. ſepultus eſt Mantuæ. Poſt quem conjux ejus egregia Comitiſſa Beatrix vixit annis XXV. & mortua jacet Piſis. Mathildis autem illuſtris Comitiſſa ſuccedens parentibus, omnium majorum claritatem ſuperans, in femineo ſexu virtutes & mores viriles gerens, facta eſt famoſiſſima multis in Regnis apud multos Principes, inter quos quidam illius nuptias petiverunt. Mathildis autem magnanima matrem Eccleſiam ſemper indefeſſe defendit contra Henricum IV. qui impie vexavit Papam, & ſchiſma peſſimum fecit, creato quodam Antipapa Giberto. Quod duravit XXIV. annis. Nec mors ſuperveniens potuit ipſum a perfidia revocare. Propter quod Mathildis magnis fluctibus agitata, animum ſemper tenuit inconcuſſum. Eo ſiquidem tempore Mantua nobilis & potens Civitas facta ſibi rebellis, ſe dedit Imperatori. Et diu in contumacia ſtetit. Ferraria etiam defecit, ſed cito rediit. Et poſt multa geſta victrix Comitiſſa, tamdem poſt XXIV. annos cuncta magnis viribus reduxit ad obedientiam ſuam. Licet autem Mathildis rebus bellicis magnifice intenderet, magis tamen obſequiis Religionis & Fidei piè vacabat, multa donans pauperibus. Monaſteria nobilia fecit, quæ magnis dotavit opibus. Refugium ſingulare Romanæ Eccleſiæ; unde & Normannos potenter expulit, qui in præjudicium ſanctiſſimæ Romanæ Eccleſiæ, Regnum Apuliæ invaſerant, & vaſtabant Campaniam. Fertur autem Comitiſſa hæc habuiſſe virum genere Germanum, quem a ſe ſequeſtravit, quia non poterat cognoſcere eam, ut dicetur Cant. VI. Paradiſi. Et nobili indignatione percuſſa, noluit de cetero ſubjici viro. Alii tamen ſcribunt, quod ex viro genuit filium: ſed propter dolores partus noluit poſtea viro admiſceri. Fuit iſta Comitiſſa potens in principatu. Habuit enim ſub ditione ſua Mantuam, Parmam, Regium, Mutinam, Ferrariam. Fuit etiam literata, & magnam Librorum habuit copiam. Fuit corpore decora, facie hilaris, pecuniâ liberalis. Linguam Italicam, Germanicam, & Gallicam bene novit. Tamdem Domino Deo omnipotenti Patri & Filio & Spiritui Sancto devote ſpiritum reddidit Anno gratiæ MCXV. Anno ætatis ſuæ LXIX. Imperante Henrico V. Sedente Paſchali Papa II. Et ſepulta eſt in nobili Monaſterio apud Padum, longe a Mantua X. milliariis, in ſepulcro grandi ex alabaſtro. Reliquit autem ſibi heredem Eccleſiam Romanam, quum amplum patrimonium poſſideret. His ſic breviter & ſuccincte collectis, nunc conſidera, Lector, ſi Poëta noſter elegantiſſime introduxit iſtam Mathildim, quæ ducit ipſum in Paradiſum deliciarum, & oſtendit Eccleſiam Dei militantem, in cujus ſervitium & honorem tam magnifice militavit in vita, & in morte Petrum Principem hujus Eccleſiæ fecit heredem.

*Ad Cant. XXVIII. Verſ. 34.*

*Co' piè riſtetti, e con gli occhi paſſai.*

Poëta noſter deſcribit mirabilem Dominam, quam reperit ibi cantantem, & flores colligentem. Et ad intelligendam plene iſtam nobilem partem, volo primo, te notare, quod Auctor nunc oſtendit ſe videre de facto illam Dominam, quam ſuperius finxerat ſe vidiſſe in ſomno in eodem habitu & actu. Hæc eſt ergo Comitiſſa Mathildis, quæ devota filia Petri, pro matre Eccleſia ſemper de hoſtibus triumphavit. Iſta ergo propter excellentiam ſuæ virtutis inducitur heic, ut doceat, & oſtendat, animas purgatas aſcenſuras ad Cœlum, oportere tranſire per Eccleſiam Dei militantem, mediante balneatione duarum aquarum, quæ heic inveniuntur. Sicut Cato ponitur in introitu Purgatorii ad præparandum animas ad aſcenſum montis per lotionem faciei.

*Ad Cant. XXX. Verſ. 34.*

*E lo ſpirito mio, che già cotanto &c.*

Nunc Poëta oſtendit, quomodo devenerit in cognitionem Beatricis. Sed ad pleniorem cognitionem eorum, quæ heic & in ſequenti Cantu dicuntur de iſta Beatrice, volo te ſcire, quod quum quidam Fulcus Portunarius, honorabilis Civis Florentiæ, de more faceret celebrari convivium Calendis Maji, convocatis vicinis cum dominabus eorum, Dantes tunc puerulus IX. annorum, ſequutus patrem ſuum Aldigherium, qui erat unus de numero convivarum, vidit a caſu inter alias puellas puellulam filiam præfati Fulci, cui nomen erat Beatrix, ætatis VIII. annorum, miræ pulcritudinis, ſed majoris honeſtatis. Quæ ſubito intravit cor ejus, ita quod poſtea numquam receſſit de corde ſuo, donec illa vixit, ſive ex conformitate complexionis, & morum, ſive ex ſingulari influentia cœli. Et cum ætate continuo multiplicatæ ſunt amoroſæ flammæ. Ex quo Dantes totus deditus illi, quocumque iret, pergebat, credens in oculis ejus videre ſummam felicitatem. Pro qua lacrymas, vigilias, & infinitas tulit pœnas. Tamen Amor talis ſemper fuit honeſtiſſimus, adeo ut numquam apparuerit ſignum libidinoſi actus in amante vel amata. Hoc autem fuit certiſſimum prognoſticum & augurium futuri amoris, quem habiturus erat ad magnam Beatricem ſacram, ad quam erat pronus a natura. Ex his potes videre, quod Poëta aliqua dicit Hiſto-

ſtorice, aliqua allegorice de Beatrice ſua

*Ad Verſ.* 128.

*Fu' io a lui men cara e men gradita.*

Et heic nota, quod ſicut ſcribit Boccacius in ſuo Libello de vita & moribus Dantis, Beatrix quaſi in fine XXIV. anni redivit ad gloriam prædeſtinatam meritis ſuis. Cujus morte Dantes fuit diu in planctu, lacrymis, & mœrore, adeo quod ſola morte videbatur poſſe juvari. Ex quo factus eſt macilentus, barbutus, & velut homo ſilveſtris. Tamdem exhortatione ſuorum duxit uxorem, & cœpit ſe dare publicis officiis & honoribus in ſua Republica, & quum poterat, interdum poëticis vacabat & eloquentiæ ad ſuperbam gloriam.

*Ad Cant. XXXI. Verſ.* 45.

*Udendo le Sirene, ſie più forte.*

Heic nota, quod Hieronymus hoc dicit, quia ad tempus admonitus pulcritudine ſecularium Scientiarum, faſtidiebat Sacram Scripturam, cujus ſermo videbatur ſibi incultus. Unde poſtea quum animum convertit ad divina, ſermo ejus factus eſt cibus Angelorum, ſicut patet in Epiſtolis & aliis Libris ſuis purpuratis, floribus Poëtarum, Rhetorum, & Oratorum. Unde Ruffinus objicit ſibi: *Iſte Doctor veſter, qui fatetur ſe abrenuntiaſſe Poëtis, neſcit dicere verbum, quin dicat: Vergilius meus, & Horatius noſter.* Licèt enim Poëtæ ſcripſerint multa vana & laſciva, ſicut de amore & ſimilibus, quia non ſolum homines fuerunt, ſed Pagani, ſicut dicit Petrarcha in quadam Epiſtola, quam ad me ſcribit: tamen Poëtria æque bene poteſt cadere in bonam mentem, quæ materiam deſcribat honeſtam, ſicut fecerunt Martianus Capella, Boëtius, Rhabanus, Juvencus, Sedulius, Arator, & alii multi.

*Ad Cant. XXXII. Verſ.* 148.

*Sicura, come rocca in alto monte,*

Nunc ultimo Poëta deſcribit noviſſimam perſequutionem Eccleſiæ, quam viderat tempore ſuo, quâ nulla videtur fuiſſe turpior, quamvis major, ſcilicet mortem Bonifacii. Et dicit: *Sicura, come rocca in alto monte*, propter culmen Sedis Apoſtolicæ. Et quia de rei veritate Bonifacius tunc reputabat ſe maxime ſecurum, quia erat in ſua patria Anagnia inter ſuos cùm D. ſatellitibus ad cuſtodiam ſui corporis. Et ſubdit:

*Vidi di coſta a lei dritto un gigante,*

ideſt, Regem Franciæ Philippum, qui fuit magnus corpore & Regno, unde dictus eſt Pulcher. Et fuit recte gigas, quia totus terrenus, & inſurgens contra Deum more gigantum: *di coſta*, prope illam meretricem: *dritto a lei*, ſcilicet, ex oppoſito:

*E come perchè non gli foſſe tolta,*

ne adhæreret alteri Regi vel Imperatori, ſed eſſet ſub cuſtodia ſua, ſicut fuerat diu. Unde dicit:

*E baciavanſi inſieme alcuna volta.*

Et hoc fuit vere de facto, quia ante diſſenſionem alter favebat alteri. Et aliquando Bonifacius faciebat gratias ipſi Philippo. Sed poſtea Philippus factus eſt ſibi hoſtis acerrimus. Unde ſubdit:

- - - - - - *quel feroce drudo*,

ideſt, crudelis procus:

*La flagellò* - - - - - -

quia verberavit pejus quàm ſoleat fieri de meretrice:

- - - - *dal capo inſin a le piante*,

ſicut eſt ſcriptum ſupra:

- - - - *perchè l'occhio cupido e vagante*

*A me rivolſe* - - - - - - - -

Quaſi dicat: quia Bonifacius noluit reſpicere ad gentem Italicam dimiſsâ Gallicâ, quia nolebat amplius pati ſervitutem Philippi.

*Poi di diſpetto* - - - - - -

Heic Poëta ſubadnectit aliud damnum, quod paulo poſt fecit ipſe Philippus, quia cum magna fraude tranſportavit Eccleſiam ultra montes in Galliam, ubi poſtea tranſivit de malo in pejus, ſicut plene ſcripſi Cant. XIX. Inferni. Dicit ergo:

*Poi di diſpetto pieno*, - - - - -

ille gigas timens, ne Eccleſia perveniret amplius ad manus alterius Bonifacii, qui faceret vindictam de eo:

- - - - - - - *e d'ira crudo*,

ideſt, crudelis irâ, quia volebat facere vindictam de Templariis.

*Ad Cant. XXXIII. Verſ.* 35.

- - - - - - *ma chi n'ha colpa, creda*,

*Che vendetta di Dio non teme ſuppe.*

Heic nota, quod iſta litera poteſt intelligi dupliciter, ſcilicet de Bonifacio ſecundum propriam expoſitionem, qui fraude adulteravit Eccleſiam. Et ſic Bonifacius bene luit pœnam dignam, quia rabidâ morte perdidit Papatum. Poteſt intelligi de Philippo Rege, ſcilicet ſecundùm expoſitionem, qui fecit Eccleſiam ſervam, pacificando turpiter cum Clemente. Et ſic Philippus etiam in brevi luit pœnam, ſicut Poëta ſcribit Paradiſi Cant. XIX. Nota etiam, quod in Florentia ſolebat eſſe quædam opinio prava firma, quod ſi quis poterat comedere offam ſuper corpus interfecti a ſe, numquam amplius fiebat vindicta de illo tali. Et hoc fecerunt multi famoſi Florentini, ſicut Dominus Curſius Donatus. Modò ad propoſitum dicit Beatrix, quod vindicta Dei non timet ſuppas: quaſi dicat, quod fraus vel malitia non valet contra Deum, qui eſt juſtus Judex & vindex injuriarum.

# INCIPIT COMMENTUM MAGISTRI BENEVENUTI DE IMOLA SUPER LIBRUM POËTÆ DANTIS ALDIGHERII, QUI DICITUR PARADISUS.

*Ad Cant. III. Paradisi, ad Vers.* 34.
*Et io a l'ombra, che parea più vaga.*

Dantes in speciali agit & tractat de una illarum animarum famosa tempore suo. Ad cujus cognitionem oportet præscire, quod ista est Picarda pulcherrima pudicissima, de qua facta est expressa prædictio Cant. XXIV. Purgatorii. Quæ sponte & ex certa scientia devoverat suam Christo virginitatem, quum jam esset adulta, in Monasterio Sanctæ Claræ de Florentia. Sed frater ejus Dominus Cursius de Donatis, Miles famosissimus, cum suis ipsam violenter traxit de loco, quum despondisset eam viro seculari, scilicet cuidam Roselino de nobilibus de la Rosa. Picarda perseverans in suo sancto proposito, devotissime supplicavit Deo, ut incurreret mortem vel infirmitatem, per quam posset servare inviolatam suam virginitatem. Et continuo gravis morbus invasit carnem ejus. Quo illa moriens transivit ad meliorem sponsum. Et recte ista juvencula Tusca fecit, sicut olim adolescens Tuscus nomine Spurinna, qui quum ob elegantiam suæ formæ multis viris suspectus redderetur, suam formosam faciem unguibus excoriavit & deformavit.

*Ad Vers.* 97.
*Perfetta vita & alto merto inciela.*

Ad claram literæ intelligentiam est præsciendum, quod Beata Clara nomine & re, quia magnis virtutibus claruit, fuit conterranea & temporanea Beati Francisci, ejus dilecta & devota. Quæ in omnibus illius vestigia voluit imitari in paupertate, humilitate, caritate, sobrietate, puritate, & simplicitate. Hæc namque sanctissima & clarissima Virgo, hereditate venditâ, de pretio nihil reservans, totum pauperibus erogavit. Et amorem cum paupertate ita contraxit, ut nihil præter Deum habere vellet, & nihil nisi necessarium vestimentum & victum permitteret a Sororibus recipi. Et quum Gregorius IX. vellet ipsam absolvere a voto tam arctæ paupertatis, respondit alto animo Virgo præclara, se velle absolvi a peccatis, non a consiliis Jesu Christi. Tegebat igitur tenerrimum corpusculum simplâ tuniculâ & vili palliolo. In nuda humo sæpe super sarmenta jacebat, & nodosum cilicium ex pilis Camelorum portabat. Et si aliquando mollius usa est, sacco palearum. Quum autem furor Friderici II. qui tunc vexabat Romanam Ecclesiam, induxisset Saracenos de Nuceria usque Assisium, hæc præclara Virgo, invocatâ Reginâ Virginum, Monasterium suum a barbarorum sævitia liberavit, & Civitatem ab obsidione. Quadraginta duobus annis hæc Virgo currens in stadio, tamdem bravium Beatitudinis est adepta. Cui redeunti ad patriam, Regina Angelorum magnâ turbâ Virginum comitata occurrit, & suo suscepit in gremio. Quam Alexander IV. Papa propter virtutum merita, & miraculorum magna prodigia, Sanctorum catalogo libens adscripsit: Nunc ad literam dicit Poëta: illa Picarda *mi disse: Perfetta vita &c.*

*Ad Vers.* 109.
*E questo altro splendor, che ti si mostra*

Nunc Picarda describit aliam animam, quæ fuit in simili sorte secum, licèt non habuerit eumdem exitum. Et ut litera sequens sit clarior, oportet scire, quod hæc magna Constantia fuit filia Guillielmi quondam optimi Regis Siciliæ. In cujus ortu quidam Joachim Calaber spiritu prophetico dotatus, prædixit Guillielmo, filiam natam, Siciliæ & Italiæ desolationem futuram. Rex vaticinio stupefactus & territus, quia ab experto credebat viro maximæ & amplissimæ auctoritatis, post longam meditationem, volens, si posset, avertere fatum Regno, dedicavit ipsam Deo in claustro, ut sic omnis spes viri vel filii tolleretur. Quæ quum jamdiu sancte vixisset in otio, mortuo sanctissimo patre, & fratre ejus, non exstante herede legitimo, Tancredus Regulus de stirpe transversali suscepit Regni gubernaculum, & post eum Guillielmus juvenis filius ejus. Ex quo factum est, ut nobile Regnum variis furiis, ut olim, vexaretur, bellis, & seditionibus intestinis. Quapropter decretum est pro remedio, ut Constantia traderetur alicui magno Principi, cujus potentiâ & operâ succurreretur Regno. Tamdem cum magno labore & dolo vix obtentum est, ut Constantia a Religionis proposito moveretur. Et consentiente Summo Pontifice nupsit Henrico Imperatori, filio Friderici I. Et deposito virginitatis pudore, quam perpetuam Deo voverat in vita, concepit ex viro cum admiratione omnium, quum jam esset vetula quinquaginta quinque annorum. Quum autem hoc factum non crederetur a multis, ad tollendam suspicionem, edicto Principis factum est, appropinquante tempore partus, ut nobiles Matronæ ex tota Italia vocarentur. Quibus præsentibus sub tentorio apud Panormum, peperit terribile monstrum, scilicet Fridericum II. hostem implacabilem Ecclesiæ. Unde Fridericus, quando volebat facere solemne sacramen[illegible] habebat de mo-

re dicere : *Per illud miraculum , quo mater mea genuit me , ego sic faciam* . Nunc ad literam dicit Picarda sic :

*E questo altro splendor - - - - -*

bene dicit , quia Constantia ex alto rerum culmine effulsit in nostro orbe occidentali, filia Regis magni , uxor majoris Imperatoris . Et si fuit gloriosa in terris , virtute & potentiâ magnâ , quanto magis in cœlo ?

*Ad Cant. VI. Paradisi , Vers. 97.*

*Omai puoi giudicar di quei cotali ,*

Heic Justinianus præmissâ longâ digressione revertitur ad principale propositum . Et arguit Italicos , qui injuste agunt contra justum Signum , alii amore , alii odio seducti . Dicit ergo : *Omai puoi giudicar* , ex rationibus factis : *di quei cotali* , scilicet , Guelphis & Gibellinis :

*Ch' i' accusai di sopra , - - - -*

in principio digressionis :

*- - - - e di lor falli ,*

Verè falluntur fatui, quia de centum Militibus non invenitur unus , qui sciat , quando vel quomodo inventæ sunt istæ partialitates , vel quid sibi velint ista nomina , propter quæ faciunt tanta mala . Ideo bene dicit :

*Che son cagion di tutti i vostri mali .*

O quot Civitates eversæ ! Quot millia hominum cæsa propter inane nomen! Sed Deo gratias , qui justissime extendit manum suam super Italiam , ita quod jam oblivisćimur ista nomina. Et manifestat errorem utriusque partis , dicens :

*L' uno al publico segno i Gigli gialli*

*Oppone - - - - -*

ideſt , Guelphus insignia Regis Franciæ & Caroli Veteris , quæ sunt Lilia citrina , cum rastello desuper : *al publico segno* , scilicet, Aquilæ , quæ est signum commune justum .

*- - - - e l'altro - - - -*

scilicet , Gibellinus :

*- - - - appropria quello a parte ;*

& sic injuste facit ipsum de publico privatum. Unde dicit :

*Si ch' è forte a veder chi più si falli :*

Quasi dicat : difficile est scire , quis injustius induit arma , quia neuter , immo uterque pariter insanit . Et subdit justam increpationem contra utramque partem . Et primo contra Gibellinos dicens :

*Faccian li Ghibellin , faccian lor' arte*

scilicet , artes belli vel pacis :

*Sotto altro segno ; - - - -*

& ecce causam :

*- - - - - che mal segue quello*

scilicet , signum :

*sempre chi la giustizia e lui diparte .*

Quasi dicat : male sequitur Aquilam , qui partizat . Et ita econtra :

*E non l'abbatta esto Carlo novello*

scilicet , Carolus Vetus , quem appellat Novellum , quia primus venit in Italiam , & acquisivit Regnum Siciliæ . Qui multum persequutus est Gibellinos , & reduxit Guelphos in Florentiam . Et similiter Carolus Claudus filius , & Rex Robertus nepos , multum faverunt Guelphis . Ideo dicit :

*Co' Guelfi suoi : ma tema degli artigli*

ipsius Aquilæ fortis :

*Ch' a più alto leon trasser lo vello.*

ideſt lanam , sive pilum . Quasi dicat : denudavit & privavit majores Reges , sicut Jugurtham &c.

*Ad Vers. 127.*

*E dentro a la presente margarita ,*

Nunc Justinianus manifestat aliam animam modernam de sphæra Mercurii , quæ fuit mirabiliter activa in vita mundana . Ad declarationem autem istius Historiæ , quæ multis est occulta & incognita , est præsciendum , quod Raymundus Beringerius , nobilis Comes Provinciæ Narbonensis fuit vir humanus, affabilis. Rhythmorum vulgarium facile repertor ; sed nimis liberalis , magnifice omnibus Nobilibus dexteram suæ largitatis extendens , ideoque semper erat debitor multum . Accidit autem, quod quidam peregrinus , veniens ab extremo Occidentis , visitatâ Beati Jacobi Compostellani Ecclesiâ , pervenit Tholosam , ubi quia vir spectabilis & honorabilis videbatur , invitatus ad Curiam , habito sermone cum Comite, persuasit prudenter , quod in brevi ipsum liberaret ab usuris Caorsinorum. Commissâ ergo sibi amplissimâ potestate ordinandi & dispensandi omnia , industriâ & sagacitate sua solvit debita magna , & multiplicavit reditus . Et interrogatus sæpe de nomine suo & sorte , vocabat se Romæum , ideſt Romipetam & peregrinum . Hic itaque peregrinus omnia laudabiliter administrans , quum Raymundus haberet quatuor filias sine mascula prole , primam alte maritavit Ludovico Regi Franciæ optimo, qui postea canonizatus est, facto bis passagio . Secundam tradidit Eduardo Regi Angliæ probissimo . Tertiam tradidit Ricardo fratri Regis Angliæ , qui postea fuit Rex Romanorum . Quartam verò minorem copulavit Carolo Duci Andegaviæ , fratri præfati Ludovici , qui postea fuit Rex Siciliæ , de quo paulo supra dictum est , asserens ipsum futurum potentissimum Regem . Sed virtus & felicitas fecit sibi aulicos omnes infestos , stimulante invidiâ, publicâ peste Curiarum . Dicebant enim Comiti, quod hic alienigena ignotus superditatus bonis Comitis erat honoratior eo : quod cedebat ad pudorem & ignominiam ejus , qui videbatur nescire gubernare Regnum & Curiam per se & suos . Raymundus simplex , & nimium credulus petivit ab isto rationem villicationis suæ. Cui Romæus : *Veni ad Curiam tuam pauper ; & pauper inde recedo* . Et continuo acceptâ mululâ & veste suâ peregrinâ , quam ab initio reservaverat , recessit . Comes pudore & dolore confusus , volebat illum retinere , at ille noluit . Sed cito ipse luit pœnam suæ ingratitudinis . Quia Rex Franciæ eripuit sibi in vita magnam partem Regni sui . Post mortem verò ipse Rex successit pro uxore sua in parte Provinciæ , quæ est ultra Rhodanum . Carolus verò pro sua habuit Provinciam citra Rhodanum , quam sui descendentes tenuerunt usque in præsens . Nunc ad literam . Dicit Justinianus Danti :

*Luce la luce di Romeo , - - - -*

ideſt , anima præclara splendet :

*- - - dentro a la presente margarita ,*

ideſt , intra Stellam Mercurii parvam & pretiosam .

*- - - - - di cui*

*Fu l'opra grande e bella - - - -*

Et vere magnificum & pulcrum fuit facere quatuor filias unius Comitis Reginas .

*- - - - mal gradita*

ab ingrato Domino. Et subdit meritò, quo ad culpam , citò sequuta est pœna digna , dicens:

*Ma i Provenzali , - - - -*

scilicet , Aulici Comitis :

*- - - che*

- - - - *che fer contra lui*
scilicet, Romæum ex invidia:
*Non hanno riso*, - - - -
immo amare fleverunt, & sæpe suspiraverunt Romæum. Nam Officiales Regis Franciæ & Caroli non fuerunt postea ita benigni & gratiosi erga eos, sicut fuerat Raymundus Comes, & Romæus Vicecomes. Ideo superbia Francorum manifesta bene purgavit invidiam occultam eorum. Ideo dicit:
- - - - - *e però mal cammina*
quia ad finem improbum venit:
*Qual si fa danno* - - - - -
idest, quicumque procurat sibi ipsi nocumentum:
- - - - - *del ben fare altrui*.
Sicut isti fecerunt ex bona operatione Romæi. Sed damnum, quod quis suâ culpâ sentit, sibi, & non alii debet imputare.
*Quattro figlie ebbe* - - - - -
Heic manifestat Justinianus singulare beneficium Romæi, ut Auctor faciat perpetuam memoriam de eo, sicut facit de aliis rebus memorabilibus; dicens:
*Ramondo Berlingieri* - - - -
indignus tantâ excellentiâ honoris,
*Quattro figlie ebbe, e ciascuna Reina*,
sicut patet ex dictis. Et dicit:
, - - - *e ciò li fece*
*Romeo*, - - - - -
virtute Romanus, licèt genere Germanus, ut aliqui scribunt:
- - - - *persona umile e peregrina*.
Idest, ignobilis & ignota virtute sua; quod non fecisset Raymundus simplicitate sua, nec Aulici malignitate sua. Et subdit simplicitatem Comitis, & malignitatem suorum Aulicorum, dicens:
*E poi* - - - -
scilicet, post tam grande beneficium receptum:
- - - - *il mosser le parole biece*
idest, vanæ persuasiones æmulorum accusatorum:
*A dimandar ragione* - - - -
scilicet, administrationis:
- - - - *a questo giusto*
scilicet, Romæo.
*Che gli assegnò sette e cinque per diece*.
Quasi dicat: reddidit sibi optimam rationem, scilicet evidentissimam utilitatem, idest meliorationem sui status, & exaltationem honoris; ita quod bene reddidit duodecim pro decem. Et in fine Justinianus tangit recessum Romæi, dicens in commendationem ejus: Et ille Romæus
*Indi partissi* - - - -
scilicet, a Comite, hoc facto:
- - - - *povero e vetusto*:
idest, senex & pauper; quia nihil acquisiverat ex laboribus tantis, nisi invidiam & gloriam; sicut bene dixit Scipio Africanus in simili casu, quum peteretur ab eo ratio expensarum. Unde dicit:
*E se 'l mondo sapesse 'l cor, ch' egli ebbe*,
idest, quam constans & patiens fuerit in tanta indignitate fortunæ:
*Mendicando sua vita a frusto a frusto*
idest, ducendo suam vitam per mendicata suffragia pauperculè nunc cum isto, nunc cum illo, ne diu serviret alteri Domino ingrato:
*Assai lo loda, e più lo loderebbe*.
Idest, multi laudant eum a virtutibus manifestis; *e più*, si scirent, quæ ignorant de eo. Et sic nota, quod nihil scitum fuit de Romæo, & ejus vita, vel fine post recessum ejus. Sed a multis creditus est vir sanctissimus, qui sine dubio erat sapientissimus & virtuosissimus. Tamen videtur, quod Auctor bene noverat residuum vitæ istius hominis, sed reliquit nobis investigandum.

*Ad Cant. VIII. Vers. 31.*

*Indi si fece l'un più presso a noi*
Dantes in singulari introducit unum spiritum illustrem modernum de Sphæra Veneris: Et ad cognitionem istius & suorum, debes scire, quod Carolus II. filius I. vir pulcherrimus corpore, & luxuriosus valde, vivente patre, & post mortem patris, habuit multos filios ex Maria filia Stephani Regis Hungariæ. Quorum primus fuit Carolus Martellus, qui præmortuus est patri. Secundus fuit Ludovicus, vir simplex, inutilis mundo, ideo factus est Frater Minor. Tertius Robertus, qui fuit Rex post patrem; & alios plures. Carolus primogenitus cognomento Martellus, juvenis magnæ indolis fuit, verè filius Veneris, quia amorosus, gratiosus, vagus, habens in se quinque invitantia hominem ad amorem, scilicet Sanitatem, Pulcritudinem, Opulentiam, Otium, & Juventutem. Cum isto Dantes habuit certam familiaritatem, quum venisset semel Florentiæ cum CC. juvenibus Militibus accinctis in pari habitu vestium, & equis magnifice ornatis, more Neapolitano. Quem mirabantur illæ Sirenes. Et cum plausu receptus est a Florentinis. Venerat enim obviam patri, qui redibat de Gallia, facta pace cum Domino Jacobo Rege Aragonum, apud quem habebat tres filios obsides, scilicet Robertum, Raymundum, & Johannem. Quo tempore Dantes florebat in patria, juvenis XXV. annorum. Qui tunc ardens amore, vacans sonis & cantibus, uncis amoris, promeruit gratiam istius juvenis Caroli. Sed Carolus iste uno & eodem Anno reddidit animam Deo, cum Clementia uxore sua.

*Ad Vers. 58.*

*Quella sinistra riva* - - - -
Nunc Carolus, postquam descripsit se a virtute animi, describit se ab amplitudine magnæ potestatis, quam exspectabat in mundo, si non fuisset morte præventus. Et primo describit Provinciam, quæ spectabat ad eum, quia primò fuerat Avi sui Caroli I. ex hereditate Raymundi Beringerii, ut patuit supra Cant. VI. in fine. Dicit ergo:
*Quella sinistra riva* - - - -
idest, Provincia citra Rhodanum:
- - - - - *che si lava*
*Di Rodano*, - - - -
fluvio rapacissimo:
- - - - - *poi ch' è misto con Sorga*,
idest, postquam Sorgia fluvius purissimus admiscetur ipsi Rhodano apud Avenionem, cujus fons est notissimus diebus nostris potissime, quia novissimus Poëta Petrarcha ibi diu suum studium fecit, & magnam partem Librorum suorum; de qua ipse dicit: *Sorgia Rex fontium &c.*
*Per suo Signor' a tempo m'aspettava*:
si supervixissem patri meo:
*E quel* - - - - -
Heic Carolus describit secundum Regnum proprium patris, quod exspectabat habere. Et ad intelligendam istam materiam, oportet prius scire, quod Italia, Regina Regnorum, est lunga & stricta in modum navis. Et est tota

tota Insula, præterquam ex una parte. Nam a Meridie per longum habet mare Tyrrhenum, a Septemtrione mare Adriaticum, ab Oriente Pharum Messanense, ab Occidente autem clauditur altis montibus, qui dividunt eam a Gallia & Germania. Et ut cito dicam, est similis tibiæ hominis cum tota coxa & pede. Nam coxa grossa est Lombardia, magna & potens Provincia; deinde Tuscia, unde Roma est in genu istius Italiæ. Et ita paulatim extenditur & extenuatur. Modò ad propositum. Regnum Caroli continet quasi medietatem Italiæ versùs Orientem, habens in se Campaniam, ubi est Neapolis, sedes Regni, Apuliam, Samnium, Calabriam, & multas alias Provincias. Quam nunc describit a quibusdam Terris & fluminibus confinalibus. Et continetur istud Regnum sub titulo Siciliæ. Nunc ad literam. Dicit Carolus:

*E quel Corno d'Ausonia*, - - - -

ideft, illa pars Italiæ. Ausonia enim fuit olim pars Latii, ubi fuit Roma, & tot Populi Latini vicini, sicut patet per Livium & per Plinium. Sed Ausonia ponitur pro Italia, sicut & Latium sæpe apud Poëtas.

- - - - *che s'imborga*

ideft, habitatur:

*Di Bari*, - - - -

quæ est Civitas super mari Adriatico, nota titulo Nicolai:

- - - - *di Gaeta*, - - - -

quæ est Civitas super mari Tusco, denominata a nutrice Æneæ;

- - - - *e di Crotona*,

quæ est Civitas in extremo Italiæ, quasi in puncta cornu:

*Là dove* - - - - -

ideft, in qua parte Italiæ:

- - - - *Tronto* - - - -

qui est fluvius satis famosus apud Esculum Civitatem inter Apuliam & Marchiam:

- - - - *e Verde* - - - - -

alius fluvius, in quem dejecta sunt ossa Manfredi:

- - - - *in mare sgorga*.

ideft, labitur in Mare Tuscum:

*Fulgeami già* - - - -

Heic Carolus describit tertium Regnum, a quo denominatus est Rex in vita, & pervenit ad manus heredis sui. Ad quod est sciendum, quod Carolus Martellus coronatus est Rex Hungariæ, vivente patre, per unum Cardinalem Legatum, mortuo Stephano Rege Hungariæ, sine herede; & Carolus Ubertus filius ejus obtinuit Regnum. Et ita debebat succedere in Regno Apuliæ, si Robertus non exclusisset eum; ideo numquam fuit contentus. Hic Ubertus pater fuit istius Ludovici potentissimi Regis Hungariæ, qui diebus nostris tenuit multa Regna. Martellus autem describit Regnum Hungariæ solùm ab uno flumine. Nec mirum, quia nullus fluvius est maior in toto Orbe Occidentali, nullus habet longiorem cursum, nullus transit per tot nationes diversas, qui oritur in Alpibus Germaniæ, & labitur per Austriam in Alemannia, deinde per Hungariam, Mœsiam, & innumerabiles gentes infidelium. Recipit in se sexaginta flumina magna, & per sex vel septem ostia intrat in Pontum, ideft in Mare majus. Quorum quatuor dicuntur navigabilia, reliqua non. Dicit ergo in litera:

*Fulgeami già in fronte la Corona*

licèt quidam Andreasius de stirpe Hungariæ occupaverit Regnum:

*Di quelli Terra*, - - - -

scilicet, Hungariæ:

- - - - *che 'l Danubio riga*;

qui alio nomine dicitur Hister. *Riga*, ideft, balneat:

*Poi che le ripe Tedesche abbandona*.

ideft, Alemanniæ superioris:

*E la bella Trinacria*,

Heic Martellus describit quartum Regnum, quod sibi de jure debebatur & heredibus suis, nisi ereptum fuisset de facto Carolo I. Avo suo. Et describit artificiose Insulam Siciliæ a mirabili antiquo monte, & admirabili rebellione nova. Ad primum ergo est sciendum, quod Aethna mons in medio Siciliæ est celeberrimus famâ in toto orbe. Qui olim semper ardens de alto cacumine suo emittebat globos igneos nunc plus nunc minus &c.

*Attesi avrebbe i suoi Regi ancora*
*Nati per me di Carlo*, - - - - -

Quia Carolus I. fuit Avus meus, & Carolus II. pater meus:

- - - - *e di Ridolfo*

Imperatore, patre Clementiæ uxoris meæ. Et nota, quod Carolus I. adhuc sperabat alia duo Regna, scilicet Constantinopolitanum, & cum illo Hierosolymitanum, de quo erat jam titulatus, nisi fuisset mala dominatio, ut statim sequitur:

*Se mala signoria* - - - - -

Heic Martellus quasi incidenter tangit mirabilem Siciliæ rebellionem, tam memoriâ quàm admiratione dignam; quæ breviter subtangenda est tum ad posterorum exemplum, tum ad commendationem unius viri magnanimi. Johannes ergo de Procida, quæ est parva Insula in mari Neapolitano, olim Notarius Manfredi, vir sagacissimus hominum, tactus atroci injuria vesanæ libidinis Francorum in uxore sua, rem prudenter dissimulavit, simulatâ aliquandiu prius publice dementiâ; & servata occasione temporis cum quibusdam Proceribus Siciliæ habuit clandestina colloquia. Et sicut erat vir prudens, & potens in opere & sermone, totus Mercurii filius, multorum animos ad sui propositum inclinavit. Et volens incipere a capite, primo accessit ad Nicolaum Papam III. de Ursinis, quem sentiebat habere animum infestum contra Carolum; & ipsum pronum in suam feliciter traxit sententiam, magnâ potentiâ linguæ, sed majore pecuniæ. Et continuo lætus & impiger, reversus in Siciliam consocios confirmavit, & animosiores reddidit, recipiens a singulis instrumenta cum anulis. Reversus ad Papam, dixit, quod tria erant necessaria ad tam ardui operis complementum, scilicet consensus ejus in scriptis, pecunia, & gens militaris. Et quum auxilia excogitata indicasset, obtentis literis a Papa, transvolavit ad Petrum Regem Aragonum, quondam Manfredi generum, avidum ultionis, virtute animi, & viribus corporis, nulli suo tempore secundum. Cui omnia exposuit pertractata. Et promissâ pecuniâ pro negotio adimplendo, cum literis Regis continuatis Dietis jam plenus spe Johannes magnanimus properavit ad Imperatorem Constantinopolitanum, cujus res agebatur. Quia Carolus jam magnâ classe, & numeroso exercitu Imperium ejus parabat invadere, & sperabat auferre. Ideo Johannes de habenda pecunia factus securus, ad Regem Aragonum est reversus, & cum illo composuit, ne Carolus aliquid suspicaretur, ut se in Africam contra Carthaginem cum exercitu velle

velle ire fingeret; & sic auxiliares mercenarios & subditos milites procuraret. Papa omnium conscius parabat illi favorem sub ficto colore Fidei Christianæ. Rege tamdem versùs Africam transeunte, Johannes rediens in Siciliam, effecit, quod res tanto labore & sudore concepta produceretur in lucem & partum. Unde Siculi, præordinata die & hora, omnes Gallicos indifferenter trucidaverunt sine misericordia; immo furore inhumano in nondum natos crudeliter sævientes scissis prægnantibus, fœtus ad saxa alliserunt, ne odiosa eis soboles superesset in Regno. Et ecce Petrus ex pelago Africæ cum omnibus copiis Panormum applicuit. Sic igitur Johannes mira arte & non credita eripuit Siciliam Carolo, Anno sextodecimo, postquam tenuerat illam nobilem Insulam. Pro qua habenda olim tot & tanta prœlia gesta sunt inter Romam & Africam. Nunc est descendendum ad literam. Dicit Carolus: nobilis Insula Siciliæ pervenisset ad descendentes meos, *se mala Signoria* Francorum cum superbia, luxuria, & avaritia importabili:

*- - - - - che sempre accora*

idest, necat, vel accendit ad iram:

*Li Popoli sugetti, non avesse*
*Mosso Palermo, - - - -*

nam apud Panormum incepit tumultus:

*- - - - - a gridar: mora mora.*

Nec umquam Carolus postea, vel sui descendentes potuerunt recuperare Siciliam; immo ipse Carolus citò ex dolore mortuus est, relicto filio capto, & Regno Apuliæ in magna confusione: Et heic Carolus persuadet fratri suo, ut exemplo Avi sui territus, caveat ne accidat sibi simile in Regno suo, quia habebat Officiales avaros in terris suis, qui acquirebant sibi pecuniam, & Regi infamiam. Dicit ergo:

*E se mio frate - - - - - -*

scilicet, Robertus:

*- - - - - - questo antivedesse;*

ac si dicat: si ex hoc malo præterito prævideret vel præconsideraret suum, jam provideret sibi. Unde dicit:

*L'avara povertà di Catalogna*
*Già fuggiria, - - - - - -*

Hoc dicit, quia Rex Robertus, quando stetit in Aragonia, cujus pars maritima vocatur Catalonia, obses pro patre suo, acquisivit amicitias & familiaritates multorum, quos postea in Italia promovebat ad officia. Qui voluerunt bene accumulare. Ad quod duo impellebant eos, scilicet paupertas, quæ suadet homini furtum & rapinam; & avaritia, quæ reddit hominem ingeniosum ad omnia illicita lucra. Unde bene Africanus Minor consultus in Senatu, uter duorum deberet mitti ad regendam provinciam, respondit; *neuter, quia alter nihil habet, alteri nihil sufficit*. Et verè Catalani reputantur homines cordati & sagaces inter Hispanos. Et dicit:

*- - - - - - perchè non gli offendesse:*

sicut superba luxuria Francorum offendit animum suum: Et subdit periculum imminens, quum dicit:

*Che veramente provveder bisogna*
*Per lui o per altrui - - - - - -*

scilicet, per Regem, aut habentem potestatem ab eo.

*La sua natura - - - - - -*

Heic ultimo Carolus concludit, quod Rex avarus nollet habere Officiales avaros, dicens:

*La sua natura, che di larga parca*
*Discese, - - - - - - - -*

idest, avara ex patre liberali:

*- - - - avria mestier di tal milizia,*

idest, Curialibus, & Officialibus:

*Che non curasse di metter' in arca.*

Idest, reponere pecuniam. Et heic nota, Lector, quod non solùm judicatura vulgi, sed etiam sententiæ Sapientum multum discordant in facto Roberti famosi Regis. Unde duo Poëtæ Florentini sunt sibi contrarii in scribendo. Nam judicio meo Petrarcha nimis commendat eum semper & ubique, dando sibi omnes artes, & omnes virtutes, quia fuit multum honoratus ab eo, & promotus ad lauream, quam recepit in Capitolio Romæ. Dantes verò nimis culpat eum ab avaritia, quam ipse habuit nimis odio. Et verè istud vitium posuit non parvam maculam in gloriam tanti Regis. Unde possem narrare aliqua digna censoriâ notâ, quæ ex cupiditate fecit. Ideo bene Cancellarius suus, quum Robertus diceret: *Spiritus, ubi vult, spirat; jocose dixit: & Robertus, ubi vult, pilat.*

### Ad Cant. IX. Vers. 13.

*Et ecco un' altro di quelli splendori.*

Heic Auctor introducit mulierem modernam filiam Veneris. Ad cujus cognitionem est breviter sciendum, quod ista fuit Cunitia soror olim Eccelini de Romano Tyranni crudelissimi, recte filia Veneris, quia semper amorosa & vaga. De qua dictum est Cant. VI. Purgatorii, qualiter habebat rem cum Sordello Mantuano; & simul erat pia, benigna, misericors, compatiens miseris, quos frater crudeliter affligebat. Meritò ergo Poëta fingit se reperire istam in sphæra Veneris. Nam si Gentiles Cyprii deificaverunt suam Venerem, & Romani suam Floram formosissimam & ditissimam meretricem, quanto dignius & honestius Poëta Christianus potuit salvare Cunitiam? Dicit ergo ostendens affectionem suam erga se: *Et ecco un' altro &c.*

### Ad Vers. 25.

*In quella parte della terra prava.*

Nunc iste spiritus describit primo locum suæ originis, & unius sui fratris famosi. Ad declarationem literæ præmittendum est, quod Eccelinus de Romano prænominatus, mortuo Friderico II. cui fuerat confœderatus, cœpit exercere omnem sævitiam in tota Marchia Tarvisana. Qui primò favore Monticulorum habuit dominium in Verona; deinde habuit Paduam, Vicentiam, Tarvisium, Feltrum, Tridentum, & ultimo Brixiam. Quum autem Eccelinus medietatis pæne totius Lombardiæ Dominus esset in obsidione Mantuæ cum forti exercitu, auditâ dimissione Paduæ captæ per Legatum Ecclesiæ, in rabie furoris Veronam reversus, omnes Paduanos captos, quos secum habebat, numero duodecim millia, ferro & igne & fame consumsit. Et si quis inveniebatur fugiens, pedibus & manibus truncabatur. Eccelinus iste consanguineis & amicis non pepercit. Tamdem Azzo III. Marchio Estensis, Mantuani, & Cremonenses conjuraverunt contra eum. Eccelinus autem sperans obtinere Mediolanum a quibusdam Magnatibus, transivit Abduam. Sed detecta proditione rediens, invenit flumen occupatum ab hostibus, & timens multitudinem Mediolanensium a tergo cum Martino de la Turre, per medium vadum quærens evasionem, sagittâ vul-

vulneratus est in pede. Et quia senex erat, & interclusus ab hostibus, quum pervenisset ad alteram ripam, debellatus est & captus a Marchione Estensi & aliis; & ductus Soncinum, nolens recipere curationem, infeliciter mortuus est, quum esset annorum quasi LXX. & sine prole. Regnavit Veronæ annis XXXIV. excluso Comite Sancti Bonifacii. Albericus frater ejus, licèt potentiâ impar, attamen nequitiâ par, audita morte fratris ejus, fugit de Tarvisio, ubi erat crudelis Tyrannus, ad arcem Sancti Zenonis. Ubi clausus viribus Venetorum, proditione suorum traditus est adversariis. Cujus lubricum corpus traditum est igni, filiis & uxore prius laceratis, & inhumaniter trucidatis ante oculos patris. Et sic infra annum Domus nobilissima & potentissima de Romano omnino defecit, quæ magna in Avo, major in Patre, in his duobus fratribus maxima fuit. Nunc ad literam. Dicit Cunitia ipsa soror istius Eccelini:

*Si leva un Colle* - - - - - -

idest, parvus mons, in quo est Castellum nomine Romanum, *in quella parte*, scilicet, in Marchia Tarvisana, *della Terra prava Italica*, quæ est tantum depravata hodie. Ideo meretur talem disciplinam. Et describit Marchiam ipsam a suis confinibus, dicens:

- - - - *che siede* - - - -

idest, situata est:

- - - - - - *intra Rialto*,

Canale magnum est aquæ marinæ, quod dividit Civitatem Venetiarum. Ad quod est notandum, quod imperante Justiniano, Totila Rex Gothorum invasit Italiam, & cepit Romam. Quo tempore multi de provincia Venetia fugientes furorem & crudelitatem Gothorum, cum rebus suis, quas secum trahere potuerunt, fugerunt in Paludes Maris Adriaci, & juxta Rivum altum condiderunt Civitatem, quam Venetias vocaverunt. Quia de diversis partibus Venetiæ convenerant ibi. Et in illo loco tuto cœperunt libere vivere suis legibus. Et sic propter libertatem & securitatem loci, & propter malum statum aliarum Civitatum, seu Terrarum, Civitas ista cœpit de die in diem crescere, usque quo pervenit ad tam superbam potentiam.

*E le fontane di Brenta e di Piava*,

Brenta est fluvius, qui dividit Paduam & claudit; de quo alibi dictum est. Et Piava fluvius labitur per Territorium Tarvisii, & nascitur supra Civitatem Belluni: Et dicit:

- - - - *e non surge molt' alto*:

quia humilis collis est, non longe a montibus altis in extremo Territorii Tarvisini:

*Là onde scese già una facella*,

idest, ex quo Eccelinus ipse, qui fuit verè fax ardens, immittens incendium in vicinos. Ideo dicit:

*Che fece alla Contrada* - - - - - -

scilicet, Marchiæ Tarvisanæ:

- - - - - - *un grande assalto*.

Albericus verò fuit alia fax, ardens libidine; & ista Cunitia fuit ardens amore. Eccelinus tamen non multum curavit de venereis:

*D'una radice* - - - - - -

Heic Cunitia describit se a parentibus nomine & sorte, dicens:

- - - - - - *nacqui & io & ella*,

scilicet, facula: *nacqui d'una radice*, idest ex eodem patre & matre, nomine Adeleyta, ut scribit Mussatus Poëta Paduanus:

*Cunissa fui chiamata*. - - - - - -

nomen proprium est.

*Del nostro Cielo*, - - - - - -

idest, de Sphæra Veneris:

- - - - *che più m' è propinqua*.

Idest, magis approximat mihi, quia est mihi magis conformis. Hæc erat anima cujusdam Fulci de Marsilia, ut postea dicetur. Et tangit diuturnitatem famæ istius hominis, quæ durabit adhuc quingentis annis, dicens:

*Questo centesimo anno ancor s'incinqua*;

idest, iste numerus Centenarius annorum quinquies iterabitur. Currebant enim tunc Anni Domini MCCC. quando Poëta habuit suam mirabilem visionem.

- - - - - - *pria che moja*,

idest, antequam fama prædicti moriatur. Et heic nota, quod Auctor noster expresse dicit mendacium, quum de homine isto jam non sit fama, etiam in patria propria. Dico breviter, quod Auctor vult tacite innuere, quod ipse dederit famam isti ratione virtutis ejus, quæ fama non morietur, usque quo vivet Liber iste, qui durabit per multa secula annorum, si possumus conjecturare de futuro; quia videmus continuo, quod fama istius Auctoris crescit. Et ex hoc Auctor exhortatur homines ad vivere virtuose, ut viri sapientes dent eis famam, sicut ipse jam dedit Cunitiæ, & dabit Fulco. Dicit ergo:

*Sì ch' altra vita la prima relinqua*:

hoc est, ut prima vita, scilicet temporalis, relinquat aliam vitam perpetuam per famam. Ideo bene dicit Quinctilianus: *Quoniam denegatur nobis diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos testemur vixisse*. Unde nota, quod naturaliter homo habet triplicem appetitum, conservandi scilicet individuum, speciem, & famam, ut dicetur adhuc in isto Capitulo.

*E ciò non pensa* - - - - - -

Heic Cunitia ex dictis facit unam increpationem ad illos de Provincia sua, qui hodie vivunt vitiose. Et primo in generali, describens iterum Provinciam a fluminibus. Et dicit:

- - - - - - *la turba presente*,

idest, gens moderna *non pensa ciò*, scilicet, vivere virtuose, & per consequens relinquere famam:

*Che* - - - - - - - - - -

idest, quam gentem:

- - - - *Tagliamento & Adice richiude*.

Taliamentum est flumen Provinciæ Venetiæ prope Concordiam, non longe ab Aquileja; quod dividit Forum Julii a Marchia Tarvisina. Et est flumen rapax & fallax. Athesis est flumen, quod labitur per Veronam ad modum serpentis tortuosi, de quo alibi dictum est. Et quod est pejus:

*Nè per esser battuta* - - - - - -

idest, flagellata per Eccelinum, qui Marchiam, viridarium voluptatum, fecit quasi eremum solitudinis desertæ.

- - - - - - *ancor si pente*,

idest, non corrigitur, non emendatur. Ideo nova pœna paratur sibi:

*Ma tosto fia* - - - - - -

Heic Cunitia prænuntiat nova flagella in brevi eventura Provinciæ. Et primo Paduæ, quæ prius fuerat tantum desolata per Eccelinum. Postea fuit flagellata per alium Tyrannum Veronæ, qui vocatus est Canis Grandis de la Scala. Ad quod sciendum, quod Paduani Anno Domini MCCCXIV. magno apparatu belli, puta cum duobus millibus equitum, & viginti mil-

millibus peditum, invaserunt Vicentiam, quæ aliàs fuerat eorum. Canis, juvenis strenuus & intrepidus, viso signo facium ardentium in turribus, Vicentiam incredibili celeritate venit. Et considerato ex alta turri ordine hostium inordinatorum, per agros vagantium, cum minus centum equitibus, & Populi turbâ irruit super Ducem Paduanorum, qui dato tergo ceteros converrit in fugam. Canis, velut lupus inter oves, omnes dispersit cum parva cæde. Multi capti sunt, inter quos Jacobus de Carraria, magnus princeps Paduanus, & Mussatus Poëta. Paduanis pacem petentibus pax data est. Post biennium iterum Paduani per dolum tentant habere Vicentiam. Canis cum Uguiccione de Fagiola viro strenuissimo, exploratâ seditione, de nocte clam intravit Vicentiam; & de mane dato signo cum suis invadit hostes; de quo quidam Veronensis metrice scripsit:

„ *Ecce Canis: fugere Lupi &c.*

Turpis fuga facta est cum occisione multorum & captione plurimorum. Captus est Comes Sancti Bonifacii, dux belli, & magnifice honoratus a Cane magnanimo. Et post paucum tempus Canis avidus ultionis recepit Castellum nobile Montis Silicis, quod distat a Padua per decem milliaria, & Estum Castellum pulcrum illi propinquum & dives vi cepit cum magna cæde & præda incolarum. Paduani ad defensionem sui agri mittunt D. equites cum magno numero peditum ad ripam parvi fluminis Bachilioni. Canis ubique victor, illis debellatis & fugatis magna damna dedit. De hoc specialiter videtur loqui litera. Canis iterum pacem fecit cum Paduanis, intercessione Venetorum cum gravibus conditionibus. Tamdem Anno Domini MCCCXXVIII Canis libere & pacifice obtinuit Paduam, & Anno sequenti Tarvisium. Et ibi fato felicitati suæ invidente mortuus est. Dicit ergo Cunitia:

*Mi tosto fia*, - - - - - -
idest, erit in brevi:
- - - - *che Padova* - - - -
potens Civitas:
- - - - - - - - - *al palude*,
idest, juxta paludem vicinam:
*Cangerà l'acqua*, - - - - - -
idest, permutabit, faciendo aquam ipsam rubeam sanguine suo:
- - - - - - *Che Vicenza bagna*;

Nam Bachilionus labitur per Vicentiam, ut alibi scriptum est. Et certe Vicentia fuerat etiam ante flagellata tempore Eccelini, cremata & spoliata per Fridericum II. Unde dicit:

*Per esser' al dover le genti crude*.
Idest, male dispositæ ad virtutem:
*E dove* - - - - - - - - - -

Heic Auctor ponit, quomodo Cunitia prædicit mortem crudelem unius Tyranni Tarvisini. Ad quod est memorandum, quod Dominus Ricciardus de Camino filius boni Gerardi, qui successerat patri in dominio Tarvisii, quum una die luderet ad Scacchos, subito transfossus est gladio ab uno ribaldo sicario desperato, præsentibus fratre & consanguineis ejus. Et continuo sicarius trucidatus ab illis fertur dixisse istud verbum: *Hoc non fuit in pacto*. Ipse vero Ricciardus moriens dicebat manu & nutu, ne occiderent illum, ut sciretur, quare hoc fecisset, quum tamen fratre & suis procurantibus hoc factum esset. Ad literam dicit Cunitia:

*Tal signoreggia, e va con la testa alta*,
idest, unus magnus & potens superbe incedit, non timens sibi de insidiis suorum;
*Che già, per lui carpir, si fa la ragna*.
Idest, jam texitur fraus ad circumveniendum ipsum, sicut avis capitur rete: Est enim ragna quoddam genus retis, quo capiuntur aves:
- - - - *dove Sile a Cagnan s'accompagna*;

hoc est dicere, in Civitate Tarvisii. Ista enim duo flumina conjunguntur in unum apud Tarvisium, quæ Terra amœna multum abundat aquis puris, & fontibus scaturientibus. Et in tali loco sæpe nascuntur venena, qualiter fuit ipse Ricciardus, & Domina Gaja soror ejus:

*Piangerà* - - - - - - - - -

Heic Cunitia prædicit aliud crudele facinus futurum per eadem tempora in Civitate vicina suæ. Et ad intelligentiam hujus literæ est primo sciendum, quod mortuo Azzone III. Marchione Estensi, qui habuerat Beatricem sororem Regis Roberti in uxorem, Rex ipse Robertus habuit ad tempus dominium pro Ecclesia Civitatis ipsius Ferrariæ. Quum autem quidam Dominus Pinus de la Tosa, nobilis Miles Florentinus astutus esset Vicarius Ferrariæ pro Rege, quam murari fecit, viri nobiles de Fontana Ferrarienses, seditione orta, fugerunt de Civitate, & transtulerunt se Feltrum, putantes se tutos in illa libera Civitate; cujus liberum dominium in temporali & spirituali habebat Episcopus ejus. Sed operâ Pini, volente Episcopo & consentiente, capti ducti sunt Ferrariam. Ex quibus tres præcipui, scilicet Lanzalottus, Claruccius, & Antoniolus de Fontana decapitati sunt cum multis aliis complicibus eorum in foro Ferrariæ, & multi suspensi sunt laqueo. Ad literam ergo dicit Cunitia:

*Piangerà Feltro* - - - - - -
Civitas in confinio Marchiæ Tarvisinæ:
- - - - - - *ancora la difalta*,
idest, defectum sceleratum:
*De l'empio suo Pastor*: - - - - - -

idest, Episcopi sui, qui fuit natione Placentinus, qui bene luit pœnas dignas. Nam de mandato Domini Ricciardi prædicti fuit tantum percussus cum sacculis sabuli, quod emisit omnia viscera & sanguinem per egestionem. Et Populus etiam luit, qui venit de libertate in servitutem sub tyrannide ipsius Ricciardi. Et tangit atrocitatem sceleris, dicens:

- - - - - - - *che sarà sconcia*,
idest, enormis sine exemplo, quia alius Sacerdos sceleratus non luit pœnam pro crimine simili. Unde dicit:
*Si che per simil* - - - - - -
scilicet, culpam:
- - - - - - *non s'entrò in Malta*.

Scilicet, per alium Sacerdotem ad tolerandam pœnam. Est enim Malta turris horrenda in Lacu Sanctæ Christinæ, carcer amarus delinquentium Sacerdotum. Unde Sacerdos damnatus ad mortem per Papam Bonifacium clamabat: *Peto benedictionem Patris mei*: Et Bonifacio respondente: *Pater tuus Diabolus est*; subjunxit ille: *Et tu utique ille es*. Et meruit veniam. Sed e contrario Abbas Montis Casini, qui non bene servabat Cœlestinum custodiæ suæ commissum, paucis diebus in pane tribulationis & aqua amaritudinis supervixit, afflictus in eodem carcere. Et aggravat delictum propter magnam sanguinis effusionem, dicens:

*Trop-*

*Troppo sarebbe larga la bigoncia :*
Biguncium est vas , quo utuntur tempore vindemiarum ad portandas uvas, apertum & amplum desuper , quod plenum facit mediam salmam asini :
*Che ricevesse il sangue Ferrarese ;*
scilicet , Civium occisorum :
*E stanco - - - - - - - -*
scilicet , nimis esset :
*- - - - chi 'l pesasse ad oncia ad oncia .*
Et verum dicit : nam homo inter animalia habet multum sanguinis . Unde Galenus scribit de uno , cui per nares effluxerunt XXV. Libræ sanguinis , & mortuus est . Isti autem , quorum sanguinem fudit impius iste Sacerdos , fuerunt plures quam triginta , ut quidam scripserunt .
*Che donerà - - - - - - -*
idest , quem sanguinem turpe donum & infamiæ plenum :
*- - - - - - questo Prete cortese ,*
ironice intelligas , quia prodigus humani sanguinis .
*Per mostrarsi di Parte :*
idest , ut videretur bene de Parte Ecclesiæ, & verè Guelphus . Et concludit :
*- - - - - - e cotai doni*
*Conformi fieno al viver del paese .*
idest , bene conveniunt viventibus vitiose in dicta Marchia .

*Ad Vers.* 88.

*Di quella Valle fui io litorano ,*
Heic Fulcus , præmissa illa positione , nunc exprimit suam patriam , dicens : *Io fui litorano di quella Valle* ; idest maritimus habitator in litore nostro hujus maris Mediterranei . Et describit ipsam patriam a fluminibus , dicens :
*Tra Ebro , e Macra .*
Est enim Ebrus fluvius apud Marsiliam. Macra vero est fluvius rapax apud Civitatem Lunæ per Vallem , quæ dicitur Lunisana , in confinibus Tusciæ . Unde dicit :
*- - - - che per camin corto*
*Lo Genovese parte dal Toscano .*
idest , quos Macra dividit , juxta illud :
„ *Tusciæ confines Mare , Macra , Tiber , &*
„ *Alpes .*
*Ad un' occaso - - - -*
Heic Fulcus adhuc describit clarius suam patriam, & a situ & a memorabili fato ejus . Et dicit primo, quod Marsilia & Bugeafe ex opposito respiciunt :
*Bugea siede , - - - -*
quæ est Civitas in litore Africano :
*- - - - e la Terra ond' io fui ,*
idest , Marsilia , cujus ego fui Civis :
*Ad uno Occaso quasi & ad un' Orto ,*
hoc dicit, quia habent quasi idem meridianum: quasi dicat , quod Marsilia tantum distat a Levante & Ponente , quantum Bugea , quæ est in litore adverso . Et subdit :
*Che fè del sangue suo già caldo il porto*
idest , quæ Terra mea &c.
*Folco mi disse - - - -*
Heic spiritus præfatus describit se a nomine proprio , & a moribus suis . Ad cujus evidentiam est præsciendum , quod Fulcus iste fuit filius Alphonsi mercatoris , qui moriens dimisit eum divitem valde . Et ipse dedit operam valori humano & famæ mundanæ . Sequutus est nobiles viros . Dicebat pulcre & facunde in Rhythmo . Fuit valde acceptus & honoratus a Ricardo Rege Angliæ , & a Raynaldo Comite Tholosano , & a Barali de Marsilia , in cujus Curia conversabatur . Nec miror , quia Marsiliæ sunt formosissimæ mulieres . Fuit si quidem Fulcus iste pulcher corpore , linguâ disertus , pecuniâ liberalis : ergo verè Venereus . Adamavit autem Adelasiam uxorem Baralis . Et ut magis tegeret suam culpam, simulabat se diligere duas sorores ejus . Propter quod factus suspectus , licentiatus fuit ab illo. Mortuâ uxore Baralis amarissimum dolorem concepit , sicut olim Dantes de morte suæ Beatricis . Et declinavit se , mortuâ uxore , cum duobus filiis ad Monasterium Cisterciense . Postea factus fuit Abbas Torrinelli ; demum Episcopus Marsiliensis , de qua expulit hæreticos . Et sic vide , quod propter multa Auctor fecit singularem mentionem & commendationem de isto Fulco .

*Ad Cant. XI. Vers.* 28.

*La Providenza , che governa 'l Mondo ,*
Heic Beatus Thomas de Aquino , movens se a longe , volens solvere primum dubium , digreditur ad describendam , & commendandam Vitam Beati Francisci , cujus cognitio facit ad declarationem primi dubii . Et primo ostendit in generali , quomodo Deus misericorditer providit Ecclesiæ suæ de duobus Principibus & pugilibus , qui pro illa fortiter certarent . Unde dicit :
*La providenza - - - -*
scilicet , Divina :
*- - - - che governa 'l Mondo*
*Con quel consiglio , - - - -*
idest, eâ Sapientiâ , quæ vincit omnem intellectum creatum : Unde dicit ;
*- - - - nel qual' ogni aspetto*
*Creato - - - - - - - -*
idest , cognitio :
*- - - - è vinto , pria che vada al fondo .*
idest , antequam attingat ad profunditatem ejus. Quia nullus intellectus Angelicus vel Humanus potest pertingere ad totalem cognitionem divinæ Sapientiæ:
*Due Principi ordinò - - - - - -*
scilicet, Franciscum & Dominicum:
*- - - - - - in suo favore,*
idest , illius Ecclesiæ:
*Che quinci e quindi le foss er per guida .*
idest, qui recte ducerent bigam Ecclesiæ . Et assignat causam, quia Deus ordinavit dictos duos Principes, dicens :
*Però ch' andasse ver lo suo diletto*
*La Sposa di colui , - - - - - -*
idest, Ecclesia, quæ est Sponsa Christi:
*- - - - - - - - ch' ad alte grida*
*Disposò lei col Sangue benedetto .*
scilicet , ipsius Christi , quum clamavit : *Eli* , *Eli* : quod est de clamore Judæorum clamantium : *Tolle , tolle . Crucifige eum* . Et ita de aliis multis clamoribus : *Andasse ver lo suo diletto* , scilicet ipsius Jesu Christi , qui est Sponsus ipsius Ecclesiæ.
*In se sicura , - - - - - - - -*
scilicet, ab offensione adversariorum , mediante istorum duorum Ducum defensione:
*- - - - - - & anco a Lui più fida ;*
scilicet, ut fidelius sibi serviret, & non adulteraretur per vitia . Et heic nota , quod de rei veritate Ecclesia Dei non bene incedebat recte, privata bonis ducibus. Nam Sacerdotes Seculares & Monachi antiqui multum defecerunt in virtute , moribus , & scientia. Ideo bene Deus succurrit huic defectui cum istis duobus Principibus , qui verbo & opere erigerent ruentem Ecclesiam .

*L'un fu - - - - - - - -*
Heic Thomas describit utrumque Principem, dicens: *L'un fu*, scilicet, Franciscus:
*- - - - - - tutto Serafico in ardore*;
idest, de ordine Seraphinorum, qui magis ardent in amore Dei. Quasi dicat; tamquam Angelus, non homo, ardens in Caritate.
*L'altro - - - - - -*
scilicet, Dominicus:
*- - - - per sapienza in terra fue*
*Di Cherubica luce uno splendore.*
quia fuit splendor sapientiæ in mundo; sub quo dictus Thomas militavit; unde dicit: *di Cherubica luce*, idest de ordine Cherubinorum, quia habuit intellectum Angelicum. Nam fuit magnus Doctor, & illuxit Mundo sapientiâ suâ. Ideo dicit: *per sapienza.*
*De l'un dirò, - - - - - -*
Heic Thomas offert se tractaturum primo de altero prædictorum, excusans se, si non dicit de altero; unde dicit: *De l'un dirò*, scilicet, de Francisco:
*- - - - - - però che d'amendue*
*Si dice, l'un pregiando, - - - -*
idest, appretiando laudibus tantùm unum:
*- - - - - - - - qual ch' uom prende*:
idest, quemcumque homo assumat laudandum. Et assignat rationem, dicens:
*Perch' a un fine fur l'opere sue.*
idest, quia opera utriusque tetenderunt ad unum finem Beatitudinis. Et heic nota, quanta arte utatur Auctor in ista fictione. Nam inducit Thomam de Aquino, qui commendat Vitam Beati Francisci, & damnat vitam suorum Fratrum Sancti Dominici. Quia melius testimonium est, & facilius creditur, quando æmulus laudat æmulum, & ita quando culpat suos.
*Intra Turpino - - - - - - - -*
Heic Thomas narraturus vitam Francisci, primo describit locum originis ejus, quem describit a fluminibus & Civitatibus, locum illum claudentibus. Ad cujus evidentiam est præsciendum, quod Civitas Assisium est situata in valle pulcherrima & fertilissima Spoleti, inter duo flumina, quorum unum vocatur Chiassus, qui venit a Civitate Eugubii, alterum verò vocatur Turpinus, qui venit a Nuceria. Dicit ergo:
*Fertile costa d'alto monte pende,*
qui supereminet Assisio. Quia Assisium est positum in monte fertili in declivio montis.
*Intra Turpino - - - - - -*
Est enim Turpinus fluvius:
*- - - - - - e l'Acqua, - - - - - -*
idest, alium fluvium, qui dicitur Chiassus, veniens ab Eugubio. Unde dicit:
*- - - - - - - - che discende*
*Del colle eletto del beato Ubaldo.*
Ad quod sciendum, quod Beatus Ubaldus primo fuit Eremita in monte illo. Deinde fuit Episcopus Eugubii. Et est Patronus illius Civitatis. Et subdit Civitates Assisio confines, dicens:
*Onde - - - - - - - - -*
idest, a qua costa fertili:
*- - - - Perugia sente freddo e caldo*
*Da porta Sole, - - - - - -*
Porta Solis est una Porta Perusii versùs ortum Solis, quæ respicit Assisium. Est autem Perusium Civitas antiqua & nobilis, quondam unum caput Tusciæ, ut dicit Titus Livius:
*- - - - - - e di retro le piange*
*Per greve giogo Nocera con Gualdo.*
Duæ Terræ sunt, quarum una est Nuceria: *le piange di retro*, scilicet, post dictam costam, in qua est Assisium: *per greve giogo*, quia recipit ventum & frigus & incommoda a dicto monte. Alii tamen exponunt, propter grave jugum Perusinorum, quia dictæ Terræ erant subditæ dominio Perusinorum. Et istud fuit aliquando verum. Sed prima expositio est melior.
*Di questa costa - - - - - -*
Heic Thomas describit ipsum Franciscum, quem metaphorice appellat Solem, dicens:
*- - - - - - nacque al Mondo un Sole,*
scilicet, Franciscus. Sicut enim Sol radiis suis illuminat Mundum, ita Franciscus illuminavit totum Mundum radiis suis, scilicet operibus, vel Fratribus suis per totum orbem terrarum diffusis. *Nacque di questa costa*; scilicet, ubi est Assisium:
*- - - - - - dov' ella frange*
*Più sua rattezza - - - - - -*
idest, in parte decliviori & planiori ipsius montis. Et dicit a simili:
*Come fa questo talvolta di Gange.*
scilicet, Sol sensibilis. Erat enim Thomas cum Auctore, cui loquitur nunc, in corpore Solis: *fa talvolta*, idest oritur aliquando, non semper: *di Gange*, qui est fluvius Indiæ in Oriente. Et subdit Thomas, quomodo sit appellandus dictus locus, dicens:
*Però chi d'esso loco fa parole,*
idest, qui vult facere mentionem de Assisio:
*Non dica Ascesi; - - - - - -*
licèt illud sit primum & proprium nomen dictæ Civitatis. Dictum est enim Assisium:
*- - - - - - che direbbe corto*
idest, parum; vel secundùm aliam literam *torto*, idest, oblique & improprie:
*Ma Oriente, se proprio dir vuole*;
quia scilicet locus debet proportionari locato: Si ergo Franciscus est appellandus Sol, bene Assisium est appellandum Oriens, a quo, tamquam ab Oriente, ortus est dictus Sol.
*Non era ancor - - - - - -*
Heic Thomas describit primitivam virtutem istius Francisci, quam primo ostendit in pueritia sua, dicens:
*- - - - - - molto lontan da l'orto*
idest, ab origine sua; quasi dicat: in teneris annis:
*Ch' ei cominciò a far sentir la terra*
*De la sua gran virtù alcun conforto.*
Quia sicut a simili Sol statim a principio sui ortus incipit calefacere terram & refocillare animalia, ita & Franciscus statim a pueritia sua incepit dare spem hominibus de magna virtute sua.
*Che per tal donna - - - - - -*
Heic Thomas exprimit illam magnam Virtutem primariam istius Francisci. Et dicit, quod fuit tam audax, quod postposuit in juventute amorem paternum, quem omnes naturaliter sequuntur, amori unius Dominæ, quam omnes communiter oderunt. Dicit ergo, quod ille Franciscus
*- - - - - - giovinetto in guerra*
*Del padre corse; - - - - - -*
idest, incurrit odium, & indignationem paternam, *per tal Donna*, idest, amore Dominæ Paupertatis. Et dicit:
*- - - - - - a cui, come a la morte,*
*La porta del piacer nessun disserra.*
quæ scilicet Paupertas nulli placet. Quod probat a simili, dicens: *come a la morte*, idest, sicut nullus recipit placibiliter mortem, sic omnes fugiunt Paupertatem, sicut naturaliter fugiunt

giunt mortem; immo sæpe homines sponte subeunt mortem, propter fugiendam Paupertatem.

*E dinanzi - - - - - - - -*

Heic Thomas probat per effectum, quomodo Franciscus vero amore dilexerit dominam Paupertatem, quia accepit eam in legitimam uxorem suam, & consensit in eam. Unde dicit: Et ipse Franciscus

*- - - - - - le si fece unito :*

idest, conjunxit se ipsi Paupertati:

*E dinanzi a la sua spirital Corte*

idest, coram Episcopo Diœcesano, & coram patre; quia in præsentia patris renuntiavit omnibus bonis patrimonialibus & temporalibus. Et dicit postea:

*Poscia di dì in dì l'amò più forte.*

Tamquam bonus maritus, qui numquam caram suam uxorem dereliquit usque ad mortem; immo nec in morte oblitus est ejus:

*Questa - - - - - - - -*

Heic Thomas in commendationem matrimonii contracti per Franciscum, ostendit quàm misericorditer Franciscus egit secum. Et dicit, quod ista muliercula turpis steterat vidua per mille annos & ultra, quia nullus voluerat eam videre vel audire, nedum accipere eam in uxorem & amplexari. Dicit ergo: *Questa*, scilicet paupercula mulier:

*- - - - - - privata del primo marito*

scilicet, Jesu Christo, qui primus penitus dilexit Paupertatem:

*Mille e cento anni e più - - - - -*

scilicet, ultra undecim Secula,

*- - - - - - dispetta e scura*

*Fin' a costui si stette - - - - - -*

idest, usque ad istum Franciscum. Et dicit:

*- - - - - - - - senza invito ;*

quia nullus requisivit eam de amore per tantum tempus. Sed heic nota, quod Auctor videtur dicere falsum, quia multi Sancti Patres & Eremitæ dilexerunt Paupertatem, & despexerunt mundum propter Jesum Christum & antiquitus & moderniter, sicut Benedictus, & Macarius, Bernardus, & Damianus, de quibus dicetur infra in hoc eodem Libro. Respondendum est breviter, quod nullus tantum & in totum amavit Paupertatem tam perfecte, tam generaliter, tam volenter.

*Nè valse udir - - - - - -*

Heic Auctor ad arguendam cæcam hominum cupiditatem, ostendit mirabiles effectus Paupertatis, quæ fecit hominem quodammodo felicem; quia facit eum lætum & intrepidum contra omnem fortunæ impetum. Quod probat per exemplum pauperculi piscatoris, qui non expavit Cæsarem tunc temporis terribillimum. Ad cujus evidentiam est præsciendum, quod Cæsar, dum esset in Græcia contra Pompejum, avidus pugnæ, quæ faciebat pro eo, impatienter ferens accessum, qui erat cum parte exercitus sui, temere exposuit se fortunæ &c.

*Ma perch' io non proceda troppo chiuso,*

Heic Thomas propalat nomen amantis & amatæ, ne videatur procedere nimis obscure. Unde dicit:

*Prendi oramai nel mio parlar diffuso ;*

scilicet, quia jam multa dixi de istis:

*Francesco e Povertà per questi amanti.*

Franciscus est nomen competens viro. Dictus est enim Franciscus, quasi Francus, idest, liber ab omni cupiditate terrenorum & servitute peccatorum. Paupertas etiam est nomen congruum. Dicitur enim Paupertas a pauco, unde paupertas est sobria, temperata, libera, & expedita.

*La lor concordia - - - - - - -*

Heic Thomas tangit lætam vitam istorum, amantium Paupertatem, & continentium cum effectu. Dicit ergo: *la lor concordia*, quia concorditer conveniebant simul, quia Franciscus bene conformabat se Paupertati & pauco, & Paupertas bene conveniebat humilitati ejus. Unde dicit:

*- - - - - - e lor lieti sembianti,*

quia procabantur sibi invicem læte. Nam Paupertas faciebat lætum Franciscum, & Franciscus faciebat Paupertatem videri lætam; & dicit:

*Amor, - - - - - - - -*

idest, Caritas:

*- - - - - - e maraviglia, - - - - - -*

idest, mirabiliter:

*- - - - - - - - e dolce sguardo,*

idest, dulcis contemplatio:

*Facean esser cagion di pensier santi.*

idest, præstabant sibi causam, quod non cogitaret nisi sancta; & ut Sanctus videretur a quolibet vidente eum. Ideo statim habuit sectatores. Unde sequitur:

*Tanto che 'l venerabile Bernardo,*

primus Frater Minor, qui sequutus est Beatum Franciscum. Unde non intelligas de Bernardo Doctore, devoto Dominæ, de quo dicitur in fine hujus Libri:

*Si scalzò prima, - - - - - - - -*

idest, primus induit habitum Francisci. Nam Fratres Francisci inter alia incommoda sua incedunt discalciati:

*- - - - - - e dietro a tanta pace*

*Corse, - - - - - - - - - - -*

idest, ad participandum de tanta pace animi, quanta præstat ista Paupertas. Et dicit:

*- - - - e correndo gli parve esser tardo.*

quasi dicat, quod cum tanta aviditate animi accessit ad istam vitam beatam, quod quamvis esset primus, tamen visus est sibi tardus.

*O ignota ricchezza - - - - - -*

Heic Thomas sumtâ occasione ab illis, qui sequuti sunt Paupertatem, prorumpit in unam exclamationem laudatoriam Paupertatis dicens: *O ignota ricchezza*, idest, ignorata opulentia. Unde Lucanus in simili ubi supra proxime

*- - - - - - „ o munera nondum*

*„ Intellecta Deûm! - - - - - -*

Et verè magna sunt munera Paupertatis. Unde dicit:

*- - - - - - o ben verace*, seu *ferace*.

idest, bonum fertile & multiplex. Est enim inventrix Scientiarum, Custos Virtutum &c. Et subdit alios sectatores Paupertatis dicens:

*Scalzasi Egidio, - - - - - - -*

Iste fuit alius Frater de primis.

*- - - - - - e scalzasi Silvestro*

alius Frater, qui expulit civile bellum de Assisio, & vidit in somnis Crucem exire de ore Francisci:

*Dietro a lo Sposo; - - - - - -*

idest, post Franciscum virum Paupertatis:

*- - - - - - sì la Sposa piace.*

idest, Paupertas.

*Indi sen va quel padre, - - - - - -*

scilicet, aggregatis pauperculis Fraticellis Franciscus, qui fuit maximus Pater familias.

*- - - - - - e quel Maestro.*

qui docuit suos discipulos Paupertatem, Humilitatem, Continentiam, Obedientiam, & Patientiam:

*Con la sua Donna, - - - - - -*

scilicet, cum domina Paupertate, quæ sequebatur

tur & sociabat eum ubique :
- - - - - - *e con quella famiglia*
scilicet, illorum Fratrum :
*Che già legava l'umile capestro* .
quia Fratres Minores portant chordam cinctam, super qua solebant olim esse humiles, nunc autem facti sunt superbi :
*Nè gli gravò* - - - - - - - -
Heic Thomas narrat fundationem & confirmationem Ordinis Beati Francisci. Et dicit, quod non obstante , quod esset ipse Franciscus filius ditissimi , propter quod videbatur ire ex verecundia cum fronte bassa , secure ivit ad Innocentium Papam , ut approbaret ejus Regulam. Dicit ergo :
- - - - - - *viltà di cor* - - - - - -
quia videbatur pusillanimis ex hoc , *nè gli gravò*
- - - - - - - - - *le ciglia* .
idest, non inclinavit frontem ejus ad terram præ verecundia;
*Per esser figlio di Pier Bernardone*;
idest, quamvis esset filius ditissimi hominis:
*Nè per parer dispetto a maraviglia*.
idest, quamvis videretur vilis, abjectus, & despectus mirabiliter .
*Ma regalmente* - - - - - - -
idest , magnanimiter :
- - - - - - *sua dura intenzione*
*Ad Innocenzo aperse* ; - - - - - -
Nam durum videtur relinquere commoda , delicias, & alia placibilia divitum: *Ad Innocenzo*, scilicet, Papam:
- - - - - - - - *e da lui ebbe*
*Primo sigillo* - - - - - - - -
idest , Privilegium :
- - - - - - *a sua Religione* .
quia non licèt facere Ordinem vel Regulam sine auctoritate, licentia, & consensu Pontificis.
*Poi che* - - - - - - - -
Heic Thomas describit confirmationem Ordinis Beati Francisci , dicens:
*La santa voglia* - - - - - -
idest , voluntas :
- - - - - - - - *d'esto Archimandrita*,
idest , istius Pastoris Francisci . Archimandrita enim dicitur ab *Archon* , quod est Princeps, & *Mandra*, quod est grex : unde Archimandrita, idest princeps gregis , qualis fuit Franciscus , quem sequutus est maximus grex :
*Di seconda corona redimita*
*Fu* - - - - - - - - - -
idest, exornata confirmatione , de qua habuit secundum Privilegium , sicut habuerat primum pro fundatione :
- - - - - - *per Onorio* - - - - - -
qui fuit Papa Romanus , qui indulsit Minoribus Fratribus Privilegium , quod possent sacra ministrare , & dignitates spirituales habere . Et hoc dico fuit :
*Poichè la gente poverella crebbe*
*Dietro a costui* ; - - - - - -
Habuit enim Franciscus duodecim Discipulos ad imitationem Jesu Christi, qui omnes fuerunt sancti viri, præter unum, qui exivit Ordinem, & factus est leprosus, & se suspendit. Et dicit:
- - - - - - *la cui mirabil vita*
*Meglio in gloria del Ciel si canterebbe* .
idest , cantanda erat & celebranda per Orbem in gloriam Dei , qui dedit sibi tantam gratiam, ut cantaretur & celebraretur *in gloria del Ciel*: quia ejus vita plusquam humana cederet ad gloriam gratiæ divinæ & infusionis cœlestis
*E poi che* - - - -
Heic Thomas descriptis publicis operibus Francisci , nunc intendit describere ejus privatam vitam , quam duxit per sanctam pœnitentiam , & per tentationum viam . Ad quod est breviter præsciendum , quod Beatus Franciscus, profecto & stabilito Ordine sub confirmatione habita , & datâ Regulâ sanctâ , transivit mare , & prædicavit Fidem Saracenis . Sed nihil proficiens ibi , rediit in Italiam , ubi optimum fructum fecit . Elegit enim sibi ad contemplationem sanctam locum solitarium & devotum in loco , qui dicitur *la Verna*, in monte , qui dividit Romandiolam a Tuscia , inter Cæsenam & Aretium . A quo monte duo flumina oriuntur , scilicet Tiber & Arnus , ibique dicitur recepisse Stigmata Jesu Christi . Nunc ad literam . Ordina & construe sic : Et ille Franciscus
*Da Cristo prese l'ultimo sigillo* ;
idest , contemplando ibi , recepit plagas Christi . Et notanter dicit *l'ultimo* , quia primum sigillum recepit ab Innocentio , secundum ab Honorio , ut prædicitur , tertium & ultimum a Jesu Christo :
*Che le sue membra due anni portarno*.
in loco , qui dicitur *la Verna* , quem describit a duobus fluminibus famosis , dicens :
*Nel crudo sasso* - - - -
quasi dicat ; non marcefactus in lecto molli , sed contemplans in saxo duro :
- - - - - *intra Tevere & Arno* .
Tiber oriens ex dicto monte , labitur usque Romam, fluvius celeberrimus operâ Historicorum , Philosophorum , Poëtarum , & omnium doctorum . Arnus verò dividit & interluit Tusciam provinciam , quem Auctor pulcre & artificialiter descripsit supra , Purgatorii Capitul. XIV. Et heic nota moraliter , quod sicut ex monte prædicto nascuntur magna flumina, quæ irrigant magnas & pulcras Provincias , & præcipue Tiber, qui irrigat almam Urbem Romanam, ita ab isto Francisco descenderunt multi uberes rivi , qui irrigaverunt non solùm unam vel duas Provincias, sed etiam totam Italiam , immo & totum mundum , ut per se patet. Et principaliter Sanctam Romanam Ecclesiam . Quia Fratres Beati Francisci per universum fusi sunt . Ergo bene & convenienter descripsit locum a dictis fluminibus . Et hoc dicto fecit, *poi che*
*Predicò Cristo , e gli altri che 'l seguiro* ,
scilicet , Apostolos , Martyres , & alios Sanctos Christianos :
*Ne la presenza del Soldan superba* ;
quia non extimuit conspectum Soldani superbi, quem tot nationes timent & reverentur . Ad cujus præsentiam itur cum tanta subjectione & reverentia , quod pluries homo se inclinat ad terram , & illum adorat , secundùm veterem morem Regum Assyriorum . Et
*Redissi* - - - - -
supple , & postquam rediit :
- - - *al frutto de l'Italica erba* .
idest , in Italiam omnium bonorum fertilem , ubi suum semen fructificavit :
*E per trovare a conversione acerba*
*Troppo la gente* , - - - - -
idest, nimis induratam antiquitate temporis & obstinatam , ita quod ultra non poterat prodesse in tali terra
- - - - *e per non stare indarno* .
idest , ne perderet operas suas frustra , quia labor est irritus .
*Quando a colui* - - - -
Heic ultimo Thomas describit dispositionem ulti-

ultimæ voluntatis Beati Francisci, & dicit, quod reliquit Fratres suos heredes in divite substantia, scilicet in Paupertate. Dicit ergo: Et ille Franciscus

*Raccomandò la sua Donna più cara*

scilicet, dominam Paupertatem,

*A i Frati suoi - - - -*

scilicet, Minoribus:

*- - - - si come a giuste erede.*

Et vide, quod de Jure Civili homo potest repudiare hereditatem, si sit sibi damnosa. Ideo Fratres Minores repudiaverunt ipsam Paupertatem tamquam sibi damnosam:

*E comandò, che l'amassero a fede.*

idest, fideliter, non sophistice. Quia parum prodest non tangere pecuniam manu, & illam animo appetere. Et hoc fecit tempore mortis. Unde dicit:

*Quando a Colui, - - - - - - - -*

scilicet, Deo:

*- - - - - - ch' a tanto ben sortillo,*

idest, qui prædestinavit eum ad summum bonum:

*Piacque di trarlo suso a la mercede,*

scilicet, in Cœlum ad meritum vel ad præmium:

*Che meritò nel suo farsi pusillo.*

idest, in faciendo se tam parvulum per humilitatem.

*E del suo grembo l'anima preclara*
*Mover si volle,*

supple, & quando anima gloriosa Beati Francisci *si volle mover del suo grembo*, idest de corpore, in quo stabat ipsa anima.

*- - - - - - tornando al suo regno:*

scilicet, cœleste. Nec ordinavit corpori altum vel sumtuosum tumulum. Unde dicit:

*E al suo Corpo non volle altra bara.*

Idest, feretrum aliud, quo corpora portantur ad sepulcrum, nisi suam Dominam; quasi dicat: noluit aliam sepulturam nisi Cœlum, *quo tegitur, qui non habet urnam*, ut ait Lucanus. Ad quod sciendum, quod Beatus Franciscus in extremis interrogatus a Fratribus suis, ubi volebat sepeliri, respondit: *ad Carnarium*. Erat autem Carnarium, ubi sepeliebantur corpora damnatorum extra Assisium. Et ibi sepultum fuit Corpus Beati Francisci. Ubi postea facta fuit magna & sumtuosa Ecclesia, quæ hodie ab Italicis pro tanto Corpore visitatur & celeberrime veneratur, & locus ille reductus est intra ambitum murorum Civitatis.

*Pensa ora mai - - - - - -*

Heic Beatus Thomas de Aquino percursâ breviter vitâ Beati Francisci, quæ faciebat ad declarationem dubii, nunc respondet ad solutionem quæstionis, ostendens, *quomodo bene impinguatur in Ordine Beati Francisci, nisi vacetur vanitati*. Et primo concludit, quomodo Beatus Franciscus habuit bonum socium ad dirigendam Ecclesiam Dei, dicens: *Pensa ora mai* his de Beato Francisco auditis, in quo fuit tanta perfectio:

*- - - - qual fu colui, - - - -*

scilicet, Dominicus,

*- - - - - - - - che degno*
*Collega fu - - - - - - -*

idest, socius in officio dirigendi Ecclesiam Dei. Unde dicit:

*- - - - - - a mantener la barca*
*Di Pietro - - - - - - - -*

idest, ad peræservandam Ecclesiam militantem a tempestatibus, ne succumberet:

*- - - - in alto mar - - - -*

idest, in mundo isto procelloso:

*- - - - - - per dritto segno.*

Præostendendo felicitatis portum, ad quem navigat navicula Petri. Et subdit specificans istum Collegam:

*E questi fu il nostro Patriarca,*

scilicet, Dominicus, quem vocat Patriarcham, idest principem multorum patrum:

*Ma il [illegible]eculio - - - - - -*

Heic T[illegible] sumta occasione ex prædictis, reprehen[illegible] Fratres suos, qui non recte sequuntur ipsum Dominicum Pastorem suum; dicens: *Ma il suo peculio*, idest, grex ipsius Beati Dominici

*- - - - - - di nuova vivanda*
*E' fatto ghiotto,*

Ista litera potest intelligi simpliciter pro ut sonat, scilicet quod ubi Fratres Prædicatores solebant impinguari bene pro anima, nunc quærunt impinguari pro corpore; & sunt avidi novi cibi, puta carnium, quas comedere prohibentur; quia *nitimur in vetitum*. Et potest intelligi allegorice, scilicet, quod quærunt novum victum, puta prælationes, dignitates, & honores, & talia. Ideo sequitur:

*- - - - - - sì ch' esser non puote,*
*Che per diversi salti non si spanda.*

Idest, quin dispergatur grex per diversa pascua, scilicet delectabilia loca, per quæ vagantur sæpe greges libenter, & sic perduntur, & a lupis sæpius devorantur. Est enim saltus locus herbosus & montuosus, sicut sæpe patet apud antiquos auctores. Unde subdit:

*E quanto le sue pecore rimote,*

idest, Fratres sui:

*E vagabonde più da esso vanno;*

hoc est, quanto errant & elongantur ab isto pastore Dominico, & sic perduntur, & a lupis devorantur:

*Più tornan' a l'ovil di latte vote.*

Idest, dulci doctrina; quia deberent alere alios & cibare: *a l'ovile*, idest ad stabulum, scilicet ad Monasterium.

*Ben son di quelle - - - - - -*

Heic Thomas ostendit, quod adhuc aliqui sunt boni Fratres in Ordine suo, sed satis pauci, unde dicit: *Ben son di quelle*, scilicet, de pecudibus, hoc est de ipsis Fratribus;

*- - - - - - che temono 'l danno,*

qui scilicet timent insultum, vel insidias luporum:

*E stringonsi al pastor; - - - - - -*

non deviantes. Et subdit:

*- - - - - - ma son sì poche,*
*Che le cappe fornisce poco panno.*

Ad Cant. XII. Vers. 31.

*E cominciò. L'amor, che mi fa bella,*

Heic Auctor ponit orationem illius spiritus. Ad quod est præsciendum, quod iste erat spiritus Bonaventuræ de Balneo Regio, de Ordine Minorum, qui fuit Magister in sacra Theologia. Et primo aperit intentionem suam, ostendens, quid moveat eum ad loquendum. Dicit ergo: *L'amor*, scilicet, Caritas, *che mi fa bella*, quia facit me beatam in conspectu Dei:

*Mi tragge a ragionar de l'altro Duca,*

idest, allicit me ad describendam & laudandam vitam Beati Dominici:

*Per cui del mio sì bene si favella.*

Idest, gratiâ, cujus Dominici Thomas de Aquino tam bene loquutus fuit de Francisco Duce meo in præcedenti proximo Capitulo paulo ante. Et assignat caussam dicti sui, dicens: De-

*Degno è , che dov' è l'un , l'altro s'induca* ,
scilicet , Dominicus :
*Sì che - - - - - - - -*
*Così la gloria loro insieme luca* ;
idest , luceat simul :
*- - - - - - com' elli ad una militaro* .
Idest , simul tempore pugnaverunt in servitium Dei . Et heic nota , quod Auctor prudenter & caute inducit unum Fratrem Minorem, qui laudet Vitam Beati Dominici , & vituperet vitam suorum Fratrum Minorum , ut sic ejus narratio plus habeat fidei & veritatis .
*L'esercito di Cristo , - - - - - -*
Heic Bonaventura descripturus vitam Beati Dominici , incipit parum a longe , ostendens , quomodo Deus pie providit Ecclesiæ suæ de his duobus Principibus , scilicet Francisco , & Dominico . Dicit ergo : *L'esercito di Cristo* , idest , Ecclesia Dei militans , quam meritò exercitum vocat , quia continuo bellum habet contra vitia , & contra hæreses . Ergo iste exercitus exigebat duos Duces, unum contra vitia , & hic fuit Francisc s ; & sic Franciscum ejus Ducem ; alterum contra hæreses , scilicet Dominicum , ut statim dicetur paulo infra . Et dicit :
*- - - - - - - - Che sì caro*
*Costò - - - - - - - -*
scilicet , pretio sanguinis Jesu Christi :
*- - - - a riarmar - - - -*
quia scilicet exarmatus fuerat a Diabolo virtute sua , unde erat inermis & impar hosti :
*- - - - - - dietro a l' insegna*
*Si movea tardo , sospettoso , e raro* .
Quia pauci erant & suspecti & debiles , qui militarent in exercitu isto . Quia , ut dictum est in præcedenti Capitulo , satis defecerant valentes Sacerdotes , & Religiosi , tempore quo fundati sunt isti duo nobillimi Ordines .
*E com' è detto , a sua Sposa soccorse* ,
idest, Ecclesiæ Christi :
*Con due Campioni ; - - - - - -*
scilicet , Francisco & Dominico :
*- - - - - - al cui far , al cui dire* ,
idest , ad quorum pugilum facta & dicta :
*Lo Popol disviato - - - - - -*
idest , Populus Christianus , qui deviaverat a Virtute & Fide :
*- - - - - - - si raccorse* .
Idest , emendavit se , & redivit ad rectam viam Virtutis & Fidei . Quia multi conversi sunt , mirantes istos Ordines , & alios converterunt . Et dicit : *E com' è detto* , scilicet in Cant. proxime præcedenti, ubi posita est eadem sententia .
*In quella parte , - - - - - -*
Heic Bonaventura accedit ad describendam Vitam Beati Dominici . Et primo describit locum suæ originis a Regno , a Rege , a plaga , a vento . Ad cujus evidentiam est præsciendum , quod iste Dominicus fuit oriundus de Hispania , de Regno Castellæ, de Civitate, quæ dicitur Uxama, de Villa illius, quæ dicitur Calagura . Dicit ergo :
*Siede la fortunata Callaroga* ,
Villa Uxamana , verè fortunata , quia peperit talem alumnum , tam fortem pugilem . Calaroga interpretatur bona deprecatio . Nam καλὸν Græce , Latine *Bonum*, & *Rogo* , idest , precor . Et heic nota , quod Calagora est Civitas in Hispania . *Siede* , idest , situata est , *in quella parte* , scilicet in plaga occidentali , ubi est Hispania :
*- - - - - - ove surge ad aprire*
*Zefiro dolce - - - - - -*
qui est ventus inter Ponentem, & Garbinum , lætus & suavis . Et subdit , quod dicta Terra descripta sedet sub protectione Regis Castellæ , quem describit ab Armatura sua . Unde dicit :
*Sotto la protezion - - - - - -*
idest , defensione & gubernatione :
*- - - - - - del grande Scudo* ,
idest , magni Regis Castellæ :
*In che soggiace il Leone e soggioga* .
Idest , in quo Scuto Leo est superior & inferior . Est enim Scutum divisum in quatuor quarteria . In uno superior est unus Leo ; & unum Castellum in alio . In tertio inferiori sub Leone est unum Castellum . In alio inferiori unus Leo sub Castello .
*Dentro vi nacque - - - - - -*
Heic Bonaventura descripto loco originis Dominici , nunc describit ipsum a virtute sua , dicens :
*- - - - - - l'amoroso drudo* ,
idest , Dominicus , totus accensus amore Caritatis , *vi nacque dentro* , scilicet , in illa Calaroga . Ille , dico :
*De la Fede Cristiana il Santo Atleta* ,
idest, pugil . Fuit enim fortis pugnator Fidei, tamquam Hispanus , qui sunt naturaliter bellicosi , & ad labores , & ad incommoda duri . Unde dicit :
*Benigno a' suoi , - - - - - -*
scilicet , veris Christianis :
*- - - - - - & a' nemici crudo* .
Scilicet , hæreticis :
*E come fu creata - - - - - -*
Heic Bonaventura describit prima incunabula virtutis Dominici , quæ per præsagium ostensa fuit , antequam nata esset . Unde dicit :
*E come fu creata , fu repleta*
*Sì la sua mente di viva virtute* ,
idest , statim , quum anima creata a Deo fuit infusa corpori ;
*Che ne la madre lei fece Profeta* .
Idest , ipsam matrem ; quoniam mater ipsius Dominici prægnans ex eo , somniavit se parere Canem , portantem facem in ore , qua inflammabat totum Mundum . Canis siquidem fuit latrando contra hæreticos , & facem portavit, idest lucem Scientiæ , qua accendit & illuminavit omnes . Vel per faculam ardentem intellige ardentem Caritatem , quam habuit , ut omnia venderet & pauperibus daret , volens se ipsum vendere, dum petenti non haberet , quod daret .
*Poi che - - - - - - -*
Heic Bonaventura descriptâ virtute Dominici per unum præsagium ante nativitatem , nunc describit ipsam post nativitatem per aliud præsagium . Nam Domina , quæ tenuit ipsum in Baptismo , somniavit , quod Dominicus ipse habebat Stellam in fronte præfulgidam , quæ illuminabat totum Mundum . Dicit ergo :
*La Donna , che per lui l'assenso diede* ,
idest , Matrona , quæ ipsum de Sacro Fonte levavit , quæ consensit pro eo , quando Sacerdos interrogabat : *Vis baptizari ?* & ipsa respondebat pro eo : *Volo* ;
*Vide nel sonno il mirabil frutto*
doctrinæ , scilicet , & prædicationis :
*Ch' uscir dovea di lui e de l'erede* .
Idest , de Fratribus Prædicatoribus , inter quos fuerunt multæ Stellæ fulgidæ lucentes in Mundo . Et quæ Stellæ receperunt lumen a Sole

Sole suo, scilicet a Dominico ipso. Et hoc vidit post Baptismum. Unde dicit:

*Poichè le sponsalizie - - - - - -*

idest, promissio, quae fit in Baptismo, quam facit ille, qui levat, in persona baptizati. Et Sacerdos tenet locum Fidei:

*- - - - - - fur compiute*

*Al sacro Fonte - - - - - -*

scilicet, Baptismi; in quo datur gratia Spiritus Sancti, & copia Virtutum.

*- - - - - - intra Lui e la Fede,*

in quo Baptismo ipse & Fides

*U' si dotar di mutua salute;*

hinc inde, quia Fides fecit Dominicum salvum, & ipse salvavit Fidem, defendendo eam contra Haereticos, & confirmando. Et heic nota, quod in Baptismo contrahitur magnum vinculum inter levantem & levatum, quia iste efficitur pater, & ille filius; & tenetur docere ipsum Fidem & mores Ecclesiae; nec potest contrahere secum affinitatem. Unde levans non potest accipere in uxorem illam, quam de Sacro Fonte levavit, nec tradere eam filio suo.

*E perchè fosse - - - - - -*

Heic Bonaventura describit Dominicum a nomine proprio, & nominis interpretatione, dicens:

*Quinci si mosse spirto - - - - - -*

scilicet, illius Matronae praedictae:

*- - - - - - - - a nomarlo,*

idest, ex isto somnio ad nominandum ipsum:

*Del possessivo, - - - - - -*

scilicet, illius Domini:

*- - - - - - di cui era tutto,*

Nam Dominicus, Dominica, Dominicum, est nomen possessivum istius nominis *Dominus*. Dictus est ergo Dominicus, quasi servus Domini, & deputatus ad custodiam Dominici gregis. Et ideo dicit:

*E perchè fosse, qual' era in construtto,*

idest, in loquela vel nomine talis, supple, *qual' era*, scilicet in re & facto. Et subdit exponens dictum suum:

*Domenico fu detto, - - - - - -*

dicit Bonaventura:

*- - - - - - & io ne parlo*

*Sì come de l'agricola, - - - - - - -*

idest, bono colono:

*- - - - - - - - - che Cristo*

*Elesse a l'orto suo, - - - - - - -*

scilicet Ecclesiae Christi, quae velut Hortus virens producit diversas herbas, plantas, & arbores diversorum seminum, florum, & fructuum:

*- - - - - - - - per ajutarlo.*

quia indiget adjutorio, ut dictum est in principio Capituli.

*Ben parve messo, - - - - - -*

Heic Bonaventura incipit describere Vitam Dominici. Et primo ostendit per effectum, quod fuit talis, qualis descriptus est, dicens:

*Che 'l primo amor, che 'n lui fu manifesto.*

quasi dicat: primus amor, quem ostendit in infantia ad aliquam rem:

*Fu al primo consiglio, che diè Cristo.*

quia statim sequutus est primum consilium Christi. Ad quod nota, quod quatuor sunt Consilia Domini. Primum Humilitas & Mansuetudo; secundum Castitas; tertium Paupertas; quartum Caritas erga inimicos, & persequutores nostros. Modo heic loquitur de primo, quod indicat litera sequens. Unde subdit: ipse Dominicus

*Spesse fiate fu tacito e desto*

*Trovato in terra da la sua Nutrice;*

scilicet, sine planctu, quia scilicet non ceciderat casualiter, sicut saepe solet accidere infantibus: *e desto*, idest, vigil, non dormiens, sicut aliquando pueri inveniuntur. Et dicit:

*Come dicesse: Io son venuto a questo.*

scilicet, ad istum statum Humilitatis. Velut si diceret sibi ipse Dominicus: *Terra es, & in terram reverteris.*

*O padre suo - - - - - - - -*

Heic Auctor considerans mirabilia initia operum Dominici, exclamat cum admiratione ad parentes, quibus datum est Dominicum talem filium generare, dicens:

*O padre suo veramente Felice!*

quia vocatus est Felix nomine. Et fuit verè felix non solùm nomine, sed & re, non fortuitâ felicitate terrena, sed verâ & aeternâ.

*O madre sua veramente Giovanna!*

non nomine, sed re. Johanna enim interpretatur gratiâ plena. Ideo dicit:

*Se interpretata val, come si dice.*

Et subdit:

*Non per lo Mondo - - - - - - - -*

Heic Bonaventura describit studium Dominici, quod fecit ad finem verae felicitatis aeternae, & non ad finem divitiarum, honoris, potentiae, & gloriae, & voluptatis: quod communiter sequuntur homines, sicut egregie probat Aristoteles Libro Ethicorum, & Boëtius Libro de Consolatione. Dicit ergo: & ille Dominicus

*- - - - - - - - gran Dottor si feo,*

idest, factus est in sacra Theologia:

*In picciol tempo - - - - - - - -*

per hoc, quod ipse Dominicus habuit scientiam infusam a Deo. Nam magnus Doctor non potest quis esse, nisi in magno tempore, ut dictum est in Capitul. hujus Paradisi. Et verè fuit magnus Magister:

*Tal che si mise a circuir la Vigna,*

scilicet, Fidem Catholicam, quae infra dicitur Hortus:

*Che tosto imbianca, - - - - - -*

idest, arescit, quòd ex viridi efficitur alba:

*- - - - - - se 'l Vignajo è reo.*

idest, si homo est pravus. Et hoc fecit non ad finem divitiarum vel honoris. Unde dicit:

*Non per lo Mondo, - - - - - -*

idest, non pro felicitate mundana:

*- - - - - - per cui mò s'affanna.*

idest, pro quo nunc laboratur:

*Diretro ad Ostiense, - - - - - -*

per hoc notat Decretalia. Fuit enim Ostiensis quidam Cardinalis, qui ea collegit. Et verè nunc maxima pars Studentium tendit ad Decretales, sicut videmus de facto. Nec mirum, quum multos videamus ignorantes Grammaticam, ut de ceteris Artibus nihil dicam, qui consequuntur maxima beneficia & dignitates, qui sciunt allegare duas Decretales:

*- - - - - - - - - & a Taddeo.*

Per hoc notat Medicinalia. Fuit enim Thaddaeus Medicus famosus, conterraneus Auctoris, qui legit & scripsit Bononiae, & vocatus est plusquam Commentator. Et factus est ditissimus, immo ditavit Hortulanum suum. Vixit autem annis . . . . . . . & mortuus est morte repentina, & sepultus est Bononiae ante Portam Minorum in pulcra & marmorea sepultura. Sed potius per contrarium. Unde dicit:

*Ma per amor de la verace manna.*

idest verae beatitudinis, qua pascuntur animae Beatorum.

*Et a la Sedia; - - - - - - - -*

Heic Bonaventura probat per effectum, quod Dominicus non studuerit ad finem lucri vel honoris, quia non petivit a summo Pontifice, postquam factus est magnus Doctor, ea quæ communiter petunt alii Sacerdotes & Religiosi, qui petunt Prælaturas, potestatem, & auctoritatem. Nunc expone literam, & construe sic. Et cape primo illud, quod est in principio istius primi Rhythmi; deinde illud, quod est in principio tertii Rhythmi. Et dicas: *Ei non addimandò.*

*- - - - dispensare o due o tre per sei,*

idest, non petivit a Papa posse dispensare quinque pro sex, sicut tota die faciunt permutationes. Vel non petivit ipse dispensari in aliquo, sicut multi impetrant hodie, quod sint absoluti ab Ordine:

*Non la fortuna di primo Vacante;*

idest, non petivit Beneficium, quum primo vacaret per mortem habentis, quod est parare materiam & causam hominibus optandi & sæpe quærendi mortem alterius:

*Non Decimas, quæ sunt Pauperum Dei.*

idest, non petivit, posse retinere sibi Decimas in suum vel alterius usum sub aliquo colore, quæ deberent potius converti in usum Pauperum. Decimas enim debet unusquisque Sacerdoti suo ex Legis mandato antiquæ. Unde dictum est: *Decimas & primitias Deo tuo non tardabis offerre.* Attamen in partibus, ubi non est talis consuetudo, non tenemur. Hæc & alia similia non petivit Beatus Dominicus *a la Sedia,* scilicet Apostolica:

*- - - - - - che fu già benigna*

*Più a' poveri giusti, - - - - - -*

scilicet, quàm modò sit; quia nunc est benigna divitibus injustis. Et in hoc commendat Pastores primitivæ Ecclesiæ, & culpat modernos. Unde corrigit dictum suum, dicens:

*- - - - - - - - non per lei.*

idest, non culpâ ipsius Sedis, quæ de se Sancta est, sed culpâ Pastoris. Unde dicit:

*Ma per colui, che siede, che traligna.*

scilicet, culpâ Papæ. Et loquitur de Bonifacio, qui tunc sedebat in Sede Petri injuste. Unde dicit, *che traligna*, idest, degenerat. Sed potius petivit Officium Inquisitionis hæreticæ pravitatis; unde dicit:

*- - - - - - ma contra 'l mondo errante.*

supple, petivit:

*Licenza di combatter per lo seme,*

idest, propter Fidem:

*Del qual si fascian ventiquattro piante.*

Et heic nota quod aliqui exponunt, immoquasi omnes, idest, XXIV. Libri Bibliæ, qui sunt tamquam plantæ virentes: *fascian*, idest, informant, & muniunt nos; de quibus figuraliter dictum est in Purgatorio, ubi dixit: *ventiquattro Signori.* Sed licèt ista expositio videatur consona, non tamen est de mente Auctoris, si quis bene considerat præsentem fictionem. Ideo exponatur melius, & sic: *Del qual ti fascian ventiquattro piante*; idest cujus seminis Fidei, viginti quatuor floridi Doctores cingunt te. Quia, ut jam patet ex dictis in principio hujus Capituli duæ coronæ Doctorum circumcingebant Auctorem, quarum unaquæque constabat ex duodecim animabus, sicut Auctor singillatim descripsit primam superiori Capitulo, secundam verò describit in præsenti Capitulo, ut patebit paulo infra. Et dicit: *contra 'l mondo errante*, idest contra mundanos in Fide errantes.

*Poi con dottrina - - - - - - -*

Heic Bonaventura describit operationem virtuosam, & operam efficacem Beati Dominici post impetrationem officii contra Hæreticos dicens. Et Dominicus:

*Poi con dottrina, - - - - - -*

ne peccaret ex ignorantia:

*- - - - - - e con volere insieme*

idest, propria & spontanea voluntate, non tamquam ab alio missus, vel invitus:

*Con l'Officio Apostolico si mosse;*

ne videretur temerarius, si auctoritate sua hoc faceret, a simili:

*Quasi torrente, ch' alta vena preme.*

quasi dicat, vivaciter, & impetuose ad modum torrentis, idest fluvii, quem vena abundans emittit. Unde subdit:

*E negli sterpi eretici percosse*

*L'impeto suo - - - - - - - -*

idest, in stipites venenosos Hæreticorum, quos exstirpavit. Et dicit:

*- - - - - - più vivamente quivi,*

supple, percussit:

*Dove le resistenze eran più grosse.*

idest, ubi erant majores Hæretici, vel ratione scientiæ, vel potentiæ. Non enim fecit, sicut quidam moderni Inquisitores, qui non sunt audaces nec solertes, nisi contra quosdam divites denariis, pauperes amicis, qui non possunt facere magnam resistentiam, & extorquent ab eis pecunias, quibus postea emunt Episcopatum.

*Di lui si fecer - - - - - - -*

Heic ultimo Bonaventura describit professionem Dominici, commendans ejus Ordinem & Fratres. Unde dicit:

*Di lui si fecer poi diversi rivi,*

idest, post eum sequuti sunt diversi Fratres, tamquam rivi clari a clarissimo fonte Dominici; unde dicit:

*Onde l'Orto Catolico si riga;*

idest, ex quibus rivis Ecclesia, quam jam supra vocaverat Hortum, irrigatur & fœcundatur:

*Sì che suoi arbuscelli stan più vivi.*

idest, fideles Christiani in Fide, quia *Justus ex Fide vivit.*

*Se tal fu l'una - - - - - -*

Heic ipse Bonaventura de Balneo Regio, descriptâ & commendatâ Vitâ Beati Dominici, nunc intendit vituperare Vitam Fratrum sui Ordinis, & ex dictis arguit excellentiam Beati Francisci, ut sic habilius defendat Fratres ejus. Dicit ergo concludens:

*L'eccellenza de l'altra, - - - - - -*

scilicet, Francisci:

*- - - - - - di cui Tomma*

scilicet, de Aquino:

*- - - - - - - - fu sì cortese,*

quia superius tam alte commendavit Vitam Beati Francisci:

*Dinanzi al mio venir - - - - - -*

scilicet, in prima Corona, antequam veniret secunda, in qua nunc ego sum:

*Ben ti dovrebbe assai esser palese,*

idest, satis deberet esse tibi nota & manifesta:

*Se tal fu l'una rota - - - - - -*

scilicet, Dominicus:

*- - - - - - - - de la biga,*

idest, Ecclesiæ, quæ est currus habens duas rotas, sicut pulcre Auctor finxit supra in Purgatorio:

*In che la Santa Chiesa si difese;*

& præcipue a domesticis inimicis. Unde dicit:

*E vinse in campo la sua civil briga.*

quam scilicet habebat cum Hæreticis. Et nota, quantum metaphora sit pulcra. Appellat enim ci-

civile bellum discordiam Hæreticorum, qui sunt de eadem congregatione cum Christianis, & deberent defendere bonum commune Fidei, quod dividunt & lacerant.

*Ma l'orbita - - - - - - - -*

Heic Bonaventura reprehendit Fratres Ordinis dicti Francisci; & dicit, quod dereliquerunt vestigia Francisci, & aliorum priorum Fratrum Sanctorum. Dicit ergo:

*Ma l'orbita, - - - - - - - -*

idest, vestigium rotæ:

*- - - - - - che fè la parte somma*

*Di sua circonferenza,*

idest, quam orbitam pars extrema circumferentiæ fecit. Est enim orbita illud vestigium, quod facit rota in terra:

*- - - - - - - - è derelitta.*

quia Fratres Minores non incedunt amplius per viam illam antiquam. Et est tantum derelicta illa orbita:

*Sì ch' è la muffa, dov' era la gromma.*

Et heic nota pulcherrimam & propriissimam similitudinem. Gromma enim est solida, sapida, odorifera, & bona, ita quod conservat vinum. Muffa verò est lubrica, insipida, fœtida, mala, & inficit omne vinum quantumcumque de se bonum. Ita a simili. In primis Fratribus erat Virtus, quæ est verè solida, delectabilis, & bona: quæ animum conservat & salvat. In modernis verò est Vitiositas, quæ est lubrica, amara, infamis, & mala: quæ infirmat & depravat omnem animum, quantumcumque de se sanum & bonum. Est autem Gromma crusta, quæ fit in vasis, quæ alio nomine dicitur *Tarsum*. Et subdit exponens, & declarans dictum suum.

*La sua Famiglia, - - - - - - -*

scilicet, Fratrum Minorum, quorum est multitudo maxime numerosa:

*- - - - - - - - - che si mosse dritta*

*Co' piedi a le sue orme, - - - - - -*

quia a principio illi recte imitati sunt vestigia Beati Francisci:

*- - - - - - - - è tanto volta;*

idest, mutata; quia sicut creverunt in numero, ita & in novitate:

*Che quel dinanzi quel diretro gitta.*

idest, Fratres antiqui primi contradicunt modernis sequentibus; quia illi fuerunt pauperes, isti divites; illi humiles, isti superbi; illi macri, isti pingues; & ita de aliis.

*E tosto - - - - - - - - - -*

Heic Bonaventura considerans vitam suorum Fratrum modernorum, prænuntiat tempestivam deteriorationem ipsorum sub una metaphora pulcra & propria dicens:

*E tosto s'avedrà de la ricolta,*

idest, de fructu futuro:

*De la mala cultura, - - - - - -*

idest, malorum operum:

*- - - - - - - - quando il loglio*

idest, pravus Frater:

*Si lagnerà, che l'arca gli sia tolta.*

scilicet, pro pejori se, vel quia vacuabitur ipsis. Est enim Lollium semen malignum, quod suffocat frumentum & bonam herbam. Modo dicit iste, quod horreum vel arca, idest Ecclesia, vel Regula, quæ continet & conservat fructus Fratrum Minorum, vacuabitur Lollio, idest malis, & præparabitur pejoribus, & sic ultimo pessimis. Et heic nota, quod Auctor noster circumspectissimus, ex his, quæ videbat, conjecturabat finem istorum. Nam de rei veritate isti duo egregii Ordines Prædicatorum

A & Minorum, quondam duo clarissima mundi lumina, jam satis patiuntur eclipsim, & in declinatione sunt, & habent inter se patenter bella civilia, & domesticas discordias. Et per consequens videntur non diu duraturi. Ideo bene Monachus Sancti Benedicti, dum increparetur a Fratre Minore de ejus lascivia, respondit: *Quando Franciscus habuerit tot annos, quot habet Benedictus, tunc loquaris mihi.*

*Ben dico - - - - - - - -*

Heic Bonaventura excipit aliquos paucos a dicta depravatione, qui bene servant Regulam, quorum meritis Ordo ipse consistit. Dicit ergo:

*Ben dico, chi cercasse a foglio a foglio*

*Nostro Volume, - - - - - - -*

B idest, si quis bene inquireret in Ordine Minorum, qui est maximum volumen Fratrum, ex multis foliis, idest de Fratre ad Fratrem singillatim:

*- - - - - - ancor troveria carta*

idest, aliquem Fratrem:

*Il leggerebbe: - - - - - - - - -*

idest, legere posset:

*- - - - Io mi son quel, ch' io soglio.*

idest: sum verè Frater Minor antiquus non mutatus, humilis, pauper, discalcius.

*Ma non fia - - - - - - - -*

Heic Bonaventura damnat in speciali duos Fratres Minores. Et primo Fratrem Johannem de Casali. Iste siquidem nimis stringebat Scripturam Sacram in exponendo. Scripserat enim super Librum Apocalypsis, ubi fecit infructuosissimas expositiones, & multa & magna mala dixit de Ecclesia, sive de Pastoribus Ecclesiæ. Propter quod Liber ejus est damnatus & prohibitus sæpe in omni Capitulo. Alter fuit Frater Matthæus de Aquasparta, qui nimis econtra dilatabat Scripturam, nimis elongans se a literali sensu. Dicit ergo: *Ma non fia*, scilicet talis charta, idest Frater

*- - - - - - - da Casal, - - - - - -*

Est enim Casale Terra satis magna & pulcra, sita supra Padum in Pedemontium. Et vocatur Casale Sancti Evasii.

*- - - - - - - - nè d' Acquasparta,*

D Aquasparta est una Villa in agro Tuderti, unde fuit oriundus præfatus Frater Matthæus, qui fuit Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, & missus Florentiam a Papa Bonifacio ad tollendas seditiones Blancorum & Nigrorum in MCCCI. Qui nihil profecit ibi; immo dimisit Terram ipsam in pejori statu. Ideo forte Auctor recordatus est ejus; unde dicit:

*Là onde - - - - - -*

idest, a quibus Terris Casalis & Aquæspartæ:

*- - - - vengon tali a la Scrittura;*

scilicet, Fratres Minores ad exponendam Scripturam Sacram. Aliqui tamen exponunt de Scriptura Regulæ Minorum. Sed prior expositio melior est:

E *Ch' uno la fugge, - - - - - - - -*

idest, ille de Aquasparta:

*- - - - - - e l'altro la coarta.*

Scilicet, illi de Casali:

*Io son la vita - - - - - -*

Heic dictus Bonaventura describit se & socios illius secundæ coronæ. Et primo describit se a nomine, loco, & dignitate, dicens: *Io son la vita*, idest, anima;

*- - - - - - di Bonaventura:*

Et est nomen consequens rei. Nam fuit bene fortunatus, & vere felix:

*Da Bagnoregio; - - - - - -*

Balneum Regium est una parvula Villula apud Ur-

Urbem Veterèm, unde fuit dictus Bonaventura. Et dicit:

*- - - - - - che ne' grandi offici*

quia fuit primo Generalis Ordinis Minorum, deinde factus fuit Cardinalis invictus. Et tamen numquam dimisit studium speculationis Sacrarum Scripturarum; immo multa & pulcra scripsit in sacra Theologia, quia magnus Doctor fuit:

*Sempre pospose la sinistra cura.*

Idest, curam temporalium, quæ ducit ad mortem. Unde per Infernum semper itur ad sinistram, sicut patuit in Libro primo per totum. Dextera vero ducit ad vitam; unde per Purgatorium semper itur ad Cœlum ad dexteram. Aliqui tamen per curam dexteram & finistram intelligunt vitam contemplativam & activam.

*Illuminato, - - - - - - - -*

Heic Bonaventura nominat alios duos socios, dicens:

*Illuminato & Agostin son quinci.*

Isti fuerunt de primis imitatoribus Beati Francisci; unde dicit:

*Che fur de' primi scalzi poverelli,*
*Che nel capestro a Dio si fero amici.*

Idest, in habitu Beati Francisci, cujus Fratres portant chordam cinctam. Sed heic oritur dubitatio. Quum istæ coronæ constent ex claris Doctoribus, viris magnæ scientiæ & sapientiæ, quomodo isti duo Fratres, qui fuerunt homines ignorantes, reponuntur inter istos literatissimos? Ad solutionem hujus dubitationis est notandum, quod Auctor fecit pulcherrimam fictionem. Nam ponit & repræsentat animas istorum Doctorum scientificorum in figura Stellarum lucentissimarum, quia qui erudiunt alios ad justitiam, *velut Stellæ fulgebunt in Regno Dei*, ut ait Propheta. Modò ad propositum. Prædicti Fratres licèt non erudierint fortè vel doctrinâ, vel scripturâ, tamen opere & exemplo bene ædificaverunt alios. Ideo de industria facit mentionem de ipsis.

*Ugo da Sanvittore - - - - -*

Heic Bonaventura describit alium Doctorem, dicens:

*Ugo da Sanvittore è qui con elli;*

Hic fuit primo Canonicus Regularis, deinde fuit Canonicus in Sancto Victore Parisius, magnus Doctor in sacra Theologia in MCVIII. Et multos & pulcros Libros scripsit. Fuit vir sanctissimæ vitæ. Unde quum laboraret in extremis, portato sibi Corpore Christi, dixit: *Anima mea vade simul cum Redemtore tuo*. Et continuo ejus spiritus exivit, & Eucharistia exivit de manu Sacerdotis, & visibiliter volavit in cœlum cum illa anima beatissima.

*E Pietro - - - - -*

Heic nominat alium spiritum, dicens:

*E Pietro Mangiatore, - - - -*

Iste Petrus Comestor fuit Lombardus, vir magnæ scientiæ, qui fecit Librum, qui dicitur *Historia Scholastica*, in quo declaravit multa puncta & dubia Sacræ Scripturæ. Fecit epitaphium ponendum supra Sepulcrum suum sub hac forma:

„ *Petrus sum, quem petra tegit - - - - &c.*

Et subdit:

*- - - - e Pietro - - - -*

Heic describit alium spiritum, dicens:

*- - - - - e Pietro Ispano*

Hic fuit Frater Prædicator, qui fecit Tractatus in Logica, qui distincti sunt in duodecim Libellis intra partem majorem & minorem. Quod opusculum fuit valde utile novellis introducendis ad Logicam & Artes. Unde dicit:

*Il qual giù luce in dodeci Libelli.*

scilicet, in mundo:

*Natan - - - - -*

Heic Bonaventura nominat alium spiritum antiquum de Veteri Testamento, dicens:

*Natan Profeta; - - - - -*

Propheta fuit & princeps Sacerdotum in Hierusalem. Qui tempore Davidis reprehendit ipsum de adulterio, de mandato Dei, de quo scribitur Libro Regum. Fuit iste Natan prædicator, & reprehensor, ut convenit Pastori; unde convicit Davidem caute per exemplum Divitis & Pauperis, ut patebit ibi.

*- - - - - il Metropolitano*
*Crisostomo; - - - - -*

Iste est Johannes, qui interpretatur *Os Aureum*, nam χρυσὸς Græce, *Aurum* Latine, & τόμα, idest *os*. Dictus est autem os aureum propter mirabilem ipsius eloquentiam. Fuit iste Chrysostomus Archiepiscopus Constantinopolitanus. Cujus Vita habetur in Historia Tripartita. Primo enim studuit Philosophiæ, deinde in Theologia, tempore Honorii & Arcadii Impp. Et promotus fuit a Damaso Papa. Et passus exilium a multis Hæreticis, non tacuit veritatem in suis prædicationibus & scripturis. Fuit enim homo multum rigidus.

*- - - - & Anselmo, - - - -*

Hic fuit Monachus de Normandia, deinde Archiepiscopus Conturbiæ; magnus & subtilis Doctor in Theologia, qui fecit sententias antiquas.

*- - - - - - e quel Donato,*

Hic fuit Romanus Grammaticus, qui fecit in Grammatica majorem & minorem editionem, quos Libros Rhemigius Doctor commentavit; & hic fuit Magister Beati Hieronymi. Et quia fuit generaliter utilis, & primo pueris ad scientias introducendis, ideo reponit ipsum inter istos. Unde dicit:

*Ch' a la prim' Arte degnò poner mano:*

idest, quia dignatus est:

*- - - - - - e lucemi dal lato.*

Heic ultimo describit ultimum Doctorem secundæ coronæ. Et hic fuit Joachim Abbas Monasterii Florensis in Calabria. Scripsit multa, & præcipue super Prophetas, declarando Prophetias & ventura tempora. Unde dicit:

*Il Calavrese Abate Giovachino*
*Di spirito profetico dotato.*

Multa siquidem prophetasse vera videtur in Libro, quem dicitur fecisse de Pontificibus, in quo effigiavit mirabiliter unumquemque in diversa forma & figura, ut sæpe notavi:

*Ad inveggiar - - - - - -*

Heic Bonaventura claudens Capitulum, ostendit, qualiter fuerit motus ad commendationem Dominici; unde dicit:

*Mi mosse l'inflammata cortesia*
*Di Fra Tommaso, e 'l discreto Latino;*

Magna commendatio, quam fecit Thomas de Aquino eloquenter & discrete & curialiter de Beato Francisco, *mi mosse*

*Ad inveggiar cotanto Paladino,*

idest, ad invidendum Dominico, qui fuit tam fortis pugil Fidei, idest ad sequendum ex æmulatione virtutis in bona parte. Et subdit concludens:

*E mosse meco questa compagnia.*

Idest, induxit etiam omnes, quos tu vidisti, &

& nominari audivisti in secunda corona.

*Ad Cant. XV. Vers.* 88.

*O frondi mia, in che io compiacemmi,*

Heic Dominus Cacciaguida se propalat, & mutationem suæ Civitatis Florentiæ. Et primo Auctor ponit responsum illius ad petitionem suam, describentis se a principio cognationis. Unde dicit Auctor sic: ille Cacciaguida

*Cotal principio rispondendo femmi.*

*O fronda mia,* - - - - - -

idest, o fili mi, qui ex meo genere descendisti, sicut planta virens ex arbore vetusta. Et dicit:

- - - - - - *in che io compiacemmi,*

Utitur verbis Evangelii, in quibus Deus Pater dixit de Filio suo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo bene mihi complacui:*

*Pur' aspettando;* - - - - - -

scilicet, adventum tuum ad Cœlum:

- - - - - - *io fui la tua radice,*

idest, primus de stirpe tua, cujus ego sum stips.

*Poscia mi disse:* - - - - - -

Heic Auctor ostendit, quomodo dictus spiritus descripsit genealogiam suam per gradus consanguineitatis, ut ostenderet quomodo erat antecessor primus ejusdem. Ad cujus prosapiæ seriem ordinatius cognoscendam est præsciendum, quod iste Dominus Cacciaguida habuit unum filium nomine Aldigherium ex uxore sua. Nunc ad literam. Dicit Auctor: Et ille Cacciaguida *poi cominciò*, supple, dicere; & manifestato stipite, cœpit manifestare plantas, sive ramos, qui descenderant ab illo. Et primò incipit a filio suo, a quo facta est denominatio totius cognationis Auctoris. Et dicit:

- - - - - - *Quel, da cui si dice*

*Tua cognazion* - - - - - -

idest, a quo denominatur tua prosapia Aldigheriorum; qui fuit homo elati animi, sicut communiter sunt viri nobiles. Unde dicit:

- - - - - - *che cento anni e piùe*

*Girato ha 'l monte in la prima cornice;*

scilicet, montem Purgatorii, in quo puniuntur superbi, portando saxa gravissima in cervice, circumeundo montem, inclinati ad terram propter ponderis gravitatem; jam sunt plures centum anni, ex quibus mortuus est, & punitus propter vitium superbiæ:

*Mio figlio fu,* - - - - - -

vocatus Aldigherius, ut jam dictum est:

- - - - - - *e tuo bisavo fue;*

idest, Proavus. Et heic nota, quod eodem nomine vocatus est pater Auctoris. Fuit enim Dominus Aldigherius Jurisperitus. Et subdit:

*Ben si convien, che la lunga fatica*

*Tu gli raccorci* - - - - - -

idest, abbrevies laboriosam & longam pœnam, quam luit jam ultra centum annos. Laboriosum enim est saxum ingens portare jam tempore tanto. Et dicit:

- - - - - - *con l'opere tue,*

puta, orationibus, vel eleemosynis, vel jejuniis, & aliis, quæ sunt in suffragium animarum defunctarum. Et per hoc nota, quod ipsa anima beata non potest breviare tempus pœnæ filii, immo est opus auxilio hominum, qui sint in prima vita.

*Fiorenza* - - - - - - - - - -

Heic Cacciaguida intendit mutationem morum suæ Civitatis. Et ut cautius reprehendat Florentinos, præmittit honestum & tranquillum statum suorum Concivium, in quo ipse natus est. Ad cujus evidentiam est prænotandum, quod in MCLIV. Civitas Florentiæ erat minor, quàm modò sit, duabus fere partibus, sicut apparet ex veteribus muris. Et habitata erat a gente non tam malivola & sagace, sicut modò. Contentabatur modico. Non discurrebat per mundum, reportando domum diversos mores, consuetudines, & fogias in vestibus, cibis, & omni modo vivendi, ut statim patebit. Nunc ad literam. Dicit iste Dominus Cacciaguida:

*Fiorenza* - - - - - - - - - -

*Si stava in pace* - - - - - - - -

ubi nunc habet bellum, scilicet civile:

- - - - *sobria,* - - - -

scilicet, in victu, ubi modò est intemperans:

- - - - *e pudica,*

scilicet, in vita & honestate, ubi modò est impudica, lubrica, & inhonesta:

- - - - *dentro da la cerchia antica,*

idest, intra mœnia sua prima. Habet enim Florentia tres circulos; unum interiorem altero; secundùm quod fuit diversis temporibus ampliata; sicut & Bononia, & Padua. Modò in inferiori circulo est Abbatia Monasterii Sancti Benedicti, cujus Ecclesia dicitur Sanctus Stephanus, ubi certius & ordinatius pulsabantur horæ quàm in aliqua alia Ecclesia Civitatis. Quæ tamen hodie est satis inordinata, & neglecta, ut vidi, dum audirem Præceptorem meum Boccacium de Certaldo, legentem istum nobilem Poëtam in prædicta Ecclesia. Ideo dicit:

*Ond' ella* - - - - -

idest, a quo circulo interiori prædicta ipsa Florentia

- - - - *toglie ancora e Terza e Nona,*

& sic de aliis horis.

*Non avea* - - - - -

Heic Cacciaguida incipit enarrare depravationem morum modernorum Florentiæ percurrens vanos gestus mulierum suarum, dicens: Ipsa Florentia tempore meo

*Non avea catenella,* - - - -

Quia tunc Dominæ Florentinæ non portabant jocalia, monilia, & talia, circa pectus & brachia, sicut modò. Et hoc etiam fit alibi:

- - - - - *non corona.*

Non videbantur tunc Florentiæ Reginæ, sicut nunc ibi, & alibi. Nec istud novum. Nam Lucanus idem dicit de corona Romanarum:

*Non donne contigiate,* - - - -

quia non portabant calceamenta contegiata, more vilium feminarum, sicut nunc; sed hodie portant punctas ad calceos: quod turpius:

- - - - *non cintura,*

argenteam auream sicut nunc. Sed certe hodie portant cincturam ex margaritis sive perlis contextis:

*Che fosse a veder più che la persona.*

idest, plusquam personæ dignitatem, quasi dicat, ultra decentiam status & conditionis earum. Quia tunc Fornariæ non portabant perlas in calceis, sicut modò ibi faciunt, & Venetiis, & Januæ.

*Non faceva nascendo* - - - -

Heic Cacciaguida descripto superfluo ornatu mulierum Florentinarum, nunc describit nimium sumtum dotium earumdem. Et dicit, quod pater non solicitabatur circa filiam nascentem, quia non maritabatur tunc tam citò, nec dabantur tam magnæ dotes, sicut nunc; Unde dicit:

- - - an-

- - - - - *ancor paura*

*La figlia al padre* , - - - -

quia quidquid pater habet , vadit in dotem filiæ . Et reddit rationem dicens :

- - - - *che 'l tempo e la dote*

*Non fuggian quinci e quindi la misura* .

Si vis bene intelligere istam literam, quæ communiter est male intellecta , oportet , quod reddas singula singulis , & sic construas : *che 'l tempo non fuggia la misura quinci* ; idest ætas puellæ non fugiebat mensuram ex una parte , sicut nunc ; nam puellæ solebant nubere in vigesimo vel vigesimo quinto anno . Nunc verò duodecimo vel quintodecimo . Similiter *e la dote non fuggia la misura quindi* , idest ex alia parte , sicut nunc . Et heic nota , quod Licurgus fecit Legem , ut feminæ nuberent sine dote . Attamen secundum jura Civilia & Canonica melius est , quod dos detur . Quia solebat unus prædives Civis dare filiæ suæ in dotem CC. vel CCC. Aureos . Nunc autem dat MM. & MD. Et heic nota , quod licèt dos detur feminæ propter onera matrimonii sustentanda , tamen superflua dos non laudatur , quæ depauperat domum .

*Non avea* - - - - -

Heic Cacciaguida describit luxum Florentinorum in amplitudine stantiarum , & mollitie supellectilium , dicens : Et Florentia tempore meo

*Non avea case di famiglia vote* ,

Exponunt aliqui , quia nondum tunc erant factæ expulsiones Partium , quæ postea factæ sunt sæpe . Et recenter erant factæ tempore illo . Sed ista expositio , licèt videatur consona , non est tamen vera . Quia licèt factæ essent istæ expulsiones , tamen ita germinaverat Florentiæ semen , quòd Florentia erat decuplo plus repleta gentibus isto tempore , in quo loquitur , quam tempore ipsius Cacciaguidæ , sicut ipsemet dicet in sequenti Capitulo . Ideo exponatur , & verius , quod hoc dicit , quia tempore suo stabant duæ & tres familiæ in una angusta domo. Nunc autem e contra unus Florentinus cum uxore & duobus filiis tenet Palatium amplum, in quo commode starent decem familiæ. Et subdit mollitiem camerarum superfluam per exemplum Sardanapali . Ad literam ergo dicit :

*Non v'era giunto ancor Sardanapalo* ,

idest, nondum pervenerat Florentiam mollities Sardanapali ;

*A mostrar ciò , che 'n camera si puote* .

Nam Sardanapalus fuit studiosissimus circa muliebres mollities inveniendas . Fuit enim primus, qui invenit usum culcitræ & plumarum. Modò ad propositum vult dicere Cacciaguida, quod tempore suo non erant Florentiæ illa ornamenta & præparamenta Camerarum, quæ sunt modò . Nam non credo , quod sint in mundo cameræ tam deliciosæ & superfluitatis plenæ , quàm Florentiæ . Unaquæque enim videtur camera Reginæ . Et omnia ista instrumenta sunt ad libidinem incitamenta .

*Non era vinto* - - - - - - - -

Heic Cacciaguida describit ambitum Florentiæ in sumtuositate altissimorum ædificiorum . Et ad intelligentiam hujus literæ est breviter prænotandum , quod sententialiter vult dicere , quod tempore suo alta palatia & mœnia Florentinorum nondum superabant ædificia Romæ. Hoc autem indicat per duos montes , quorum unus ostendit Urbem Romam a longe, alter Civitatem Florentiæ, dicens: *Monte Malo* . Hic est Mons extra Urbem in Via , per quam ducebantur olim triumphi , ex quo monte prius videtur Roma tota :

*Non era vinto ancora Monte Malo*

*Dal nostro Uccellatojo* - - - - - -

Est autem Uccellatorius mons extra Florentiam distans per V. milliaria, in via, quæ ducit Boniam & Romandiolam . De quo monte euntibus Florentiam primo apparet ipsa Civitas . Vult ergo dicere, quod Mons Florentinus nunc vincit Montem Romanum , quia scilicet Mons Uccellatorius ostendit sub se majora mœnia Florentiæ , quam Mons Malus mœnia Romæ . Est tamen Mons Uccellatorius sterilis, aridus , & silvestris ; sed Mons Malus est fertilis , viridis, & domesticus. Postea prænuntiat ruinam & destructionem ædificiorum Florentiæ, dicens:

- - - - - - - - *che* - - - - - - - -

idest, qui Mons Malus.

- - - - - - - - *come è vinto*

*Nel montar su, così sarà nel calo* .

idest , in declinatione & lapsu ædificiorum ab ipso Uccellatorio : *come è vinto nel montar su* , idest, in exaltatione . Vult dicere , quod sicut Mons Malus vincitur nunc ab Uccellatorio , quia ostendit majora ædificia Florentiæ , quàm Mons Malus Romæ : ita in brevi vincetur ab eo in ruina, quia scilicet cito veniet tempus, in quo Mons Uccellatorius ostendet majores ruinas domorum intra Florentiam , quàm nunc Mons Malus ostendat intra Urbem Romam, in qua tamen sunt maximæ & multæ ruinæ . Et nota, quod Auctor loquitur hyperbolice, mordaciter increpans superfluitates Florentinorum, quia in rei veritate ædificia Florentiæ non sunt similia Romanis , nec per consequens poterunt esse ruinæ similes. Sed ecce omnia faciunt cursum suum. Ubi nunc Babylonia superba? Troja magna? Roma potens ?

*Bellincion Berti* - - - - - - - -

Heic Cacciaguida laudat antiquum habitum honestorum vestimentorum , nominans aliquot Cives bonos & graves . Unde dicit:

*Bellincion Berti vid' io*

Iste fuit Nobilis Miles, & bene moratus de Ravignanis, de quibus dicetur plenius in Cant. sequenti :

- - - - - - - - *andar cinto*

*Di cuojo e d'osso* ; - - - - - -

quia gestabat cincturam ex simplici corio cum fibulis & ornamentis osseis ; non de serico, vel argento, aut auratam , gemmatam , smaltatam, sicut nunc . Et subdit :

- - - - - - *e venir da lo specchio*

*La donna sua senza 'l viso dipinto* .

scilicet, uxorem dicti Militis sine facie fucata , immo inquinata :

*E vidi quel de' Nerli* , - - - - - -

Nobilis Civis de Nerlis, de quo dicitur Cap. II.

- - - - - - - *e quel del Vecchio* ,

alius bonus Popularis , pure vivens sine pompa vana vestium :

*Esser contenti a la pelle scoverta* ,

quia scilicet portabant clamydes de Camossa , sola pelle, sine aliquo panno . Et dicit :

*E le sue donne al fuso & al pennecchio* :

idest , & vidi uxores eorum contentas fuso & pensa ; quod hodie non faciunt Florentiæ; immo vacant fuco , non fuso . De quarum cultu videas , quod scriptum est in Purgatorio, si scire velis .

*O fortunate* , - - - - - - - -

Heic Cacciaguida volens damnare discursum Florentinorum , qui hodie discurrunt per totum

tum mundum, cupiditate sola ducti, commendat illud tempus, tamquam felix, & vituperat tempus præsens tamquam infelicissimum. Unde exclamat: *o fortunate!* dico scilicet illas fortunatas, quamvis pauperes habitu; quod statim probat per effectum, dicens:

*- - - - - - e ciascuna era certa*
*De la sua sepultura; - - - - - -*

quam unaquæque exspectabat in patria sua inter parentes, consanguineos, & notos. Et ostendit quomodo, dicens:

*- - - - - - & ancor nulla*

scilicet, mulier Florentina:

*Era per Francia nel letto deserta.*

Quia nondum erat derelicta a viro, remanens sola & frigida in lecto. Et dicit: *per Francia*, quia scilicet viri earum nondum discurrebant per mundum, quia Florentini non ibant in Franciam, Flandriam, Angliam, Brabantiam, sicut nunc. Quasi dicat: quum Florentini nunc generaliter peregrinentur per totum, & stent diu extra patriam, & aliquando per totum tempus vitæ, si uxores eorum sequuntur eos, moriuntur in aliena patria infeliciter sæpe, quum dicatur proverbialiter: *Alienâ terrâ bene vivis, sed male obis*. Si verò non sequuntur, remanent viduæ, viros habendo, & sic utrobique sunt infortunatæ. Ergo bene illæ antiquæ erant fortunatæ. Aliqui tamen exponunt: *e nulla era diserta*, scilicet a viro suo mortuo *per Francia*, ideſt, pro Lilio, Armatura Regum Francorum. Quasi dicat: non pro partialitate. Sed prior expositio est melior, licèt utraque sit vera in se.

*L'una vegghiava - - - - - -*

Heic Cacciaguida describit honestas solicitudines, & convenientes occupationes antiquarum, quæ vacabant circa curam filiorum, & rei familiaris; dicens: *l'una*, scilicet, mulier:

*- - - - vegghiava a studio della culla.*

Scilicet, filiorum vagientium in cunabulo. Et dicit:

*E consolando usava l'idioma,*

scilicet, maternum linguagium, scilicet, *la Nina Nanna*, consolando ipsos infantulos evigilantes:

*L'altra traendo a la rocca la chioma,*

ideſt, trahens filum a colo, quasi dicat, filando:

*Favoleggiava con la sua famiglia,*

ideſt, confabulabatur cum suis:

*Di Trojani, di Fiesole, e di Roma;*

dicentes, quod istæ fuerunt tres nobiles Civitates in mundo. Et de duabus quidem verum dicere poterant. De tertia autem, scilicet Fæsulana, recte fabulabantur, quia ista numquam fuit alicujus motus.

*Saria tenuto - - - - - - - -*

Heic ultimo Cacciaguida vult dicere: & ut breviter concludam, pauci pravi viri & mulieres illo tempore fuissent habiti pro miraculo in Civitate, sicut nunc e contra pauci virtuosi haberentur Florentiæ. Et nominat duos modernos vitiosos Florentinos, unam feminam, alterum virum. Ad cognitionem primæ mulieris est præsciendum, quod ista Cianchella fuit nobilis mulier Florentina de stirpe illorum de la Tosa: quæ fuit maritata in Civitate Imolæ cuidam Lito de Alidosiis, fratri Domini Alidosii, qui olim abstulit Imolam Bononiæ cum Maghinardo Pagano, ut alibi dictum est. De ista possem multa & vera referre, quæ audivi ab optimo patre meo Magno Compagno, qui diu legit tam laudabiliter, quam utiliter juxta domum habitationis dictæ Dominæ. Ergo quia Auctor ponit istam pro prava muliere, dicam aliquid jocosum de ea. Hæc siquidem mulier fuit arrogantissima & intollerabilis. Ibat per domum cum bireto in capite, more Florentinarum, & baculo in manu nunc verberabat famulum, nunc coquum. Accidit ergo semel, quod quum ivisset ad Missam ad locum Fratrum Prædicatorum de Imola, non longe a domo ejus, quidam Frater prædicabat a casu. Et quum nulla Domina assurgeret sibi, ista Cianchella, accensa indignatione & ira, cœpit injicere manus atroces nunc in istam, nunc in illam Dominam, lacerando uni crines & tricas, alteri bindas & velaria. Aliquæ non patientes, cœperunt reddere sibi vicem suam. Ex quo orto magno strepitu cum clamore in Ecclesia, viri circumstantes & prædicationem audientes, cœperunt omnes fortissime ridere, & ipse Prædicator similiter. Et sic prædicatio fuit soluta, & risu finita. Quid ultra? Hæc mulier defuncto viro reversa est Florentiam, & ibi fuit vanissima, & multos habuit procos, & multum lubrice vixit. Unde mortuâ ipsâ, quidam Religiosus Frater simplex prædicans super funere ejus, dixit, quod invenerat in ista femina unum solum peccatum, scilicet, quod ederat Populum Florentinum. Nunc ad literam. Dicit Cacciaguida:

*Una Cianghella, - - - - - -*

ideſt, una tam prava & vana mulier similis ei:

*- - - - - - un Lapo Saltarello:*

ideſt, tam temerarius & pravus Civis, sicut fuit Dominus Lapus de Saltarellis de Florentia. Iste siquidem fuit Jurista, vir litigiosus, & linguosus, multum infestus Auctori tempore sui exilii.

*Saria tenuto allor tal maraviglia,*

Ideſt, inter tot temperatos & continentes:

*Qualora saria Cincinnato e Corniglia.*

Quasi dicat; sicut esset nunc mirabile videre in Florentia inter tot vitiosos unum Civem similem Cincinnato, & unam mulierem similem Corneliæ. De Cincinnato dictum est Cant. VI. hujus Paradisi. Fuit enim vir parcissimus, & Reipublicæ amantissimus. De cujus laudibus multa scripsit Titus Livius. Dicit enim inter alia, quod vendidit agrum, & renuit dignitatem: quorum omnium contrarium faciunt Florentini. Cornelia autem, de qua heic loquitur Auctor, fuit filia Magni Scipionis Africani, quæ vocata est mater Gracchorum, mulier magnanima & pudica. Quæ numquam transvolavit ad secundas nuptias, de qua Titus Livius.

*A così riposato - - - - - -*

Heic Cacciaguida describit suam nativitatem, dicens, quod natus est in tam bene composita Civitate & tam felici ætate. Unde dicit:

*Maria mi diè chiamata in alte grida,*

quasi dicat: Mater mea invocans Mariam altis vocibus, sicut est de more mulierum Christianarum, peperit me Civem:

*A così riposato e così bello*
*Viver di Cittadini,*

scilicet; tam civili & ordinato:

*- - - - - - a così fida*
*Cittadinanza, - - - - - -*

quæ non fallebat fidem, sicut nunc. Et subdit, describens se a secta, & nomine:

*E ne l'antico vostro Battisteo*
*Insieme fui Cristiano e Cacciaguida.*

Ideſt,

Ideſt , in loco Baptiſmi veſtri , quod olim fuit Templum Martis , ſicut jam ſæpe dictum fuit, & adhuc dicetur :

*Moronto fu - - - - - - - -*

Heic Cacciaguida tangit utramque ſtirpem Auctoris , ſcilicet primam Eliſæorum , & ſecundam Aldigheriorum , dicens :

*Moronto fu mio frate , & Eliſeo :*

quaſi dicat ; habui duos fratres, quorum unus vocatus eſt Morontus , alter Heliſæus a nomine ſtirpis . Et dicit :

*Mia donna venne a me di Val di Pado ;*

ideſt, a Civitate Ferrariæ , quæ eſt in Valle Padi , immo eſt clauſa intra tres ramos Padi , & undique clauſa . Et rectus Padi eſt ramus ibi major . Et dicit :

*E quindi il ſoprannome tuo ſi feo .*

Scilicet, Aldigherius , de quo dictum eſt paulo ſupra , natus eſt ab iſta Domina , quæ fuit de Aldigheriis de Ferraria .

*Poi ſeguitai - - - - - - - -*

Heic Cacciaguida deſcribit ſe ab officio ſuo , ſcilicet a dignitate militari . Ad cujus intelligentiam eſt præſciendum, quod Conradus Romanorum Rex in MCXLVII. cum Ludovico Rege Francorum tranſivit cum exercitu Chriſtianorum ad recuperandam Terram Sanctam . Inter alios dictus Cacciaguida ivit ad illud paſſagium . Qui ſtrenuitate ſua reddidit ſe gratum dicto Regi , adeo quod donavit eum honore Militari . Et demum pugnans contra Infideles cecidit in acie . Et heic Auctor ſum ſit occaſionem ponendi eum Beatum in Marte; quia fuit fortis pugnator , militavit ſub Principe Chriſtiano , pugnavit pro Fide Chriſtiana contra Infideles , & Miles Chriſti mortuus . Nunc ad literam. Dicit Cacciaguida :

*Poi ſeguitai l'Imperador Currado ;*

ſcilicet , in ſubſidium Terræ Sanctæ :

*Et ei mi cinſe de la ſua Milizia ,*

ideſt , fecit me Militem accinctum :

*Tanto per ben oprar gli venni a grado .*

Scilicet , in exercitio armorum , in auxilium Fidei. Et ſubdit, contra quos militavit, dicens :

*Dietro gli andai incontro a la nequizia ,*

ideſt , iniquitatem :

*Di quella Legge ; - - - - - - -*

ſcilicet , Mahometti , ſi tamen Lex dici meretur . Et dicit :

*- - - - - - il cui Popol' uſurpa ,*

ſcilicet, Saracenus , qui vivit ſub Lege Mahometti : *Uſurpa*

*Per colpa di Paſtor voſtra giuſtizia .*

Ideſt , injuſte detinet & poſſidet Terram Sanctam , quæ juſte eſt Chriſtianorum . Et incidenter culpat Papam , qui permittit dictam Terram occupatam conculcari ab Infidelibus , dicens : *per colpa di Paſtor* , ſcilicet , Bonifacii Papæ VIII. , qui tunc ſedebat , ſicut jam idem dixit Auctor ſupra .

*Quivi fu' io - - - - - -*

Heic Cacciaguida tangit ſuam mortem , dicens : *Quivi* , ſcilicet , in illa Terra Sancta :

*- - - - fu' io da quella gente turpa*

*Diſviluppato - - - - - - - -*

ideſt , interfectus a Saracenis , quæ gens in rei veritate eſt turpis & triſtis :

*- - - - - - dal mondo fallace ;*

quia fallaciter mentitur felicitatem , quam non habet :

*Il cui amor molt' anime deturpa ,*

quia inficit & maculat animas de ſe puras & mundas . Et concludit narrationem & claudit Capitulum , dicens :

*E venni dal martirio a queſta pace .*

Scilicet , necis ad æternam pacem , ubi nunc fruor palmâ victoriæ meæ .

*Ad Cant. XVI. Verſ.* 33.

*Ma non con queſta moderna favella .*

Quia , ut dictum eſt in Capitulo præcedenti , tempore illius, Florentini Cives non diſcurrebant per mundum , nec per conſequens dimittebant proprium idioma patriæ , ſicut nunc multi faciunt . Sed certe quidquid dicatur , Florentini , qui hodie peregrinantur , loquuntur multo pulcrius ac ornatius , quam illi, qui numquam receſſerunt a limine patriæ , quia dimittunt multa vocabula inepta , quæ ſunt Florentiæ, & aſſumunt alia convenientiora . Vel dicas , quod illa anima beata non utebatur nunc loquelâ humanâ , immo Angelicâ. Et reſpondet primo ſecundæ petitioni. Et breviter vult dicere , quod ab Incarnatione Domini uſque ad Nativitatem ſuam tranſiverunt Anni Mille Quinquaginta Quatuor : quod dat intelligi per curſum Martis , in cujus Planetâ modò erat .

*Ad Verſ.* 40.

*Gli antichi miei - - - - - - - -*

Heic Cacciaguida reſpondet primæ petitioni , & breviter dicit , quod ſui prædeceſſores , & ipſe , habitaverunt in loco antiquiſſimo Civitatis Florentiæ prope Forum Vetus . Deſcribit autem ipſum locum a ſitu, & a quodam ſingulari actu ipſius Civitatis . Dicit ergo :

*Gli antichi miei , - - - - - - -*

ideſt , majores , ſcilicet Eliſæi :

*- - - - - - & io nacqui nel loco ,*

ſcilicet , intra Civitatem Florentiæ :

*Ove ſi trova pria l'ultimo Seſto ,*

ideſt , Sexterium . Ad quod ſciendum , quod Florentia erat olim diviſa per Sexteria , ideſt per ſex partes . Nunc verò per Quarteria , ſicut & Bononia . Et dicit :

*Da quel , che corre il voſtro annual gioco .*

Ideſt , ab illis , qui currunt ad Bravium . Ad quod ſciendum , quod de more eſt Florentiæ , quod ſingulis annis in feſto Johannis Baptiſtæ currunt equi ad Bravium , in ſignum feſtivæ lætitiæ , ſicut & apud plures Civitates Italiæ . Et hic eſt mos antiquiſſimus tam apud Græcos quàm apud Romanos. Modò ad propoſitum . Currentes ad Bravium tranſibant ante domos Eliſæorum in principio ultimi Sexterii, & prope Mercatum Vetus , qui eſt locus Mercatorum antiquus & famoſus Florentiæ , ſicut Rivus altus Venetiis , & Carrobium Bononiæ . Et heic nota , quod apud domos Eliſæorum fuit olim Arcus triumphalis , ad quem rei fugientes habebantur immunes . Tanto privilegio nobilitatis gaudebant ipſi Eliſæi .

*Ad Verſ.* 46.

*Tutti color , ch' a quel tempo eran' ivi ,*

Heic Cacciaguida deſcribit qualitatem ſtatus ſuæ Civitatis . Et eſt reſponſio ad tertiam petitionem . Reſpondet ergo , primo de magnitudine Civitatis , & multitudine Civium tempore ſuo , & breviter vult dicere , quod in parva Civitate erat tunc parvus Civium numerus . Dicit ergo : *Tutti color , ch' a quel tempo eran' ivi* , ſcilicet in MCXLIV. in Florentia :

*Da portar' arme - - - - -*

ideſt , omnes , qui erant tunc armipotentes : Et dicit :

*- - - - - - tra Marte , e 'l Batiſta ;*

Aliqui ex ignorantia pervertunt iſtam literam , dicentes , quod vult dicere a principio Florentiæ,

tiæ, quæ fundata fuit sub Marte usque ad tempus Christianitatis, quando accepit Johannem Baptistam pro Patrono. Sed istud nihil est dicere. Ideo dicas, quod describit antiquum situm Florentiæ, dicens: *Tra Marte*, idest, inter Pontem Veterem, in cujus capite erat Statua Martis, ut dictum est in Inferno, & alibi sæpe, & iterum dicetur paulo infra in præsenti Capitulo, *e 'l Batista*, idest, Ecclesiam Johannis Baptistæ, quæ fuit olim Templum Martis. Et per hos confines datur intelligi totum situm veteris Civitatis. Et sic vide, quod Florentia non erat tunc habitata ultra Arnum, sicut nunc. Erat autem apud dictam Ecclesiam Baptismalem Porta, quæ dicitur de Episcopo, & ab inde foris erat Burgum Sancti Laurentii, & claudebant mœnia ad Portam Sanctæ Mariæ versùs viam regalem dicti Pontis. Dicit ergo:

*Erano il quinto - - - - - -*

idest, quinta pars:

*- - - - - - di quei, che son vivi.*

Idest, qui nunc habitant dictam Civitatem. Et heic nota, quod de rei veritate in isto MCCC. Florentia erat in florentissimo statu. Et habebat tunc maximum numerum gentium. Faciebat enim tunc . . . . . .

*Ma la Cittadinanza - - - - - -*

Heic Cacciaguida sumtâ occasione ex dictis deplorat perversionem & confusionem suæ Civitatis. Et breviter vult dicere, quod Florentia erat tunc habitata solùm ab antiquis & veris Civibus, ubi modo est repleta fæce rusticorum. Dicit ergo:

*Ma la Cittadinanza, ch' è or mista,*

idest, confusa:

*De' Campi, - - - - - - - -*

idest, de Rusticis villæ, quæ appellatur Campi, quæ distat a Florentia per sex milliaria. Non ergo intelligas de agris, sicut multi male intelligunt. Et hoc dixit Auctor notanter, propter quemdam Juristam nomine Dominum Facium de Certaldo, qui fuit magnus ribaldus:

*- - - - - - di Certaldo,*

Istud est nobile Castellum in Comitatu Florentiæ in Valle Elsæ. Et hoc dixit Auctor propter quemdam Dominum Jacobum de Certaldo, qui fuit tantæ temeritatis, quod quum Potestas Florentiæ ex certo casu minaretur, se depositurum sceptrum, iste, qui tunc erat de Prioribus, arroganter respondit: *Num ne credis, quod sit alius sciens regere Terram istam?* Et continuo assumtâ virgâ Potestatis, accessit ad Palatium Potestatis, & cœpit sedere ad Bancum ad jura reddenda. Et hoc fecit aliquot diebus. Sed heic nota, quod licèt prædictus sua temeritate cedat ad infamiam Certaldi, tamen temporibus modernis floruit Boccaccius de Certaldo, qui suavitate suæ sapientiæ & eloquentiæ reddidit ipsum locum celebrem & famosum. Hic siquidem Johannes Boccaccius, verius Bucca aurea, venerabilis Præceptor meus, diligentissimus cultor & familiarissimus nostri Auctoris, ibi pulcra Opera edidit; præcipue edidit unum Librum magnum & utilem ad intelligentiam Poëtarum de Genealogiis Deorum. Item Librum magnum & utilem de casibus Virorum Illustrium. Item Libellum de Mulieribus claris. Item Librum de Fluminibus; & Librum Bucolicorum . . . . . . . . .

*- - - - - - - - e di Fighine,*

idest, alia Villa Comitatus, distans a Civitate per XII. milliaria. Et hoc dixit notanter propter quemdam Dominum Deghum de Fighino Juristam, similiter ribaldum. Et dicit:

*Pura vedeasi ne l'ultimo Artista.*

Idest, sine aliqua mixtura exteriori in vilissimo Artifice, sicut in eos, qui purgant Cloacas.

*O quanto fora meglio, - - - - - -*

Heic Cacciaguida ex dictis arguit, quod melius esset habere dictos Rusticanos pro vicinis, quam pro Civibus. Unde indignanter exclamans dicit: *O quanto fora meglio*; quasi dicat: longe foret melius pro Civitate:

*- - - - - - esser vicine*

*Quelle genti, ch' io dico, - - - -*

scilicet, illos de Villa, quæ dicitur de Castro Certaldo, de Fighine, & similes, *esser vicine*, idest, esse Comitatenses, quam Concives:

*- - - - - - & al Galluzzo*

*Et a Trespiano aver vostro confine.*

*Galluzzo*, locus distans a Florentia per unum milliare: *& a Trespiano*; Ad quod sciendum, quod iste, quem vocat rusticum, fuit quidam Jurista, nomine Hubaldus de Aguglione, Villa Comitatus Florentiæ, qui fuit magnus canis. Dicebat se optime nosse Guelphos & Gibellinos, & fecit Librum de tam detestanda materia, quem diu Florentini sequuti sunt:

*- - - - - - di quel da Signa,*

Iste fuit alius Jurista de Villa, quæ dicitur Signa, distans a Florentia per V. milliaria supra Arnum. Et dicunt aliqui, quod iste fuit Dominus Facius. Unde dicit:

*Che già per barattar ha l'occhio aguzzo.*

Ita quod exspectat ire ad picem. Et heic nota, quod Auctor meritò infamat istos & alios superius nominatos, qui viliter nati ex Civitatibus nobilibus, faciebant multa enormia, tamquam lictores illorum.

*Se la gente - - - - - - -*

Heic Cacciaguida manifestat, unde provenerit istud malum. Et dicit, quod a dissensione, quæ fuit inter Ecclesiam & Imperatorem. Tempore enim Friderici II. factæ sunt partialitates magnæ in Florentia, & expulsiones partium. Et sic Comitatini venerunt ad habitandum Civitatem, & nobilitati sunt, & ditati. Unde dicit:

*Tal fatto è Fiorentino, - - - - - -*

scilicet, adventitie:

*- - - - - - e cambia e merca,*

idest, factus est Campsor & Mercator:

*Che si sarebbe volto a Simifonti,*

quæ est quædam Terra Comitatus Florentini, quam olim Florentini ceperunt cum magno labore & destruxerunt. Et dicit:

*Là dove andava l'avolo a la cerca.*

Idest, ad custodiam circumeundo mœnia Civitatis. Vel dicas, quod vocat Circham circuitionem Ecclesiarum, quam faciunt homines rustici Florentiæ & in Comitatu in die Veneris Sancti, & alibi in die Jovis Sancti. Et hoc non vult aliud dicere, nisi quod habitarent adhuc rus, sicut faciebat Avus suus, nec venissent ad Civitatem. Et hoc dico:

*Se la gente, ch' al mondo più traligna,*

idest, Pastores Ecclesiæ, qui plus deviant a vestigiis Pastorum antiquorum, quàm alia gens mundi a vestigiis suorum prædecessorum:

*Non fosse stata a Cesare noverca,*

idest, Matrinia. *A Cæsare*, idest, Imperatori,

tori, quia omnis Imperator vocatur Cæsar, ut sæpe dictum est:

*Ma come madre a suo figliuol benigna.*

Idest, fuisset benigna ipsi Cæsari. Ad quod sciendum, quod sicut refert Brunetus Latinus in suo Thesauro, & Ricobaldus Ferrariensis in sua Chronica, causa discordiæ inter Fridericum & Ecclesiam fuit talis......

*Sariasi* ----------

Heic Cacciaguida enumerat alia mala, quæ sequuta sunt ex ipsa dissensione. Et primo, quod jura quorumdam Nobilium usurpata sunt. Unde dicit:

*Sariasi Montemurlo ancor de' Conti*,

scilicet, Comitum Guidonum, quibus datum erat ab Imperatore; modò verò est Communis Florentiæ, quod post longam brigam emerunt. Et tangit aliud malum; quod illi colerent rus, qui nunc regunt Civitatem Florentiæ. Unde dicit:

*Sariansi i Cerchi* ------

De istis sæpe dictum est, & dicetur Capitul. sequenti:

------ *nel Pivier d'Acone*,

idest, in Plebatu. Acone enim est Villa Comitatus Florentiæ, de qua fuerunt Circuli prædicti. Modò dicit, quod adhuc starent in rure suo. Et tangit aliud malum; quod alii essent adhuc Villani, qui nunc gloriantur valde de Nobilitate. Et dicit:

*E forse* ---------

dubitando, quia licèt isti habitarent in rure, tamen erant nobiles & potentes. Dicit ergo:

*E forse in Valdigrieve i Bondelmonti.*

Idest, essent in Valle illa, unde primo venerunt ad Civitatem Florentiæ.

*Sempre* ----------

Heic Cacciaguida ex dictis arguit, quod mixtio personarum semper fuit causa eversionis Urbium, quod probat a simili. Sicut varietas & superfluitas ciborum est causa dissolutionis complexionis corporum. Dicit ergo:

----- *la confusion* -----

idest, colluvies & mixtura:

----- *de le persone*

scilicet, diversarum nationum cum Civibus, *sempre*

*Principio fu del mal de la Cittade*;

scilicet, quæ ex se sufficiens ex suis civibus:

*Come del corpo il cibo che s'appone.*

idest, superponitur post comestionem, est principium *del nostro*, supple, *male*; quia nihil deterius quam indigestum super indigestum ponere. Sicut ergo superfluvitas ciborum est causa multorum morborum, ita confusio hominum est causa multarum seditionum.

*E cieco* ------

Heic Cacciaguida respondet tacite quæstioni. Posset quis objicere, quod licèt confusio personarum sit causa destructionis civilis status, tamen quia isti Nobiles sunt, non videtur eis hoc credendum. Ad quod respondet, quod multo plus de eis est verisimile, quod probat a simili, dicens:

*E cieco toro più avaccio cade*

idest, velocius:

*Che 'l cieco agnello*, -----

hoc est, vitiosus Nobilis citius cadit, quam vitiosus Popularis. Sed licèt ista videatur pulcra expositio, attamen mihi videtur, quod litera non recipiat eam, nec sit de mente Auctoris, quum jam sæpe vocaverit istos Rusticos. Ideo dico, & melius, quod Cacciaguida respondet quæstioni tacite, quæ talis est: Posset enim quis dicere: Licèt Civitas sit repleta Rusticis, tamen est major, & fortior, & potentior. Ad hoc respondet per simile, quod citius cadit magnus & protervus Populus, sicut taurus, quam parvus, humilis, & pacificus, sicut agnus. Nam quanto major Populus, tanto minor intellectus, ut dicit Philosophus, & Augustinus de vano & gigante dicit. Et subdit aliud pulcrum simile, dicens:

------ *e molte volte taglia*

*Più, e meglio, una, che le cinque spade.*

quasi dicat, quod unus ensis Civium sæpe incidit plus & melius, quàm quinque enses exterorum; vel unus ensis parvi Populi unanimis & uniti incidit plus & melius, quàm quinque enses magni Populi discordis & divisi:

*Se tu riguardi* ------

Heic secundùm expositionem quorumdam, Cacciaguida ostendit per quædam exempla manifesta effectum confusionis personarum, quia scilicet turbant tranquillum statum Urbium, & inducunt bella, per quæ evertuntur Civitates, sicut Civitas Lunæ in Tuscia propter superbiam Civium. Sed certe, licèt ista expositio videatur consona, tamen si quis subtiliter advertat, non bene adaptatur literæ. Immo ista exempla non referuntur ad literam præcedentem, sed retrahenda sunt ad literam sequentem, cum qua sunt concatenata in sententia. Dico ergo, & melius, quod Cacciaguida volens descendere ad ultimum quæsitum Auctoris, quod fuit, quæ fuerint antiquitus claræ Familiæ Florentinorum, primo præmittit, quod Auctor mirari non debeat destructionem Stirpium, arguens a minori; quia etiam Civitates antiquæ magnæ aliquæ jam in totum defecerunt, aliquæ in dies deficiunt, quum tamen omnis Civitas contineat multas & magnas familias. Nunc ergo ad literam. Ordina sic & expone:

*Udir come le Schiatte si disfanno*,

idest, quomodo Nobiles Stirpes annihilantur:

*Non ti parrà nuova cosa*, -----

idest, non debebit tibi videri novum, quia istud est vetustissimum:

------ *nè forte*,

quia istud est facillimum, quia usitatissimum. Quod probat a minori, dicens.

*Poscia che le Cittadi termin' hanno.*

idest, finem; quia scilicet famosæ & antiquæ Urbes habitantur. Et hoc dico.

*Se tu riguardi Luni*, -----

idest, Civitatem Lunæ, quæ fuit olim magna & potens Civitas, tamen deserta jam sunt mille Anni, de qua dictum est Cant. XX. Inferni:

------ *e Urbisaglia.*

Ista olim fuit Civitas in Marchia Anconitana non longe a Civitate, quæ hodie dicitur Macerata, & est pœnitus deserta, ita quod non apparent, nisi quædam vestigia ruinarum. Et fuit olim maxima Civitas, sicut ego notavi: unde dicta est quasi Urbs alia, idest alia Roma:

*Come son' ite*, -----

idest deletæ:

------ *e come se ne vanno*

*Diretro ad esse Chiusi*, ------

ista fuit Civitas in Tuscia, quæ olim habuit Regem, scilicet, Porsenam, qui voluit reducere Tarquinios expulsos in Urbem Romæ, ut dictum est in Inferno. Et heic Galli Senones fuerunt conflicti primo a Romanis, qui continuo invaserunt Urbem, & illam captam funditus

ditus everterunt, ferro & igne omnia vastantes. Et Civitas nunc est satis desolata & pauca, quæ est situata in loco palustri & pestifero, ut de se patet:

*- - - - - - - - E Sinigaglia.*

Ista est Civitas in Marchia Anconitana, quæ sita est inter Anconam & Fanum, in litore maris Adriaci, olim ædificata a Gallis Senonibus, de quibus tantum nunc dictum est; & ab eis denominata. Dicitur enim Senogallia, quia Galli Senones ædificaverunt eam. Quum enim Galli prædicti cum eorum duce Brenno intrassent Italiam, sicut adhuc sæpe faciunt Barbari, socialiter euntes versùs Urbem, pervenerunt ad istam planitiem, & videntes locum aptum genti armigeræ, quia ibi sunt prata virentia & silvæ vicinæ, & locus est supra mare, & juxta flumen, habens portum, & copiam rerum, ideo traxerunt ibi moram ad certum tempus. Et ibi ædificare cœperunt. Et certe fuit olim satis magna Civitas, & cum fortibus mœniis, & multis altis Turribus, ut notavi. Sed nunc hodie est quasi derelicta propter aërem mortiferum, sub quo nullus ibi potest sanè vivere, immo nec diu. Unde pauci alienigenæ desperati stant adhuc ibi. Habet tamen bonum Episcopatum, & magnos reditus. Et ideo dicit: *come se ne vanno*, idest, paulatim nunc deficiunt, *diretro ad esse*, scilicet, post Lunam, & Urbisaliam. Sicut & hodie evidens exemplum habemus præ oculis nobilem Civitatem Reginam in Lombardia, cujus Cives ita sunt dispersi per Italiam, sicut Judæi per universum, & continuo consumuntur, ita ut miserabile spectaculum sit pertranseuntibus. Et ita possem dicere de multis aliis.

*Ad Vers.* 88.

*Io vidi - - - - - - - -*

Heic Cacciaguida connumerat multas Familias Nobiles, quæ erant præclaræ tempore suo, quarum aliquæ sunt penitus extinctæ; aliquæ parvæ; & aliquæ, quæ sunt nunc magnæ, erant tunc obscuræ. Et primo perstringit simul sex Familias Nobiles antiquas, quæ jam erant in declinatione, dicens:

*Io vidi gli Ughi, e vidi i Catellini,*
*Filippi, Greci, Ormanni, & Alberichi,*
*Già nel calare illustri Cittadini.*

Et heic nota, quod Cacciaguida dupliciter declarat eximiam Nobilitatem præscriptarum Familiarum; primo quia vocat eas illustres. Erat enim olim in Roma, sicut patet semper apud Titum Livium, & alios Scriptores Rerum Romanarum, duplex Ordo, scilicet, Illustris, continens Nobiles viros & Senatores, & Ordo Equestris, continens Equites armigeros. Modò Auctor vocat istos illustres. Secundo commendat eos, quum dicit: *nel calar*, quia si erant adhuc illustres in descensu, quid esse debuerant in statu?

*E vidi così - - - - - -*

Heic Cacciaguida simul colligit alias quinque Familias antiquas, dicens:

*E vidi così grandi, come antichi*
*Con quel de la Sannella quel de l'Arca,*
*E Soldanieri, e Ardinghi, e Bostichi.*

Et heic nota, quod Auctor commendat prædictos dupliciter, primo quia describit eos a magnitudine, quia erant olim magnifici & potentes in Urbe sua; secundo quia describit eos ab antiquitate, & antiquitas arguit Nobilitatem, ut vult Philosophus.

*Sovra la poppa - - - - - - - -*



Heic Cacciaguida describit singulariter unam egregiam Familiam, in cujus descriptione duo facit, primo, quia ostendit quomodo ex ista Nobili Familia descenderunt aliæ Nobilitates. Secundo ostendit, quomodo in Domos illorum Nobilissimorum pervenerunt viri rustici ad habitandum, de quibus prænuntiat ruinam cito venturam. Nunc vide literam, & ordina sic eam:

*Erano i Ravignani, - - - - - -*

Nobilissimi Cives, quorum Familia est penitus extincta. Ex quibus facti sunt Comites Guidones, & alii Nobiles. Unde dicit:

*- - - - - - Ond' è disceso*
*Il Conte Guido; - - - - - -*

Ad intelligendum autem, quomodo Comes Guido descenderit ex istis per nobilem mulierem Gualdradam filiam Domini Billincioni, oportet, te recurrere ad id, quod scriptum est de hoc, in Inferno. Et dicit:

*- - - - - - e qualunque del nome*
*De l'altro Bellincion ha poscia preso.*

Hoc dicit, quia ex istis Ravignanis facta est alia Familia, dicta Bellincioni, sic denominata ab illo præcipuo Milite Domino Bellinciono, ut dictum est. Erano, idest *habitabant*, *sopra la Porta*. Hæc fuit antiqua Porta veteris Civitatis, dicta Porta Sancti Petri. Nunc autem novi Cives venerunt ad habitandum ibi, scilicet Circuli, vel *Cerchj*, qui fuerunt rustici protervi, de quibus dictum est paulo supra, & dicetur Cant. sequenti. Qui posuerunt divisionem in Civitate, quia fuerunt principes partis Blancæ. Unde dicit:

*- - - - - - ch' al presente è carca*
*Di nuova fellonia, - - - - - -*

idest, novis Civibus follibus & temerariis, quales sunt communiter nuper ditati. Et dicit:

*- - - - - - di tanto peso,*
*Che tosto fia jattura de la barca.*

Idest, cito erit damnum Civitatis Florentinæ, quam regunt. Et est pulcherrima metaphora & propriissima. Quum enim navis est nimis onusta, oportet, quod ejiciantur merces ad illam alleviandam. Ita a simili, Florentia, quæ erat nimis onerata intollerabili arrogantiâ istorum, cito veniet ad naufragium; & dicti Circuli ejicientur. Et adverte, quod Auctor loquitur de expulsione partis Blancæ, & de ejectione Circulorum, quæ fuit statim tertio anno post tempus istud, de quo nunc loquitur. Adverte etiam, quod ista omnia facta erant, quando Auctor ipsa scripsit. Sed videtur prognosticari, quia refert se ad tempus suæ visionis, quæ fuit in MCCC., ut toties repetitum est in multis locis & Capitulis Libri:

*Quel de la Pressa - - - - - -*

Heic Cacciaguida connumerat duas Domos antiquas, quarum alteram describit a prudentia regendi, alteram a fortitudine bellandi. De prima ergo dicit:

*Quel de la Pressa sapeva già come*
*Regger si vuole,*

Et hæc est magna laus, quoniam principatus virum ostendit. De secunda dicit:

*- - - - - -, e avea Galigajo*
*Dorata in Casa sua già l'elza e 'l pome.*

Per hoc notat, quod Familia Galigajorum erat jam ordinata, ornataque dignitate militari.

*Grand' era - - - - - - - -*

Heic Cacciaguida sub uno involucro claudit

quatuor Familias, quarum primam deſcribit ab Armatura, dicens:

*Grand' era già la Colonna del Vaio*,

Iſti vocantur Pigli, qui habent unam Columnam de Vario pro Inſignio. Quinque Domus ſimpliciter nominat, dicens:

*Sacchetti, Giuochi, Sifanti, e Barucci*
*E Galli*, - - - - - - - -

ſupple, erant magni. Deſcribit etiam Domum ſatis verecunde ab uno infami fallo, dicens:

- - - - *e quei, ch' arroſſan per lo Staio*.

Ad hujus intelligentiam eſt ſciendum, quod iſti vocati ſunt Claramontenſes, quorum unus olim dum haberet officium dandi frumentum, ſive ſalem Communis, detraxit inde unam doghaim vaſis, & ſic diminuit juſtam menſuram cupiditate lucri. Propter quod reperto fallo fuit decapitatus. Et ex hoc fuit ordinatum, quod Sextarius eſſet ferreus, ita quod non poſſet de cetero aliquid detrahi. Et quia Claramontenſes de hoc verecundantur, quandocumque iſtud memoratur, vel improperatur eis, ideo dicit: *E quei, ch' arroſſan per lo Staio*; ideſt verecundantur propter Sextarium corruptum. Nam rubor eſt ſignum verecundiæ.

*Lo Ceppo* - - - - - - - -

Heic Cacciaguida nominat tres Stirpes, quarum unam deſcribit ab alia Familia deſcendente ex illa, reliquas vero ſecundas deſcribit ab officii dignitate. Dicit ergo primo:

*Lo Ceppo, di che nacquero i Calfucci*,

Iſti ſunt Donati, præclara Familia olim, & nunc. Ex quibus facta eſt alia Familia, qua dicti ſunt Calfuccii:

*Era già grande*, - - - - - - -

& adhuc hodie eſt:

- - - - - - *e già erano tratti*
*A le curule Stii, & Arrigucci*.

Ideſt, jam erant promoti ad dignitates & honores; quod innuit ſub nomine Curulium. Curules enim erant olim Romæ ſedes, in quibus ſedebant Magiſtratus functi honoribus, ſicut ſæpe patet apud Livium:

*O quali* - - - - - - - -

Heic Cacciaguida conjungit ſimul duas Familias eorum, qui fuerunt ſocii in altitudine ſtatus & ruinæ. Et quia iſti fuerunt magnifici multum, exclamat admirative:

*O quali vidi que', che ſon disfatti*
*Per lor ſuperbia*, - - - - - -

Iſti ſunt Uberti, quorum principium fuit Dominus Farinata de Ubertis princeps Partis Gibellinæ in Florentia, qui ſuâ prudentiâ & probitate multum exaltaverat Domum ſuam. Tamen, ut dicit Auctor, fuerunt expulſi ſuperbiâ ſuâ, de quorum expulſione dictum eſt in Inferno. Et fortè avaritia nihil profuit ſibi. Unde dum tempore expulſionis Gibellini recedentes perveniſſent ad locum, qui dicitur *la Stea*, longe a Civitate, Dominus Farinata prædictus conquerebatur & exclamabat, dicens: *heu amici mei, amici mei*! Tunc Dominus Muſca reſpondit: *quære tibi in burſa*.

- - - - - - *e le palle d'oro*:

Heic deſcribit Lambertos ab Armatura & florenti ſtatu, dicens:

*Fiorian Fiorenza in tutti i ſuoi gran fatti*.

Et ex hoc colligere potes, quod Lamberti fuerunt nobiliores Ubertis, & ceteris, quamvis alii aliter dicant. Quia in omnibus magnis factis præferebantur. Quod poſſet facile probari ex multis Privileg Lambertorum. Sed omnibus omiſſis ſingulare ſignum nobilitatis eorum erat, quod mortui ſepeliebantur Equites ſedentes in equo brungio.

*Così facean* - - - - - - - -

Heic Cacciaguida deſcribit unam notabilem Familiam, quam magnificat a duobus, ſcilicet a florenti ſtatu, & quodam ſingulari Privilegio. Ad quod ſciendum eſt, quod iſti ſunt Viſdomini, qui quandocumque vacat Epiſcopatus Florentiæ, ſunt œconomi, ideſt, diſpenſatores. Dicit ergo:

*Così facean* - - - - - - - -

Scilicet, ſicut Lamberti, quia ſcilicet ita florebant in omnibus magnis factis Florentiæ:

- - - - - - *li padri di coloro*,

ideſt, prædeceſſores Viſdominorum:

*Che ſempre* - - - - - - - -
*Si fanno graſſi ſtando a conſiſtoro*,

quia tunc vivunt pinguiter expenſis Epiſcopatus:

- - - - *ſempre che la noſtra Chieſa vaca*.

Scilicet, Epiſcopalis. Iſta enim Domus tantæ dignitatis quaſi defecit. Tamen ex ea factæ ſunt duæ aliæ Domus, ſcilicet, illi de la Toſa, & Aliotti:

*L'oltrecutata* - - - - - - - -

Heic Cacciaguida memorat aliam Familiam numeroſam valde, quam multipliciter infamat ab extraneitate, a vilitate, & a crudelitate. Ad quod eſt præſciendum, quod iſti vocantur Adimari, & alio nomine Cavicciuli, ex quibus fuit unus nomine Buccaccinus, quem Dantes offenderat tempore, quo erat in ſtatu. Quare ille poſt exilium Auctoris impetravit in Communi bona ejus, & ſemper fuit ſibi infeſtus, & totis viribus ſemper obſtitit Conſortibus & amicis, ne Auctor reverteretur ad patriam. Quare Auctor facit altam vindictam cum penna, quam non potuit facere cum ſpata. Nunc ad literam. Dicit ergo Cacciaguida:

*L'oltrecutata ſchiatta*, - - - - - -

ſcilicet, Adimariorum, ſui commodi & honoris:

- - - - - - *che s' indraca*,

ideſt, quæ deſævit more draconis:

*Dietro a chi fugge*: - - - - - -

Et in hoc Auctor tacite mordet præfatum Buccaccinum, qui erat ferociſſimus contra ipſum Auctorem abſentem & expulſum. Et per oppoſitum:

- - - - - - *& a chi moſtra 'l dente*
*Over la borſa, come agnel ſi placa*.

Ideſt, reſiſtenti, & defendenti ſe aperte, vel ei, qui oſtendit ſibi pecuniam. Quia pro pecunia recepit ſibi verbera & verecundias more joculatorum.

*Già venia ſu*, - - - - - -

jam incipiebat florere:

- - - - - *ma di picciola gente*,

ſcilicet, Populari & obſcura. Quod declarat per unum ſignum, quia unus nobilis de Donatis nomine Ubertinus moleſte tulit, quod ſoror uxoris ſuæ daretur uni de Adimaris. Unde dicit:

*Sì che non piacque ad Ubertin Donato*;

immo valde diſplicuit:

*Che 'l ſuocero poi il feſſe lor parente*.

Ad quod ſciendum, quod Dominus Bellincionus, de quo ſupra jam ſæpe dictum eſt, fuit ſocer Ubertini de Donatis, qui filiam ſuam habuit in uxorem: ſed quia tradidit aliam filiam

filiam uni de Adimaris, Ubertinus valde indignatus fuit, quia reputabat sibi ad verecundiam, quia esset factus affinis & cognatus unius de Adimaris:

*Già era - - - - - - - -*

Heic Cacciaguida facit mentionem de tribus Familiis, quæ jam tempore suo erant honorabiles, dicens:

*Già era il Caponsacco nel mercato*
*Disceso giù da Fiesole, - - - - - -*

ideſt, ad habitandum in Mercato Veteri:

*- - - - - - - - - - e già era*
*Buon Cittadino Guido & Infangato.*

Istæ tres Domus sunt expulsæ jamdiu pro parte Gibellina.

*Io dirò - - - - - - - -*

Heic Cacciaguida propalat unam Domum antiquam, ignotam valde, & quæ ab ignorato casu accidentaliter nomen traxit. Nunc ad literam dicit Auctor:

*Io dirò cosa incredibile e vera;*

Satis enim incredibile videtur, quod una Porta nobilis Civitatis sumeret denominationem ab uno Vendipera, & tamen sic fuit. Et ex hoc satis apparet, quod male intelligunt, qui exponunt, quod Auctor loquatur heic de Perutiis de Florentia. Tunc enim non videretur res ita incredibilis. Ideo prima expositio plus placet mihi; quia non sine quare Auctor dixit signanter *incredibile*, & esse rem incredibilem & veram:

*Nel picciol cerchio s'entrava per Porta,*
*Che si nomava - - - - - -*

ideſt, quæ Porta denominabatur

*- - - - - - da quei de la Pera.*

Et nota, quod hæc Porta non erat de principalibus. Habebat enim Florentia quatuor Portas magistras, scilicet, Portam Sancti Petri, Portam juxta Domum, Portam Sancti Pauli, & Portam Sanctæ Mariæ. Aliæ vero erant Portulæ parvæ seu parvulæ.

*Ciascun - - - - - - - -*

Heic Cacciaguida facit unum fascem de aliquot Nobilibus Familiis, quæ omnes portant idem Insignium. Ad cujus evidentiam est præsciendum, quod istæ fuerunt quinque Nobiles Domus, scilicet, Pulci, Nerli, Giandonati, Comites de Gangalandi, & Domus filiorum Bellæ. Isti omnes portant pro Armatura Dogas ad argentum & rubeum. Quam Armaturam obtinuerunt ab Hugone Marchione Tusciæ, qui fuit Vicarius in Tuscia pro Imperatore Ottone. Et aliqui ex eis fuerunt facti Milites ab eo, & privilegiati. Hic Comes mortuus est Florentiæ, & dotavit multas Ecclesias, præcipue Abbatiam Sanctæ Mariæ, quam fundaverat cum multis aliis. Et quia decessit in festo Sancti Thomæ, omni anno fit solemnis memoria de eo, & in tali die fit illius anniversarium. Nunc ad literam. Dicit Cacciaguida sic:

*Ciascun, che de la bella Insegna porta;*

Quod Insignium est Armatura ad dogas, ut supra:

*Del gran Barone, - - - - - -*

scilicet, Marchionis Hugonis, qui fuit magnus Baro nobilitate & potentia. Quem commendat a beneficiis suis in Deum, dicens:

*- - - - - - il cui nome e pregio*
*La festa di Tomaso riconforta:*

quia scilicet virtus & fama Hugonis renovatur & confirmatur annuatim in festo Beati Thomæ, quia fit singularis commemoratio & commendatio de eo in memoriam beneficiorum ejus:

*Da esso ebbe Milizia e Privilegio,*

scilicet, a prædicto Marchione Hugone, quia de unaquaque Domorum prædictarum fecit aliquos Milites, ut prædicitur.

*Avvegna che - - - - - - - -*

Heic Cacciaguida excipit unum, qui non sequutus est vestigia nobilium, immo factus est popularis. Ad cujus rei evidentiam est præsciendum, quod iste, de quo Auctor loquitur, fuit quidam Zannes de la Bella. Nunc ad literam dicit Cacciaguida:

*Avvegna che con Popol si rauni*
*Oggi colui, - - - - - - - -*

scilicet, Zannes de la Bella:

*- - - - - - che la fascia col fregio.*

Ideſt, cingit frisio. Hoc dicit, quia illi de la Bella apposuerunt unum frisium aureum circum circa Armaturam eis datam a dicto Hugone, ut sic distinguerentur ab aliis, qui habuerant idem Insignium: *Si rauni oggi col Popol*, ideſt, conveniat & congregetur cum Populo, sicut olim fecerunt Gracchi in Urbe Romana, & aliqui alii. Ideo bene iste luit pœnas dignas, sicut & illi, ut patet ex dictis:

*Già eran - - - - - - - -*

Heic Cacciaguida addit superioribus alias tres Domos, quarum unam parum laudat, licèt fuerit diu magnifica. Unde dicit:

*Già eran Gualterotti, & Importuni;*

scilicet, in nomine & pretio in Civitate Florentiæ:

*Et ancor saria Borgo più quieto,*

Debes intelligere antonomastice de Burgo Sancti Apostoli, qui est pulcrior ceteris:

*Se di nuovi vicin fosser digiuni.*

Scilicet, si habitatores illius Burgi essent vacui Bardis, qui de novo missi fuerunt ad habitandum Burgum istum, tamquam homines audaces, ut compescerent motus Gibellinorum illius Burgi.

*La Casa, - - - - - - - -*

Heic Cacciaguida ultimo describit unam Domum, de qua nata est desolatio & disturbatio Civitatis Florentinæ, propter injuriam factam sibi. Ad cujus literæ intelligentiam oportet repetere illud, quod est in Inferno, scilicet, quomodo quidam Miles nomine Bondelmontes de Bondelmontibus, quum iret ad desponsandam unam de Amideis, revocatus a quadam Domina de Donatis, quæ ostendit sibi filiam suam formosissimam, desponsavit illam secundam. Ex quo Amidei, convocatis principalibus de Parte Gibellina, scilicet Ubertis, Lambertis, Abbatibus, & aliis, conquesti sunt de injuria. Et post longam consultationem, operâ Domini Muscæ de Lambertis, iverunt trucidatum auctorem injuriæ. Nunc ergo ad literam dicit Auctor: *La Casa*, scilicet, Amideorum:

*- - - - - - di che nacque il vostro fleto,*

ideſt, planctus & dolor.

*Per lo giusto disdegno, che v'ha morti,*

quia scilicet prædicti habuerunt justam causam indignationis, quia evidens contumelia fuit. Et dicit:

*E posto fine al vostro viver lieto.*

Quia hucusque Florentini habuerant pacificum & tranquillum statum. Postea vero factæ sunt civiles discordiæ & partialitates, ex quibus sequutæ sunt expulsiones, incendia, cædes, prædæ, peregrinationes per mundum.

*Era onorata - - - - - - - -*

quia honorabilis Familia fuit Amideorum. Et dicit:

--- essa,

- - - - - - *essa e suoi consorti* ;
quasi dicat , non solùm ipsa , sed etiam *i suoi consorti* , scilicet Ucellini , & Gherardini .
*O Buondelmonte* - - - - - - - -
Heic Cacciaguida indignanter exclamat contra insanam lasciviam juvenis , qui ad unam persuasionem unius feminæ dimisit propriam uxorem , & assumsit eam , quæ de jure esse non poterat . Unde dicit :
*O Buondelmonte , quanto mal fuggisti*
*Le nozze sue* - - - - - - - -
idest , affinitatem illorum Amideorum male dimisisti , primò tui malo & damno , secundò illius Partis Gibellinorum , & tertiò tuæ Civitatis . Et dicit :
- - - - - - *per gli altrui conforti* !
scilicet, ad persuasionem illius Dominæ de Donatis . Et ideo subdit , quantum bonum sequutum fuisset , si numquam Bondelmontes venissent ad Civitatem , dicens :
*Molti sarebber lieti , che son tristi* ,
quia scilicet non sequuta fuisset divisio & destructio Civitatis , si antiquus tuus , quando primo veniebat ad Civitatem , fuisset suffocatus in flumine Ema . Unde dicit :
*Se Dio t'avesse conceduto ad Ema* ,
scilicet , quod habuisses tuam sepulturam in flumine Ema . Est enim Ema fluvius parvulus , distans a Florentia per tria milliaria . Vel dicas : *Se Dio t'avesse conceduto ad Ema* , idest , si remansisses ibi ad habitandum , ita quod non venisses ulterius , quando primo veniebas de Valle Gravi ad habitandum Florentiæ . Unde dicit :
*La prima volta ch' a Città venisti* .
Dicunt enim aliqui , quod Ema cum suo territorio est de Bondelmontibus .
*Ma conveniasi* - - - - - - - -
Heic Cacciaguida ex morte Bondelmontis arguit malum augurium , quod prænuntiavit futuram effusionem civilis sanguinis . Nam Dominus Bondelmontes fuit interfectus ante Statuam Martis . Quum ergo Mars sit Deus belli , & gaudeat sanguine humano , bene sacrificatum fuit sibi sanguine humano istius. Dicit ergo :
*Ma conveniasi , che Fiorenza fosse*
*Vittima* - - - - - - - - - -
idest , sacrificium sanguinis humani , sicut olim fiebat Marti a quibusdam barbaris . Vel *Vittima* , scilicet , de Bondelmonte , quasi Victima pacis ruptæ. Quum enim olim quis inhibebat fœdus , mactabatur tamquam Victima , ut sæpe patet apud Livium :
- - - - - - *a quella pietra scema* ,
idest , Statuæ Martis , quæ erat aliqualiter fracta :
*Che guarda 'l Ponte* ,
quia erat posita in principio Pontis Veteris , ut sæpe dictum est . Et dicit :
- - - - - - *ne la sua pace postrema* ;
quia scilicet non erat amplius pax futura in Florentia .
*Con queste genti* - - - - - -
Heic Cacciaguida concludit suam narrationem & claudit Capitulum , dicens :
*Vid' io Fiorenza* - - - - - -
*Con queste genti* , - - - - - -
scilicet , superius enarratis Familiis . Et dicit :
- - - - - - *e con altre con esse* ,
quia fecit Auctor solùm mentionem de quibusdam , de quibus placuit facere famam , quia visæ sunt sibi memorabiles . Et dicit :

- - - - - - *in sì fatto riposo* ,
idest . in tam tranquillo & pacifico statu :
*Che non avea cagion' onde piangesse* .
Idest , quod non habebat materiam plorandi , sicut nunc . Et subdit :
*Con queste genti vid' io glorioso*
*E giusto il Popol suo* , - - - - - -
scilicet, Florentinum; *glorioso* , scilicet , artibus pacis & belli . Tunc enim gerebant bella contra hostes , ex quibus consequebantur sæpe victoriam gloriosam , non contra Cives , ex quorum victoria non datur triumphus : *e giusto* , quia tunc non usurpabat injuste jura vicinorum , sicut nunc facit . Et dicit :
- - - - - - *tanto che 'l Giglio*
*Non era ad asta mai posto a ritroso* .
Hoc dicit , quia de more est victorum sæpe pervertere Insignia capta ab hostibus, ponendo caput hastæ superius deorsum , & pedem sursum . Quod tamen sæpe factum est Florentiæ tempore bellorum Civilium . Quia aliquando Gibellini expulsi capiebant Insignia intraneorum , & subvertebant in opprobrium Guelphorum , & e contrario . Et dicit :
*Nè per division fatto vermiglio* .
Ad hujus literæ intelligentiam nota , quod quum Romani olim faciebant aliquam Civitatem Coloniam , donabant sibi Armaturam Populi Romani , scilicet , Scutum simpliciter rubeum, sine literis illis S. P. Q. R. quæ literæ important *Senatus Populusque Romanus* . Tamen Nicolaus Tribunus Romæ , Vir magnæ probitatis & prudentiæ , sæpe arguens Populum Romanum de vilitate & furore intollerabili eorum , exponebat istas literas *Senatus* , *PopulusQue Romanus* , *sic Sozzo Popolo * conchato Romano* . Sed ad propositum . Omnis Colonia recipiens Insignium Romanorum , poterat addere & apponere quidquid volebat . Unde Perusini addiderunt Griphum , Florentini Lilia alba , Pisani nihil addiderunt . Florentini ergo pulsis Gibellinis, converterunt Lilia alba in rubea, ad diversificandum Insignium exteriorum expulsorum . Et ab illo tempore citra habuerunt semper Lilia rubea . Unde adhuc apparent in summitate Palatii Potestatis Lilia alba . Et hoc est quod dicit : *Nè per division* , idest , partialitate , *fatto vermiglio*; vel exponas , sanguine , vel rastello .

Ad Cant. XVII. Vers. 49.

*Questo si vuole* , - - - -
Heic Cacciaguida ostendit Auctori expulsionem ejus . Ad cujus evidentiam est prænotandum , quod vigente parte Blancorum in Civitate Florentina , cujus caput erat Dominus Nerius de Circulis , expulso Domino Cursio de Donatis principe alterius partis , Papa Bonifacius volens componere dictam Civitatem , & pacificare partes , voluit habere Duces partium . Et quum reperisset illum de Circulis durum & implacabilem , illum verò de Donatis in omnibus se subjicientem voluntati suæ , ordinavit , quod Carolus Sine-Terra veniret de Francia in Italiam sub nomine Paciarii , qui sedaret lites & discordias ubique . Qui veniens Florentiam , ordinavit eam ita bene , sicut scriptum est supra in Purgatorio , & alibi sæpe . Ad literam ergo dicit Auctor :
*Questo si vuole , e questo già si cerca* ,
idest , procurator per Dominum Cursium de Donatis , & alios . Et dicit :
*E tosto verrà fatto* - - - -
quia scilicet res sortietur effectum in triennium:
- - - - *a chi ciò pensa* ;

sci-

scilicet, prædicto Cursio, & Domino Musatto de Francesiis de eadem parte, qui personaliter de Francia, & cum magnis pecuniis, & propriis expensis conduxit Carolum prædictum usque Florentiam, & sic habuit optatum.

*Ad Vers. 63.*

*Con la qual tu cadrai in questa Valle.*

Ad quod sciendum, quod Dominus Nerius de Circulis, de quo dictum est, fuit ita protervus, rusticus, & simplex, quod instante Papa Bonifacio, quod ipse faceret pacem cum Domino Cursio, respondit arroganter: *Sancte Pater, ad quid detinetis me heic? Rogo vos: permittite me redire in patriam meam*. Cui Bonifacius indignatus respondit: *Et quis te detinet?* Unde ipse recessit. Sed Dominus Cursius sagacior remansit supplex & venerabundus. Ex quo datus est ordo destructioni Circulorum, sicut jam dictum est. Unde dicit:

*Che tutta ingrata, - - - -*

quia non recognoscebat beneficium tuum in consulendo & vigilando pro bono statu Reipublicæ Florentinæ:

*- - - - tutta matta & empia,*

stulte deferendo consilium tuum, & impie reddendo supplicium pro beneficio. Aliqui dicunt, quod multi interficientur ex eis, sed non invenitur verum. Et subdit, quod cito sequetur vindicta de hoc; unde dicit:

*- - - - ma poco presso*

quia scilicet tertio anno a præsenti.

*Ella, non tu, n'avrà rossa la tempia.*

quia destruetur, & luet pœnas dignas: *Non tu*; quasi dicat, licèt tu pellaris, sicut jam dictum est, tamen melius & honorabilius pertransibis.

*Di sua bestialitate - - - -*

Heic Cacciaguida damnat fatuitatem Circulorum, & justificat electionem Auctoris dicens:

*- - - - il suo processo*

*Farà la prova, - - - -*

quasi dicat: Rei probabit eventus, quia bestialiter se gesserunt, spernentes sana consilia sapientum. Et dicit:

*- - - - sì ch'a te fia bello*

*Averti fatta parte - - - -*

scilicet recedendo ab eis, & faciendo tua facta sine illis:

*- - - - - - - per te stesso.*

Unde nota, quod pulcherrima pars sapientis est, nullius esse partis, sicut scriptum est in Inferno.

*Lo primo tuo rifugio, e'l primo ostello.*

Dictus Cacciaguida prænarrato exilio Auctoris, nunc ad consolationem ejus prænarrat refugium ejus in exilio. Et dicit, quod primum refugium ejus erit quidam magnificus Baro Lombardus. Ad cujus evidentiam est prænotandum, quod iste, de quo Auctor loquitur, fuit quidam Dominus Bartholomæus, quia obtinuit Capitaneatum Veronæ ab Imperatore. Ad quem Auctor primo habuit recursum, & recepit provisionem ab eo. Post enim mortem Eccelini de Romano, Mastinus & Albertus familiares dicti Eccelini invaserunt dominium Veronæ. Nunc ad literam. Cacciaguida describit Capitaneum Bartholomæum a liberalitate, & ab armatura sua, dicens:

*Sarà la cortesia del gran Lombardo,*

idest, liberalitas & munificentia Bartholomæi prædicti, qui fuit magnificus Dominus in Lombardia. Et de rei veritate iste inter Tyrannos fuit reputatus satis probus & prudens. Et dicit:

*Che 'n su la Scala porta il santo uccello.*

quia habet Scalam pro Insignio, & desuper portat Aquilam Imperialem, quæ vocatur avis Dei, ut expositum est VI. Cap. hujus Libri, & in Purgatorio. Et subdit veram liberalitatem præfati Domini, quia præveniet ejus indigentiam, nec exspectabit petitionem vel precationem Auctoris. Unde dicit:

*Ch'avrà in te - - - -*

idest, qui magnus Lombardus:

*- - - - sì benigno riguardo,*

quia scilicet te respiciet oculo benignitatis & clementiæ, quod de duobus faciet primo id, quod fit posterius ab aliis. Unde dicit:

*Che del far', - - - -*

scilicet, donum vel servitium:

*- - - - e del chieder tra voi due*

*Fia prima quel, che tra gli altri è più tardo.*

quia scilicet primo dabit, quam tu petas sibi; cujus oppositum communiter faciunt alii Domini; immo volunt & faciunt sæpe se rogari contra illud Salomonis: *Ne dicas amico tuo: Vade.*

*Con lui vedrai colui,*

Heic Cacciaguida prænuntiata liberalitate Capitanei Bartholomæi, nunc prænuntiat probitatem & liberalitatem Domini Canis Grandis ejus filii vel nepotis, quem primo describit a strenuitate armorum, ostendens, quod fuerit verè filius Martis, audax, & promtus in prœlio, & victoriosus valde. Unde dicit: *Con lui*, scilicet cum prædicto Bartholomæo, *vedrai colui*, scilicet, Canem Grandem:

*- - - - - - che impresso fue*

*Nascendo - - - - - -*

scilicet, in nativitate sua, idest jam efficaciter.

*- - - - sì da questa Stella forte,*

scilicet, Martis Planetæ, qui facit viros fortes & feroces in bello:

*Che notabili fien l'opere sue.*

scilicet, in bellis, sicut jam patuit ex iis, quæ scripta sunt de eo.

*Non se ne sono ancor - - - -*

Ad exaltationem Domini Canis dicit, quod virtus ejus nondum est nota, propter juvenilem ejus ætatem. Sed in brevi fiet celebris ubique. Unde dicit:

*- - - - le genti accorte*

*Per la novella età,*

scilicet, de operibus bellicis ejus, sive armorum gestis. Tamen mira indoles prætendebat futuram virtutem in eo. Et assignat causam ex parte ætatis, non naturæ, dicens:

*- - - - che pur nov'anni*

*Son queste rote - - - -*

scilicet, Martiales:

*- - - - intorno di lui torte.*

Et intellige de annis Martialibus, ita quod novem faciunt decem & octo; tamen aliquanto minus. Nam Mars in duobus annis percurrit Zodiacum minus. Et sic vult dicere, quod erat adolescentulus;

*Ma pria - - - - - -*

Heic Cacciaguida ostendit, quod in brevi enitescet virtus dicti Canis, quæ nunc occultatur. Unde dicit:

*Ma pria - - - - - -*

*Parran faville de la sua virtute,*

idest, initia magnorum factorum publice apparebunt:

*In non curar d'argento nè d'affanni.*

Et verè Auctor in duobus verbis breviter colligit duo, quæ reddiderunt hominem mirando.

gloriosum, scilicet magnificentia in sumtibus, & audacia in bello; quæ duo fecerunt famosos multos Dominos vitiosos, quorum aliquos ego novi. Vide ergo, quam commendabilis est virtus Liberalitatis, quæ aliquando tegit multitudinem vitiorum in homine. Est ergo sciendum, quod ista virtus præluxit in isto puero. Nam dum pater ejus duxisset eum semel ad videndum magnum thesaurum, iste illico levatis pannis minxit super eum. Ex quo omnes spectantes judicaverunt de ejus futura munificentia per istum contemtum pecuniarum. Et hoc dico, erat:

*- - - - pria che 'l Guasco - - - -*

idest, Papa Clemens de Vasconia:

*- - - - l'alto Arrigo inganni.*

idest, magnanimum Henricum Imperatorem de Lucimburgo. De ista deceptione dicetur infra Cant. XXX. Et subdit manifestationem magnæ Liberalitatis hujus Canis, dicens:

*Le sue magnificenze conosciute*

Magnificentia est proprie in magnis sumtibus:

*Saranno ancora; - - - - - -*

quod probat, dicens:

*- - - - - - - sì ch' e' suoi nemici*
*Non ne potran tener le lingue mute.*

Hæc est enim proprietas virtutis, quod reddit amabilem etiam odiosum, & laudabilem nonvisum:

*A lui t'aspetta, - - - - - -*

Heic Cacciaguida promittit spem Auctori in dicto Cane Grandi, dicens:

*- - - - & a' suoi benefici.*

Nam de rei veritate iste Canis multum honoravit Auctorem, dando sibi provisionem suam, & in multis complacendo sibi. Ideo Auctor non immemor beneficiorum, bene reddit sibi mercedem suam, & ultra debitum, sicut vides. Et subdit:

*Per lui fia tramutata molta gente,*

quia alios exaltabit, alios humiliabit; Ideo dicit:

*Cambiando condizion ricchi e mendici.*

quia aliqui divites pauperabuntur, aliqui pauperes ditabuntur.

*E porteranne - - - - -*

Heic Cacciaguida addit ultimo quædam tamquam secreta de eo, dicens:

*E porteranno scritto nella mente*
*Di lui; e nol dirai; - - - -*

sed exspecta eventum. Et dicit Auctor:

*- - - - - - - e disse cose*

scilicet, Cacciaguida:

*Incredibili a quei, che fian presente.*

Nam prædictus Canis totam Marchiam Tarvisinam bellica virtute subegit. Ideo bene Raynaldus Poëtista Veronensis versiculo Epitaphiali ejus triumphos breviter complexus est, dicens:

„ *Si Canis hic Grandis ingentia facta peregit.*
„ *Marchia testis adest, quam sævo marte subegit.*

*Ad Cant. XIX. Vers. 118.*

*Li si vedrà - - - - - - -*

Heic Aquila describit primum magnificum Regem Christianitatis, scilicet Regem Franciæ. Ad cujus evidentiam est præsciendum, quod iste fuit Rex Philippus dictus Pulcher, qui multa impia fecit. De quo quia maxima scelera scripsit in Purgatorio, ideo nunc describit eum ab uno solo scelere, scilicet ab ejus avarissima vilitate, ad augendam ejus infamiam, & ab ejus morte crudeli. Construe sic literam.

*Lì si vedrà - - - - - -*

scilicet, in dicto libro:

*- - - - il duol, - - - -*

idest, dolor:

*- - - - - - - che - - - - - -*

idest quem dolorem:

*Quel che morrà di colpo di cotenna,*

scilicet, Philippus Rex Franciæ, qui interficietur ab Apro:

*- - - - - - sopra Senna*
*Induce, - - - - - -*

idest, Parisius, quam denominat a flumine suo. Est enim Senna fluvius, qui labitur per Parisius. Et dicit:

*- - - - - falseggiando la moneta,*

quia Philippus faciebat fabricari monetam falsam. Et nota, quod Philippus prædictus fuit interfectus ab Apro in venatione; ideo dicit; *di colpo di cotenna*, idest dente Apri. Nam in vulgari Florentino *Cotenna* solùm appellatur cutis Porci grossa & setolosa, & per similitudinem cutis hominis capitis etiam, quæ est grossa & pilosa. Ergo per cutim dat intelligi Aprum, qui ipsum Philippum interfecit. Et meritò ab animali feroci & superbo, videlicet Apro, occisus est homo tam ferox & superbus.

*Lì si vedrà - - - - -*

Heic Aquila describit secundum Regem, scilicet Angliæ, quem, quia magnanimus erat, ut tangit in Purgatorio, nunc describit solùm a superbia, dicens:

*Lì si vedrà - - - - -*

scilicet, in prædicto Libro Dei:

*- - - - - - la superbia, ch' asseta,*

idest, sitibundum facit. Unde dicit:

*Che fa lo Scotto, - - - - -*

idest, Regem Scotiæ:

*- - - - - e l'Inglese folle,*

idest, Regem Angliæ Eduardum temerarium; qui, ut credo, erat Rex utriusque Insulæ. Est enim Anglia Insularum maxima in Oceano Occidentali. Scotia verò ei conjuncta. Et dicit;

*Sì che non può soffrir dentro a sua meta.*

idest, intra terminos & litora suæ Insulæ. Quia scilicet non contentus proprio Regno, invadit aliena Regna. Et certe istud dictum est maxime verificatum diebus nostris, quia Angliæ Rex invasit Regnum Franciæ, & Rege capto, totam fere regionem vastavit:

*Vedrassi, - - - - -*

Heic Aquila describit duos alios Reges potentes simul, qui ambo laborabant eodem morbo vitiorum, scilicet luxuriâ & mollitie, & ambo erant sine aliqua virtute. Dicit ergo:

*Vedrassi la lussuria, e 'l viver molle,*

idest, in eodem Libro Dei, vita voluptuosa, unde animositas, & voluptas,

*Di quel di Spagna, - - - - -*

scilicet, Regis Alphonsi, qui tunc regnabat:

*- - - - - - - - e di quel di Buemme,*

idest, Vincislai Regis Bohemiæ, de quo dictum est in Purgatorio. Et dicit de utroque:

*Che mai valor non conobbe nè volle.*

supple, cognoscere virtutem.

*Vedrassi - - - - -*

Heic Aquila describit alium Regem, scilicet Carolum Regem Apuliæ, qui dictus est Claudus, cui adscribit unam virtutem, scilicet liberalitatem. Unde dictum est supra, quod Rex Robertus avarus natus est ex patre liberali. Dicit ergo:

*Vedrassi - - - - - -*

idest, in eodem Libro Dei:

*- - - la*

- - - - - - *la sua bontate*
Idest, propria :
*Segnata con un* **I.** - - - - -
quia habuit solam unam virtutem, scilicet largitatis. Et tamen per avaritiam vendidit filiam propriam Marchioni Estensi, de qua re scriptum est in Purgatorio :
- - - - *al Ciotto di Gerusalemme*
idest, Carolo Ciotto, qui intitulatur Rex Hierusalem. Qui titulus datus fuit patri ejus Carolo Duci Andegaviæ, qui recuperavit Apuliam de manibus Manfredi. Et dicit :
*Quando 'l contrario segnerà un' Emme.*
quod importat *Mille* : scilicet, mille vitia. Aliqui tamen exponunt aliter, & sic : *Quando un' Emme*, idest mille vitia, *segnerà 'l contrario*, idest Soldani Babyloniæ, qui tenet Hierusalem. Sed ista expositio est aliena a mente Auctoris. Sed sic colorant, qui volunt eum defendere & excusare.
*Vedrassi* - - - - - - - -
Heic Aquila describit alium Regem Siciliæ; Regem quidem a vitiis, Insulam verò a Monte famoso, & ab una sepultura famosa. Hic autem fuit Fridericus filius Petri probissimi Regis Aragonum, de quibus dictum est in Purgatorio. Expone ergo literam sic :
*Vedrassi* - - - - - -
scilicet, in præfato Libro Dei :
- - - - - - *l'avarizia e la viltate*,
bene Vilitas concomitatur Avaritiam. Nam omnis avarus est vilis & pusillanimis :
*Di quel* - - - - - - - -
scilicet, Friderici prædicti :
- - - - - *che guarda l'Isola del foco*,
idest Siciliam, cujus Mons est Ætna ardens, de quo dictum est supra. Præterea dictum est & alibi, & in Inferno. Et nota, quod notanter dicit, *guarda*, quia tenet eam cum timore & solicitudine, quia ipse vilis & avarus male gubernat intra, & reddit se odibilem Regnicolis; extra autem habebat guerram cum Carolo Ciotto prædicto. Et dicit :
*Ov' Anchise finì la lunga etate.*
Ad cujus intelligentiam est sciendum, quod sicut scribit Vergilius Æneidos, dum proficisceretur Æneas a Troja in Italiam, perdidit patrem suum Anchisem antiquissimum, cujus consilio omnia gerebat in illa longa peregrinatione sua. Cui struxit pulcherrimum tumulum, & instituit diversos ludos, qui annuatim celebrarentur in ejus memoriam. Et subdit ad cumulum majoris verecundiæ :
- - - - - - *fien lettere mozze*
scilicet, singulæ pro partibus :
*Che noteranno molto* - - - - - -
scilicet, suorum vitiorum :
- - - - - - *in parvo loco.*
idest, in modico spatio chartæ. Et hoc
- - - - *a dar ad intender quanto è poco*
*La sua scrittura* - - - - - -
scilicet, per contrarium, quia multa mala dici possunt de eo in paucis verbis. Vel intelligas simpliciter, quia pauca scriptura potest fieri de eo, quia habet paucas virtutes, quæ possunt notari per paucas literas truncas, scilicet I. quod importat unum, ut jam dictum est paulo supra. Sed prima expositio videtur melior, quia litera dicit : *che noteranno molto*; & ita non videtur posse pati talem intellectum.
*E parranno* - - - - -
Heic Aquila vituperat duos alios Reges ejusdem sanguinis, scilicet Dominum Jacobum Regem Aragoniæ fratrem dicti Friderici, & alium Jacobum Regem Majoricæ patruum utriusque fratris, Friderici scilicet, & Jacobi prædictorum. Unde dicit :
- - - - - - *a ciascun l'opere sozze*
idest, opera vilia :
*Del Barba* - - - - -
scilicet, Domini Jacobi Regis Aragoniæ. Et dicunt aliqui, quod primus renuntiavit Regno Siciliæ; alter vero permisit sibi auferri suam Insulam a fratre suo Petro, qui tamen postea restituit eam sibi. Unde dicit :
- - - - - - *e due corone han fatte bozze.*
idest, bastardas :
- - - - - *che tanto egregia*
*Nazione*, - - - - - -
idest, generosam prosapiam, de qua fuit ille Petrus armorum strenuissimus.
- - - - - *e due corone* - - - - -
scilicet, scripta & manifestata in memorato Libro Dei, scilicet Regum Aragonum & Majoricæ *parranno a ciascuno.*
*E quel di Portogallo*, - - - - -
Heic Aquila colligit tres Reges simul, quorum duos describit simpliciter, tertium verò describit ab infami vilitate quadam : *E quel di Portogallo*, scilicet, Rex. Est enim Portus Gallus unum de quinque Regnis Hispaniæ :
- - - - - *e di Norvegia*
idest, Rex Norvegiæ. Est enim Norvegia regio in Septemtrione, in parte frigidissima vicina Tramontanæ, ubi sunt dies brevissimi, & inveniuntur boni Falcones.
*Lì si conosceranno*, - - - - - -
idest, in præmemorato Libro Dei. Quasi dicat : etiam apparebit vilitas & avaritia eorum ibi. Et subdit :
- - - - - - *e quel di Rascia*
supple, bene cognoscetur in illo Libro, tamquam vilior & avarior prædictis. Quod probat per evidentissimum signum extremæ vilitatis avaritiæ, dicens :
*Che male aggiustò 'l Conio di Vinegia.*
Hoc dicit, quia falsificabat Ducatos, quos cudit nobilissima Civitas Venetiarum.
*O beata Ungheria* - - - - -
Heic Aquila describit duo Regna, scilicet Hungariæ & Navarræ. Quorum primum vacabat per mortem Andreæ, qui fuit filius Caroli Martelli, de quo multa dicta sunt supra Cant. IX. hujus Paradisi. Ideo dicit :
*O beata Ungheria* - - - - -
respectu aliorum Regnorum :
- - - - *se non si lascia*
*Più malmenare*, - - - - -
scilicet, a Rege novo; quasi dicat, si non pejorat. Et dicit :
- - - - *e beata Navarra*,
quia tunc carebat Rege; sed quia recidebat tunc Regnum in Regem Franciæ, dicit :
*Se s'armasse del monte, che la fascia.*
idest, qui cingit eam, & a Gallia dividit, idest fortiliciis suis. Quasi dicat : si præmuniret se, & provideret sibi, resistendo, quod non veniret sub manu Francorum. Et sic tacite prædicit, quod perventura est ad manus eorum, quorum superbia vana est intolerabilis.
*E creder* - - - - -
Heic ultimo Aquila infamat Regem Cyprium, quem dicit vivere voluptuose tamquam bestia. Unde dicit :
*E creder dee ciascun, che già per arra*
*Di questo*, - - - - -
idest, per signum hujus vaticinii, vel Libri.
- - - - - *Nicosia e Famagosta*,

per quas dat intelligi Regnum Cypri. Est enim Nicosia Civitas in Cypro, & Famagosta alia Civitas major & ditior, ad quam est communis Mercatorum concursus:

*Per la lor bestia si lamenti e garra*,

idest, rixetur propter Regem suum bestialiter viventem. Unde dicit:

*Che dal fianco de l'altre non si scosta*.

idest, qui Rex non discordat, nec recedit a latere aliarum bestiarum, idest aliorum Regum vitiosorum. Et verè non discohæret, & non dissociatur a vivere bestiali aliorum, immo vincit & excedit cum sua gente Cypria omnes gentes & Reges Regnorum Christianitatis in superfluitate luxuriæ, gulæ, mollitiei, & in omni genere voluptatum. Sed velle describere genera epularum, sumtuositatem, varietatem, & nimietatem, fastidiosum esset narrare, & tædiosum scribere & perniciosum. Ideo viri sobrie & temperanter viventes deberent avertere oculos a videndo, & aures ab audiendo mores meretricales, lubricos, & fœtidos Insulæ illius, quam permittente Deo Januenses nunc invaserunt, expugnaverunt, & male tractaverunt, & mulctaverunt.

*Ad Cant. XXI. Vers.* 130.

*Or voglion quinci* - - - - -

Heic Petrus Damiani aperte infamat Pastores modernos per contrarium ad dictos Apostolos, dicens:

*Li moderni Pastori* - - - - -

*Or voglion quinci e quindi chi rincalzi*,

scilicet, a dextris & a sinistris:

- - - - - *e chi li meni*

*Tanto son gravi*, - - - -

idest, pingues & corpulenti. Quales multos vidi in Curia Romana. Et hoc est contra prædictorum Petri & Pauli macredinem.

- - - - *e chi diretto gli alzi*.

quia habent Cappas longas, terram verrentes cum cauda. Et hoc etiam est contra nuditatem prædictorum Apostolorum. Et ideo dolore stimulante subdit:

*Cuopron de manti lor i palafreni*,

pingues, & politos, sicut ipsi sunt; quia eorum clamydes sunt ita longæ, amplæ, & capaces, quod cooperiunt hominem & equum. Unde dicit:

*Sì che due bestie van sott' una pelle*.

scilicet, bestia portans, & ipse portatus, qui verius est bestia, & bestialior ipsâ bestiâ. Et certe, si Auctor viveret hodie, posset mutare literam istam, & dicere: *Sì che trè bestie van sott' una pelle*, scilicet Cardinalis, Meretrix, & Equus; sicut audivi de uno, quem bene novi, qui portabat suam concubinam ad venationem post se in clune equi vel muli. Et ipse verè erat *sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus*, hoc est, sine ratione. Ex dictis Petrus iratus exclamabat ad Deum:

*O pazienza*, - - - - -

scilicet, divina:

- - - - - *che tanto sostieni*!

idest, quomodo potes tantum sustinere, quod non irascaris? Et non mireris, Lector, si Auctor, tamquam Poëta ita obloquitur de Prælatis, quum & magni Doctores & sancti Viri non potuerint abstinere ab hujusmodi obloquiis Prælatorum. Unde & Beatus Bernardus hanc voluptuosam & bestialem vitam Prælatorum mirabiliter perstrinxit, sic dicens: *Quum cuncti status hominum aliquid laboris habeant, aliquid voluptatis, Prælati novo quodam artificio deferentes, omne, quod molestat in omnibus respuerunt; omne quod delectat, in omnibus acceperunt* &c. Et heic nota, quod Auctor noster magna arte usus est, fingens Petrum Damiani ista sic vituperosa dicere de Pastoribus, quia fuit Cardinalis, & novit vitam eorum. Ideo veracius & audacius obloqui potuit de suis. Immo de rei veritate dictus Petrus talia & pejora scripsit de Prælatis. Scripsit enim duo Opera præcipua in eleganti stilo, quorum unum est de Epistolis, & Sermonibus, in quo Opere multa mala dixit de ipsis; aliud verò fecit, in quo scribit de Prælatis flagitia nefaria, quæ honeste dici non possunt. Siquidem Petrus iste, homo rigidus valde, inter alia pulcra, quæ scribit in isto secundo Volumine, disputat subtiliter contra Hieronymum, qui dixit, quod Deus non poterat Virginitatem perditam restaurare.

*Ad Cant. XXII. Vers.* 74.

- - - - *e la Regola mia*

*Rimasa è giù per danno de le carte*.

Volo ad clariorem intelligentiam hujus literæ referre illud, quod narrabat mihi jocose Venerabilis Præceptor meus Boccacius de Certaldo. Dicebat enim, quod dum esset in Apulia, captus famâ loci, accessit ad nobile Monasterium Montis Casini, de quo dictum est. Et avidus videndi Librariam, quam audiverat ibi esse nobilissimam, petivit ab uno Monacho humiliter, velut ille, qui suavissimus erat, quod deberet ex gratia sibi aperire Bibliothecam. At ille rigide respondit, ostendens sibi altam scalam: *Ascende quia aperta est*. Ille lætus ascendens, invenit locum tanti thesauri sine ostio vel clavi; ingressusque vidit herbam natam per fenestras, & Libros omnes cum bancis coopertis pulvere alto. Et mirabundus cœpit aperire & volvere nunc istum Librum, nunc illum, invenitque ibi multa & varia Volumina antiquorum & peregrinorum Librorum. Ex quorum aliquibus erant detracti aliqui Quinterni, ex aliis recisi margines chartarum, & sic multipliciter deformati. Tamdem miseratus, labores & studia tot inclytorum ingeniorum devenisse ad manus perditissimorum hominum, dolens & illacrymans recessit. Et occurrens in Claustro, petivit a Monacho obvio, quare Libri illi pretiosissimi essent ita turpiter detruncati. Qui respondit, quod aliqui Monachi volentes lucrari duos, vel quinque Solidos, radebant unum Quaternum, & faciebant Psalteriolos, quos vendebant pueris; Et ita de marginibus faciebant Brevia, quæ vendebant mulieribus. Nunc ergo, o vir studiose, frange tibi caput pro faciendo Libros. (*)

*Ad Cant. XXX. Vers.* 133.

*In quel gran seggio, a che tu gli occhi tieni*,

Auctor describit in speciali unam sedem vacuam eminentem inter alias, in qua expectatur anima illustris cujusdam magnifici Principis. Ad cujus intelligentiam est præsciendum, quod iste, de quo Auctor loquitur heic, fuit Henricus VI. Imperator, qui imperabat tempore Auctoris. Qui de consensu Clementis V. de Vasconia descendit in Italiam, & multa magnifice gessit. Ad literam ergo Auctor prænuntiat indignam & intempestivam mortem hujus Henrici. Construe ergo sic literam:

(*) Nemo erit qui hæc tam acerba in Ecclesiasticos Pastores & Cassinenses Monachos, præteritorum sæculorum licentiæ atque ignaviæ tribuenda non cognoscat, unde nobis erit gratulationis argumentum à restaurata temporibus nostris Ecclesiastica disciplina, restitutisque inter Cassinenses potissimum summa cum elegantia studiis doctrinarum.

Sede-

*Sederà l'Alma - - - - -*
*Dell' alto Arrigo - - - - -*
idest, anima illustris, magni Imperatoris Henrici Sexti, qui alta tentabat. Unde dicit:
*- - - - - che fu già augosta,*
idest, quæ anima imperabat in terra. Omnis enim Imperator vocatur Augustus a Cæsare Augusto, ut dictum est in Cant. I. Inferni, & alibi sæpe. Et dicit:
*- - - - - - ch' a dirizzar Italia*
*Verrà, in prima ch' ella sia disposta,*
Quasi dicat: non invenit eam bene dispositam ad rectum & certum regnum unius Monarchæ, propter partialitates, tyrannides, & bella intestina: *Sederà quel gran seggio*; idest, insidebit illud altum solium, quale decet majestatem Imperialis culminis in Principe tam virtuoso. Et dicit:
*- - - - a che tu gli occhi tieni,*
idest, quod solum tu specialiter inspicis:
*Per la Corona, che già v'è su posta,*
idest, propter coronam gloriæ, quæ est jam præparata meritis suis, sicut Coronam Imperialem digne promeruit in terra. Et dicit:
*Prima che tu a queste nozze ceni.*
Idest, antequam moriaris, & venias ad istam gloriam, ubi etiam tu exspectaris divinâ gratiâ & meritis tuis. Unde volo, quod intelligas tacite, quod Beatrix ostendit Auctori sedem ipsius vacuam, cum corona laurea desuper. Et bene dicit, antequam cœnet ibi, quia præfatus Henricus mortuus est in MCCCXIII. die XXIV. Augusti in Tuscia in Castello, quod dicitur Buonconvento. Auctor verò mortuus est in MCCCXXI. de mense Septembris, in festo Sanctæ Crucis, in Civitate Ravennæ, ubi sepultus est apud locum Fratrum Minorum, in sepulcro magno, cum tali Epitaphio, quod fecit Johannes de Virgilio Bononiensis contemporaneus ejus & amicus.

*Ad Vers.* 142.

*E fia Prefetto - - - - -*
Heic Beatrix assignat causam specialem, quare Henricus non potuit consequi finem suum, scilicet illegalitatem Clementis V. de Vasconia. Unde dicit:
*E fia Prefetto nel foro divino*
*Allora tal; - - - - -*
quasi dicat: Unus erit tunc temporis Præfectus rebus sacris. Et non dicas, *Perfetto*, sicut multi textus habent, quia tunc esset replicatio conditionis in litera:
*- - - - - che palese e coverto*
*Non anderà con lui per un camino.*
Quia manifeste videbatur favere sibi, & occulte erat sibi infestus. Et ordinavit, & consensit, quod Rex Robertus resisteret sibi, & impediret ejus coronationem, & processum. Propter quod Henricus damnavit & privavit ipsum Robertum in Civitate Pisana. Et continuo Clemens revocavit & annullavit sententiam Henrici, sicut de utroque actu vidi publica Instrumenta.
*Ma poco poi sarà - - - - -*
Heic Beatrix prænuntiat mortem & pœnam prædicto Clementi in brevi, dicens, quod dictus Clemens Papa.
*- - - - - poco poi sarà da Dio sofferto*
*Nel santo officio; - - - - -*
scilicet, in Papatu; & bene parum, quia Clemens supervixit dicto Henrico circa septem menses cum dimidio, ut audivi. Et dicit:
*- - - - - ch' ei sarà detruso*
idest, pulsus:
*Là dove Simon Mago è per suo merto.*
scilicet, in tertiam bolgiam, ubi puniuntur Simoniaci. Et dicit:
*E farà quel d'Alagna esser piu giusto.*
idest, Bonifacium VIII. qui fuit de Anagnia Civitate Campaniæ, ut scriptum est Inferni Cap. XIX. ubi Auctor etiam prænuntiat dictam mortem, & pœnam infamiæ Clementis. Et heic ultimo nota, quod Auctor tantopere deplorat indignam mortem Henrici, & commendat ejus altam virtutem, quia ipsum cognovit in vita, & familiariter coluit, quia per eum speravit reduci in patriam. Quod conatur persuadere sibi in aliquibus Epistolis suis, & multo fortius in quodam suo Libello, quem intitulavit *Monarchiam*, qui Liber fuit quasi occultus usque ad tempus Bavari. Sed de rei veritate Auctor potuit juste commendare Henricum istum, a cujus laudibus non abstinent linguæ adversariorum.

*Ad Cant. XXXI. Vers.* 34.

*Veggendo Roma e l'ardua sua opra.*
Idest, alta ædificia sua. Nam tota Roma miraculum est, ut ait Cassiodorus. Vel etiam opera magnifice gesta a Romanis, quæ erant picta, sculpta, & scripta in ædificiis, vel etiam in arcubus triumphalibus. Unde Sidonius:
*Roma domicilium Legum* &c.
Et dicit:
*Stupefaceansi, - - - - -*
idest, mirabantur. Et tangit tempus;
*- - - - - quando Laterano*
*A le cose morali andò di sopra.*
Quasi dicat: quando Roma erat in flore, quia tunc superavit omnia ædificia mundi. Unde Thomas de Aquino erat solitus dicere, quod tria concupiverat anima sua, vidisse: scilicet Romam in flore, Christum in carne, & Apostolum disputantem. Et nota, quod Auctor per hoc, quod dicit, *Laterano*, tangit unum mirabilissimum ædificium Romæ. Palatium enim Lateranum, quod est prope Sanctos Marcellinum & Petrum, versùs Septemtrionem, fuit Palatium Neronis, ut dicit Martinus. Fuit autem istud Palatium sumtuosissimum, sicut scribit Suetonius. Unde Augustus gloriabatur, se invenisse Urbem lateritiam, & fecisse marmoream.

F I N I S.

FINITO DI STAMPARE IN BOLOGNA NEL GENNAIO 1965
PRESSO LA CASA EDITRICE ARNALDO FORNI